

TRACTATUS DOGMATICUS

DE POENITENTIA

TOM. IV. DE CAUSIS EXTRINSECIS

EMMANUEL DORONZO, O.M.I.
S.T.D., PH.D.

Professor of Theology
The Catholic University of America

EX TYPOGRAPHIA BRUCE
Milwaukee

Imprimi potest: STANISLAUS LAROCHELLE, O.M.I., Superior Provincialis
Nihil obstat: JOSEPH C. FENTON, Censor Deputatus
Imprimatur: ✠ JOANNES M. MCNAMARA, D.D., Episcopus Eumeniae,
Administrator Archidioecesis Baltimorensis et Washingtoniensis
September 5, 1947

ORDO PARTIUM

DE POENITENTIA

Tom. IV. De Causis Extrinsecis

CAPUT VIII. DE EFFECTU ET PROPRIETATIBUS POENITENTIAE

ART. 84.	Utrum per Poenitentiam, eamque solam, peccatum remittatur.	2-15
ART. 85.	Utrum per Poenitentiam remittatur quodlibet peccatum.	15-72
ART. 86.	Utrum per Poenitentiam omnia simul peccata remittantur, ita ut unum sine alio remitti non possit.	72-89
ART. 87.	Utrum per Poenitentiam auferatur necessario poena aeterna et aliquid poenae temporalis, non autem tota poena temporalis, nec omnes reliquiae peccati.	89-110
ART. 88.	Utrum peccata jam remissa reviviscant, ratione novi peccati.	110-134
ART. 89.	Utrum per Poenitentiam homo recuperet quomodolibet quidquid per peccatum amiserat.	134-162
ART. 90.	Utrum merita praecedentia et gratia in qua ea fundabantur, restituantur poenitenti tantummodo juxta mensuram dispositionis cum qua a peccato resurgit et cum qua subinde in acquisita justificatione proficit.	162-243
ART. 91.	Utrum sacramentum Poenitentiae remittat peccata vere et proprie, seu habeat pro effectu ipsam peccatorum remissionem.	243-281
ART. 92.	Utrum quodlibet peccatum sit remissibile per sacramentum Poenitentiae seu per claves Ecclesiae.	281-423
ART. 93.	Utrum peccata venialia tollantur per solam Poenitentiam, saltem virtuaalem.	423-478
ART. 94.	Utrum remissio peccati venialis requirat statum gratiae, non vero actuaalem gratiae infusionem.	478-498

- ART. 95. Utrum sacramentum Poenitentiae remittat etiam peccata venialia ex opere operato vere et proprie, quamvis non immediate sed mediante actu Poenitentiae elicito ab ipsa gratia sacramentali. 498-558
- ART. 96. Utrum proprietates sacramenti Poenitentiae sint absoluta necessitas, specifica unitas, peculiaris indoles sacramentalis. 558-565

CAPUT IX. DE SUBJECTO ET MINISTRO

- ART. 97. Utrum et qua ratione absolvi possit moribundus, praecipue qui sit sensibus destitutus et nullum dederit signum poenitentiae. 569-600
- ART. 98. Utrum in ministro Poenitentiae requiratur et sufficiat potestas ordinis, et quidem sacerdotalis, ita ut solus et omnis sacerdos sit minister hujus sacramenti. 600-723
- ART. 99. Utrum ad validam hujus sacramenti administrationem non sufficiat potestas ordinis sed requiratur etiam distincta potestas jurisdictionis. 723-770
- ART. 100. Utrum et quomodo efficacia hujus sacramenti pendeat a ministro. 770-773
- ART. 101. Utrum plures ministri possint simul eundem poenitentem absolvere, ita ut idem sacramentum Poenitentiae proprie concelebrent. 773-784
- ART. 102. Utrum sacerdos variis pollere debeat dotibus variisque satisfacere obligationibus ut licite ac convenienter hoc sacramentum administret. 784-785

CAPUT X. DE GENERALI POTESTATE CLAVIUM

- ART. 103. Utrum potestas clavium recte definiatur: Potestas ligandi atque solvendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere, indignos excludere debet a regno coelorum. 786-796
- ART. 104. Utrum stricte dicta potestas clavium, seu clavis sacramentalis, signanter distinguatur ab omni alia potestate, tam sacramentali quam extrasacramentali. 796-799
- ART. 105. Utrum excommunicatio sit censura seu poena medicinalis, qua quis excluditur ab ecclesias-

- tica communione, intra limites a canonibus assignatos. 799-806
- ART. 106. Utrum Ecclesiae competat potestas ferendi excommunicationem. 807-822

CAPUT XI. DE INDULGENTIIS

- ART. 107. Utrum Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias. 828-885
- ART. 108. Utrum indulgentia sit dispensatio thesauri Ecclesiae. 885-918
- ART. 109. Utrum indulgentia sit actus verae potestatis, exercitus per modum absolutionis quoad vivos, per modum vero suffragii quoad defunctos. 918-968
- ART. 110. Utrum effectus indulgentiae sit remissio poenae temporalis coram Deo, adeoque non ipsius culpae, nec solius poenae canonicae. 968-988
- ART. 111. Utrum indulgentia tantum valeat quantum sonat, sive quoad ejus valorem, sive quoad ejus effectum, sive quoad modum operandi. 989-1025
- ART. 112. Utrum indulgentia rite definiatur: Actus potestatis clavium, solvens a poena temporali Deo debita, per extrasacramentalem dispensationem thesauri Ecclesiae. 1025-1030
- ART. 113. Utrum indulgentiae convenienter a doctoribus dividantur in indulgentias per modum absolutionis et per modum suffragii; indulgentias plenarias et partiales; indulgentias pro vivis, pro defunctis, pro vivis ac defunctis; indulgentias personales, reales et locales; indulgentias perpetuas et temporaneas. 1030-1048
- ART. 114. Utrum solus S. Pontifex habeat jure divino potestatem concedendi indulgentias. 1048-1063
- ART. 115. Utrum ad indulgentiam concedendam requiratur rationabilis causa, non tamen necessario proportionata ipsi quantitati indulgentiae. 1063-1092
- ART. 116. Utrum Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias pro defunctis in purgatorio, ita ut isti sint subjectum capax fructus indulgentiarum. 1092-1115
- ART. 117. Utrum recte enumerentur sex conditiones, in subjecto requisitae ad validam acquisitionem

ORDO PARTIUM

- indulgentiae, scilicet: Baptismus, habitudo
 subditi ad concedentem, immunitas ab
 excommunicatione, status gratiae, intentio
 lucrandi, impletio operis injuncti. 1116-1142
- ART. 118. Utrum indulgentia adaequate distinguatur a
 Poenitentia. 1142-1143

CAPUT XII. DE CAEREMONIIS

- ART. 119. Utrum convenienter assignentur caeremoniae et
 sacramentalia sacramenti Poenitentiae. 1144-1156

INDICES

INDEX BIBLICUS .	[1]-[3]
INDEX EXEGETICUS .	[4]-[5]
INDEX THOMISTICUS .	[6]-[10]
INDEX ONOMASTICUS .	[11]-[21]
INDEX ANALYTICUS .	[22]-[44]

CAPUT VIII

DE EFFECTU ET PROPRIETATIBUS POENITENTIAE

INTRODUCTIO

In praecedentibus capitibus actum est de causis intrinsicis huius sacramenti, seu de materia et forma, tam in communi quam in particulari. Incipit nunc quaestio *de causis extrinsecis*, et quidem de causa finali, quae jam considerata est modo generico in art. 36–37, ubi de necessitate sacramenti et confessionis, hic vero consideratur in concreto prout coincidit cum ipso effectu. Et ita absolvitur quaestio de tribus notis elementis, seu sacramento tantum, re et sacramento, re tantum; primum enim coincidit cum materia et forma, secundum consistit in ipsa interiori contritione, ut explicatum est in art. 28 (cf. infra, art. 96, p. 563), tertium est ipse principalis effectus huius sacramenti, seu gratia remissiva peccatorum, de qua sermo est in praesenti capite.

Hic autem remissionis effectus pertinet tam ad sacramentum, quam ad virtutem Poenitentiae, atque importat deletionem tum mortalis tum venialis peccati. Unde ex ordine agemus prius de principali remissione mortalium, tam per virtutem quam per sacramentum in cuius voto ipsa virtus operatur, subinde de secundaria remissione venialium, pariter tam per virtutem quam per sacramentum aliaque remedia, prementes vestigia *S. Thomae*, qui hanc materiam expendit in q. 86–89 tertiae partis. Ad calcem Capituli erit brevis sermo de huius sacramenti proprietatibus, quae cum ejus effectu connectuntur.

Tota materia distribuitur per *13 articulos*, sequenti ordine dispositos:

1. *Remissio peccati mortalis*

<i>Per virtutem Poenitentiae</i>		
Ipsa remissio		
Quoad ipsum reatum culpae		
Factum remissionis		art. 84
Ejus extensio ad omnia peccata		art. 85
Ejus modus, seu quod non possit unum peccatum remitti sine alio		art. 86
Quoad sequelas peccati, seu reatum poenae et reliquias peccati		art. 87
Ejus perfectio		
Reditus peccatorum non datur		art. 88
Recuperatio gratiae et virtutum		art. 89
Reviscentia meritorum		art. 90
<i>Per sacramentum Poenitentiae</i>		
Natura remissivae efficacitatis hujus sacramenti, seu quod per ipsum vere et proprie remittantur peccata		art. 91
Extensio illius efficacitatis, seu quod omne pecca- tum sit remissibile per claves Ecclesiae		art. 92

2. *Remissio peccati venialis*

<i>Per virtutem Poenitentiae</i>		
Ipsa causa remissiva, seu indoles actus poenitentiae per quem venialia remittuntur		art. 93
Modus remissionis, seu ejus connexio cum statu gratiae		art. 94
<i>Per sacramentum Poenitentiae</i>		art. 95

3. *Proprietates sacramenti Poenitentiae, seu necessitas, unitas, sacramentalis indoles* art. 96

ART. 84. Utrum Per Poenitentiam, Eamque Solam, Peccatum Remittatur (q. 86, a. 1. 2; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 1).

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et tribus seq. articulis, agitur de remissiva efficacia Poenitentiae quoad peccatum mortale, quod quidem est peccatum simpliciter dictum. Haec autem efficacia consideratur primo, relate ad ipsum reatum culpae, et quidem sive secundum seipsam (in hoc articulo), sive secundum suam extensionem (art. 85, de remissibilitate omnium peccatorum), sive secundum suum modum (art. 86, de similitate remissionis quorumlibet peccatorum); secundo, relate ad sequelas peccati, scilicet reatum poenae et reliquias peccati (art. 87).

In praesenti articulo *duo quaeruntur*:

1. An per Poenitentiam remittatur peccatum, tum de facto, tum necessario ita ut absolute repugnet quod, stante Poenitentia, peccatum non remittatur.

2. An sine Poenitentia peccatum non remittatur, tum de facto, tum necessario ita ut absolute repugnet sine Poenitentia remitti peccatum.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica et documenta Ecclesiae.

Poenitentiam de facto semper remittere peccatum, est *de fide* passim ac explicite exhibita in fontibus revelationis (ut constabit infra in Concl. 1) et constanter ab Ecclesia proposita, infallibili magisterio tum ordinario, tum extraordinario, solemnius vero definita a *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 14 et can. 3. 8. 9. 30, et sess. 14, per totam, praecipue cap. 1. 2. 4, can. 4. 5.

Sine Poenitentia de facto peccatum non remitti, est similiter *de fide*, pari modo et constantia in fontibus revelationis contenta et ab Ecclesia definita, ut constat ex documentis allatis in art. 22 (tom. 1, p. 473 et 478 sq.), ubi actum est de necessitate Poenitentiae.

HAERESSES ET OPINIONES.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM.

Renovativae vi Poenitentiae adversati sunt, magis vel minus directe et explicite, atque ex diversis immediatis principiis ac praepjudiciis, tum quidam philosophi, tum quidam pseudo-theologi apud sectas ab Ecclesia separatas.

Jam *Cicero* (Acad., 1. 3) de hominis habilitate ad moralem conversionem fortiter dubitabat, ut advertit *Lactantius*, scribens: "Quod fieri posse [i.e. hominem per poenitentiam a vitiis liberari] Cicero non putavit, cujus haec in Academico tertio verba sunt: 'Quod si liceret ut iis qui in itinere deerravissent, sic viam deviam secutos corrigere errorem poenitendo, facilius esset emendatio temeritatis' " (M.L. 6, 722).

Celsus etiam Christianorum doctrinas de vi Poenitentiae libenter impugnat. De ipso scribit *Origenes*: "Tum Celsus, quae dicta et scripta sunt hortandis male viventibus vocandisque ad poenitentiam et animae suae emendationem, indigne calumnians, ait dicere nos, 'missum ad peccatores fuisse Deum.' Quod perinde facit ac si quibusdam crimini duceret, quod medicum ab humanissimo rege ad urbem propter eos, qui morbos laborabant, missum esse affirmarent" (C. Celsum, 3, 2, M.G. 11, 1002). Inducit etiam eum dicentem: "Ignorat nemo, qui innatae proclivitati ad peccandum adjungere consuetudinem, illos non poenis omnino mutari, multo minus misericordia" (ibid. 3, 66, col. 1006). Cui apte respondet: "Mihi Celsus videtur hallucina-

tus esse, cum natura et consuetudine ad peccandum proclives negat omnino mutari et vel poenis sanari posse. . . Non . . . nos soli contendimus errasse Celsum . . . ; sed etiam sani omnes philosophi, qui non negant ad virtutem reditum esse possibilem” (ibid.). Quod quidem confirmatur ex dictis supra in art. 16 (tom. 1, p. 409–412) de poenitentia naturali, ubi refutavimus dictum *Cajetani*: “Abstrahendo a documentis fidei, dolor seu tristitia de praeterito peccato nullam videtur habere rationem remedii. Et propterea superfluum videtur dolere de malis praeteritis” (ibid., p. 400).

Eundem Poenitentiae despectum apparet apud modernos *Rationalistas*, qui eam reducunt ad merum verecundiae sensum, ut dictum est in art. 11 (tom. 1, p. 269 et 277).

Apud *antiquos haereticos*, Poenitentiae vis reicitur non tam modo generali, saltem explicite, quam peculiariter in relatione ad remissionem peccatorum postbaptismalium, omnium vel saltem quorundam graviorum. *Basilius*, Hom. de Poenitentia (inter homilias dubias), 1 (“Arrogantiam eorum qui poenitentiam e medio tollere audent . . .”, M.L. 31, 1475) et *Chrysostomus*, Ad Hebr., hom. 20, 1 (M.L. 63, 143), referunt innominatim aliquos generaliter reicientes Poenitentiam.

Antiqui Cathari, seu Cataphrygae, ex eorum exaggerato spiritualismo vim Poenitentiae despiciebant, saltem quatenus abnegarent omnem poenitentiam postbaptismalem, praecipue quae sub clavibus Ecclesiae exerceretur, ita reducentes poenitentiam ad quandam gratuitam et extrinsecam indulgentiam Dei, quae semel tantum in ipso Baptismo concederetur.

Epiphanius de illis scribit: “Proximi ab illis [i.e. haereticis Valesiis] Cathari quidam exorti sunt, a Novato, ut fama percrebuit. . . Propter eos, qui in illa persecutione [Decii] lapsi fuerant, cum arrogantia una cum suis inflatus [Novatus] eos in communionem nollet admittere, qui post persecutionem poenitentiam susceperant, ad eam se convertit haeresim, nullam ut esse spem salutis assereret, atque unam dumtaxat esse poenitentiam. Qui autem post baptismum delinqueret, nullam erga eum misericordiam adhiberi posse” (Adv. haer., l. 2, t. 1, haer. 39 [vel 59], M.G. 41, 1018). Item, *Augustinus*: “Cathari, qui seipsos isto nomine, quasi propter munditiam, superbissime atque odiosissime nominant, secundas nuptias non admittunt, poenitentiam denegant, Novatum sectantes haereticum: unde etiam Novatiani appellantur” (De haeres., haer. 38, M.L. 42, 32; cf. De agone christiano, 31, 33, M.L. 40, 308).¹

Apud *Protestantes*, Catharorum haeredes, idem redit Poenitentiae

¹De *Novatianis*, cf. art. 1, tom. 1, p. 47 sq., et hic infra; art. 92, p. 292–299.

despectus, cuius rationem non solum pessumdam, sed vi justificativa prorsus evacuant, hanc in solam fidem refundentes,² quae, ait *Lutherus*, sola justificat etiam si per impossibile eam non comitaretur Poenitentia. "Dixi autem per impossibile, scribit, quia satis supra dictum est, fidem sine contritione esse non posse, cum gratia non infundatur nisi cum magna concussione animae. Volui enim fidei virtutem declarare et commendare, quam sola faciat ad remissionem peccatorum et justificationem pacis. Quod dico, ne quis me putet contritionem seu turbationem illam cordis in cognitione peccatorum suscitata negare. Volo eam, sed dico eam non operari justificationem aut remissionem peccatorum, fides enim in verbum Dei justificat et purgat."³

Idemque sentit *Calvinus*: "Diximus et nos quodam loco, nunquam sine poenitentia obvenire remissionem peccatorum, quod nulli nisi afflicti, et peccatorum conscientia vulnerati, Dei misericordiam implorare sincere possunt; sed simul adiecimus, poenitentiam non esse causam remissionis peccatorum."⁴

Quoad ulteriorem quaestionem de *potentia absoluta*, an scilicet absolute repugnet ut, stante Poenitentia, peccatum non remittatur, quidam theologi, ut *Suarez* (Disp. 8, sect. 1, n. 6, infra cit. in p. 10), videntur negative respondere, quatenus dicunt necessariae remissionis peccati per Poenitentiam, nullam intrinsecam rationem afferri posse, ex ipsa indole hujus virtutis, sed ex sola revelatione id certo probari posse.

QUOAD SECUNDAM QUESTIONEM, necessitati Poenitentiae quoad remissionem peccati opponuntur Protestantes, ut dictum est in art. 22 (tom. 1, p. 473; cf. verba Lutheri et Calvini, nuper recitata), ubi haec quaestio est sufficienter ventilata. Quoad absolutam vero necessitatem Poenitentiae (attento nempe alio ordine Providentiae), varia est sententia variusque dicendi modus apud theologos, sed haec quaestio utilius remittitur ad tractatum De Gratia, ut diximus ibidem (p. 472). Ceterum aliquid de ea tangetur infra in Concl. 2.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Poenitentia necessario remittit peccatum, seu, posito actu Poenitentiae, homo consequitur peccati remissionem tum de facto, tum necessario, ita ut oppositum absolute repugnet (q. 86, a. 1).

² De hac Protestantium doctrina cf. supra, art. 3 (tom. 1, p. 156-159 et 162-164); art. 11 (ibid., p. 263); art. 22 (ibid., p. 473).

³ Assertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X novissimam damnatorum, ad art. 12, Martini Lutheri opera latina (curavit H. Schmidt), v. 5, Francofurti ad M., 1868, p. 194.

⁴ Instit. rel. christ., l. 3, c. 4, n. 3, Corpus Reformatorum, v. 30, Ioannis Calvini Opera omnia, v. 2, Brunsvigae, 1864, col. 458.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Efficacitas Poenitentiae in remissionem peccatorum saepe praedicatur, tum singulatim tum ad modum unius cum ipsa necessitate Poenitentiae.

Peculiariter eam efficaciam testantur *sacrificia pro peccato* in A. L. quae offerebantur in signum poenitentiae et expiationis (Exod. 29, 1–14; 36; Lev. 4–6; 16); poenitentia *Davidis* (2 Reg. 12. 13); conversio *Zachaei* (Luc. 19, 1–10); conversio *Magdalenae* (Luc. 7, 37–50); parabola *fili prodigi* (Luc. 15); conversio *Petri* (Matth. 26, 75); absolutio *incestuosi Corinthii* (1 Cor. 5; 2 Cor. 2); ministerium *Baptistae, Christi, et Apostolorum*, cuius essentia exhibetur per “praedicationem poenitentiae in remissionem peccatorum” (Luc. 3, 3; 24, 47; Act. 5, 31).

Plures textus jam dedimus in art. 10, 11, 16, 22 (tom. 1, p. 265 sq. 269 sq. 412 sq.), agentes de natura et necessitate virtutis Poenitentiae. Huc peculiariter faciunt:

Deut. 4, 29: “Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.”

2 Reg. 12, 13: “Dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum”.

Psal. 31, 5: “Confitebor adversum me injustitiam meam; et tu remisisti impietatem peccati mei.”

Psal. 50, 19: “Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.”

Psal. 84, 5: “Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis.”

Sap. 11, 24: “Misereris omnium, quia omnia potes; et dissimulas peccata hominum, propter poenitentiam.” *Ibid. 10, 1 sq.* dicitur Adam per sapientiam, i.e. Poenitentiam, liberatus fuisse a sua culpa: “Haec [sapientia] illum qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum . . . eduxit . . . a delicto suo”. Immediate in vers. 3 inducitur Cain periens ob defectum Poenitentiae: “Ab hac ut recessit injustus, in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit”; in *Gen. 4, 13* legitur: “Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.”

Eccli. 2, 20. 22: “Qui timent Dominum praeparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas . . . dicentes: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini.”

Isai. 1, 16–18: “Lavamini, mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum. . . Et venite, et arguite me, dicit Dominus. Si

fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.”

Ibid. 55, 7: “Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur eius; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.”

Ibid. 59, 2: “Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum; et peccata vestra absconderunt faciem ejus, ne exaudiret.”

Jerem. 3, 1: “Vulgo dicitur: Si dimiserit vir uxorem suam, et recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? numquid non contaminata et polluta erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.”

Ibid. 18, 8: “Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam et ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei.”

Ibid. 31, 18 sq.: “Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus; converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam.”

Baruch 2, 18: “Anima quae tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino.”

Ezech. 18, 21 sq.: “Si . . . impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est . . . , vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor.”

Ibid. 18, 30–32: “Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes praevaricationes vestras in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum. . . Revertimini et vivite” (cf. 11, 19 sq.).

Ibid. 33, 12–16: “Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. . . Si autem dixero impio: Morte morieris, et egerit poenitentiam a peccato suo . . . , vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus, quae peccavit, non imputabuntur ei.”

Dan. 9, 38 sq.: “Et non est in tempore hoc . . . propheta, neque holocaustum, neque sacrificium . . . ut possimus invenire misericordiam tuam. Sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur.”

Joel 2, 12 sq.: “Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia.”

Luc. 3, 3: "Et venit [Baptista] in omnem regionem Jordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum".

Ibid. 7, 47: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum."

Ibid. 24, 47: "Praedicari in nomine eius poenitentiam, et remissionem peccatorum".

Act. 5, 31: "Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam poenitentiam Israeli, et remissionem peccatorum."

Ibid. 8, 22: "Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua; et roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui". Ex contextu intelligitur vocem "forte" non exprimere dubium de efficacia Poenitentiae, sed de ejus existentia, vel si placet difficultatem vere poenitendi apud tantum peccatorem, qualis erat Simon magus.

2 Cor. 7, 10: "Quae enim secundum Deum tristitia est; poenitentiam in salutem stabilem operatur; saeculi autem tristitia mortem operatur."

2 Tim. 2, 25 sq.: "Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et respiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem."

2 Petr. 3, 9: "Nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti."

Probatur 2. EX PATRIBUS.

Patres similiter remissivam efficaciam Poenitentiae passim ac frequenter praedicant. Ad hoc enim tendunt omnes eorum exhortationes ad poenitentiam, ut per hanc peccatores ad consequendam criminum remissionem impellantur ac disponantur. Eam comparant Baptismo tam quoad necessitatem, quam quoad efficacitatem; inde classicae expressiones "Baptismus laboriosus", "Iterabilis Baptismus", "Secundus Baptismus", "Secunda subsidia", "Secunda tabula salutis" (cf. tom. 1, p. 4). Poenitentiam notanter appellant satisfactionem, pretium, redemptionem pro peccatis (cf. art. 22, tom. 1, p. 478 sq.; tom. 3, p. 9-12). Imo praedicant nonnisi per Poenitentiam, tamquam per propriam causam, remitti peccatum.

Tertullianus: "Poenitentiam non adimplere . . . [est] veniam delictorum sustinere, hoc est, pretium non exhibere! Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem" (De Poenit., 6, M.L. 1, 1347). *Cyprianus*: "Superest poenitentia quae satisficiat; qui autem poenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt" (De lapsis, 34, M.L. 4, 506). *Ambrosius*: "Peccatum non tollitur nisi lacrymis et poenitentia" (Epist. 51, 11, M.L. 16, 1212).

Cf. testimonia Patrum allata in art. 1 et 22 (tom. 1, p. 91 sqq. 478 sq.).

Probatur 3. *EX RATIONE.*

Primo quidem ex ipsa necessitate Poenitentiae.

Ut probatum est in art. 22, Poenitentia est medium immediate ordinatum et stricte necessarium ad consequendam justificationem. Ergo, posito actu Poenitentiae, homo certo justificationem consequitur. Legimitas et vis huius illationis fundatur non in ipsa sola ratione necessitatis, nam aliquid potest esse medium necessarium et tamen non sufficiens ad finem obtinendum, ut patet de fide, quae est necessaria ad justificationem, sed ex se sola non sufficit; sed fundatur in copulata ratione medii necessarii et medii immediate ordinati ad finem, quod quidem competit Poenitentiae, eique soli, relate ad justificationem.⁵ Frustra enim et insipienter aliquis institueret aliquod medium ad finem eique necessitatem imponderet, si, eo posito, finis non obtineretur.

Secundo, ex attributo divinae misericordiae. “Quod [enim] . . . non possit per veram poenitentiam aliquod peccatum remitti . . . repugnat divinae misericordiae . . . ; vinceretur enim quodammodo Deus ab homine, si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet” (a. 1).

Tertio, ex satisfactiva vi Poenitentiae.

Ut dictum est in art. 51, actus perfectae contritionis, seu proprius actus virtutis Poenitentiae, habet rationem proprie dictae satisfactionis pro peccato mortali, quamvis imperfectae. Jamvero proprie dicta satisfactio est quaedam compensatio extinguens debitum. Ergo, posito actu Poenitentiae, tollitur peccatum. Nec refert quod agatur de imperfecta satisfactione, cuius vis dependet ab acceptatione creditoris, seu Dei, nam id unice probat Poenitentiam pro mortali non fundare titulum relate ad justitiam divinam, sed tantum relate ad Dei misericordiam, aequitatem et sapientiam.

Quarto, ex propria natura Poenitentiae.

Nam, ut patet ex dictis in art. 14 (tom. 1, p. 370–374), art. 30 (tom. 2, p. 204–219) et art. 51 (tom. 3, p. 117–125), juxta sententiam plurium thomistarum, actus proprie dictae Poenitentiae, seu perfecta contritio, procedit necessario a virtute infusa et a gratia sanctificante sub informatione charitatis. Ergo implicat quod habeatur talis actus Poenitentiae et quod peccatum non auferatur, eo quod gratia sancti-

⁵ Cf. art. 22, tom. 1, p. 480, Resp.

ficans et charitas sit impossibilis cum peccato, utpote forma directe opposita peccato. Ad rem breviter *S. Thomas*: “Actus poenitentiae virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpae, *inquantum est inseparabilis effectus gratiae*, per quam principaliter culpa remittitur” (q. 86, a. 6, resp. ad Sed contra).

Ex quibus rationibus etiam sequitur absolute repugnare quod, stante poenitentia, peccatum non remittatur. Unde valde diminute saltem locutus est Suarez, cum affirmavit remissionis peccati per Poenitentiam nullam rationem convincentem et demonstrantem dari posse, fundatam in ipsa natura virtutis Poenitentiae, sed ad solam revelationem recurrendum esse. *S. Thomas* (l.c.) explicite docet esse “repugnans” quod, stante vera poenitentia ex una parte, et admissa divina misericordia ex alia parte, aliquod peccatum non remittatur.

En verba *Suaresii*: “Ratio convincens et demonstrans non potest reddi ex sola perfectione, aut natura virtutis poenitentiae, quia semper haec res pendet ex voluntate et promissione divina. Haec vero nobis satis constat ex Scriptura. Et est valde consentanea, tum misericordiae divinae, tum etiam iustitiae, et redemptioni Christi, ut optime declarat *D. Thomas* hic, art. 1. Supposita vero promissione Dei, ex parte ipsius poenitentiae redditur optima congruentia; quia nullus potest esse actus magis proportionatus ad hunc effectum, si in suo ordine perfectus sit, ut tractando de actibus poenitentiae satis declaravi. Item quia tunc homo facit quod potest, ut hanc remissionem obtineat, considerata ejus natura et fragilitate. Item, quia in hac vita homo est semper in statu viae, ideo necessarium fuit, et ad providentiam Dei maxime pertinuit ei concedere aliquem modum quo possit veniam peccatorum consequi. Hae autem rationes non minus procedunt in homine jam baptizato quam in aliis, ut per se notum est. Imo quadam ratione majorem vim habent in tempore legis gratiae, in quo Dei misericordia liberalius operatur, et Christi redemptio jam perfecta est.”⁶

Conclusio 2. Sine Poenitentia peccatum non remittitur, tum de facto, tum necessario ita ut absolute repugnet absque aliqua Poenitentia, saltem radicali et aequivalenti, remitti peccatum (a. 2).

Probata jam est prima pars hujus conclusionis in art. 22, ubi de necessitate Poenitentiae. Dictum est enim Poenitentiam esse *de facto* stricte necessariam ad consequendam justificationem, necessitate quidem tum medii tum praecepti. Textum a. 2 *S. Thomae* citavimus in a. 10 (tom. 1, p. 267).

⁶De Poenitentia, disp. 8, sect. 1, n. 6, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 132 sq.

Ad quaestionem *de jure* quod attinet, seu an *absolute repugnet* ut homo adultus, ut patet, a Deo justificetur absque poenitentia (formali, vel saltem virtuali qualis est actus charitatis⁷), convenientius ac resolutive de ea disputabitur in tractatu De Gratia (ubi de modo justificationis).

Cum tamen plures theologi hanc quaestionem soleant hic etiam tangere, vel satis diffuse resumere, juverit breviter eorum resolutiones recolare, et amplectendam a nobis thomisticam sententiam indicare. Communiter tenent doctores posse peccatum remitti sine formali Poenitentia, i.e. sine actu contritionis, stante solo actu charitatis qui est virtualis Poenitentia. Item, communiter tenent peccatum remitti posse sine *actuali* Poenitentia (tam formali, quam virtuali), i.e. sine actu retractationis.

Disputatur vero an possit peccatum tolli sine omni prorsus Poenitentia, etiam *radicali et aequivalenti*, quae continetur v.g. in ipsa gratia sanctificante, a Deo infusa; vel generalius an possit peccatum remitti sine ulla prorsus interiori immutatione peccatoris (sive sit habitualis, ut gratia sanctificans, sive sit actualis, ut actus charitatis vel alius supernaturalis actus retractationis), per solam nempe extrinsecam Dei condonationem.

Affirmant plures extra scholam S. Thomae, praecipue *Scotus, Biel, Suarez et Lugo*.

Negant vero *Thomistae* et plures alii; imo plures thomistae negant remissionem peccatorum fieri posse absque infusione ipsius gratiae sanctificantis, et quidam, ut *Salmanticenses* (Disp. 6, dub. 3, n. 146; item, De Justificatione, disp. 2, dub. 7), hoc docent etiam de peccato commisso in statu naturae purae. Cui thomisticae sententiae, ut interim abstrahamus a discussione hujus non parum complicatae quaestionis, omnino favet *S. Thomas* in hac ipsa quaestione 86 (praeterquam ac signantius in 1–2, q. 109, a. 1. 2. 7; q. 113, a. 2). In *a. 2* enim simpliciter ait: “Impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti, loquendo de poenitentia quae est virtus [adeoque cum gratia sanctificante indissolubiliter connexa]”. Idem repetit in fine corporis. In *a. 6*, resp. ad rationem Sed contra, ait: “Actus poenitentiae virtutis habet quod sine eo non possit fieri remissio culpa, in quantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur”. Ad statum naturae purae quod attinet, in *Qu. Disp. De Veritate, q. 28, a. 5*, postquam simpliciter statuerit: “Ad . . . offensam abolendam non sufficiunt vires humanae, sed requiritur munus divinae gratiae”, addit ibidem, *ad 5*: “Adam . . . a statu

⁷ Cf. art. 22, t. 1, p. 481 sq. 490 sq.

gratiae cecidit, et non solum a statu naturae. Sed tamen si a solo statu naturae decidisset, nihilominus tamen ad expiationem infinitae offensae donum divinae gratiae requiretur.”

Sint pauca testimonia pro utraque theologorum sententia.

JOANNES A S. THOMA: “Dicendum . . . est, non posse culpam, quatenus malum voluntarium est, tolli non solum connaturaliter, sed etiam essentialiter, et per potentiam Dei absolutam, manente eadem numero persona, quae peccavit, sine aliqua poenitentia formali vel radicali, ex parte hominis: poterit tamen sine formali poenitentia, vel actu voluntatis tolli peccatum cum sola radicali poenitentia: vel etiam e converso sine habitu seu radicali poenitentia poterit peccatum tolli stante poenitentia formali, vel actu aequivalenti. Haec est *communior sententia inter Thomistas*, qui communiter requirunt aliquam immutationem realem in voluntate, vel in radice voluntatis, ut peccatum possit tolli, licet non hanc vel illam immutationem determinate”.⁸

SALMANTICENSES: “Pro corollario huius disputationis inquirendum erat: an saltem de potentia absoluta possit obtineri peccatorum remissio absque formali, et expressa Poenitentia? sed hujus difficultatis decisio constat ex supra dictis, necnon ex tractatu de justificatione disp. 3, dub. 2, ubi eam ex professo discussimus, et asseruimus illa inspecta potentia, non esse necessarium aliquem peccatoris actum pro nanciscenda justificatione, sed sufficere gratiae infusionem absque ulla praevia, aut comitante dispositione. Et quia ex gratia sanctificante pullulant virtutes supernaturales ad instar proprietatum illius, in eaque tanquam in radice continentur (inter quas post virtutes theologicas non infimum locum tenet Poenitentia, de quo supra ad finem superioris quaestionis;) idcirco distinguenda est formalis Poenitentia in actualem, et habitualem, et asserendum absque illarum ulla posse fieri justificationem. Absque actuali quidem, ut statuimus loco citato de justificatione; absque habituali vero quatenus de potentia absoluta potest homini infundi sola gratia, quin infundantur virtutes illi annexae; hoc enim ex nullo capite repugnat: quia licet virtutes aliquae essentialiter dependant a gratia; non est tamen ratio asserendi gratiam essentialiter pendere ab infusione virtutum: quia prius in quantum prius non dependet a posteriori: sed gratia ita est prius virtutibus, quod solum pendet ab illis [tanquam] a dispositionibus, uti a proprietatibus dependet essentia.

“Ergo cum potentia absoluta Dei non ligetur ad dispositiones subjecti, nulla est ratio negandi posse infundi gratiam homini peccatori absque ulla poenitentia formali, sive actuali sive habituali. Si vero Poenitentia sumatur communis pro formali, aut virtuali, seu in radice ex se proxima, qualem esse diximus gratiam sanctificantem; dicendum est fieri non posse praedictam remissionem absque Poenitentia saltem virtuali, aut aequivalenti, qualis est ipsa gratia sanctificans, ut constat ex dictis in eodem tractatu de justificatione disp. 2, dub. 2, § 4. Ubi asseruimus implicare contradictionem destrui peccatum habituale absque infusione gratiae sanctificantis.”⁹

BILLUART: “[Posse peccatum remitti sine Poenitentia] negavimus, et expendimus in tract. de Gratia, diss. 7, art. 2, § 2, concl. 1, ubi probavimus justificationem impii non posse fieri per solum favorem Dei extrinsecum, sine mutatione intrinseca peccatoris quae est poenitentia: tum quia peccata remitti non possunt nisi ex gratia, benevolentia speciali, ac dilectione Dei; haec autem cum sit effectiva, reddit hominem gratum justum, et ex averso a Deo ad illum conversum; tum quia ex eo quod Deus incipiat diligere peccatorem quem prius odio habebat, intervenit aliqua mutatio, non ex parte Dei qui est immutabilis, ergo ex parte peccatoris. . .

⁸ De Poenitentia, disp. 35, a. 1, n. 19, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1886, p. 670 sq.

⁹ De Poenitentia, disp. 6, dub. 3, § 7, n. 191, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 799.

"*Petes de qua potentia id sit intelligendum? R.* Intelligendum esse non solum de potentia ordinaria, sed etiam absoluta, cum hoc discrimine, quod, loquendo de potentia ordinaria, necessaria sit per se poenitentia formalis; loquendo vero de potentia absoluta, sufficiat et requiratur poenitentia eminentialis seu radicalis, eadem persona manente. . . Quamvis [enim], juxta communem rerum ordinem et potentiam Dei ordinariam, connaturale sit omni formae supponere subjectum dispositum, consequenter gratia non recipiatur connaturaliter in adultis sine praevisis eorum dispositionibus et eorum consensu; non implicat tamen quod Deus infundat peccatori dormienti gratiam, aut ipsum elevet ad gloriam, quo casu omne peccatum illi remittitur, utpote impossibile cum gratia vel gloria, idque sine poenitentia formali, *ut patet*; non tamen sine eminentiali et radicali, quia gratia est radix bonae voluntatis in ordine supernaturali, et intellectus rectificatus per visionem beatificam, censetur rectificata habitualiter et radicaliter ipsa voluntas cujus intellectus est radix. Idem dicendum si Deus uniret sibi hypostatice peccatorem."¹⁰

LUGO: "Existimo . . . posse omnino divinitus destrui peccatum habituale absque ulla retractatione peccatoris; quae est sententia satis communis inter auctores nostrae Societatis. . . Probatum ex humanis; potest enim homo remittere offensam sibi irrogatam, quantumvis offendens eam non retractaverit, nec illius ulterius meminerit; ergo poterit Deus condonare offensam sine retractatione hominis. Quod si Deus condonare potest, tolletur peccatum; ut ipsi adversarii fatentur: quis enim dicat peccata a Deo remissa non extinguunt, sed adhuc manere? . . . Restat tamen explicandum objectum illius condonationis Dei, quod peculiarem difficultatem ingerit in hac materia. . .

"*Qui dicunt*, peccatum non posse remitti sine infusione gratiae, facile dicunt, objectum illius condonationis esse gratiae infusionem, quam Deus vult ponere ad emundandum hominem. Verum illa sententia non placet, nam in pura natura posset Deus remittere peccatum sine infusione gratiae, et tunc condonatio divina deberet habere aliquod objectum. Item nunc potest Deus condonare poenam temporalem sine infusione gratiae: et de illa condonatione potest fieri idem argumentum, et peti quod objectum habeat. Denique in humanis certum est, posse; et de facto saepe condonari injurias, debita, et alia hujusmodi, quin ponatur quid intrinsicum in iis, quibus condonatio fit: poterit ergo Deus eodem modo condonare debitum sine infusione alicujus intrinseci, volendo idem objectum, quod vult homo.

"*Ideo respondent alii* recentiores, voluntatem illam divinam habere unum objectum directum, et aliud indirectum: directe quidem Deus vult, quod peccatum praeteritum non denominet jam hunc hominem peccatorem: indirecte vero vult Deus dari suam condonationem, quae necessaria est, ut peccatum praeteritum non denominet de caetero peccatorem; non est autem inconveniens quod volitio illa divina habeat seipsam pro objecto inadaequato, nam volitio qua Deus amat se, habet etiam pro objecto inadaequato ipsammet volitionem, quae est perfectio divina, et amatur a Deo: quare licet condonatio Dei non possit habere se ipsam pro objecto adaequato, potest tamen habere se pro objecto inadaequato et indirecte volito. Haec etiam solutio non placet. . .

"*Alii ergo* aliter hoc explicare conantur, dicunt enim objectum illius voluntatis divinae, quae condonat peccatum, seu offensam, esse negationem sui odii adversus peccatorem: nam eo ipso, quod Deus nolit amplius indignari, vel odium habere contra peccatorem, reddit sibi impossibile indignationem, et odium; quia voluntas Dei efficax est, et immutabilis: ergo eo ipso cedit jure, quod habebat ad odium et indignationem, quae enim major cessio juris, quam reddere sibi impossibile illud, ad quod habebat jus? Nec peccator potest amplius censi dignus vel aversione Dei, quia non potest esse dignus odio, aut indignatione impossibili, et illicita, prout est jam indignatio Dei, postquam voluit amplius non indignari. Haec etiam responsio difficilis est. . .

¹⁰ De Poenitentia, diss. 3, a. 1, § 1, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 268 sq.

“*Aliter ergo, et facilius respondere possumus, voluntatem illam esse voluntatem affectivam destruendi titulum ortum ex peccato ad prudenter judicandum, peccatorem merito et rationabiliter haberi odio a Deo, seu esse affectum restituendi hominem in statum antiquae libertatis, et indemnitatis; quod totum potest velle Deus, absque eo quod velit formaliter ipsammet volitionem.*”¹¹

SUAREZ: “*Ut ergo inter has sententias judicium feramus, advertendum est, duas hic posse tractari quaestiones. Una est, an sine proprio actu peccatoris possit illi peccatum remitti per alia dona Dei; alia est, an sine actu peccatoris possit peccatum remitti, et sine aliis donis creatis, sed per solam efficaciam divinae voluntatis destruendis ipsum peccatum.*

“*Prior quaestio est propria hujus loci, in qua verisimilius censemus posse Deum remittere culpam sine actu poenitentiae, imo et omnino sine actu peccatoris, conferendo ei alia dona. Quam sententiam praeter auctores citatos in secunda sententia, tenent hanc partem communiter Thomistae, tum hic, tum in 1. 2, q. 113, art. 2. . .*

“*Altera quaestio, quam proposuimus, magis spectat ad materiam de gratia quam ad praesentem, et ideo breviter illam attingemus; non enim possumus illam omnino omittere, quia nonnulla inferius dicenda ab illa pendent, ideoque ab aliis Theologis hic tractatur.*

“*Prius vero quam de illa dicamus, aliam quaestionem hic incidentem separare et expedire necesse est. Potest enim quaeri an interveniente actu peccatoris formaliter, vel virtute retractantis peccatum, possit illi peccatum remitti sine alia gratia, seu justitia habituali. Non enim desunt Theologi qui negent hoc fieri posse, etiam de potentia absoluta. . . Nihilominus communis sententia est, posse Deum remittere homini peccatum, sine infusione alicujus habitualis doni, facta in tali homine sufficiente mutatione per aliquem actum. . .*

“*Superest ultima dubitatio, utrum haec culpae remissio fieri posset sine infusione habitus, atque etiam sine physica mutatione peccatoris per aliquem actum. Supponitur autem peccator jam cessasse ab actuali peccato; quando enim illud actu committitur, certum est non posse destrui; fit enim sensus compositus, in quo est aperta impossibilitas. In hac ergo re sunt etiam oppositae Theologorum sententiae.*

“*Nam quod sit necessaria mutatio, tenent imprimis omnes, qui vel actum definite, vel habitum requirunt. Quod vero saltem disjunctim requiratur actualis, vel habitualis mutatio, tenent moderni expositores D. Thomae supra citati, in 1. 2, q. 113, art. 2. Ex D. Thoma vero nihil afferunt quo id probent, quia nullibi amplius dicunt quam quod in superiori puncto citatum, et explicatum est cum antiquis Thomistis. Quamvis autem ipsi plura argumenta pro hac sententia congerant, duo videntur praecipua et quae in ore omnium versantur. Unum est metaphysicum quia non potest homo transire a statu peccati ad statum munditiae, seu carentiae peccati, sine alicujus personae mutatione; sed non potest id fieri per mutationem Dei, ut per se constat; ergo per mutationem peccatoris; ergo, ut tollatur ab homine peccatum, necessaria est aliqua mutatio realis ejus. . .*

“*Contrarium sententiam docent Scot., Gabr., Ocham . . . Medina . . . Bonav. . . Gerson . . . Henric. . . Bellarm. . . Principaliter hoc ostenditur examinando contradictionem, quae in hoc negotio excogitari potest. Et quidem illa prior de mutatione, nunquam me multum movere potuit, quia optime et sine difficultate intelligo Deum sine ulla sui mutatione posse efficere hanc formalem mutationem in homine, licet non faciat physicam, eamque sufficere, ut homo, qui antea erat in peccato, nunc non sit, neque illam denominationem accipiat. Sicut enim homo, remittendo*

¹¹ De Poenitentia, disp. 7, sect. 8, n. 108. 128. 130. 131. 138. 148, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 504 sq. 511 sq. 514. 517.

alteri offensam, vel debitum, facit ut ille qui antea erat illi offensus, vel debitor, jam non sit, sine mutatione physica eius, cui fit remissio, ita videtur posse facere Deus. Hac interveniente differentia, quod homo, ut remittat alteri, habet novum actum voluntatis, quo mutatur; Deus autem sine sui mutatione potest ex aeternitate habere decretum seu determinationem suae voluntatis pro tali tempore. Quidquid enim potest humana voluntas recte velle per plures actus, et mutationem eorum, potest voluntas divina excellentiori modo velle ex aeternitate simplicissimo actu, cum respectu, vel determinatione libera (quidquid illa sit) ad diversa tempora. . .

“Haec sunt quae ad explicandas has sententias, earumque probabilitatem conferre possunt, ideoque non est facile inter eas ferre iudicium; nemo autem potest alterutram earum damnare, vel ut improbabilem rejicere, quia utraque revera habet graves auctores, et probabiles rationes, et neutra continet aliquid minus consentaneum sanae doctrinae. Ego vero *hactenus in posteriorem sententiam magis propensus fui*, quia in his rebus quae ad divinam omnipotentiam spectant, non est aliquid facile negandum, ubi contradictio vel inconveniens non apparet; neutrum autem in praesenti materia occurrit; nihilominus plenior hujus puncti resolutionem in materiam de gratia reservamus.”¹²

In tractatu autem De Gratia, Suarez magis resolute loquitur, scribens: “Dicendum videtur peccatum originale, prout nunc contrahitur ex Adamo, non posse remitti sine infusione gratiae, potuisse tamen contrahi ita ut posset sine infusione gratiae, quoad rationem culpae auferri. . . De peccato personali idem censeo, proportionem servata. Quamvis enim macula peccati, prout nunc inducitur per actuale peccatum, auferri non possit sine mutatione reali physica, imo nec sine gratia habituali . . . , nihilominus, si Deus alium modum providentiae erga homines statuere voluisset, potuisset etiam peccatum mortale remittere sine physica mutatione peccatoris, maxime nudam omnipotentiam spectando; nam, leges justitiae et sapientiae spectando, talis providentiae modus parum consentaneus perfectioni operum Dei judicari potest, non est tamen adeo imperfectus vel indecens, ut vel contra aliquod Dei attributum, vel simpliciter impossibile judicari possit.”¹³

ART. 85. Utrum Per Poenitentiam Remittatur Quodlibet Peccatum (q. 86, a. 1; Compendium Theologiae, c. 146; C. Gent. 3, 157; alios locos citabimus in Concl. 1, ubi de peccato in Spiritum S.).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *extensione efficacitatis* Poenitentiae ad quodlibet peccatum, ita ut excludantur *sic dicta PECCATA IRREMISSIBILIA*. Quae quaestio intime connectitur cum celebriori quaestione agitata in antiquis controversiis cum haereticis Montanistis et Novatianis, quod attinet ad remissionem peccatorum per claves Ecclesiae seu per sacramentum, a qua tamen hic abstrahimus.

Duo autem quaeruntur:

1. An per Poenitentiam *de facto* remittatur quodlibet peccatum,

¹² De Poenitentia, disp. 9, sect. 2, n. 4; sect. 3, n. 1 sq.; sect. 4, n. 1. 3. 6. 25, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 156. 158. 164 sq. 172.

¹³ Tractatus De Gratia Dei, l. 7, c. 23, n. 6, Opera omnia, t. 9, Parisiis, 1868, p. 286.

ita ut nullum hominis peccatum dici possit in hac vita irremissibile.

2. An per Poenitentiam *necessario* remittatur quodlibet peccatum, ita ut absolute repugnet peccatum de se irremissibile.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica et Documenta Ecclesiae.

Quodlibet peccatum esse de facto remissibile in hac vita, est *de fide* definita¹⁴ in magisterio ordinario Ecclesiae, et aequivalenter in magisterio solemnī, docente, absque restrictione aut determinatione, omnes lapsos per Poenitentiam reparari posse. In hoc collimat tota controversia Ecclesiae cum *Montanistis* et *Novatianis* circa irremissibilia peccata. *Gelasius I*, commemoratis ipsis textibus Scripturae de irremissibilitate peccati in Spiritum S. et peccati ad mortem, explicite et signanter definit "nullum esse peccatum" quod saltem per Ecclesiae "datam divinitus potestatem" non possit poenitentibus relaxari (cf. textum infra in art. 92, p. 407 sq.). *Conc. Later. IV* absolute pronuntiat: "[Baptizatus] qui prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest *semper* poenitentiam reparari" (Denz. 430). *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 14 et can. 29, generaliter definit "eum, qui post baptismum lapsus est, . . . posse per Dei gratiam resurgere" (Denz. 839) et in sess. 14, can. 1, signanter definit homines posse per sacramentum Poenitentiae reconciliari "quoties post baptismum in peccata labuntur" (Denz. 911).

Catechismus Conc. Trid., explicans mentem Concilii, exponit quo sensu quaedam peccata in Scriptura et Patribus dicantur irremissibilia: "Quod autem in Scripturis legimus, quosdam a Domino misericordiam non esse consequutos, quamvis eam vehementer imploraverint, id vero idcirco factum esse intelligimus, quod eos vere atque ex animo delictorum non poenitebat. Quare cum huiusmodi sententiae in sacris Litteris, vel apud SS. Patres occurrunt, quibus affirmare videntur aliqua peccata remitti non posse, ita eas interpretari oportet, ut difficilem admodum esse veniae impetrationem intelligamus. Ut enim morbus aliquis ea re insanibilis dicitur, quod aegrotus ita affectus sit, ut salutaris medicinae vim oderit: sic quoddam est peccati genus, quod non remittitur, nec condonatur, propterea quod proprium salutis remedium Dei gratiam repellit" (pars 2, c. 5, q. 19).

¹⁴ S. Thomas dicit contrarium esse "erroneum", i.e. errorem in fide seu haeresim. *Bellarminus*: "Certum est apud catholicos exploratum". *Suarez*: "De fide". De fide id dicunt passim plures alii, ut *Wirceburgenses*, *Frasen*, *Diekamp*, *Bellacasa*, *Hervé*.

HAERESSES ET OPINIONES.

Remissivam efficaciam Poenitentiae coarctarunt *plures haeretici*, et quidem triplici modo. Alii enim, ut supradicti *Cathari* (cf. in p. 4), ab ea subtraxerunt omnia peccata postbaptismalia; alii, ut forte quidam *Montanistae* et *Novatiani*, omnia peccata jam semel remissa, ita ut nonnisi unicum poenitentiam unicuique peccato concederent; alii, similiter inter *Montanistas* et *Novatianos*, quaedam tantum graviora peccata, quae dicebant irremissibilia; quamvis enim praecipue ac explicitè negarent solam remissionem per ipsas claves Ecclesiae, tamen ex eorum principiis videntur descendisse etiam in dubium saltem de ipsa absoluta remissibilitate quorundam peccatorum. Excipiendus tamen est ipse *Tertullianus* Montanista, qui dum docet quaedam peccata esse irremissibilia per “pacem humanam” seu claves Ecclesiae, explicitè concedit omnia posse auferri per “pacem divinam” (cf. supra, art. 1, tom. 1, p. 102).

Etiā inter theologos et exegetas catholicos, plures occurrunt, qui universalem remissibilitatem peccatorum restringere conati sunt, saltem quatenus, admissa remissiva efficacia ipsius Poenitentiae, negant quibusdam peccatoribus gratias ipsas sufficientes ad poenitentiam a Deo concedi.

Et imprimis citantur a Suaresio quidam qui, innixi aliquibus Scripturae textibus, de quibus infra, modo generali asserunt quosdam impios ad talem statum et numerum peccatorum pervenire, ut jam amplius poenitere non possint juxta ordinarias saltem leges divinae justitiae et misericordiae. Ita *Henricus Gand.*, *Abulensis*, *Armachanus* (De quaest. Armenorum, l. 9, c. 27), *Medina*, *Catharinus*, *Roffensis*.

Secundo ac signantius, alii (praesertim inter exegetas), uti *Jan-senius*, *Vega*, *Lorca*, *Schegg*, *Grimm*, *Schanz*, *Knabenbauer*, *Mangenot*, id restringunt ad unum tantum peccatum, i.e. ad *peccatum contra Spiritum S.*, de quo apud Synopticos, docentes hoc peccatum in Scriptura dici stricte irremissibile, saltem quatenus *de facto nunquam remittitur* ac semper venia ei a Deo denegatur. Quae sententia fusius exponetur infra, ubi de peccato in Spiritum S.

Praeterea, *Lugo*, quamvis admittat omne peccatum esse de facto remissibile per poenitentiam, docet tamen quod *absolute et secundum se* non repugnat aliquod peccatum hominis viatoris esse simpliciter et absolute irremissibile, idque posse contingere in alio ordine rerum seu dispositione divinae Providentiae.

Ad rem ipse *LUGO*: “Veritas catholica est, nullum posse esse de facto peccatum, quod per poenitentiam tolli non possit, si vera ponatur poenitentia. . . Dixi . . . nullum posse esse *de facto* peccatum, quod per poenitentiam, si ponatur,

non possit auferri, quia si non loquamur de peccatis solis, quae de facto fieri possunt, sed de aliis, quae in alia rerum serie, et non juxta has leges divinae providentiae fieri possent; non apparet repugnantia in eo, quod aliquod esset peccatum, cui per suam essentiam repugnaret per poenitentiam auferri.

“Potuisset enim Deus, saltem de potentia absoluta, nolle, remittere peccatum homini etiam poenitenti, et potuisset hoc suum decretum alicui revelare, ita ut homo obligatus esset ad illud credendum: quo casu, si homo culpabiliter nollet credere illi revelationi sufficienter propositae, peccaret graviter contra fidem; et illud quidem peccatum ex suis principiis intrinsicis esset irremissibile per poenitentiam: nam si posset remitti, potest esse falsa revelatio Dei de non remittendo illo peccato homini poenitenti: si enim remitteretur, falsum esset, quod nunquam esset remittendum. Cum ergo essentialiter repugnet poni illud peccatum et subsequi ejus remissionem, fatendum est illud peccatum, per sua praedicata intrinseca tale esse, ut nulla poenitentia posita possit auferri: De facto tamen illud peccatum non potest poni, Deus de facto non habet tale decretum, sed aliud decretum contrarium, scilicet de remittendo quolibet peccato homini poenitenti: ergo non potest Deus de facto revelare illud primum decretum, nec homo potest de facto peccare non credendo talem revelationem.

“Posset quidem de facto aliquis ex ignorantia, et conscientia erronea existimare, Deum habere tale decretum, idque revelasse, et obligare ad id credendum; posset item aliquis ex eadem conscientia erronea existimare, quod id sit prudenter credibile, et adhuc nolle id credere, atque adeo peccare in ejusmodi incredulitate: illud tamen peccatum non esset per poenitentiam irremissibile, sed posset de facto remitti quia posset homo agnita veritate, dolere de peccato a se commisso per conscientiam erroneam, et tunc obtineret procul dubio ejus peccati veniam. Conclusio ergo procedit de facto, et de peccatis, quae juxta leges praesentis providentiae fieri possunt; in quibus nullum est, quod non possit per veram poenitentiam, si ponatur, auferri.”¹⁵

CONCLUSIO

Conclusio 1. Per Poenitentiam de facto remittitur quodlibet peccatum, ita ut nullum hominis peccatum sit in hac vita simpliciter irremissibile.

Probatur 1. EX SCRIPTURA.

Ut constat vel ex ipsis testimoniis citatis in art. praeced. (p. 6–8), Scriptura promittit veniam poenitentibus, *modo indefinito* et absque ulla restrictione gravitatis, vel numeri, vel temporis, vel conditionis personarum; qui quidem dicendi modus esset non solum exaggeratus, sed etiam fallax et in errorem inducens, si aliqua peccata a venia eximerentur, et praecipue si tot peccata quot supradicti haeretici excludere attentarunt. Exceptiones autem, quas ex ipsa Scriptura quidam colligere conati sunt, fallaces et captiosas esse infra ostendemus.

Praeterea, in non paucis textibus, venia promittitur signanter *modo universali* et emphatico, quo magis explicito omnis exceptio excludatur. *Sap. 11, 24*: “Misereris omnium, quia omnia potes”. *Ibid. 10, 3* im-

¹⁵ De Poenitentia, disp. 8, sect. 1, n. 3–5, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 558 sq.

probatur Cain quod suum peccatum tantopere horruerit ut eius veniam desperaverit. *Isai. 55, 7*: “Quoniam multus est ad ignoscendum”. *Ezech. 18, 21 sq.*: “Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor”; *ibid. 18, 30–32*: “Agite poenitentiam de omnibus iniquitatibus vestris”; ubi notetur antithesis inter vim peccati ad tollendam justitiam et vim poenitentiae ad tollendum peccatum; dicitur enim in v. 24: “Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem . . . omnes justitiae ejus, quas fecerat, non recordabuntur” (idem in 33, 13), ita ut sensus totius contextus sit: Poenitentia tollit omne quodcumque peccatum, sicut e converso peccatum tollit omnem quamcumque justitiam et meritum. *2 Petr., 3, 9*: “Nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti.” *Joel 2, 12 sq.*: “Convertimini ad Dominum . . . , quia benignus et misericors est . . . , et praestabilis super malitia [i.e. cuius misericordia a nulla malitia vinci potest]”. *Isai. 1, 18*: “Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur”. *Jerem. 3, 1*: “Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te.” Eam universalitatem remissionis tam quoad numerum, quam quoad varietatem peccatorum complectitur Christus in *Matth. 11, 28*: “Venite ad me omnes qui laborati et onerati estis, et ego reficiam vos”.

Praeterea, universalitatem remissibilitatis ostendit varietas particularium peccatorum, quorum remissio narratur in Scriptura, scilicet Adami (ipsius Cain desperatio improbatur), eorum pro quibus sacrificia expiatoria offerebantur, Davidis, Zachaei, Magdalенаe, filii prodigi, Petri, eorum qui ad baptismum Joannis accedebant, haereticorum de quibus loquitur Apostolus in *2 Tim. 2, 25 sq.* Inter quae quidem peccata, etiam tria illa inveniuntur quae a quibusdam haereticis signanter irremissibilia dicebantur, scilicet haeresis (negatio Petri; haeretici de quibus in *2 Tim.*), homicidium (David, Cain, latro in cruce), et moechia (David, filius prodigus, Magdalena, incestuosus corinthius).

Praeterea, eadem veritas implicite continetur et necessario deducitur ex alio dogmate a Scriptura praedicato, de universali scilicet collatione auxiliorum sufficientium ad salutem, de quo agitur in tractatu De Gratia vel De Deo Uno; illud enim implicat tum collationem auxilii ad agendam poenitentiam, sine qua salus esse non potest, tum remissibilitatem peccati, sine qua frustra auxilium conferretur.

Confirmatur ex ipsa amplitudine qua a Christo collata est Apostolis ipsa sacramentalis potestas remittendi peccata (*Joann. 20, 23*: “Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis,

retenta sunt"; cf. infra, art. 92, p. 341-347), quam quidem indirecte saltem indicavit Dominus in *Matth. 18, 21 sq.*¹⁰ "Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies." Non enim sacramentum Poenitentiae fuit institutum ad ampliandam vel coarctandam efficaciam virtutis Poenitentiae, sed tantum ad eam subjiciendam clavibus Ecclesiae, ut inde facilius proprias vires exereret et simul ab extrinseco auxiliaretur. *Objectiones* autem quae ex Scriptura afferri solent, praecipue ex asserta a Christo irremissibilitate peccati contra Spiritum S., dabuntur ac resolventur infra in Responsione.

Probatur 2. EX PATRIBUS.

Eadem est Patrum doctrina de universali efficacitate Poenitentiae, nec cum minori amplitudine quam in Scriptura ea efficacitas ab ipsis proponitur. Dicunt omnia peccata a Deo remitti poenitentibus. Nominant, inter alia, ipsa tria peccata quae a quibusdam haereticis dicebantur irremissibilia, seu haeresim, homicidium et moechiam. Aequiparant efficaciam Poenitentiae efficacitati ipsius Baptismi (cf. in art. praec., p. 8). Indiscriminatim peccatores hortantur ad Poenitentiam, atque magnitudini peccati non veniae desperationem, sed solam opponunt magnitudinem poenitentiae (Cyprianus, De lapsis, 35: "Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulnere diligens et longa medicina non desit. Poenitentia crimine minor non sit").

Eadem veritas continetur implicite in doctrina Patrum de universali voluntate salvifica Dei, seu de universali collatione auxiliorum sufficientium ad salutem, ut nuper dictum est in argumento ex Scriptura.

Patrum sensum ostendit ipsa *Ecclesiae praxis* admittendi ad Poenitentiam quoscunque peccatores; quod si quandoque, ob speciales rationes, quidam arcebantur ab exercitio publicae poenitentiae, nequaquam eis privata poenitentia denegabatur, et a fortiori non censebantur separari a via poenitentiae et justificationis apud ipsum Deum, ut fusius ostendetur in art. 92, ubi de remissibilitate omnium peccatorum per claves Ecclesiae.

Ipsi haeretici *Montanistae et Novatiani*, denegantes clavibus Ecclesiae vim absolvendi quaedam peccata, explicite saltem eorundem remissionem per poenitentiam apud Deum negare non audebant, imo

¹⁰ Haec verba inveniuntur ad finem pericopes de fraterna correptione, quae pertinet ad contextum verborum de sacramentali potestate, *Matth. 18, 18*: "Quaecumque alligaveritis . . ." (cf. art. 1, tom. 1, p. 72 et 75).

quidam explicite asserebant. Ita *Tertullianus*, jam Montanista, distinguit inter "pacem Ecclesiae", cui subtrahit remissionem quorundam peccatorum, et "pacem divinam", cui omnem remissionem concedit (cf. De pudicitia, 2 et 3, cit. in art. 1, tom. 1, p. 102 sq.). *Socrates*, Hist. Eccl. 1, 10, de quodam *Acesio*, *Novatianorum Episcopo*, a Constantino imperatore interrogato quare a Catholica Ecclesia recessisset, haec narrat: "Ille res sub Decio persecutionis tempore gestas commemoravit, et vigorem severae illius regulae protulit, eos scilicet qui post baptismum ejusmodi crimen admiserint, quod peccatum ad mortem divinae Scripturae pronuntiant, ad divinorum mysteriorum communionem admitti non oportere, sed ad poenitentiam quidem invitandos esse: remissionis vero spem non a sacerdotibus expectare eos debere, verum a Deo, qui solus jus potestatemque habet dimittendi peccata. Quae cum dixisset *Acesius*, subjunxit imperator: *Pone scalam, Acesi, et in coelum solus ascende*" (M.G. 67, 102).

Praeter textus citatos in art. 1 (tom. 1, p. 91 sqq.) et testimonia afferenda in art. 92, ubi de remissibilitate omnium peccatorum per ipsam poenitentiam ecclesiasticam, quae a fortiori ostendunt efficaciam poenitentiae apud Deum, accipe sequentia de poenitentia generatim:

Clemens Romanus (96-98), *Ep. ad Corinthios*, 1, 51, 1: "Quaecunque deliquimus et fecimus seducti a quodam ex adversarii servis, eorum remissionem imploremus" (Funk, 1, 125).

Pseudo-Clemens Romanus, *Epist. 2 ad Corinthios* (circa 150), 8, 2 sq.: "Quandiu in hoc mundo sumus, peccatorum quae in carne gessimus ex toto corde poenitentiam agamus, ut a Domino salvemur, dum poenitentiae tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri aut poenitentiam agere" (Funk, 1, 192).

Ignatius Antiochenus, *Epist. ad Philadelph.* 8, 1: "Omnibus igitur poenitentibus remittit deus, si se converterint ad unionem cum deo et ad communionem cum episcopo" (Funk, 1, 271).

Hermas, quoque, generaliter remissionem peccatorum praedicat, memoratis ipsis majoribus criminibus haeresis et moechiae; nec sufficienti fundamento gaudet sententia illorum eruditorum qui sustinent eum denegare poenitentiam postbaptismalem, ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 93-95).

Tertullianus ipse, jam Montanista, in libro *De Pudicitia*, solam poenitentiam ecclesiasticam, non vero veniam divinam, denegat quibusdam criminibus, ut nuper dictum est. Adhuc autem catholicus, in

priori libro *De Poenitentia*, simpliciter praedicat cum aliis Patribus efficaciam Poenitentiae. *Cap. 4*: “Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate, commissis, qui poenam per iudicium destinavit [Deus], idem et veniam per poenitentiam spondit” (M.L. 1, 1343). *Cap. 7*: “Nemo . . . deterior sit, quia Deus melior est, totiens delinquendo quotiens ignoscitur. . . Non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit: pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat; iteratae valetudinis iteranda medicina est: gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris: offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem” (ibid., 1351 sq.).

Cyrillus Hier., Catech. 2, 5 sq.: “Dira res est non credere in spem poenitentiae. . . Benignus est Deus, et non modice benignus. Tum namque ne dixeris: Scortator et adulter fui, gravia scelera patravi, idque non semel, sed frequentissime, numquid condonabit? numquid dabit ut obliviscatur? Audi quid Psalmicen dicat: ‘Quam magna multitudo benignitatis tuae, Domine!’ Non vincunt tua cumulata peccata multitudinem miserationum Dei; non superant vulnera tua summi illius medici experientiam. Trade tantummodo te ipsum illi cum fide; edisserere medico morbum tuum; dic et ipse cum Davide: ‘Dixi, pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domino’, et fiet tibi similiter id quod sequitur: ‘Et tu remisisti impietatem cordis mei’” (M.G. 33, 390).

Basilus, Epist. 46 (ad virginem lapsam), 5 sq.: “Multa quidem reperies in divina Scriptura mali remedia, multa ex interitu ad salutem medicamenta, de morte atque resurrectione mysteria, de horrendo iudicio deque aeterno supplicio testimonia, *de poenitentia et venia peccatorum dogmata*; innumera illa conversionis exempla, drachmam, oviculam, filium qui consumpserat res suas cum scortis, perditum et repertum, mortuum et rursus viventem. Utamur his mali remediis: per haec animae nostrae medeamur. . . Erigamus nosmetipsos ex casu, neque de nobis ipsi desperemus, si a malis discesserimus, Jesus Christus venit in mundum peccatores salvos facturus. . . Paratus est magnus ille animarum medicus morbum tuum sanare; qui non tui solius, sed *eorum omnium, qui peccato in servitutem addicti sunt*, promptus est liberator” (M.G. 32, 378 sq.).

Chrysostomus. Praeter textus citatos in art. 36 (tom. 2, p. 441 sq. 446–448), accipe sequentia:

De Poenitentia, hom. 1, 5: “Quamdiu . . . ‘hodie’ dicitur, ne animum despondeamus; sed bonam in Domino spem habentes, et pelagus ejus clementiae recogitantes, omnem conscientiam excutientes malam multa cum spe propositoque adhaereamus virtuti, et poenitentiam majorem in modum ostendamus, ut hic *universà deponentes peccata* multa fiducia coram Christi tribunali stare possimus, regnumque coelorum consequi” (M.G. 49, 283).

De Poenitentia, hom. 2, 1: “Peccator es? Ne despondeas animum, sed ingredi, ac poenitentiam obtende. Peccasti? Dic Deo: Peccavi. . . . Peccasti? In Ecclesiam ingredi, dic Deo: Peccavi. Nihil aliud abs te nisi solum istud exigo” (M.G. 49, 285).

Paraenesis seu Adhortatio ad Theodorum lapsum, 1, 4 et 6: “Nec dicas haec [quae diximus de remissione peccatorum per poenitentiam] ad eos qui modice deliquerunt pertinere: sed *pone quempiam omni flagitio plenum, qui nihil non egerit, quod a regno illo excludat*, qui a principio, non ex infidelium, sed ex fidelium, eorumque qui Deo placuerant numero fuerit, deinde vero, scortator, moechus, mollis, fur, ebriosus, paederastes, calumniator evaserit, et alia id genus crimina admiserit: ne hunc quidem si desperet approbaturus sum, etiamsi ad extremam usque senectam in nefariis illis atrocibusque flagitiis perseveraverit. Nam si ira Dei animi aegritudo esset, jure quis desperaret, utpote qui non posset flammam tot sceleribus excitatam extinguere; quia vero divinum numen aegritudine animi vacuum est, ac licet puniat, licet vindictam sumat, non ira commotus id agit, sed curam et amorem nostri semper gerit: ideo bono esse animo par est, et vi poenitentiae confidere. Siquidem eos, qui in se peccaverunt, non sui causa solet ulcisci: nihil enim potest in hujusmodi naturam damni induci; id vero agit ad nostram spectans utilitatem, ne in deteriorem statum perversitas nostra decidat, dum ipsum rem contemnere ac despiciere putamus. . . . Hujusmodi quippe est Dei erga homines clementia: *numquam aversatur sinceram poenitentiam; sed etiamsi quis in extremum improbitatis pertigerit*, et hinc ad virtutis viam redire voluerit, ipsum suscipit et amplexatur, nihilque non agit ut eum in pristinum statum restituat. Quodque majoris est clementiae, etsi quis non integram poenitentiam exhibeat, brevem tamen illam et ad modicum exhibitam non abnuat, sed magnam huic mercedem tribuit” (M.G. 47, 281–284).

Hanc Chrysostomi in peccatores indulgentiam reprehendit *Socrates*, Novatianismo inquinatus, scribens: “Cum a synodo episcoporum semel dumtaxat iis qui post baptismum peccassent concessa fuisset

poenitentia, ipse [Chrysostomus] pronuntiare non dubitavit: *Licet millies poenitentiam egeris, accede*. Ob quam doctrinam, tum a familiaribus suis reprehensus est, tum etiam a Sisinnio Novatianorum episcopo. Qui librum quoque adversus hoc dictum conscripsit, et Joannem ob id ipsum graviter exagitavit” (Hist. eccl. 6, 21, M.G. 67, 726 sq.).

Hilarius Pict., In Matth., cap. 18, n. 10: “Quaerenti . . . Petro, an peccanti in se fratri septies remitteret, respondit: ‘Non usque septies, sed usque septuagies septies’. . . Omni modo ad similitudinem nos humilitatis ac bonitatis suae instruit, et molliendis ac frangendis turbidorum motuum nostrorum aculeis, placabilitatis suae confirmat exemplo: quippe *peccatorum omnium veniam per fidem tribuens*. Neque enim naturae nostrae vitia indulgentiam merebantur. Ergo venia omnis ex eo est: cum etiam ea quae in se sint peccata, post reditum confessionis indulgeat. . . Dominus per confessionem creditum . . . criminis veniam largitur, id est, per baptismi munus obtrektoribus ac persecutoribus gratiam salutis indulget: quanto magis oportere *ostendit sine modo ac numero veniam a nobis esse reddendam*, nec cogitandum quotiens remittamus; sed (supple ‘oportere’) ut irasci his qui in nos peccant, quotiens irascendi necessitas extiterit, desinamus? Quae utique veniae assiduitas docet, nullum omnino penes nos irae tempus esse oportere: quando *omnium omnino peccaminum veniam* Deus nobis suo potius munere, quam nostro merito largiatur. Neque enim fas est, nos ex praescripto legis, dandae veniae numero concludi, cum per Evangelii gratiam *sine modo nobis a Deo fuerit indulta*” (M.L. 9, 1022 sq.).

Pacianus, Epist. 1, ad Sympronianum, 5 sq., ex evangelicis parabolis ostendit universalitatem remissionis: “Quid ille in via vulneratus, a Levita et Sacerdote praeteritus? Nonne curatur? Revolve quae Spiritus dicat ecclesiis (Apoc. II): Ephesios desertae dilectionis accusat: stuprum Thyatirenis imputat; Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diversa reprehendit; Laodicenorum divitias inurit; et tamen omnes ad poenitentiam satisfactione invitat. . . Nemo sine fructu imperat laborem: ‘Dignus est enim mercenarius mercede sua’ (Matth. X, 10; Luc. X, 7). Nunquam Deus non poenitenti comminaretur, nisi ignosceret poenitenti” (M.L. 13, 1056 sq.).

Ambrosius, De Poenit., 2, 4, 26: “Revertimini ad Ecclesiam, si qui vos separastis impie. Omnibus enim conversis [Deus] pollicetur veniam” (M.L. 16, 524). *Ib.*, 2, 6, 40: “Bonum Dominum habemus qui velit donare omnibus” (*ibid.*, 528).

Hieronymus, In Matth. 18, 23: "Si quis nostrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium, majora crimina decem millium talentorum, rogantibus dimittuntur, si et ipsi dimittant minora peccantibus" (M.L. 26, 137).

Epist. 69, ad Oceanum, 1: "Consurgit mihi Caina haeresis . . . quae . . . totum Christi subruit sacramentum. Dicit enim esse aliqua peccata, quae Christus non possit purgare sanguine suo; et tam profundas scelerum pristinorum inhaerere corporibus atque animis cicatrices, ut medicina illius attenuari non queant. Quid aliud agit, nisi ut Christus frustra mortuus sit? Frustra autem mortuus est, si aliquos vivificare non potest. Mentitur Joannes Baptista, et digito Christum et voce demonstrans: 'Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi' (Joann. 1. 29), si sunt adhuc in saeculo, quorum Christus peccata non tulerit" (M.L. 22, 654).

Augustinus, Retract. 1, 19, 7, aliquatenus corrigit quod in libro 1 de sermone Domini videbatur dicere de peccato irremissibili: "Loco alio peccatum fratris ad mortem, de quo dicit Joannes Apostolus, 'Non pro illo dico ut roget quis' (1 Joann. V, 16), ita definivi ut dicerem: 'Peccatum fratris ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitur'" (lib. 1, c. 22, n. 73). Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: *quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum*, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur" (M.L. 32, 616).

Probatur 3. EX RATIONE.

Valent eadem rationes allatae in art. praec. (p. 9 sq.); nam Poenitentia est necessaria quoad omnia peccata; item, ipsa est satisfactiva simpliciter pro offensa Dei, sub qua ratione omnia peccata conveniunt; item, misericordia divina est supra omnem hominis malitiam nec potest ab ullo peccato vinci in efficacitate.

Ceterum, ut expellatur omnis adversariorum scrupulus et praecludatur via omnibus rationibus ex quibus pro irremissibilitate quorundam peccatorum argui posset, argumentum sic sub alia forma, ad mentem S. Thomae, instaurari potest: "Hoc quod aliquod peccatum per Poenitentiam tolli non possit, potest contingere dupliciter; *uno modo* quia aliquis de peccato poenitere non posset; *alio modo* quia poenitentia non posset delere peccatum" (a. 1).

Quod autem aliquis de peccato nequeat poenitere, ex duplici capite provenire posset: *Vel ex parte hominis*, seu ex naturali inflexibilitate liberi arbitrii ac consequenti obduratione in malo; et hoc non potest esse, quia liberum hominis arbitrium, secus ac voluntas angeli, est naturaliter flexibile ad bonum et ad malum. *Vel ex parte Dei*, seu ex denegatione divini auxilii ad poenitendum, qua divina justitia exerceretur et ex qua sequeretur obduratio hominis in malo, ut accidit in damnatis; sed neque hoc esse potest, “non enim hoc habet ordo divinae justitiae quod quandiu aliquis est in via, sibi detur quod pertinet ad terminum viae. Immobiliter autem se habere vel in bono vel in malo pertinet ad terminum viae: immobilitas enim et quies est terminus motus; tota autem praesens vita est status viae, quod demonstrat mutabilitas hominis et quantum ad corpus et quantum ad animam. Non igitur hoc habet divina justitia ut homo post peccatum immobiliter maneat in eo” (*Compendium Theologiae*, c. 146).¹⁷

Quod vero actus Poenitentiae non posset delere peccatum, iterum ex duplici capite provenire posset: *Vel ex parte ipsius Poenitentiae*, seu ex defectu virtutis, quasi haec vim non haberet reparativam et satisfactivam relate ad aliquod gravius peccatum; sed hoc falsum est, quia Poenitentia aequaliter se habet ad omnia peccata, cum adversetur ipsi rationi offensae Dei, sub qua omnia peccata conveniunt, ac ideo omnibus adversetur sub una indivisibili ratione et efficacia, non secus ac ipsa gratia sanctificans et actus charitatis indivisibiliter adversantur omnibus peccatis eaque simul expellunt; praeterea, in sententia quam cum pluribus thomistis defendimus et juxta quam actus Poenitentiae procedit ab ipsa gratia sanctificante media virtute Poenitentiae, manifestum est actum Poenitentiae necessario importare remissionem peccati quod est impossibile cum gratia sanctificante. *Vel ex parte Dei*, seu ex denegatione veniae; sed hoc repugnat tum misericordiae divinae, “vinceretur enim quodammodo Deus ab homine [in bonitate], si homo peccatum vellet deleri, quod Deus delere non vellet” (a. 1), tum ejus Providentiae, nam frustra Deus daret homini auxilium ad poenitendum et exigeret actum Poenitentiae, qui de se ordinatur ad peccati remissionem, si simul decerneret hanc denegare.

¹⁷ Idem fere repetit S. Doctor in *C. Gentes*, 3, 157, sub sequenti forma: “In operibus Dei non est aliquid frustra, sicut nec in operibus naturae; hoc enim natura habet a Deo. Frustra autem aliquid moveretur, nisi posset pervenire ad finem motus. Necessarium est ergo quod id quod natum est moveri ad aliquem finem sit possibile venire in illum finem. Sed homo postquam in peccatum cecidit, quandiu status huius vitae durat, remanet in eo aptitudo ut moveatur ad bonum; cuius signa sunt desiderium de bono et dolor de malo, quae adhuc in homine remanent post peccatum. Est igitur possibile hominem post peccatum iterum redire ad bonum quod in homine gratia operatur.”

Confirmatur.

1. *A paritate cum sacramento.* Sacramentum Poenitentiae valet ad remittenda omnia peccata. Ergo et virtus Poenitentiae, tum quia sacramentum non fuit institutum ad ampliandam vel coarctandam efficaciam virtutis, sed potius ad eam ostendendam et adjuvandam, tum quia, post institutionem sacramenti, virtus influit ex voto illius, tamquam ex semine quo concipit eandem efficacitatem et eundem effectum.

2. Peculiariter contra antiquos haereticos negantes Poenitentiam *postbaptismalem*. Nam in A. T., ante institutionem Baptismi, virtus Poenitentiae habebat universalem efficacitatem; ergo etiam post institutionem Baptismi; non enim in N. T. est diminuta gratia et via salutis, nec Baptismus institutus est ad coarctandam nativam vim virtutis Poenitentiae. Praeterea si negaretur Poenitentia postbaptismalis, “baptismus usque ad finem vitae differendus esset, ut omnia peccata in vita simul ablueret; essetque valde temerarium antea baptizari, si postea non superesset poenitentiae remedium pro peccatis, cum nemo possit sibi promittere perseverantiam in innocentia baptismali.”¹⁸

Conclusio 2. Absolute repugnat tum peccatum irremissibile per Poenitentiam, tum et a fortiori peccatum ab intrinseco irremissibile.

Probatur 1a pars ex eo quod ex una parte (ut non semel in hoc tractatu dictum est, juxta sententiam plurium Thomistarum) actus Poenitentiae procedit a gratia sanctificante media virtute Poenitentiae, et ex alia parte status gratiae est absolute impossibilis cum statu peccati. Unde absolute impossibile est ut, stante actu Poenitentiae seu perfecta contritione, peccatum non sit remissum.

Si quis autem cum quibusdam Theologis alterutrum ex praemissis principii deneget, non habet unde hanc conclusionem efficaciter probet, nec potest id eruere ex sola satisfactiva efficacia Poenitentiae, cum haec dependeat ab extrinseco principio seu a beneplacito divino eam acceptante, ut dictum est in art. 63 (tom. 3, p. 314–317).

Probatur 2a pars. Nam peccatum ab intrinseco irremissibile, esset peccatum quod nullam haberet formam sibi contrariam per quam a subiecto expelli posset, quod quidem posset provenire vel ex vi ipsius peccati superante vim contrariae formae, vel ex resistentia liberi arbitrii frustrante actionem divini agentis, quae tendit ad remotionem peccati. Jamvero adest forma gratiae, quae directe opponitur peccato, ipsaque est efficacior forma peccati, quae consistit in eius

¹⁸ *Suarez*, De Poenitentia, disp. 8, sect. 1, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 132.

privatione, cum ens sit potentius non ente, et positivum potentius negativo, sicut lux tenebris, et vis divini agentis est potentior omni renisu creato. Ergo repugnat peccatum ab intrinseco irremissibile, sicut repugnat quod bonum vincatur a malo, quod gratia superetur a peccato, quod actio et bonitas Dei sit infra efficaciam et malitiam humanam.

Unde reicienda est contraria sententia Lugonis, supra relata (p. 17 sq.), qua statuit possibilitatem alicujus peccati ab intrinseco irremissibilis.

Quae quidem sententia claudicat in utroque eius asserto; primo nempe quod “Deus potuisset, saltem de potentia absoluta, nolle, remittere peccatum homini etiam poenitenti” (peccatum ab extrinseco irremissibile); secundo, quod si, stante tali hypothesi et subsequente revelatione talis decreti divini, homo id nollet credere, haec eius infidelitas constitueret peccatum ab intrinseco irremissibile.

Nam *imprimis*, cum ea hypothesis sit impossibilis, et “ex impossibili sequatur utrumque”, ut aiunt philosophi, sequeretur quod ille homo teneretur simul et non teneretur credere divinae revelationi, et quod peccaret simul et non peccaret, et quod eius infidelitas esset remissibilis et non remissibilis; sicut si fingatur quod asinus sit rationalis, sequeretur quod intelligat (utpote rationalis) et non intelligat (utpote asinus), et quod habeat animam rationalem atque immortalem et animam irrationalem atque mortalem.

Praeterea, etiam supposita veritate illius hypothesis (quod nempe Deus non remitteret peccatum poenitenti) et stante praedicta revelatione huius divini decreti, sequeretur quod peccatum illius hominis, tale decretum credere nolentis, esset quidem irremissibile ab extrinseco, non vero ab intrinseco, nam ejus irremissibilitas fundaretur tota, non in ipso peccato, sed in decreto divino non remittendi peccatum, si enim decretum non daretur, peccatum esset essentialiter remissibile, nec divina decreta valent mutare rerum essentias, cum divina voluntas versetur circa existentiam et actualitatem rerum non vero circa earum essentiam et possibilitatem. Et confirmatur ex hoc quod illud peccatum secundum se potest esse et non esse remissibile, nam ejus irremissibilitas pendet a decreto et hoc decretum potest desse, cum sit liberum (non enim Deus necessitatur ad ponendum illud decretum); jamvero quod potest esse et non esse remissibile, non est irremissibile ab intrinseco.

Nec valet cum Lugo urgere quod si illud peccatum remitteretur, non esset vera divina revelatio; nam aliud est quod illud peccatum nunquam de facto remitteretur, et aliud quod non posset remitti; primum opponeretur divinae revelationi, non vero alterum, quemadmodum

scientiae Dei opponitur quod res aliter eveniant ac a Deo praevidentur, non vero quod aliter possint evenire.

Nota. Lugo (Disp. 7, sect. 8, n. 125 sq.) transeunter tangit quaestionem, an Deus de potentia absoluta possit remittere peccatum *in eodem formaliter instanti* quo committitur, vel etiam *antequam committatur*. Et juxta supra relatam sententiam suam (p. 11. 13 sq.) de possibilitate remissionis peccati absque ulla interioris animi mutatione, respondet affirmative, scilicet “non repugnare in ordine ad potentiam absolutam Deum etiam pro illo instanti [in quo peccatur], vel etiam antequam fiat peccatum, condonare illud: sicut etiam homo antequam ab hoste laedatur, potest, et solet illi remittere injuriam quantum est de se.”

At, haec sententia merito reicitur et impugnatur a Salmanticensibus (Disp. 6, dub. 3, n. 153–156) et supponitur falsa a Suaresio (De Gratia, l. 7, c. 21). Nam prius est esse quam esse tale, et prius est esse quam remitti; item repugnat idem simul esse et non esse, remitti autem peccatum est non esse peccatum, unde si peccatum remitteretur dum committitur, simul esset et non esset, et similiter, si remitteretur antequam committatur, in momento quo committitur, simul esset et non esset. Confirmatur ab exemplo medicinae, cum enim haec sit ablativa morbi, morbus supponitur medicinae nec potest proprie dicta medicina prius conferri, quamvis possit applicari aliud remedium praeservativum ac praevenitivum. Inepte autem Lugo recurrit ad exemplum hominis praeeremittentis offensam; nam actio qua homo cederet juri suo ad irascendum, non aufert offensam ab offensore, seu non facit ut ille non peccet nec offendant jus alterius, dum offendit.

RESPONSIO

Obj. 1. Non rari Scripturae loci indicant quibusdam peccatoribus denegari auxilium ad poenitendum, vel etiam ipsis poenitentibus denegari veniam.

De *Esau* enim ait Apostolus, *Hebr. 12, 16 sq.*: “Ne quis fornicator aut profanus ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua. Scitote enim quoniam et postea cupiens haereditare benedictionem, *reprobatus est; non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.*”

De *Pharaone* dicitur in *Exod. 7, 3*: “Ego indurabo cor ejus”; item *10, 1. 27*: “Dixit Dominus ad Moysen: ‘Ingredere ad Pharaonem; ego enim induravi cor ejus, et servorum illius, ut faciam signa mea haec in eo. . . *Induravit autem Dominus cor Pharaonis, et noluit dimittere eos.*’”

De *Antiocho* rege dicitur in 2 *Mach.* 9, 11–13: “Hinc igitur coepit, ex gravi superbia deductus, ad agnitionem sui venire, divina admonitus plaga. . . Et cum nec ipse jam foetorem suum ferre posset, ita ait: Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo *non esset misericordiam consecuturus*”.

De *filiiis Heli* sacerdotis scribitur in 1 *Reg.* 2, 23–25: “Dixit eis [pater eorum]: Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo? . . . Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; *si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos”.

Psal. 17, 42: “Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret; ad Dominum, nec exaudivit eos.”

Prov. 1, 24–30: “Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo. . . Cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super vos tribulatio et angustia; *tunc invocabunt me, et non exaudiam*; mane consurgent, et non invenient me: eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universae correptioni meae.”

Eccles. 7, 14: “Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexit.”

Isai. 6, 10: “Excaeca cor populi hujus, et aures ejus agrava, et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.”

Joan. 12, 37–40: “Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum. . . Propterea non poterant credere, quia . . . dixit Isaias [6, 10]: Excaeca oculos eorum . . .” (cf. *Matth.* 13, 14 sq.; *Marc.* 4, 12; *Luc.* 8, 10; *Act.* 28, 26 sq.; *Rom.* 11, 7 sq.).

Rom. 9, 13: “Sicut scriptum est [*Malach.* 1, 2 sq.]: Jacob dilexi, Esau autem odio habui”; v. 18: “Ergo cuius vult miseretur, et quem vult indurat.”

2 *Cor.* 4, 4: “Deus . . . excaecavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio evangelii gloriae Christi”.

Resp. In his et similibus testimoniis *primo* agitur non de *vera poenitentia*, seu dolore de peccato ex motivo supernaturali, sed de dolore procedente ex cupiditate temporalium bonorum et de consequenti oratione ad Deum qua pravi homines, dum adhuc suae impietati adhaerent, conantur avertere a se temporales calamitates; *secundo*, non agitur de *vera obduratione* in malo, in qua quidam peccatores

derelinquerentur a Deo per denegationem auxiliorum sufficientium ad salutem, sed de maxima difficultate, in qua ipsi sua culpa inveniuntur, redeundi ad justitiam per poenitentiam, non obstantibus auxiliis saltem remote sufficientibus quae nemini denegantur.

Locus *Hebr. 12, 16 sq.*¹⁹ (de *Esau* impenitente), quo abutebantur *Novatiani* ut inde arguerent contra poenitentiam lapsorum, pluribus patet exegetarum interpretationibus, quarum tamen nulla prodest obicenti. *Primo* enim vox "poenitentia" potest intelligi de poenitentia ipsius *Esau* circa suum peccatum profanitatis, qua praetulit escam juri primogeniturae, et tunc duplex iterum subesse potest sensus; si enim incisum "inquisisset eam" referatur ad ipsam poenitentiam, sensus erit: Ipse quaesivit poenitentiam et non invenit eam; si vero illud incisum referatur ad benedictionem, sensus erit: Ejus poenitentia non habuit talem effectum ut ei restitueretur benedictio paterna quam cum lacrymis vehementer optavit. *Secundo*, vox "poenitentia" referri potest ad *Isaac* patrem ejus, ita ut sensus sit: *Esau* non obtinuit mutationem consilii patris sui (i.e. poenitentiam, juxta originalem sensum vocis *μεταβολας*), ut nempe benedictio, erronee data fratri suo, sibi reverteret, quamvis cum lacrymis quaesierit eam (i.e. benedictionem, aut consilii mutationem; quod in idem redit, adeoque controversia exegetica de attributione incisi "inquisisset eam" non multum refert).

Haec tertia expositio videtur probabilior et congruentior textui; nam *Esau* id non invenit quod quaerebat, quaerebat autem mutationem consilii patris sui, vel, si placet, mutationem benedictionis, unde eam poenitentiam, seu consilii mutationem, non obtinuit. Nec ceterum obstat contextus totius pericopes *S. Pauli*, nam sensus illius est: Fugite tum fornicationem, tum profanitatem seu temporalium rerum cupiditatem, ne ob istam, sicut profanus *Esau*, irrevocabiliter (sine poenitentia = sine spe revocationis) excludamini a possessione paternae benedictionis seu spiritualium bonorum quae vobis promittuntur in *Christo*. In hac expositione perfecte evacuatur objectio *Novatianorum*, quoniam nullo modo est sermo de Poenitentia, seu de animi conversione a peccato, sed tantum occurrit nomen poenitentiae in diverso prorsus sensu. Nec valet subsumere objectionem, iterum recurrendo ad praedictum contextum, quo homini adhaerenti profanitati fit comminatio exclusionis a gratia; nam docetur utique hominem, quousque manet in ea adhaesione, excludi a gratia, sed non negatur hominem posse eam adhaesione in hac vita revocare per poenitentiam et ita in benedictionem redintegrari.

¹⁹ Cf. *Estium*, In h.l.; *Galtier*, De Poenit., n. 205.

Si vero eligatur secunda explicatio, iterum evacuatur alio modo objectio Novatianorum; nam agitur quidem de Poenitentia, non tamen agitur de remissione peccati, sed de alio ac impertinente objecto seu effectu, i.e. dicitur quod Esau, etsi poenitens de peccato, non inde obtinuit illum temporalem effectum, ut nempe ipsi reverteret patris benedictio.

Si tandem eligatur prima explicatio, sensus non est quod Esau vere poenitenti venia denegata fuerit, nam ex *Gen. 27, 41* constat Esau non vere poenituisse, cum, dum dolebat ac flebat, necem fratris sui animo revolveret, inquam: "Venient dies luctus patris mei, et occidam Jacob fratrem meum" (*ad 1*); ejus igitur poenitentia erat sterilis dolor, ex cupiditate bonorum temporalium proveniens.

Patet autem hunc locum nequaquam esse parallelum alterius loci ejusdem Apostoli, *Rom. 9, 13*: "Sicut scriptum est [Malach. 1, 2 sq.]: Jacob dilexi, Esau autem odio habui", qui solet a theologis afferri ac discuti in Tractatu De Deo Uno, ubi de praedestinatione et reprobatione.

Ex *2 Mach. 9, 11-13*, manifeste apparet *Antiochum* non vere poenituisse, sed solum desiderasse oratione sua avertere a se corporalem infirmitatem; unde Scriptura adhuc appellat eum "scelestum" dum inducit eum orantem, et paulo post iterum appellat "homicidam et blasphemum" (v. 28). Eodem igitur animo ipse Deum orabat, quo, in necessitate jam constitutus, "Judaeos, quos nec sepultura quidem se dignos habiturum, sed avibus ac feris diripiendos traditurum, et cum parvulis exterminaturum dixerat, aequales nunc Atheniensibus facturum pollicebatur" (v. 15; cf. v. 14-17). Nihil ergo mirum si, quod petebat, a Deo non impetraverit (*ad 1*).

1 Reg. 2, 23-25. Si verba Heli accipiantur simpliciter et universaliter sicut sonant, sequeretur omne peccatum contra Deum, adeoque contra religionem aut quamlibet virtutem theologicam, esse irremissibile; quod nemo admittit. Sensus igitur est peccata in Deum esse graviora, et, qua talia, difficilius expiari. "Videtur Heli more humano esse loquutus. Nam inter homines rari inveniuntur, qui apud principem intercedere audeant, quando reus principem ipsum immediate laeserit: alioqui facilis est intercessio, quando inter privatos injuria consistit."²⁰

In *Psal. 17, 42*, agitur non de poenitentibus, sed de malefactoribus (cf. v. 38-48), in tribulatione constitutis et ad Deum clamantibus oratione simili ei quam solvit rex Antiochus, de quo supra.

In *Prov. 1, 24-30*, agitur probabilius de frustranea poenitentia

²⁰ *Bellarminus*, De Poenitentia, l. 2, c. 16, Opera omnia, t. 3, Mediolani, 1859, p. 662.

damnatorum, quibus “non potest displicere peccatum, inquantum est culpa, sed solum displicet eis poena quam patiuntur; ratione cujus aliquam poenitentiam, sed infructuosam habent, secundum illud *Sap. V, 3*: ‘Poenitentiam agentes, et prae angustia spiritus gementes’. Unde talis poenitentia non est cum spe veniae, sed cum desperatione” (*a. 1*). Id colligitur ex verbis: “Ego quoque in interitu vestro ridebo”. De hujusmodi poenitentibus agitur etiam in *Sap. 4, 19 sq.*; *5, 1–15* (v. 7: “Ergo erravimus a via veritatis”; v. 14: “Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt”); *Matth. 25, 44*; *Luc. 13, 25–29*; *16, 23 sq.*

Ceterum, si ea verba referantur ad poenitentiam hujus vitae, agitur, sicut in *Psal. 17, 42*, de frustraneo dolore impiorum, qui, in tribulatione constituti, solvunt ad Deum praedictam orationem regis Antiochi in *2 Macch. 9, 11–13*. De vere autem poenitentibus dicitur ibidem in v. 23 immediate praecedenti: “Convertimini ad correptionem meam. En proferam vobis spiritum meum, et ostendam vobis verba mea.”

Ceteri textus objecti, aliique plures qui passim occurrunt tum in Scriptura, tum apud Patres, respiciunt sic dictam obdurationem seu excaecationem quorundam peccatorum ex parte Dei; quae quidem, attentis multis aliis clarisque earumdem auctoritatum testimoniis de universali voluntate salvifica Dei, non aliam habet convenientem explicationem nisi eam quam communiter afferunt theologi in Tractatu De Deo Uno, ubi haec quaestio explicite agitur.²¹ Scilicet: quidam homines dicuntur obdurati vel derelicti non quatenus nulla habeant auxilia ad salutem, nemo enim totaliter a Deo deseritur dum est in statu viae, sed quia habent auxilia remotiora, debiliora et rariora, unde salus illis evadit valde difficilis seu fere moraliter impossibilis, non vero proprie impossibilis. Potest etiam dici talibus hominibus esse absolute impossibile bonum agere ex suppositione, seu in sensu composito cum ipsa obstinatione ipsorum. Ea enim permanente, nequeunt certo converti, at possunt eam deponere sicque converti. Hanc responsionem affert *S. Thomas* In c. 12 Joan., lect. 7, eam desumens ex *Augustino*, tract. 55 in Joan. “Illi non poterant credere, inquit, non quia mutari in melius homines non possunt, sed quia quandiu talia sapiunt non possunt credere”.

Interim confer quae hic habent *Suarez*, Disp. 8, sect. 2, et *Lugo*, Disp. 8, sect. 1, n. 12 sqq., discernens tamen singula cum grano salis.

Obj. 2. TRES PRAECIPUE LOCI SCRIPTURAE EXPLICITATE LOQUUNTUR DE PECCATO IRREMISSIBILI, quod vocatur *peccatum illuminatorum*, cui denegatur hostia seu poenitentia (Hebr.

²¹ *Suarez* eam agit at in praesenti tractatu De Poenitentia, disp. 8, sect. 2.

6, 4–6; 10, 26); vel “*peccatum ad mortem*”, quod excluditur ab ipsa oratione (1 Joan. 5, 16); vel “*peccatum in Spiritum Sanctum*”, cui simpliciter denegatur remissio sive in hoc saeculo sive in futuro (Matth. 12, 31 sq.; Marc. 3, 28 sq.; Luc. 12, 10).

Hebr. 6, 4–6: “Impossibile est enim, eos, qui semel illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste et participes facti sunt Spiritus Sancti . . . et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes”. *Ibid. 10, 26*: “Voluntarie enim peccantibus post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia” (cf. 12, 16 sq.).

1 Joan. 5, 16: “Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.”

Matth. 12, 31 sq.: “Ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus aut blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro.” *Marc. 3, 28 sq.*: “Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae quibus blasphemaverint; qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti.” *Luc. 12, 10*: “Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.”

Resp. De natura et irremissibilitate trium illorum peccatorum duplex a catholicis affertur generalis solutio. Vel nempe ea peccata accipiuntur pro peccato finalis impenitentiae et tunc eorum irremissibilitas est *absoluta*, sed nihil inde sequitur contra thesim nostram quae est de remissibilitate cujuslibet peccati in hac vita (*solutio Augustini*); vel accipiuntur pro determinatis peccatis hujus vitae, et tunc eorum irremissibilitas est tantum *relativa*, seu accipienda est pro magna difficultate remissionis, quae tanta est, ex parte tamen ipsius hominis, non vero ex parte Dei, ut aequivalet morali cuidam impossibilitati ac ideo jure irremissibilitas vocatur (*solutio S. Thomae*).

QUOAD “PECCATUM ILLUMINATORUM”, seu eorum qui, suscepto Baptismo et agnita veritate, iterum labuntur, sufficienter dictum est in Tractatu De Baptismo (art. 8, p. 100–102), eo quod una ex doctorum interpretationibus docet in *Hebr. 6, 4–6* agi directe non de interabilitate Poenitentiae sed Baptismi.

Textus *Hebr. 10, 26* videtur priori parallelus, unde *S. Thomas* (in

Hebr. 10, 26) illum interpretatur de impossibilitate iterandi passionem Christi. Ceterum, etiam si separaretur ab illo, nequaquam praedicat irremissibilitatem peccati eorum qui labuntur post agnitam veritatem, sed tantum asserit apostatas a fide (de hoc enim peccato agitur, ut suadetur ex v. 25 et 29) eo ipso quod se separant a Christo, qui est hostia pro peccato (v. 12), se separare ab unica hostia pro peccato, et proinde, quousque ita permanent, esse extra viam remissionis. Praeterea, etiam si sensus sit ipsa irremissibilitas peccati apostasiae, potest ea intelligi non absolute sed relative, pro magna nempe difficultate quam implicat conversio ab apostasia, seu ab eo peccato quod non ex fragilitate aut passione, sed ex oculata malitia procedere solet; Apostolus autem ut avertat fideles ab hoc gravissimo peccato emphatice de eo loquitur tamquam de peccato irremissibili. Et similiter interpretandus est textus Hebr. 6, 4-6, si accipitur ut *parallelus* cum Hebr. 10, 26.

Ad rem *Estius* in h.l.: "Quod ergo dicit Apostolus, tale esse videtur: Si qui nostrum voluntarie peccaverint, abjecta veritatis notitia, hi, quoniam Christi hostiam semel oblatam sua apostasia penitus et omnino in se frustraverunt, non est, quod expectent hostiam Christi pro suis peccatis iterandam, id est, ut iterum crucifigatur Filius Dei, quod gravitas et magnitudo lapsus eorum, si reparandus sit, videbatur exposcere. Non enim amplius moritur Christus, Rom. 6. Quin potius sciant, expectantibus sibi esse terribile iudicium. Non dicit: Si qui hoc modo peccaverint, ne desperent; sed corde contrito rursus accedant ad thronum gratiae Dei, cum spe veniae per hostiam semel oblatae accipiendae. Non hoc, inquam, dicit; tum ut peccati magnitudinem et periculum demonstret, cuius venia vix possit expectari, quasi dicat, inexpiabile esse crimen; tum quia terrere voluit stantes, ut sibi a lapsu caverent; alioqui certe cum lapsis, si serio locum veniae quaerent, aliter locuturus. Et fortassis alludit ad legem Mosaicam, quae pro expiatione peccati per superbiam sive contumaciam commisi, nullam praescribit hostiam; sed simpliciter pronuntiat, eum, qui sic peccaverit, periturum de populo suo, propterea quod verbum Domini contempserit, Num. 15. Per hoc enim significatum est, ejusmodi peccatorum raram esse poenitentiam ac difficilem veniam."²²

QUOAD "PECCATUM AD MORTEM", duo quaeri solent: primo nempe quid sit, juxta contextum Epistolae, seu quo sensu dicatur ad

²² In omnes D. Pauli Epistolas. . . Commentarii (cura J. Holzammer) t. 3, Monguntiae, 1859, p. 260. Cf. quae de utroque loco ad Hebraeos habet *D'Alès*, *L'édit de Calliste*, Paris, 1914, p. 60-62; item hic, infra, p. 37.

mortem; secundo quo sensu excludatur ab oratione fidelium. Solutiones harum quaestionum, in quibus aliqua irremissibilitas illius peccati includi videtur, sunt ab invicem dependentes.²³

AD PRIMAM QUAESTIONEM, quatuor allatae sunt praecipuae solutiones:

Prima solutio docet illud non esse determinatum aliquod peccatum hujus vitae, sed ipsum peccatum finalis *impoenitentiae*, seu peccatum in quo homo perseverat usque ad mortem et ducitur ad mortem aeternam. Ita *Augustinus* (De correptione et gratia, c. 12; Retractiones, l. 1, c. 19),²⁴ *Gregorius M.* (Moral. 16, 28), *S. Thomas* (De Malo, q. 3, a. 15, ad 3; ut probabilis opinio), *Suarez* (Disp. 8, sect. 1, n. 23; ut probabilis opinio). Huic expositioni alii opponunt eam non congruere contextui, nam supponitur peccatum illud posse ab aliis dignosci ("Qui scit fratrem suum peccare. . ."); item, supponitur esse peccatum praesens, non praeteritum ("Qui scit fratrem suum peccare [non peccasse]"); item, non vetatur oratio pro sic peccante, sed tantum positive non suadetur ("Non pro illo dico ut roget quis"); quae omnia non conveniunt peccato finalis *impoenitentiae*, quod dignosci non potest, est praeteritum, et deberet positive excludi ab oratione.

Attamen, hae rationes non cogunt, et manet probabilis illa opinio.

Secunda solutio docet illud esse ad litteram quod theologi morales vocant *peccatum mortale*, in oppositione ad peccatum veniale. Ita inter paucos *Pseudo-Augustinus*, De vera et falsa poenitentia, c. 4; indicatur etiam haec solutio, ut una inter possibles, in *Commentario Apocrypho S. Thomae* in 1 Ep. Joannis. Sed haec sententia merito communi derelictione extincta est, utpote nullatenus congruens contextui; nam ibi de peccato quod vocatur non ad mortem dicitur: "Petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem"; unde supponitur illud esse non veniale, sed mortale peccatum, nec ideo peccatum ad mortem intelligitur omne mortale; praeterea pro peccante ad mortem oratio non suadetur; unde non agitur de omni mortali, cum ex

²³ Praecipuae solutiones ad utramque quaestionem jam allatae sunt a doctoribus medi aevi ac breviter nec inepte resumuntur in ipso *Commentario Apocrypho S. Thomae in 1 Ep. Joannis* (cf. Opera omnia S. Thomae, ed. Vives, t. 31, p. 462).

²⁴ In *De Sermone Domini in monte*, 1, 22, 73, S. Doctor loquitur de peccato apostasiae ac persecutionis, inquires: "Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse cum post agnitionem Dei per gratiam Domini Nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo invidentiae facibus agitur" (M.L. 34, 1266). Postmodum vero in Retractionibus, 1, 19, 7, relatis illis verbis, addit: "Quod quidem non confirmavi, quoniam hoc putare me dixi; sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam; quoniam de quocumque pessimo, in hac vita constituto, non est desperandum, nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur" (M.L. 32, 616).

generali Apostoli doctrina oporteat pro errantibus orare ut convertantur, ut constat etiam ex hac eadem epistola 1, 9; 2, 1 sq.; inepte autem in *Apocrypho S. Thomae* in 1 Joannis verba Apostoli sic exponuntur: “Non pro illo dico ut roget quis, idest qualiscumque; sed solum justus, injustus enim non posset ei impetrare primam gratiam, quia in tali statu existens non est dignus exaudiri.”

Ceterum, quod ea appellatio “peccatum mortale” derivata sit in theologiam moralem ex textu Joannis, non est improbable, sed est aliquid prorsus impertinens in quaestione de genuino sensu illius textus, sicut est impertinens quod forte ipse Joannes eam derivaverit ex modo loquendi A. T. (cf. Num. 18, 23; Is. 2, 9; 22, 14) et ex rabbinica phrasaeologia.²⁵

Tertia solutio, peccatum ad mortem intelligit non aliquod determinatum peccatum, vel, si placet, non ipsum actum alicujus peccati, sed *statum peccati*, qui dicitur “mortis” in oppositione ad statum vitae spiritualis. Quem quidem statum alii, ut *Pacianus* et *D’Alès*, videntur accipere generalius pro *statu impenitentiae*, seu adhaesionis affectus ad peccatum quodlibet (ita peccatum ad mortem intelligitur quodvis peccatum de quo non agitur poenitentia, quamdiu et quatenus poenitentia non agitur); alii vero, ut *Galtier*, pro statu impenitentiae in peccato infidelitatis seu *apostasiae a Christo*.

PACIANUS, Epist. ad Sympronianum, 3, 16: “Vides hoc totum [i.e. 1 Joan. 15, 16; Joan. 15, 1; Matth. 3, 8; 1 Reg. 2, 25] ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccaverint et coeperint poenitere antequam quisquam pro illis roget” (M.L. 13, 1074).

D’ALÈS: “Il s’agit de péchés particulièrement graves; tellement graves que, de leur nature, ils appellent la malédiction divine et que le pécheur n’aurait pas lieu de plainte s’il était, de ce chef, rejeté non seulement par l’Eglise en cette vie, mais par Dieu en l’éternité. En rigueur de métaphysique, il peut être considéré comme damné en fait, parce qu’il l’est en droit: il appartient à la mort: telle est la portée précise de la constatation faite par saint Jean.”²⁶

GALTIER: “Sermo . . . ibi est, non de ullo peccato aut iniquitate particulari quae excludatur a remissione per Christum obtinenda — hoc enim contradiceret dictis in eiusdem epistolae cap. 1, 9 et cap. 2, 1-2 — sed de aliquo statu, qui dicitur “mortis” per oppositionem ad statum “vitae” qui est adhaerentium Christo. Hoc constat per usum loquendi S. Joannis: tum in evangelio tum in hac ipsa epistola, *vita* dicitur esse *per adhaesionem Christo*, ita ut accedentes ad fidem transeant a morte ad vitam, ii vero qui sint de mundo proindeque non credant Christo dicantur mori in peccatis suis (*Jo.* 8, 24). Hinc igitur a contrario sequitur eos qui prius adhaeserint Christo, si ab illo defecerint, dici transire a vita ad mortem seu peccare ad mortem.”²⁷

²⁵ Cf. *J. Chaine*, Les Epîtres Catholiques, Paris, 1939, p. 219; *B. F. Westcott* (protestans), The Epistles of St. John, third edition, Cambridge and London, 1892, p. 209 sq. 214.

²⁶ L’édit de Calliste, Paris, 1914, p. 33 sq.

²⁷ De Paenitentia, thes. 12, n. 207, Parisiis, 1931, p. 141.

Quarta solutio intelligit quaedam peccata graviora, quae qua talia, recte comparantur morti, utpote conjuncta cum quadam impossibilitate resurgendi ac ita praeterea ducentia ad ipsam mortem aeternam per finalem impenitentiam.

In quibus peccatis determinandis, alii aliter loquuntur.

Aliqui haeretici, inter Novatianos et Montanistas, loquuntur de peccatis postbaptismalibus, omnibus vel quibusdam, ut ex hoc textu firment suam thesim de irremissibilitate peccatorum postbaptismalium.

Quidam, ut *Bellarminus*, loquuntur pluraliter et indeterminate de peccatis gravissimis.

Plures loquuntur determinate de peccato *apostasiae a fide*.

Ita *BEDA* (In h.l. Joannis), post Augustinum supra citatum (p. 36, in nota), loquitur de apostasia conjuncta persecutioni fidelium.

BOYER scribit: "Simili modo ac loci epistolae *ad Hebraeos*, hic locus est explicandus. In lingua enim Joannis cum solus Christus sit vita, peccatum ad mortem intelligendum est de *negatione fidei* in Christum, qua quis extra Christum existit: ille qui sic peccavit iam non habet advocatum Christum apud Patrem; preces corporis Christi non illum juvant, dum manet in sua incredulitate. Sed non dicitur quod non possit ad Christum redire, nec quod ad hoc obtinendum pro eo, non sit bonum orare. In forma: peccatum ad mortem est irremissibile, *dist.* in sensu composito negationis Christi, *concedo*; in sensu diviso, *nego*."²⁸

CHAINE: "Dans Jo. le péché pour la mort n'est pas seulement un péché très grave, mais un péché qui fait perdre la vie divine *d'une manière qui paraît définitive*. . .

"Le péché qui n'est pas pour la mort paraît aussi faire perdre la vie, puisque par la prière on peut rendre la vie au fidèle qui a commis ce péché. Dire que la vie est affaiblie (*Calmes*) n'est pas suffisant. Nous tenons donc la vie pour perdue, mais pas de la même manière que dans le péché *ad mortem*. La faute est toujours grave, mais moins. La distinction que fait Jo. entre le péché mortel et non mortel n'est pas celle devenue classique chez les moralistes chrétiens. L'Apôtre ne donne pas le critère qui permet de distinguer les deux sortes de péchés.

"Néanmoins l'enseignement de l'épître est clair en lui-même. *Le péché pour la mort est le péché d'apostasie* qui fait retourner de la lumière aux ténèbres. Il est avant tout la perte de la vraie foi. Jean a insisté sur la solidarité qui existe entre la foi et la vie (cf. v 1 12); celui qui a perdu la foi a perdu la vie, et son apostasie fait considérer sa conversion et son salut comme impossibles aux yeux des hommes, sinon devant Dieu. Sans doute la rédemption est universelle (i, 7; ii, 2; iii, 5; iv, 14), mais il faut encore s'en appliquer les fruits. Le pécheur qui a commis une telle faute s'est séparé du Christ d'une manière totale, il n'est plus qu'un sarment bon pour le feu (Jo. xv, 6). Le cas envisagé rappelle le péché contre l'Esprit dans Mc. iii, 29; Mt. xii, 31; Luc. xii, 10, le péché irrémissible dans Hébr. vi, 4-8 (cf. x, 26-31), ou le péché de ceux dont on a simplement pitié dans Jude (v. 23). Dans Jude, cependant, la pitié s'accompagne peut-être de la prière. . .

"Le pécheur qui n'a pas commis une faute "pour la mort" et a cependant perdu la vie, est vraisemblablement celui qui a conservé la foi, principe et condition de la filiation (ii, 23; v 1 12). Les ténèbres n'ont pas encore envahi toute son âme. On peut encore espérer sa conversion et son salut. Voilà pourquoi il faut prier pour lui. Il est dans le cas des coupables que Jude dit d'arracher au feu

²⁸ De Paenitentia, thes. 13, Romae, 1942, p. 176 sq.

(v. 23). . . Quant au péché pour la mort, Jo. ne dit pas de prier pour lui, c'est-à-dire pour celui qui le commet. Il ne défend pas de prier, mais il faut bien remarquer qu'il ne dit pas de le faire. Le cas est tellement grave et désespéré que l'intercession de la communauté est jugée superflue. Le coupable est abandonné à Dieu."²⁹

*S. Thomas vero De Malo, q. 3, a. 15, ad 3,*³⁰ *relata supradicta sententia Augustini, proponit, juxta doctrinam Petri Lombardi (Sent., l. 2, dist. 43), amplioem et aptiorem explicationem, quae facile sub se colligit elementa aliarum expositionum, simulque ad unum reducit quidquid de peccato irremissibili praedicatur etiam in aliis textibus Scripturae, signanter in Epistola ad Hebr. de peccato illuminatorum et apud Synopticos de peccato in Spiritum S. Tribus nempe his appellationibus substernitur unum genericum peccatum,*³¹ *quod est peccatum certae malitiae, consistens in deliberata et contemptuosa voluntate removendi ea quae ducunt ad remissionem. Sed de hac fusius dicetur infra, ubi de peccato in Spiritum S.*

AD SECUNDAM QUAESTIONEM, quo nempe sensu illud peccatum excludatur ab oratione, quattuor allatae sunt responsiones quae colligi possunt sub duplici solutione generali.

Illi qui, ut Augustinus et supradicti haeretici, admittunt absolutam irremissibilitatem "peccati ad mortem", diversimode quidem acceptum quoad eius naturam, praedicant consequenter *absolutam ejus exclusionem* ab oratione.

Ceteri vero statuunt quamdam *relativam exclusionem*. Quam ceteroquin alii aliter explicant. Praecipue vero tripliciter:

Quidam dicunt Apostolum tantummodo significare orationem pro peccantibus ad mortem *difficulter exaudiri*, quasi dicat: "Non prohibeo quidem orare, sed non audeo polliceri, quod facile impetrabitis, ideo non dico ut roget quis, nimirum cum illa certa fiducia impetrandi" (ita *Bellarminus*, De Poenit., l. 2, c. 16, post *Hieronymum*, Adv. Jovinianum, 2), *vel*: Non prohibeo quidem orare, attamen non dico ut roget quis, i.e. "quicumque; quia non quicumque est tanti meriti ut orando ei gratiam impetrari possit; quia sanatio talium est quasi miraculosa; sicut diceretur pro suscitatione mortui, non dico ut oret quis pro eo, id est quicumque, sed aliquis magni meriti apud Deum"

²⁹ Les Epîtres Catholiques, Paris, 1939, p. 219 sq., in nota.

³⁰ S. Doctor nonnisi transeuntes *ibi* et *In 2 Sent., dist. 43*, ad finem, loquitur de peccato ad mortem, nam illud identificat cum peccato in Spiritum S., de quo tum in hac quaestione De Malo, tum in 2 Sent., tum in 2-2, tum in 3 p., specialem quaestionem instituit. Fusius peccatum ad mortem consideratur in *Apocrypho S. Thomae in 1 Joan.*

³¹ S. Doctor tamen, textum Hebr. 6, 4-6 intelligit de impossibilitate iterum suscipiendi Baptismum (ut dictum est in tractatu De Baptismo, art. 8, p. 102; cf. hic, p. 34 sq.), et similiter textum Hebr. 10, 26 de impossibilitate repetendi passionem Christi. Non tamen reicit aliam interpretationem, juxta quam *ibi* agitur de peccato certae malitiae.

(ita S. Thomas, De Malo, q. 3, a. 15, ad 3, post *Ambrosium*, De Poenitentia, 1, 9).

Alii dicunt Joannem significare pro talibus peccatoribus orationem esse *prorsus frustraneam*, in sensu tamen composito cum eorum statu separationis a Christo, qui est proprius advocatus ad Patrem et per quem omnis oratio nostra ad Deum ascendit. Non inde tamen sequitur nos non posse pro illis orare ut suum statum derelinquant, ac ita subinde participes fiant fructuosae orationis quae solvitur pro fidelibus in Christo. Ita *Boyer* (supra cit.), *Galtier* (n. 207 sq.), *D'Alès* (infra cit.), *Chaine* (supra cit.).

Ceterum iidem auctores suam explicationem complent dicendo ea verba significare tantum exclusionem a directa commendatione ipsius Apostoli ad orandum pro illis peccatoribus, vel, si placet, exclusionem a publicis Ecclesiae orationibus, a quibus separabantur excommunicati. Apostolus nempe non prohibet ut privata oratio solvatur pro illis, sed abstinet ab illis commendandis orationi fidelium (“Non pro illo dico ut roget quis”), quemadmodum commendat alios peccatores qui non peccaverunt ad mortem. Paucis: Joannes eodem modo et eodem sensu illos excludit ab oratione, quo ipse Christus eos exclusit, tamquam filios nempe illius mundi, de quo apud eundem Apostolum, 17, 9, asseveranter dixit: “Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi”.

Quae omnia sic apte complectitur *D'ALÈS*: “La parole de l'apôtre ne comporte pas une interdiction universelle de prier pour ce pécheur. Il s'abstient de le recommander aux prières: cette abstention ne vise, au moins directement, que les prières officielles de l'Eglise, auxquelles les excommuniés ne peuvent avoir part; chacun reste libre d'intercéder en son particulier, pour ces grands coupables. Le texte, correctement interprété, admet toutes ces restrictions. . .

“A considérer dans son ensemble la doctrine de l'apôtre saint Jean, — telle qu'elle ressort à la fois de cette épître et du quatrième évangile —, on trouvera qu'elle présente une remarquable unité, en même temps qu'un accord très réel avec la doctrine du blasphème contre le Saint-Esprit, étudiée plus haut près les Synoptiques. En effet, dans cette épître aussi bien que dans l'évangile de saint Jean, il est question à maintes reprises de la filiation divine qui se révèle par la charité, et aussi de la filiation diabolique qui se révèle par l'esprit du monde. Or, qui dit appartenance au monde ou au démon, dit par là même, damnation. On reconnaît les enfants de Dieu à l'amour qu'ils ont pour leurs frères: quiconque n'aime pas, demeure dans la mort. Quiconque hait son frère est homicide, et l'homicide n'a point de part à la vie éternelle. Voilà le monde. En tant qu'il représente ici-bas la synagogue de Satan, le monde appartient à la damnation; et tous les fils du monde, ou de Satan, y appartiennent aussi. Ce n'est pas qu'ils ne puissent renaitre selon Dieu; mais alors ils cesseront d'être fils du monde ou de Satan. Pour le monde comme tel, le Seigneur n'a que des paroles de réprobation; pour le monde, il n'a pas de prière, comme nous le voyons dans l'évangile de saint Jean. S'il en est ainsi du Maître et suprême Intercesseur, comment n'en serait-il pas ainsi des disciples? Ils ne prieront pas pour les fils du monde, comme tels. Ces fils du monde — ou de Satan —, nous les rencontrons, dans le quatrième

évangile, en face du Seigneur, qui met à nu leur caractère satanique, en disant: 'Si Dieu était votre Père, vous m'aimeriez, car je suis sorti de Dieu et me voici. . . Pourquoi ne reconnaissez-vous pas mon langage? Parce que vous ne pouvez entendre ma parole. Vous êtes fils du diable, et vous voulez réaliser les désirs de votre père.'

"Toute cette doctrine est parfaitement liée, ou plutôt identique à elle-même. La filiation diabolique, voilà l'incapacité radicale qui exclut certaines âmes de la lumière et du pardon. Quelques-uns, pour leur malheur, se sont fait de la haine une seconde nature. Encore l'ont-ils voulu. La même foule, qui compte un si grand nombre de fils obstinés du diable, comprend aussi un Nicodème, capable de s'ouvrir à la parole du Seigneur et d'aspirer à une seconde naissance, à une naissance selon Dieu".³²

QUOAD PECCATUM IN SPIRITUM S.,³³ non una est exegetarum et dogmaticorum solutio ad excludendam perversam Montanistarum et Novatianorum conclusionem de peccato irremissibili. Omnes autem solutiones ad tres reducuntur: 1. Peccatum in Spiritum S. est absolute et per se irremissibile, quia consistit in ipsa impenitentia finali (Augustinus). 2. Peccatum in Spiritum S., quod quidem consistit in aliquo determinato peccato hujus vitae, est absolute irremissibile, non tamen per se, quasi non possit remitti, sed de facto, quia nunquam remittitur, ob denegationem nempe auxilii sufficientis ad poenitendum (Jansenius). 3. Hoc determinatum peccatum est irremissibile non absolute, sed relative, i.e. attentata ex parte peccati connaturali eius indole et ex parte peccatoris magna difficultate illud removendi (S. Thomas, et alii communius).

³² L'Edit de Calliste, Paris, 1914, p. 34-36.

³³ S. Thomas, 2-2, q. 14; 3 p., q. 86, a. 1, ad 3; Catena aurea, In Evang. Lucae, c. 12, n. 3; In Rom. 2, lect. 1; In 2 Sent., dist. 43, q. 1; Q. Disp. De Malo, q. 3, a. 14 et 15; Quodlib. 2, q. 8, a. 15.

Petrus Lombardus, Sent., l. 2, dist. 43.

Bellarminus, De Poenitentia, l. 2, c. 16.

Maldonatus, In Matth., 12, 31.

Morinus, Commentarius historicus de Sac. Poenitentiae, l. 9, c. 28.

Calmet, Dissertation sur le péché contre le Saint-Esprit, in Commentaire littéral, Paris, 1726, t. 7, p. 294-298.

Knabenbauer, Comm. in ev. secundum S. Matthaem, v. 1, Parisiis, 1903, p. 501-508 (cf. etiam ejus comm. in Marc. et in Luc.); art. De peccato in Spiritum Sanctum quod non remittatur, in Revue Biblique, t. 1 (1892), p. 151-170.

B. F. Westcott, The Epistles of St. John, third edition, Cambridge and London, 1892, p. 209-214.

M.-J. Lagrange, Evangile selon Saint Matthieu, Paris, 1948, p. 244 sq.; Evangile selon Saint Marc, Paris, 1947, p. 75 sq.

Galtier, De Poenitentia, thes. 12, n. 198 sq.

D'Alès, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 21-38.

T. Castrillo Aguado, art. Spiritus blasphemiae non remittitur, in Estudios Biblicos, v. 1 (1929), p. 60-67.

B. Franklin, in Biblioth. Sacra (1936), p. 214-234.

S. Many, in Dictionnaire de la Bible, art. Blasphème, col. 1809 sq.

A. Lemonnyer, in Supplément au Dictionnaire de la Bible, art. Blasphème contre le Saint-Esprit, col. 981-989.

E. Mangenot, in Dict. Théol. Cath., art. Blasphème contre le Saint-Esprit, col. 910-916

W. F. Adeney, art. Blasphemy, in Dictionary of Christ and the Gospels, t. 1 (1906), p. 209.

J.-C. Lambert, art. Unpardonable sin, ibidem, t. 2 (1909), p. 786 sq.

In explicatione huius textus Synopticorum, qui difficillimus inter omnes Scripturae locos visus est *Augustino*,³⁴ duplex iterum distinguenda est quaestio: *primo nempe, quid sit* proprie et formaliter peccatum contra Spiritum S. de quo agitur in eo loco; *secundo, quo sensu dicatur irremissibile.*

Binae quaestiones sunt inter se intime connexae atque se invicem illustrant, ita ut ex una recte inquiretur in aliam, quod manifestum est ex hoc ipso quod peccatum in Spiritum S. veluti definiatur per ipsam irremissibilitatem, tamquam per eius proprietatem, cum dicatur esse unicum peccatum irremissibile. Juverit, tamen, more modernorum, eas quaestiones sejungere ac separatim resolvere.

AD PRIMAM QUAESTIONEM de natura peccati contra Spiritum S., ut expellantur confusiones non infrequentes apud modernos et recte intelligantur tum verba Patrum tum variae opiniones theologorum et exegetarum, sedulo observa quod hic non quaeritur proprie quodnam fuerit in concreto peccatum Pharisaeorum quod Christus appellavit in Spiritum S. et irremissibile (quae esset quaestio mere exegetica), sed *sub qua ratione illud peccatum dicatur a Christo peccatum contra Spiritum S. ac simul irremissibile;* nec vim facimus in ipsa appellatione "peccatum contra Spiritum S.," nam quidam appellant peccatum in Spiritum S. etiam alia peccata, de quibus praedicatur aliqua irremissibilitas, ut peccatum illuminatorum apud Paulum et peccatum ad mortem apud Joannem, de quibus tamen negant agi in textu Synopticorum, imo quidam, ut Knabenbauer, vocant peccatum in Spiritum S. etiam peccata quae non reputant irremissibilia, ut distinguatur peccatum in Spiritum S. a blasphemia in Spiritum S., quam solam dicunt irremissibilem.³⁵

In hac igitur quaestione *tres sententiae* propositae sunt, quas recitat ipse *S. Thomas* (2-2, q. 14, a. 1; cf. hic, a. 1, ad 3), quarum secunda in plures opiniones dispescitur.

Prima sententia docet peccatum contra Spiritum S. esse non aliquod determinatum peccatum, consummatum in hac vita, sed ipsum peccatum *finalis impenitentiae*, quo nempe quis perseverat in statu peccati usque ad finem vitae et in eo moritur; quod quidem dicitur contra Spiritum S. quia adversatur directe remissioni peccatorum, quae

³⁴ Serm. 71, 5, 8: "Forte in omnibus sanctis Scripturis nulla major quaestio, nulla difficilior invenitur" (M.L. 38, 449). S. Doctor in eo peccato explicando non parum insudavit in variis locis infra referendis, assignans sex species peccati contra Spiritum S. per successivas solutiones, quarum nulla videtur ei plene satisfacisse.

³⁵ *Knabenbauer*, In Matth. 12, 32 (p. 508): "Neque enim cuicumque peccato in Spiritum sanctum commisso venia negatur, verum illi soli de quo in contexta narratione sermo est." Cf. *Mangenot*, l.c., col. 913 et 915.

attribuitur Spiritui S. qui est amor Dei ex quo remissio procedit.

Haec sententia est peculiaris *Augustino* inter Patres (Sermo 71, passim; Epist. 185, 11, 48; Epist. ad Rom. inchoata expositio, 15; Enchir., 83; De sermone in monte, 21, 75). Praecipuus locus de hac re est *Sermo 71, 12, 19 sq.*, ubi ait: "In Spiritu enim Sancto, quo in unum Dei populus congregatur, ejicitur spiritus immundus, qui in se ipsum dividitur. . . Contra hoc donum gratuitum, contra istam Dei gratiam loquitur cor impenitens. Ipsa ergo impenitentia est Spiritus blasphemia, quae non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Contra Spiritum enim sanctum, quo baptizantur quorum peccata omnia dimittuntur, et quem accepit Ecclesia, ut cui dimiserit peccata, dimittantur ei, verbum valde malum et impium nimis, sive cogitatione, sive etiam lingua sua dicit, quem patientia Dei cum ad poenitentiam adducat, ipse secundum duritiam cordis sui et cor impenitens thesaurizat sibi iram in die irae et revelationis justi iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus (*Rom. ii, 4-6*). Haec ergo impenitentia . . . non habet remissionem, neque in hoc saeculo, neque in futuro; quia poenitentia impetrat remissionem in hoc saeculo; quae valeat in futuro" (M.L. 38, 455 sq.).

Paulo inferius, 13, 21, sic doctrinam complet: "Sed ista impenitentia vel cor impenitens quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest justificari. De nullo enim desperandum est quamdiu patientia Dei ad poenitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantum ut revertatur et vivat (*Ezech. xviii, 23*). Paganus est hodie: unde scis, utrum sit futurus crastino Christianus? Judaeus infidelis est hodie: quid si cras credat in Christum? Haereticus est hodie: quid si cras sequatur catholicam veritatem? Schismaticus est hodie: quid si cras amplectatur catholicam pacem? Quid si isti, quos in quocumque genere erroris notas, et tamquam desperatissimos damnas, antequam finiant istam vitam, agant poenitentiam, et inveniant veram vitam in futuro? Proinde, fratres, etiam ad hoc vos admoneat, quod ait Apostolus: '*Nolite ante tempus quidquam judicare*' (I Cor. iv, 5). Haec enim blasphemia Spiritus, cui numquam est ulla remissio (quam non omnem, sed quamdam intelleximus, eamque perseverantem duritiam cordis impenitentis vel diximus vel invenimus, vel etiam quantum existimamus, ostendimus), non potest in quoquam, ut diximus, dum in hac adhuc vita est, deprehendi" (M.L. 38, 456).

Hanc sententiam sequuntur discipulus Augustini *Fulgentius* (De fide ad Petrum, 3, 41; De fide, 39; de remissione peccatorum, 1, 24), et *Anonymus* libri de vera et falsa poenitentia (4, 9, M.L. 40, 1116), et suscipiunt saltem ut probabilem multi doctores tam mediaevales, ut *S. Thomas*, quam recentiores, ut *Salmanticenses, Frassen, Boyer*.

Eam S. Thomas sic refert in 2-2, q. 14, a. 1: "Augustinus autem in lib. De verbis Domini [Serm. 71, 12 sqq.] blasphemiam, vel peccatum in Spiritum sanctum dicit esse finalem impenitentiam, quando scilicet aliquis perseverat in peccato mortali usque ad mortem. Quod quidem non solum verbo oris fit, sed etiam verbo cordis et operis, non uno, sed multis. Hoc autem verbum sic acceptum dicitur esse contra Spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quae fit per Spiritum sanctum, qui est charitas et Patris et Filii. Nec hoc Dominus dicit Judaeis, quasi ipsi peccarent in Spiritum sanctum, nondum erant enim finaliter impenitentes; sed admonuit eos, ne taliter loquentes ad hoc pervenirent quod in Spiritum sanctum peccarent. Et sic intelligendum est quod dicitur Marc. iii, 29, ubi postquam dixerat: '*Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum,*' etc., subjungit Evangelista: '*Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet*'."

Huic sententiae obicitur a Bellarmino, Suaresio, D'Alès, Mangenot, Lemmonyer, aliisque, eam carere fundamento scripturistico seu non convenire contextui Synopticorum. Nam ibi agitur de blasphemia, imo de determinata blasphemia, item de peccato hujus vitae (nam dicitur non remitti neque in hoc saeculo neque in futuro), item de actuali peccato Pharisaeorum; quae omnia non conveniunt peccato finalis impenitentiae.

Ad rem BELLARMINUS: "Haec sententia b. Augustini vera quidem est, quatenus docet finalem impenitentiam esse peccatum aliquod in Spiritum sanctum; tamen non videtur posse defendi, si velit proprie peccatum illud in Spiritum sanctum, de quo Dominus in Evangelio loquitur, esse finalem impenitentiam."

SUARES: "Verumtamen haec expositio, sicut et aliae, non sunt accommodatae contextui."

D'ALÈS: "Beaucoup plus spécieuse est la solution de saint Augustin, qui explique tout par l'impénitence finale. Néanmoins, il ne semble pas que ce Père tienne suffisamment compte des données particulières du problème, tel qu'historiquement il se pose dans l'Évangile" (L'édit de Calliste, p. 26).

MANGENOT: "Reconnaissons franchement que cette interprétation n'a aucun fondement dans l'Évangile."

LEMMONYER: "Il se peut que l'impénitence soit la suite naturelle et providentielle du blasphème contre le Saint-Esprit, mais il est impossible d'y voir ce blasphème lui-même tel qu'il est défini, Matth. xii, 31-32."

In notis novi Commentarii *La Sainte Bible* (Pirot-Clamer), tom. 9, Paris, 1946, p. 161, legitur: "Les choses étant si claires, on s'étonne qu'un génie comme S. Augustin ait hésité toute sa vie sans jamais être satisfait d'aucune explication. Il n'a pas proposé moins de six fautes comme constituant le péché contre le Saint-Esprit, à savoir: l'impénitence finale, le désespoir, l'obstination dans le mal, la guerre volontaire faite à la vérité, la présomption et l'envie à l'égard de ses frères. Ces reprises perpétuelles s'expliquent peut-être par la supposition que le saint docteur parlait de la notion d'irrémissibilité, au lieu d'étudier en elle-même la notion du péché."

Attamen, praefatum praedictum nimis leviter affigitur tanto Doctori, in re quidem de qua ipse tam diligenter inquisivit. Fundamentum scripturisticum est ipsa irremissibilitas illius peccati emphatice a Christo praedicata, quae, si absolute accipiatur, ad unicum Augustini solutionem naturaliter ducit. Nec obstat determinatum peccatum Pharisaeorum, nam illud potuit esse Christo occasio ad assurgendum ad dictum universale, respiciens commune aliquod peccatum, quod materialiter verificabatur etiam in peccato Pharisaeorum. Nec etiam obstat quod agatur de peccato hujus vitae, nam intelligi potest ut continuatum seu nunquam usque ad mortem retractatum; verba autem "neque in hoc saeculo neque in futuro" accipi possunt ut judaica expressio indicans tantummodo emphaticam negationem remissionis, ita ut aequivaleat isti: "Nunquam remittetur" vel "Certissime et absolute non remittetur".

Sententia Augustini non solum est probabilis et fundata, sed, quod majus est, continet essentiam verioris sententiae praelatae a *S. Thoma* (cf. infra, p. 55. 59), qua parte nempe assignat impenitentiam ut rationem irremissibilitatis. Unde *Galtier* non cunctatur asserere: "Solutio [a nobis] proposita ea est quae inde a S. Augustino facta est inter catholicos communior, et qua peccatum in Spiritum Sanctum intelligitur esse impenitentiae finalis seu pertinax denegatio Spiritus Sancti, qua est remissionis peccati principium. . . Differentia tantummodo est quod evangelio, ut videtur, magis ad verbum adhaerentes, dictum Christi intellegimus, non de omni voluntaria impenitentia, sed de ea quae fuit hujus sententiae occasio, nempe de abiectione illius extra quem 'non est aliud nomen sub coelo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri'."³⁶

Imo, adhuc inter modernos, sententiam S. Doctoris praefert ac sequitur *Boyer*, scribens: "Profundior et verior videtur sententia *Augustini*, quae includit secundam interpretationem et tertiam. Unde dicendum est: 1. Occasio huius dicti fuit revera quod pharisaei tribuebant diabolo id quod a Spiritu Sancto procedebat: quod patet tum ex textu *Matthaei*, in quo dictum ad praecedentia connectitur per verbum 'ideo' — διὰ τοῦτο — tum ex textu *Marci*, qui idem dictum ita explicat: 'quoniam dicebant: Spiritum immundum habet'. 2. Quia autem hic erat aliquis casus resistentiae Spiritui Sancto operanti ad conversionem animarum, Christus Dominus ascendit ad legem universalem, qua resistere Spiritui Sancto est propriam conversionem impedire, remissioni peccatorum obicem ponere; ita ut, si haec resistentia non cessat, numquam fieri poterit remissio peccatorum.

³⁶ De Paenitentia, thes. 12, n. 199, Parisiis, 1931, p. 136, in nota.

3. Sensus loci non est quod quaecumque resistentia Spiritui Sancto sine remissione existit, sed sola resistentia usque ad finem. 'De nullo enim desperandum est, quandiu patientia Dei ad poenitentiam adducit': secus enim nulli peccato esset remissio, quia omne peccatum ex resistentia ad gratiam Spiritus Sancti procedit. Dici tamen potest quod quaedam resistentia Spiritui Sancto, quae magis fundamentalis sit in fide accipienda, in miraculis agnoscendis, remittitur difficilius, propter radicaliorem voluntatis pertinaciam, sed tamen devinci potest a gratia Dei. . .

"Sic *S. Thomas* ad tertium et in 2-2, qu. 14, per totam. In hoc quidem loco, in art. 1, Angelicus videri forte potest ab *Augustino* differre, quia exponit interpretationem Augustini ex sermone 71, et deinde aliam quam videtur praeferre. Attamen, in interpretatione augustiniana, quae in magno sermone 71 explicatur, facile includitur opinio quam Aquinas aliis praeferre videtur, quod nempe peccatum contra Spiritum Sanctum illud sit quo 'per contemptum abicitur, et removetur id quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, et timor per praesumptionem, et quaedam alia eiusdem,' *ibid.* in corpore. In art. autem 3, *S. Thomas* iuxta sensum Augustini aperte loquitur, dicens: 'peccatum in Spiritum Sanctum est irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum' (in corpore)."³⁷

Secunda sententia docet peccatum contra Spiritum S. esse aliquod particulare peccatum consummatum in hac vita, atque consistere in directa quadam offensa *contra ipsam Divinitatem*. Haec autem sententia subdividitur in *varias opiniones*, juxta modum quo tale peccatum determinatur.

Prima opinio docet illud esse peculiare peccatum ingratitudeis quod involvitur in *peccato commisso post Baptismum*, adeoque contra Spiritum S. qui peculiari modo connectitur cum dono gratiae in Baptismo suscepto.

Ita *Origenes* (In Matth. 12, citat. ab Athanasio, Epist. ad Serapionem, 4, 10 sq.; item, In Joan. [1, 3], 2, 11, 6), *Theognostus* et *Novatianus*. Fundamentum scripturisticum quod invocatur est Hebr. 6, 4-6; 10, 26. Origenes et Theognostus diversimode explicant modum quo Spiritus S. connectitur cum Baptismo ac ideo quo relapsus post Baptismum est peculiariter ei injuriosus; sed neuter videtur velle extendere suam doctrinam ad omne peccatum commissum post Baptismum aut eam defendere cum ea amplitudine et determinatione,

³⁷ De Paenitentia, thes. 12, Romae, 1942, p. 168 sq., in textu et in nota.

qua eam amplexus est Novatianus ut inde firmaret suam haeresim de peccatis postbaptismalibus irremissibilibus.

S. THOMAS in *Catena aurea*, In Lucae evangelium, c. 12, sic refert utriusque sententiam: "Viri quidam antiqui, studiosus *Origenes* et *Theognostus*, hanc conscribunt esse Spiritus sancti blasphemiam, quando qui digni reputati sunt dono Spiritus sancti per baptismum, regrediuntur ad peccandum: ob hoc enim ajunt illos nec veniam obtinere, prout Paulus dicit Hebr. vi. 'Impossibile est eos qui facti sunt participes Spiritus sancti, et prolapsi sunt, revocari rursus ad poenitentiam.' Addidit autem uterque intentionem propriam. Nam *Origenes* causam hujus sic explicat: Deus quidem Pater omnia percurrit et singula continet; virtus autem Filii ad sola rationalia extenditur; Spiritus vero sanctus solus inest participantibus eum in dono baptismatis. Quando ergo Cathecumeni peccant et Gentiles, peccant in Filium, qui in eis manet; possunt tamen veniam obtinere, cum digni fiunt dono regenerationis; quando vero baptizati delinquent, dicit hoc nefas attingere Spiritum, ad quem cum pervenissent, peccaverunt; et ideo irrevocabilem fore damnationem. *Theognostus* vero ait, quod qui primum et secundum excessit limen, minorem poenam meretur; sed qui tertium quoque pertransit, non amplius accipiet veniam. Primum quidem et secundum limen vocavit doctrinam Patris et Filii; tertium vero, in participatione Spiritus sancti, secundum illud Joann. xvi: 'Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem': non tamquam doctrina Spiritus dogma Filii superet; sed quia Filius descendit imperfectis, Spiritus vero signaculum est eorum qui perficiuntur. Sic igitur, non quia superet Spiritus Filium, experts est veniae blasphemia Spiritus; sed quia imperfectorum quidem est remissio, perfectis nulla restat vero excusatio."

Haec sententia aliquid continet veritatis, scilicet peculiarem ingratitude peccantium post Baptismum et majorem difficultatem in resurgendo a relapsu, praesertim in his qui per malitiam peccant, et maxime in haeticis qui a Christi veritate semel in Baptismo amplexa discedunt. Attamen, prout sonat, non explicat rationem irremissibilis peccati in Spiritum S., caretque tum fundamento scripturistico, nam ex una parte peccatum Pharisaeorum non erat peccatum baptizatorum et ex alia parte gravissimum peccatum Corinthii incestuosi fuit a Paulo absolutum; tum fundamento theologico, nam tres personae divinae prorsus aequaliter se habent in operibus tam creationis quam sanctificationis, ac ideo peccatum contra Spiritum S. est aequaliter, sive ratione sive gravitate, contra Patrem et Filium. Sic eam sententiam refutant ipse Athanasius (l.c.) et S. Thomas.

Secunda opinio docet peccatum in Spiritum S. esse *obstinatam abjectionem divinae virtutis* clare manifestatae.

Et quidem alii videntur loqui de peccato haeresis seu *apostasiae* a Christo (ita *Cyprianus*, Ad Quirinum, 3, 28; *Pseudo-Cyprianus*, De aleatoribus, 10; *Irenaeus*, Adv. haer., 11, 9; *Epiphanius*, Haer., 51, 35; ipse *Gelasius Papa*, cf. Denz. 167, infra cit. in art. 92, p. 285 sq.); alii generaliter de *non adhaesione ad Christum* (ita inter modernos *Gal-*

tier); alii generalius de *obstinata rejectione cujuslibet divinae virtutis* (ita jam *Didache*, 11, 7 sq.,³⁸ et inter modernos *D'Alès*).

Ad rem *GALTIER*: "Peccatum ergo de quo hic agitur peccatum est Pharisaeorum et consistit *materialiter* in ascribendo spiritui immundo opera quae Christus proficitur se facere in virtute Spiritus Sancti: propterea denominatur 'blasphemia in Sp. S.' *Formaliter* vero est in pertinaci voluntate non adhaerendi Christo, quae blasphemia hujusmodi manifestatur."³⁹

D'ALÈS: "Voilà vraiment le péché inexpiable, ou, comme dit saint Marc, le péché éternel: c'est la méconnaissance opiniâtre de la vertu d'en haut; c'est cette aversion de Dieu qui, en fermant à la lumière toutes les avenues de l'âme, la rend incapable de pardon."⁴⁰

Attamen, haec opinio, prout saltem sonat, est nimis restricta. Peccatum Pharisaeorum non fuit haeresis nec apostasia, cum numquam adhaeserint Christo. Quod autem ipsum constiterit in voluntate non adhaerendi Christo et abjectione virtutis divinae, verum est, sed inde non sequitur eorum peccatum dici contra Spiritum S. atque irremissibile, formaliter propter hoc, et non potius propter generaliore et formaliorum malitiam quae convenit etiam aliis peccatis, seu, juxta sententiam S. Thomae infra referendam, propter contemptuosam voluntatem abiciendi media quae ducunt ad remissionem. Ceterum, opinio *Galtier* non repugnat huic S. Thomae sententiae, ut ipse fatetur in verbis supra citatis, ubi de sententia Augustini (p. 45) et generalior expressio *D'Alès* adhuc propinquius ad eam accedit, ut constabit ex aliis ejus verbis infra citandis (p. 60–62).

Tertia opinio docet peccatum in Spiritum S. esse determinatum peccatum *blasphemiae in Deum*, quando scilicet proprie dicitur aliquid blasphemum contra Divinitatem, vel si placet contra Spiritum S., accepto hoc nomine aut essentialiter pro Divinitate aut personaliter pro tertia persona Trinitatis.

Haec sententia tribuitur pluribus Patribus, ut *Athanasio* (Epist. ad Serapionem, 4, 20), *Hilario* (In Matth. [12, 32], 12, 17), *Ambrosio* (De Poenitentia, 2, 4, 24), *Paciano* (Epist. ad Sympronianum, 3, 15), *Pseudo-Augustino* (Quaestiones V. et N. Testamenti, 102), *Hieronymo* (Epist. 42, ad Marcellam, 1), *Chrysostomo* (In Matth., Hom. 41, 2), *Leoni M.* (Serm. 75, 4).

Signantiora sunt verba *Hieronymi*, *Epist. 42, 1* (ad Marcellam): "De toto ipsius Scripturae ordine convincendus est [Novatianus],

³⁸ Loquitur de abjectione prophetiae, seu prophetae loquentis manifeste ex divino impulsu: "Et omnem prophetam loquentem in spiritu ne tentate neque discernite; 'omne' enim 'peccatum remittetur', hoc autem peccatum 'non remittitur'. Non omnis, qui loquitur in spiritu, propheta est, sed si habet mores domini; ex moribus igitur cognoscetur pseudopropheta et propheta" (Funk, 1, 29).

³⁹ De Poenitentia, thes. 12, n. 198, Parisiis, 1931, p. 134.

⁴⁰ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 26.

non his irremissibilem esse dictam blasphemiam, qui tormentis compulsi, et variis eviscerati cruciatibus, Dominum denegassent; sed his qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumnientur et clamitent, daemonis esse virtutem, et omnia signa quae facta sunt, non ad divinam magnificentiam, sed ad diabolum pertinere” (M.L. 22, 477; cf. integrum textum in art. 92, p. 296 sq.).

Item, *In Matth.* (12, 32), l. 2, c. 12: “Quicumque opera Salvatoris Beelzebub principi daemoniorum deputarit; et dixerit Filium Dei habere spiritum immundum, huic nullo tempore blasphemia remittetur. Vel ita locus intelligendus est: Qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea, et me hominem tantum arbitrans, quod filius sim fabri, et fratres habeam, Jacobum, et Joseph, et Judam (Marc. vi, 3); et homo vorator, et vini potator sim (Matth. xi, 19), talis opinio et blasphemia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non possit, eadem stimulatus invidia, calumniatur; et Christum Deique Verbum, et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub: isti non dimittetur neque in praesenti neque in futuro” (M.L. 26, 83 sq.).

Ad rem S. THOMAS: “Antiqui . . . doctores, scilicet Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, et Chrysostomus, dicunt esse peccatum in Spiritum sanctum quando ad litteram aliquid blasphemum dicitur contra Spiritum sanctum; sive *Spiritus sanctus* accipiatur, secundum quod est nomen essenziale conveniens toti Trinitati, cuius quaelibet persona et spiritus est et sanctus est; sive prout est nomen personale unius in Trinitate personae; et secundum hoc distinguitur blasphemia in Spiritum sanctum contra blasphemiam in filium hominis. Christus enim operabatur quaedam humanitus, comedendo, bibendo et alia huiusmodi faciendo; et quaedam divinitus, scilicet daemones ejiciendo, mortuos suscitando, et alia huiusmodi: quae quidem agebat et per virtutem propriae divinitatis, et per operationem Spiritus sancti, quo secundum humanitatem erat repletus. Judaei autem primo quidem dixerant blasphemiam in filium hominis, cum dicebant eum *voracem, potatorem vini, et publicanorum amatorem*, ut habetur Matth. xi. Postmodum autem blasphemaverunt in Spiritum sanctum, dum opera quae ipse operabatur virtute propriae divinitatis, et per operationem Spiritus sancti, attribuebant principi daemoniorum. Et propter hoc dicuntur in Spiritum sanctum blasphemasse” (2-2, q. 14, a. 1).

Attamen, haec sententia est nimis restricta. Et quidem primo, attento fundamento theologico; nam non videtur quae major ratio malitiae et irremissibilitatis inveniatur in blasphemia contra Deum, quam in aliis quibusdam peccatis, uti directo odio Dei, voluntaria et obstinata aversione a Christo, a veritate clare cognita, a mediis remissionis (ex gravitate enim peccati, saltem subjectiva, mensuranda est ratio irremissibilitatis seu difficultatis ad poenitendum). Secundo, attento fundamento scripturistico; nam ex hoc quod blasphemia Pharisaeorum dicitur peccatum contra Spiritum sanctum non sequitur

omne peccatum contra Sp. S. esse blasphemiam, eo vel magis quod videamus in Scriptura vocari irremissibilia, quaedam peccata quae blasphemia non sunt, ut infra ostendetur. Qua ratione etiam ostendi potest Patres qui pro hac sententia citantur, reapse ab ea abstrahere.

Quarta opinio, magis determinans praecedentem, docet peccatum in Spiritum S. esse non quancunque blasphemiam in Deum, sed eam *blasphemiam qua attribuantur diabolo propria opera Dei*, facta ad confirmandam veritatem fidei vel ad convertendos peccatores, qualia erant opera et miracula Christi.

Haec sententia, in suis terminis ac rigore, docetur a paucis theologis et affertur a quibusdam tamquam communis apud modernos exegetas, utpote sola, ut ajunt, fundata in Scriptura. Eam tenent *Bellarminus, Suarez, Jansenius* (cit. a Knabenbauer, mox allegando), *Wirceburses, Knabenbauer, Lemonyer, Mangenet, Simon-Dorado*.

Ad rem *BELLARMINUS*: "Quarta sententia, quam veram esse non dubitamus, [docet] peccatum in Spiritum sanctum proprie nihil esse aliud, quam veritatem cognitam et manifestam, ex malitia improbare, et tamquam daemonicam, et detestabilem calumniari. Dicitur autem peccatum in Spiritum sanctum, non quia non sit etiam contra Patrem et Filium, sed quia Spiritui sancto tribuitur operatio miraculorum, et illustratio animum ad cognoscendam veritatem: ipse enim est qui docet omnem veritatem, Joann. 16. et qui dividit singulis, prout vult, uni gratiam sanitatum, alteri donum linguarum, et operatur omnia in omnibus 1 Corinth. 12. Itaque ille peccat in Spiritum sanctum, qui cognitam veritatem Spiritu sancto illustrante, improbat, et signa et prodigia, virtute Spiritus sancti facta, tribuit Satanae."⁴¹

SUAREZ: "Verumtamen haec expositio [S. Thomae et Scoti], sicut et aliae, non sunt accommodatae contextui; quia si contextus inspiciatur, et occasio, quam Christus habuit ad illam sententiam proferendam, non erat sermo de illis peccatis. Et ideo censeo hoc peccatum proprie esse, quando ex malitia et duritia cordis spiritui malo tribuuntur divina et supernaturalia opera, quae Spiritus sanctus ad confirmandam fidem vel ad convertendos peccatores speciali providentia operatur; nam illud est proprie Spiritui sancto resistere, ut aliis locis Scriptura loquitur. Hunc vero esse sensum illius loci, constat ex occasione qua Christus id dixit, et ex causali quem Marcus adjungit: 'Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet'; et ex Sanctorum expositionibus, Athanas., oratione speciali de hac re, et orat. 2 contra Arianos, circa finem; Basil. in Quaestionibus brevioribus, q. 273; Hier., epist. 149; et optime Chrysostomus, hom. 42 in Matthaum."⁴²

KNABENBAUER: "In quoniam ista blasphemiam consistat, eruitur ex [Matth. 12] v. 24 et insuper clare additur apud Marcum: quoniam dicebant: spiritum immundum habet. Haec itaque blasphemiam in eo continetur, quia ea quae manifesta sunt Dei et quae ut Dei opera certo sciebant, tamen ex malitia daemones attribuebant. Illis igitur, ut scribit S. Hier. (ep. 42 ad Marcellam, M. 22, 477), irremissibilis est blasphemiam dicta, qui cum in virtutibus videant opera Dei calumniantur et clamitent daemones esse virtutem et omnia signa quae facta sunt non ad divinam magnificentiam, sed ad diabolum pertinere; et similiter in comment.: 'qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non

⁴¹ De Poenitentia, l. 2, c. 16, Opera omnia, t. 3, Mediolani, 1859, p. 664.

⁴² De Poenitentia, disp. 8, sect. 2, n. 18, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 136.

possit, eadem stimulatus invidia calumniatur, et Christum Deique verbum et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur neque in praesenti saeculo, neque in futuro'. Etiam *S. Ambrosius* (de poenitentia 2, 4; M. 16, 502) blasphemiam intelligi docet eorum, qui Dominum Jesum in Beelzebub eiicere daemonia loquebantur, 'quibus sic respondit Dominus, quod satanae haereditas in iis esset qui satanae compararent Salvatorem omnium et in regno diaboli constituerent gratiam Christi; et ut cognosceremus quia de hac dixit blasphemia adiunxit: progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Hos ergo qui haec loquuntur negat ad veniam pertinere.'

"Eodem modo blasphemiam ex nexu narrationis explicant *S. Chrys., Athanasius . . . Pacianus . . . Basilius . . . Beda . . . Rab. Pasch. Br. Mald. Lap. Bar. Calm. Lamy, Arn. Bisp. Fil.* aliique. Atque ad rem notat *Jans.*: 'Primo certum est Dominum hic loqui non de quovis peccato quod dici possit singulari aliqua ratione commissum in Spiritum sanctum, sed peccato quod in verbis consistit; blasphemia enim propria est contumelia alicui verbis illata; nec dicit: omnis qui peccaverit in Spiritum Sanctum, sed: qui dixerit verbum, aut ut habet *Marcus*: qui blasphemaverit; quod non intelligendum sit de verbo cordis, sicut *Augustinus* intelligit, patet ex eo quod *Marcus* adiciat: quoniam dicebant: spiritum immundum habet. Deinde ex iisdem *Marci* verbis certum est Dominum notare voluisse pharisaeos quod in Spiritum sanctum peccaverint, non tamen ob impenitentiam aut impugnationem veritatis semel acceptatae, aut desperationem aut praesumptionem, sed quoniam spiritui immundo tribuebant eiectionem daemonum factam virtute Spiritus sancti. Itaque magis amplexanda *Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosii* aliorumque veterum expositio, qui intelligunt blasphemiam in sanctum Spiritum esse eam qua quis malitia aliqua permotus quae manifeste sunt Dei tribuit daemonibus, ut erat eiectio daemoniorum'; similiter *Dion. Bar. Toletus* in cap. 12 *Luc.* annot. 18. Etiam clarius *Suarez* ex contextu et occasione quale peccatum intelligatur proponit . . . (in 3 p. *Thom.* qu. 86 disput. 8 s. 1 n. 18)."⁴³

LEMONYER: "En résumé, le blasphème contre le Saint-Esprit nous apparaît partout comme un péché très déterminé, c'est un blasphème et donc un péché de parole. C'est un blasphème contre Jésus homme, mais par opposition au blasphème contre le Fils de l'homme, contre Jésus investi de pouvoirs manifestement divins. C'est par suite blasphème pleinement conscient et de vraie malice. C'est blasphème enfin sous sa forme la plus radicale puisqu'il rapporte a Beelzeboub ce qui ressortit à Dieu."⁴⁴

MANGENOT: "Cette interprétation, qui ressort nettement du texte évangélique, a été proposée par la plus part des Pères et des commentateurs. . . . Les exégètes modernes n'en proposent pas d'autres."⁴⁵

SIMON-DORADO: "Ob [Augustini] . . . praecipue auctoritatem, disputationes deinde multiplicatae sunt, etsi longe plerique rem acu tetigerint. Exegetae recentiores et coevi omnino sunt concordēs quoad blasphemiae in Spiritum Sanctum definitionem; dogmatici, contra, consuevere sex ex *S. Aug.* tentatas explicationes in totidem species huius peccati convertere, contra Evangelii contextum."⁴⁶

Attamen, haec sententia est nimis restricta, attento imprimis fundamento theologico; nam, quamvis specialis malitia in hoc peccato inveniatur, non minor in aliis peccatis (ut in directo odio Dei et directa aversione a veritate Christi clare cognita) inveniri potest

⁴³ Commentarius in Ev. Matthaei, pars prior, Parisiis. 1903, p. 501 sq.

⁴⁴ In Dictionnaire de la Bible. Supplément, art. Blasphème contre le Saint-Esprit. col. 987.

⁴⁵ In Dict. Théol. Cath., art. Blasphème contre le Saint-Esprit, col. 911 sq.

⁴⁶ Prael. Biblicae, Novum Test. I, n. 407, Taurini-Romae, 1944, p. 578.

malitia quae remissibilitati opponatur. In fundamento autem scripturistico hi doctores indebite confidunt; confundunt enim duas quaestiones: quodnam fuerit in concreto peccatum in Spiritum S. quod commiserunt Pharisei, et sub qua ratione hoc dicatur peccatum in Spiritum S. et irremissibile; ex hoc enim quod Pharisei commiserint eo modo peccatum in Spiritum S., attribuendo scilicet diabolo opera Dei, non sequitur idem formaliter peccatum in Spiritum S. non posse alio modo committi, ita ut consistat formaliter non in ipsa ratione attributionis operum Dei diabolo, sed in alia ratione quae conveniat etiam aliis peccatis, materialiter distinctis; sicut ex hoc quod homicidium dicatur peccatum, non sequitur solum homicidium esse peccatum, aut omne peccatum esse homicidium. Imo, quod res non ita se habeat, seu quod peccatum in Spiritum S. latius pateat, sequitur ex ipso fundamento scripturistico aliorum locorum in quibus agitur de peccatis irremissibilibus (v.g. de peccato illuminatorum et de peccato ad mortem), seu ex communi ratione irremissibilitatis quae tribuitur aliis etiam peccatis quae non consistunt in attribuendo diabolo opera Dei. Sed de his fusius infra.

Tertia sententia docet peccatum contra Spiritum S. esse *determinatum peccatum malitiae*, prout distinguitur a peccato ex infirmitate vel ignorantia, consistens in directa et conscia *voluntate abiciendi media remissionis*, vel si placet in contemptuosa voluntate abiciendi id quod potest peccatum impedire, sicut est spes quae abicitur per desperationem et timor qui abicitur per praesumptionem. Dicitur autem peccatum in Spiritum S., quia est directe contra bonitatem, quae Spiritui S. appropriatur, sicut peccatum ex infirmitate dici potest in Patrem, cui appropriatur potentia, et peccatum ex ignorantia dici potest in Filium, cui appropriatur Sapientia.

Haec sententia fuit, communis apud doctores mediaevales, ut testatur S. Thomas.⁴⁷ Eam tenent nominatim *Richardus a S. Victore* (lib. De spiritu blasphemiae), *Magister Sententiarum* (Sent., l. 2, dist. 43), *Albertus M.* (In 2 Sent., dist. 43, a. 1), ipse S. Thomas tum ut commentator (In 2 Sent., dist. 43, a. 1-4), tum ut magister in Summa, ut patet ex tota q. 14, 2-2 (cf. alios locos supra memoratos), ubi satis clare ostendit se eam praeferre, quamvis ob Patrum venerationem, etiam alias expositiones legitimas ostendit, *Scotus* (In 2 Sent., dist. 43, q. 1). Eandem sequuntur plures posteriores theologi, et ad eam ceteroquin reducuntur supradictae

⁴⁷ *Quodlib.* 2, q. 8, a. 15: "Doctores vero moderni dixerunt . . ." ; *In Rom.* 2, lect. 1: "Magistri vero sequentes [i.e. post Augustinum] dicunt . . ." ; *De Malo*, q. 3, a. 14: "Si autem loquamur secundum dicta magistralia, quae non sunt contemnenda. . ."

opiniones Galtier et D'Alès nisi quod indigeant amplificatione ac determinatione.

S. Thomas, 2-2, q. 14, a. 1, hanc sententiam sic exponit ac determinat: "Alii vero aliter accipiunt, dicentes peccatum vel blasphemiam in Spiritum sanctum esse, quando aliquis peccat contra appropriatum bonum Spiritui sancto; sic enim Spiritui sancto appropriatur bonitas, sicut Patri appropriatur potentia, et Filio sapientia. Unde 'peccatum in Patrem' dicunt esse, quando peccatur ex infirmitate; 'peccatum autem in Filium', quando peccatur ex ignorantia; 'peccatum autem in Spiritum sanctum', quando peccatur ex certa malitia, id est ex ipsa electione mali, ut supra expositum est (1-2, quaest. 78, art. 1 et 3). Quod quidem contingit dupliciter: uno modo ex inclinatione habitus vitiosi, qui malitia dicitur; et sic non est idem peccare ex malitia quod peccare in Spiritum sanctum. Alio modo contingit ex eo quod per contemptum abjicitur et removetur id quod electionem peccati poterat impedire, sicut spes per desperationem, et timor per praesumptionem, et quaedam alia ejusmodi, ut infra dicitur (art. seq. et q. 20 et 31). Haec autem omnia quae peccati electionem impediunt, sunt effectus Spiritus sancti in nobis; et ideo sic ex malitia peccare, est peccare in Spiritum sanctum."

Ibid., a. 2, S. Doctor enumerat et explicat *sex species* peccati in Spiritum sanctum, ex Augustino depromptas, scilicet *desperationem, praesumptionem, impenitentiam, obstinationem, impugnationem veritatis agnitae, invidentiam fraternae gratiae*.

Ad rem ipse: "Secundum quod peccatum in Spiritum sanctum tertio modo accipitur, convenienter praedictae species ei assignantur; quae distinguuntur secundum remotionem vel contemptum eorum per quae potest homo ab electione peccati impediri. Quae quidem sunt vel ex parte divini iudicii, vel ex parte donorum ipsius, vel etiam ex parte ipsius peccati. Avertitur enim homo ab electione peccati, ex consideratione divini iudicii (quod habet justitiam cum misericordia) et per spem, quae consurgit ex consideratione misericordiae remittentis peccata, et praemiantis bona, et haec tollitur per desperationem; et iterum per timorem, qui consurgit ex consideratione divinae justitiae punientis peccata; et hic tollitur per praesumptionem, dum scilicet aliquis praesumit se gloriam posse adipisci sine meritis, vel veniam sine poenitentia.

"Dona autem Dei, quibus retrahimur a peccato sunt duo: quorum unum est agnitio veritatis, contra quod ponitur impugnatio veritatis agnitae; dum scilicet aliquis veritatem fidei agnitam impugnat, ut licentius peccet; aliud est auxilium interioris gratiae, contra quod

ponitur invidentia fraternae gratiae; dum scilicet aliquis non solum invidet personae fratris, sed etiam invidet gratiae Dei crescenti in mundo.

“Ex parte vero peccati duo sunt quae hominem a peccato retrahere possunt: quorum unum est inordinatio et turpitudine actus, cujus consideratio inducere solet in homine poenitentiam de peccato commisso; et contra hoc ponitur impenitentia, non quidem eo modo quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, sicut supra impenitentia accipiebatur (sic enim non esset speciale peccatum, sed quaedam peccati circumstantia), sed accipitur hic impenitentia secundum quod importat propositum non poenitendi. Aliud autem est parvitas et brevitatis boni quod quis in peccato quaerit, secundum illud Rom. 6, 21: ‘Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?’ Cujus consideratio inducere solet hominem ad hoc quod ejus voluntas in peccato non firmetur; et hoc tollitur per ‘obstinationem’, quando scilicet homo firmat suum propositum in hoc quod peccato inhaereat. Et de his duobus dicitur Jerem. 8, 6: ‘Nullus est qui agat poenitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci?’ quantum ad primum; ‘omnes conversi sunt ad cursum, quasi equus impetu vadens ad proelium’, quantum ad secundum.”

Huic sententiae obicitur a patronis ultimae opinionis quod careat fundamento scripturistico et procedat veluti a priori, seu ex praeconceptu explicandi irremissibilitatem procedit ad determinandam ipsam naturam peccati in Spiritum S. Ita *Bellarminus*: “Possumus autem idem de hac dicere quod diximus de sententia b. Augustini, nimirum veram esse, sed non satisfacere nostrae quaestioni. Nam etsi quodlibet peccatum ex malitia, dici potest peccatum in Spiritum sanctum: tamen non quodlibet peccatum ex malitia est illud, de quo Scripturae loquuntur, quod proprie et singulariter dicitur peccatum in Spiritum sanctum, et quod non remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Id quod facile probari potest, quia peccatum in Spiritum sanctum est certa quaedam blasphemia, ut patet ex Matth. 12, Marc. 3 et Lucae 12, peccatum autem ex malitia, neque est speciale peccatum, sed generale, neque semper est blasphemia: dividunt enim auctores hujus sententiae peccatum in Spiritum sanctum in sex species, ex quibus tantum una ad blasphemiam pertinet.”⁴⁸ *Suarez*: “Haec expositio [S. Thomae], sicut et aliae, non sunt accommodatae contextui”. *Mangenot*: “La troisième explication rapportée par saint Thomas est aussi éloignée de la pensée explicitement formulée par Notre-Seigneur.” *Simon-Dorado*: “Locus hic, in se quidem non ob-

⁴⁸ De Poenitentia, l. 1, c. 16, Opera omnia, t. 3, Mediolani, 1859, p. 663 sq.

scurus, difficillimus saepe habitus est, pluribusque disputationibus ansam praebuit quia non raro ex altera effati parte (non remittetur) priorem (peccati naturam) illustrare tentabant.”

De fundamento scripturistico mox dicitur. Legitimitas autem illustrandi naturam illius peccati ex ratione irremissibilitatis inepte impugnatur; nam utrumque in textu evangelico asseritur, peccatum nempe et eius irremissibilitas, imo dicitur hanc esse propriam illius, unde legitime ex uno aliud explicatur et ex proprietate fit transitus ad naturam.

Haec igitur sententia nobis probabilior videtur sicut visa est S. Thomae, idque ob duplex fundamentum, theologicum nempe et scripturisticum.

Fundamentum theologicum est in ipsa ratione irremissibilitatis quae praedicatur de illo peccato; haec enim provenire debet ex aliqua speciali malitia quae directe et quasi ab intrinseco opponatur remissioni, quae quidem nequit esse nisi *directa et conscia voluntas removendi ea quae ducunt ad remissionem*, seu directus contemptus eorum per quae potest homo a peccato impedi; breviter: est quaedam magis directa et aequivalens voluntas impenitendi; sola enim talis voluntas directe et velut ab intrinseco opponitur remissioni cum opponatur mediis poenitentiae, quae est unica via ad remissionem. Hoc modo pervenitur ad essentialem conceptum, qui clauditur in ipsa sententia Augustini: “Impenitentia est Spiritus blasphemia”⁴⁰ (dempta determinatione finalis impenitentiae), atque iterum S. Thomas continuat ac perficit sententiam Hypponensis. Diximus peccatum in Spiritum S. esse quamdam aequivalentem voluntatem impenitendi, contenta in formali et contempuosa voluntate removendi ea quae ducunt ad remissionem, nam ipsa voluntas non poenitendi, qua talis, seu ipsum distinctum peccatum impenitentiae, non est nisi unum ex sex speciebus peccati in Spiritum S., quas ex Augustino enumerat et explicat S. Thomas in cit. a. 2.

Peccatum autem Pharisaeorum quod Christus impropere, pertinet praecipue ad quartam speciem; fuit nempe impugnatio veritatis agnitae, seu pertinax voluntas non adhaerendi Christo agnito ut operante per virtutem Dei, seu caeca rejectio lucis cum aggravante malitia blasphemiae in Deum per attributionem operum divinatorum diabolo, et perverso conatu vertendi lucem in tenebras.

Fundamentum scripturisticum pro hac sententia est duplex. Primum

⁴⁰ Serm. 71, c. 12. Ibidem, c. 21, n. 34, ait: “Illa scilicet blasphemia cordis impenitentis, qua resistitur remissioni peccatorum, quae fit in Ecclesia per Spiritum Sanctum” (M.L. 38, 464).

est *negativum*, scilicet nihil in contrarium deduci posse ex narratione synoptica de peccato Pharisaeorum; nam ultro concedimus illud in concreto constitisse in attribuendo daemoniis divina opera Christi, sed, ut diximus supra, quaestio est utrum praecise et formaliter ratione illius blasphemiae attributionis dicatur a Christo peccatum contra Spiritum S. seu irremissibile, an ratione alterius malitiae in ea blasphemia de facto et materialiter contentae. Secundum ac *positivum* fundamentum est parallelismus cum aliis locis Scripturae qui loquuntur de peccato irremissibili, et in quibus non agitur de blasphemia attributione operum divinorum diabolo, sed de aliis peccatis. Nam juxta Synopticos peccatum in Spiritum S. est unicum peccatum irremissibile (Matth. 12, 31: "Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remittetur"); ergo omne peccatum quod dicitur irremissibile est peccatum in Spiritum S.;⁵⁰ jamvero plura peccata, quae in Scriptura dicuntur irremissibilia non sunt blasphemia attributio operum divinorum diabolo; ergo peccatum in Spiritum S. seu irremissibile non consistit formaliter in hac attributione, sed in quadam malitia, in ea attributione contenta, quae est communis aliis peccatis, quaeque convenienter reponi non potest nisi in contemptuosa voluntate removendi ea quae ducunt ad remissionem peccati.

Praedicta peccata sunt saltem *peccatum illuminatorum*, de quo in Hebr. 6, 4-6; 10, 26, et *peccatum ad mortem*, de quo in Joan. 5, 16. Addi possunt:

Act. 7, 51 sq.: "Dura cervice, et incircumcisi cordibus et auribus, vos semper *Spiritui sancto resistitis*; sicut patres vestri, ita et vos.

⁵⁰ Ipse *Bellarminus* ait: "[In] quatuor locis Scripturae [i.e. Matth. 12, 31 et loc. par.: Hebr. 6, 4-6; 10, 26; 1 Joan. 5, 16] . . . peccatum in Spiritum sanctum dicitur esse irremissibile. . . Qua ratione hoc peccatum dicitur irremissibile, dubium est propter quatuor loca Scripturae" (op. cit., p. 633 sq.).

J. Chaine scribit: "Le péché pour la mort est le péché d'apostasie. . . Le cas envisagé [par Saint Jean, 1 Ep. 5, 16] rappelle le péché contre l'Esprit dans Mc. iii, 29; Mt. xii, 31; Lc. xii, 10, le péché irrémisissible dans Hébr. vi, 4-8 (cf. x, 26-31), ou le péché de ceux dont on a simplement pitié dans Jude (v. 23). Dans Jude, cependant, la pitié s'accompagne peut-être de la prière" (Les épîtres catholiques, Paris, 1939, p. 220).

Lemonnyer recte scribit: "Quant [au langage] . . . des évangiles [sur le péché contre le Saint-Esprit], il devrait lui aussi être étudié avec plus d'ampleur et leur pensée rapprochée de celle que nous trouvons exprimée ailleurs en termes analogues, par exemple, Hébr. vi, 4 sq.; x, 26 sq." (In Dict. Théol. Cath., art. Blasphème contre le Saint-Esprit, col. 988).

D'Alès ait: "Doctrine du blasphème contre le Saint-Esprit selon les évangiles synoptiques, doctrine du renouvellement impossible selon l'épître aux Hébreux, doctrine du péché jusqu'à la mort, selon la première épître de saint Jean, ne se confondent pas, mais se rejoignent en un point: toutes trois établissent une relation essentielle entre la damnation effective du pécheur et son opiniâtreté à se détourner de Dieu" (L'Edit de Calliste, Paris, 1914, p. 37).

Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos qui praenuntiaverunt de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidae fuistis". Hic agitur de peccato obstinationis et impugnationis cognitae veritatis.

Matth. 23, 31-33, ubi eisdem fere verbis Christus insectatur peccatum Pharisaeorum, quos appellat "caecos" et "duces caecos" (v. 16. 19. 24) seu peccantes contra veritatem et lucem vertentes in tenebras, claudentes sibimetipsis et aliis regnum caelorum (v. 13): "Itaque testimonium estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, *quomodo fugietis a iudicio gehennae?*"

Ephes. 4, 30 sq.: "*Nolite contristare Spiritum sanctum Dei*, in quo signati estis in diem redemptionis. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia." Quamvis hic non agatur de ipso peccato in Spiritum S., tamen hoc videtur supponi tamquam ultimus terminus illius contristationis Spiritus, quae continetur in omni peccato. Haec enim succrescens in contemptuosam malitiam, insitam quibusdam peccatis, producit extinctionem Spiritus, de qua loquitur Apostolus 1 Thess. 5, 19: "*Spiritum nolite extinguere*" et in qua consistit peccatum ad mortem et peccatum in Spiritum S.

Epist. Judae, 18 sq.: "In novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, *Spiritum non habentes*" (cf. v. 8. 10. 15. 16). V. 11: "Vae illis, quia in via Cain abierunt et errore Balaam mercede effusi sunt et in contradictione Core perierunt." Hic vide duplex peccatum in Spiritum S., scilicet haeresim, seu "impugnationem veritatis agnitae" (S. Thomas, a. 2), et "invidentiam fraternae gratiae, dum scilicet aliquis non solum invidet personae fratris, sed etiam invidet gratiae Dei crescenti in mundo" (ibid.).

Matth. 26, 24: "Vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille." En peccatum desperationis de cuius remissione desperatur.

Act. 8, 19-23: "Petrus autem dixit ad eum [Simonem magum]: 'Pecunia tua tecum sit *in perditionem*, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri! Non est tibi pars neque sors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua; et roga Deum, *si forte remittatur* tibi haec cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis, video te esse.'" Videtur hic S. Petrus magnam difficultatem remissibilitatis peccati Simonis asserere ("Si forte remittatur tibi"),

³¹ Cf. J. Chaine, Les épîtres catoliques, Paris, 1939, p. 220, 313, 332.

ob suspicionem cujusdam peccati in Spiritum S., quia nempe supernaturale donum Spiritus S. ille quodammodo vertebat in naturale opus, illud subjugans pecuniae.

Act. 13, 38–41. 45–46: “Vobis remissio peccatorum annuntiatur. . . Videte ergo ne superveniat vobis quod dictum est in prophetis: videte contemptores, et admiramini et disperdimini; quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. . . . Videntes autem turbas Judaei, repleti sunt zelo et contradicebant his quae a Paulo dicebantur blasphemantes. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed, quoniam repellitis illud et indignos vos judicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes.”

Joan. 1, 9–11: “Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. . . In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus”. Hic exhibetur peccatum in Spiritum S., seu rejectio apertae lucis, seu abjectio Christi, quod committit id quod Christus appellat “mundum” (i.e. spiritum carnis et malitiae, adversantem principiis revelationis et gratiae) de quo Ipse dicit: “Non pro mundo rogo” (17, 9), sicut in 1 Joan. 5, 16 dicitur: “Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.”

Confirmatur. In hac sententia convenienter intelligitur supradicta varietas explicationum de peccato in Spiritum S. apud Patres, quare nempe indiscriminatim proponant peccatum in Deum, haeresim, haeresim contra Spiritum S.,⁵² abjectionem Christi, abjectionem prophetarum, abusus gratiae seu praesumptionem veniae,⁵³ impenitentiam, blasphemiam, attributionem daemonio divinatorum operum; haec enim omnia conveniunt in unam peculiarem malitiam contemptuosae voluntatis removendi ea quae ducunt ad remissionem. Nec obstat explicita doctrina plurium Patrum, interpretans illud peccatum de proprie dicta blasphemia attributionis divinatorum operum diabolo; nam hi doctores videntur considerare materialem quaestionem, in quo nempe consistat proprium peccatum in Spiritum S. quod commiserunt Pharisei, potiusquam formalem quaestionem sub qua ratione illud peccatum fuit contra Spiritum S. atque irremissibile, vel, si placet, considerant formalem rationem *quia* (peccatum nempe Phariseorum fuisse peccatum in Spiritum S. atque irremissibile, quia fuit attributio operum divinatorum diabolo), non vero rationem formalem *propter quid* (seu propriam et immediatam), sicut si quis diceret: homo est corruptibilis,

⁵² Leo Magnus, Sermo 25, 4.

⁵³ In Constitutionibus Apostolicis, 2, 23, 1 sq.

quia est animal, non assignaret proximam rationem, sicut dicendo: Homo est corruptibilis quia habet substantiam compositam. Hanc formalem rationem quaesivit posterius Augustinus, suo acumine theologico intuens illam, sternensque viam S. Thomae qui eam determinate designavit.

Similiter inepte quidam appellant consensum modernorum exegetarum, iterum non attendentes ad duas supradictas quaestiones; nam quidam eruditi non distinguunt inter utramque, sed mere exegetice probant peccatum Pharisaeorum, de quo apud Synopticos, esse praedictam blasphemiam; alii ut *Knabenbauer*, *Mangenot*, *Lemonnyer* et *Simon-Dorado*, videntur eas confundere; inter illos vero qui distinguunt, plures mox citandi, omnino favent sententiae S. Thomae, cum docent peccatum in Spiritum S. formaliter reduci ad obstinatam quamdam abjectionem Christi, seu aversionem a verbis et mediis salutis per Christum manifeste traditis. Ad hanc etiam reducitur doctrina quorundam modernorum cultorum theologiae positivae, ut *Galtier* et *D'Alès*, quibus non deest spiritus criticus et exegeticus. Et similiter sentiunt plures theologi, ut *Billot*, *De Augustini*, *Bellacasa*, qui etsi dicant peccatum in Spiritum S. esse attributionem divinorum operum diabolo, rationem tamen illius irremissibilitatis assignant cum S. Thoma abjectionem mediorum salutis, atque ad idem peccatum reducunt peccatum ad mortem et peccatum illuminatorum.

LAGRANGE duas praedictas quaestiones clare distinguit.

In *Evangile selon Saint Matthieu* (Parisiis, 1948, p. 245) scribit: "Sur le blasphème contre l'Esprit, en tant que distinct des autres, cf. Comm. Mc. Sur le texte de Mt., Jérôme paraît bien avoir saisi le joint, surtout par quelques traits: 'Qui verbum dixerit contra Filium hominis, scandalizatus carne mea . . . quod filius sim fabri, et fratres habeam, Jacobum, Joseph et Judam; et homo vorator et vini potator sim, talis opinio atque blasphemia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habeat veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum de virtute negare non possit, eadem stimulatus invidia, calumniatur . . . et opera Spiritus sancti dicit esse Beelzeub: isti non dimittentur.' — Une pareille distinction n'était pas en somme au-dessus de l'intelligence des Phariséens. Ils avaient jugé Jésus fort inférieur à leur idéal temporel des Maîtres. Soit! Mais quand il agissait en vertu de l'Esprit de Dieu, pour chasser des esprits mauvais et ennemis de l'homme et de sa dignité, il ne fallait pas en faire un complice de Satan. *Tel est le péché.*"

In *Evangile selon Saint Marc* (Paris, 1947, p. 75), accedens ad alteram ac formalem quaestionem scribit: "La question du péché contre le S.-Esprit est célèbre; sa difficulté est augmentée parce qu'on cherche une solution qui s'applique adéquatement au texte assez différent de Mc. d'un côté, de Lc. et de Mt. de l'autre, alors qu'il suffit ici de donner une explication du texte de Mc. qui ne soit pas en contradiction avec les autres synoptiques."

Dein refert sententiam de attributione divinorum operum diabolo, ut opinionem ipsius *Knabenbauer*, quin eam laudet nec approbet: "Les opinions des Pères ont été résumées par Knab. dans ses commentaires et dans RB. 1892, p. 161-170.

Lui-même pense que le péché contre le S.-Esprit consiste à attribuer à l'esprit du mal les oeuvres surnaturelles de l'Esprit-Saint". Dein citat varias alias explanationes modernorum, i.e. *Schanz, Wellhausen et Holzmann*, scribens: "Schanz voit dans ce péché le blasphème de la divine majesté reconnue comme telle, et c'est à peu près ce que développe Wellh.: le blasphème peut être pardonné quand Dieu agit dans le mystère, comme c'est le cas pour Job, mais non quand on s'en prend à l'Esprit qui est la force-hypostase par laquelle Dieu se manifeste dans le monde. Holz. insiste sur ce que les scribes ne se contentent pas de résister opiniâtrément à l'action divine; ils cherchent à entraîner les autres à blasphémer le pouvoir qui est en Jésus. Swete: ce péché appartenant à l'ordre éternel, le Fils de l'homme ne le remet pas; il ne regarde pas sa mission dans ce monde." Tandem suum sensum hoc modo exprimit, omnino congruenter cum nostra sententia: "Jésus distingue deux sortes de péchés ou même de blasphèmes. La première est déjà une atteinte à la majesté de Dieu. Mais les blasphèmes ordinaires sont le fruit de la colère: on maudit Dieu parce qu'on le croit hostile, parce qu'il punit ou maltraite. Cette faute, si énorme qu'elle soit, a son excuse partielle dans l'ignorance de l'homme et dans l'incompréhensibilité des voies de Dieu (*Welh.*). Ici l'oeuvre est évidemment salutaire, il s'agit d'une acte de bonté; les démons sont expulsés, ce qui correspond le plus souvent à une guérison. Non seulement les scribes blasphément, mais encore ils veulent entraîner les autres dans leur blasphème (*Holz.*). et, ne pouvant méconnaître une action surnaturelle, ils l'attribuent à l'esprit impur, plutôt qu'à l'Esprit de Dieu. Ils s'attaquent à ce qui peut les sauver, ils se mettent en contradiction directe avec la bonté et la grâce, et c'est ce qu'insinue S. Thomas: 'dicitur irremissibile (peccatum) secundum suam naturam, inquantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum' (II-II, q. xiv, a. 3). . . Mc. en distinguant deux sortes de blasphème montre . . . l'énormité du crime des scribes, et cette distinction s'applique parfaitement à la situation donnée. *L'endurcissement et la malice en présence de la bonté.*"

J. CHAINE (supra cit., p. 38), loquens de "peccato ad mortem", quod dicit esse apostasiam, illud connectit cum peccato contra Spiritum S.

W. C. ALLEN (protestans) scribit: "In Mt. the meaning seems to be: 'You have taken sides against Me in the war against Satan. In so doing you have committed an unpardonable sin, because in charging Me with being an agent of Satan you have hardened yourselves against a revelation of God's Spirit working in Me'."⁵⁴

GALTIER citavimus supra (in p. 48).

D'ALÈS, relatis variis Patrum explanationibus de peccato in Spiritum S., scribit: "Dans la plupart de ces solutions, l'analyse découvrirait des éléments de vérité. Mais si nous voulons attribuer à la parole du Seigneur sa valeur exacte, il paraît nécessaire de s'attacher au contexte évangélique et de relever ce caractère de méconnaissance des oeuvres divines, spécialement visé par l'anathème du Seigneur. . . L'Évangile nous montre le Seigneur en face des Phariséens, accusé par eux de chasser les démons en Bézélzébub, et répondant à cette calomnie par la condamnation du blasphème contre le Saint-Esprit. D'où ressort clairement qu'il met un lien essentiel entre le péché particulier de ces hommes et le blasphème contre le Saint-Esprit. Pour affirmer ce lien, il n'est pas nécessaire de donner un démenti absolu aux autres exégèses [par exemple d'Origène et de saint Augustin], mais il faut bien reconnaître qu'elles manquent ou de précision ou de plénitude. . . Une solution adéquate doit s'inspirer de toutes les circonstances qui caractérisent l'endurcissement de ces hommes, mis par une disposition bienveillante de la

⁵⁴ A Critical and Exegetical Commentary on the Gospel according to S. Matthew, New York, 1907, p. 136.

Providence en présence de la vérité et persistant à tourner à mal ses manifestations les plus éclatantes, aussi bien que les plus salutaires.

«Voilà vraiment le péché inexpiable, ou, comme dit saint Marc, le péché éternel: c'est la *méconnaissance opiniâtre de la vertu d'en haut*; c'est cette aversion de Dieu qui, en fermant à la lumière toutes les avenues de l'âme, la rend incapable de pardon. . . Cette méconnaissance de la divinité est essentiellement un péché contre la lumière, et c'est un péché contre Dieu. Tant qu'il dure, il est clair qu'un tel péché oppose un obstacle insurmontable à l'action divine. . . Une opposition directe à Celui qui dispense souverainement le pardon, enchaîne sa miséricorde. Voilà précisément le sens de l'anathème contre le blasphémateur du Saint-Esprit; il renferme avant tout une constatation historique: cet homme-là ne sera pas sauvé qui, en dépit de Dieu, *persiste à tout faire pour n'être pas sauvé*. . . Irrémisissable en droit [ce péché], *parce qu'il va à l'encontre du dessein salvifique de Dieu*; irrémisissable en fait, pour quiconque s'y opiniâtre.

«*Dans l'épître aux Hébreux*, on a souvent cru rencontrer la doctrine des péchés irrémisissables, énoncée en termes beaucoup plus généraux, dans les passages suivants [Hebr., vi, 4-8; x, 26-27; xii, 16-17]. . . Quel est . . . le dessein poursuivi par l'Ecrivain sacré? . . . L'épître s'adresse à des chrétiens issus du judaïsme, mais exposés à faire trop peu de cas de leur baptême, et qu'il fallait affermir contre les retours offensifs de l'esprit juif. . . Le baptême qui les a faits chrétiens est un moment unique dans leur vie; qu'ils n'en profanent pas le don, mais s'attachent, coûte que coûte, à l'ignominie de la croix. . . Il importe de ne pas perdre de vue ce but très particulier, sous peine de détourner complètement de leur sens les anathèmes proférés contre l'apostasie, mais *l'apostasie persistante et irréductible*. . .

«*La première épître de saint Jean* soulève des questions assez semblables à celles soulevées par l'épître aux Hébreux. On lit à la dernière page [le texte sur le péché qui va à la mort]. . . A considérer dans son ensemble la doctrine de l'apôtre saint Jean, — telle qu'elle ressort à la fois de cette épître et du quatrième évangile —, on trouvera qu' *elle présente une remarquable unité, en même temps qu'un accord très réel avec la doctrine du blasphème contre le Saint-Esprit*, étudiée plus haut chez les Synoptiques. En effet, dans cette épître aussi bien que dans l'évangile de saint Jean, il est question à maintes reprises de la filiation divine qui se révèle par la charité, et aussi de la filiation diabolique qui se révèle par l'esprit du monde. . . La filiation diabolique, voilà l'incapacité radicale qui exclut certaines âmes de la lumière et du pardon. Quelques-uns, pour leur malheur, se sont fait de la haine une seconde nature. Encore l'ont-ils voulu, La même foule, qui compte un si grand nombre de fils obstinés du diable, comprend aussi un Nicodème, capable de s'ouvrir à la parole du Seigneur et d'aspirer à une seconde naissance, à une naissance selon Dieu. . . La première épître joannique reprend cette doctrine [du quatrième évangile], en donnant un relief particulier à l'incapacité du pécheur qui s'endurcit dans le péché jusqu' à la mort. Nous retrouvons, sous des mots nouveaux, une thèse connue: celle qui établit un lien fatal entre le *mépris obstiné du don divin* et la réprobation éternelle de Dieu. Seulement — et c'est ici le trait le plus original de saint Jean —, le mot qui pour lui résume tout, le vrai caractère de la réprobation, c'est la haine. . .

«Et maintenant, ne pouvons-nous pas essayer de ressaisir *l'unité des enseignements du Nouveau Testament sur les péchés les plus graves et les plus difficilement rémissibles*? Oui, sans doute, nous le pouvons, et peut-être le lecteur a-t-il déjà réalisé cette synthèse dans son esprit. Doctrine du *blasphème contre le Saint-Esprit* selon les évangiles synoptiques, doctrine du *renouvellement impossible* selon l'épître aux Hébreux, doctrine du *péché jusqu' à la mort*, selon la première épître de saint Jean, ne se confondent pas, mais *se rejoignent en un point: toutes trois établissent une relation essentielle entre la damnation effective du pécheur et*

son opiniâtreté à se détourner de Dieu. Ce raccord, entre les enseignements les plus redoutables de l'Écriture, manifeste l'impuissance des concepts humains à épouser la réalité divine. Il semble qu'un même bloc d'inexorable justice ait été abordé, de divers biais, par des pensées plus ou moins profondes, plus ou moins compréhensives, qui le morcellent à notre usage. *Ce pécheur-là est perdu sans retour qui s'obstine à méconnaître Dieu dans les œuvres de sa puissance* (Notre Seigneur chez les Synoptiques) — *ou qui renouvelle persévéramment la passion du Christ en profanant le don divin* (ép. aux Hébreux) — *ou qui demeure volontairement dans la mort, c'est-à-dire dans la haine* (saint Jean). Ces divers enseignements se complètent et s'éclairent l'un l'autre. Autour d'eux, la tradition patristique multipliera les commentaires, mêlant parfois les points de vue et rendant plus sensible l'unité foncière de la doctrine. *Saint Augustin* résume vraiment cette tradition, quand il dit:⁵⁵ 'Si le cœur impénitent ne s'endurcit pas jusqu'à blasphémer le don divin, tous les autres péchés pourront lui être remis.'⁵⁶

AD SECUNDAM AUTEM QUAESTIONEM de sensu irremissibilitatis peccati contra Spiritum S., unanimes est negativa solutio catholicorum contra Montanistas et Novatianos, illud nempe peccatum, aut quodlibet aliud, si intelligatur de peccato hujus vitae, non esse absolute irremissibile quoad culpam. In positiva autem solutione, et in directa interpretatione loci Synopticorum, communis responsio est ipsa quam assignat *S. Thomas*, scilicet quod, si accipiatur illud peccatum pro determinato aliquo peccato hujus vitae et non, ut in sententia *S. Augustini*, pro impenitentia finali, ejus irremissibilitas sumenda est non in sensu absoluto, sed relativo, i.e. pro magna difficultate vel etiam pro raritate conversionis, fundata in ipsa natura illius peccati, quod, quantum est de se, removet media conversionis et praecludit viam remissionis. Ceterum *variae sunt expositiones*, tam haereticorum quam catholicorum, juxta sensum magis vel minus proprium et absolutum qui tribuitur voci "irremissibilitas".

Prima sententia, quam tenet unus vel alter inter exegetas Protestantes, accipiens illam vocem in sensu omnino improprio ac metaphórico, negat ipsum suppositum quaestionis de irremissibilitate illius peccati. In verbis nempe Christi non agitur de remissibilitate aut irremissibilitate, sed expressio "non remittetur neque in hoc saeculo neque in futuro" ponitur tantum ad significandam gravitatem peccati (abstrahendo a proprio sensu vocis remissionis), juxta judaica phraséologiam (cf. Num. 15, 30 sq.; 1 Reg. 3, 14; Is. 22, 14), ab ipso Christo hic adhibitam, juxta quam "peccatum irremissibile" est quaedam emphatica expressio pro peccato valde gravi.

Ita *A. H. MC NEILE*, scribens: "The words [of the Gospel concerning the blasphemy against the Holy Spirit] have occasioned many heart-burnings, mostly to sensitive consciences far removed from the sin of blasphemy. This is due to

⁵⁵ "Saint Augustin, Sermon LXXI, 12, 14-20, 24, PL. XXXVIII, 455-458. Nous traduisons par une formule générale une pensée qui se représente souvent dans ces pages."

⁵⁶ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 25-38.

the difficulty felt by the Western mind in grasping the meaning of the Jewish phraseology. The unpardonable sin is usually explained as the expression of a hardened state of mind which deliberately denounces as evil that which the sinner knows to be good; he says, with his eyes open, 'Evil be thou my good'; 'fingit enim falsum esse quod scit esse verum' (Pseud.-Aug.). And this hardened state is, by its very nature, permanent, and excludes the possibility of repentance. Such a thought possibly underlies 1 Jo. v. 16; but is it possible to read so profound and hopeless a depth of evil into the word 'blaspheme,' not to mention 'speak a word against'?

"In Jewish phraseology serious sin was often spoken of as unpardonable. See Num. xv. 30 f., He that sinneth deliberately blasphemeth (אָרָבֵי) Yahweh, and shall be cut off from his people 'with his iniquity upon him,' *i.e.* unforgiven. 1 Sam. iii. 14, 'The iniquity of Eli's house shall not be atoned for by sacrifice or offering for ever.' Is. xxii. 14, 'This your iniquity shall not be atoned for till ye die' (*i.e.* never). Rabbinic parallels 'there is no forgiveness for him,' 'there is no forgiveness for him for ever' are given by Dalman, *Words*, 147. And cf. Philo *De Profugis* on Ex. xxi. 17 (Mangey i. 558): '[The lawgiver] well-nigh shouts and cries aloud that no forgiveness is to be given to those who blaspheme the Divine Being. For if those who have spoken evil of mortal parents are carried away on the road to death, of what punishment ought they to be deemed worthy who continue to blaspheme the Father and Maker of all? And what evil-speaking could be more shameful than to say, not concerning us but concerning God, that He is the source of evil? If the Lord spoke as a Jew to Jews, and used a type of expression current in His day, and derived from the O. T., He meant, and would be understood to mean, no more than that blasphemy against the Holy Spirit, by whose power He worked, was a terrible sin,—more terrible than blasphemy against man.'"⁵⁷

- Attamen, singularis haec opinio adversatur sensui omnium Patrum tam occidentalium quam orientalium, sumentium vocem remissionis ad litteram, etsi plures, ut Hieronymus, bene noscerent judaicam phraseologiam. Ceterum ipse parallelismus cum aliis locis Scripturae, ubi de peccato ad mortem et de peccato illuminatorum, satis clare eam interpretationem excludit; Apostolus enim, Hebr. 6, 4–6 et 10, 26, assignat etiam rationem irremissibilitatis quorundam peccatorum, scilicet abusum gratiae et voluntariam abjectionem cognitae veritatis.

Secunda sententia est haeretica explicatio *Novatiani* et quorundam tam Novatianorum quam Montanistarum, qui accipiunt vocem irremissibilitatis in sensu absoluto, ut inde confirment suam doctrinam de absoluta irremissibilitate quorundam peccatorum, nominatim postbaptismalium.

Tertia sententia est *S. Augustini*, qui accipit illam vocem in eodem sensu absoluto sed interpretatur peccatum in Spiritum S. de peccato finalis impenitentiae, quod est juxta omnes absolute irremissibile, ratione status termini in quo peccator constituitur.

Quarta sententia est *Richardi a S. Victore*, qui accipit eam vocem

⁵⁷ The Gospel According To St. Matthew, London, 1915, p. 179.

eodem modo absoluto, sed divertit illius sensum a remissione ipsius culpa ad solam remissionem poenae, ita ut dicat illud peccatum intelligi absolute irremissibile non quoad culpam sed *quoad poenam*, eo quod saltem poena temporalis ei debita nunquam remittetur etiam in futuro saeculo, ubi tota expianda erit.

Ad rem ipse *RICHARDUS A S. VICTORE*: "Peccatum diaboli inexpiabile est, quod nullo remedio expurgari potest; illud autem hominis peccatum non incongrue irremissibile dici poterit, cui nulla poenae relaxatio sit, quae in peccatis actualiter similibus fieri contingit. Ecce unam eandemque blasphemiam unus facit ex coactione, alius ex aliqua deceptione, tertius ex sola malignitate. Ecce in tribus culpa, quantum ad actionem, per omnia similis. In duobus autem accipit aliquid remissionis, quoniam habet aliquid excusationis. In tertio nullam accipit ejusmodi remissionem, quoniam nullam habebit excusationem. Primus, ex his peccat in Patrem, secundus in Filium, tertius (ille cui non remittitur) peccat in Spiritum sanctum, hoc est quod Dominus dicit secundum evangelistam Marcum: 'Qui blasphemaverit', inquit, 'In Spiritum sanctum non habet remissionem in aeternum' (Marc. iii). Quod dicitur remissio dari vel non dari secundum mutuum respectum accipientium, vel non accipientium, pro eodem opere debet intelligi. Nam de districtissima pro eadem blasphemia aliquid remittitur blasphemantibus in Patrem et Filium, nihil vero blasphemantibus in Spiritum sanctum. Bene ergo dicitur de eo qui blasphemaverit in Spiritum sanctum quod non habet remissionem in aeternum. Quoniam *si poenitet, nihil ei de plenitudine districtissimae expiationis; si non poenitet, nihil ei remittitur de plenitudine districtissimae damnationis*" (Tractatus de spiritu blasphemiae, M.L. 196, 1189 sq.).

Haec sententia caret fundamento tum theologico, cum aliquid de poena temporali semper cum culpa remittatur, ut dicitur in Concl. 5, tum etiam scripturistico, nam Christus loquitur de remissione culpa, eo quod absolute et absque distinctione dicat illud peccatum non remitti, atque ita Patres et doctores verba Christi intellexerunt.

Quinta sententia est peregrina opinio plurium modernorum exegetarum, quae conatur retinere sensum absolutum vocis irremissibilitatis, illum tamen sic emolliens, ut detorqueat a sensu negante possibilitatem remissionis ad sensum negantem solam ejus futuritionem, ita ut peccatum illud dicatur esse non proprie irremissibile, sed *non remittendum*, vel, si placet, *irremissibile non per se sed de facto*, ob denegationem nempe divini auxilii ad poenitendum.

Hanc sententiam, quam primus forte explicitè edixit *Jansenius* (apud *Knabenbauer*, infra cit.), secuti sunt *Vega* (Tridentini decreti de justificatione expositio, l. 13, c. 9, quem refert *Knabenbauer* infra cit. et impugnatur *Suarez*), *Lorca* (quem refert et impugnatur *Sal-manticenses*), *Schegg* (Evangelium nach Matthäus, München, 1857, t. 2, p. 155), *Grimm*, *Knabenbauer*, *Lambert* (art. Unpardonable sin, in Dictionary of Christ and the Gospels, t. 2, 1909, p. 787), *Mangenot* aliique.⁵⁸

⁵⁸ *Knabenbauer* scribit: "Explicationem datam . . . a multis comprobata videmus"

Ratio hujus sententiae est *primo*, quia sensus absolutae irremissibilitatis, seu potius non remissionis, est unicus qui congruit litterae Scripturae, nam quo sensu diceretur non remittendum quod quandoque remittitur?, nec valet introducere sensum: plerumque non remittitur, secus possemus etiam verba Marc. 16, 16: “Qui non crediderit condemnabitur” eodem modo intelligere: “Plerumque condemnabitur”; *secundo*, quia communiter Patres et antiqui doctores, nominatim *Athanasius, Hilarius, Hieronymus, Anselmus*⁵⁹ vocem irremissibilitatis acceperunt in sensu absoluto, etsi quidam eam diverterent ad aliud objectum, ut *Augustinus* ad impenitentiam finalem, et *Richardus a S. Victore* ad poenam peccati.

Ad rem *KNABENBAUER*: “De illa blasphemia [Pharisaeorum] dicitur ‘non remittetur neque in hoc saeculo neque in futuro’. . . Uti verba sonant, ea blasphemia a remissione excludi dicitur; nam priore loco statuitur: omne peccatum et blasphemia remittitur, dein huic sententiae additur exceptio, additur id quod non remittitur. Ergo regulae generali adjungitur exceptio, qua illa regula in uno aliquo casu non valere dicitur. Iste autem casus evenire potest vel *quia Christus praevidit* eos qui illam blasphemiam commiserint, de facto non esse acturos poenitentiam, vel *quia Deus statuit* illis qui tanta malitia et obduratione sese tradiderint in reprobum sensum non dare gratias adeo efficaces, ut a diabolica illa pravitate ad pietatem revertantur. *Proinde dici debet cum Jans. non asseri Spiritus blasphemiam esse irremissibilem, sed ‘non remittetur’ non negari remissionis possibilitatem, sed eventum.* Atque certe non repugnat ut Deus statuatur eos qui Christum per Beelzebub operari ex malitia contra cognitam veritatem ad alios seducendos asserant relinquere in reprobis sensu, cum iidem sua perversitate aditum gratiae occluserint et sua sponte se daemones mancipaverint. Si enim non repugnat, ut Deus permittat multos in statu peccati mortalis morte obrui et in aeternum damnari, etiam juste potest permittere ut qui in talem obcaecationis diabolicae abyssum se sua culpa abjecerint nunquam ex ea emergant, nunquam *velint* agere poenitentiam et humiliter veniam precari.

“Atque ex veteribus adduci possunt doctores sat graves qui haec Christi verba ita ut sonant intellexerint et interpretati sint. . . [Citat Hilarium, Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, Didymum, Augustinum, Rabanum, Druthmarum, Rupertum, Zachariam, Richardum a S. Victore, Pseudo-Augustinum, Fulgentium]. . .

“Denum iuvat etiam afferre quae *Vega* recensitis variorum opinionibus scribit (Tridentini decreti de justificatione expositio, lib. 13, cap. 9, Compluti 1564 p. 448): ‘verum enimvero cum altius mecum et maturius expendo, quae Marcus contra hoc peccatum prolata a Christo retulit, ne vis ulla fieri videatur Scripturis, germanius et simplicius putarem concedere peccatum in Spiritum sanctum eiusmodi esse, ut licet remissibile sit, nunquam tamen remittatur. Cur enim alias hoc unum delictum aeternum in viatoribus dicitur? cur de hoc solo pronuntiatur quod non habeat remissionem in aeternum, et ut apertissimum hoc sit adiicitur: neque in hoc saeculo neque in futuro? cur a ceteris peccatis et contumeliis contra Filium hominis, immo et generaliter ab omnibus etiam aliis blasphemis hac una conditione distinguitur? Equidem aeternum delictum dici non potest quod aliquando eluitur et expiatur, etiamsi in utroque saeculo puniatur et difficillime ipsius indulgentiam

(p. 506). *Lemonnier* ait: “L’exégèse stricte adoptée par Knabenbauer compte toujours d’assez nombreux partisans” (Dict. de la Bible, Supplément, art. Blasphème contre le Saint-Esprit, col. 988).

⁵⁹ Cf. longam seriem auctoritatum, allatam a *Knabenbauer* et *Mangenot*, loc. mox cit.

quis obtineat'. Eadem est *Dion.* sententia: numquam remittetur quia nec in praesenti nec postea. Atque ex recentioribus similiter loquuntur *Schegg, Grimm, Schanz*; at nimium asserit *Grimm IV* p. 505 dicens Deum tali peccatori obdurato iam *non posse* ignoscere, peccatorem in eo obstinationis statu constitui, ut gratiae iam non sit aditus ullus et peccati magnitudinem in eo contineri, ut gratiae absolute occcludatur aditus. Deus enim gratias habet et dare potest si vult adeo potentes, ut omnis voluntas etiam quam maxime rebellis emolliatur et ad poenitentiam suaviter trahatur; unde dici debet Deum posse talem peccatorem ad se reducere, uti explicant *Reischl, Schanz*; et falsum est dicere: si Deus iam non vult ignoscere, sequi eum iam non posse.

"Neque ea explicatione quidquam perit potestati clavium; nam Ecclesia accepit potestatem remittendi omnia peccata quorum homines rite poeniteat; si itaque sunt quos non poenitet et qui nolunt agere poenitentiam, sacerdos nil potest, non ex defectu potestatis, sed ex defectu necessariae dispositionis quae praerequitur; aliis verbis, tum non adest materia circa quam potestas exerceri possit. Porro cum Deus omnes homines velit salvos fieri et cum omnes peccatores invitentur ac invitari debeant ad poenitentiam, etiam illis obduratis non desunt gratiae vere sufficientes, quibus vere possint se convertere. Et si illis revera non cooperantur, id non magis repugnat quam in aliis peccatoribus qui etiam gratis resistunt et in peccato mortali diem obeunt supremum.

"Unde censeo explicationem datam *quam a multis comprobata videmus et quae verbis plane congruit omnino sustineri posse.* Nam alias in similibus sententiis non potest exceptio statui. Ita si Christus dicit: qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur (Marc. 16, 16), nemo ultimam sententiam explicat: ut plurimum, plerumque, fere semper condemnabitur, vix unquam salvabitur, difficillime salvabitur, secundum regularem cursum, cui tamen exceptio fieri potest, condemnabitur. Neque quisquam ita argumentatur: non omnes qui credunt et baptizati fuerunt, revera salvi erunt; ergo a pari valet in altero membro: non omnis qui non crediderit condemnabitur. Atque hisce duobus modis sententiam illam 'non remittetur' (qua exceptio statuitur) admittere exceptionem multi probare student. . .

"Ceterum utrocumque modo verba acceperis, nemini constare potest miseritne quisquam hoc peccatum quod ab omni venia excludatur, et proinde semper dicendum est cum *S. Augustino*: 'de nullo enim desperandum est, quamdiu patientia Dei ad poenitentiam adducit nec de hac vita rapit impium qui non vult mortem impii, quantum ut convertatur et vivat' (serm. 71, 13 n. 21; *M.* 38, 456). Ergo etiam pro omnibus orandum est neque cuiquam spes veniae deneganda, dummodo *velit* respicere. Immo hoc ipsum quod quis velit ac desideret poenitentiam agere et respicere, quod desideret veniam a Deo impetrare, signum est manifestum eum tali peccato non obstringi. Porro attendatur oportet ne sententia Christi 'non remittetur' ultra debitam normam extendatur. *Neque enim cuiuscumque peccato in Spiritum sanctum commisso venia negatur, verum illi soli de quo in contexta narratione sermo est.*"⁶⁰

MANGENOT: "Les précédentes explications reconnaissent toutes que le blasphème contre le Saint-Esprit n'est pas irrémisissable absolument, mais relativement, ou que sa rémission n'est pas impossible, mais très difficile et rare. Or, leurs auteurs *introduisent des exceptions dans une sentence de Notre-Seigneur, qui n'en supporte aucune.* L'opposition établie par Jésus lui-même entre les autres péchés et blasphèmes qui sont pardonnés, même entre le blasphème contre le Fils de l'homme, à qui rémission est accordée, et le blasphème contre le Saint-Esprit, qui n'est pas remis exclut toute distinction d'irrémisissabilité relative et absolue, de rémission difficile ou non accordée. *Schegg, Evangelium nach Matthäus, Munich, 1857, t. ii, p. 155.*

⁶⁰ Comm. in ev. secundum S. Matthaeum, v. 1, Parisiis, 1903, p. 502-508.

Toute exception est encore exclue par cette indication que ce péché n'est pas remis ni dans ce monde ni dans l'autre, Matth., xii, 32, *εις τὸν αἰῶνα*, et que le blasphémateur sera coupable éternellement. Marc., iii, 29. La non-rémission du blasphème contre le Saint-Esprit est une exception, et la seule, à la règle générale de la rémission des péchés. Enfin, le verbe employé, *ἀφεθήσεται*, signifie l'action de relâcher et de laisser aller, de remettre le péché; donc pour le blasphémateur du Saint-Esprit il n'y aura pas de relâche, de rémission ni en ce monde ni en l'autre.

“Il faut donc reconnaître que Notre-Seigneur dit du blasphème contre le Saint-Esprit, *non pas certes qu'il est irrémissible, mais bien que de fait il ne sera pas remis. Cette interprétation s'impose et devrait être acceptée*, même si on ne pouvait pas expliquer convenablement le fait affirmé si catégoriquement. Toutefois les Pères et les théologiens ont cherché à l'expliquer et ils ont dit ou bien que Jésus en annonçant la non-rémission du blasphème contre le Saint-Esprit, avait prévu que les pharisiens qui s'en étaient rendus coupables ne s'en repentiraient pas et n'en feraient pas pénitence, ou bien que Dieu avait résolu de ne pas accorder aux hommes qui commettraient un crime semblable à celui des pharisiens les grâces efficaces qui leur seraient nécessaires pour se convertir. Un bon nombre de Pères et de commentateurs catholiques ont accepté le principe de l'irrémissibilité du blasphème contre le Saint-Esprit, tout en l'appliquant à des objets différents selon la diversité de leurs sentiment sur la nature de cette faute. . .

“Il faut [toutefois] restreindre la non-rémission au seul blasphème contre le Saint-Esprit, dont parle Notre-Seigneur, et qui consiste à attribuer aux démons des oeuvres manifestement divines, et ne pas l'étendre aux péchés contre le Saint-Esprit, dont traitent les théologiens et dont Notre-Seigneur n'a pas affirmé l'irrémissibilité.”⁶¹

Attamen haec sententia merito reicitur a quampluribus tum theologis tum exegetis.

Primo enim, non videtur quomodo sufficienter congruat generali doctrinae Scripturae et Patrum de universali remissibilitate peccatorum per Poenitentiam, expositae in hac Conclusionem, necnon dogmati de universali voluntate salvifica Dei. Nec valet opponere cum Knabenbauer factum Dei permittentis quosdam peccatores in aeternum damnari; nam aliud est hoc permittere, simul tamen conferendo auxilia sufficientia ad salutem, et aliud est haec ipsa auxilia denegare.

Secundo, ex ea sententia sequeretur eos qui sciunt se cognitam veritatem malitiose impugnare et media salutis respuere, merito posse de propria salute desperare, nec pro eis posse fideles orare. Manifeste autem exaggerat Knabenbauer cum opponit nemini posse constare se tale peccatum commisisse.

Tertio, inaniter patroni huius sententiae invocant proprietatem *sensus verborum Scripturae*. Non enim ex sola grammaticali forma verborum eorum sensum colligere oportet. Ita cum in Matth. 19, 24 Christus asserit impossibile esse divitem intrare in regnum caelorum (“Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum”), intelligitur aliunde ea impossi-

⁶¹ In Dict. Théol. Cath., art. Blasphème contre le Saint-Esprit, col. 914 sq.

bilitas accipi relative, seu pro magna difficultate, etiam si ipse Christus id ibidem explicite non declararet (v. 23: "Dives difficile intrabit in regnum coelorum"); item intelligitur ea difficultas recte vocari impossibilitas, quantum scilicet est ex parte hominis, non vero ex parte Dei, etiam si iterum Christus id ipsum non declaraverit apostolis admirantibus "Quis ergo poterit salvus esse?", respondens: "Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omniaabilia sunt" (ibid., v. 26). Similiter ergo, quamvis Christus asserat quod peccatum in Sp. S. non remittetur, cum tamen aliunde sciamus Deum omnibus salutem polliceri nec mortem velle peccatoris ullius, ipsumque Christum orasse pro eisdem Pharisaeis sub cruce blasphemantibus et ad eius imitationem Stephanum pro peccantibus in Spiritum S. deprecasse, legitime illam remissionis negationem interpretamur in sensu relativo, pro magna nempe difficultate, quae, utpote proveniens ex ipsa indole illius peccati, recte impossibilitas vocatur. Unde inepte Knabenbauer arguit ex paritate cum verbis Marc. 16, 16: "Qui non crediderit condemnabitur"; nam ex ipsa indole rei de qua agitur, patet haec verba accipienda esse absolute, cum sine fide sit prorsus impossibile consequi salutem.

Confirmatur ex eo more loquendi, sat frequenter in Scriptura adhibito, quo negatio contenta in altero membro propositionis intelligitur non simpliciter sed comparative ad illud quod in primo membro affirmatur. Ad rem apte *Billot*: "Principium . . . solutionis hinc sumendum est quod *non absolute* dicitur a Christo, blasphemiam Spiritus non esse remittendam, sed *comparative* et per oppositionem ad aliquod aliud, hoc modo: 'Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia,' etc. Porro, juxta morem Scripturae in simili forma propositionum, id quod in secundo membro vel affirmatur vel negatur, non simpliciter negari vel affirmari censendum est, sed dumtaxat comparatione facta cum eo quod enuntiatur in primo, sicut in his et aliis huiusmodi: 'Jacob dilexi, Esau autem odio habui' [Mal. 1, 2 sq.; Rom. 9, 13]. 'Misericordiam volo et non sacrificium' [Os. 6, 6]. 'Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare' [1 Cor. 1, 7]. 'Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei' [Rom. 9, 16]. Similiter ergo in praesenti intelligendum est irremissibilitatem peccati contra Spiritum Sanctum non esse absolutam, sed relativam, quatenus in comparatione ad frequentiam et modum quo alia peccata remittuntur, hoc peccatum irremissibile videatur."⁶²

Quarto, inaniter invocantur quidam textus Patrum, quorum aliunde doctrina in eundem sensum collimat, atque per alios Patres, uti

⁶² De Ecclesiae Sacramentis, t. 2, Romae, 1930, p. 72 sq.

Ambrosium, Chrysostomum et Cyrillum Alex. (In Matth. 12),⁶³ magis explicitè declaratur temperatis expressionibus de irremissibilitate illius peccati. Id quoque notatu dignum est *Augustinum*, admissa quidem absoluta irremissibilitate peccati in Spiritum S., ex ipsa certitudine remissibilitatis quorumcunque peccatorum in hac vita, inductum esse ad accipiendum illud peccatum pro ipsa finali impenitentia, cui soli remissio denegatur.

Sexta sententia, longe communior, tum apud dogmaticos tum etiam apud exegetas (utut diversimode explicantes naturam peccati contra Spiritum S.), docet illius peccati irremissibilitatem accipiendam esse relative, seu pro magna difficultate et raritate remissionis, quae quidem provenit tum ex ipsa indole peccati, consistente in quadam directa oppositione ad media remissionis, tum ac consequenter ex conditione peccatoris qui, adhaerens illi malitiae, sese constituit in quadam morali impossibilitate resurgendi.⁶⁴

Haec autem magna difficultas, seu moralis impossibilitas resurgendi, *jure ac proprie vocatur irremissibilitas, eo praecise quod fundetur in ipsa natura hujus peccati*, quae, quantum est de se, est directe opposita et exclusiva remissionis, quamvis non sit irremissibilitas absoluta et ex omni capite, sed relativa et ex illo tantum capite, cum adhuc possit remissio induci ex potenti efficacia divinae gratiae et ex inexhaustibili thesauro divinae misericordiae quae a nulla hominis malitia vinci potest.

Ad rem *S. Thomas*, 2-2, q. 14, a. 3: "Sicut aliquis dicitur morbus incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus potest curari: puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi et medicinae, licet talem morbum Deus possit curare; ita etiam peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, in quantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum. Per hoc tamen non praecluditur via remittendi et sanandi

⁶³ *Cyrillus Alex.*, In Matth. 12, 33: "Quando quispiam in hominem peccavit, Deum pro se potest invocare; cum vero in eum blasphemias protulerint, non licet invocare pro se. Cum itaque homo videretur Dei Filius, etsi natura Deus esset, non admodum sine intellectu existentibus innotescebat, veniam itaque ex ignorantia in sese peccantibus largitur; eos vero, qui in Spiritum Sanctum peccant, perpetuum dicit manere supplicium (Spiritus dicens totam Trinitatis Deitatem); datur tamen poenitentibus per Spiritum gratiam remissio. Sed magnitudinem volens Christus ostendere peccati, ita dixit; non enim est peccatum quod non remittat Deus, si legitime et ex dignitate poenitentia agatur" (M.G. 72, 410).

⁶⁴ Hunc miserum malitiae et obdurationis statum vividis expressionibus ac comparisonibus saepe Scriptura depingit. *Jerem. 3, 3*: "Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluit erubescere." *Ibid. 13, 23*: "Si mutare potest Hethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum." *Prov. 18, 3*: "Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit".

omnipotentiae et misericordiae Dei, per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur.”

Quae verba apte commentans *Galtier* scribit: “Peccatum . . . quo quis abjicit solum quod sit remissionis medium, *de se* irremissibile dici potest. Et, re vera, de aliis peccatis, quamdiu adsunt et quamvis adsunt, dici potest: non faciunt remissionem impossibilem, remitti possunt, nam in eo ipso instanti quo adsunt vel imo committuntur, voluntas adesse potest eorum remissionis aliquando quaerendae et obtinendae ab eo qui condonare potest. De hoc autem, quamdiu adest et quia adest, dici debet: facit remissionem impossibilem; remissibile non fiet nisi ubi desierit adesse. Uno verbo, de natura illius est quod non possit remitti. Jamvero peccatum, de cuius natura est ut non possit remitti, *jure dicitur prae aliis irremissibile, praesertim si consideratur in se seu ratione sui*. Porro patet Christum, quaecumque hoc loco dicit, ea dicere intuendo peccatum illud in se ipso, malitiam ejus internam effectumque proprium; praeter intentionem ejus proinde quaestio manet num ii qui nunc peccant in Spiritum Sanctum unquam recessuri sint ab hoc statu mentis. Nihil aliud significat nisi hoc: Qui, sicut pharisaei nunc faciunt, detrectant ingredi regnum caelorum et Christum per fidem suscipere, ii eo ipso aeternae damnationis participes esse volunt.”⁶⁵

Hanc sententiam tenent inter multos, *S. Thomas, Albertus M., Bonaventura, Scotus, Cajetanus, Bellarminus, Suarez, Lugo, Salmanticenses, Billuart, Wirceburgenses, Palmieri, Billot, Bellacasa, Galtier, D'Alès, Lemonnyer, Maldonatus, C. a Lapide, Calmet, Lamy, Van Steenkiste, Fillion, Many, Lagrange, Simon-Dorado, ipse A. Loisy*.

Praedictam doctrinam alii aliter, plus minusve apte, exprimunt: Peccatum nempe in Sp. S. dicitur irremissibile, quia difficile tollitur (*S. Thomas, Suarez, a Lapide, Calmet, Fillion, Van Steenkiste*); quia ordinarie et ut in pluribus non remittitur (*Cajetanus, Bellarminus, Wirceburgenses*); quia aegre, raro, imo vix aut quasi per miraculum remittitur (*S. Thomas, Lamy, Palmieri, Simon-Dorado, Many, Loisy*⁶⁶); quia non meretur remitti seu quia non habet excusationem (*S. Thomas, Maldonatus, Lagrange*⁶⁷); quia est incurabile seu venia

⁶⁵ De Poenitentia, thes. 12, Parisiis, 1931, p. 135 sq.

⁶⁶ “L'impossibilité du pardon est absolue en ce sens, que l'endurcissement de ceux qui pèchent contre l'Esprit-Saint est prédestiné à un châtement certain et inévitable. Les chances morales d'une conversion ne sont pas envisagées; on les tient d'ailleurs pour si précaires, qu'elles n'entrent pas en compte” (Les évangiles synoptiques, t. 1, p. 743).

⁶⁷ Evangile selon Saint Matthieu, 12, 32, Paris, 1948, p. 245: “Tel est le péché. Jésus a dit qu'il ne serait pas remis. Il ne saurait être excusé par la faiblesse humaine ou par ces circonstances qui sollicitent la miséricorde. Mais aucun docteur chrétien, regardant du côté de Dieu, n'a osé limiter sa miséricorde, et quand on regarde l'homme qui demande le pardon, personne n'a le droit de le refuser en alléguant l'Evangile. Le reste est le secret de Dieu.”

indignum *de se et secundum naturam suam* (S. Thomas, Maldonatus, Galtier). Et haec est profundior ac ultima ratio, explicativa ceterarum; ex qua praeterea iterum confirmatur quam recte S. Thomas, Augustini vestigia secutus, de ipsa natura peccati in Spiritum S. locutus fuerit.

S. Thomas praedictas varias explicationes, addita Augustini sententia, breviter colligit hic, *q. 86, a. 1, ad 3*, inquires: "Illud verbum, vel blasphemia contra Spiritum sanctum est finalis impenitentia, ut Augustinus dicit, quae penitus irremissibilis est, quia post finem hujus vitae non est remissio peccatorum; vel si intelligatur per blasphemiam Spiritus sancti peccatum quod fit ex certa malitia, vel etiam ipsa blasphemia Spiritus sancti, dicitur non remitti, scilicet de facili; vel quia tale peccatum non habet in se causam excusationis; vel quia pro tali peccato punitur aliquis et in hoc saeculo et in futuro, ut in secunda parte expositum est (2-2, quaest. xiv)."

In 2-2, *q. 14, a. 3*, idipsum fusius et determinatius exponit, introducens etiam quidquid veri est in supradicta explicatione *Richardi a S. Victore* de irremissibilitate quoad poenam. Ait nempe peccatum in Spiritum S. recte dici irremissibile "quia, *quantum est de se, habet meritum ut non remittatur*", idque *tum relate ad poenam* peccato debitam, nam "qui ex ignorantia vel infirmitate peccat, minorem poenam meretur; qui autem certa malitia peccat, *non habet aliquam excusationem*, unde eius poena minuatur", adeoque solet a Deo puniri tum in altera vita tum etiam in praesenti saeculo, ut patet ex punitione Judaeorum peccantium contra Spiritum S. in deserto ad aquas contradictionis (Exod. 32; cf. Athanasium, In Matth. 12) et ex punitione totius deicidae nationis per Romanos (cf. Chrysostomum, in Matth., hom. 42); *tum relate ad ipsam culpam*, nam peccatum illud opponitur remissioni "*secundum suam naturam, inquantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum*", quemadmodum "aliquis dicitur *morbis incurabilis* secundum naturam morbi, per quod tollitur id per quod morbus potest curari: puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi et medicinae".

Eodem modo procedit ac ratiocinatur S. Doctor in *Qu. Disp. De Malo, q. 3, a. 15*, ubi hanc rationem relativae irremissibilitatis quoad ipsam culpam, sub hac signanti forma et exemplo proponit: "Alio modo [peccatum in Spiritum S.] potest dici irremissibile quantum ad culpam. Ad cuius evidentiam considerandum est quod *in rebus inferioribus dicitur aliquid impossibile per privationem potentiae activae inferioris*, licet non excludatur potentia divina. *Sicut si dicamus quod Lazarus resurgere est impossibile, sublato vitae principio creato*; non tamen per hoc excludimus quod Deus eum resuscitare non possit.

In eo autem qui peccat in Spiritum sanctum, abjiciuntur adminicula remissionis peccati, inquantum aliquis contemnit Spiritum sanctum et dona ejus quibus fit remissio peccatorum in Ecclesia; et similiter ille qui peccat per malitiam per inclinationem habitus, habet ignorantiam debiti finis, per quem posset reduci ad bonum, ut supra, art. 12 et 13, dictum est. Et ideo secundum hujusmodi acceptiones peccatum in Spiritum sanctum dicitur irremissibile, quia sunt ablata illa remedia quibus homo juvatur ad remissionem peccati; non tamen est irremissibile si consideretur virtus divinae gratiae tamquam activum principium, et status liberi arbitrii nondum confirmati in malo, sicut principium materiale.”

ART. 86. Utrum Per Poenitentiam Omnia Simul Peccata Remittantur, Ita Ut Unum Sine Alio Remitti Non Possit (q. 86, a. 3; cf. Suppl., q. 14, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur *de modo efficacitatis Poenitentiae*, an nempe simul et ad modum unius remittat omnia peccata quae actuveniuntur in eodem subiecto poenitente. Quae quidem quaestio affinis est, eisdemque regitur principiis, ac quaestio agitata in art. 61, an nempe possit satisfieri de uno peccato et non de alio.

Et hic iterum *duo quaeruntur*:

1. An *de facto* omnia simul peccata remittantur per Poenitentiam.
2. An *necessario* id fiat, ita ut absolute repugnet, tam per Poenitentiam quam abstrahendo ab ea, unum peccatum sine alio remitti.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica et documenta Ecclesiae.

De facto omnia peccata simul remitti est *theologicè certum*,⁶⁸ nam id implicite continetur et necessario sequitur ex doctrina *Conc. Trid.* juxta quam justificatio de facto consistit in tali peccati remissione quae sit indivisibiliter conjuncta cum infusione gratiae, interiori justitia, amicitia Dei, jure ad coelestem haereditatem; quae omnia cum statu peccati certissime consistere nequeunt.

“Hanc [Poenitentiae] dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio [can. 11], sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam

⁶⁸ Suarez et Salmanticenses id habent de fide. Galtier id dicit “theologicè certum”, cumque appellat Boyer. Diekamp id dicit “sententiam communem”.

susceptionem gratiae et donorum, unde homo ex iniusto fit iustus et ex inimico amicus, ut sit ‘heres secundum spem vitae aeternae’ [Tit 3, 7]. Huius iustificationis causae sunt: finalis quidem gloria Dei et Christi ac vita aeterna; efficiens vero misericors Deus, qui gratuito ‘abluit’ et ‘sanctificat’ [1 Cor 6, 11] ‘signans’ et ungens ‘Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis nostrae’ [Eph 1, 13 sq]; meritoria autem dilectissimus Unigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui ‘cum essemus inimici’ [cf. Rom 5, 10], ‘propter nimiam caritatem, qua dilexit nos’ [Eph 2, 4], sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit; instrumentalis item sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit iustificatio. Demum unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam ‘Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult’ [1 Cor 12, 11], et secundum propriam cuiusque dispositionem et co-operationem” (*Sess. 6, cap. 7, Denz. 799; cf. can. 10 et 11*).

Conc. Later. II (a. 1139 sub Innocentio II), can. 22: “Sane quia inter cetera unum est, quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa videlicet paenitentia, confratres nostros et presbyteros admoneamus, ne falsis paenitentiis laicorum animas decipi et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem paenitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo paenitentia agitur: aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio. Unde scriptum est: ‘Qui totam legem observaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus’ (Iac. II, 11): scilicet quantum ad vitam aeternam. Sicut enim, si peccatis esset omnibus involutus, ita si in uno tantum maneat, aeternae vitae ianuam non intrabit. Falsa etiam fit paenitentia, cum paenitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod sine peccato agi nulla ratione praevaleret; aut si odium in corde gestetur, aut si offenso cuilibet non satisfiat, aut si offendentis offensus non indulgeat, aut si arma quis contra iustitiam gerat” (Cavallera, 1237).

Innocentius III, Ep. “Majores Ecclesiae” ad Ymbertum archiep. Arelatensem, a. 1201: “Sed adhuc quaeritur quare non saltem originale peccatum amentibus et dormientibus in baptismo sicut parvulis dimittatur. Ad hoc est taliter respondendum quod Dominus, qui totum hominem salvum fecit in sabbato, opus imperfectionis non novit et ob hoc peccata non ex parte sed ex toto dimittit. Praeterea poena originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero poena peccati

est gehennae perpetuae cruciatus. Unde si dimitteretur alicui primum, altero non dimisso, talis non careret visione Dei propter originale dimissum et cruciaretur in gehenna perpetuo propter reatum criminis actualis: sed haec tanquam impossibilia sese minime patiuntur, immo sibi mutuo adversantur" (Cavallera, 1066).

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM DE FACTO, omnes theologi conveniunt in sententiam affirmativam: in praesenti scilicet ordine et secundum legem ordinariam non posse de facto unum peccatum remitti quin simul et cetera remittantur.

Non tamen defuerunt in medio aevo quidam *obscuriores doctores*, qui oppositum videntur sentiisse quosque refert *Gratianus* scribens: "His auctoritatibus, quae sit vera, quae falsa ostenditur poenitentia, et falsae nulla indulgentia dari probatur; in quo illorum sententia destruitur, qua eum, qui pluribus irretitus fuerit peccatis, asseritur unius delicti poenitentia ejusdem veniam consequi a Domino sine alterius criminis poenitentia. Quod etiam multis auctoritatibus probare conantur. Quorum prima est illa Naum prophetae: 'Non judicabit Deus bis in idipsum.' Sed quem sacerdos judicat Deus judicat, cuius personam in ecclesia gerit. Qui ergo a sacerdote semel pro peccato punitur, non iterum pro eodem peccato a Domino judicabitur" (Decretum, 2 pars, causa 33, q. 3 De Poenitentia, dist. 3, post c. 39, M.L. 187, 1612).

Tamen *Petrus Lombardus* (Sent., l. 4, dist. 15, n. 1) referens verba Gratiani, et *S. Thomas* (Suppl., q. 14, a. 1) sese referens ad Petrum Lombardum, illos doctores intelligunt potius de satisfactione unius peccati sine alio, ut explicatum est in art. 61 (tom. 3, p. 271 sq.).

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM DE JURE, seu an absolute et simpliciter loquendo, de potentia Dei absoluta et in alio ordine, fieri possit ut unum peccatum sine alio per poenitentiam remittatur, dividuntur theologi. Ubi formaliter distinguas duplicem quaestionem: alteram, utrum unum peccatum possit quomodolibet remitti sine alio, et alteram, utrum unum peccatum possit remitti sine alio per Poenitentiam. Prior quaestio est generalior et pertinet ad tractatum De Gratia (ubi de modo quo fieri possit justificatio); altera respicit modum remissionis per actum Poenitentiae, et proprie huc spectat. Utraque tamen quaestio iisdem fere principiis et eodem modo a theologis resolvitur, juxta diversos conceptus, quos sibi efformant, de natura peccati habitualis, de modo quo remissio peccati fieri possit sive simpliciter sive per Poenitentiam, et de indole ac vi actus Poenitentiae.

Negant igitur unum peccatum sine alio, maxime per Poenitentiam, remitti posse, *Thomistae* fere omnes, ad mentem ipsius *S. Thomae* (a. 3), et plures alii extra scholam, uti *Richardus* (In 4 Sent., dist. 1, a. 6, q. 3), *Vasquez* (Disp. 207, c. 2 et 5), *Valentia*, *Becanus*. Fundamentalis ratio petitur ex effectibus remissionis, seu conversione ad finem ultimum, justitia, amicitia Dei, qui sunt impossibiles cum statu peccati.

Affirmant vero *Scotus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1), *Biel* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1), *Hadrianus*, *Medina* (Cod. de Poenit. q. 12, a. 1), *Suarez* (Comm. in a. 3; item Disp. 10, sect. 1), *Coninck*, *Ripalda*, *Lugo* (Disp. 7, sect. 8, n. 128; cf. disp. 8, sect. 2), *Frasen*, *Palmieri*, et inter thomistas fere unicus *Nugnus* (In a. 3; item, Dub. unic.).

Fundamentalis ratio istorum est quia remissio peccati est ultimo pendula ab extrinseca voluntate Dei, quae ideo valet peccata separare in condonatione. Nec huic separationi obstat absolute sive ipsa natura peccati remittendi, sive modus remissionis, sive indoles et vis actus Poenitentiae.

Primo, non obstat natura peccati. Nam peccatum habituale, seu macula peccati, non consistit in aliqua physica qualitate vel privatione gratiae, sed in sola relatione rationis seu ordinatione ad poenam subeundam, ita ut post commissum actuale peccatum nihil aliud in homine remaneat nisi ordinatio seu obligatio ad poenam (ita *Scotus et Scotistae*⁶⁹); vel peccatum consistit in sola extrinseca denominatione, seu homo denominatur peccator formaliter ab ipso actu peccati praeteriti, donec a Deo condonetur (ita *Medina*). Ergo non repugnat ut unum peccatum remittatur sine alio, si nempe Deus velit condonare poenam debitam pro uno et non poenam debitam pro alio (Scotistae), vel habere hominem liberum ab imputatione unius et non alterius peccati (*Medina*).

Secundo, non obstat modus remissionis. Nam, etiam admissio quod peccatum habituale sit aliquid physice residens in anima, Deus potest illud remittere vel per meram extrinsecam condonationem absque

⁶⁹ *Scotus*, In 4 Sent., dist. 14, q. 1: "[Hominem] remanere in reatu post actum transeuntem, nihil aliud est nisi ipsum a Dei voluntate ordinari ad poenam condignam illi peccato. . . Nihil aliud est post actum peccati cessantem, offensa, macula et reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad poenam; ut est inconveniens ipsi animae, dicitur ejus macula, sicut per oppositum pulchritudo; ut autem est obligatio formaliter ad illam poenam, dicitur reatus; et ut est actus voluntatis divinae, in qua est tota ista realitas, per quem actum ordinatur ad talem poenam, dicitur offensa. Nihil enim aliud est offendi, vel irasci in Deo, quam velle vindicare ista poena; et licet Deus dicatur figurative iratus, vel offensus, tamen accipiendo istam rationem *irasci* pro *velle vindicare*, exclusa passione concomitante istud *velle*, Deus formaliter est iratus, vel offensus, quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem suam" (Opus Oxeniense, Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 13 sq.).

infusione auxilii supernaturalis (*Frassen* ad mentem *Scoti*); vel per diminutionem maculae peccati, quae per multiplicationem peccatorum magis intenditur et radicatur in anima (*Nugnus*);⁷⁰ vel per imperfectum auxilium supernaturale (seu imperfectam mutationem voluntatis in bonum) ut est illud sub quo elicitur actus attritionis, absque meliori immutatione seu abque infusione ipsius gratiae sanctificantis (*Suarez*); vel per infusionem ipsius gratiae sanctificantis ita tamen ut haec cohabitaret cum alio peccato, nam non repugnat similtas gratiae cum statu peccati (*Frassen* ad mentem *Scoti*). Unde non repugnat unum peccatum remitti sine alio, cum possit ab eo separari in extrinseca condonatione, in imperfecta attritione (quae potest esse particularis) et in diversa habitudine ad gratiam sanctificantem.

Tertio, non obstat indoles et vis actus Poenitentiae. Nam peccata possunt separari in actu attritionis, quae potest esse particularis, seu de uno et non de alio peccato (*Suarez*), imo possunt separari in ipso actu contritionis, quae similiter potest esse particularis (*Medina*), et quamvis dicatur ea non posse separari in actu contritionis, attenta solummodo ipsa indole et essentia contritionis, possunt adhuc sejungi relate ad ipsius vim remissivam, cuius extensio pendet a libera acceptatione Dei, nam contritio non expellit peccatum formaliter, sed dispositive, et ideo non necessario, sed dependenter a voluntate Dei, qui posset, si vellet, eam acceptare pro condonatione unius peccati, et non alterius, sicut posset etiam pro nullius prorsus peccati condonatione eam admittere (*Suarez*).

Ad rem *FRASSEN*: "Non potest de via ordinaria unum peccatum mortale remitti absque alio *per Poenitentiam*, posset tamen per voluntatem et potestatem Dei extraordinariam. . . Quod per potentiam absolutam et extraordinariam dispositionem Deus possit remittere unum peccatum sine alio, jam satis superque probatum est in Tract. *De Gratia* disp. 3. art. 2 q. 4. ubi ex Subtili Doctore probavimus Deum posse remittere peccatum per solam extrinsecam et gratuitam condonationem, et absque ulla infusione gratiae sanctificantis: probavimus etiam Conclusionem praecedenti gratiam sanctificantem de potentia absoluta posse simul subsistere cum peccato. Ex quibus sic ratiocinari licet: qui potest peccatum remittere per solam condonationem extrinsecam, et gratiam simul conservare cum peccato, potest unum peccatum remittere non remittendo aliud: at utrumque Deus praestare potest: igitur, etc. *Majorem* ultro admittunt Thomistae et merito quidem: illa namque extrinseca condonatio omnino arbitraria est, potestque pro libito condonantis sese extendere vel ad omnem prorsus offensam, vel dumtaxat ad partem illius. Et quamvis haec ita non essent, quae tamen esse verissima de-

⁷⁰ Eius peregrinam sententiam sic referunt Salmanticenses: "Hic discipulus D. Thomae ex eo ducitur in eam partem, quia existimavit peccatum habituale esse quamdam maculam positivam animam immediate afficientem, quae augeatur, aut decrescat ad multiplicationem vel diminutionem peccatorum. Nulla autem contradictio est in eo, quod Deus, aut tollat, aut impediatur eius intentionem, quin eradicet, aut evellat peccatum quoad entitatem: nulla ergo est implicatio, quod inspecta Dei absoluta potentia unum peccatum possit absque alio remitti" (*De Poenit.*, disp. 6, dub. 3, n. 162, *Curs. Theol.*, t. 19, Parisiis, 1883, p. 782).

monstravimus, et quamquam, ut volunt Thomistae, fieri non posset peccati remissio absque infusione gratiae, attamen cum Deus, ut probavimus, possit de via extraordinaria conservare gratiam simul cum peccato, inde liquet quod possit infundere gratiam necessariam ad remissionem unius peccati, puta adulterii, conservando tamen, seu non remittendo aliud peccatum v.g. homicidium, ab eodem adultero perpetratum; quae omnia cum jam plenissime probata sint locis supra laudatis, non opus est hic diutius immorari.⁷¹

SUAREZ, Com. in a. 3 S. Thomae: "Aliud est quaerere an unum peccatum mortale possit remitti sine alio, vel an per poenitentiam possit unum sine alio remitti; nam prior quaestio magis absoluta est quam secunda, quia non determinatur ad certum aliquem remissionis modum, seu medium; D. Thomas autem non priorem, sed posteriorem questionem movet, agitque de poenitentia non quacumque, sed perfecta, quae per veram contritionem fit. . . Loquendo de hoc genere remissionis, apparentius dici posset simpliciter esse impossibile sic remittere unum peccatum sine alio. Et de hac impossibilitate in sensu composito, ut sic dicam, probabiliter posset quis interpretari D. Thomam, et existimare sic esse impossibile simpliciter hoc, non tamen per se, et praescindendo a tali modo remittendi peccatum, per huiusmodi potentiam. Nihilominus tamen etiam illo modo non oportet sumere illam impossibilitatem in ordine ad potentiam absolutam, quia *actus poenitentis, etiamsi sit contrarius, non expellit formaliter peccatum, sed dispositive*; et ideo, esto verum sit non posse contritionem esse perfectam, quin formaliter vel virtute sit de omnibus peccatis, nihilominus non obstante tali actu, *posset Deus nullum peccatum mortale remittere*, et ideo ex vi illius actus non sequitur implicatio contradictionis, si Deus vellet unum peccatum remittere, et non aliud, quamvis hoc sit contra exigentiam et quasi conditionem connaturalem illius actus; et ideo id dici posset impossibile, et secundum legem a Deo institutam, et suo modo ex natura rei."⁷²

Disp. 10, sect. 1, n. 4. 9: "[Loquendo de justificatione generaliter, seu abstracto a justificatione per Poenitentiam] duobus . . . modis potest haec sententia defendi. *Primum*, juxta opinionem in fine praecedentis disputationis tractatam, scilicet, posse Deum remittere peccatum mortale sine intrinseca et physica mutatione ipsius peccatoris, solum per . . . [extrinsecam] condonationem remittendo culpam, et moraliter illam destruendo; nam hoc posito, nulla est implicatio, quin possit hoc modo condonare unam offensam, et non aliam; quia si peccata mortalia aliquam habent connexionem necessariam in ordine ad remissionem, illud solum est ex parte ipsius peccatoris, quando debet perfecte justificari et converti, ut vel unum peccatum mortale illi remittatur. Atque hoc modo eandem probabilitatem habet haec opinio quam habet illa prior. *Secundo* vero modo potest fundari haec opinio abstracto ab illa, et supponendo aliam supra probatam, quod per solam mutationem actualem possit remitti peccatum. Nam potuit Deus statuere, per quamcunque attritionem cujusvis peccati illud remittere; quid enim hoc repugnat? sicut ergo potest esse attritio unius peccati, quae non sit aliorum, ita et remissio.

"Deinde, cum ostensum sit ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessariam infusionem gratiae, neque restitutionem peccatoris in propriam amicitiam Dei, nihil assignari potest, in quo haec peccata habeant annexam connexionem quoad remissionem; ergo potuisset Deus, si vellet, unum sine alio remittere. Ideo enim nunc de facto in peccatis venialibus remittit unum sine alio, ut infra dicam, quia neque in dispositione, neque in alia forma necessario connectitur remissio unius cum remissione alterius; ergo idem erit de potentia absoluta in mortalibus. . .

"[Loquendo de justificatione per Poenitentiam, ex praedictis] facile constat,

⁷¹ Scotus Academicus, t. 10, Romae, 1902, p. 220.

⁷² Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 173 sq.

quid dicendum sit de absoluta potentia. In quo alia possunt interrogari: unum est, an possit Deus per solam poenitentiam imperfectam, nempe attritionem, tollere peccatum mortale absque alia infusione gratiae, vel majori immutatione voluntatis; nam si hoc potest, satis clarum esse videtur posse remittere quaedam peccata, et non alia, juxta exigentiam attritionis, conferendo effectum morale proportionatum formae, seu dispositioni aut mutationi voluntatis. Quod autem illud possit, satis videtur constare ex superioribus, quia nulla ratio implicationis, etiam ex iis, quae in aliis casibus apparenter objici solent, hic habet locum.

“Alia interrogatio huc spectans est an, quando remissio peccati fit per contritionem veram, possit unum peccatum mortale sine alio tolli. Et ratio dubitandi esse potest, quia vera contritio, etiam per absolutam Dei potentiam, non potest esse de uno peccato, quin sit de omnibus; ergo neque per illam potest unum peccatum remitti, quin remittantur omnia. Sed nihilominus etiam hoc modo negandum est implicare contradictionem, unum peccatum mortale sine alio remitti; cuius rationem supra tetigi in commentariis. Et nunc magis eam declaro ex *differentia inter esse et causare contritionis*, ob quam neganda est consequentia rationis factae. Nam, quod contritio sit de omnibus peccatis, pertinet ad essentiam ejus, quae consistit in formali motivo ejus; essentia autem rei et formale obiectum ejus est immutabile; nam, si illa mutaretur, jam non esset contritio, sed quippiam aliud. At vero remittere peccata pertinet ad causalitatem contritionis, quae causalitas, ut supra ostendi, non est formalis, sed dispositiva; neque est omnino naturalis et physica, sed moralis, habens quidem fundamentum in essentiali perfectione contritionis, pendens tamen quantum ad actualem causalitatem ex acceptatione et ordinatione divina.

“Hinc ergo fit, ut haec causalitas non sit ita immutabilis sicut essentia; posset enim Deus non esse contentus quacumque contritione ad remittenda peccata, sed exigere certam intensionem, durationem, vel quid simile. Hoc enim (quod aliqui Theologi dixerunt factum jam esse a Deo) certe non est impossibile, nec repugnantiam involvens. Sic igitur pari ratione potuisset Deus non per quamlibet contritionem remittere omnia peccata. Nam imprimis posset exigere formaliter contritionem peccati in particulari, et expresse recogitati, et consequenter illud solum remittere, et non alia, ad quae tantum virtualiter extenderetur contritio. Deinde posset pro graviori peccato intensiorem et acerbiozem poenitentiam postulare, et consequenter ob tantam contritionem remittere peccatum tantae gravitatis, non vero alia graviora. Hac ergo ratione etiam per hunc modum remissionis per poenitentiam propriam et essentialiter perfectam hoc non implicat contradictionem.”⁷³

CONCLUSIO

Conclusio 1. Per Poenitentiam omnia simul peccata remittuntur, nec absolute potest unum peccatum sine alio remitti (q. 86, a. 3).

Probatum 1. EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.

Haec veritas continetur aequaliter in illa amplitudine, universalitate et pluralitate, qua Scripturae et Patres, supra relati (p. 6–9. 18–25), remissionem peccatorum homini poenitenti pollicentur. Signanter ac emphatice asseritur divinam misericordiam “praestare super hominis malitiam” (Joel 2, 12 sq.) et “multam esse ad ignoscendum” (Isai. 55, 7); Deum amplius “non recordari omnium iniquitatum”

⁷³ Ibid., p. 182–184.

peccatoris poenitentis (Ezech. 18, 21 sq.; cf. Jerem. 3, 1: "Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me . . . et ego suscipiam te").

Impiorum conversiones, quae in Scriptura narrantur (puta Zachaei, Magdalенаe, filii prodigi; cf. supra, p. 19), implicant generalem vitae renovationem, seu omnium simul peccatorum remissionem.

Eadem veritas implicite continetur in verbis *Jac. 2, 10 sq.*: "Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit: Non moechaberis, dixit et: Non occides. Quod si non moechaberis, occides autem, factus es transgressor legis." Nequit ergo idem homo consequi remissionem unius transgressionis et non aliarum, secus simul maneret et non maneret legis transgressor.

Sensum Patrum apte exprimunt haec verba *Pseudo-Augustini, De vera et falsa poenitentia* (circa a. 1100?), olim ipsi Augustino tributa et a S. Thoma, hic in *Sed contra*, relata: "Sunt plures quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam in quibus delectantur, non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a daemone liberasse, per hoc docens *nos numquam nisi de omnibus sanari*". Ibidem additur: "Quaedam impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est, *dimidiam sperare veniam*" (M.L. 40, 1121). Integrum textum citavimus in art. 25, tom. 2, p. 64.

S. Thomas sibi obicit duos Patrum textus, quos ex Gratiano post Magistrum Sententiarum desumit, scilicet *Gregorii M.* et *Ambrosii*, ut ostendat nequaquam in eis agi de dimidiata peccatorum venia vel poenitentia. In priori (Gregorius, In Ezech., l. 1, hom. 10) dicitur aliquos a quibusdam vitiis se corrigere, dum ab aliis emendari contemnunt; in altero (Ambrosius, In Psalm. 118, 18) dicitur quod interdum "etsi fides desit, poena satisfacit et relevat". Respondet S. Doctor in priori non agi de emendatione et remissione culpae, sed de mera laudabili cessatione a consuetudine peccati, manente tamen statu peccati (ad 1); in altero vero non agi de fide theologica, ac si quis, manens in peccato infidelitatis, possit per poenae expiationem liberari a peccato, sed "accipitur fides pro conscientia, quia interdum per poenas quas quis patienter sustinet, consequitur remissionem peccati, cuius conscientiam non habet" (ad 2).

Suaresio autem non placet haec altera expositio ("Apparet quam sit difficilis interpretatio D. Thomae, quam sumpsit etiam ex Gratiano, et Magistro, et nunc habetur in Glossa ordin.") atque interpretatur vocem "fides" de fiducia in Dei misericordiam, ita ut sensus sit: "Quidam consequuntur remissionem peccatorum quasi omnino gratuito per ferventem accessum ad misericordiam Dei; alii qui minorem

habent fidem, saltem luendo poenas veniam consequuntur” (Comm. in a. 3 S. Thomae, n. 4).

Probatur 2. *EX TRIPLICI RATIONE quam assignat S. Thomas*, scilicet ex indole triplicis causae quae, diverso quidem modo sed subordinata et coordinata ratione, influit in remissionem peccati, scilicet ex vi gratiae sanctificantis, ex indole Poenitentiae, et ex perfectione divinae misericordiae. Duas priores rationes attulimus etiam supra in art. 61 (tom. 3, p. 284 sq.) ad probandum non posse *satisfieri* pro uno peccato et non pro alio.

Prima ratio desumitur ex *propria vi gratiae sanctificantis*.

Nam peccatum remittitur per infusionem gratiae, tanquam per formam contrariam quae est impossibilis cum eo. Atqui gratia sanctificans opponitur omni peccato et non est compossibilis cum ullo. Ergo nequit unum peccatum remitti sine alio, sed omnia aequa ratione expelluntur per gratiam.

Ad rem *S. Thomas*: “Peccatum remittitur, inquantum tollitur Dei offensa per gratiam. Unde in secunda parte habitum est [1-2, q. 109, a. 7; q. 113, a. 2], quod nullum peccatum potest remitti sine gratia. Omne autem peccatum mortale contrariatur gratiae, et excludit eam. Unde impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur”. Eadem fere rationem *S. Doctor* repetit in *Suppl.*, q. 14, a. 1, ad probandum quod homo non possit satisfacere de uno peccato sine alio (cf. supra, art. 61, tom. 3, p. 284).

Secunda ratio desumitur ex *ipsa natura Poenitentiae*, seu contritionis. Nam actus Poenitentiae per quem peccatum remittitur, respicit peccatum inquantum tale, i.e. quatenus est offensa Dei. Atqui haec ratio est communis omnibus peccatis. Ergo nequit per Poenitentiam remitti unum peccatum quin simul remittantur et alia. *Aliter*: Peccatum non remittitur nisi per veram Poenitentiam. Atqui non est vera Poenitentia quae sit de uno peccato et non de alio, cum Poenitentia respiciat rationem offensae Dei quae est communis omnibus peccatis. Ergo non fit remissio unius peccati, quin et cetera simul remittantur.

Ad rem *S. Thomas*: “Peccatum mortale non potest sine vera poenitentia remitti, ad quam pertinet deserere peccatum inquantum est contra Deum. Quod quidem est commune omnibus peccatis mortalibus. Ubi autem est eadem ratio, et idem effectus. Unde non potest esse vere poenitens qui de uno peccato poenitet et non de alio. Si enim displiceret illud peccatum quia est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem verae poenitentiae, sequeretur quod de

omnibus peccatis poeniteret. Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum per poenitentiam remitti sine alio.”

Tertia ratio desumitur ex *perfectione divinae misericordiae*, quae est ultima causa remissionis per gratiam et poenitentiam. Nam remissio peccati est opus Dei, et quidem opus Misericordiae ejus; opera autem Dei nequeunt esse imperfecta, et maxime opera Misericordiae quae sunt super omnia opera ejus. Deus enim non est causa tendendi in non esse sed in esse, nec est causa defectiva sed perfectiva, imperfectum adducens ad perfectum, inchoatum deducens ad terminum et media reducens in finem. Si autem per impossibile unum peccatum sine altero Deus remitteret, imperfectam remissionem conferret, opus sanctificationis imperfectum relinqueret, media ordinata ad divinam gratiam et amicitiam, ut auxilia gratiae actualis et consequentem actum Poenitentiae, ad proprium finem non deduceret.

Unde ex perfectione divinae causalitatis et Misericordiae sequitur quod unum peccatum nequeat remitti sine alio, sed “*cuius miseretur totaliter miseretur*. Et hoc est quod [*Pseudo-*]Augustinus,⁷⁴ dicit: ‘Quaedam impietas infidelitatis est, ab illo qui justus et justitia est, *dimidiam sperare veniam*’.”

Ad expellendas autem objectiones quae in contrarium moveri possunt sedulo observa discrimen inter ex una parte remissionem peccatorum mortalium et ex alia parte commissionem eorundem, remissionem poenae temporalis, remissionem peccatorum venialium, dilectionem Dei erga homines, remissionem injuriarum inter homines, remotionem ignorantiae vel erroris circa unum objectum et non aliud in scientiis naturalibus. In his enim omnibus invenitur quaedam effectuum separabilitas quae nequit inveniri in remissione peccatorum mortalium.

1. In *commissione* peccata mortalia non connectuntur, quemadmodum in remissione; nam cum committuntur, procedunt ex diversis principiis, seu ex diverso modo se convertendi ad creaturam; semel autem commissa, coalescunt in unam formalem rationem aversionis a Deo, quae respicitur a gratia sanctificante et a Poenitentia, ut ab unico et indivisibili principio remissionis. Paucis: commissio habet plura principia, remissio vero unicum, ac ideo commissio inducitur per singula, remissio expellit totum.

Ad rem *S. Thomas*: “Peccata, quamvis non sint connexa quantum ad conversionem ad bonum commutabile, sunt tamen connexa quantum

⁷⁴ In libro de vera et falsa poenitentia, c. 9, M.L. 40, 1121.

ad aversionem a bono incommutabili, in qua conveniunt omnia peccata mortalia. Et ex hac parte habent rationem offensae, quam oportet per poenitentiam tolli." Item *Suppl.*, q. 14, a. 1 ad 1: "Quia peccata non habent connexionem ad invicem in aliquo uno, unum potest quis incurrere sine alio. Sed unum et idem est secundum quod omnia peccata remittuntur. Et ideo remissiones diversorum peccatorum connexae sunt. Et ideo de uno sine alio satisfieri non potest."

2. In *remissione poenae temporalis* pro ipsis debitae, peccata mortalia non sunt connexa, quemadmodum in remissione ipsius culpaе, quae est remissio propria et simpliciter dicta, necnon in consequente remissione poenae aeternae quae ipsi culpaе indissolubiliter adhaeret. Et ratio est quia, ut fuse contra Protestantas explicavimus in art. 53 (tom. 3, p. 193 sqq., ubi de permanentia poenae temporalis post remissionem culpaе), poena temporalis debetur peccato non formaliter pro aversione a Deo, sed pro conversione ad creaturam, quae, cum sit multiplex, inducit multiplicitem et separabilitatem poenarum temporalium tum in imputatione tum in remissione.

3. *Peccata venialia* non sunt necessario connexa neque in commissione, neque in remissione sicut mortalia. Ratio discrepantiae accipitur ex ipsa indole peccati venialis tum relate ad Deum tum relate ad actum poenitentiae tum relate ad gratiam sanctificantem. Nam peccatum veniale consistit formaliter non in aversione Dei, sed tantum in quadam inordinata conversione ad creaturam, quae est multiplex ac divisibilis. Consequenter poenitentia de peccatis venialibus non attingit ea sub communi quadam et indivisibili ratione, quam non habent, sed sub propria uniuscujusque ratione distinctae conversionis ad creaturam. Peccatum veniale non est impossibile cum gratia sanctificante nec per eam formaliter aufertur sed per quemdam fervorem charitatis, qui diverso modo et intensitate adesse et influere potest.

Inde intelligitur quare poenitentia de peccatis mortalibus procedat cum majori universalitate doloris ac propositi, et consequenter efficacitatis et remissionis, quam poenitentia de venialibus (cf. q. 87, a. 1, corp. et ad 1).

4. *Dilectio Dei naturalis*, qua nempe Deus diligit hominis naturam, potest dividi tum in seipsa juxta diversa objecta, quatenus Deus diligit hominem quantum ad unum et non quantum ad alium effectum naturalem; tum a dilectione supernaturali, quatenus Deus diligit hominem quantum ad naturam et odio habeat quantum ad culpam; cujus ratio est separabilitas principiorum ac motivorum, nam natura differt a gratia, et effectus naturales inter se distinguuntur. Sed

dilectio Dei supernaturalis, qua remittit peccata, dividi non potest, cum habeat unicum principium seu amicitiam, unicum effectum seu gratiam, et unicum finem seu gloriam, quae omne peccatum excludunt cum omni peccato opponantur.

Ad rem *S. Thomas*: “Dilectio qua Deus diligit hominis naturam, non ordinatur ad bonum gloriae, a quo impeditur homo per quodlibet peccatum mortale; sed dilectio gratiae, per quam fit remissio peccati mortalis, ordinat hominem ad vitam aeternam, secundum illud Rom. vi, 23: ‘Gratia Dei vita aeterna’. Unde non est similis ratio” (*ad 5*).

5. *Remissio injuriarum inter homines* duplex distingui potest: Alia est injuriarum quae opponuntur soli justitiae, seu remissio debitorum, et haec potest fieri separatim et diminute, ita ut remittatur unum debitum sine alio, nam debita exteriorum rerum procedunt ex diversis principiis nec contrariantur amicitiae per quam debitum remittitur. Alia vero est injuriarum quae opponuntur ipsi amicitiae, seu offensarum, et haec non fit separatim aut diminute, sed vel omnes offensae remittuntur vel nulla, cum consistant in una ratione, seu remotione amicitiae, et auferantur per unum principium, seu restitutionem amicitiae, cui quaelibet offensa contrariatur. Idque patet ex ipsa humana consuetudine: “ridiculum enim videtur quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa, et non de alia.”

Ad rem *S. Thomas, hic, ad 4*: “Debitum exterioris rei, puta pecuniae, non contrariatur amicitiae, ex qua debitum remittitur. Et ideo potest unum dimitti sine alio. Sed debitum culpae contrariatur amicitiae. Et ideo una culpa vel offensa non remittitur sine altera. Ridiculum enim videtur quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa et non de alia.”

Suppl., q. 14, a. 1, ad 2: “In obligatione debiti non est nisi inaequalitas justitiae opposita, quia unus rem alterius habet. Et ideo ad restitutionem non exigitur nisi quod restituatur aequalitas justitiae. Quod quidem potest fieri de uno debito et non de alio. Sed ubi est offensa, ibi est inaequalitas non tantum justitiae opposita, sed etiam amicitiae. Et ideo ad hoc quod per satisfactionem offensa tollatur, non solum oportet quod aequalitas justitiae restituatur per recompensationem aequalis poenae, sed etiam quod restituatur amicitiae aequalitas. Quod non potest fieri dum aliquid est quod amicitiam impediatur.”

6. *Remotio ignorantiae vel erroris circa unum objectum et non circa aliud* in scientiis naturalibus, nequit comparari cum remotione peccatorum mortalium. Nam, quamvis in omni scientia *formalis ratio sub qua* conclusiones procedunt sit una et indivisibilis, colligatque omnes

conclusiones sub una ac indivisibili specie, tamen media quae assumuntur ad varias conclusiones eruendas sunt plura ac separabilia; et inde contingit ut possit destrui notitia circa unam conclusionem, et haberi ignorantia vel error, quin destruaturs circa aliam, et similiter quod possit removeri error vel ignorantia circa unam quin eo ipso removeatur circa aliam. In remotione vero peccatorum per Poenitentiam medium quod assumitur, scilicet gratia et contritio, habet unicam et inseparabilem rationem quae opponitur omnibus peccatis.

Et ut maneamus in materia ipsa cognitionis, idem contingit etiam quoad *fidem*, quae, cum procedat sicut Poenitentia sub una et indivisibili ratione assensus ob auctoritatem Dei revelantis, non potest scindi aut separari ita ut quis assentiat uni dogmati et dissentiat alteri, nam id esset adhaerere et non adhaerere eidem obiecto auctoritatis Dei revelantis, seu simul admittere et rejicere auctoritatem Dei. Ad rem *S. Thomas*, 2-2, q. 5, a. 3 ad 2: "In diversis conclusionibus unius scientiae sunt diversa media, per quae probantur, quorum unum potest cognosci sine alio; et ideo homo potest scire quasdam conclusiones unius scientiae, ignoratis aliis. Sed omnibus articulis fidei inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter veritatem primam propositam nobis in Scripturis secundum doctrinam Ecclesiae intelligentis sane. Et ideo qui ab hoc medio decedit, totaliter fide caret."

Conclusio 2. Absolute repugnat ut, tam per Poenitentiam quam abstracto ab ipsa, unum peccatum mortale sine alio remittatur (a. 3).

Probatur ex iisdem rationibus adductis in Concl. praec., ob quas *S. Thomas* ter inconditionate pronuntiat impossibile esse unum peccatum sine alio remitti ("Impossibile est per poenitentiam unum peccatum sine alio remitti", "Unde impossibile est quod unum peccatum sine alio remittatur", "Unde sequitur quod impossibile sit unum peccatum per poenitentiam remitti sine alio"; in Suppl., q. 14, a. 1, ter iterum idem dicit de satisfactione: "Quidam dixerunt quod potest de uno peccato satisfieri sine alio. . . Sed hoc non potest esse", "Impossibile est ut homo de uno peccato satisfiat, alio retento", "De uno sine alio satisfactio fieri non potest").⁷⁶

Nam *primo*, impossibile est haberi veram poenitentiam, quae non sit universalis seu de omnibus peccatis, cum objectum Poenitentiae sit ipsa universalis ratio offensae Dei, imbibita in omni peccato. Si ergo per Poenitentiam expellitur unum peccatum, impossibile est quod

⁷⁶ Nec ideo audiendus est *Suarez* cum sic commentatur *S. Thomam*: "Ex rationibus . . . factis constat *D. Thom.* non loqui de absoluta potentia, sed supposito modo quo nunc Deus remittit peccatum" (Comm. in a. 3, n. 1).

cetera non expellantur. *Secundo*, abstrahendo a remissione per Poenitentiam, absolute impossibile est remitti peccatum sine infusione gratiae sanctificantis; haec autem est absolute impossibilis cum ullo peccato; ergo absolute impossibile est unum peccatum remitti sine alio.

Nec valet opponere hanc rationem valere quidem de statu elevationis non vero de statu naturae purae, in quo peccatum non esset privatio gratiae.

Nam, ut diximus in art. 16 (tom. 1, p. 424 sq.) et iterum hic in art. 84 (p. 11), potest sustineri cum quibusdam Thomistis, quod etiam peccatum commissum in statu naturae purae non posset reparari nisi per ipsam gratiam sanctificantem, eo quod omne peccatum grave importat aversionem a Deo simpliciter, adeoque etiam secundum attributa quae respiciunt ordinem supernaturalem. Ceterum etiam si dicatur gratia sanctificans non requiri ad reparandum tale peccatum, certe aliqua gratia seu divinum auxilium inferioris ordinis esset necessarium, cum homo, aversus ab ultimo fine, non haberet in se principium unde conversio fieri posset; jamvero, qua ratione illa gratia naturalis opponeretur unī peccato, opponeretur et ceteris, nec proinde posset unum peccatum remitti sine alio.

Ceterum, quia quidam adversarii negant alterutrum ex praedictis duobus principiis, seu docent posse dari veram Poenitentiam quae non sit universalis (*Medina*), vel posse fieri peccati remissionem absque infusione gratiae (*Suarez*) aut posse hanc cohabitare cum peccato (*Frassen* et aliquatenus *Suarez*⁷⁶), argumentum sic sub generali forma redintegrari potest, ut inde accipiat evidentiolem efficaciam et ostendatur valere in quolibet ordine, etiam in ordine naturae non elevatae:

Omne peccatum importat aversionem ab ultimo fine, inimicitiam Dei, statum injustitiae, et e converso omnis remissio peccati importat conversionem ad ultimum finem, amicitiam Dei, statum justitiae. Si ergo unum peccatum remitteretur sine alio, idem homo esset simul aversus et conversus ad ultimum finem, inimicus et amicus Dei, injustus et justus. Quod est contradictio in terminis. Nec ad hanc contradictionem levandam sufficit dicere id fore non secundum idem, sed secundum diversa; nam ex subjecta materia constat quodlibet ex praedictis praedicatis importare unam rationem universalem et indivisibilem; finis enim ultimus est unicus et finalizans totum hominem, amicitia est completus amor bonificans omnem relationem inter duas

⁷⁶ Quem efficaciter impugnat *Palmieri*, De Poenit., c. 3, Romae, 1879, p. 183-185.

voluntates, justitia similiter est generalis regulatio appetitus in linea moralitatis.

Hinc patet quid dicendum sit ad varias supra enumeratas (p. 75-78) rationes, quibus adversarii conantur diversimode explicare remissibilitatem unius peccati sine alio.

Ratio fundamentalis, ex qua procedunt, peccati nempe remissionem ultimo pendere *ab extrinseca Dei voluntate*, falsa est, quoniam nequit voluntas Divina facere impossibilia, et impossibilis est remissio peccati absque aliqua interna hominis immutatione, ut dictum est cum Thomistis in art. 84 (p. 11 sq.) et explicant hi doctores in tractatu De Gratia. Ceterum, etiam si talis extrinsecus modus remissionis concederetur, inde nullatenus sequitur unum peccatum remitti a Deo posse sine alio, ob generales rationes finis ultimi, amicitiae et justitiae quae involvuntur in omni remissione, ut dictum est. Idque patet etiam a simili, scilicet a condonatione offensae quae fit inter homines quaque amicitia reintegratur; "*ridiculum enim videtur*, inquit S. Thomas (hic ad 3), quod etiam ab homine aliquis veniam peteret de una offensa, et non de alia", "sicut nec homini satisfaceret qui pro alapa ei data se ei prosterneret, et aliam similem daret" (Suppl., q. 14, a. 1), et vicissim non minus ridiculum esset alicui concedere veniam de una offensa et non de alia.

Quae aliqui adversarii asserunt *de natura peccati habitualis* consistente in mera extrinseca denominatione, reicitur in tractatu De Gratia. Ex ipsa essentia formae gratiae, cui opponitur peccatum habituale, datur intelligi hoc esse plus quam meram denominationem, sed internam privationem gratiae, ad modum formae seu maculae afficientem animam.

Quae vero dicunt *de modo quo possit fieri remissio* unius peccati sine alio, difficile intelliguntur. Nam *primo*, si admittitur habituale peccatum esse aliquid animae intrinsecum, non poterit auferri nisi per formam contrariam seu per internam aliquam immutationem animae, non vero per meram extrinsecam Dei condonationem, ut vult *Frassen*. *Secundo*, si illud peccatum consistit juxta sententiam Thomistarum in ipsa privatione gratiae sanctificantis, absque ratione *Nugnis* thomista eousque procedit ut fingat ipsum consistere in aliqua macula positiva quae possit per gradus crescere et decrescere; nec ceteroquin, si id concedatur, exinde necessario sequitur unum peccatum posse remitti sine alio, seu praedictos gradus maculae, utpote positivos, posse ad invicem separari in ipsa remissione et ablatione, sicut fuerunt in acquisitione, nam plura dantur entia positiva quorum unum nequit

destrui sine alio, ut patet de relatione quae destruitur destructo termino vel fundamento, et de essentia, quae evanescit subtracta ejus existentia, vel de existentia quae abicitur per corruptionem essentiae. *Tertio*, si peccatum consistit in privatione habitualis gratiae sanctificantis, non potest expelli nisi per contrariam formam ejusdem gratiae habitualis, non vero, ut vult *Suarez*, per aliquam aliam voluntatis immutationem inferioris generis. *Quarto*, si infunditur in anima gratia sanctificans, quomodo poterit cohabitare, ut vult *Frassen*, cum contraria forma peccati; aut quo sensu intelligat quis lucem et tenebras, bonum et malum, ens et non ens in unum convenire?

Quae tandem dicunt *de indole et vi actus Poenitentiae*, jam alibi explosa sunt. Dictum est enim in art. 25 (tom. 2, p. 62–76) veram ac salutarem Poenitentiam non posse esse particularem seu attingere unum peccatum, alio non attacto, etiam si sit mera attritio (contra *Suarez*), et a fortiori si sit contritio (contra *Medinam*); nam Poenitentia respicit peccatum sub communi ratione offensae quae convenit omnibus peccatis, et contritio illud praeterea respicit sub motivo charitatis, seu sub ratione offensae in amicum. Quod autem dicitur de influxu mere dispositivo actus perfectae contritionis, rejectum est in art. 18 (tom. 1, p. 448–455), ubi probavimus Poenitentiam influere etiam ut causam efficientem moralem seu satisfactoriam in remissionem peccati, et ceteroquin quomodolibet influxus ille accipiatur, eodem modo quo se habet relate ad unum peccatum, se habet ad omnia; similiter, quod additur vim remissivam Poenitentiae tandem aliquando pendere a sola libera acceptance Dei (quod quidem falsum est in sententia quam cum pluribus thomistis defendimus, actum nempe Poenitentiae procedere ab ipsa gratia sanctificante media virtute Poenitentiae), hic nihil refert, nec ex assumpto quod Deus possit totaliter negare remissionem, recte infertur Deum posse eam concedere tantummodo partialiter, nisi prius aliunde probetur peccata esse separabilia in remissione, cujus oppositum ostensum est.

Unde stat in toto suo absoluto rigore veritas dicti *S. Thomae*: "*Cujus miseretur, totaliter miseretur*" (a. 3).

Ex iisdem principiis refellitur *peregrina quaedam opinio* in qua explicanda et sustinenda multum insudat *Lugo*, instituens speciale dubium: "Utrum sicut reatus poenae potest *solum ex parte remitti*; sic etiam possit reatus culpa. *Hanc difficultatem non invenio ab auctoribus examinatam*". Respondet autem, absolute loquendo posse unum et idem peccatum a Deo remitti tantum partialiter, sive sit mortale sive veniale, sive remissio fiat per gratiae infusionem sive per solam extrinsecam Dei condonationem; de facto tamen peccatum

mortale semper remitti totaliter, peccatum vero veniale in sacramento certe remitti totaliter, extra sacramentum vero non certe sed probabilius.

Ad rem ipse LUGO: "*Dico primo*: loquendo de possibili, non apparet, cur non potuisset Deus statuere, ut tolleretur per partes reatus culpae venialis, atque etiam mortalis, non solum si per condonationem extrinsecam, sed etiam si per infusionem gratiae remitteretur culpa mortalis. . . Nam in primis de culpa veniali non apparet, cur non posset Deus remittere partialiter indignationem suam, et cedere juri ad totam indignationem retinendo jus ad aliquam levioerem, ita ut esset Deus ex parte placatus, sed non totaliter. Rursus si culpa mortalis remitteretur per condonationem extrinsecam, non apparet, cur Deus non posset *remittere jus ad indignationem graviorem retinendo sibi jus ad indignationem, et aversionem gravem, item remittere jus ad indignationem gravem retinendo jus ad levem*: Denique etiamsi remitteret peccatum mortale per infusionem gratiae; adhuc posset retinere jus ad aversionem levem, quae non est impossibilis cum gratia, et amicitia Dei: non est ergo repugnantia, loquendo de possibili, quod reatus culpae venialis, vel mortalis deleteretur per partes, sicut tollitur de facto reatus poenae. . .

"*Dico secundo*, loquendo etiam de possibili, non potuit fieri, quod reatus culpae mortalis deleteretur per satisfactionem peccatoris, quoad aliquam partem etiam levissimam, ita ut ex offensa gravissima, cujus reus erat homo, remaneret reus offensae gravis quidem, sed minus gravis. . .

"*Dico . . . ultimo*: de facto Deus nunquam remittit reatum culpae ex parte, sed vel totum, vel nihil illius. Haec conclusio quoad remissionem peccati mortalis videtur certa. . . *Solum posset dubitari de remissione peccati venialis*, quae aliquando juxta communem sententiam habetur extra sacramentum, et absque contritione perfecta, sed solum posita attritione, vel simili dispositione, ut videbimus infra disput. ix, sect. ii. Non habemus enim promissionem divinam de ponenda tunc remissione totali; quare cum aliunde dixerimus non repugnare remissionem partialem; posset aliquis dicere, quod de facto detur aliquando in praedictis casibus. Et quidem qui dicunt, non remitti veniale extra sacramentum, nisi per contritionem perfectam de illo, non aestimabunt magnum absurdum, quod non remittatur plene, sed aliquando solum ex parte posita attritione extra sacramentum, *neque ego video inconvenientia magni ponderis in ea assertione. Adhuc tamen probabilius existimo, quod etiam in iis casibus, vel non remittatur culpa, vel remittatur tota simul*. Quod quidem colligere possumus satis verisimiliter ex modo, quem Deus habet remittendi culpam in sacramento, vel per contritionem: quia licet tunc etiam potuisset non remittere culpam totaliter, sed solum ex parte, ut diximus; noluit tamen de facto id facere, sed culpam totaliter remittere, et solum retinere aliquid ex debito poenae; ergo credibile est, nisi aliunde oppositum nobis constet, quod eodem modo remittat culpam venialem, quando per attritionem vel alias dispositiones eam remittit."⁷⁷

Attamen, mirum non est hanc peregrinam opinionem alios doctores nequidem suspicatos esse. Aggravat enim positionem eorum qui dicunt unum peccatum posse remitti sine alio et ulterius extendit doctrinam de possibilitate dimidiatae veniae ac remissionis. Si enim plura peccata coalescunt in unam inscindibilem rationem offensae Dei, a fortiori unumquodque peccatum est totum, ut ita dicatur, simul in sua specie et ratione, nec resultat ex ullis gradibus malitiae seu offendibilitatis,

⁷⁷ De Poenitentia, disp. 8, sect. 2, n. 78. 81. 88 sq., Disp. Theol., t. 4, 1892, p. 581-585.

qui ad invicem in remissione separari queant, et maxime in ea remissione quae fit per infusionem gratiae sanctificantis.

Si Deus ita remitteret peccatum, ut remitteret jus ad indignationem majorem, sed retinendo jus ad indignationem minorem, fingeret quamdam substitutionem alicujus offensae minoris, nullatenus commissae, offensae majori, nam unicuique offensae correspondet propria indignatio seu potius jus ad indignationem quod est indivisibile, sicut ipsa offensa in qua fundatur et cui commensuratur. In ea igitur hypothesi, Deus non aliter se gereret ac qui diceret percutienti se graviter in capite: Remitto tibi jus quod habeo ad gravem indignationem contra te ut percutientem caput, sed retineo indignationem contra te ac si leviter manum meam percussisses; vel qui infamanti se diceret: Renuntio indignationi correspondenti infamationi tuae, sed retineo indignationem ac si dedisses mihi alapam.

Confundit igitur Lugo propriam indolem remissionis offensae, quae fit per redintegrationem indivisibilis amicitiae et benevolentiae, et modum remissionis debiti rei exterioris, pertinentis ad justitiam, quae quidem sola divisibilis est, sicut est divisibilis ipsa res quae debetur. Potest quidem quis debenti sibi centum libellas remittere quinquaginta et ad hunc usque numerum urgere jus suum, sed ridiculum est, ut observat S. Thomas, dimidiatam velle dare aut petere veniam (cf. ad 4; Suppl., q. 14, a. 1, ad 2). Nec valet exemplum divisibilis remissionis poenae temporalis, ex quo Lugo exordium sumit disputationis suae; nam ideo ea remissio est divisibilis, quia ipsa poena temporalis est divisibilis, adeoque ejus remissio non essentialiter differt a praedicta remissione debitorum rerum exteriorum.

ART. 87. Utrum Per Poenitentiam Auferatur Necessario Poena Aeterna Et Aliquid Poenae Temporalis, Non Autem Tota Poena Temporalis, Nec Omnes Reliquiae Peccati (q. 86, a. 4 et 5; C. Gent. 3, 159; 4, 72; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de efficacia Poenitentiae quoad ejus extensionem ad ablationem effectuum ipsius peccati, seu *poenarum et reliquiarum peccati*, per quam completur et perficitur ejus remissio.

In art. 46 et 53 (tom. 3, p. 13 sq. 197. 207 sq.) dictum est quae sint *poenae* quae peccato debeantur et quomodo in variis unius peccati malitiis fundentur ac pro unaquaque distribuantur, scilicet poena damni pro aversione a Deo, poena sensus aeterna pro conversione ad creaturam prout est aversiva a Deo, et poena sensus temporalis pro conversione ad creaturam prout est mere indebite conversiva.

Reliquiae peccati dicuntur non quilibet peccati effectus, sicut poenae, sed illi qui, quamvis nullum reatum per se constituent, tamen ex peccato inducti sunt et in peccatum inclinant, ut sunt praecipue pravae dispositiones et habitus mali, qui proprie dicuntur *reliquiae peccati*. Ad hos etiam reduci possunt quaedam inclinationes aut conditiones animae vel corporis, occasionaliter inductae per peccatum, ut hebetudo mentis et languor voluntatis, quae nonnisi remote et indirecte inclinant in peccatum, ac proinde *improprie dictae peccati reliquiae* vocari possunt. De qua quidem distinctione fusius dicitur in Concl. 3.

Est igitur quaestio an et quomodo hi omnes peccati effectus auferantur per Poenitentiam seu in ipso momento remissionis culpae. Et quidem *tria quaeruntur* per tres Conclusiones resolvenda:

1. An *poena aeterna* auferatur, et quidem necessario.
2. An aliquid de *poena temporali* auferatur, non tamen tota.
3. An *reliquiae peccati* non necessario nec plerumque auferantur.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica et documenta Ecclesiae.

Per Poenitentiam de facto ac necessario auferri *poenam aeternam* est *saltem proximum fidei*. Nam *Conc. Trid., sess. 6, cap. 14*, docet satisfactionem deberi pro sola poena temporali, et "non . . . pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur" (Denz. 807), imo ibidem in ipso *canone 30* id definit, quamvis in forma indirecta, inquit: "Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori poenitenti ita culpam remitti et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis . . . : A. S." (Denz. 840). Quidam, ut Galtier, ob indirectam formam hujus definitionis, id dicunt esse proximum fidei, plures alii vero, ut Suarez, Billuart, Van Noort, Piolanti, Diekamp, quia agitur de definitivo canone, id simpliciter dicunt de fide. Praeterea Concilium in *sess. 5, can. 5* (de peccato originali) definit nullum reatum originalis peccati manere in renatis, quod quamvis directe dicat de Baptismo, valet ex mente Concilii generaliter de omni Poenitentia tam sacramentali quam extrasacramentali. Item, in *sess. 14, cap. 8 et can. 12*, ait: "non totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo" (Denz. 922), ubi supponit aliquam poenam remitti, si vero aliquam, saltem aeternam; et ibidem, *can. 15* definit de Poenitentia sacramentali quod in praedicto canone 30, sess. 6, definierat de poenitentia in genere, et quidem sub eadem forma indirecta, inquit: "Si quis dixerit . . . fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat: A. S." (Denz. 925).

Per Poenitentiam semper remitti *aliquid de poena temporali* est communis apud doctores interpretatio mentis Ecclesiae, cui imprudenter aliquis contradiceret. *Conc. Trid.*, sess. 6, can. 30, et sess. 14, cap. 8 et can. 12 et 15, cum docet non semper et necessario totam poenam temporalem remitti, videtur connaturaliter implicare aliquid illius poenae semper vel ordinarie remitti. Et in hoc sensu intelligendus est *Catechismus Conc. Trid.* cum ait: "Quamvis semper culpa dimissa, simul etiam aeternae mortis supplicium apud inferos constitutum condonetur; tamen non semper contingit, *quemadmodum a Tridentina Synodo declaratum est*, ut Dominus peccatorum reliquias, et poenam certo tempore definitam, quae peccatis debetur, remittat" (pars 2, c. 5, q. 65); ubi cum asseritur poenam temporalem non semper remitti, intelligendum est "non semper remitti totaliter", nam haec est explicita doctrina Concilii ad quam appellat *Catechismus*.

Non necessario *totam poenam temporalem* remitti, est *de fide* signanter definita contra Protestantes a *Conc. Trid.*, in sess. 6, can. 30, et sess. 14, can. 12 et 15, nuper relatis et fusius explicatis una cum aliis Ecclesiae documentis, in art. 53 (tom. 3, p. 165–171), ubi oportuit hanc quaestionem expendere.

De permanentia *reliquiarum peccati* *Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 5, q. 69, habet: "Divus . . . Bernardus duo affirmat in peccato reperiri, maculam animae et plagam: ac turpitudinem quidem ipsam Dei misericordia tolli; verum sanandis peccatorum plagis valde necessariam esse eam curam, quae in remedio poenitentiae adhibetur. Quemadmodum enim sanato vulnere cicatrices quaedam remanent, quae et ipsae curandae sunt; ita in anima culpa condonata supersunt *peccatorum reliquiae* purgandae. Idem plane D. Chrysostomi sententia confirmat, quum ait: 'Non satis est sagittam ex corpore extrahi; sed plaga quoque a sagitta inflicta sananda est: sic etiam in anima post acceptam peccati veniam poenitentia curanda est plaga relicta.' Frequentissime enim a S. Augustino docemur, duo haec in Poenitentia animadvertenda esse, Dei misericordiam et justitiam; misericordiam, qua peccata et poenas aeternas illis debitas condonat; justitiam, quia poenis tempore definitis homines punit."

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM de remotione poenae aeternae, conveniunt theologi quod *de facto seu de potentia Dei ordinaria*, remissa culpa, necessario remittitur poena aeterna. Est tamen quoad hoc duplex secundarius dissensus. Primus est de ipsa re, seu poenae aeternae remissione, quam quidam mediaevales (uti *Hugo et Richardus*

a S. Victore) non simpliciter concedunt auferri per solam Poenitentiam ut virtutem, sed tantum subsequenter per susceptionem sacramenti, ut explicabitur infra in art. 91 (p. 255–258), ubi de effectu Poenitentiae ut sacramenti. Alter est de modo rei, seu de ratione et fundamento remissionis poenae, nam *Scotus* et *Scotistae* id liquido deducunt ex asserta identitate inter reatum culpae et reatum poenae (cf. supra, p. 75), dum alii doctores, negata hac identitate, id concludunt ex intima et necessaria connexionem inter utrumque reatum.

In quaestione de *potentia absoluta*, an nempe absolute repugnet remitti culpam non remissa poena aeterna, non leviter dissident theologi.

Afirmant communius tam thomistae quam extranei, uti *Scotus*, *Biel*, *Capreolus*, *Soto*, *Medina*, *Prado*, *Vasquez* (Disp. 88, a. 1), *Salman-ticenses* (Disp. 6, dub. 3, n. 183–190).

Negant vero sub quadam distinctione quidam pauciores, praecipue *Suarez* (Disp. 10, sect. 3, n. 3–9), quem sequitur *Coninck* (Disp. 2, dub. 13), et *Lugo* (Disp. 8, sect. 2, n. 69 sq.; Disp. 24, sect. 1, n. 2 sq.), cui concinit *Ripalda* (De ente supernaturali, l. 4, disp. 91, sect. 5, n. 41).

Suarez distinguit: Potest, remissa culpa, relinqui *poena aeterna*, *accepta in communi et quomodolibet*, nam, quamvis poena fundetur in culpa, est tamen aliquid distinctum ab ea ac ideo potest cogitari aliqua sufficiens ratio quare ab ea separetur in remissione; non tamen potest relinqui illa determinata poena quae nunc de facto infligitur damnatis, nam haec importat plura quae sunt impossibilia cum facta remissione culpae, i.e. perversionem voluntatis, obstinationem in malo, odium Dei, inimicitiam inter Deum punientem et hominem patientem, vermem conscientiae.

Lugo vero, rejecta hac distinctione et hac repugnantia, magis absolute docet fieri posse ut poena aeterna, etiam prout de facto infligitur, simpliciter maneat, remissa culpa. Nam, ait, non repugnat ut, remissa culpa, Deus puniat adhuc poena aeterna sensus et simul denegat patienti auxilium sufficiens ad ferendam illam poenam, quo deficiente auxilio, prorumperet ille in odium Dei.

Ad rem *SUAREZ*: “Haec disputatio non videtur magni momenti, et video liberum esse hoc vel illo modo in illa sentire. Ego tamen breviter ita censeo, aliud esse loqui de poena aeterna *in communi*, aliud de poena aeterna *prout nunc de facto* illam patiuntur damnati in inferno.

“*Hoc posteriori modo* existimo impossibile post remissionem culpae mortalis manere hominem dignum tali poena. Quia illa poena talis modi est et generis, ut intrinsece supponat perversam voluntatem et inimicitiam inter eum qui illam patitur et auctorem ejus; includit enim talem statum, in quo et voluntas sit obstinata in malo, et intellectus apprehendat Deum ut inimicum; unde fit, ut illa

voluntas perpetuo odio habeat Deum, et specialem tristitiam, et vermem etiam conscientiae habeat; quae omnia non potest habere voluntas ordinata et peccato carens. Haec ergo aeterna poena repugnat post remissionem culpae, non propter aeternitatem, ut sic, sed propter speciem et modum ejus, et propter objecta, quae requirit, quae destruuntur remissa culpa. . .

"At vero, loquendo *priori modo*, non video repugnantiam quod Deus aliquo genere poenae in aeternum possit punire culpam remissam, de potentia absoluta loquendo. . . Haec enim duo mala culpae et poenae sunt diversarum rationum, et quamvis unum in alio fundetur, tamen culpa semel existens, potest relinquere sufficientem rationem poenae proportionatae, et quae existentiam culpae non requirat; sicut inter homines post remissam culpam habet suum locum poena. Declaratur, quia nulla in hoc potest ostendi repugnantia, quod Deus homini peccatori conferat gratiam et justitiam, et consequenter eum jam tamquam justum diligat, illique peccatum remittat, et tamen quod legem statuatur nunquam illi dandi gloriam, quamvis sit suo modo debita gratiae, ratione injuriae sibi factae. Unde etiam nunc ipsa acceptatio ad gloriam, quamvis sit suo modo debita gratiae, et connaturalis illi, tamen simpliciter est libera et voluntaria Deo, atque adeo suo modo gratia, de potentia absoluta separabilis ab interna justitia; non ergo implicat contradictionem aliquam aeternam poenam manere post culpam remissam."⁷⁸

LUGO: "P. Vasquez . . . dicit . . . [quod] justificatio, cum fiat per infusionem gratiae habitualis sanctificantis, ex natura sua affert jus ad gloriam aeternam, et per consequens dignitatem gloriae aeternae, cum non possit aliquis esse dignus simul gloria aeterna, et dignus carentia aeterna ejusdem gloriae: ergo ex natura sua infusio gratiae affert ablationem poenae aeternae. . . Nobis consequenter ad nostra principia paulo aliter dicendum est. . . Fatendum est, gratiam sanctificantem natura sua afferre, quod remittatur debitum poenae aeternae: non ita ut ipsa gratia formaliter deleat reatum poenae *absque voluntate Dei condonantis*, sed ita ut gratia ex natura sua exigit talem condonationem. Quare, licet hoc esset contra naturam, et exigentiam gratiae; *posset tamen Deus de potentia absoluta, deleta macula, retinere jus ad poenam temporalem* [lege: aeternam], ut dixi disp. v de Incarnatione, iii, sect. vii. num. 127. et disp. xxvi, sect. vii. num. 43. et rursus hoc eodem tomo, disp. vii. [sect. 6, n. 82; et disp. 8, sect. 2, n. 70] qui casu haberet quidem homo jus ad condonationem poenae; atque ideo haberet jus quasi radicale, et dignitatem remotam carendi poena aeterna: quia tamen Deus posset non ponere condonationem, quam gratia exigit, maneret adhuc debitum proximum poenae aeternae, et carendi gloria. Caeterum de facto Deus attendendo ad exigentiam gratiae, et ad ejus naturam, condonat reatum poenae aeternae, quae condonatio merito dicitur fieri ex natura ipsius justificationis et gratiae, contra cujus naturam esset, si Deus non condonaret homini justo reatum poenae aeternae."⁷⁹

"Ego . . . juxta ea, quae dixi supra disput. praecedenti sect. vi, num. 82, existimo, loquendo de potentia Dei absoluta, potuisse dimissa culpa remanere debitum totius poenae aeternae, qualem de facto patiuntur damnati in inferno. Nam de facto Deus in poenam alicujus peccati venialis, solet homini negare auxilium efficax ad resistendum tentationi gravi, praevidens ex negatione talis auxilii lapsurum hominem graviter, et aliquando damnandum: cur ergo non posset Deus de potentia absoluta remissa culpa mortali, velle punire poena aeterna sensus, qualem et quantam patiuntur damnati in inferno, et rursus negare auxilium, quo posset homo moraliter resistere tentationi, quae ex illo tormento aeterno insurgeret vehementissima ad odium adversus Deum ita acriter illum punientem?"

"Negato autem illo auxilio moraliter sufficienti, et relicto auxilio, quod solum daret potentiam physicam, jam homo certissime prorumperet in odium acerbum

⁷⁸ De Poenitentia, disp. 10, sect. 2, n. 8 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 185 sq.

⁷⁹ De Poenitentia, disp. 24, sect. 1, n. 2 sq., Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 404.

adversus Deum ab ipso tormenti initio, atque adeo haberet etiam odio ab ipso Deo propter illud, et alia peccata, quae ex tunc committeret, et licet propter illa non puniretur, eo quod non essent peccata hominis viatoris; esset tamen odibilis, et invisus propter illa; maneret deinde obstinatus in illis, cum semper maneret absque auxilio moraliter sufficienti ad poenitentiam: haberet vermem aeternum horum peccatorum; maneret ergo similis in omnibus animae, quae de facto damnata est, hoc uno excepto, quod tunc puniretur propter peccata jam dimissa quoad culpam, nec haberet tunc vermem culpae commissae, et non dimissae in hac vita; haberet tamen, ut dixi, vermem peccati praesentis, perversionem et obstinationem, sicut nunc habent damnati: nam tota illa negatio futura auxiliorum includebatur etiam in poena condigna peccati mortalis; et Deus supponitur non remisisse aliud de poena, sed solam culpam praecise, imo de facto fortasse Deus aliquando remissa culpa mortali, *negat adhuc alicui auxilia uberiora*, vel efficacia ad resistendum tentationi alicui gravi propter peccatum praeteritum.

“Si verbi gratia aliquis cum voto castitatis uxorem ducat, vel contra religiosa vota relinquat sacrilege statum religiosum, quem assumpserat, et obtenta dispensatione maneat in saeculo, etiamsi uterque per attritionem in sacramento iustificetur, adhuc Deus potest, et fortasse aliquando de facto utriusque negat auxilia uberiora, vel efficacia ad resistendum; et permittit utriusque lapsus in alia peccata propter peccatum praeteritum, etiamsi dimissum fuisset quoad culpam per virtutem sacramenti.”⁸⁰

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, de poena temporali, *aliquid de ea* semper auferri per Poenitentiam, remissa integraliter poena aeterna, docent communiter theologi, etsi discrepent in modo illud explicandi, ut exponetur in Concl. 2; opponitur tamen ex parte peregrina opinio *Richardi a S. Victore* (de qua supra, art. 85, p. 63 sq.), docentis nihil de poena temporali remitti cum quis poenitet de peccato in Spiritum S., necnon modus dicendi *Lugonis et Durandi* (de quo infra in Concl. 2), qui fere ad nihil reducit poenae temporalis remissionem. Quod vero *non tota poena* necessario tollatur, est non tantum doctrina communis, sed etiam de fide, ut diximus supra, cui opponuntur *Protestantes* aliique haeretici relati in art. 53 (tom. 3, p. 143–165), ubi, agendo de satisfactione, oportuit hanc quaestionem praeoccupare.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, nempe de *reliquiis peccati*, quod non omnes nec necessario auferantur, nemo est qui dissentiat, cum id doceat ipsa huius vitae quotidiana experientia; discrepant tamen doctores in explicando modo quo reliquiae peccati permaneant, nam quidam, in tractatu de vitiis et peccatis, rectius docent habitus vitiosos manere in propria ratione habitus, alii vero dicunt habitus ipsos auferri eorumque loco manere aliquam pravam dispositionem facile mobilem, quae ab habitu ipso specificè distinguatur.

⁸⁰ De Poenitentia, disp. 8, sect. 2, n. 70, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 578 sq.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Per Poenitentiam simul cum peccato aufertur semper ac statim reatus poenae aeternae, quae debetur peccato prout est aversio a Deo; imo absolute repugnat quod, ablato peccato, remaneat poena aeterna (p. 86, a. 4; 2-2, q. 24, a. 12; In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 3, q. 1, ad 4).

Probatur 1. EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.

Id sequitur *imprimis* ex ipsa amplitudine qua in textibus citatis in art. 84 et 85 (p. 6 sqq. et 18 sqq.), remissio peccati homini poenitenti promittitur, quae quidem vix intelligi posset si, remissa ipsa culpa, adhuc poena aeterna imputaretur. Dicitur enim Deus multus esse ad ignoscendum (Isai. 55, 7) et multae misericordiae ac praestabilis super malitiam (Joel, 2, 12 sq.); solum peccatum dividit inter Deum et hominem (Isai. 59, 2); poenitentia avertit iram Dei a nobis (Psal. 84, 5); si homo poeniteat, Deus non amplius cogitabit facere ei malum, seu illum punire (Jer. 18, 8); omnes iniquitates poenitentis non amplius recordabuntur, et impietas impii non nocebit ei nec erit ei in ruinam, sed, revocata a Deo mortis sententia, vita vivet et non morietur (Ezech. 18, 21 sq. 30-32; 33, 12-16).

Jamvero si aeterna poena maneret, Deus non esset praestabilis super malitiam; adhuc maneret divisus ab homine; adhuc retineret iram et cogitaret ei facere malum; adhuc recordaretur iniquitatum; impietas impii adhuc esset ei in ruinam, nec ipse simpliciter viveret, sed potius aeterna morte afficeretur.

Praeterea, quidam textus permanentiam aeternae poenae magis explicite excludunt. Ita 2 Cor. 7, 10 dicitur: "Quae enim secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur; saeculi autem tristitia mortem operatur"; oppositio inter salutem stabilem, quam operatur Poenitentia, et spiritualem mortem, quam operatur peccatum, mentem dirigit ad exclusionem aeternae poenae per Poenitentiam. Idem Apostolus signantius docet justificatis in Christo nihil jam damnationis superesse, sed potius jus ad resurrectionem et spem *coelestis haereditatis* quae est fructus sanctificationis cuius *finis est vita aeterna*. Rom. 8, 1. 11. 15. 17. 18: "*Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu. . . [Deus] vivificabit et mortalia corpora vestra. . . Accepistis spiritum adoptionis filiorum. . . Si autem filii, et heredes [cf. Gal. 4, 7: "Si filius et heres per Deum"]*: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi . . . [relate nempe] ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis". *Ibid.* 6, 2. 5. 11. 21-23: "Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? . . . Si . . .

complantati facti sumus similitudini mortis ejus [i.e. Christi], simul et resurrectionis erimus. . . Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo. . . Finis [praeteritorum peccatorum] . . . mors est. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in *sanctificationem, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati, mors; gratia autem Dei, vita aeterna*".

Restitutio caelestis hereditatis, contenta in remissione peccatorum, emphatice proponitur in parabola *filii prodigi* (Luc. 15, 19. 22: "Peccavi . . . ; jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis. . . Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam et induite illum") et in *verbis promissionis* potestatis absolvendi peccata, in quibus efficacia etiam ipsius virtutis Poenitentiae declaratur: "Et tibi dabo claves regni coelorum" (Matth. 16, 16).

Nec cum minori amplitudine et asserverantia eadem veritas declaratur apud *Patres*, quorum verba, passim in hoc tractatu relata, superfluum est refricare.

Probatur 2. EX RATIONE.

Et *primo* quidem ex ratione intimae *connexionis inter peccatum et reatum poenae aeternae*, quam declarat S. Thomas hic, a. 4, corp. et ad 1, cit. supra in art. 53 (tom. 3, p. 198), et ex qua sequitur non solum quod, remisso peccato, poena aeterna *de facto* semper et immediate remittatur, sed etiam quod *absolute repugnet* eam non remitti. Ut enim explicatum est in art. 46 et 53 (tom. 3, p. 13 sq. 197. 207 sq.) reatus poenae aeternae fundatur et sequitur ex aversione a Deo, quae continetur in peccato, sicut reatus poenae temporalis fundatur et sequitur ex indebita conversione ad creaturam. Ergo, sublata aversione a Deo per remissionem culpae, ipso facto cessat et necessario auferitur reatus poenae aeternae, sicut sublato fundamento ruit aedificium, subtracto fundamento evanescit relatio, remota causa, removetur effectus.

Quod autem id sequatur de necessitate absoluta, seu quod *absolute repugnet* peccatum remitti et poenam aeternam remanere, sequitur ex consideratione ipsius modi quo talis reatus fundatur in aversione Dei. Fundatur nempe primo et immediate, ac ideo inseparabiliter. Nam reatus ille nihil aliud est quam condignitas ad poenam, imbibita intrinsece in ipsa aversione a Deo et connaturaliter resultans ab ipsa tamquam moralis ejus proprietas, non secus ac jus ad gloriam nihil aliud est quam intrinseca condignitas et immediata proprietas gratiae sanctificantis; unde sicut nequit jus ad gloriam separari a gratia, ita nec reatus poenae aeternae ab ipso peccato, et sicut amissa gratia

amittitur jus ad gloriam, ita remoto peccato removetur poenae aeternae reatus.

Nec juvat dicere reatum poenae aeternae fundari in peccato ut in causa sui fieri et non ut in causa sui esse (i.e. fundari necessario in peccato prout fuit, non vero prout est), seu sufficere ad incurrendum reatum quod homo aliquando peccaverit, ita ut possit subsistere etiam cum peccatum per remissionem auferatur. *Nam* si id verum esset, reatus ille adhuc subsisteret in omnibus peccatoribus justificatis, etiam beatis, quod profecto nemo dicet et apparet manifesto falsum ex adducto exemplo gratiae sanctificantis, quae importat jus ad gloriam non prout aliquando fuit in anima, sed prout in actu est, secus tale jus subsisteret etiam in omnibus damnatis qui aliquando gratiam habuerunt.

Et haec quidem ratio valet simpliciter et absolute, abstrahendo nempe a modo quo dicatur fieri justificatio, sive in statu elevationis sive in statu naturae purae, per infusionem nempe gratiae sanctificantis, vel per interiorem aliquam immutationem animi, vel etiam per meram extrinsecam condonationem.

Secundo, idem sequitur etiam *ex ipsa indole et effectu justificationis*, prout saltem de facto fit per infusionem gratiae sanctificantis, quae est immediatus effectus remissionis. Gratia enim facit hominem Dei amicum, filium et haeredem, seu confert jus ad haereditatem quae in aeterna beatitudine consistit; jamvero implicat aliquem habere simul jus ad beatitudinem et debitum exclusionis ab ea seu reatum poenae aeternae, haberet enim jus ad unum et debitum ad oppositum, seu haberet et non haberet jus ad idem; quod implicat contradictionem.

Confirmatur ex auctoritate *S. Thomae*.

In praesenti articulo 4, S. Doctor manifeste loquitur de absoluta repugnantia, cum docet, remissa culpa non remanere reatum poenae aeternae; propterea, ut de re per se evidenti, dedignatur instituere specialem articulum de remissione poenae aeternae. "Ex parte . . . aversionis ab incommutabili bono consequitur peccatum mortale reatus poenae aeternae, ut qui contra aeternum bonum peccavit, in aeternum puniatur. . . Quando igitur per gratiam remittitur culpa, tollitur aversio animae a Deo, in quantum anima Deo conjungitur. Unde et *per consequens* simul tollitur reatus poenae aeternae" (*in corp.*). "*Ex hoc ipso* dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum *reatu poenae*" (*ibid.*, ad 1); unde pro S. Thoma remitti peccatum est idem ac tolli simul aversionem a Deo et reatum aeternae poenae, ita ut non possit absolute

remitti peccatum quin tollatur reatus hujus poenae, eadem absoluta necessitate qua non potest remitti idem peccatum quin tollatur aversio a Deo.

In 2-2, q. 24, a. 12, *Sed contra*, S. Doctor ait: "Nullus . . . potest esse simul dignus vita aeterna et morte aeterna. Ergo impossibile est quod aliquis habeat charitatem cum peccato mortali"; ubi iterum est quaestio de absoluta impossibilitate remissionis peccati cum permanentia reatus poenae aeternae, seu de ipsa eadem impossibilitate quae praedicatur de coexistentia charitatis cum peccato.

In 4 *Sent.*, *dist.* 17, q. 2, a. 3, q. 1, *ad* 4, S. Doctor ait reatum poenae aeternae inseparabiliter coniungi cum offensa Dei ("Quaedam poenae inseparabiliter habent conjunctam Dei offensam, sicut separatio a Deo [in hac vita, dum manet peccatum]; quaedam etiam addunt perpetuitatem, sicut poena inferni [poena damni et poena sensus aeterna]"); unde ubi est unum est necessario aliud, et ubi non est unum nequit absolute esse aliud, adeoque ubi non est peccatum nequit absolute esse reatus poenae aeternae.

Ex dictis manet divulsa contraria sententia tum Suaresii tum Lugonis, supra citata (p. 92-94).

Suarez pro sua sententia has rationes affert.

Primo: poena etsi fundetur in culpa, est tamen ab ea distincta, ac ideo non repugnat separari. *Attamen*, ipse confundit distinctionem cum separabilitate, vel male unam ex altera infert; plura enim sunt realiter inter se distincta, ut corpus et anima bruti, intellectus et intellectio, relatio et suum fundamentum, quae tamen ab invicem separari repugnat; et ita contingit in reatu culpae et reatu poenae. Nec valet opponere quod in peccatore adhuc viatore de facto separantur culpa et poena, cum haec applicetur in altera vita; nam aliud est ipsa poena et aliud reatus poenae; reatus absolute separari non potest a culpa, applicatio vero poenae, etsi sic separari possit ut non statim aut etiam numquam poena applicetur, non tamen ita separari potest ut applicetur ei cui culpa remittitur; nam inter culpam et poenam mediat poenae reatus, quo deficiente, poena injuste applicatur aut poenae rationem non habet.

Secundo: Potest esse sufficiens ratio quare Deus urgeat suum jus ad punitionem, quin urgeat suum jus ad aversionem, atque culpam solam remittat; quod quidem confirmatur a pari, nam inter homines saepe contingit ut post remissam offensam, adhuc urgeatur poena. *Attamen*, negatur oppositum, quod nempe illa duo jura sint separabilia et quod, remissa culpa et abrenuntiato jure ad aversionem, Deus adhuc habeat jus ad punitionem quod possit urgere; cum enim

utrumque jus fundetur in utroque reatu culpae et poenae, utroque simul concidente reatu, utrumque simul jus evanescit.

Ceterum, videtur Suarez confundere reatum poenae aut proprie dictam poenam cum inflictione alicujus cruciatu, et similiter jus extorquendi poenam cum jure infligendi cruciatum. Vi quippe supremi juris dominii in creaturam, posset Deus, etiam remissa culpa et poena, hominem submittere aeterno alicui cruciatui, sed nequit talem cruciatum infligere in poenam remissi peccati, sicut e converso ex eodem jure potest Deus peccatorem impenitentem liberare ab aeterno supplicio, non tamen extinguendo in eo reatum poenae qui manet cum culpa, et similiter potest homini justo non conferre beatitudinem, non tamen extinguendo in ipso jus ad beatitudinem quod inhaeret gratiae sanctificanti, seu, ut ait Suarez, "ratione injuriae sibi factae". Unde falsa est in terminis conclusio Suaresii: "Non ergo implicat contradictionem aliquam, aeternam poenam manere post culpam remissam".

Nec juvat Suaesium invocata paritas cum remissione offensarum inter homines, quam posset quis multo urgentius confortare per paritatem reatus poenae temporalis qui de facto plerumque manet post remissionem culpae, ut dictum est in art. 53. Nam revera paritas non adest. Ut enim in eodem articulo dictum est, reatus poenae temporalis ideo separatur a culpa ac subsistit post illius remissionem, quia pendet ab ea non in esse sed tantum in fieri, sicut aedificium pendet ab artifice, quo defuncto, permanet in esse, vel melius, quia fundatur in culpa non prout est aversio a Deo, uti reatus poenae aeternae, sed prout est indebita conversio ad creaturam, quae, ut explicatum est ibidem cum S. Thoma, adhuc quodammodo remanet post remissam offensam Dei ac ideo indiget corrigi et regulari per poenae temporalis satisfactionem vel expiationem. Ex quo potius invocata paritas potest converti contra ipsum obicientem, nam etiam in hoc casu reatus poenae non prorsus separatur a remissione culpae, quia, sicut reatus poenae, ita quodammodo manet reatus culpae quantum ad suum materiale, seu quantum ad praedictam inordinationem, imo ideo remanet reatus poenae quia remanet aliquid de reatu culpae. Et similiter ratio quare interdum apud homines post remissam offensam adhuc exigatur poena, est quia aliquid inordinatum ex ipsa offensa subsistit quod indigeat per poenam vel per satisfactionem reparari, uti sunt jura alterius laesa per culpam et bonum communitatis aut societatis.

Lugo aggravat sententiam adversariorum et in majora impingit inconvenientia. Nam ait Deum posse in poenam peccati jam remissi non solum deputare hominem ad aeternum supplicium, sed etiam ei

denegare auxilium sufficiens ad ferendam eam poenam, quo auxilio deficiente, homo prorumperet in odium Dei ac ita inde ab illo momento pergeret cruciari eodem prorsus modo quo de facto cruciantur damnati in inferno, i.e. cum odio, obstinatione, perversione, remorse. Jamvero, inflictio illarum duarum poenarum pro peccato jam remisso est impossibilis, ut dictum est contra Suarez quoad ipsam inflictionem prioris; inflictio vero alterius, seu denegatio auxilii sufficientis ad ferendum cruciatum, vix concipi potest, cum ex una parte non videatur quomodo possit consistere quod Deus conferat gratiam sanctificantem per remissionem culpae et simul denegat auxilia sufficientia ad ea bene utendum, et ex alia parte Deus poneret praedictum hominem in morali necessitate peccandi ita ut ejus peccatum possit refundi in ipsum Deum ponentem hominem in tanto cruciatu et simul denegantem ei auxilia ad illud ferendum.

Unica autem ratio ex qua Lugo deducit possibilitatem suae fictionis, scilicet paritas cum facto quod Deus in poenam peccati venialis solet denegare auxilium ad resistendum gravi tentationi, praevidens hominem lapsurum ac tandem damnaturum, est fallax et nugatoria. Nam vel loquitur de peccato veniali jam remisso, et tunc negatur assertum, quoniam falsum est Deum tunc denegare praedictum auxilium in poenam peccati venialis, sed unicum debitum remanens est expiatio poenae temporalis; vel loquitur, ut loqui videtur, de peccato veniali nondum remisso et tunc vagat extra quaestionem et dupliciter illogice procedit, nam ex poena inflicta pro peccato veniali nondum remisso concludit ad poenam pro peccato mortali jam remisso, et ex eo quod de facto contingit in veniali arguit tantummodo quod de possibili seu de potentia absoluta posset contingere in mortali, dum logice ex invocata paritate deberet concludere quod etiam de potentia ordinaria accidit ut, remisso peccato, poena aeterna non remittatur; quod quidem non congruit doctrinae catholicae et est contra suppositam doctrinam ipsius Lugonis.

Conclusio 2. Per Poenitentiam simul cum peccato mortali remittitur semper aliquid de poena temporali pro peccato debita, non tamen necessario tota poena remittitur (q. 86, a. 4; C. Gent. 3, 159; 4, 72; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 2; cf. alios textus cit. in art. 53, tom. 3, p. 198–202).

Probatur.

Secunda pars hujus conclusionis, quod nempe, remissa culpa, non necessario, imo nec plerumque, auferatur tota poena temporalis, est

de fide et jam probata ac explicata est in Cap. VI de satisfactione, art. 53, ubi oportuit hanc quaestionem maturius resolvere, ut efficaciter convelleretur doctrina Novatorum negantium existentiam satisfactionis ex negata permanentia reatus poenae post remissionem culpaе.

Prima vero pars, nempe *aliquid de poena temporali semper remitti* cum ipsa culpa, sequitur ex reparativa et satisfactiva vi actus poenitentiae. Id supponitur, potiusquam directe doceatur a *Conc. Trid.* et *Catechismo Conc. Trid.*, ut dictum est supra, et communiter admittitur a theologis qui hanc quaestionem ponunt vel mere transeunter tangunt.

Attamen, in determinanda hac efficacitate actus Poenitentiae, doctores in varias abeunt discordantes explicationes, imo unus vel alter, ut Lugo et Durandus, talem affert exanguem limitationem ut reapse videatur negare quod alii communiter admittunt.

Lugo (Disp. 8, sect. 2, n. 55–68), late discutiens et refellens sententiam Suaresii, docet quod in justificatione remittitur aliquid de poena temporali eo tantum sensu quod Deus, dum commutat poenam aeternam in temporalem, eam commutat in minorem quam posset poenam, nam in quamcunque poenam temporalem Deus commutat aeternam, semper cogitari posset major poena temporalis in quam Deus posset aeternam commutare. Facta autem hac commutatione, nullo modo dici potest in justificatione remitti aliquid de hac poena temporali in quam aeterna commutata est, imo id "*in ipsis terminis involvit repugnantiam*: quia si poena aeterna commutatur in poenam, verbi gratia, decennii, et in eodem instanti remittitur poena unius anni, ergo vere poena aeterna commutata fuit in poenam solum novem annorum, et non in poenam decennii: in illam enim poenam commutatur, cujus solum debitum manet, reliqua remissa: si ergo solum manet debitum novem annorum; in illam solum commutatur poena aeterna."⁸¹

Durandus videtur docere in justificatione remitti aliquid de poena temporali, si contritio non sit in infimo gradu; si enim est in infimo gradu, valet tantum ad obtinendam commutationem ipsius poenae aeternae in temporalem, si vero habet aliquem gradum supra infimum, per illum valet extinguere aliquem gradum poenae temporalis.

Communiter alii, inter quos *Cajetanus*, *Soto*, *Medina* et *Suarez*, docent in justificatione semper fieri aliquam remissionem poenae temporalis, etiam si contritio est in infimo gradu, sed differunt in

⁸¹ De Poenitentia, disp. 8, sect. 2, n. 64, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 576.

explicatione. *Medina* enim ait hanc remissionem fieri ad modum unius cum commutatione poenae aeternae in temporalem, quatenus nempe, ratione contritionis majoris vel minoris, Deus commutat aeternam poenam in minorem vel maiorem poenam temporalem. *Cajetanus* vero et *Soto* dicunt quod, ratione contritionis absolute et secundum se acceptae, tollitur poena aeterna, ratione vero modi vel gradus contritionis, tollitur aliquid de poena temporali. *Suarez* (Disp. 10, sect. 3, n. 17–20) denique explicite addit hanc ablationem temporalis poenae fieri non ad modum simplicis et gratulatioe remissionis, sed verae ac condignae satisfactionis, quatenus contritio, considerata secundum se et ut informis, inducit remissionem poenae aeternae et culpae, considerata vero ut jam formata per gratiam, est potens condigne satisfacere pro poena temporali.

Ad rem *SUAERZ*: “Dubitatio est, an quoties remittitur culpa et poena aeterna, remittatur aliquid poenae temporalis. . . [Affirmative] sentiunt Theologi supra citati, *Durand.*, *Cajet.*, *Medina*, *Soto*, atque etiam *Halensis*, 4 p., q. 17, memb. 4, art. 4, alias q. 70, mem. 4; solus *Durandus*, dist. 17, q. 3, videtur hoc limitare, ut locum non habeat quando contritio est minima, nam commutatio tunc fit in integram poenam temporalem; quando vero contritio est major minima, ratione illius augmenti dicit remitti aliquid poenae temporalis. *Medina* vero, et alii, qui non admittunt illud minimum, dicunt semper remitti aliquid, quia semper contritio est major quam necessaria esset ad remissionem culpae et poenae aeternae; et ratione illius excessus dicunt tolli aliquid poenae temporalis. Hanc vero remissionem, aiunt includi, et per modum unius fieri per ipsam commutationem; nam quia, ceteris paribus, commutatio fit in minorem poenam propter meliorem dispositionem, illa diminutio poenae est quaedam remissio. *Cajetanus* vero et *Soto* aliter declarant, nam per contritionem secundum se et absolute sumptam dicunt tolli aeternitatem poenae; et ita ex vi solius remissionis culpae et poenae aeternae manere integram temporalem poenam; deinde vero propter modum contritionis seu dispositionis aliquid illius Deum condonare. Non explicant autem hi auctores, an haec partialis remissio poenae temporalis fiat gratis a Deo, sicut remissio aeternae poenae, an vero per satisfactionem condignam operantis.”⁸²

Haec communis sententia, abstrahendo saltem a variis praedictis determinationibus, est ipsius *S. Thomae*. *S. Doctor* in *C. Gent.* 3, 159 (cit. in art. 53, tom. 3, p. 201 sq.) signanter docet per contritionem auferri aliquid de poena temporali, eo quod “dilectio in Deum sufficiat mentem hominis firmare in bono”, quod est finis quare imponitur poena et qui attingendus est per solutionem poenae, et juxta gradum contritionis auferri magis vel minus, vel totam poenam temporalem. *In 4 Sent.*, dist. 14, q. 2, a. 1, q. 2 (cit. ibid., p. 200) similiter ait quod in poenitentia justificativa “remittitur quidem peccatum quantum ad offensam, sed non oportet quod remittatur quantum ad totum reatum nisi poena jam soluta”. *In 3 p.*, q. 86, a. 4, ad 2 (cit. ibidem, p. 252) docet remissionem culpae et poenae aeternae esse effectum gratiae

⁸² De Poenitentia, Disp. 10, sect. 3, n. 17, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 191 sq.

operantis, remissionem vero poenae temporalis esse effectum gratiae cooperantis, seu "utrumque esse a gratia, sed primum a gratia sola, secundum ex gratia et libero arbitrio".

Ad mentem igitur S. Thomae et, attentis his quae diximus in superioribus de satisfactione pro peccato tam mortali quam veniali et pro poena aeterna et temporali, haec dici possunt. Per ipsum et eundem actum contritionis justificantis fit satisfactio de congruo pro culpa mortali et poena aeterna, et satisfactio de condigno tam pro peccato veniali quam pro poena temporali. Unus enim et idem actus contritionis et caritatis, in quolibet gradu quamtunvis remisso, habet in se quiddam requiritur tum ad justificandum tum ad duplicem vel quadruplicem illam satisfactionem sustinendam; quatenus est enim impossibilis cum peccato inducit justificationem, quatenus procedit a gratia et est poenosus, fit satisfactivus, tum pro culpa et inseparabili poena aeterna, quia est conversio ad Deum reparans, inaequaliter et quantum potest, offensam divinam, tum pro peccato veniali et poena temporali, quia est aversio a creatura, extinguens in corde deordinatam conversionem ad creaturam et reparans in rebus deordinationem relictam a peccato. Juxta gradum autem vel perfectionem actus contritionis, plus vel minus remittitur de poena temporali, et similiter plura vel pauciora peccata venialia auferuntur, eo quod magis vel minus reparatur praedicta deordinata conversio ad creaturam (cf. C. Gent., 3, 159, et 4, 72, cit. in art. 53, tom. 3, p. 201 sq. et 193).

Conclusio 3. Per Poenitentiam, remissa culpa, diminuuntur quidem reliquiae peccati, seu pravae dispositiones, sed non necessario auferuntur (q. 86, a. 5; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3; q. 2, a. 2, ad 4; 1-2, q. 65, a. 3, ad 2; 2-2, q. 24, a. 10; De virtutibus in communi, a. 10, ad 14 et 16).

Probatur.

In peccato mortali duo sunt distinguenda: ejus nempe formale, scilicet aversio a Deo, et ejus materiale, scilicet conversio ad creaturas; remissio autem illius peccati proprie ac necessario consistit in remotione formalis ejus, seu aversionis a Deo, quae fit per gratiam sanctificantem qua anima iterum ad Deum convertitur, non vero in remotione ejus quod est materiale, cum conversio ad creaturam contingat etiam esse sine aversione a Deo, ut patet in peccato veniali. Atqui reliquiae peccati, seu pravae dispositiones et habitus per actus malos causati, se habent ex parte ejus quod est materiale in peccato, non enim sunt ipsa aversio a Deo, quae consistit in mera privatione

recti ordinis ad Deum, sed positivi effectus relictus ex frequentatione actus conversionis ad creaturam. Ergo, remissa culpa mortali, reliquiae peccati non necessario auferuntur, quemadmodum, ut dictum est in Concl. praec., non necessario auferitur ipse reatus poenae temporalis, qui similiter se habet ex parte materialis peccati seu indebitae conversionis ad creaturam; et pariter in remissione peccati originalis in Baptismo, non auferitur fomes peccati, qui se habet ex parte materialis ejus.

Id ceterum constat ex communi experientia conversorum ad gratiam, quorum apparent pravae inclinationes subsistere, etiam post elicium ferventiorum actum Poenitentiae.

Attamen, sicut per remissionem culpa minuitur reatus poenae temporalis, ita diminuuntur quodammodo, saltem indirecte, reliquiae peccati, quatenus, ob conversionem animae ad Deum eiusque appetitus rectificationem, inclinatio ad conversionem in creaturam fit instabilis et habitus pravi amittunt suam firmitatem, ita ut assumant statum instabilis cujusdam dispositionis, nec amplius dominantur homini, sub viribus gratiae constituto, imo paulatim cogantur extingui. Potest ceteroquin contingere ut per valde eximium actum Poenitentiae totaliter extinguantur inde ab initio, sed communiter ad hanc extinctionem non pervenitur nisi per repetitos actus virtutum, qui coalescunt in unum effectum perfectae et consummatae Poenitentiae.

Ad rem *S. Thomas*: "Peccatum mortale ex parte conversionis inordinatae ad bonum commutabile quamdam dispositionem causat in anima, vel etiam habitum, si actus frequenter iteretur. Sicut autem dictum est (art. praec.), culpa peccati mortalis remittitur, in quantum tollitur per gratiam aversio mentis a Deo. — Sublato autem eo quod est ex parte aversionis, nihilominus remanere potest id quod est ex parte conversionis inordinatae, cum hanc contingat esse sine illa, sicut prius dictum est (art. praec.). Et ideo nihil prohibet quin, remissa culpa, remaneant dispositiones ex praecedentibus actibus causatae, quae dicuntur peccati reliquiae; remanent tamen debilitatae et diminutae, ita quod homini non dominantur; et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum, sicut etiam remanet fomes post baptismum" (a. 5).

Ad ampliorem dictorum determinationem et ad dubia vel difficultates praeccludendas circa sensum tam limpidae litterae *S. Thomae*, haec nota ex aliis quae passim docentur a *S. Doctore* de indole tum peccati mortalis, tum vitii ex eo relictus, tum gratiae per quam fit remissio.

In ipso peccato mortali quinque sunt distinguenda, i.e. ratio

offensae; ratio malitiae prout est aversio a Deo; ratio malitiae prout est conversio ad creaturam, considerata ut aversiva a Deo; ratio malitiae prout est conversio ad creaturam sed considerata mere ut indebite conversiva ad creaturam⁸³ (quae ultima ratio, sola habetur in peccato veniali, et constituit specificam malitiam hujus peccati); ipsa conversio ad creaturam, abstrahendo ab indebita ejus ratione. Tres priores rationes pertinent ad formale peccati mortalis, adeoque auferuntur directe et necessario in remissione peccati; duae postremae vero pertinent ad materiale peccati, ac ideo non necessario auferuntur; ad penultimam autem rationem pertinet reatus poenae temporalis, qui est verus reatus indigens actu Poenitentiae qui dicitur satisfactio, ad ultimam vero rationem pertinent reliquiae peccati, quae proprie nec peccatum sunt nec reatum constituunt, neque consequenter indigent auferri per proprium actum Poenitentiae sed per actus aliarum virtutum, quae tamen, cum agatur de aliquo objecto quod, etsi non peccatum, est *ex peccato* seu reliquia peccati, diriguntur ab imperio virtutis Poenitentiae.

Hae peccati reliquiae, quae sunt effectus materialis peccati, accepti secundum ultimam praedictam rationem, seu ipsius materialis actus peccaminosi, distingui possunt in duas classes. Aliae sunt reliquiae peccati *improprie dictae*, seu quae remotam tantum aut indirectam habent connexionem vel influxum in peccatum; et tales sunt, in gradatione ascendente, aliquae physicae vel physiologicae corporis dispositiones ex usu peccandi relictæ ex quibus non parum saepe impeditur exercitium virtutis et fuga peccati, prava phantasmata, quaedam hebitudo mentis, languor voluntatis, inclinatio voluntatis in sensibilia et praecipue in ea objecta quae facile inducunt in peccatum vel solent evadere materia peccati. Aliae sunt *proprie dictae peccati reliquiae*, atque consistunt in positivis dispositionibus relictis ex intensitate vel consuetudine peccati, quae quidem solae hic directe considerantur a S. Thoma. Ex his aliae sunt simplices pravae dispositiones, aliae sunt proprie dicti habitus seu vitia, qui quidem distinguuntur a simplicibus dispositionibus quia, saltem ex propria natura et indole, sunt difficile mobiles (habitus enim definitur dispositio difficile mobilis) atque acquiri solent per repetitionem actuum, quamvis aliunde, ob subjecti conditiones, possint velut dimoveri a sua firmitate et esse in statu mobilitatis qui est proprius simplicis dispositionis.

Hi pravi habitus seu vitia, directe quidem et formaliter opponuntur (saltem aliqui) virtutibus naturalibus seu acquisitis, cum respiciant, contrario quidem modo, idem subjectum, eandem materiam et idem

⁸³ Cf. supra in art. 46 et 53, tom. 3, p. 13 sq. 197. 207 sq.

motivum ordinis naturalis, nequaquam vero opponuntur proprie et directe, sed tantum indirecte et secundum quid, ipsis virtutibus supernaturalibus et infusis⁸⁴ (et loquimur etiam de illis vitiis quae tendunt contra motiva et praecepta supernaturalia); nam non respiciunt idem objectum ac virtutes infusae sed aliquid inferius, nec recipiuntur in eodem subjecto, virtutes enim subjectantur in potentia oboedientiali ex qua educuntur per efficaciam agentis supernaturalis, vitia vero subjectantur in potentia naturali ex qua per naturale agens educuntur, nec possunt, ut patet, subjectari aut educi ex potentia oboedientiali, quae tota sumitur in ordine ad agens divinum. Ex quo facile intelligitur per infusionem virtutum non necessario vitia expelli, cum non sint illis directe contraria.

Gratia, per quam fit remissio et expulsio peccati, tria importat, i.e. *primo, ipsam voluntatem* Dei condonantis peccatum sub ratione offensae (gratia activa); *secundo*, ipsum habituale donum *gratiae sanctificantis*, quod necessario tollit peccatum sub ratione malitiae, seu maculam peccati, cui opponitur per proprie dictam contrarietatem, sed non potest tollere vitia, cum haec non ei directe opponantur nec sint in eodem subjecto seu in essentia animae sed in ejus facultatibus; *tertio, virtutes infusas* quae cadunt quidem in eodem subjecto in quo sunt vitia, seu in facultatibus, sed, cum directe non opponantur vitiis, sed potius ipsi privationi virtutum, non necessario vitia expellunt sed tantum complent privationem suiipsarum. A fortiori virtutes non auferunt improprie dictas reliquias peccati quae nonnisi remote virtutibus contrariantur.

S. *Thomas* obicienti sibi: "Sicut gratia est in essentia animae, ita virtus in potentia. Sed poenitentia restituit gratiam et virtutes, ut dicitur. Ergo sicut per gratiam aufert culpam ab anima ipsa, ita et per virtutes aufert reliquias a potentiis", respondet: "Peccatum per actum potentiarum commissum est; et ideo in ipsis potentiis praeter privationem virtutum alii etiam defectus ex peccato causantur, sed non in essentia animae, praeter defectum gratiae; et ideo non oportet quod si per adventum gratiae ad essentiam animae, macula, quae nihil aliud erat quam gratiae privatio, tollitur, etiam a potentiis omnes alii defectus tollantur" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3, ad 2*).

⁸⁴ Ad rem S. *Thomas*, *In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 2, ad 4*: "Virtus infusa et acquisita non sunt ejusdem speciei: unde cum habitus ex frequentatione operum peccati generatus virtuti acquisitae contrarius sit, non contrariatur directe virtuti infusae, quae habet oppositionem ad peccatum ex parte illa qua est offensiva Dei; unde non oportet quod statim virtutibus infusis restitutis, habitus vitiorum totaliter tollantur, quanvis impediuntur, et etiam diminuuntur." Item, *1-2, q. 65, a. 3, ad 2*: "Habitus moralium virtutum infusarum patiuntur interdum difficultatem in operando propter aliquas dispositiones contrarias ex praecedentibus actibus relictas; quae quidem difficultas non ita accidit in virtutibus moralibus acquisitis, quia per exercitium actuum, quo acquiruntur, tolluntur etiam contrariae dispositiones."

Quidam doctores dicunt quod per adventum virtutum, saltem in gradu intensiori, destruitur habitus vitii, et notam experientiam pravarum inclinationum quam patiuntur conversi, etiam post intensam contritionem, explicant ex vehementia *passionum*, quas constat per gratiam non auferri, vel ex pravis *dispositionibus* facile mobilibus quae remanerent loco vitiorum seu habituum proprie dictorum. At, influxus passionum, cum sit subitaneus et transiens, nequit explicare permanentem inclinationem vitiosam, quam quidam post conversionem experiuntur; existentia vero dispositionis facile mobilis, post expulsionem habitus, gratis fingitur, nam si virtus intensa valet expellere firmum habitum, a fortiori impedit praesentiam dispositionis facile mobilis. Unde dicendum est cum virtutibus infusis habitus pravos permanere in sua propria indole et essentia.

Attamen, quamvis virtutes non auferant vitia proprie et directe, habent nihilominus talem indirectum influxum contrariam vitia, ut haec recte dicantur per remissionem peccati debilitari ac diminui, quousque connaturaliter decidant et expellantur. Idque fit multiplici modo, quem breviter et apte circumloquitur S. Thomas illis verbis: "*Remanent tamen debilitatae et diminutae, ita quod homini non dominantur; et hoc magis per modum dispositionum quam per modum habituum*, sicut etiam remanet fomes post baptismum" (a. 5).

Primo enim per ipsam suiipsarum positionem seu *informationem* in iisdem facultatibus, in quibus adsunt ac dudum imperabant vitia, abripiunt istis dominium suum, per hoc quod voluntas, rectificata per gratiam, adhaeret fini ultimo, omnemque aliam inclinationem ipsi postponit eique ac sibi subicit, ita ut non amplius famuletur sed dominetur vitiiis. Ad rem facit quod ait S. *Thomas* de subjectione ipsarum passionum per virtutes: "Per virtutem tam acquisitam quam infusam huiusmodi passiones modificantur, ut ab his homo non effrenate moveatur. Sed quantum ad aliquid praevallet in hoc virtus acquisita, et quantum ad aliquid virtus infusa. Virtus enim acquisita praevallet quantum ad hoc quod talis impugnatio minus sentitur; et hoc habet ex causa sua; quia per frequentes actus quibus homo est assuefactus ad virtutem, homo jam dissuevit talibus passionibus obedire, cum consuevit eis resistere; ex quo sequitur quod minus earum molestias sentiat. Sed praevallet virtus infusa quantum ad hoc quod facit quod huiusmodi passiones etsi sentiantur, nullo tamen modo dominantur; virtus enim infusa facit quod nullo modo obediatur concupiscentiis peccati; *et facit hoc infallibiliter ipsa manente*. Sed virtus acquisita deficit in hoc, licet in paucioribus, sicut et aliae inclinationes naturales deficiunt in minori parte" (*De Virtutibus in communi, q. 1, a. 10, ad 14*).

Secundo ac consequenter, virtutes infusae per ipsam sui praesentiam ita cohibent activitatem vitiorum ut de facto non possint in actum peccati transire, "ipsa virtute manente", ut ait S. Thomas, seu quousque status gratiae et virtutis permaneat.

Tertio, ob hanc sui subjectionem et cohibitionem, vitia amittunt connaturalem statum stabilitatis ac firmitatis, et, quamvis jugiter retineant suam specificam rationem et essentiam habitus, transeunt ad statum dispositionis facile mobilis, ratione conditionis subjecti seu regulationis et ordinationis ad finem ultimum. Quod si non agatur de proprie dictis vitiis seu habitibus, sed de pravis tantum dispositionibus de se facile mobilibus, istarum dissolutio augetur et expulsio acceleratur. Id expresse sonant verba *S. Thomae*, hic a. 5, super relata. Item, *In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 2, ad 4*: "Non oportet quod statim virtutibus infusis restitutis, habitus vitiorum totaliter tollantur, quamvis impediatur, et etiam diminuatur." Item, *De Virtutibus in communi, q. 1, a. 10, ad 16*: "Licet per actum unum simplicem non corrumpatur habitus acquisitus, tamen actus contritionis habet quod corrumpat habitum vitii generatum, ex virtute gratiae; unde in eo qui habuit habitum intemperantiae, cum conteritur, non remanet cum virtute temperantiae infusa habitus intemperantiae in ratione habitus [intellige in ratione status qui est connaturalis habitui, seu firmitatis], sed in via corruptionis, quasi dispositio quaedam. Dispositio autem non contrariatur perfecto."

Quarto, ob hanc precariam conditionem tum existentiae tum activitatis, vitia gradatim extinguuntur aut expelluntur; idque tum negative, quatenus habitus acquisitus, sicut per actuum iterationem paulatim acquiritur, sic per eorum interruptionem pedetentim remittitur et extinguitur, tum positive per generationem nempe contrariae virtutis acquisitae,⁸⁵ quam facile fovet status gratiae et virtutis. Hoc modo Poenitentia perducit ad suum complementum opus remissionis peccati, quod incoepit in ipsa infusione gratiae et ablatione culpae, et abstergit omnes materiales reliquias peccati, exerens vires suas in Poenitentiam perfectam. Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3*: "Sicut poenitentia non tollit totaliter reatum per quemlibet actum primum, sed tunc tollit quando ad perfectum perducitur secun-

⁸⁵ 2-2, q. 24, a. 10: "Per cessationem quidem ab actu diminuuntur virtutes ex actibus acquisitae, et quandoque etiam corrumpuntur, ut supra dictum est (1-2, qu. liii, art. 3). Unde de amicitia Philosophus dicit [Ethic., I. 8, c. 5.], quod 'multas amicitias inappellatio solvit' id est, non appellare amicum, vel non colloqui ei. Sed hoc ideo est quia conservatio uniuscujusque rei dependet ex sua causa. Causa autem virtutis acquisitae est actus humanus. Unde, cessantibus humanis actibus, virtus acquisita diminuitur, et tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in charitate locum non habet, quia charitas non causatur ab humanis actibus, sed solum a Deo".

dum omnes poenitentiae partes; ita etiam non oportet quod per primum poenitentiae actum omnes defectus ex peccato actuali consecuti, qui dicuntur reliquiae, reparantur; sed *poenitentia jam perfecta quantum ad omnes sui partes, reliquiae etiam tolluntur peccati actualis.*"

Et hic quidem successivus dissolutionis processus est *via ordinaria* qua peccati reliquiae abstergantur et culpa remissio perficitur. Nam "poenitentia non comparatur generationi, sed magis sanationi; quia per poenitentiam homini non datur nova vita, sed in pristinam vitam reparatur. In sanatione autem hoc videmus accidere, quod sanitas restituta adhuc reliquiae morbus manent ante perfectae sanitatis restitutionem" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 3, ad 1*); unde Divina Sapientia sic medicinam suae gratiae ordinarie et connaturaliter ministrat ut "prius remittat culpam per gratiam operantem, et postea per gratiam cooperantem successive tollat peccati reliquias" (*hic, ad 1*).

Ceterum ejusmodi processus saepe per vim Poenitentiae, cooperante divina gratia, non parum acceleratur, et *quandoque, etsi raro*, tanta est vis ipsius gratiae operantis conversionem ac "tanta commotione convertit cor hominis, ut *subito perfecte consequatur sanitatem spirituales*, non solum remissa culpa, sed sublatis omnibus peccati reliquiis, ut *patet de Magdalena*" (*hic, ad 1*). Quod quidem ita explicari potest ut dicatur eam indirectam oppositionem virtutum cum vitiis tam rapide ac vehementer succrescere ac vim suam exerere ut aequivaleat in efficacitate directae oppositioni contrarietatis qua una forma necessario aliam expellit.

S. *Thomas* ut evidens assumit mulierem illam peccatricem statim consecutam esse perfectam peccati remissionem quoad culpam, poenam et reliquias, accipiens in plenissimo sensu asseverationem Christi in Luc. 7, 47 "Remittuntur ei *peccata multa*", corroboratam praeterea ratione: "*Quoniam dilexit multum*". Quae quidem sententia apprime congruit tum sensui sacrorum scriptorum, emphatice exaltantium effectum illius remissionis et conversionis, tum ipsis circumstantiis evangelicis, seu perfectissimae mutationi vitae quae observatur in illa muliere, si tamen admittatur cum communiore sententia, aliis nihilominus refragantibus, identitas illius mulieris cum ea Maria, de qua Christus dixit: "Ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in nomine meo" (Matth. 26, 13; item Marc. 14, 9; quae verba desunt in Joan. 12, 8), necnon cum Maria sorore Lazari quam amabat Jesus et de qua dixit: "Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea" (Luc. 10, 42), necnon cum ea Maria Magdalena, quae fideliter comitabatur Christum

et "stabat juxta crucem" (Joan. 19, 25) cum Maria matre eius, ac dignata est prima Christi apparitione post mortem (Joan. 20, 1-18).

Suarez, tamen videtur dubitare de veritate hujus S. Thomae interpretationis, seu de plenitudine illius remissionis quantum ad ablationem reliquiarum peccati. Ait enim: "A D. Thoma *pie dicitur*, Magdalenae in sua conversione non solum remissa fuisse peccata, sed etiam omnes peccatorum reliquias fuisse sublatas, *ut patet*, inquit D. Thomas, Lucae 7. Ex quo loco aperte solum habemus remissa fuisse Magdalenae omnia peccata, et magna etiam probabilitate, ac fere certo colligitur non solum quoad culpam, sed etiam quoad *reatum poenae* fuisse remissa, 'quia dilexit multum', et ex illo: 'Vade in pace', et ex aliis circumstantiis, quae ibi referuntur. Quod vero ablati fuerint *omnes habitus pravi*, et dispositiones, et prava phantasmata, *non ita clare colligitur ex illo loco*; pie tamen creditur, tum ex Christi liberalitate, tum ex efficacia et magnitudine conversionis, tum ex modo vivendi, quem ab eo puncto Magdalena instituit, et perfectissimis actionibus virtutum, quas summa promptitudine et facilitate exercuit."⁸⁶

Salmanticenses vero hanc Suaresii dubitationem sat acriter impugnant, scribentes: "Haesisse . . . videtur Suarez . . . circa veritatem illius solutionis [S. Thomae]. . . Ut observat Nuno ad hunc articulum [S. Thomae], qui negaret peccatorum remissionem illi factam, foret haereticus, utpote contradicens Evangelio, et verba formalia Salvatoris inania reddens. Esse vero *temerarium, imo et erroneum, aut errori proximum* affirmare non fuisse illi condonatum quemlibet poenae reatum, utpote adversum sacrorum Doctorum, omnium fidelium communi sensui. *Qua etiam censura* inuri posset, qui doceret aliquas peccatorum reliquias purgandas remansisse; quippe quod nullum fundamentum habet in Evangelio, aut SS. Patribus, quin potius oppositum satis testantur illorum verba, et modus absolute loquendi absque ulla discretione inter poenae reatum, et peccatorum reliquias."⁸⁷

ART. 88. Utrum Peccata Jam Remissa Reviviscant, Ratione Novi Peccati (3 p., q. 88; In 4 Sent., dist. 22, q. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Ad complendam materiam de remissione peccatorum per Poenitentiam et ad ostendendam hujus remissionis perfectionem, S. Thomas instituit duas quaestiones, alteram *de reditu peccatorum vel, si placet,*

⁸⁶ De Poenitentia, Comm. in 3 p., q. 86, a. 5, n. 3, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 179 sq.

⁸⁷ De Poenitentia, disp. 6, dub. 3, § 7, n. 192, Curs. Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 800.

de reviviscentia demeritorum (q. 88), alteram de restitutione gratiae et reviviscentia meritorum (q. 89–90); negata enim priori reviviscentia et altera asserta, apparet perfectio remissionis et efficacia Poenitentiae quae tanta est ut per eam peccata simpliciter et irrevocabiliter dimittantur, dum merita per peccatum mortificata restituuntur.

Prima quaestio, de qua agitur in praesenti articulo, minoris est momenti nec amplius controvertitur inter theologos, sicut altera (de qua in duobus art. seq.), quamvis in medio aevo aliquod doctorum dissidium et ipsa suscitaverit, ut patet ex Sententiis Petri Lombardi et ex q. 88 Summae Theologicae S. Thomae, in qua quatuor integri articuli ei consecrantur.

Quaeritur ergo utrum, ratione relapsus in peccatum, remissio praecedentium culparum quodammodo a Deo revocetur, ac ita remissa peccata veluti redeant seu reviviscant, saltem quoad suam imputabilitatem. Difficultas quaestionis et ratio hinc inde dubitandi provenit ex eo quod ex una parte peccata physice abstergantur in justificatione per infusionem gratiae, nec ideo est unde redire possint neque secundum actum qui transivit, neque secundum maculam quae perfecte ablata est, neque secundum reatum seu imputabilitatem, quae in ipso actu et macula fundatur; ex altera vero parte homo per novum peccatum iterum incurrit reatum et iram Dei, quo videtur extinguī omnis fructus et jus praecedentis remissionis, tum ob communem rationem quae inest omni peccato, tum ob quaedam testimonia Patrum quae videntur id explicite docere, tum ex analogia humanae consuetudinis in qua per novam offensionem extinguī solet omnis effectus praecedentium remissionum.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Imprimis hic incidenter occurrunt ipsi *Protestantes*. Nam ex eorum doctrina de justificatione, consistente in mera externa non imputatione peccatorum, manente jugiter interna corruptione et essentia peccati, quod non aufertur sed tegitur, connaturaliter sequitur remissa peccata veluti reviviscere per commissionem novae culpae, eo quod ex una parte ipsa nunquam physice abierint et ex alia parte novum peccatum extinguat extrinsecam Dei non imputationem, per quam ea peccata ut moraliter ablata reputabantur.

Doctores mediaevales, tempore Petri Lombardi, explicite quaestionem posuerunt de reditu peccatorum, physice quidem ab anima jam deletorum, et ob supradictas rationes, plures,⁸⁸ ut *Gratianus*,⁸⁹ *Hugo*

⁸⁸ Cf. *J. de Ghellinck*, La réviviscence des péchés pardonnés à l'époque de Pierre Lombard et de Gandulphe de Bologne, in *Nouvelle Revue Théologique*, v. 4 (1909),

a *Sancto Victore* (De Sacram., l. 2, p. 14, c. 9), *Petrus Pictaviensis* (Sententiae, 3, 12), *Praepositinus* et *Guilelmus Parisiensis* (non refragante ipso *Petro Lombardo* qui rem in iudicatam relinquere praefert⁹⁰), concesserunt peccata remissa redire ratione novi peccati, non quidem eo sensu quod idem numero actus aut eadem numero macula praeteriti peccati reviviscat, quia quod in nihilum decidit nequit in sua individuazione iterum ad esse revocari, sed eo sensu quod ea peccata iterum induunt rationem moralis obstaculi inter Deum et hominem, seu resumunt eandem vim impediendi ne gratia Dei homini conferatur, quam habebant antequam remitterentur, quod idem est ac si peccata dicantur redire in sola morali ratione reatus et imputabilitatis.

Tres autem illi doctores attulerunt explicationes. *Quidam* reditum peccatorum simpliciter et absque restrictione admiserunt. *Alii* suam affirmationem emollierunt ex parte ipsius conceptus reviviscentiae, dicentes priorem remissionem non fuisse ex parte Dei absolutam, sed veluti conditionatam, seu nisi vel donec homo iterum peccet, nam "Deus non remittit peccata poenitenti postmodum peccato secundo praesentem scientiam, sed solum secundum praesentem iustitiam: praescit enim se pro his peccatis eum aeternaliter puniturum et tamen per gratiam facit eum praesentialiter iustum" (apud S. Thomam, 3 p., q. 88, a. 1). Alii, ut *Praepositinus* (commemoratus a Bonaventura In 4 Sent., dist. 22, a. 1, q. 1: "Nec ista positio debet teneri, licet fuerit magni clerici, scilicet Praepositivi"), suam doctrinam limitaverunt ex parte numeri seu specierum peccatorum, quae inducunt reditum remissarum culparum, "dicentes, quod non redit peccatum dimissum per quodlibet peccatum sequens, sed [per] quatuor tantum; scilicet per odium fraternum, per apostasiam a fide, per contemptum confessionis,

p. 400-408. *F. Carpino*, Il "reditus peccatorum" nelle collezioni canoniche e nei teologi fino a Ugo di S. Vittore, Romae, 1937.

⁹⁰ Decretum, pars 2, causa 33, q. 3 De Poenitentia, dist. 4: "Quaeritur, an peccata dimissa redeant? Huius questionis diversorum varia est sententia, aliis asserentibus, aliis contra negantibus, peccata semel dimissa ulterius replicari ad poenam. Quod autem peccata semel dimissa redeant, multorum auctoritatibus probatur; quarum prima est illa prophetae: 'In memoriam redeat iniquitas patrum ejus', secunda illa evangelii: 'Serve nequam, omne debitum dimisi tibi' [Recitat alias auctoritates]. . . Sicut ergo bona, quae peccato moriuntur, per poenitentiam reviviscunt ad praemium: sic et mala, quae per poenitentiam delentur, reviviscunt ad supplicium. Unde Propheta ex persona poenitentis deplorat dicens: 'Pruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae', id est plagae per baptismum sanatae. Hinc etiam idem Propheta, quamvis fide et sacramento circumcisionis ab originali peccato se mundatum cognosceret, tamen adulterio et homicidio, quod commiserat, illud revivisse intelligens, non sine causa inter cetera ipsum confitetur, et dicit: 'Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum', etc." (M.L. 187, 1618. 1631).

⁹⁰ Sent., l. 4, dist. 22: "Cujus questionis solutio obscura est et perplexa. . . Utrique parti questionis probati favent doctores. Ideoque alicui parti non praejudicans, studioso lectori iudicium relinquo; addens mihi tutum fore ac salutis propinquum sub mensa dominorum micis edere."

et per hoc quod aliquis dolet se poenituisse; unde fecerunt versus: 'Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri, poenituisse piget; pristina culpa redit' " (In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1).

Attamen *sententia negans* simpliciter dictum reditum seu reimputationem remissorum peccatorum, iam tempore Petri Lombardi satis communis (ipse Magister in eam inclinatur, scribens: "Sed quia absonum videtur ut peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis iterum a Deo puniri"), subsequenti aetate communior evasit, ut patet ex decisa impugnatione contrariae sententiae facta a S. Thoma, Alberto M. et Bonaventura, ac subinde tam universalis facta est ut praedicta controversia penitus evanuerit. Solum disputant posteriores doctores tum de absoluta rei possibilitate, tum de modo quo debeat explicari reditus peccatorum improprie dictus seu secundum quid quo aliquid concedatur adversae sententiae. De quibus dicetur infra in decursu Conclusionum.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Ob novi peccati commissionem, peccata semel remissa non redeunt simpliciter et secundum se, sive secundum rationem maculae sive etiam secundum rationem reatus tam culpae quam poenae.

Probatur 1. EX SENSU SCRIPTURAE ET PATRUM.

In Scriptura nullum est indicium conditionatae alicujus aut temporanae peccatorum remissionis, sed omnis remissio absolute promittitur poenitentibus; simpliciter enim et absque restrictione peccata dicuntur remitti, auferri, transferri, non esse in ruinam, non nocere, non imputari, non manere in memoria Dei (cf. v.g. textus cit. in art. 84, p. 6-9). Similiter in *Isai. 43, 25* dicitur: "Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me et peccatorum tuorum non recordabor"; item, in *Ezech. 18, 21 sq.*: "Si . . . impius egerit poenitentiam . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor". In *Mich. 7, 19*, eadem veritas exprimitur sub vivaci metaphora rerum quae in profundum maris sine spe reditus proiciuntur: "Miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra" (cf. Commentum Theodreti, infra, p. 115).

S. Thomas aliique theologi non inepte hic invocant etiam verba Apostoli ad *Rom. 11, 29*: "*Sine poenitentia enim sunt dona et vocatio Dei*", quibus S. Doctor addit: "Sed peccata poenitentis sunt dimissa per donum Dei, ergo per peccatum sequens non redeunt dimissa pec-

cata, quasi Deus de dono remissionis poeniteat.” Quamvis enim Apostolus ea verba adducat ad confirmandam particularem veritatem hujus quod asserit in versiculo praecedenti, Judaeos nempe, quantumvis peccantes ac Evangelio repugnantes, esse adhuc Deo “carissimos propter patres”, i.e. propter promissa et privilegia patribus eorum concessa, tamen ipsa verba generaliter sonant, ac ideo saltem non repugnant generali ac theologicae illi interpretationi qua extenduntur ad omne Dei donum et promissionem, et in praesenti casu ad concessam peccatorum remissionem. Et in hoc quidem sensu ea verba accipiuntur etiam apud Patres et antiquos expositores, uti *Chrysostomum* et *Theophylactum*, in re exegetica minime jejunos. Ceterum, id confirmatur ex generali tenore textuum parallelorum, in quibus agitur de immutabilitate Dei in suis consiliis. Ita *1 Reg. 15, 29*: “Porro triumphator in Israel non parcat et poenitudine non flectetur; neque enim homo est ut agat poenitentiam”; *Num. 23, 19*: “Non est Deus quasi homo ut mentiatur nec ut filius hominis ut mutetur”; *Jac. 1, 17*: “Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio”; cf. *Tit. 1, 2*; *Hebr. 6, 18*.

Ut dictum est in art. 61 (tom. 3, p. 289), antiqui theologi et exegetae ex verbis *Nahum 1, 9*, confecerunt axioma illud “*Deus non vindicat bis in idipsum*”.

Similiter consensus *Traditionis* est remissionem peccatorum a Deo concedi simpliciter et incondionate, nec illum valent infringere quaedam obscuriora verba Patrum et transitorium dissidium *paucorum theologorum* maedii aevi. Propterea quidam theologi moderni, ut *Pesch, Galtier, Hugon* et *Boyer*, praesenti Conclusioni hanc tribuunt *notam theologiam*: “Theologice certum”; saltem qui eam negaret non posset absolvi a nota *temeritatis*.

Origenes, In Gen., hom. 13, 4: “Unusquisque . . . nostrum, in his quae delinquit efficitur debitor, et peccati sui litteras scribit. Quia et in iudicio Dei, quod Daniel consedisce describit, libros dicit apertos, sine dubio qui peccata hominum continerent. . . Unde constat nostras litteras peccato, litteras autem Dei justitia scribi. . . Sed vide quia cum semel accessisti ad crucem Christi et ad gratiam baptismi, chirographum tuum cruci affixum, et in fonte baptismi deletum est. Non rescribas ultra quae deleta sunt, nec repares quae abolita sunt, solas in te serva literas Dei” (*M.G. 12, 235*). Quorum sensus est remissionem peccatorum, quantum est ex parte Dei, esse absolutam et inconditatum, nec nisi ex parte hominis posse frustrari, non

quidem per simpliciter dictum reditum peccatorum, sed per commissionem novi peccati.

Theodoretus, commentans verba *Mich.* 7, 19: "Deponet iniquitates, et projiciet ad profundum maris peccata nostra", ait: "Hoc . . . certe admirabile, quod non solum ignoscat, sed etiam memoria sua expellat peccata, et tanquam in profundum in oblivionem tradat. . . Quemadmodum enim id quod in profundum maris abjicitur, penitus non extat: sic, inquit, peccata nostra oblivione funditus obruet" (M.G. 81, 1786).

Ambrosius, *De Poenit.* 2, 6, 40, supra relata verba Isaiae 43, 25, sic glossat: "Ego . . . 'memor non ero: tu autem memor esto', hoc est: *Non revoco illa*, quaecumque delicta donavi tibi, velut quadam oblivione tecta sint: 'tu autem memor esto'" (M.L. 16, 528).

Prosper Aquitanus, Augustini pedissequus, in suis pro S. Augustino *Responsionibus ad capitula objectionum Gallorum*, c. 2, ait: "Qui . . . recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? *Sed non in id quod remissum est recidit*, nec in originali peccato damnabitur, qui tamen, *propter postrema crimina*, ea morte afficietur quae ei propter illa quae remissa sunt debebatur" (M.L. 51, 158).

Gelasius Papa ait: "*Divina clementia dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur*".¹ Eadem verba refert *Gratianus* in *Decreto* (De Poenitentia, dist. 4, c. 24, M.L. 187, 1630; cf. *ibid.*, 1191).

Benedictus XI in Extravaganti "Inter cunctas", citata supra in art. 37 (tom. 2, p. 538), ait esse "absurdum, quod per poenitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, et quod liberatus debitor adhuc ad solvendum remaneat obligatus". Ubi, quamvis directe agatur de debito confessionis, tamen allata ratio ("Qui jam solvit, non tenetur ad solvendum") valet aequaliter de debito contritionis, vel generalius de debito reatus et imputabilitatis, in quo utrumque confitendi et conterendi debitum fundatur.

Conc. Trid. absolutam et inconditionatam esse peccatorum remissionem, implicite docet, cum definit contra Protestantes per justificationem peccatum non tantum non imputari, sed vere tolli (sess. 5, can. 5), et hanc remissionem concedi etiam non praedestinatibus seu his quos Deus praevidet iterum peccaturos et in peccato morituros (sess. 6, can. 17).

DICES 1. Supra relata verba *Ezech.* 18, 21 sq. intelligenda sunt in sensu conditionali, si scilicet homo permanserit in justitia, ut suadent subsequencia verba: "Si autem averterit se justus a justitia

¹ Apud *A. Thiel*, *Epistulae Romanorum Pontificum genuinae*, v. 1, Brunsbergae, 1868, p. 507.

sua . . . omnes justitiae ejus, quas fecerat [et ideo ipse actus poenitentiae], non recordabuntur” (v. 24 sq.).

RESP. Opera justitiae habent duos effectus, scilicet remissionem peccatorum et meritum vitae aeternae; cum ergo homo relabatur in peccatum, praecedens justitia non recordatur a Deo in ordine ad secundum effectum, quippe qui respicit futurum ac ideo interrumpi potest, non vero in ordine ad primum effectum, tum quia hic jam productus est, nec potest factum fieri infectum, tum etiam quia remissio peccati est magis opus Dei quam hominis, nec homo potest sua actione simpliciter evacuare opus Dei.

Ad rem *S. Thomas*: “Per sequens peccatum justitiae priores oblivioni traduntur, inquantum erant meritoriae vitae aeternae, non tamen inquantum erant impeditivae peccati. Unde si aliquis peccet mortaliter, postquam restituit debitum, non efficitur reus quasi debitum non reddidisset; et multo minus traditur oblivioni poenitentia prius acta, quantum ad remissionem culpae, cum remissio culpae magis sit opus Dei quam hominis” (3 p., q. 88, a. 1, ad 3). “Misericordia Dei, per quam fiebat remissio peccatorum, ad duo ordinatur. Ad unum in praesenti, scilicet remissionem praecedentium peccatorum; et quantum ad hunc effectum non exinanitur per peccatum sequens; et ad aliud in futuro, scilicet ad vitam aeternam consequendam; quia gratia, per quam fiebat remissio peccatorum, faciebat dignum vita aeterna; et quantum ad hunc effectum exinanitur per sequens peccatum” (*In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 1*; cf. ad 3; item hic infra, p. 124 sq.).

DICES 2. In *Jac. 2, 10*, legitur: “Qui offendit in uno, factus est omnium reus”.

RESP. Haec verba non referuntur directe ad peccata praeterita, et maxime remissa, sed generice ad omnia peccata, ut commissa, et significant communitatem malitiae ac demeriti quae inest omnibus peccatis, absque distinctione specierum vel numeri: quodcumque scilicet peccatum facit ut homo non observet totam legem ac ita incurrat reatum aeternae poenae. Ad rem *S. Thomas*: “Quidquid . . . est ex parte aversionis in peccato mortali, secundum se consideratum, est commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet peccatum mortale homo avertitur a Deo; unde et per consequens macula quae est per privationem gratiae, et reatus poenae aeternae communia sunt omnibus peccatis mortalibus. Et secundum hoc intelligitur id quod dicitur *Jac. II*, vers. 10: ‘Qui offendit in uno, factus est omnium reus’” (3 p., q. 88, a. 1).

DICES 3. Passim in Scriptura Deus dicitur recordari (seu punire)

peccata, quorum prius oblitus erat (seu remiserat). *3 Reg. 17, 18*: “Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meae . . . ?”; *Tobias 3, 3*: “Ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum”; *Psal. 78, 8*: “Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum”; *Psal. 108, 14*: “In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini”; *Eccli. 5, 5*: “De propitiato peccato noli esse sine metu”.

“RESPONDETUR . . . in illis locis non esse sermonem de suppliciis propriis peccatorum, quae sunt poenae alterius seculi, sed de poenis temporalibus hujus vitae. Nam in illis verbis *Psal. 108* est sermo de ea poena, quae interdum solet dari filiis propter peccata parentum, quae poena tantum temporalis est, ut constat. Deinde, ‘Deum oblivisci peccatorum’, non semper significat remittere illa quoad illam poenam, vel effectum, respectu cujus dicitur Deus oblitus talium peccatorum, quia scilicet talem poenam, vel effectum propter illa non operatur; sed significat moram quamdam, seu diuturnam dilationem talis poenae; existimatur enim jam quasi omnino remissa, et oblita, quia non executioni mandatur; maxime quando Deus, non obstantibus peccatis, beneficia confert, et patienter agit, ac dissimulat, ut aliis locis Scriptura loquitur. Aliud est ergo positive, ut sic dicam, remittere poenam, aliud vero non punire. Imo aliquando contingit peccatum esse remissum quoad culpam, et non quoad poenam temporalem, laborem et afflictionem hujus vitae, licet multo tempore executio differatur.

“Quando ergo Sancti postulant a Deo ne recordetur praeteritorum peccatorum, non postulant, ne puniat peccata jam positive remissa; sed ne poenam, quam multo tempore distulit, tandem exequatur; nam hoc fortasse facit Deus propter subsequentia peccata; expectat enim, et differt supplicia, ut homines emendentur. Quod si non faciant, vel emendari incipiant et non perseverent, exequitur Deus hujusmodi poenam, tam propter praesentia quam propter praeterita peccata; quia quoad illam poenam ea non dimiserat, sed suspenderat. Atque hoc est, quod orabat David, *Psal. 78*: ‘Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum’. Hoc etiam modo dicitur Deus interdum punire filios propter peccata parentum, ut significatur in verbis citatis *Psal. 108*, quia saepe differt hujusmodi supplicia externa, et sensibilia, etiam usque ad posteros, et in eis tamen illa exequitur, praesertim si filii impietatem parentum imitantur, *Deut. 5, Ezechielis c. 18*, et aliis locis.”⁹²

⁹² *Suarez*, De Poenitentia, disp. 13, sect. 2, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 248 sq.

DICES 4. Apud *Matth.* 18, 32–35, in parabola de servo inclemente, exhibetur Deus repetens debitum pro jam remissis peccatis: “Serve nequam, *omne debitum dimisi tibi*, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus *quoadusque redderet universum debitum*. Sic et *Pater meus coelestis faciet vobis*, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.”

Plures etiam *Patres* et antiquiores exegetae, ut Origenes, Chrysostomus, Theophylatus, Pseudo-Ambrosius, Augustinus, Gregorius M., Isidorus Hisp., Beda, Rabanus, Paschasius, eandem doctrinam exhibent, cum loquuntur de praecepto dimittendi offensas fratribus, in expositione hujus parabolae vel verborum Orationis Dominicae “Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris”.

Ita *Pseudo-Ambrosius*, Ad *Ephesios* 5, 32: “Si . . . Dominus per Filium suum servorum misertus est; quanto magis servi ipsi invicem sui debent misereri, et donare, si alter in alterum peccet? Haec praecepta ejus sunt, qui misertus est: qui si in his contemptus fuerit, sine dubio *revocabit sententiam*, per quam misericordiam fecerat” (M.L. 17, 415). *Augustinus*, Serm. 83, 6: “Dicit . . . Deus. . . Si non dimiseris, revocabo te; et quidquid tibi dimiseram, *replicabo tibi*” (M.L. 38, 518). Item, De Baptismo, 1, 12, 20: “*Redire dimissa peccata*, ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus docet de illo servo, quem cum invenisset debitorem decem millium talentorum, deprecanti omnia dimisit. Ille autem conservum suum qui ei debebat centum denarios, cum miseratus non fuisset, jussit eum dominus reddere quae ei dimiserat. . . *Quid profuit* [ei praecedens dimissio], quandoquidem in caput ejus propter odiorum perseverantiam rursus omnia continuo replicata sunt? Sic non impeditur Baptismi gratia, quoniam omnia peccata dimittat, etiamsi odium fraternum in ejus cui dimittuntur animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid supra est solvitur, etiam ipsa hora momentumque ante Baptismum et in Baptismo. Deinceps autem reus esse continuo incipit, non solum consequentium, sed etiam praeteritorum dierum, horarum, momentorum, *redeuntibus omnibus quae dimissa sunt*: et haec saepe contingunt in Ecclesia” (M.L. 43, 120). *Gregorius M.*, Dial. 4, 60: “Si hoc quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, et illud *rursus a nobis exigitur* quod nobis jam per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus” (M.L. 77, 428 sq.). *Beda*, In Luc. (11, 24: “Revertar in donum meam unde exivi”), l. 4: “Timendus est iste

versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis exstinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat” (M.L. 92, 478).⁹³

RESP. Ad ipsam Scripturam quod attinet, ex illa parabola non sequitur Deum repetere debitum jam factae remissionis, tum quia repetitio debiti ex parte illius domini non pertinet ad formalem sensum et scopum parabolaе, qui est nos debere dimittere confratribus si velimus ut Deus nobis dimittat, tum quia ea debiti repetitio, si transferatur etiam ad antitypum, i.e. ad Deum remittentem vel repentem peccata hominum, explicari potest in sensu largiori imperfecti reditus peccatorum remissorum, de quo dicitur in Concl. seq., quique consistit in ipsa commissione novi peccati, praeteritorum cognati et heredis, et peculiariter in commissione peccati ingratitude, quae habetur praesertim in eo qui renuat parcere confratribus. In quo sensu S. Thomas, explicans objectum locum Matthaei, scribit: “Illi cui peccata dimissa replicantur propter subsequentem ingratitude, redit universum debitum, in quantum quantitas peccatorum praecedentium proportionaliter invenitur in ingratitude subsequenti, non autem absolute, ut dictum est (in corp. art.)” (3 p., q. 88, a. 3, ad 3).

De ipso formali sensu hujus parabolaе scribit *Knabenbauer*: “Iam *Euth.* monet in parabola non esse omnia curiose scrutanda, sed aliqua solum addi persuasibilitatis gratia; *haec sola esse accipienda ex ea*, peccata in Deum commissa esse infinitis modis plura ac maiora his quae in nos alii delinquant; dein si nos non ignoverimus, etiam a nobis peccatorum poenas sine ulla misericordia iri expetitur. Similiter docet *Mald.* has esse partes necessarias; alia esse quasi emblemata vel ornamenta, uti in v. 25 uxorem et filios venundari et quod habeatur in v. 31, neque enim dicere vult a servis Dei i.e. a sanctis vel angelis eos accusari qui iniurias non remittant, sed ideo additum esse quia inter homines fieri soleat. Ad id partim etiam pertinet quod rex prius debitum remittit et postea tamen universum iterum exigit. Eo enim narrationis modo duo declarantur; prius, Deum paratum esse ad veniam concedendam atque eam humiliter roganti et facienti quod est in se liberalissime dare; alterum, si quis odium in fratrem et inimicitias servaverit, hoc esse peccatum ex genere suo mortale et proinde in aeternum puniendum. Hoc utrumque in narratione vix aliter illustrari potest quam ut dicatur dominum roganti dimittere, sed dure in fratrem advertenti supplicium imponere debito ad normam iustitiae exacto. *Omnia in parabola dimetienda sunt ex scopo ejus.* Scopus autem

⁹³ Cf. textus *Origenis*, *Chrysostomi* et *Theophylacti* apud *Knabenbauer*, In Matth. 18, 34.

ejus est, uti v. 21. 22. 35 indicatur, docere semper veniam esse concedendam et graves pro hac re rationes suggerere. *Quare ex narratione nullo modo sequitur, Deum etiam peccata quae semel condonavit iterum alicui alio peccato commisso in poenam et supplicium reputare.* Sunt enim Dei dona sine poenitentia neque remissionem semel donatam retractat unquam; vide *S. Thom.* 3 p. qu. 88 art. 1. 3; *Suarez* in 3 p. qu. 88 disp. 13.⁹⁴

Ad objectorum Patrum interpretationem quod attinet, quidam doctores concedunt eos revera sentiisse remissa peccata simpliciter redire ac secundum se iterum imputari, et in hoc sensu praefatum textum Scripturae interpretasse. Ita, praeter supradictos mediaevales, *Vasquez* qui scribit: "Ad patrum testimonia, si verum fateor, suspicor in ea illos fuisse sententia, quam et secutus est Praepositivus"; et ad explicationem aliorum doctorum de supradicto latiori sensu reditus peccatorum, addit: "Nescio an potius hoc sit Scholasticorum inventum, ad fugienda sanctorum dicta, quam secundum ipsorum sensum, et mentem".⁹⁵ Similiter *Knabenbauer*, citans praefatos Patres, ait: "Complures ita loquuntur, ut ex hac parabola peccata redire et iterum imputari collegisse censendi sunt . . . ; quae tamen doctrina sustineri nequit."⁹⁶

Attamen haec interpretatio mentis Patrum dura et improbabilis est, si attendantur tum numerus et auctoritas illorum interpretum, tum supra relati textus, praesertim *Prosperi Aquitani* ex quo explicari potest sensus verborum *Augustini*, inter alia obscuriorum, tum totus traditionis contextus, tum convenientia interpretandi Patrum testimonia in praefato largiori sensu imperfecti reditus peccatorum remissorum.⁹⁷

Juxta quem sensum *S. Thomas* sic explicat objecta verba *Augustini* (De bapt. 1, 12, 20) et *Bedae*: "Illud verbum *Augustini* videtur esse intelligendum de reditu peccatorum quantum ad reatum poenae aeternae in se consideratum, quia scilicet post poenitentiam peccans incurrit reatum poenae aeternae, sicut et prius; non tamen omnino propter eandem rationem. Unde *Augustinus* in lib. De responsionibus *Prosperi* cum dixisset quod 'non in id quod remissum est, recidit, nec pro originali peccato damnabitur,' subdit: 'Qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur quae ei propter illa quae ei remissa sunt, debebatur,' quia scilicet incurrit mortem aeternam, quam meruerat per peccata praeterita," (3 p., q. 88, a. 1, ad 1). "In illis verbis non

⁹⁴ Comm. In Ev. secundum S. Matthaeum, pars altera, Parisiis, 1903, p. 141 sq.

⁹⁵ In 3 p., q. 88, a. 1, dub. un.

⁹⁶ Op. cit., p. 142.

⁹⁷ Cf. *Suarez*, Disp., 13, sect. 1, n. 9; sect. 2, n. 9.

intendit dicere *Beda* quod culpa prius dimissa hominem opprimat per reditum reatus praeteriti, sed per iterationem actus” (ibid., ad 2).

Ad *Augustini* doctrinam haec observat *Palmieri*: “Respondeo locum quidem esse difficilem; haec tria tamen certa sunt. Primum universum hunc *Augustini* sermonem inniti hypotesi quam *Donatianis* tribuit, et ex ea argumentari. Postquam enim probaverat per baptismum in schismate acceptum licet valide collatum non dimitti tamen peccatum cum suscipitur, sed cum ad Ecclesiam reditur . . . , rursus contra eos arguit hoc pacto: ‘Si autem dixerint in illo, qui fictus accessit, per sanctam vim tanti Sacramenti dimissa quidem illi esse peccata in ipso temporis puncto, sed per fictionem ejus rediisse continuo . . . ut et induat eum Christo sanctitas baptismi, et exuat eum Christo perniciēs fictionis, sicut fit’ cum ceteris supra relatis. Alterum, quod certum esse dicimus, est quod *Augustinus* non agit de nostra hypotesi, quod nempe peccatum remissum redeat, sequente alio peccato: nam de vero peccato heic sermo non est; neque enim susceptio baptismi ut peccatum a *Donatianis* et *Augustino* huic spectatur. Quocirca sententia *Augustini*, quaecumque ea sit, ad rem nostram modo nihil facit. Tertium, quod certum dicimus, est remissionem, quam agnoscit *Augustinus*, non esse veram remissionem, quod duplici ex causa constat. Primo quia iam diserte demonstraverat baptismum in schismate susceptum non delere peccata, cum suscipitur, sed cum ad unitatem Ecclesiae reditur. Secundo, quia haec remissio comparatur remissioni, quam facit *Domini* servo perseveranti in odio conservi sui; est autem evidens veram esse non posse huiusmodi remissionem. His constat nihil erui posse ex verbis *Augustini* contra id quod defendimus.”⁸

Item *Galtier* observat: “Firmior atque magis ad rem [in favorem sententiae de reditu peccatorum] esse videtur assertio praedicta *S. Augustini* [De bapt. 1, 12, 20]. Attamen notandum est: — a) *S. Prosperum*, ejus discipulum, ei, ut constat per praedicta, aperte contradicere. — b) *S. Augustinum* ipsum hoc loco admittere reviviscēntiam non omnium in genere peccatorum quae recte ac vere dimissa fuerint, sed eorum duntaxat quae baptismo valido ac inefficaci delenda fuerint. Ea imo redire non dicit nisi hypothetice loquendo, permessa scilicet, non admissa, hypothetica solutione quaestionis, quae eum tandiu impedivit: quid nempe baptismum valide collatum efficiat sive in haeretico sive in catholico qui male dispositus, fictus, ut ait, illud suscipiat. Inter alias solutiones permittit dici baptismate huiusmodi peccatum non dimitti nisi transitorio modo, ‘in ipso scilicet temporis puncto’ quo sacramentum confertur, ideoque redire statim postea, ita ut tunc tantum vere ac definitive remittatur quando vel haeticus

⁸ De Poenitentia, thes. 18, Romae, 1879, p. 202 sq.

accesserit ad pacem Ecclesiae catholicae, vel fictus, correcta mala sua dispositione, veniam in Ecclesia obtinuerit. Si quem proinde permittit reditum peccati, eum non intellegit peccati quod, vere ac definitive remissum, reviviscat tantum propter subsequens peccatum, sed peccati quod, propter malam peccatoris dispositionem, non fuerit nisi secundum quid et ad temporis punctum in sacramento dimissum. Patet ergo eum non tangere quaestionem nostram generalem.⁹⁹

Probatur 2. EX DEFECTU OMNIS CAUSAE, vi cuius peccata redire aut reviviscere queant.

In hanc enim reviviscentiam tres causae influere possent, scilicet vel ipsum peccatum remissum, vel novum peccatum commissum, ex parte hominis; vel ipsa remissio seu modus remissionis, ex parte Dei. Jamvero ex nulla ex his tribus causis explicari potest remissi peccati reviviscentia.

In ipso enim peccato jam remisso quatuor distingui possunt: actus, macula, reatus culpae et reatus poenae. Actus autem, semel exercitus, pertransit et in nihilum abit, nec potest quod in nihilum decidit, idem numero in esse revocari, cum ad praeteritum non detur potentia (In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1). Macula similiter per infusionem gratiae in nihilum detruditur. Reatus culpae fundatur in macula et reatus poenae fundatur in reatu culpae, ac ideo, ablata macula per remissionem, totum peccatum in nihilum decidit nec quidquam de eo manet, tam physice quam moraliter, quod fundare possit ipsius reviviscentiam.

Novum autem peccatum commissum nullum habere potest influxum in reditum praeteriti, tum quia est opus hominis dum remissio praeteriti peccati est opus Dei, "opus [autem] Dei per opus hominis irritari non potest" (3 p. q. 88, a. 1); tum quia "ex parte conversionis [ad creaturam] peccata mortalia sunt diversa, et interdum contraria . . . ; [unde si ratione novi peccati remissum peccatum rediret] sequeretur quod homo per peccatum prodigalitatis reduceretur in habitum vel dispositionem avaritiae prius abolitae; et sic contrarium esset causa sui contrarii, quod est impossibile" (*ibid.*). Nec refert quod omnia peccata conveniant in unam rationem ex parte aversionis a Deo; nam ex hoc non sequitur quod per novum peccatum redeat praeteritum simpliciter et secundum se, sed tantum secundum quid et secundum illam rationem, quatenus nempe "per peccatum mortale sequens redit illud quod fuerat in prioribus peccatis ante dimissionem, inquantum per peccatum mortale sequens homo privatur gratia, et fit reus poenae aeternae, sicut et prius erat" (*ibid.*).

⁹⁹ De Poenitentia, thes. 42, n. 555, Parisiis, 1931, p. 424 sq.

Nec potest dici praeterita peccata redire non quidem per proprium influxum novi peccati, sed occasione istius ac veluti per resultantiam ex ipso, sicut peccatum originale consequitur generationem. Nam peccatum originale, qua tale, seu ut peccatum naturae, nunquam fuit ablatum, sed ipsi Adamo remissum est peccatum personale, aliis vero hominibus remittitur originale peccatum postquam ab unoquoque contrahitur per generationem; ac inde intelligitur quod causa manens producat suum effectum seu sese communicet homini, per resultantiam ex generatione. E contra peccatum personale jam remissum per poenitentiam, non amplius existit in se, nec etiam dependet a peccato subsequenti, nec ideo ulla adest causa vi cuius, utut per resultantiam, per commissionem novi peccati induci aut reviviscere queat.

Ipsa remissio, seu remissionis modus ex parte Dei, in tantum posset influere in reviviscentiam praeteritorum secundum suum reatum seu imputabilitatem, in quantum Deus non remitteret peccata nisi conditionaliter, ut plures ex supradictis theologis dixerunt. Jamvero talis *conditionata remissio* ex parte Dei impossibilis est; nequit enim esse conditionata sub conditione de praesenti, seu dependenter a praesentia qua Deus praesenter novit qui iterum sunt lapsuri, nam sic remissio illis denegaretur, cum de facto deesset ipsa conditio non relabendi; nec esse potest conditionata sub conditione de futuro, quia, abstrahendo ab ipsa inanitate talis conditionis ex parte Dei cui omnia futura sunt praesentia, sic remissio suspenderetur usque ad verificationem futurae conditionis nec ideo daretur, dum e contra est certum ac de fide homini poenitenti immediate remitti peccata per merita Christi ejusque sacramenta. Ad rem *S. Thomas*: "Sed nec hoc [seu conditionata remissio] stare potest, quia si causa absolute ponatur, et effectus ponitur absolute. Si igitur non absolute fieret per gratiam et gratiae sacramenta peccatorum remissio, sed cum quadam conditione in futurum dependente, sequeretur quod gratia et gratiae sacramenta non essent sufficiens causa remissionis peccatorum, quod est erroneum, utpote derogans gratiae Dei" (*ibid.*).

Nec valet cum quibusdam ex supradictis doctoribus efficaciam in reviviscentiam praeteritorum restringere ad *quaedam graviora peccata*, ratione peculiaris eorum ingratitude, aut eam conditionatam Dei absolutionem limitare ad conditionem non committendi ista peccata. Nam "haec opinio minus habet de ratione quam prima; quia non magis potest assignare causam quare per haec peccata redeant peccata dimissa magis quam per alia, cum etiam alia contingat quandoque esse graviora; nisi quod ex auctoritatibus et quibusdam rationibus frivolis inducebantur [ejus defensores] ad dicendum, quod per haec peccata

redirent peccata dimissa; et videbatur eis absurdum quod per omne peccatum sequens praecedentia redirent. Nec sufficit quod dicunt, quod Deus dimittat peccata sub conditione vitandi ista quatuor [peccata; cf. supra, p. 112]; quia causa sufficiens inducit effectum suum absolute, nihil expectans a futuro; gratia autem et passio Christi, ex cuius virtute sacramenta efficaciam habent, sufficientissime se habent ad omnem culpam delendam. Et praeterea nulla est ratio quare magis sub ratione vitandi haec peccata, priora remittantur quam sub conditione vitandi alia; cum omne peccatum contrarietur gratiae, per quam fit remissio peccatorum” (*In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1*).

Confirmatur ab inconvenientibus contrariae sententiae. Ex ea enim sequeretur quod: 1. Per commissionem novi peccati, etiam peccatum originale rediret quoad reatum culpae et poenae, et a fortiori cetera peccata personalia remissa per Baptismum, et ita homo teneretur ad iterum suscipiendum Baptismum, per quem solum peccatum originale et peccata personalia ante Baptismum commissa tolli possunt. 2. Ratione unius peccati induceretur ejus contrarium, puta peccatum avaritiae per peccatum prodigalitatatis, contra principium philosophicum quo dicitur contrarium per contrarium expelli. 3. Homo teneretur ad iterandum distinctum actum contritionis de iisdem peccatis jam remissis, imo et ad iterandam eorundem confessionem.

DICES 1. Per poenitentiam reviviscunt omnia merita; ergo a pari per peccatum reviviscunt omnia demerita seu peccata.

RESP. Negatur cons. et paritas. Nam ut dictum est supra, ad textum Ezechielis (p. 115 sq.), peccatum sequens non valet mortificare ipsam praecedentem remissionem peccatorum, tum quia est jam facta, tum quia est opus Dei quod nequit ab opere hominis evacuari, sed valet tantum mortificare alterum effectum operum bonorum, qui est meritum ad futurum praemium gloriae; imo nec valet hunc effectum simpliciter mortificare seu extinguere, sed tantum eum suspendere per appositionem impedimenti, quo remoto per poenitentiam, merita iterum influunt seu reviviscunt. Undeposito peccato, nequaquam remissa peccata redeunt, dum, posita poenitentia, merita mortificata reviviscunt.

Ad rem *S. Thomas* (praeter verba ibidem citata): “Peccatum mortale non mortificabat merita praecedentia quin in se essent viva, unde in gloriam electorum cedebant; sed mortificabantur solum quantum ad illum cuius erant, qui impediabatur a consecutione effectus ipsorum; et ideo, remoto impedimento, in sua efficacia remanent quoad istum. Sed peccatum per poenitentiam non solum mortificatur quoad peccantem, sed etiam in se. Remissio enim peccatorum est principaliter opus Dei; sed mortificatio meritum praecedentium est opus hominis. Homo

autem sua actione non potest evacuare simpliciter opus Dei, quamvis possit impedire ne sibi prosit; et ideo homo per peccatum sequens non potest remissionem praecedentium peccatorum annullare; potest autem sua actione evacuare quod per ipsum factum est; et ideo potest mortificationem praecedentium meritorum per merita sequentia penitus annullare, praecipue gratia adjunctus” (*In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 6*).

Gonet non inepte addit sequentes duas rationes disparitatis quare merita reviviscant, peccata vero non redeant: “*Prima* est, quia Deus prior est ad benefaciendum et miserendum, quam ad puniendum; et ipse est auctor meritorum, et non peccatorum: unde non mirum, si merita per peccatum mortificata, maneant in divina acceptione, et sublato peccato, quod impedit eorum effectum, reviviscant: peccata vero remissa non maneant in indignatione divina; ut per sequens peccatum mortale redeant in se formaliter quod culpam, vel poenam aeternam. Quamvis ex parte hominis ad malum proni, facilius esset mala reviviscere, quam bona. *Secunda* est, quia promissiones debent ample et favorabiliter intelligi, e contra vero comminationes, utpote odiosae, debent potius restringi, et intelligi quantum fieri potest, cum moderatione favorabili; atqui promissio est quod Deus dicat se non amplius recordaturum omnium iniquitatum poenitentis; comminatio vero, quod dicat se non recordaturum honorum operum justi in peccatum lapsi: ergo debent rationabiliter diversimode intelligi; illa quidem amplissime, ista vero cum favorabili restrictione.”¹

Istes. Principium illud, a *S. Thoma* invocatum, “Opus Dei per opus hominis irritari non potest” (3 p., q. 88, a. 1), falsum est, ut constat vel ex eo quod per peccatum irritatur opus sanctificationis per expulsionem gratiae. Unde potest e converso desumi ex hoc ipso argumentum pro reviviscencia peccatorum: sicut nempe peccatum potest irritare opus sanctificationis, ita potest a pari irritare opus remissionis.

Resp. Opus ipsum Dei, quatenus est opus Dei, nunquam ab opere hominis irritari potest. Ipse quidem effectus operis sanctificationis, seu gratia, expelli potest per peccatum, quia est quaedam forma recepta in voluntate hominis, sed inde non irritatur ipsum opus Dei, quatenus se habet ex parte Dei, ac proinde merita mortificata per peccatum, reviviscunt per poenitentiam, eo quod permanserint ex parte Dei in sua acceptatione. Ceterum, opus remissionis prout est ablatio peccati, abstrahendo ab infusione gratiae, neque ex parte subjecti irritari potest per novum peccatum, quia consistit non in aliqua forma

¹ De Poenitentia, disp. 5, art. un., n. 20, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 573.

positiva sed in destructione peccati quae, semel facta, a nulla causa restaurari potest; si vero opus remissionis consideretur ex parte infusionis gratiae, sic irritari potest per expulsionem gratiae, sed haec irritatio et expulsio non est restaurativa destructae maculae praecedentis peccati, sed inductiva novae maculae, seu privationis gratiae de novo expulsae.

DICES 2. Remissio consistit in hoc quod peccata per gratiam tegantur et per charitatem operiantur, juxta illud *Psal. 31, 1*: “Beati quorum remissae sunt iniquitates et quorum tecta sunt peccata” et *1 Petr. 4, 8*: “Charitas operit multitudinem peccatorum”. Jamvero, remoto tegumento vel operculo, iterum in lucem redit quod operiebatur. Ergo, remota gratia et charitate, peccata remissa in lucem redeunt seu reviviscunt.

RESP. Gratia remissionis ita peccata tegit ut simul necessario destruat, quia ipsa dicitur tegere peccata non homini sed Deo; Deus enim omnia videt, etiam si sint homini absconsa, ac ideo unicus modus quo aliquid possit subtrahi Dei cognitioni est ejus destructio, quae quidem per metaphoram dicitur celatio. Vel potest distingui inter actum peccati (peccatum actuale) et ejus maculam ac reatum (peccatum habituale) et dici quod Deus peccata quantum ad maculam et reatum non tegit sed simpliciter tollit, quantum vero ad actum, qui nequit tolli, eo quod factum nequeat fieri infectum, tantummodo tegit ac veluti dissimulat, ne scilicet propter illum relinquat in homine maculam et reatum.

Ad rem *S. Thomas*: “Charitas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt; unde oportet quod ea destruat, non quidem faciens ut actus non praecesserit, sed quod vim impediendi gratiam non habeat. Sed coram oculis hominum aliquid potest operiri quod de se manet; et de tali operimento objectio procedebat” (*In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 2*). “Gratia simpliciter tollit maculam et reatum poenae aeternae; tegit autem actus peccati praeteritos, ne scilicet propter eos Deus hominem gratia privet, et reum habeat poenae aeternae; et quod gratia semel facit, perpetuo manet” (*3 p., q. 88, a. 1, ad 4*).

DICES 3. Si quis, antequam absolvat suam satisfactionem pro mortalibus remissis, iterum peccet et impenitens moriatur, punitur in inferno poena aeterna etiam pro peccatis jam remissis, non enim potest in inferno absolvere reliquam satisfactionem, cum in inferno nulla sit redemptio. Ergo saltem in hoc casu peccata remissa reviviscunt quoad culpam, quia nisi reviviscerent non possent juste puniri poena aeterna.

RESP. Ut fusius explicatum est in art. 61 (tom. 3, p. 289–294), quidam doctores dicunt praedictum peccatorem puniri in aeternum pro solis peccatis non remissis, tantum vero temporaliter pro jam remissis, donec nempe expiet reliquam poenam quam in hac vita debebat pro satisfactione, nec inde sequi quod in inferno in hoc casu fiat redemptio, quia poena quae solvitur non redimitur. Alii probabilius dicunt illum puniri in aeternum etiam pro remissis, ita ut reliqua poena temporalis, pro his debita, iterum convertatur in aeternam, non quidem ratione culpae secundum se, cum sit ablata, sed ratione status in quo homo nequit solvere poenam eo modo quo oportet, seu acceptabiliter; unde etiam in hac sententia non sequitur quod ea peccata reviviscere debeant ad hoc ut in aeternum puniri possint. Utramque responsionem affert *S. Thomas*, In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 5, quem citavimus in eodem art. 61 (tom. 3, p. 290).

DICES 4. Reviviscentiam peccatorum suadet ipsa humana consuetudo; nam si quis iterum aliquem offendit, a quo veniam consecutus fuerat, iterum in ejus indignationem incurrit, et si servus, a domino dimissus, dominum offendit, iterum ab eo in servitutem redigitur.

RESP. Iterata illa indignatio et servitus non habet ut causam priores culpas aut obligationes, sed novam offensam, etsi haec, ratione prioris remissionis et beneficii, induat majorem malitiam ex circumstantia ingratitude et inde sit causa majoris indignationis et punitionis, ut explicabitur in seq. Concl.

Hanc eandem objectionem sic solvit *S. Thomas*: “Quamvis aliquis manumissus reducatur in eandem servitutem de qua liberatus fuerat, non tamen ut sit ex eadem causa servus, ex qua primo fuerat, sed ex alia, scilicet offensa post manumissionem commissa. Et similiter qui recidivat, reducitur in servitutem peccati, non tamen ut sit servus peccati ex actibus peccatorum ex quibus prius erat, sed ex actu istius peccati sequentis. Unde peccata dimissa non redeunt, sed novum inducitur” (In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 4).

NOTA. *Disputant theologi an praedictus reditus peccatorum repugnet etiam de potentia Dei absoluta.*

Quidam, ut *Scotus*, *Biel*, *Almainus*, *Valentia*, *Granados*, *Coninck* (loquitur probabiliter), *Montefortino*, dicunt id non repugnare; nam Deus potuisset velle remittere peccatum tantummodo conditionate, seu sub conditione quod homo iterum non peccet, qua deficiente conditione, peccata iterum irremissa evaderent, seu reviviscerent. Attamen, plures ex his doctoribus, ut *Scotus*, *Biel*, *Almainus*, *Monte-*

fortino non satis distinguunt inter maculam, reatum culpae et reatum poenae, cum in solo poenae reatu videantur totum habituale peccatum reponere. Unde, quamvis loquantur absolute, quoad rem tamen non differunt a sententia Suaresii mox referenda, juxta quam peccata possunt redire quoad solum poenae reatum.

Alii, ut *Gonet*, dicunt repugnare quidem quod remissum peccatum redeat physice, seu quoad actum et maculam, sed non repugnare quod redeat quoad suum esse morale, seu quoad ipsum reatum tum culpae tum poenae. Ad rem ipse *Gonet*: "Peccata semel remissa nequeunt, etiam de potentia Dei absoluta, redire quantum ad esse physicum, bene tamen quantum ad modum essendi moralem. Probatur prima pars: . . . Quia alias Deus esset auctor peccati. . . Secunda quoque pars suadetur, cum enim Deus sit supremus et absolutus Dominus, posset de potentia extraordinaria remittere alicui peccatum, sub ea conditione, ut si postea peccaret, tantam culpam et reatum poenae contraheret, quantum contraxisset ex utroque peccato, si prius non fuisset remissum; in quo casu culpa et reatus poenae rediret quoad esse morale: ergo peccata semel remissa, de potentia Dei absoluta, redire possunt quantum ad modum essendi moralem."²

Alii, ut *Suares* (Disp. 13, sect. 2, n. 10–14), et *Lugo* (Disp. 10, sect. 1, n. 2, et sect. 2, n. 31), dicunt non repugnare quod remissum peccatum redeat quoad solum reatum poenae, etiam aeternae, si nempe Deus decerneret remittere peccatum quoad debitum poenae conditionaliter tantum, i.e. sub conditione quod homo iterum non peccet, qua deficiente conditione, reatus poenae rediret.

Ad rem *SUARES*: "Quidam . . . putant omnino repugnare poenam (praesertim aeternam) remitti, ita ut redeat propter eandem culpam . . . , quia repugnat [ut aiunt] peccatum esse absolutum, et hominem remanere debitorem ejusdem poenae. . . Haec vero ratio et doctrina, sic declarata, multa supponit falsa fundamenta. . . Falsum est . . . principium ibi insinuatum, idem esse, manere dignum poena, et manere in peccato; nam anima in primo instanti separationis a corpore non manet in peccato, et tamen manet digna eadem poena pro culpa veniali remissa. Potest ergo manere homo dignus eadem poena propter peccatum praeteritum jam remissum quoad culpam; ergo eadem ratione posset redire dignitas poenae, licet non rediret eadem culpa, quantum est ex vi identitatis, vel distinctionis harum rationum. . .

"Dico ergo, de potentia Dei absoluta hoc non repugnare, etiam supposita justificatione per infusionem gratiae supernaturalis. Circa quam solum adverto, quod supra, disp. 3, sect. 4, notavi, poenam aeternam, quae nunc destinata est damnatis, habere quamdam intrinsicam repugnantiam cum gratia justificationis, quae nunc conceditur in remissione peccatorum; et ideo ex natura talis gratiae intrinsece sequi exclusionem illius poenae aeternae secundum praesentem justitiam; ita ut intrinsece repugnet ut homo, sic justificatus, ordinatus maneat ad illam poenam aeternam in sensu composito, ut sic dicam, id est, ut eam sustineat, etiamsi in

² De Poenitentia, disp. 5, art. un., n. 12–14, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 573.

illa justitia moraliter perseveret. Rursus, quia ipsa gratia natura sua reddit hominem acceptabilem ad vitam aeternam, et dignum illa, ideo etiam est connaturale tali gratiae, et ex natura rei illi debitum, ut excludat reatum, seu ordinationem ad quamdam poenam aeternam, stante et perseverante ipsa gratia, quia nulla poena aeterna esse potest simul cum vita aeterna. Nihilominus tamen de absoluta potentia posset Deus non ordinare hominem sic justificatum ad vitam aeternam cum effectu consequendam, ut per se constat. Et consequenter posset, remittendo culpam mortalem non remittere omnem poenam aeternam, sed relinquere, verbi gratia, perpetuam carentiam visionis beatae, quia, ut supra dixi, in hoc nulla est repugnantia, neque enim hoc opponitur sanctitati, quam gratia confert, ita ut illam formaliter destruat. Ulterius etiam *posset Deus*, quamvis secundum praesentem justitiam remittat poenam aeternam cujuscumque rationis, nihilominus *non remittere absolute, sed sub illa conditione: 'Nisi me iterum offendas'*; quia hoc iterum non repugnat formaliter sanctitati gratiae, neque alicui attributo divino, neque aliunde ostendi potest implicatio contradictionis.³

Alii, ut Soto (In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1), *Nugnus, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses* (Comm. in 3 p., q. 88, a. 1, n. 14), *Billuart*, recte docent, ad mentem S. Thomae absolute loquentis (“Sed non potest esse”, “Sed nec hoc stare potest”), reditum peccatorum remissorum absolute repugnare tam physice, seu quoad actum et maculam, quam in esse morali, seu quoad ipsum reatum sive culpae sive solius poenae. Idque sequitur ex eisdem rationibus nuper allatis ad probandum quod saltem de facto peccatum remissum non redeat.

Et primo id repugnat quoad *physicum esse peccati*. Nam impossibile est id quod in nihilum decidit, idem numero in esse revocari, nec ad praeteritum datur potentia, cum ipsa entis iterata productio et replicatio, ejus individuationem replicaret, nec ideo haberetur idem individuum, sed aliud. *Praeterea*, etiam si abstracte loquendo non repugnaret quod idem numero ex nihilo revocetur ad esse, id repugnaret quoad actum peccati ejusque maculam; nam macula nequit induci nisi per actum, per quamdam resultantiam ex ipso; actus vero nequit produci nisi vitaliter a voluntate hominis; voluntas autem hominis nequit ex propria vi reproducere eumdem actum qui in nihilum decidit, quia saltem relate ad vires creatas dicunt omnes doctores valere illud principium “Quod in nihilum incidit, idem numero resumere non potest” vel “Ad praeteritum non datur potentia”, eo quod sola potentia Dei creatrix et infinita respiciat esse et non esse rerum; nec aliunde potentia Dei potest inducere illum actum per voluntatem hominis, quia actus peccati qua talis est ab homine ut a causa defectiva, nec causa defectiva potest moveri a Deo qui est causa unice perfectiva ac nequit causare defectum, et maxime moralem defectum peccati, cujus imputatio repugnat etiam infinitae ejus sanctitati.⁴ *Praeterea*, etiam si totum hoc possibile esset, adhuc non expli-

³ De Poenitentia, disp. 13, sect. 2, n. 12 et 14, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 250 sq.

⁴ Lugo, inepte has rationes reiciens, ex alio principio conatur deducere impossibilitatem

caretur reditus remissi peccati per ipsam novi peccati commissionem, cum hoc nullam intrinsecam connexionem habeat cum priori, a se saltem numerice distincto, nec aliunde homo intendat committere aut revocare praeterita peccata, quando novum admittit.

Unde tota reviscientia peccati, si detur, nonnisi ad ejus *moralem entitatem*, seu culpae et poenae reatum, revocanda est et ab adversariis de facto revocatur, et quidem nonnisi ex quadam conditionata Dei remissione explicari posset, qua nempe Deus velit remittere peccatum sub conditione quod homo iterum non peccet.

Jamvero talis conditionata remissio ex parte Dei repugnat, ut supra dictum est; nam si eligatur conditio de praesenti, remissio nullatenus fieret homini quem Deus infallibiliter praevidet relapsurum; si vero eligatur conditio de futuro, remissio a Deo non statim fieret sed suspenderetur usque ad tempus quo adesset certitudo non relapsus (quod nequiret esse nisi tempus quo ipse Deus decerneret quomodolibet efficaciter impedire hominis relapsum, cum homo, sibi relictus, semper relabi possit); in neutro igitur casu haberetur reviscientia remissi peccati ob novi peccati commissionem; in priori quia deesset remissio, in altero quia deesset commissio.

Adversarii autem sibi fingunt talem Dei dispositionem ut de praesenti revera remittat peccata et tamen statuatur ut, si in futuro homo iterum labatur, priora peccata iterum ei imputentur quoad culpam et poenam, seu ita ut Deus resumatur jus indignationis et punitionis. Sed in hoc mera imaginatione laborant, nec advertunt contradictionem

reviscientiae actus peccati, scribens: "Non est sermo de peccato quoad culpam actualem eandem numero, an possit redire; hoc enim fere pendet ex principiis physicis, an idem accidens numero, quod periiit, possit naturaliter reproduci, vel saltem potentia absoluta? consequenter enim de actu peccaminoso videtur, quod dici posset, postquam transactus est, posse iterum Deum dare concursum voluntati creatae ad eundem actum eliciendum; qui concursus quoad modum esset miraculosus. Et quamvis Suar. in praesenti disp. XIII, sect. 1, n. 11; dicat illud miraculum non decere divinam bonitatem: caeterum in ordine ad potentiam absolutam non videtur repugnare, neque ideo Deus diceretur auctor illius peccati, cum solum daret in actu primo concursum indifferentem ad illum actum, et ad actum bonum oppositum nullo modo determinans, aut suadens, imo potius disuadens fieri illum actum malum. Aliunde tamen juxta alia principia philosophica quae mihi sunt probabilia; quod scilicet actus voluntatis duret per suamet entitatem, et per consequens sit affixus huic spatio imaginario successivo, fatendum est, non posse eundem actum reproduci in alia duratione, quia duratio hodierna non potest cras reproduci" (De Poenitentia, Disp. 10, sect. 1, n. 1, Parisiis, 1892, p. 645 sq.).

Idem Lugo hanc objectionem affert et resolvit: "Dices: Si Deus annihilat peccatorem, eo ipso destruitur peccatum: potest autem Deus reproducere postea hunc hominem, qui sane tunc poterit adhuc esse maculatus prioribus peccatis; ergo non repugnat, peccatum semel destructum redire quoad maculam sine actione hominis. Respondeo, praedicto casu non destrui omnino peccatum, quando annihilatur homo, sed adhuc manere quamdiu Deus retinet sibi illud jus, quod ex peccato habuit ad odium hominis: postea vero reproducto homine, non reproducitur peccatum, sed incipit denominare et maculare hominem, quem antea ex defectu existentiae ipsius hominis non denominabat, nec maculabat" (ibid., n. 13, p. 648 sq.).

inveniri in ea ficta remissiva voluntate; vel enim Deus absolute remittit, et tunc eo ipso renuntiat juri indignationis et punitionis nec potest quodcumque velle illud resumere nisi contradicendo priori voluntati; vel remittit vere conditionate, et tunc aut conditionate de praesenti, quod est non remittere his quos scit relapsuros, vel conditionate de futuro, quod est nequaquam remittere sed suspendere remissionem, ut dictum est.

Separabilitas autem reatus poenae a reatu culpae, quam invocat Suarez, rejecta est supra in art. 87 (p. 99), ubi diximus aliud esse quod Deus, etiam post remissum peccatum quoad culpam et poenam, possit adhuc, ex suo supremo in creaturas dominio, subicere hominem aeterno cuidam cruciatui, quod admittimus, et aliud esse quod Deus id facere possit in poenam remissi peccati, quod negamus. Ceterum, ea separabilitas, si daretur, nondum probaret reviviscentiam peccati quoad poenam, nam poena non remissa non reviviscit sed primo infligitur; quod si praeterea addatur (et est altera Suaresii assertio) Deum remittere quidem ipsam poenam, simul cum culpa, sed tantum sub conditione non relapsus, neganda est talis conditionata remissio, utpote contradictoria, ut dictum est.

Unde absolute et simpliciter valet assertum S. Thomae: "*Quod gratia semel facit, perpetuo manet*" (3 p., q. 88, a. 1, ad 4).

Conclusio 2. Ratione novi peccati, peccata jam remissa "redeunt secundum quid, inquantum scilicet virtualiter in sequenti peccato continentur."

Probatur.

Haec imperfecta reviviscentia, quam explicat S. Thomas in utroque loco Summae theol. et Comm. in Sent. et per quam aliquid conceditur sententiae adversariorum eorumque rationibus, dupliciter intelligi potest, improprie scilicet et proprie, etsi secundum quid.

Considerata enim imprimis *generica ratione peccati*, tum prout est actus aversionis a Deo et alicujus conversionis ad creaturam, tum prout est macula et reatus ex illo actu consequens, peccata remissa quodammodo redeunt per omne novum peccatum quia eadem generica ratio redit in omni peccato; et praeterea ipsa specifica ratio, quae competit peccatis ex parte talis vel talis conversionis ad creaturam, redit, ut patet, per aliqua peccata, quae sunt individua illius speciei, non vero per omne peccatum. Sed hic peccatorum reditus est non solum imperfectus sed etiam *improprie dictus*, quia non refertur ad individuum rationem peccati, sed ad genericam vel specificam, actiones vero et passiones proprie sunt suppositorum.

Consideratis igitur praeterea *ipsis peccatis in individuo*, haec dici possunt per quodlibet novum peccatum redire *secundum quid et proprie*, scilicet non quidem secundum se sed secundum suam virtutem et effectum, idque ob specialem rationem ingratitude quae, ratione remissionis jam factae, consurgit in novo peccato commisso. Quae quidem ingratitude ratio peculiariter continetur in *quatuor peccatis* odii fraterni, apostasiae a fide, contemptus confessionis, et doloris de habita poenitentia, eo quod haec peccata directius opponantur beneficio remissionis peccatorum, ut explicat *S. Thomas* mox citandus, ac ideo specialiter dicitur per ipsorum commissionem redire omnia peccata jam remissa. Addit *S. Doctor* quod non necessario ex hac ingratitude consurgit tantus reatus in peccato sequenti quantus erat in praecedentibus, ut patet in eo qui post poenitentiam de multis adulteriis relabatur in unum actum simplicis impudicitiae; item, quod ea ingratitude non necessario est distinctum et speciale peccatum, nisi procedat formaliter ex contemptus Dei et suscepti remissionis beneficii.

Quae autem diximus in utraque conclusione valent, proportionem servata, etiam de peccatis venialibus, imo et de ipso peccato originali, ut docet *S. Thomas* scribens: “Etiam peccata venialia, et ipsum originale redeunt modo praedicto (in corp. art.), sicut et peccata mortalia, in quantum contemnitur Dei beneficium quo haec peccata sunt remissa. Non tamen per peccatum veniale aliquis incurrit ingratitude[m] [nisi imperfectam, ut dictum est in 2–2, q. 108, a. 3], quia homo peccando venialiter non facit contra Deum, sed praeter ipsum; et ideo per peccata venialia nullo modo peccata dimissa redeunt” (3 p., q. 88, a. 2, ad 2).

S. Thomas suam doctrinam sic exponit: 3 p., q. 88, a. 1: “Nullo modo potest esse quod macula et reatus praecedentium peccatorum redeant, *secundum quod ex talibus actibus causabantur*. Contingit autem quod sequens actus peccati virtualiter contineat reatum prioris peccati, in quantum scilicet aliquis homo secundo peccans, ex hoc ipso videtur gravius peccare quam prius peccaverat, secundum illud Rom. ii, 5: ‘Secundum duritiam tuam et cor impenitens, thesaurizas tibi iram in die irae’, ex hoc scilicet solo quod contemnitur Dei bonitas, quae ad poenitentiam expectat. Multo autem magis *contemnitur Dei bonitas*, si post remissionem prioris peccati secundo peccatum iteretur, quanto majus est beneficium peccatum remittere quam peccatorem sustinere. — Sic igitur per peccatum sequens poenitentiam redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, *non in quantum causabatur ex illis peccatis prius dimissis*, sed in quantum causatur ex peccato ultimo perpetrato, quod aggravatur ex peccatis prioribus. Et hoc

non est peccata dimissa redire simpliciter, sed redire secundum quid, in quantum scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur."

Ibid., a. 2: "Sicut supra dictum est (art. praec.), peccata dimissa per poenitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum ratione ingratitude virtualiter continentur in peccato sequenti. Ingratitudo autem potest committi dupliciter; uno modo ex eo quod aliquid fit contra beneficium, et hoc modo per omne peccatum mortale, quo Deum offendit, redditur homo ingratus Deo, qui peccata remisit; et sic per quodlibet peccatum mortale sequens redeunt peccata prius dimissa, ratione ingratitude; alio modo committitur ingratitude, non solum faciendo contra ipsum beneficium, sed etiam faciendo contra formam beneficii praestiti. Quae quidem forma si attendatur ex parte benefactoris, est remissio debitorum: unde contra hanc formam facit qui fratri petenti veniam non remittit, sed odium tenet: si autem attendatur ex parte poenitentis qui recipit hoc beneficium, invenitur ex parte ejus duplex motus liberi arbitrii. Quorum primus est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatae; et contra hoc facit homo apostatando a fide. Secundus autem est motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus poenitentiae; ad quem primo pertinet, ut supra dictum est (quaest. lxxxv, art. 2 et 5), quod homo detestetur peccata praeterita; et contra hoc facit ille qui dolet se poenituisse. Secundo pertinet ad actum poenitentiae ut poenitens proponat se subjicere clavibus Ecclesiae per confessionem, secundum illud Psal. xxxi, 5: 'Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei'; et contra hoc facit ille qui contemnit confiteri, secundum quod proposuerat. Et ideo dicitur quod specialiter ingratitude hominum peccatorum facit redire peccata prius dimissa."

Contra hanc doctrinam S. Doctor refert et solvit sequentem notabilem objectionem, desumptam ex praecellentia innocentiae super poenitentiam:

Ob. 3: "Tanto major est ingratitude, quanto post majus beneficium acceptum aliquis peccat. Sed beneficium Dei est etiam ipsa innocentia, qua peccatum vitamus. . . Majus autem donum est innocentia quam etiam remissio omnium peccatorum. Ergo non minus est ingratus Deo qui primo peccat post innocentiam, quam qui peccat post poenitentiam; et ita videtur quod per ingratitude, quae fit secundum peccata praedicta, non maxime redeant peccata dimissa." *Ad 3:* "Dicendum, quod beneficium aliquod habet pensari dupliciter: uno modo ex quantitate ipsius beneficii, et secundum hoc innocentia est majus Dei beneficium quam poenitentia, quae dicitur secunda tabula post naufragium; alio modo potest pensari beneficium ex parte recipientis,

qui minus est dignus, et sic magis fit ei gratia, unde et ipse magis est ingratus, si contemnat, et hoc modo beneficium remissionis culpae est majus, inquantum praestatur totaliter indigno: et ideo ex hoc sequitur major ingratitudo.”⁵

Ibid., a. 3: “Quidam dixerunt quod ex peccato sequenti propter ingratitudinem consurgit tantus reatus, quantus fuit reatus peccatorum prius dimissorum, super reatum hujus peccati. Sed hoc non est necessarium, quia, sicut supra dictum est (art. 1 huj. quaest.), reatus praecedentium peccatorum non redit per peccatum sequens, inquantum sequebatur ex actibus praeteritorum peccatorum, sed inquantum consequitur actum sequentis peccati. Et ideo oportet quod quantitas reatus redeuntis sit secundum gravitatem peccati subsequenteris. — Potest autem contingere quod gravitas peccati subsequenteris adaequetur gravitati omnium peccatorum praecedentium. Sed hoc non semper est necesse”.

Ibid., ad 4: “Ingratitudo peccantis quandoque est speciale peccatum, quandoque autem non; sed est circumstantia generaliter consequens omne peccatum mortale, quod contra Deum committitur; peccatum enim speciem recipit ex intentione peccantis. . . Si igitur aliquis peccator in contemptum Dei et suscepti beneficii aliquod peccatum committat, illud peccatum trahitur ad speciem ingratitudinis; et hoc modo ingratitudo peccantis est speciale peccatum. Si vero aliquis intendens aliquod peccatum committere, puta homicidium aut adulterium, non retrahatur ab hoc propter hoc quod pertinet ad Dei contemptum, ingratitudo non erit speciale peccatum, sed trahetur ad speciem alterius peccati, sicut circumstantia quaedam.”

ART. 89. Utrum Per Poenitentiam Homo Recuperet Quomolibet Quidquid Per Peccatum Amiserat (3 p., q. 89; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 2-4; cf. In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4).

STATUS QUAESTIONIS

In art. praec. vidimus hominem per novum peccatum nequaquam recuperare, ut ita dicatur, quidquid per poenitentiam amiserat, seu remissa peccata; nunc e converso statuemus hominem per poenitentiam recuperare, substantialiter saltem, quidquid per peccatum amiserat, in quo quidem ostenditur vis poenitentiae super peccatum, efficacia operis Dei super opus hominis, et magnitudo bonitatis super malitiam, juxta illud *Rom. 12, 21*: “Noli vinci a malo, sed vince in bono malum” quod *Apostolus*, ad quandam divini operis imitationem, commendat fidelibus.

⁵ Cf. 2-2, q. 106, a. 2; *Cajetanum*, Comm. in h. l.; *Suarez*, De Poenitentia, disp. 13, sect. 2, n. 11-18.

Porro homo per peccatum sequentes defectus incurrit: *Primo*, amittit simpliciter *gratiam sanctificantem et virtutes infusas*, exceptis fide et spe si non peccaverit contra has virtutes, quae tamen tunc amittunt suam rationem perfectae virtutis, dempta informatione charitatis. *Secundo*, amittit *merita*, seu jus ad vitam aeternam, fundatum in ipsa gratia et charitate; attamen, ut infra explicabitur, haec merita non simpliciter et secundum se amittuntur, quia manent secundum se in divina irrevocabili acceptatione, sed tantum secundum quid et quoad suum effectum, quatenus non valent hunc effectum perducendi ad vitam aeternam exerere in subjecto, dum deest in eo fundamentum gratiae et adest impedimentum peccati, adeoque potiusquam amitti dicuntur mortificari (opera mortificata), seu impediri a suo vitali effectu. *Tertio*, amittit potentiam ad exercenda *opera viva* seu meritoria, ob defectum charitatis, ita ut omnia ejus opera, etiam supernaturalia (ut fides, spes, timor, attritio), sint opera mortua. *Quarto* amittit quasdam perfectiones et dignitates, uti *innocentiam* per quodlibet peccatum; virginitatem per peccatum impudicitiae; quandoque *virtutes ipsas naturales; dignitatem ecclesiasticam*, quatenus ob quaedam peccata prohibetur quis exercere ea quae competunt dignitati ecclesiasticae, ratione indecentiae, vel scandali, vel statutae irregularitatis.

Quaeritur ergo an homo haec omnia quomodolibet saltem recuperet per poenitentiam. Et de his omnibus per sex integros articulos agit S. Thomas in 3 p., q. 89, ita ut tres priores directe referantur ad virtutes earumque recuperationem, tres vero posteriores ad opera, mortificata vel mortua, eorumque revisiscentiam vel vivificationem per poenitentiam.

Dicimus autem "*Quomodolibet saltem recuperet*", quia in hoc articulo consulto abstrahere volumus a disputata quaestione de modo revisiscentiae meritorum, seu in quonam gradu et modo gratia et virtutes recuperentur per poenitentiam, quam S. Thomas tractat in a. 2 (non vero directe in a. 5 in quo mere agit de facto revisiscentiae meritorum) et ad quam practice reducitur controversia theologorum, ut constabit ex art. seq.

Ad intelligentiam autem hujus et sequentis articuli nota classicam apud doctores DIVISIONEM OPERUM IN VIVA, MORTUA ET MORTIFICATA. Haec trimembris divisio in ipsis terminis invenitur apud S. Thomam. Quidam addunt quartum membrum, i.e. mortifera, et alii quintum, i.e. vivificata, quae inveniuntur aequivalenter tantum in S. Doctore. Accipitur autem ista distinctio ex relatione alicujus operis ad vitam gratiae, tanquam ad principium, et ad vitam aeternam,

tanquam ad terminum, ad quem homo tendit per suum motum et operationem.

Ad rem *S. Thomas*, 3 p., q. 89, a. 6: "Differentia mortis et vitae in operibus est secundum comparisonem ad principium a quo procedunt," scilicet prout sunt ex gratia sanctificante vel secus. *In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 3, q. 2*: "Illud proprie vivere apparet quod ex se aliquem motum habet; et inde vitae nomen proprie ad illa omnia trahitur quae ex se habent operationem aliquam sine aliquo principio extra, sicut quae intelligunt et sentiunt, vel moventur vel appetunt vel nutriuntur. Et inde est quod nomen vitae transumitur ad omnia illa quae habent debitam operationem vel effectum; et illa quae privantur hac, dicuntur mortua; sicut dicimus aquam vivam quae est in impetu refrigerandi. Proprius autem effectus humanorum operum est quod per ea homo ad ultimum finem humanae vitae perveniat, scilicet beatitudinem; et ideo illa opera hominis proprie *viva* dicuntur quae hominem ad vitam aeternam perducere possunt; illa autem *mortua*, quae hoc faciendi potestatem non habent, illa autem *mortificata* quae hanc potestatem amiserunt, cum prius eam habuerint. Et ideo opera bona ex charitate facta, in eo qui gratiam habet, viva sunt; in eo autem qui gratia caret, opera non ex charitate facta mortua sunt. Opera autem prius ex charitate facta, in eo qui gratiam dimittit, per peccatum mortificata sunt; quia peccatum sequens impedit quod homo per illa opera non possit ad vitam introduci."

VIVA igitur dicuntur opera quae procedunt a gratia tanquam a principio et ordinantur ad vitam aeternam tanquam meritoria gloriae; adeoque sunt omnia opera bona quae fiunt in statu gratiae et prout permanent sub statu gratiae.

MORTUA e converso dicuntur opera, quantumvis bona imo et supernaturalia (ut actus fidei), quae fiunt extra statum gratiae, adeoque non procedunt ex principio vitae, seu gratia, nec ordinant ad finem vitae aeternae, seu non sunt meritoria. Haec *S. Thomas* vocat "*mortua privative*". Deberent quidem dici non viva, potiusquam mortua, cum nunquam vitam habuerint, sed quia debebatur eis ut essent viva, eo quod procedant ex subjecto non mere non habente gratiam, sed privato gratia, ideo recte dicuntur mortua privative, ac si nascentur mortua.

MORTIFERA dicuntur opera mala, seu peccata mortalia, eo quod non solum sunt mortua seu non procedunt a gratia, sed etiam inferunt mortem, seu vitam gratiae extinguunt. Haec *S. Thomas* vocat "*mortua effective*", sic ostendens eorum convenientiam et discrimen a praece-

dentibus: "Opus aliquod dicitur mortuum dupliciter: uno modo effective, quia scilicet est causa mortis, et secundum hoc opera peccati dicuntur opera mortua, secundum illud Hebr. ix, 14: 'Sanguis Christi . . . emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis'. Haec igitur opera mortua non vivificantur per poenitentiam, sed magis abolentur, secundum illud Hebr. vi, 1: 'Non rursus jacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis'. — Alio modo dicuntur opera mortua privative, scilicet quia carent vita spirituali, quae est ex charitate, per quam anima Deo conjungitur, ex quo vivit, sicut corpus per animam; et per hunc modum etiam fides, quae est sine charitate, dicitur mortua, secundum illud Jacobi ii, 20: 'Fides sine operibus mortua est'. Et per hunc etiam modum omnia opera quae sunt bona ex genere, si sine charitate fiant, dicuntur mortua, inquantum scilicet non procedunt ex principio vitae; sicut si dicamus sonum citharae vocem mortuam. Sic igitur *differentia mortis et vitae in operibus est secundum comparisonem ad principium a quo procedunt.*" (3 p., q. 89, a. 6).

MORTIFICATA dicuntur ipsa opera viva seu meritoria, quae processerunt ex principio gratiae, sed ratione subsequentis peccati impediuntur a suo effectu qui est perducere hominem ad vitam aeternam.⁶ Quia processerunt a gratia, non sunt opera mortua; quia vero actu conjunguntur cum statu peccati, non sunt opera viva, sed potius mortificata seu impedita in sua vitali functione, deducta metaphora a membris corporis quae dicuntur mortificata cum impediuntur in suis vitalibus functionibus et veluti ad conditionem mortis reducuntur, etsi adhuc principio vitae jungantur. Possent quidem dici mortua relate ad subjectum qui caret vita gratiae, sed quia adhuc manent secundum se et in acceptatione divina cum eadem vi quam prius habebant, ideo melius dicuntur mortificata, seu quasi medio modo se habentia, viva secundum se et in acceptatione divina, et simul mortua quoad suum effectum et influxum in subjectum. Ad rem *S. Thomas*: "Res viva per mortem perdit operationem vitae. Unde per quamdam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur a suo proprio effectu vel operatione" (*ibid.*, a. 4); "Opera dicuntur mortificata, non ex parte principii ex quo processerunt, sed ex parte impedimenti extrinseci; mortua autem dicuntur ex parte principii" (*ibid.*, a. 6, ad 1; cf. a. 5, infra cit., p. 155 sq.).

VIVIFICATA dicuntur eadem ipsa opera mortificata, postquam

⁶Quod opera viva revera mortificentur per peccatum, eo sensu quod amittant vim perducendi in vitam aeternam, de fide est, cum per peccatum tollatur gratia sanctificans, meriti principium (cf. Denz. 808. 837. 862), et incurratur reatus aeternae poenae, qui merito gloriae repugnat (cf. Denz. 410. 464. 531. 693). Id de cetero explicite praedicatur passim in Scripturis, ut Ezech. 18, 25; Gal. 3, 4; 2 Joan. 8; et omnibus locis, in quibus peccatores dicuntur excludi a regno coelorum.

removetur status peccati; remoto enim hoc impedimento suae vitalis functionis, ipsa proprium influxum iterum assumunt relate ad subiectum, et hoc sensu dicuntur vivificari seu reviviscere.

Quarta jam vice occurrit in theologia sacramentaria *QUAESTIO DE REVIVISCENTIA*: de reviviscentia nempe *sacramentorum* (quam consideravimus generaliter in tractatu De sacr. in gen., art. 11, et particulariter in tract. de Bapt. et Confirm., art. 7, p. 87 sq.; De Eucharistia, art. 35, p. 702 sq.; et De Poenit., art. 29), de reviviscentia *satisfactionis* (quam supra negavimus in art. 61 et 77), de reviviscentia *peccatorum* (quam negavimus in art. praec.), de reviviscentia *meritorum* (hic et in art. seq.). Ceterum celebriores sunt prima et ultima, quae communiter et quasi nomine proprio vocari solent reviviscentia; in utraque id commune habetur quod causa, impedita in suo influxu per appositionem impedimenti, pergit iterum influere, remoto obice, ac pro tanto dicitur reviviscere quoad suum influxum et effectum; illud vero discrimen adest, quod sacramenta simpliciter transeunt secundum se et manent tantum in aliquo effectu, seu re et sacramento, per quem, tanquam per relictum semen, valent iterum influere, dum e converso merita mortificata non transeunt sed manent in suo proprio esse morali in divina acceptatione, adeoque, remoto obice peccati, pergunt per se ipsa influere sicut antea.

Conspectus dictorum:

1. *Opera*

- | | | | |
|----|--|---|--------------------|
| a. | | <i>Viva</i> : Conjuncta cum ipsa eadem charitate sub qua processerunt | |
| | | <i>Vivificata</i> : Conjuncta iterum cum charitate, sed non cum ea individua charitate sub qua processerunt | |
| | | <i>Mortificata</i> : Elicita sub charitate, sed ab ea actu disjuncta | |
| | | <i>Mortua</i> : Elicita a voluntate extra statum charitatis, etsi forte sub auxilio gratiae actualis | |
| | | <i>Mortifera</i> : Elicita a voluntate mala, et expulsiva charitatis | |
| b. | | Bona, seu moralia | |
| | | facta in statu gratiae | |
| | | nunquam disjuncta a statu gratiae: | <i>Viva</i> |
| | | disjuncta a statu gratiae: | <i>Mortificata</i> |
| | | iterum conjuncta cum statu gratiae: | <i>Vivificata</i> |
| | | facta in statu peccati: | <i>Mortua</i> |
| | | Mala, seu immoralia | |
| | | peccata venialia (non mortifera) | |
| | | peccata mortalia: | <i>Mortifera</i> |
| c. | | <i>Viva</i> , seu conjuncta cum charitate | |
| | | nunquam a charitate disjuncta: | <i>Viva</i> |
| | | semel disjuncta sed iterum conjuncta: | <i>Vivificata</i> |
| | | <i>Mortua</i> | |
| | | negative tantum a charitate disjuncta | |
| | | ratione ipsius principii a quo processerunt: | <i>Mortua</i> |
| | | ratione solius status in quo inveniuntur: | <i>Mortificata</i> |
| | | privative a charitate disjuncta, | |

quia privant solo fervore charitatis (peccata venialia)	
quia privant ipsa substantia charitatis (peccata mortalia):	

*Mortifera*2 *Reviscentia*

sacramentorum	
satisfactionis	
peccatorum	
meritorum	

ipsius gratiae et virtutum (improprie dicta reviscentia meritorum)	
ipsorum meritorum (proprie dicta reviscentia meritorum)	

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica, documenta Ecclesiae, sensus theologorum.

Per poenitentiam hominem recuperare *gratiam sanctificantem et charitatem* est *de fide*; recuperare etiam alias virtutes theologicas, i.e. fidem et spem, est saltem *theologice certum*. *Conc. Trid., sess. 6*, de justificatione, *can. 11*, directe definit “homines justificari . . . non sola peccatorum remissione, exclusa *gratia et charitate*, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat” (Denz. 821); in *cap. 7* magis distincte docet: “Justificatio . . . non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiae et donorum. . . In ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo . . . : *fidem, spem et charitatem*. Nam fides, nisi ad eam spes accedat et charitas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur, ‘*fidem sine operibus mortuam*’ [Iac 2, 17 sqq] et otiosam esse” (Denz. 799. 800).

Per poenitentiam *reviviscere praeterita merita*, ita firmum est ut contrarium sit *temerarium*, ob unanimem et constantem theologorum consensum in hac re, tanquam ad dogma pertinente, fundatum in sensu Traditionis, indirecte confirmatum a doctrina *Conc. Trid.* (cf. infra, p. 152–154), roboratum explicite quadam declaratione Pii XI (cf. ibidem).

Praedictam notam theologicam doctores satis communiter assignant, imo quidam fortiolem proferunt, ita ut videantur rem habere saltem ut theologice certam. Sub forma notae vel contrariae censurae, haec apud auctores invenies: De fide (Nugnus, Sporer); theologice certum (Billuart, Paquet, Billot); fere certum (Pesch); errori proximum (Bagnez, A. Michel, Van Noort-Verhaar); saltem temerarium (Galtier,

Huarte, Boyer); temerarium (Suarez, Lugo, Salmanticenses, Hugon); fere commune (Diekamp); doctrina catholica (Galtier, Hervé, Piolanti); qua ultima appellatione non constat quid auctores praecise sibi velint (Galtier tamen videtur eam explicare, cum addit censuram "saltem temerarium").

Petrus Lombardus doctrinam antiquorum theologorum, quam subinde S. Thomas expolivit, sic summatim proponit: "Mortificatur . . . poenitentia et alia anteacta bona per sequens peccatum, ut non sortiantur mercedem, quam meruerunt cum fierent, et quam habent, si peccatum non succederet. Sed si de peccato succedenti poenitentia agatur, et poenitentia quae praecessit, et alia anteacta bona reviviscunt; sed illa tantum quae ex charitate prodierunt: illa enim sola viva sunt, quae ex charitate fiunt. Ideoque si per sequentia peccata mortificantur, per sequentem poenitentiam reviviscere possunt. Quae vero sine charitate fiunt, mortua et inania generantur; et ideo per poenitentiam reviviscere non valent" (Sent., l. 4, dist. 14, n. 1, M.L. 192, 870).

Non tamen eo tempore defuerunt obscuriores quidam theologi qui meritorum reviviscantiam negaverint, ut constat ex *S. Thoma* scribente: "Quidam dixerunt quod opera meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per poenitentiam subsequentem, considerantes quod opera illa non remanent, ut iterum vivificari possint" (3 p., q. 89, a. 5; cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 3, q. 3).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Per poenitentiam restituuntur homini gratia sanctificans et virtutes omnes infusae; fides autem et spes, si per peccata amissae non fuerint, reparantur quoad earum perfectionem in ratione virtutis, quae eis provenit ex informatione charitatis (3 p., q. 89, a. 1; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 2 et 4).

Probatur ex ipsa natura justificationis, quae consistit in infusione gratiae sanctificantis, et ex connexione omnium virtutum infusarum cum gratia sanctificante, ut explicatur in tractatu De Gratia.

Ad rem S. Thomae: "Per poenitentiam remittuntur peccata, ut dictum est (quaest. lxxxvi, art. 1). Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae. Unde relinquitur quod per poenitentiam homini gratia infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuitaes, sicut ex essentia animae fluunt omnes potentiae, ut in secunda parte habitum est (1-2, quaest. cx, art. 4 ad 1).

Unde relinquitur quod per poenitentiam omnes virtutes restituantur” (3 p., q. 89, a. 1).

Patet autem hanc conclusionem non esse intelligendam de quadam proprie dicta reviviscentia gratiae et virtutum, ac si eadem numero redirent, quod est impossibile cum in nihilum abierint, sed de restitutione seu recuperatione earundem specificae gratiae et virtutum.

Quoad id quod in Conclusionem additur de *fide et spe*, res constat ex his quae docentur in tractatu De Gratia; non enim recuperatur nisi quod amittitur, fides autem et spes non semper per peccatum amittuntur, sed per illud tantum quod directe eis adversatur, ut est infidelitas et desperatio, etsi semper ipsae priventur saltem perfecta ratione virtutis quae eis competit ex informatione charitatis. Unde fides et spes per Poenitentiam restituuntur vel secundum se vel saltem secundum suam perfectionem.

Ad *virtutes morales* quod attinet nota Scotistas negare earum recuperationem per poenitentiam, eo quod negent virtutes morales esse supernaturales et infusas, adeoque eos proprie non opponi huic Conclusioni sed esse remittendos ad tractatum De Gratia. Ad rem *Montfortino* scotista: “Respondeo dicendum, per poenitentiam reddi quidem poenitenti virtutes theologicales, non vero morales, quae sane cum illis non necessario connectuntur. . . Eatenus virtutes morales appellantur informes sine charitate, et formatae per charitatem, quatenus charitas ordinat ipsas, et earum fines in finem ultimum dirigit, qua in ordinatione est ultima earum perfectio, licet extrinseca. Quia tamen ea ordinatio ad finem extrinsecum non est secundum propriam speciem earum, ideo unaquaeque potest esse perfecta in sua ratione et ordine intrinseco ad proprium objectum sine charitate; per amissionem ergo charitatis non perduntur virtutes morales, sed tantum desinunt esse in anima per actus inducentes habitus vitiosos oppositos, et ideo nec recuperantur per poenitentiam.”⁷

DICES 1. Virtus Poenitentiae est posterior gratia, a qua procedit, imo est posterior virtutibus saltem theologicis, cum, ordine naturae, fluat ex gratia post illas virtutes. Ergo nequit esse causa recuperationis gratiae et virtutum.

RESP. Ad veritatem Conclusionis et argumenti sufficit quod, data Poenitentia, ex hoc ipso quod per Poenitentiam auferatur peccatum, recuperentur gratia et virtutes, quidquid sit de connexionem et mutua causalitate inter Poenitentiam et gratiam aliasque virtutes. Ceterum, non uno modo Poenitentia influit in illarum recuperationem. Primo,

⁷ Joannis Duns Scoti Summa Theologica, 3 p., q. 89, a. 1, t. 6, Romae, 1903, p. 84 sq.

ut sacramentum, Poenitentia producit gratiam efficienter, quamvis hoc non sit hic directe in quaestione. Secundo, ut virtus, Poenitentia elicit actum contritionis, qui, quamvis una cum ipsa virtute sit posterior gratia in ordine efficientiae, seu elicentiae, praecedat tamen gratiam et virtutes in ratione causae dispositivae, et est simul causa dispositiva remotionis peccati ut maculae, mediante gratia sanctificante. Tertio, idem actus contritionis est etiam directe et efficaciter remotivus peccati in ratione offensae; unde si per absurdum nondum esset ablatum peccatum in ratione maculae per gratiam sanctificantem, ipsa remotio offensae id exigeret, et ita actus Poenitentiae traheret gratiam exigitive. Ad quorum intelligentiam confer supra, art. 84 (p. 9 sq.) et alios locos ibi relatos; item *S. Thomam*, 3 p., q. 89, a. 1 et 2, ubi ipse divertit potius ad influxum Poenitentiae ut sacramenti, et In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 4, ubi considerat influxum Poenitentiae tam ut sacramenti quam ut virtutis.

Inepta autem est *sententia Suaresii* docentis amissos habitus fidei et spei restitui antecedenter ad actum virtutis Poenitentiae per actus fidei vel spei, quando isti praecedunt tempore actum Poenitentiae. Ad rem ipse: "Quando . . . contingit actum fidei et spei in tali peccatore duratione praecedere actum verae poenitentiae, difficultas est inter Doctores, an habitus fidei et spei statim restituantur, vel expectetur semper vera justificatio per poenitentiam. Quidam enim hoc posterius affirmant; et illi facile defendunt, quoties hae virtutes per peccatum amittuntur, per poenitentiam restitui, et numquam praecedere, nec tempore, nec natura, quia non restituuntur, nisi ut proprietates gratiam comitantes. Ego vero probabilius existimo habitus harum virtutum restitui statim, ac peccator disponitur per actus fidei et spei illis habitibus proportionatos, ut in simili puncto latius dixi, tractando de baptismo. Tunc ergo concedendum est hos habitus prius tempore restitui quam poenitentia habeatur.

"Ad objectionem vero [de recuperatione virtutum per Poenitentiam] responderi potest primo, cum dicimus, per poenitentiam restitui virtutes omnes, intelligendum id esse de virtutibus, quae nondum restitutae sunt, quales sunt omnes, quae a gratia nunquam separantur, quas fortasse D. Thomas *gratuitas virtutes* appellavit. Vel etiam dici potest, sub poenitentia, quae restituit virtutes, comprehendi ea quae necessaria sunt ad talem poenitentiam, inter quae actus fidei, et spei computantur; ideoque vere dicitur, per poenitentiam restitui omnes virtutes, cum debita proportione et ordine, scilicet, ut per illos actus, qui sunt veluti fundamenta poenitentiae, restitui incipiant virtutes quoad illas, quae sunt quasi fundamenta reliquarum, et ad suum esse per se non requirunt gratiam sanctificantem. Eo vel maxime

quod in talibus actibus includitur quaedam poenitentia priorum peccatorum, quatenus repugnabant talibus virtutibus, sub qua solum ratione fuerunt causae amissionis earum.”⁸

DICES 2. Multi post Poenitentiam adhuc experiuntur difficultatem in exercendis actibus virtutum; ergo signum est tales virtutes non esse per Poenitentiam restitutas, cum de ratione virtutis sit sine difficultate et delectabiliter operari.

RESP. S. Thomas: “Sicut supra dictum est (quaest. lxxxvi, art. 5), quandoque post primum actum poenitentiae, qui est contritio, remanent quaedam reliquiae peccatorum, scilicet dispositiones ex prioribus actibus peccatorum causatae, ex quibus praestatur difficultas quaedam poenitenti ad operandum opera virtutum; sed quantum est ex ipsa inclinatione charitatis et aliarum virtutum, poenitens opera virtutum delectabiliter, et sine difficultate operatur; sicut si virtuosus per accidens difficultatem pateretur in executione actus virtutis propter somnum aut aliquam corporis indispositionem” (3 p., q. 89, a. 1, ad 3; cf. infra, Concl. 4, p. 162).

DICES 3. Per Poenitentiam non recuperatur innocentia, quae consistit in integritate mentis ab omni peccato, nec virginitas, quae consistit in totali inexperientia delectationis venereae. Ergo non omnes virtutes recuperantur per Poenitentiam.

RESP. Innocentia non est virtus; virginitas recuperatur quoad formale virtutis, seu propositum mentis, etsi non possit recuperari quoad ejus materiale. Sed de hoc iterum infra in Concl. 4 (160 sq.).

Conclusio 2. Per Poenitentiam recuperantur merita praecedentia, seu opera mortificata reviviscunt, eo saltem sensu quod fiunt iterum, sicut prius, apta ad ducendum hominem in vitam aeternam (3 p., q. 89, a. 5; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 3, q. 3).

Probatur 1. *EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.*

Hoc argumentum quidam, praesertim inter antiquiores, assumunt ut peremptorium; alii, praesertim inter modernos, valde extenuant, eo usque ut quidam pauci, tum in Scriptura tum apud ipsos Patres, fere nihil de hac re inveniri dicant.

Inter hos praecipue notandus est *Galtier* qui omnino huic argumento valedicit, scribens: “Demonstratio solet ex Scriptura tentari, sed frustra, ut videtur, quia — a) loca *Ezechielis* (18. 21 sqq.; 33.

⁸ De Poenitentia, Comm. in 3 p., q. 89, a. 1, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 265.

12 sqq.), *Joelis* (2. 18 sqq.), unde arguitur, non loquuntur de recuperatione bonorum per peccatum amissorum; — b) loca econtra quae assumuntur ex *Gal.* 3. 4; *Hebr.* 6. 9–10, etsi sane alludunt ad merita olim acquisita, non tamen constat intelligenda esse de fidelibus qui jam lapsi fuerint. In Scriptura proinde, haec doctrina insinuat ad summum in parabola filii prodigi, cui, una cum stola prima, restituantur omnia bona ad quae per peccatum suum jus amiserat. Sed, cum, etiam in eo casu, non constet bona sic restituta esse ea quae filius ipse sua activitate acquisierit, restat argumentum ex Scriptura non esse firmum. Idem dicendum videtur de argumento ex explicitis Patrum dictis: interpretari non possunt aliter ac ipsa parabola filii prodigi. Sed manet argumentum firmum sive ex concilio Tridentino, sive ex ratione theologica, sive ex auctoritate theologorum.”⁹

Haec tamen videntur satis exaggerate dicta, tum quia sunt contra communem sensum doctorum, qui argumentum saltem Patristicum ut solidum habent, tum quia, si vera essent, deficeret etiam firmum fundamentum supradictae notae et censurae theologicae quam ipse Galtier cum aliis proponit (“Dici potest doctrina catholica”, “Illam negare temerarium saltem est”). Nam ex Conc. Trid. nonnisi implicita aut indirecta confirmatio habetur hujus doctrinae, cum oporteat Concilii verba aliquatenus premere ut ea deducatur; obiter dicta verba Pii XI, quamvis explicita, non necessario important sensum universalem et absolutum; consensus theologorum eatenus valet ad fundandam censuram quatenus ipsi intelligantur proponere sensum fontium revelationis et propositionis Ecclesiae; ipsa ratio theologica, utut vincens, non videtur tam necessario connecti cum aliis fidei veritatibus ut per se solam sit sufficiens fundamentum praedictae notae et censurae theologicae.

Videtur igitur media via procedendum, unicuique argumento suumtribuendo valorem, qui ei convenit non tantum ex nuda singulorum testimoniorum littera, quae pluribus fortasse pateat interpretationibus, sed etiam ex contextu aliorum fontium theologorum; sensus enim Scripturae illustratur ex sensu Patrum, et uterque ex mente Ecclesiae, ex consensu theologorum et ex connexionem rationis theologicae. Ex his omnibus resultat sufficiens ac continuatum quoddam fundamentum pro generali doctrina de reviscentia meritorum et pro nota theologica quae ei tribui solet.

Sit breve verbum de textibus qui in hoc argumento afferri solent.

In *Ezech.* 18, 21–22 et 33, 12–16, cit. in art. 84 (p. 7), dicitur

⁹ De Paenitentia, thes. 43, Parisiis, 1931, p. 429.

Deus non recordari peccatorum ejus qui convertitur, nec isti nocere aut imputari ejus iniquitas. Quae verba in pleno sensu intelligi non possent, nisi merita reviviscerent, cum secus adhuc Deus quodammodo recordaretur peccatorum, ratione effectus illorum qui esset perditio meritorum, et praecipue iniquitas impii, utut remissa, pergeret nocere ei, ob eandem causam.

Jamvero ex una parte nulla ratio cogit ad sumendum sensum restrictum, quo negatio recordationis et nocenti referatur ad ipsam solam iniquitatem et non etiam ad ejus effectum qui fuit mortificatio meritorum, et ex alia parte ad sensum plenum amplectendum impellit ipsa amplitudo qua in variis Scripturae locis remissio peccatorum proponitur, necnon contextus aliorum locorum in quibus, saltem ex Patrum aliorumque interpretum mente, reviviscentia meritorum suadet.

Joel 2, 12. 24. 25: “Convertimini ad me in toto corde vestro. . . Et implebuntur areae frumento, et redundabunt torcularia vino et oleo, et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et robigo et eruca”.

Immediatus quidem sensus est de reviviscentia beneficiorum temporalium; sed non illegitime nec sine fundamento, ob propheticum et spirituale contextum totius pericopes, quis leget etiam translatum sensum reviviscentiae spiritualium bonorum in conversione impii, atque in praesenti quaestione hunc textum adducet cum pluribus etiam modernis theologis, ut, post *S. Thomam* (hic, a. 5), *De Augustinis*, *Pesch*, *Boyer*, etsi alii refragentur. Et quod magis est, ipse *Hieronymus* ad hunc sensum transfert ea verba, inde etiam occasionem arripiens impugnandi Novatum, negatorem poenitentiae: “Et annos quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, erucaque consumpserant, Deus vobis perire non passus est. Tunc comedetis fructus justitiae, et saturabimini, et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit vobiscum mirabilia. Si autem post poenitentiam tantam ubertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Novatus negans poenitentiam, et reformari posse peccatores in pristinum statum, si digna fecerint opera poenitentiae? Intantum enim Deus recipit poenitentes, ut vocet eos populum suum, et nequaquam asserat confundendos; et habitaturum se in eorum medio repromittat, nec amplius eos alium habituros Deum: sed in eum toto animo confisuros qui in illis maneat in aeternum” (In *Joel*, c. 2, vers. 22 sqq., M.L. 25, 974).

In *Luc. 15, 11–32*, *parabola filii prodigi* ostendit tum peccatorem “ad eandem, quam ante peccatum habebat, virtutem redire (quod

necessario ad intelligendam parabola conclusionem ponendum est)" (*Maldonatus* in h.l.), tum hanc gratiae restitutionem fieri modo quodam pleno et universali. Etsi enim non sit premendus sensus variarum circumstantiarum illius parabola, ut quod prodigus quaesierit solam acceptationem in domum paternam absque filii dignitate et iuribus, et tamen totum hoc ei restituatur, item quod ornetur annulo et stola prima (i.e. quam prius habebat,¹⁰ juxta aliquos; vel pretiosissima, juxta alios), item quod perfecte aequetur alteri filio in gaudio paterno, in iuribus et in vita ("revixit"), tamen haec omnia simul accepta, mentem dirigunt ad conceptum absolutae et plenae restitutionis pristinae dignitatis, qui sit de formali sensu parabola. Nec refert quod filius prodigus videatur restitui in eam dignitatem et jura quae non ex meritis habebat sed ex titulo generationis et familiaris conditionis, nam ex una parte ejus rehabilitatio absolute proponitur adeoque implicat iterationem praeteritorum meritorum, et ex alia parte in homine justo ipsa ejus merita sunt simpliciter dona Dei, fundata in ipsa gratuitate gratiae qua filius Dei constituitur et ut filius Dei operatur.

Unde, ut ait *BOYER*, "filius prodigus optime accipitur ut figura peccatoris qui ad Deum rediens, omnia dona Dei, etiam merita, quae perdidit, iterum recuperat"; nec ipse *Galtier* valet id absolute respuere, fassus "hanc doctrinam insinuari ad summum in parabola filii prodigi, cui, una cum stola prima, restituuntur omnia bona ad quae per peccatum suum jus amiserat."

Ad rem *AMBROSIUS*, In Luc., l. 7, n. 212: "Ne vereamur, quia acceptum spiritualis patrimonium dignitatis terrenis prodigimus voluptatibus, quod Pater in filios quem habebat, thesaurum contulit. Fidei census nunquam exinanitur: licet totum dederit, totum habet, quia quod donavit, non amittit. Nec vereare, ne te non recipiat: 'Non enim delectatur Deus perditione vivorum (Sap., i, 13)'; 'etiam occurrens venienti tibi cadet supra collum': 'Dominus (enim) erigit allicos (Psalm. cxlv, 8)'. Osculum dabit quod est pignus pietatis et amoris. Stulam, annulum, calceamenta proferri jubebit. Tu adhuc injuriam metuis, ille restituit dignitatem: tu supplicium vereris, ille osculum defert: tu convicium times, adornat ille convivium" (M.L. 15, 1846).

CHRYSOSTOMUS, Ad Theodorum lapsum 1, 7: "Hic non alienus erat, imo filius, fraterque filii qui patri acceptus erat: is in improbitatem lapsus est non vulgarem, sed in ipsum, ut ita dicam, malorum extremum: dives, liber, nobilis, famulis, extraneis mercenariisque miserior effectus est. Attamen pristinum in statum rediit, amissamque gloriam recuperavit. Si desperasset, et ob calamitatem despondens animum in aliena terra mansisset, nunquam consecuturus erat ea, quae postmodum recepit, sed fame consumptus, miserima omnium morte perisset: verum quia respuit, nec desperavit, post tantam corruptionem, eundem ipsum assequutus fortunae splendorem, pulcherrimo induit amictu, et majoribus fruitur bonis, quam frater non lapsus. . . Tanta est virtus poenitentiae" (M.G. 47, 286)

¹⁰ *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 7, hunc sensum assumit, docens: "Itaque veram et christianam iustitiam accipientes eam ceu 'primam stulam' [Lc 15, 22] pro illa, quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri Jesu Christi et habeant vitam aeternam" (Denz. 800).

Gal. 3, 1-4: "O insensati Galatae, quis vos fascinavit non obedire veritati . . . ? Sic stulti estis, ut quum spiritu coeperitis, nunc carne consummemini? Tanta passi estis sine causa? *si tamen sine causa.*"

Sensus hujus textus, peculiariter quoad ultima verba ("Si tamen sine causa"), est valde controversus apud Patres aliosque doctores, tam exegesetas quam theologos. Quidam dicunt Apostolum alloqui Galatas jam lapsos, eos erigens spe fructuosae poenitentiae, alii volunt eum alloqui nondum lapsos, quos deterret a malo et confirmat in bono, spem exprimens eorum tribulationes non fore inutiles, si nempe non labantur.

Ad rem nostram quod attinet, illi qui eligunt primum sensum, afferunt textum in confirmationem reviviscentiae meritorum; ita generatim antiquiores theologi et quidam moderni. *S. Thomas* in h. l. ait: "Quod ideo dicit [S. Paulus], quia in eorum potestate erat poenitere si vellent, quandiu viverent. Ex hoc autem habetur, quod opera mortificata reviviscunt." *Suarez* scribit: "Argumentum hoc non tantum auctoritate. . . Patrum, sed ipsius etiam Pauli hanc veritatem confirmat. Nam licet verba Pauli alios etiam sensus patiantur, tamen hic est satis proprius et accommodatus: et cum a tot Patribus asseratur, non sine temeritate rejiceretur" (Opusc. 5, Relectio de reviviscentia meritorum, disp., 1, sect. 2, n. 7). *De Augustinis* ait: "Optimum pro re nostra testimonium habetur in Epistola ad Galatas III. . . Haec interpretatio, quae ex verbis Apostoli clare deducitur, mox ex interpretatione Patrum corroboratur" (thes. 9).

Ex his vero qui eligunt alterum sensum, vel in eum magis inclinant, alii, ut *Boyer*, dicunt se velle abstinere ab afferendo hunc textum; alii, ut *Huarte* et *Hervé*, illum proponunt ut secundum se quidem incertum, corroboratum vero ab interpretatione Patrum; alii, ut *Pesch* et *Hugon*, illum proponunt ut merum etsi certum argumentum patristicum; alii tandem, ut *Galtier* inter theologos et *Cornely* inter exegesetas, illum prorsus abiciunt, contententes praeterea infirmare ipsam Patrum interpretationem. *Pesch* scribit: "Unum igitur certum est SS. Patres admisisse reviviscentiam meritorum, quia secus non poterant ita exponere illum textum ad Gal.; ergo habetur argumentum traditionis. Aliud autem est, num sit hic verus sensus textus, et hoc, servata reverentia SS. Patrum, negare possumus, cum etiam ipsi SS. Patres textum aliter exposuerint. Ita e.g. *S. Chrysostomus* (In ep. ad Rom. hom. 13, n. 8; *M* 60, 518) haec habet: 'Illud, "siquidem" saepe non ambigens posuit, sed admodum credens et loco illius vocis "quandoquidem" [ἐπερ loco ἐπέπερ], ut cum dicit . . . : Tanta passi estis sine causa, siquidem [Chrysost. legit ἐπερ pro ἐγγε] sine causa.'

Ergo hic supponit sensum: Evidenter omnia passi estis sine ulla utilitate."¹¹

Cornely scribit: "Maior . . . , ut videtur, theologorum numerus, quoniam ex his verbis doctrinam de meritorum reviviscentia confirmari opinabantur, ad *Chrys.* et *A^{tri}* interpretationem transierunt. Attamen hanc (ut dicam, quod sentiam) ullo modo teneri posse non arbitror, quia erroneo innititur supposito. Rectissime enim *Aug.* iam monet 'Galatas nondum cecidisse sed inclinatos esse ut caderent, quom adhuc in eis Spiritus operari dicatur' (v. 5), atque eos etiam tunc, uti iam diximus, stare Apostolus insinuat (5, 1), eos secum consensuros sperans solis seductoribus iudicium minatur (5, 10), eos exhortatur, ne bonum facere *deficiant* (6, 9). . . Recte *Palm.* adnotat: 'Constat haud posse ex hoc loco cum quadam certitudine colligi doctrinam de reviviscentia meritorum, quamvis eadem ex sententia Patrum heic eam supponentium vel proponentium, prout ipsi testes sunt doctrinae Ecclesiae et apostolicae traditionis, possit merito confirmari'. At Patres, qui eam in hoc loco diserte proponunt, vix inveniuntur; *Hier.* enim, qui eam diserte tradit, simul duas alias verborum explicationes proponit, nec apparet, quam praetulerit; ex *A^{tri}* et *Chrys.* tamen sententiis eam derivari posse, non negaverim. Praeter hos tres vero nullus habetur Pater interpres, qui eam in hoc loco explicando ullo modo insinaverit."¹²

Quidquid sit, negari non potest quosdam nec obscuriores Patres reviviscentiam meritorum satis clare expressisse tum occasione hujus textus, tum etiam in ejus declarationem seu interpretationem, adeoque eorum verba assumi posse tum ut argumentum patristicum, tum etiam ut argumentum scripturisticum, quatenus nempe et pro quanto non inepte quis eorum interpretationem sequatur. Ipse *Cornely* admittit *Hieronymum* hanc interpretationem diserte proponere, eamque saltem derivari posse ex verbis *Chrysostomi* et *Ambrosiastri*; quod autem *Hieronymus* duas alias quoque interpretationes proposuerit, nihil refert, quoniam etiam hanc proposuit et ceterum aliae duae non pugnant cum ista; nec etiam refert quod alii Patres eam non proposuerint, quorum ceterum explicationes illam non necessario excludunt.

HIERONYMUS, In Gal. l. 1, c. 3: "Melius . . . sic intelligi potest, quod primum credentes Galatae in Crucifixum, et a Judaeis, et a gentibus, opprobria multa perpessi sint, persecutiones non minimas sustinuerint. Quas frustra arguuntur fuisse perpessi, si a gratia Christi recedant, propter quam tanta perpessi sunt. Simul et illa spes, quod quicumque ob Christi fidem laboraverit, et postea

¹¹ Prael. Dogm. t. 7, n. 322, Friburgi Br., 1920, p. 164.

¹² Cursus Scripturae Sacrae, Comm. in S. Pauli Epistolas, III, Parisiis, 1909, p. 474 sq. in textu et nota.

lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse dum peccat, sic rursus non perdat ea, si ad pristinam fidem et antiquum studium revertatur" (M.L. 26, 376).

CHRYSOSTOMUS, In Gal., c. 3, n. 2: "Omnium, inquit [Apostolus], illorum quae [vos, Galatae] sustinistis, isti [seductores vestri] jacturam vos facere volunt, et coronam vobis student intervertere. Mox, ne concuteret illorum animos, nervosque dissolveret, non perstitit usque ad sententiam ferendam, sed subtexit, *Si tamen frustra*. Si volueritis, inquit, exspersgisci, ac revocare vosipsos, non frustra passi fueritis. Ubi nunc sunt qui tollunt poenitentiam? Ecce hi Spiritum acceperant, signa fecerant, confessores fuerant, innumerabilia pericula, varias persecutiones Christi causa perpassi fuerant, et post tam multa recte facta a gratia exciderant. Et tamen, inquit, si volueritis, potestis vos ipsos revocare" (M.G. 61, 650).

PSEUDO-AMBROSIIUS, Ad Gal. 3, 4 sq.: "Galatae multa passi sunt insaniore experti, cuius rei meritum perdididerant mittentes se sub legem. Sed quia adiecit: 'Si tamen sine causa', ostendit sperare se posse reformari illos" (M.L. 17, 373).

THEODORETUS, Ad Gal. 3, 4: "Non enim pro lege, sed pro Christo passi estis. Qui autem Christum reliquistis, et vitae ex lege institutionem amplexi estis, nihil ex passionibus deinceps lucri facitis. Sed bonam eis spem ostendens, subjunxit: 'Si tamen sine causa'. Si enim vultis manere in gratia, pro vestris perpassionibus mercedem accipietis" (M.G. 82, 475-478).

THEOPHYLACTUS, Ad Gal. 3, 4: "Multis tentationibus collectati erant propter Christum. Tot igitur, inquit, frustra passi estis? Si enim circumcidimini, illa omnia sunt supervacanea, impostoresque tot vos coronis orbarunt. Deinde spem revertendi ipsis addit, inquiens, 'Si tamen sine causa': hoc est, Si velitis respicere, non frustra neque temere a vobis laboratum est. Pudefiant hinc qui poenitentiam tollunt. Ecce enim antesignani, et confessores, et martyres fuerunt isti, qui tamen cum excidissent, non rejicit eos Paulus, sed suaviter excipit" (M.G. 124, 983-986).

Hebr. 6, 9 sq.: "Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniore salutis, tametsi ita loquimur. *Non enim iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri* et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis." Haec verba Apostolus profert immediate post pericopen de impossibilitate seu magna difficultate resurgendi a gravioribus peccatis apertae infidelitatis.

Iterum disputatur inter eruditos de praeciso sensu horum verborum. Ad rem nostram quod attinet, quidam dicunt Apostolum alloqui Judaeos saltem aliquando lapsos, etsi tunc jam reconversos, atque sermonem facere de fidelitate Dei tum in compensandis actualibus meritis, tum in restituendis meritis mortificatis. Ita praecipue *Suarez* qui, hunc textum diffuse et erudite commentans, iudicat "Nulla verba in divina Scriptura fortasse reperientur, quae ad veritatem hanc [de reviscentia meritorum] confirmandam aptiora sint et illustriora. . . In ea sententia etiam comprehendit Apostolus bona opera per peccatum mortificata, si per poenitentiam reviviscantur. Haec assertio est communis Scholasticorum. . . Est etiam satis communis inter expositores et Patres" (Opusc. 5, supra rel., initio et disp. 1, sect. 1, n. 12). Alii dicunt Apostolum alloqui Judaeos justos (ut patet ex

verbis: "Confidimus de vobis meliora", "Ministrastis et ministratis") atque sermonem facere tantum de bonis operibus vivis, a Deo fideliter rememorandis; et tunc quidam, ut *Galtier*, prorsus abiciunt valorem textus in hac quaestione; alii illum adducunt ut merum argumentum patristicum; alii, ut *Palmieri* et *Pesch*, illum adducunt ut continentem quidem in suo generali tenore etiam reviviscentiam meritorum, non ita tamen ut in hoc ipso sensu fuerit intentus ab Apostolo.

Quidquid sit, manet probabilis illa expositio, pro qua Suarez affert theologos antiquiores, Glossas ordinariam et interlinearem et plures Patres; adeoque non inepte praedictus textus in hac quaestione invocari potest. Inter textus Patrum, clariora videntur verba *Epiphani*, Adv. haer., I. 2, t. 1, haer. 59, 2: "Nam revera qui semel renovati ceciderunt, renovari amplius non possunt. Neque enim nascetur amplius Christus, ut pro nobis in crucem agatur. Neque Dei Filium in cruce suspendere quispiam potest, qui id ultra perpeti nequit; neque alteram quis usurpare lotionem potest, quod unus baptismus sit unaque renovatio. Verum horum omnium remedium statim Apostolus subjicit, ut et Ecclesiae medicinam faciat, et illius membris consulat. Ait itaque: 'Confidimus autem de vobis, charissimi, meliora et viciniore salutis, tametsi ita loquimur. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur boni operis vestri.' In quo vides quemadmodum et instaurationem illam secundam fieri non posse omnino pronuntiaverit, neque tamen a salute illos excluserit, quos peccati sui poeniteret; sed et salutis propinquos esse dixerit et Deum recte ab iis factorum esse susceptorem, qui delictorum suorum absolutam poenitentiam capesserent, seque adeo converterent, animumque mutarent" (M.G. 41, 1019).

Plures, ut *Suarez*, *Billuart*, *De Augustinis*, in confirmationem huius interpretationis invocant *Conc. Trid.* (infra cit.), allegans eadem verba Apostoli ad firmandam doctrinam de reviviscentia meritorum. Attamen imprimis, Concilium hanc ipsam doctrinam nonnisi indirecte et implicite proponit; secundo, non necessario verba Apostoli refert praecise ad reviviscentiam meritorum, potiusquam generaliter ad fidelitatem Dei in remunerandis meritis; tertio, etiam si ea referret directe ad ipsam meritorum reviviscentiam, non sequitur Concilium velle tribuere ipsi Apostolo hunc sensum, sed potest tantummodo assumere in hoc determinato sensu generalia Apostoli verba quae secundum se revera talem sensum patiuntur, etsi ab Apostolo in eo sensu accepta non fuerint (cf. *Palmieri et Pesch*).

Ad Patres quod attinet, quidam, ut Cornely et Galtier (supra citati) videntur prorsus abicere satis firmum argumentum in hac re.

Alii e contra certum ac explicitum argumentum sibi construere

videntur; ita Suarez, qui postquam declaraverit: "Ex sanctis Patribus non habemus clara testimonia, quia materiam hanc in particulari non disputarunt; habemus tamen sententias non dissimiles [explicitis verbis Glossae interlinearis]" (op. cit., sect. 2, n. 4), addit: "Licet verba Pauli alios etiam sensus patiantur, tamen hic est satis proprius et accommodatus: et cum a tot Patribus asseratur, non sine temeritate rejiceretur" (ibid., n. 7); item *Palmieri*: "Doctrina est . . . generalis Patrum omnibus operibus bonis in gratia factis suum praemium servari in coelis: quod praemium proinde obtinebit quicumque salutem aeternam consequetur"; item, *Pesch*: "Unum . . . certum est SS. Patres admisisse reviviscentiam meritorum, quia secus non poterant ita exponere illum textum ad Gal.; ergo habetur argumentum traditionis"; item, *Hervé*: "Dato quod reviviscentia meritorum non apodictice demonstratur ex Scriptura sola, certo demonstratur ex Scriptura per Patres explicata seu argumento Traditionis"; item, *Hugon*: "Inde habetur argumentum traditionis et concluditur nunquam dubitasse Patres de meritorum reviviscentia."

Alii medio modo dicunt reviviscentiam meritorum esse Patrum doctrinam non explicitam, sed implicitam seu aequivalentem. Ita *Boyer*, scribens: "Probat ex Patribus, non tam quidem ex verbis eorum explicitis, quam ex conformitate quadam ad eorum dicta. Non raro enim, extollentes poenitentiam, praesertim perfectam, assignant ut ejus effectum reditum ad priorem statum. Hic autem effectus mancus esset, si ipsa merita non redirent."

Dici potest eam doctrinam esse certo de mente Patrum. Quae quidem mens in uno vel altero rariori textu, praecipue Hieronymi in Gal. 3, 4 (ut admittit ipse *Cornely*), explicite exhibetur, in aliis vero tantummodo aequivalenter, in eo nempe pleno et absoluto modo quo reditus peccatoris ad pristinum statum et conditionem, a Patribus describitur et illustratur. Ex quo quidem explicatur quare posteriores scriptores, ut *Primasius*, *Herveus Burgidolensis*, *Pseudo-Augustinus*, *Glossa interlinearis et Glossa ordinaria*, eundem sensum magis explicite et concorditer exhibuerint, et subinde, posita in terminis quaestione de reviviscentia meritorum, mediaevales et recentiores theologi in affirmativam sententiam, absque dubitatione aut controversia, omnes concurrerint.

Praeter Patrum testimonia, quae supra retulimus ex eorum commentariis in textus ad Gal. 3, 4 et Hebr. 6, 9 sq., accipe sequentia.

Ambrosius, *In Luc.*, l. 2, n. 33: "Vide quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis; non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille [Zacharias] dudum mutus prophetat; haec enim gratia

Dei maxima, quod eum qui negaverant, confitentur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum praemia divina desperet. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum" (M.L. 15, 1645).

Chrysostomus, In Gen., hom. 6, 2: "Per misericordiam Dei, si modo condemnare facta nostra, et jam sistere ignaviam voluerimus, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire" (M.G. 53, 56).

Herveus Burgidolensis, In ep. ad Gal. c. 3, verba "Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa" sic exponit: "Cum Spiritu sancto coeperitis vel spiritualiter vivere, vel legem spiritualiter intelligere, nunc carne, id est vel carnali vita, vel lege carnaliter intellecta, consummimini, id est annihilamini, amittendo quidquid habuistis. Et ideo *sine causa*, id est sine utilitate vestra, *passi estis* ab adversariis *tanta*, id est tam magna et tam multa adversa pro fide tuenda, quam nunc sponte relinquitis. Non tamen affirmando haec dico, ne in desperationem cadatis, et adhuc profundius in barathrum perditionis demergamini; sed quia utrumque est in voluntate vestra, dico conditionabiliter, quod tanta adversa pro Christo passi estis sine causa, *si tamen sine causa* haec passi estis. Sine causa enim passi estis, si in hoc errore perseveretis; non sine causa, si respiscatis" (M.L. 181, 1151).

Pseudo-Augustinus, De vera et falsa poenitentia (circa a. 1100), 14: "Timeat ergo [peccator] ne omnia bona quae fecit, dum in uno peccato perseveraverit, ex contaminatione mali perdidit. . . Pium est tamen credere, ut recepta Dei gratia, quae in eo destruit mala priora, etiam remuneret bona: ut cum dextruxerit quod suum non invenit, amet et diligat bonum quod etiam in peccante plantavit" (M.L. 40, 1125).

Probatur 2. EX DOCUMENTIS ECCLESIAE.

Nonnisi duo hic documenta proferuntur, a theologis, alterum indirectum ex Conc. Trid., alterum directum ex Pio XI.

Conc. Trid., sess. 6, cap. 16, docet: "Hac igitur ratione iustificatis hominibus, *sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint*, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, 'scientes, quod labor vester non est inanis in Domino' [1 Cor 15, 58]. 'Non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostenditis in nomine ipsius' [Hebr 6, 10], et 'Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem' [Hebr 10, 35]. Atque ideo bene operantibus 'usque in finem' [Mt 10, 22] et in Deo sperantibus proponenda est vita

aeterna, et tanquam gratia filii Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsis Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda. . . *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est*, quominus plene illis quidem operibus, *quae in Deo sunt facta*, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse et vitam aeternam, suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint [Apoc 14, 13]) consequendam vere promeruisse censeatur” (Denz. 809).

Can. 26: “Si quis dixerit, iustos non debere pro bonis operibus, quae in Deo fuerint facta, expectare et sperare aeternam retributionem a Deo per eius misericordiam et Iesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint: A. S.” (Denz. 836).

Can. 32: “Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum (cuius vivum membrum est) fiunt, non vere mereri augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriae augmentum: A. S. (Denz. 842).

Concilium nonnisi duas condiciones requirit ad hoc ut bona opera hominis sint meritoria ac de facto obtineant vitam aeternam, scilicet ut fiant in statu gratiae (“Quae in Deo sunt facta”) et ut homo in statu gratiae decedat (“Si tamen in gratia decesserint”), addens explicite: “Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est”. Jamvero hae duae condiciones conveniunt operibus mortificatis, postquam homo iterum justificatur. Praeterea, ad majorem claritatem et ut ostendat se non excludere opera mortificata, Concilium ait explicite se loqui de “iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint” et addit utriusque ordinis iustificatis proponenda esse verba Apostoli: “Non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius”, nam facilius de ultimis posset quis dubitare num Deus oblivisci voluerit praeteritorum bonorum in punitionem subsequi lapsus a statu meriti et justitiae.

Illegitime autem quis sic exponeret verba Concilii ut dicat ipsum tantum docere quod Deus habeat ut meritoria etiam opera facta a justo post lapsum, ita ut praeterita culpa non sic ei noceat ut in eius punitionem amittat jus iterum merendi. Nec valet recurrere ad additam conditionem in cap. 16 et can. 26: “Si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint”; nam haec verba non magis significant quam ista, sub quibus eadem conditio

repetitur tam in cap. 16 quam in can. 32: "Si tamen in gratia decesserint"; agitur nempe non de continuata perseverantia in statu gratiae, sed de perseverantia finali quae consistit in conjunctione status gratiae cum morte, ut constat ex cap. 13 et can. 16 ejusdem sessionis, ubi agitur de dono perseverantiae.

Pius XI, Bulla Jubilaei "Infinita Dei misericordia", 29 maji 1924, docet: "Quod scilicet Hebraei Anno Sabbatico, bonis recuperatis quae in aliorum ius cesserant, 'ad possessionem suam' revertebantur; quod servi 'ad familiam pristinam' [Lev 25, 10] sese liberi recipiebant et debitorum aes alienum condonabatur, id omne apud nos felicius piaculari anno contingit atque efficitur. Quicumque enim poenitendo Apostolicae Sedis salutaria iussa, Iubilaeo magno vertente, perficiunt, iidem, tum *eam, quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex integro reparant ac recipiunt*, tum de asperrimo Satanae dominatu sic eximuntur, ut libertatem repetant 'qua Christus nos liberavit' [Gal 4, 31], tum denique poenis omnibus, quas pro culpis vitiisque suis luere debuerant, ob cumulatissima Christi Iesu, B. Mariae Virginis Sanctorumque merita plene exsolvuntur" (Denz. 2193).

Quamvis Papa integram reparationem amissorum meritorum, directe referat non ad quamlibet poenitentiam sed ad pleniorē poenitentiam et gratiam Jubilaei, qua quis, exequens omnia iussa S. Sedis, potest etiam liberari ab omni reatu poenae temporalis, tamen explicitē affirmat principium reditus eorundem meritorum, quae quis peccando amiserat, quidquid sit de modo et mensura qua in unaquaque justificatione id fiat. Illegitime autem, ut videtur, verba Pontificis quis intelligeret de solo reditu gratiae secundum eandem speciem, nulla habita ratione ipsorum individuorum meritorum quae praecesserunt; nam explicita distinctio fit inter dona et merita ("meritorum donorumque copiam").

Probatur 3. EX RATIONE assignata a S. Thoma, seu ex propria notione et vi operis meritorii.

Quidam varias rationes assignant quae potius ut probabiles tantum et suasivae haberi debent. Scilicet:

1. Peccata perfecte delentur per Poenitentiam, ergo merita debent reviviscere, secus aliquis peccatorum effectus, seu mortificatio meritorum, remaneret, et haec privatio subsisteret in aeternum, quasi in poenam peccati praeteriti, ita ut etiam sancti in coelo luerent in aeternum poenam sui peccati. *Attamen*, haec ratio non necessario arguit reviviscentiam; nam peccatum distinguitur a privatione meri-

torum et consistit in sola privatione gratiae, unde posset concipi perfecte remitti peccatum, ablata privatione gratiae, etsi maneret privatio meritorum; nec refert quod haec fuerit connexa cum commissione peccati, nam etiam privatio innocentiae et virginitatis est inducta per peccatum et tamen haec duo non simpliciter restaurantur per Poenitentiam.

2. Ratio amicitiae, restitutae per Poenitentiam, exigit ut omnia praecedentia merita amici ei restituantur, ut patet ex ipsa humana consuetudine. *Attamen*, nec ista ratio, etsi speciosior, necessario probat; potest enim adesse ex parte subiecti aliqua ratio quae illud physice vel moraliter impar efficiat ad resumendos amissos favores vel qualitates, ut constat ex ipsa humana consuetudine, nam Ecclesia perfecte reconciliat sibi peccatores, quos tamen, ratione scandali vel decentiae, impares quandoque reddit ad resumendas quasdam ecclesiasticas dignitates et officia. Ceterum, ea ratio nimis probat; ex ipsa enim sequeretur non solum reviviscere merita, sed ipsam gratiam et virtutes restitui omni poenitenti in pristino gradu, independenter ab ejus dispositione, quod in articulo sequenti falsum esse ostendetur.

3. Nisi merita reviviscerent, par esset in coelo conditio ejus qui ante poenitentiam habuisset merita et ejus qui nulla habuisset. *Attamen*, haec ratio videtur petere principium. Nam quare debet esse illorum in coelo diversa conditio, nisi quia merita prioris remanent aut reviviscunt? Adhuc ergo probandum manet quod merita reviviscunt.

Recurrendum igitur est cum S. Thoma *ad ipsam rationem et vim meriti seu operis meritorii*. Quae quidem ratio ad hoc breviter reducit ut opus meritorium, cum mortificatur, revera non transit sed manet, non quidem in sua physica realitate actus cujusdam, nam hic transit etiam cum opus meritorium dicitur vivum, sed in sua morali entitate meriti seu juris ad vitam aeternam, adeoque in acceptatione Dei qui solus pollicetur et valet juri illi satisfacere, in hoc enim tota meriti essentia et existentia consistit; mortificatur vero opus meritorium in sua efficacitate relate ad subjectum, quod, ob gratiae defectum, non potest de facto conjungere cum praemio et perducere ad vitam aeternam. Unde, remoto per Poenitentiam hoc impedimento, opus meritorium necessario reviviscit, non quidem secundum se quia jugiter mansit in sua morali entitate in acceptatione divina, sed secundum praedictam suam efficacitatem, sicut omnis causa pergit influere, remoto obice suae efficacitatis.

Ad rem S. Thomas, 3 p., q. 89, a. 5: "Quidam dixerunt quod opera

meritoria per peccatum sequens mortificata non reviviscunt per poenitentiam subsequentem, considerantes quod opera illa non remaneant, ut iterum vivificari possint. Sed hoc impedire non potest quin vivificentur. Non enim habent vim perducendi in vitam aeternam, quod pertinet ad eorum vitam, solum secundum quod actu existunt, sed etiam postquam actu esse desinunt, secundum quod remanent in acceptatione divina. Sic autem remanent quantum est de se, etiam postquam per peccatum mortificantur; quia semper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit, et sancti de eis gaudebunt, secundum illud *Apoc.* iii: 'Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam'. Sed quod isti qui ea fecit non sint efficacia ad ducendum ad vitam aeternam, provenit ex impedimento peccati supervenientis, per quod ipse redditus est indignus vita aeterna. Hoc autem impedimentum tollitur per poenitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata. Unde restat quod opera prius mortificata per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea in vitam aeternam; quod est ea reviviscere. Et ita patet quod opera mortificata per poenitentiam reviviscunt."

In 4 Sent., dist. 4, q. 2, a. 3, q. 3: "Opera in caritate facta, . . . etsi transeant actu, manent quantum ad meritum in Dei acceptatione; et secundum quod sic manent, habent efficaciam, quantum in ipsis est, inducendi facientem ad vitam aeternam; et sic dicuntur viva manere. Sed quod hunc effectum in peccatore non habeant, est per accidens, propter peccatum quod facit peccatorem indispositum ad percipiendum effectum praecedentium meritorum, non autem quod ab ipsis operibus aliquid dematur, cum in suo fieri efficaciam praedictam obtinuerint hoc ipso quod ex caritate sunt elicita, quod eis sequens peccatum auferre non potest; et ideo remota indispositione a peccatore per poenitentiam, opera illa praecedentia effectum suum in ipso iterum habere incipiunt; et secundum hoc vivificari dicuntur."

G. Huarte ad hanc *S. Thomae* rationem notat: "Attamen, *argumentum hoc S. Thomae* vim apodicticae demonstrationis non videtur habere; quia in eo supponitur merita per peccatum non omnino extingui, sed adhuc ea manere quodammodo in acceptatione divina. Iamvero, vel hoc ita esse asseritur ex natura rei, vel ex solo Dei beneplacito. Si primum teneas, tunc reviviscentia meritorum est opus iustitiae strictae; quia si merita non solum de facto manent, sed *etiam ex natura rei manere debent* in acceptatione Dei, eo ipso quod peccator redit ad gratiam, ius habet ad merita praecedentia; ideoque misericordia Dei tantum interveniret in convertendo peccatore, sed non in eo quod post conversionem restitueret ipsi merita prius con-

tracta; etenim in hypothesi conversionis merita restituenda essent de iure. Si vero teneas merita remanere post peccatum in acceptione Dei ex solo beneplacito divino, talis Dei voluntas positivis argumentis demonstranda est."¹³

Respondetur acceptando primam partem invocati dilemmatis et negando suppositum obicientis, quod nempe reviscientia meritorum non debeatur ex iustitia, ut ex dictis constat. Cl. auctor aggravat dubitationem suam cum addit inferius: "Afferri etiam solent quaedam alia argumenta, quae tamen minus efficacia videntur. Eorum crism vide apud Ripalda (De ente superno, d. 91, sect. 3): et Vasquez (in 3 p., q. 89, a. 5)".¹⁴ Exinde sequeretur reviscientiam meritorum nullo apodictico argumento demonstrari posse et rationem theologicam nonnisi incerte et probabiliter in hac re procedere. Quod si placet huic doctori, multis aliis nobiscum displicet.

DICES 1. Reviscientia meritorum non est opus iustitiae sed misericordiae. Jamvero si ipsa fundaretur in propria ratione et vi operis meritorii, esset opus iustitiae. Ergo non ex ea ratione deducenda est sed ex sola positiva revelatione, ex qua nobis voluntas Dei innoscere possit.

RESP. Collatio gratiae in qua meritum fundatur est opus misericordiae, sed, semel collata gratia, opera meritoria ex gratia procedentia sunt opera iustitiae, etsi fundentur in misericordia Dei dante nobis principium iustitiae.

DICES 2. Posset Deus, de potentia absoluta, merita non acceptare ad praemium pro semper sed sub conditione perseverantiae, vel, si placet, ita velle punire peccatum ut ratione illius merita perfecte extinguerentur ac reviviscere non possent. Ergo iterum non ex propria ratione et vi meritorum deducenda est eorum reviscientia, sed ex positiva revelatione.

RESP. Posset Deus non conferre gratiam in quo meritum fundatur, sed, semel data gratia cum sua vi ad fundanda merita, nequit extinguere merita, quia nequit facere ut merita non sint merita, nec ideo potest in iustitia, adeoque absolute, ea non compensare seu impedire ne reviviscant; nec refert quod ipsa gratia extinguatur per peccatum hominis, nam merita pendent a gratia non in esse sed tantum in fieri, et eorum efficacia non extinguitur per peccatum sed tantum impeditur. Eodem modo ratiocinati sumus in art. 84 quoad efficacitatem Poenitentiae in remissionem peccati; stante scilicet actu

¹³ De sacramento Poenitentiae, n. 268, Romae, 1930, n. 283.

¹⁴ Ibid., in nota.

Poenitentiae, absolute impossibile est quod Deus non remittat peccatum, etsi Deus gratis conferat gratiam et habitum Poenitentiae ex quo actus poenitentiae procedit. Unde non sunt audiendi illi theologi qui, ut Suarez, Lugo, Billuart et Pesch, concedunt Deum de potentia absoluta posse reviviscentiam meritorum impedire;¹⁵ non satis enim attendunt per gratuitatem gratiae, quae est principium meriti, nullatenus infringi aut minui veram quandam rationem justitiae quae inest meritis et ex qua sequitur Deum non posse absolute contraire illi juri quod ipse fundavit.

DICES 3. Peccata jam deleta non reviviscunt per subsequens peccatum; ergo a pari merita deleta seu mortificata non reviviscunt per subsequentem justitiam seu poenitentiam.

RESP. Ut jam dictum est cum *S. Thoma* in art. praec. (p. 116 et 124 sq.), disparitas est in eo quod peccata revera delentur seu auferuntur secundum se, nec ideo est unde reviviscere queant; e converso merita non auferuntur, sed tantum impediuntur in sua efficacitate, et ideo necessario reviviscunt quoad hanc efficacitatem, remoto impedimento. *S. Doctor* ipse iterum hic redit ad inculcandam eam disparitatem, respondens huic obiectioni: "Opera peccati per poenitentiam abolentur secundum se, ita scilicet quod ex eis ulterius, Deo indulgente, nec macula nec reatus inducatur. Sed opera in caritate facta non abolentur a Deo, in cuius acceptatione remanent; sed impedimentum accipiunt ex parte hominis operantis. Et ideo remoto impedimento quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur" (3 p., q. 89, a. 5, ad 1).

DICES 4. Si priora merita reviviscerent, totaliter reviviscerent, et tunc etiam prior gratia et virtutes totaliter reviviscerent, cum meritum fundetur et mensuretur a gratia. Jamvero gratia et virtutes non necessario totaliter reviviscunt, sed juxta actualem subjecti dispositionem. Ergo merita non reviviscunt.

RESP. Haec obiectio involvit difficilem quaestionem de modo et gradu reviviscentiae meritorum, connexam cum quaestione de modo recuperationis ipsius gratiae et virtutum, quae solvetur ex professo in art. seq.

Conclusio 3. Opera mortua nullatenus vivificantur per Poenitentiam (3 p., q. 89, a. 6; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 3, q. 1).

¹⁵ *Lugo* tamen, fuse de hac re disputans in disp. 11, sect. 1, suam sententiam emollit, concedens aliquam necessitatem reviviscentiae meritorum quae sit ex natura rei, licet contra *Vasquez*, decisive affirmet Deum posse de potentia absoluta denegare reviviscentiam meritorum.

Probatur.

Ut dictum est supra (p. 136), opera viva dicuntur quae procedunt ex gratia tamquam ex principio, mortua vero quae non procedunt ex gratia sed fiunt in statu peccati; unde eatenus opera mortua possent vivificari per poenitentiam, quatenus, restituta gratia, tunc procederent ex ista, quod quidem est impossibile quia ipsa transierunt nec iterum eadem numero resumuntur ut iterum a principio gratiae procedant. Aliis verbis: opera mortua nec a gratia olim processerunt, quia quando ipsa erant gratia non erat, nec a gratia nunc procedunt, quia quando gratia adest ipsa non sunt nec iterum esse aut procedere possunt; unde nec possunt reviviscere, sicut opera mortificata quae olim erant viva, nec possunt esse viva, sicut opera quae fiunt in statu gratiae. Nec ceteroquin imaginari potest ea prius quidquam accepisse a futura gratia, ex quo possint veluti vivificari quando gratia accedit, nam nulla causa influit antequam sit.

Ob eandem rationem supra in art. 61 et 77 (tom. 3, p. 294–298. 492–499) negavimus contra quosdam theologos, opera mortua reviviscere in satisfactionem tam extrasacramentalem quam sacramentalem; omnis enim supernaturalis efficacia, tam meriti, quam satisfactionis, procedit ex gratia sanctificante.

Exinde patet solutio trium *praecipuarum difficultatum* quae obici possunt: scilicet 1. ex paritate cum reviviscencia operum mortificatorum; 2. ex eo quod poenitentia removet causam quare opera sint mortua, seu defectum gratiae; 3. ex eo quod non videtur justum ex parte Dei non remunerare opera bona facta etiam extra charitatem ac veluti aequaliter se habere ad eos qui bene et ad eos qui male agunt. Respondet enim ipse S. Thomas (3 p., q. 89, a. 6, ad 1. 2. 3): 1. Non est paritas inter opera mortificata et opera mortua, quia haec nunquam fuerunt viva; 2. ipsa poenitentia non dat operibus mortuis ut fiant viva, quia se habet tantum ut removens prohibens, nec gratia quae inducitur per poenitentiam id facere valet, quia nequit esse principium operum praeteritorum; 3. bona opera mortua non habent vim meriti supernaturalis, nec ideo exigunt sic remunerari, habent tamen quamdam efficacitatem meriti naturalis, et sic remunerantur a Deo, ut explicatum est in art. 61 (tom. 3, p. 298–306).

Praecipuum textum S. Thomae ex 3 p., q. 89, a. 6, corp., ad 1. 2. 3, dedimus in eodem art. 61 (tom. 3, p. 295 sq. 302 sq.). In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 3, q. 1, S. Doctor sic iterum hanc conclusionem probat: "Poenitentia de ratione sui ordinatur ad remotionem mali. Unde quod aliqua bona per poenitentiam restituuntur, hoc non est nisi per accidens, inquantum removet prohibens, ut dictum est. Causa autem quae est removens prohibens, exigit causam per se aliquam respectu effec-

tus: ipsa est causa per accidens. Vivificationis autem operum extra caritatem factorum non potest poni aliqua causa per se; quia vita operum ex vita operantis dependet; et ideo a gratia vel caritate habent opera quod vivant. Gratia autem vel caritas quam poenitentia restituit, non potest operibus praecedentibus vitam conferre; quia habitus non format actum nisi qui ab eo procedit; et ita patet quod per poenitentiam opera extra caritatem facta vivificari non possunt."

Conclusio 4. Quamvis homo per Poenitentiam restituatur in pristinam dignitatem, secundum elementum eius principale quod est gratia sanctificans et jus praeteritorum meritorum, non recuperat tamen, saltem simpliciter aut necessario, secundarias quasdam perfectiones quas prius habebat, uti innocentiam, materialem virginitatem, virtutes naturales et ecclesiasticam dignitatem (3 p., q. 89, a. 3; In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4).

Probatur ex eo quod ex una parte istae perfectiones non necessario connectuntur cum gratia sanctificante et ex alia parte earum reditus impeditur vel ex ipsa rei natura vel ex aliqua inhabilitate subjecti ad illas reassumendas. Quod quidem constat, singula percurrendo.

Innocentia enim consistit in ipsa integritate mentis ab omni peccato; unde ex ipsa rei natura restitui non potest, cum sit impossibile peccatorem non peccasse aut factum fieri infectum. Ut tamen observat S. Thomas, poenitens "*recuperat . . . quandoque aliquid majus*, quia, ut Gregorius dicit [Hom. 34 in Evang.], 'qui errasse a Deo se considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. Majus ergo gaudium de eis fit in coelo, quia et dux in proelio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam illum qui numquam terga praebuit et nunquam aliquid fortiter fecit'" (*in corp.*).

In eundem sensum S. Doctor addit: "Cedit ergo eis [i.e. poenitentibus] in bonum hoc quod cadunt, non quia semper in maiori gratia resurgant, sed quia resurgunt in permanentiori gratia; non quidem ex parte ipsius gratiae, quia quanto maior est gratia, tanto de se est permanentior; sed ex parte hominis, qui tanto stabilior in gratia permanet quanto est cautior et humilior. Unde et Glossa ibidem subdit quod 'ideo proficit eis in bonum quod cadunt, quia humiliores redeunt, atque doctiores'" (*a. 2, ad 1*). Item: "Non autem est verum in omnibus, quod quanto abundantius peccant, tanto abundantio remissionem consequantur, pensata quantitate habitualis gratiae. Est tamen superabundans gratia quantum ad ipsam gratiae rationem, quia magis gratis beneficium remissionis magis peccatori confertur; quamvis quandoque abundanter peccatores abundantius doleant et sic abundantio remissionem consequantur."

habitu gratiae et virtutum consequuntur, sicut patet in Magdalena” (*ibid.*, ad 3).

Potest etiam, etsi improprie, dici quod innocentia per Poenitentiam restituitur non quidem quoad suum materiale, quod est ipsum factum numquam commissi peccati, sed quoad suum formale, quod est propositum numquam peccatum committendi. Qui quidem dicendi modus fundatur in verbis S. Thomae, In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 1, ad 1, loquentis de “innocentia continua”, cui opponi potest innocentia non continua seu intermissa et recuperata.

Virginitas duo elementa importat, elementum nempe materiale, seu integritatem carnis absque omni experimento venereae delectationis, et elementum formale, seu propositum perpetuo abstinendi ab illa delectatione. Primum elementum per poenitentiam non reparatur nec reparari potest, quia nequit Deus facere ut qui delectationem expertus est, non sit expertus (etsi miraculose posset restaurare integritatem corporis, quae accidentaliter se habet ad virginitatem); propterea, ut ait S. Thomas, “post peccatum virgo aureolam non habebit” (In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 1, ad 1); quia aureola datur praecise ob bonitatem quae competit virginitati ex parte elementi materialis. Secundum vero elementum reparatur per poenitentiam, sicut ceterae virtutes. Nec valet opponere quod qui poenitet de impudicitia tenetur quidem habere propositum non peccandi de cetero in eadem materia, non vero abstinendi a delectatione venerea, cum ea possit uti in matrimonio; nam tenetur habere ipsum propositum abstinendi ab omni delectatione venerea secundum preparationem animi, si nempe id sibi competeret et ejus conditio exigeret.

S. Thomas hanc doctrinam sic proponit sub forma objectionis in 2-2, q. 152, a. 3, ob. 3: “Omnis virtus restituitur per poenitentiam. Sed virginitas non reparatur per poenitentiam, unde Hieronymus dicit:¹⁶ ‘Cum caetera Deus possit, non potest virginem post ruinam reparare.’ Ergo videtur quod virginitas non sit virtus.” Resp. ad 3: “Virtus per poenitentiam reparari potest quantum ad id quod est formale in virtute, non autem quantum ad id quod est materiale in ipsa. Non enim si quis magnificus consumpserit divitias suas, per poenitentiam peccati restituuntur ei divitiae. Et similiter ille qui virginitatem peccando amisit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum. Circa materiam autem virginitatis est aliquid quod miraculose reparari poterit divinitus, scilicet integritas membri, quam dicimus accidentaliter se ad virginitatem habere; aliquid autem est quod nec miraculose reparari potest,

¹⁶ Epist. 22, ad Eustoch., cap. 2.

ut scilicet qui expertus est voluptatem veneream, fiat non expertus. Non enim Deus potest facere ut ea quae facta sunt, non sint facta, ut in primo habitum est (qu. xxv, art. 4).¹⁷

Virtutes naturales seu acquisitae, si fuerint amissae per peccata seu per acquisitionem contrariorum habituum vitiosorum, non restituntur per se et necessario per poenitentiam, nam non necessario connectuntur cum gratia sanctificante et ablatione maculae peccati. Sicut enim acquiruntur propriis actibus et destruuntur contrariis habitibus malis, ita recuperantur repetitione eorundem actuum quibus contrarii habitus dimittuntur. Ceterum, Poenitentia dupliciter cooperari potest in restitutionem illarum virtutum; primo nempe directe sed per accidens, si contingat actum Poenitentiae esse tam vehementem ut propterea naturalis virtus generetur, secundo indirecte et quidem per se, quatenus, convertens animam ad Deum per gratiam et charitatem, reddit instabilem et infirmam positionem malorum habituum, eos reducens ad statum simplicis dispositionis, ex quo facilius removentur. Id fusius explicatum est in art. 87 (p. 107–109), ubi diximus per Poenitentiam reliquias peccati, seu habitus pravos, non auferri sed diminui.

Dignitas ecclesiastica non necessario recuperatur per poenitentiam; nam ex quibusdam peccatis relinquitur in homine quaedam inhabilitas ad exercenda ea quae competunt ecclesiasticae dignitati, quae, ratione scandalii vel indecentiae, sanari non potest aut non convenit (cf. hic, *in corp.*). Ea inhabilitas regitur lege et disciplina Ecclesiae, variosque modos et gradus attingit, quorum praecipuus est sic dicta irregularitas (cf. *Codicem J. C.*, Index, ad voces Inhabilitas, Irregularitas).

ART. 90. Utrum Merita Praecedentia Et Gratia In Qua Ea Fundabantur, Restituantur Poenitenti Tantummodo Juxta Mensuram Dispositionis Cum Qua A Peccato Resurgit Et Cum Qua Subinde In Acquisita Justificatione Proficit (3 p., q. 89, a. 2, et 5; In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 3, q. 3; dist. 22, q. 1, a. 1, ad 6).¹⁷

¹⁷ Ex *S. Thoma* confer etiam loca connexa de augmento habitus et aequalitate virtutum: 1–2, q. 52, a. 1 et 2; q. 66, a. 1; de augmento gratiae per actus remissos: 1–2, q. 114, a. 8, ad 3; 2–2, q. 24, a. 6; 3 p., q. 87, a. 2, ad 2; In 1 Sent., dist. 17, q. 2, a. 3; In 2 Sent., dist. 27, q. 1, a. 5, ad 2.

Scotus, in 4 Sent., dist. 22, quaest. unica (Opus Oxoniense, n. 8–13; Opus Parisiense, n. 6–9).

Cajetanus, In 3 p., q. 89 (ad a. 5).

Victoria, Relectio de augmento charitatis et diminutione (relata a Bagnez, In 2–2, q. 24, a. 6, ad calcem); In 2–2, q. 24, ad 6.

Dom. Soto, In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2.

Bagnez, In 2–2, q. 24, a. 6; Relectio de merito et augmento charitatis anno 1589 Salmanticae . . . habita.

Valentia, In 3 p., disp. 7, q. 6, punct. 1.

STATUS QUAESTIONIS

DE MODO QUO FIAT MERITORUM REVIVISCENTIA
 "LONGA ET DIFFICILIS QUAESTIO EST INTER THEOLOGOS" (Joannes a S. Thoma), "celebris difficultas et controversia" (Gonet), "celeberrima et difficillima controversia" (Salmanticenses).

Antiquiores theologi ante Conc. Trid., praesertim Thomistae, etsi de hac re disserant, quaestionis difficultatem extollere non videntur, sed eam juxta sua diversorum principia (thomistica, nempe, vel nominalistica, vel scotistica) simpliciter ac veluti connaturaliter resolvunt, quasi per ignem et aquam ingenue pertransientes, ac si nullam in hac re suspicarentur peculiarem difficultatem. In quo quidem, sicut in aliis non paucis controversiis, praesertim in materia de gratia et justificatione, cui pertinet ipsa quaestio de meritis, admirabilis admodum sese ostendit S. Thomas, qui in uno eodemque articulo 5, ex una parte

Suarez, Opusculum V: Relectio de meritis mortificatis et per poenitentiam reparatis (Opera omnia, ed. Vivès, t. 11, Parisiis, 1858, p. 436-513).

Joannes a S. Thoma, De Poenitentia, disp. 36, a. 2; De Charitate, disp. 9, a. 4.

Hyguaeus, Comm. in supra relatum locum Scoti in Opere Oxoniensi.

Lugo, De Poenitentia, disp. 11, per totam.

Gonet, De Poenitentia, disp. 6, a. 2; De virtutibus theologicis, disp. 10, a. 8.

Frasen, De Poenitentia, a. 1, sect. 3, q. 4.

Montefortino, Scoti Summa Theologica, 3 p. q. 89, a. 2 et 5.

Salmanticenses, De Merito, disp. 5, dub. unic.

Billuart, De Poenitentia, diss. 3, a. 5, § 2; De Charitate, diss. 2, a. 3.

Pesch, De Poenitentia, n. 332-344.

Billot, De sacr. Eccl., q. 89, § 2 et thes. 10; De Gratia Christi, thes. 21.

Lépicier, De Poenitentia, q. 6, a. 2 et 5.

G. Huarte, De Poenitentia, propositio 17.

Galtier, De Poenitentia, thes. 45.

Fr. Diekamp, De Gratia Christi, § 32.

P. Minges, Ioannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica, t. 2, c. 10, § 3.

Boyer, De Poenitentia, 2 pars, q. 3, a. 3 et 4.

Pègues, Commentaire . . . de la Somme Théologique, 3 p., q. 89, a. 2 et 5.

E. Huguency, La Pénitence, t. 1, Somme Théologique, édition de la Revue des Jeunes, appendice 2. Item in Vie Spirituelle, 1930, p. 1-15.

H.-D. Noble, La Charité, t. 1, Somme Théologique, édition de la Revue des Jeunes, notes 47 et 50, et appendice 2, § 2.

Dublanchy, art. Charité in Dict. Théol. Cath., col. 2228-2233.

Th. Deman, art. Accroissement des vertus (dans Saint Thomas et dans l'école thomiste), in Dict. de Spiritualité, col. 138-156.

F. de Lanversin, art. Accroissement des vertus (d'après Suarez), *ibid.*, col. 156-166.

A. Michel, art. Reviviscence (de la grace et des mérites), in Dict. Théol. Cath., col. 2629-2644.

Garrigou Lagrange, L'augmentation de la charité et les acts imparfaits, in Vie Spirituelle, t. 11 (1924-1925), p. 321-334.

J. Ude, Das Wiederaufleben der Verdienste, in Divus Thomas (Pl.), 1925, p. 453 sqq.

Umberg, in Zeitschrift für katholische Theologie, 1925, p. 298-302.

Teixidor, Analecta Sacra Tarraconensia, 1930, p. 7-34.

R. Marino, La reviviscenza dei meriti secondo la dottrina del Dottore Angelico, in Gregorianum, 1932, p. 75-108.

L'Ami du Clergé, 1932, p. 353-363; 1933, p. 247-252.

A. Iodice, La reviviscenza dei meriti in Gabriel Biel, in Scuola Cattolica, 1938, p. 430 sqq.

simpliciter asserit reviviscentiam meritorum (in corp.) et ex alia parte docet gratiam, cui quidem merita commensurantur, non restitui simpliciter poenitenti sed juxta mensuram actualis dispositionis (ad 3), ut directe et generaliter jam determinaverat in praecedenti a. 2; quo quidem S. Doctor videtur una manu revocare quod altera concedit, eleganterque aut inscruenter vitare punctum difficultatis ac nihil resolvere. Hinc quidam theologi mentem S. Thomae difficilem et obscuram declarant, de hac Angelici simplicitate valde mirantes, quae tamen esse solet indicium securitatis et veritatis.

Recentiores vero doctores posttridentini hanc quaestionem ad apices extulerunt eamque tot disputationibus et sentiis cumularunt, ut ipsa rei difficultas ultra modum excrescens, ipsos ejus auctores veluti opprimeret, qui vix jam sibi videntur certam solutionem reprobmittere. Idque peculiariter apparet apud doctores thomistas, qui verbis et principiis Magistri pressius adhaerentes, coguntur limitare mensuram reviviscentiae meritorum, juxta mensuram dispositionis in subjecto.

Salmanticenses quaestionem his verbis aperiunt: "Circa secundam partem hujus dubii [seu circa modum reviviscentiae meritorum], quae totam ejus difficultatem continet, diversa sunt Authorum placita, quorum multiplicitas non modicam in hac re parit confusionem. Unde obligamur consuetum ordinem invertere, et prius aliorum sententiam referre, quam propriam stabilire; quia ex illarum confutatione facilius veritas illucescet", eamque sic absolvunt: "Quibus adde hanc nostram doctrinam non esse ita evidentem, quin contraria opinio [non quidem Suaresii sed recentiorum thomistarum, uti Joannis a S. Thoma et Gonet] probabilitatem non modicam habeat". *Billuart*, quaestionem aperit iniquis: "Pro resolutione hujus difficultatis, in qua, ut ingenue fateor, inter tot opiniones vix aliquid certi statui potest, observandum est. . ." *Billot*, in tractatu De Gratia (thes. 21), ait: "Similis . . . difficultas in quaestione de reviviscentia meritorum occurrit, cui fortasse vix invenietur responsio quae firmum ac decisum adversarium convincere possit".

Alii vero doctores, qui auctoritate S. Thomae non multum premuntur, confidentiores in sua solutione sibi videntur, qua docent omnia merita absque modo aut mensura reviviscere. Ita *Suarez*, instituens peculiare et diffusum opusculum de hac re (Opusculum 5, Relictio de reviviscentia meritorum. Extenditur per 77 solidas paginas) confidenter scribit: "Quae sane quaestio [de perfecta meritorum reviviscentia] satis est in praecedenti expedita [i.e. in asserta veritate ipsius facti reviviscentiae], si attente considerentur quae diximus, et ex illis

unusquisque consequenter philosophetur. Tamen, quia theologi graves, et antiqui, et moderni, varie de hac re opinati sunt, adeo ut pauci sint qui hanc reparationem meritorum perfectam esse velint, ideo necessarium est singulas opiniones referre et examinare, ut certius et evidentius constet hanc reparationem esse perfectam”.

DIFFICULTAS hujus quaestionis, nullatenus dissimulanda, ex triplici capite derivatur:

Primo, ex ipsa re. Nam in art. praec. dictum est, ex communi omnium sententia, merita reviviscere. Hinc duplex hypothesis: *Vel dicitur* merita reviviscere simpliciter et totaliter, et tunc offenditur duplex principium: alterum theologicum, scilicet doctrina Tridentini asserentis justificationis gratiam mensurari secundum subjecti dispositionem (Denz. 799); alterum generalius et philosophicum, scilicet nullam formam introduci nisi in subjecto disposito et juxta dispositionem subjecti. *Vel dicitur* merita reviviscere non necessario totaliter sed juxta mensuram dispositionis subjecti, et tunc ex una parte offenditur, saltem partialiter et ut in pluribus, ipsum factum reviviscentiae, nam potest fieri ut ob minorem subjecti dispositionem pars aliqua meritorum non reviviscat sed simpliciter frustretur, et ex alia parte res ita complicatur ut ipsum factum reviviscentiae debeat proprie et simpliciter negari. Nam *vel dicitur* subjecti dispositionem influere tantum ad modum proprie dictae dispositionis, et tunc praeter gratiam quae omni poenitenti confertur praecise ob hanc dispositionem et etiam si nulla merita praecesserint, nulla alia gratia datur, cum una dispositio nequeat esse dispositio ad duas formas, et ita nihil prorsus de praecedenti gratia reviviscit; *vel dicitur* dispositionem subjecti influere dupliciter, scilicet ut dispositionem relate ad novam gratiam et ut simplicem conditionem, removens prohibens, relate ad praeteritam gratiam, et tunc praeterquam quod gratis fingatur tale biceps monstrum, ex una parte dispositivum et ex alia parte conditionale relate ad duas gratias quae ceteroquin specificè non differunt, inepte affirmatur partialis tantum reviviscentia, quo enim jure ea conditio auferret impedimentum pro partiali reviviscentia auferret pariter pro totali; unde aut est totaliter admittenda aut est totaliter reiicienda meritorum reviviscentia.

Et hae sunt, summis labiis, obscuritates et inconvenientia trium praecipuarum sententiarum.

Secundo, ex auctoritate et doctrina S. Thomae, quam omnes revereri et sequi conantur, provenit alia difficultas. Nam, ut jam notatum est, S. Doctor duo explicite docet quae videntur inter se pugnare: scilicet merita reviviscere et nihilominus gratiam poenitenti non conferri nec

redire nisi juxta mensuram dispositionis. Videtur ergo S. Thomas nos manuducere per duas vias inter se contrarias vel disparatas, quarum vel ipse non videt vel nobis non indicat conjunctionis pontem.

Tertio, ex vario et fluctuanti modo quo a theologis ponitur ipsa quaestio, utraque difficultas aggravatur. Nam quidam ponunt quaestionem de recuperatione ipsorum meritorum, alii vero potius de recuperatione amissae gratiae (vel, si placet, de reviviscentia meritorum relate ad gloriam aut relate ad gratiam), alii de utraque, separate vel conjuncte. Item, quidam introducunt discrimen in hac reviviscentia inter gratiam prius habitam sine merito, i.e. in prima sanctificatione aut ex opere operato, et gratiam auctam per merita, cui soli concedunt reviviscentiam; alii vero vel non distinguunt vel explicitè utramque gratiam reviviscere dicunt. Item, quidam distinguunt duas gratias, alteram datam titulo reviviscentiae, alteram concessam titulo actualis justificationis; alii vero nonnisi unam gratiam prae oculis habere videntur. Item, quidam quaestionem ponunt potius de mensura quo merita reviviscunt, an nempe totaliter vel partialiter, alii directius de ipso modo seu causa unde haec reviviscentia mensuretur, an nempe ex ipso solo facto quod fuerint semel acquisita vel etiam ac praecipue ex dispositione subjecti.

Videtur autem proprium ac formulæ punctum quaestionis et controversiae reducendum esse ad hunc ultimum aspectum seu an reviviscentia meritorum dependeat vel secus a dispositione subjecti, quod quidem quaesitum, est determinatio generalioris quaestionis, agitatae a theologis in tractatu De Gratia, de modo quo augetur gratia et charitas per sic dictos actus remissos. Juxta positionem enim quam varii doctores assumunt relate ad has copulatas quaestiones, discedunt in varias sententias quae omnes ad tres reducuntur, aliam simpliciter negantem praedictam dependentiam, aliam simpliciter affirmantem, aliam media via incidenter vel saltem medium modum quaerentem quo affirmatio temperetur. Cetera vero secundaria sunt, vel cum illa positione intime connexa: utrum nempe reviviscat solum meritum, an sola gratia, an utrumque; utrum reviviscat sola gratia quae fuerit meritis acquisita, an etiam quae habita fuerit absque merito, sive ex opere operantis in prima justificatione sive ex opere operato sacramentorum; utrum merita et gratia restituantur partialiter vel totaliter, statim vel paulatim, in hac vita vel in altera.

Unde punctum quaestionis de reviviscentia, ut aiunt, meritorum, ad hunc sensum reducimus: Utrum supernaturalis perfectio amissa per peccatum (abstrahendo ab ejus qualitate, seu a distinctione inter merita et gratiam, et inter gratiam acquisitam per meritum et eam

quae obtenta est gratis in prima justificatione vel ex opere operato)¹⁸ restituatur poenitenti juxta mensuram suae dispositionis (abstrahendo a momento quo haec restitutio fiat).

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Huic quaestioni duplex fuit et est responsio theologorum, altera affirmativa, altera negativa, quas inter oscillat media quaedam sententia procedens ex aliquo utriusque compromisso vel mitigatione. Large loquendo, tres istae sententiae ante Conc. Trid. coincidunt cum schola thomistica, schola nominalistica et schola scotistica; post Concilium vero cum parte scholae thomisticae, schola suaresiana et schola scotistica simul cum reliqua parte thomistarum. Ad caput trium sententiarum tres auctoritates, cum suis discrepantibus principiis, inveniuntur: *S. Thomas, Suarez et Scotus*. Hoc tamen classificationis tentamen non est rigide accipiendum, tum quia insolitus hic congressus plurium thomistarum cum scotistis est mere accidentarius et ex diversis aliunde principiis proveniens, tum quia utrorumque partialis dissensus ab aliis thomistis in hac re, est potius materialis, cum omnes admittant fundamentale principium de proportionanda restitutione amissae gratiae cum dispositione subjecti, etsi hujus principii rigiditatem partialibus quibusdam nec necessariis concessionibus quidam infringere cogantur. Unde fundamentalis oppositio in hac re est tantummodo inter Thomistas et Nominalistas, et recentius inter Thomistas et Suaresianos.

Ad cujus evidentiam, antequam singulae sententiae eorumque divisiones exhibeamus, juverit fundamentalem hunc dissensum indigitare, prout etiam descendit ex generali quaestione de augmento gratiae per actus remissos, de qua non minus acriter disputatur in tractatu *De Gratia*.

Ad rem apte BILLOT:

"Doctrina fuit Nominalium, quos sequuntur multi moderni, duce Suarezio in relectione de reviviscencia meritorum: poenitentem nunquam resurgere a peccato nisi cum gratia et sanctitate maiore quam fuerat illa per praecedens peccatum amissa. Dicunt enim restitui poenitenti totum illud quod habebat prius, et addi ulteriore gradum respondentem praesenti dispositioni qua se denuo disposuit ad iustificationem, sive in sacramento sive extra sacramentum . . . idque lege absoluta

¹⁸ Generatim doctores, in omni sententia et opinione, admittunt indiscriminatim reviviscenciam pristinae perfectionis, i.e. meritorum, gratiae acquisitae ex meritis, gratiae gratis obtentae in opere operantis primae justificationis et gratiae consecutae ex opere operato sacramenti. Pauci sunt qui cum *Vasquez* et *Scolo* (cf. infra, p. 218) limitant reviviscenciam ad merita et gratiam ex merito acquisitam, et quidem logice secundum sua principia. *Suarez* et *Lugo* instituunt specialem aliquam sectionem ad refutandam hanc opinionem; alii non curant. Ceterum, res est minoris momenti, non quidem, ut patet, ad argumentum consolatorium pro peccatore resurgente, sed ad praecipuum punctum quod inter doctores controvertitur; unde ab hac quaestione abstrahimus, etsi velimus reviviscenciam indiscriminatim intelligere cum communi sensu aliorum doctorum (cf. infra, p. 218 sq.).

atque universali, quidquid sit de modo et fervore quo se habet homo in poenitendo, ex hoc solo quod utcumque resurgit post casum.

“In contrarium est sententia S. Thomae, tum hic [3 p., q. 89], tum in I, D. 17, q. 2, a. 5, tum in plurimis aliis locis, ubi constanter docet totalitatem gratiae in qua resurgit poenitens, proportionari semper praesenti ipsius dispositioni. . . Porro (quod apprime notabis contra eos qui nescio quo imaginario fundamento nixi, fingunt sententiam hanc per decreta Tridentini fuisse fere confixam, ac vix non erroneam evasisse), idem prorsus apud probatos theologos quaestionis status post tempora Tridentini perseverat, qui fuerat ante. . . [Citantur Valentia, P. Soto, Silvius, Estius, Tournely, et memorantur Gonet, Billuart, aliique recentiores thomistae]. Vides igitur esse theologos ex omni schola, qui a temporibus etiam Tridentini, aperte contradicunt principali positioni partis adversae, secundum quam poenitens semper resurgeret sanctior quam fuerat prius, quidquid sit de perfectione dispositionum cum quibus ad iustificationem se praeparat. Et hoc quidem argumento tibi erit, somnio similem esse divinationem quorundam dicentium, quod S. Thomas alicue veteres certo certius mutavissent sententiam, si venissent post Tridentinum. Re enim vera, ex Tridentino nihil, neque pro neque contra, ut postea apparebit.

“Sed vera ratio oppositionis repetenda est ex dissensu circa duo principia, unde veteres Nominales cum multis modernis omnem suam doctrinam in hac parte derivare voluerunt.

“Primum principium eorum est, quod vi poenitentiae et divinae condonationis debet necessario restitui omnis gratia quae prius habebatur hoc solo titulo quia fuit prius quacumque ratione habita. . .

“Huius autem suae assertionis unum argumentum afferunt, quod sumi debet, teste Lugone . . . , ex ipsa natura gratiae. ‘Nam eo ipso, inquit,¹⁹ quod homo per poenitentiam iustificatur, et accipit gratiam habituaalem, accipit ius ad gloriam coelestem, et per consequens exigit statum expertem omnis poenae et punishmentis aeternae. Si autem non restitueretur gratia tota per peccatum ablata, sequeretur hominem puniri aliqua poena damni aeterna, quatenus perpetuo careret illa gratia in poenam sui peccati, et per consequens, gloria illi correspondente. Ergo ex natura ipsa iustificationis oritur ut eo ipso restituatur aliquando tota gratia cuius iacturam incurrimus propter peccatum. Quod si aliquando restituenda est, non est cur non restituatur statim ablato peccato, etc.’

“At vero argumentum non videtur satis solide consistere . . . nam poena peccati non est nisi illud quod est meritorie a peccato. Porro a peccato tanquam a causa meritoria dependet gratiae privatio ut sic, minime vero privatio talis vel talis gradus sive quantitatis gratiae. Cuius evidens signum est, quod ex peccato gravissimo potest non sequi nisi amissio infimi gradus, sicut ex peccato minimo in genere mortalium potest sequi amissio gradus maximi. Quippe quantitas gratiae amissae omnino indifferenter se habet ad peccatum, sed solum consequitur statum in quo contingebat peccantem inveniri quando lapsus est. Ergo quando in iustificatione restituitur gratia, eo ipso omnis poena damni aufertur, quin necesse sit ut restituatur gradus qui prius habebatur, multoque minus gradus maior, si poenitens remisse se habeat in praeparatione ad gratiae recuperationem. Non igitur debitae modestiae limites excedet quisquis dixerit principium supradictum non satis demonstrari, imo non inniti sat probabili fundamento, nam alia quae afferri solent adhuc minoris momenti sunt. . .

“Melius itaque, ut videtur, Doctor Angelicus attendens generalia principia quae alias in theologia habentur ut certissima, existimavit non esse in praesenti introducendam exceptionem quam nec sacrae litterae nec propria poenitentiae natura

¹⁹ De Poenitentia, disp. 11, sect. 3, n. 48.

requirunt. Manifestum est, inquit,²⁰ quod formae quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti, ut in secunda parte habitum est. Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam. . . Quare oportet dicere, *sicut et communiter dicitur*, quod aliquis potest post peccatum in maiori et in minori et in aequali charitate resurgere²¹. . .

"Et hucusque quidem prima radix dissensus inter auctores. De altera nunc nonnulla dicenda sunt.

"*Aliud igitur principium est a plerisque nunc sine discussione admissum, cui non suffragantur antiqui.*

"Sentiant nempe multi moderni, revisiscentiam *meritorum* sive *operum mortificatorum* quam ipsa nobis attestatur Scriptura, *non posse ullatenus intelligi absque restitutione totius gratiae saltem quae per merita fuerat comparata*. Et hoc principio innixi, necessario debent contradicere assertioni S. Thomae docentis quantitatem gratiae quam poenitens recuperat, proportionari *pure et simpliciter* praesenti intensiori motus liberi arbitrii in poenitentia. Nam esto quod non restituatur tota gratia quae prius habebatur, hoc solo titulo quia habebatur, esto non reviscere gratiam primam in praeterita iustificatione ex opere operantis gratuito acceptam, non gratiam Eucharistiae, non gratiam aliorum sacramentorum quorum nullus amplius effectus remanet in anima. At certe, inquam, si vere opera mortificata reviscunt, oportebit restitui gratiam quam meruerunt, et haec gratia addita gratiae quam causat praesens iustificatio, faciet quantitatem maiorem quam sit illa quae hic et nunc proportionatur perfectioni poenitentiae. Et re quidem vera eiusmodi argumentum omnino ineluctabile est, procedendo in *doctrina modernorum theologorum circa meritum bonorum operum et augmentum infusarum virtutum*. Ponunt enim sat communiter dicti theologi, augeri gratiam sanctificantem et praemium essentiale gloriae per quemlibet actum meritorium, etiam remissum, quatenus secundum ipsos quodlibet opus vivum meretur augmentum eiusmodi omnino absolute, et independentem a quacumque conditione. Quo semel supposito, impossibile sane est concipere revisiscentiam meritorum, quin intelligatur restitui ipso facto gradus gratiae qui per ipsa fuerat acquisitus.

"Ast quidquid nunc sit de obiectiva rei veritate cuius discussio ad praesentem materiam non pertinet, *alia omnino est conceptio S. Thomae*. Nam iuxta ipsius doctrinam opus meritorium duo meretur. Primo quidem meretur consummationem illius gratiae quae aliunde in anima esse supponitur, ut scilicet in visionem Dei perducatur homo tanquam in coronam iustitiae suis promeritam benefactis, et non solum ut in naturalem finem illius sanctificationis quam a Deo accepit. Deinde vero meretur augmentum gratiae, cui augmentum gloriae respondeat necesse est. Utrumque tamen non meretur nisi *sub aliqua conditione*: gloriam quidem aeternam sub conditione decessus in gratia, augmentum vero gratiae sub conditione proportionatae dispositionis in subiecto. Nam sicut in acquisitis actus remissus non est sufficiens causa augmenti habitus, ita in infusis non est sufficiens dispositio ad hoc ut a Deo habitus augeatur. . . Hac igitur doctrina supposita, facile intelligitur quomodo possint reviscere merita praecedentia, quin tamen gradus gratiae restituta excedat unquam proportionem praesentium dispositionum in quibus poenitens resurgit. Augmentum siquidem gratiae non debebat his meritis, nisi ea conditione ut esset conveniens dispositio. Et ideo si homo post peccatum adhibeat conatum ut se disponat ad gratiam aequalem ei a qua ceciderat, merita reviscent cum eadem ac prius dispositione ad gloriam; secus vero, si non adhibeat talem conatum ad disponendum se; semper tamen reviscent ad totum praemium ad quod, *quantum est de se, sive ratione sui*, se extendebant. Et hoc

²⁰ 3 p., q. 89, a. 2.

²¹ In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 1.

dico ratiocinando in principiis S. Thomae de merito bonorum operum, et de modo quo augetur habitus gratiae sanctificantis.

“Quae igitur cum ita sint, facile apparet aliquid esse in hoc dissensu inter auctores theologiae, quod directe pertinet ad materiam de poenitentia, aliquid vero quod refertur ad aliam theologiae partem, scilicet ad doctrinam de merito. Id quod directe respicit materiam de poenitentia, in expositione prioris principii sufficienter declaratum est. Satis enim liquet ex argumentis ibi propositis, nulla omnino ratione constare quod vi poenitentiae debeat consequi homo ultra gratiam respondentem praesentibus suis dispositionibus, restitutionem integram totius gratiae prius habitae, hoc solo nomine quia prius habitae fuit, et ideo minime fidendum est huic plurimorum persuasioni, licet demulceat aures et favorabilis videatur. Illud autem quod refertur ad aliam theologiae partem, est modus concipiendi meritum bonorum operum, ad quid se extendat, et sub quibus conditionibus. Proinde dissensus hic occurrens non afficit directe quaestionem propositam, de qua nulla est *formaliter loquendo* discordia inter catholicos, cum omnes unanimiter ponant merita vere reviviscere. Sed diversitas est mere materialis in praesenti, dum alii alia sentientes de merito bonorum operum, alias etiam reviviscentiae consequentias debent necessario admittere. Et non vacat ingredi controversiam istam, utpote alterius loci”.²²

Omnes theologorum sententiae in hac re, quarum ultra sex facile enumerabis, ad sequens schema reduci possunt:

Prima sententia extrema. Praeterita merita et gratia restituuntur prorsus dependenter ab actuali dispositione, adeoque totaliter et immediate. *Suarez* (Nominales; major pars doctorum S. J.).

Secunda sententia extrema. Praeterita merita et gratia restituuntur prorsus dependenter ab actuali dispositione, ita ut nihil physice addatur praeter id quod jam ex se exigit praesens dispositio.

Prima opinio. Merita reviviscunt tantum quoad praemium accidentale, nullatenus vero quoad praemium essenziale (*Probabiliter nullus theologus* id docuit, etsi quidam patroni sequentis opinionis videantur prima fronte loqui in hoc sensu).

Secunda opinio. Merita reviviscunt etiam quoad praemium essenziale, quatenus gratia, quae confertur juxta actualem dispositionem, datur etiam ex vi praecedentium meritorum, ac pro tanto confertur duplici titulo. *Bagnez* (*Billot*; plures alii ex schola vel tendentia thomistica).

Tertia sententia media. Praeterita merita et gratia restituuntur quidem dependenter ab actuali dispositione, ita tamen ut aliquid detur de merito vel etiam de gratia praeter id quod exigit praesens dispositio.

Prima opinio distinguit inter effectum et effectum, seu inter meritum et gratiam, docens merita reviviscere totaliter et immediate, non vero gratiam nisi forte in altera vita. *Scotus* (Scotistae).

Secunda opinio distinguit iterum inter effectum et effectum, seu inter gratiam in esse physico et gratiam in esse morali, docens gratiam in esse morali reviviscere totaliter et immediate, non vero gratiam in esse physico nisi ac certe in altera vita. *Salmanticenses* (pauci alii thomistae).

Tertia opinio distinguit inter dispositionem et conditionem, docens gradui meriti vel gratiae, qui confertur ratione praesentis dispositionis, addi aequalem gradum de praeterito merito vel gratia, ratione ejusdem dispositionis prout est etiam conditio talis restitutionis. (Major pars, ut videtur, recentiorum thomistarum).

²² De Ecclesiae sacramentis, pars posterior, in q. 89, § 2, Romae, 1930, p. 103–112.

Prima explicatio. Additur aliquid de praeterita gratia in esse morali (seu de meritis), non vero de gratia in esse physico nisi in altera vita; quod vero deficit nunquam dabitur. *Gonet (Billuart).*

Secunda explicatio. Additur aliquid de praeterita gratia etiam in esse physico; quod autem deficit, numquam dabitur. *Valentia (Ledesma).*

Tertia explicatio. Additur aliquid de praeterita gratia etiam in esse physico, et quod deficit, dabitur totum in altera vita. *Joannes a S. Thoma.*²³

PRIMA SENTENTIA docet hominem per poenitentiam recuperare merita et gratiam *independentem a dispositione*; adeoque *totaliter et immediate*.

Hinc infert: 1. actum poenitentiae se habere relate ad reviviscentiam non ut dispositionem sed ut meram conditionem, removens prohibens peccati quod obstabat efficacitati meritorum; 2. actum tamen poenitentiae se habere ut dispositionem ad novam gratiam quae confertur in justificatione; 3. hinc duplicem conferri gratiam in justificatione, alteram titulo justificationis, mensuram ex dispositione poenitentis, alteram mero titulo reviviscentiae, adeoque non alium habentem gradum quam illum ipsum quem habebat ante lapsum; 4. inde peccatorem semper resurgere cum majori gratia quam habuit ante lapsum.

Rationes, quas affert haec sententia, sunt potius negativae, vel, si placet, ab ea invocantur iterum omnia argumenta quae protulimus in art. praec. ad probandum ipsum factum reviviscentiae meritorum, et additur quod ex iisdem sequitur totalis et immediata restitutio meritorum et gratiae, quia nulla est ratio eam reviviscentiam limitandi quoad gradum vel tempus, nec ad id valet principium ab aliis doctoribus invocatum de commensuranda infusione gratiae dispositioni subjecti. Peculiariter quidam insistunt in hoc quod, juxta ibidem relatam rationem S. Thomae, merita praeterita revera non extinguuntur sed manent in divina acceptatione, et peccatum nihil aliud facit quam ponere impedimentum eorum efficacitati, adeoque, remoto impedimento, haec efficacia immediate et totaliter reviviscit. Particulares autem rationes, quae afferuntur contra unam vel aliam opinionem aliorum doctorum de quibus infra, non sunt propria argumenta

²³ Si velimus omnes has sententias et opiniones proportionaliter reducere ad fictitiam quamdam aestimationem numericam, earum discrimen sic exhiberi potest: Petrus qui ante peccatum habuit 50 de meritis et gratia, et poenitet cum dispositione ad 2, obtinet, omnibus consideratis, juxta *Suarez*: 52 (50 de veteri et 2 de novo); juxta *Bagnez*: 2, ex duplici tamen titulo; juxta *Scotum*: 52 de merito, sed 2 de gratia, post mortem vero 52 etiam de gratia; juxta *Salmanticenses*: idem ac juxta *Scotum*; juxta *Gonet*: 4 de merito, sed 2 de gratia, post mortem vero 4 etiam de gratia; juxta *Soto*: 4 de merito et 4 de gratia; juxta *Joannem a S. Thoma*: 52 de merito et 4 de gratia, post mortem vero 52 etiam de gratia (vel forte: 4 de merito et 4 de gratia, post mortem vero 52 de utroque).

hujus sententiae, sed communia aliis easdem opiniones aliunde impugnantibus.

Praecipui patroni hujus sententiae sunt *Suarez* (Opusc. 5, mox citand.), *Vasquez* (3 p., q. 89, a. 5, dub. 2, n. 62) et *Lugo* (Disp. 11, sect. 2, n. 30 sqq.; n. 43; sect. 3, n. 45), quibus consentiunt major pars theologorum S. J., uti *Toletus*, *Coninck*, *Ripalda*, *Lessius*, *Wirceburgenses*, *Palmieri*, *Mendive*, *Hurter*, *Pesch*, *Sasse*, *Tepe*, *De Augustinis*, *De San*, *Huarte*, *Galtier*, *Otten*, *Umberg*, *Lercher*, necnon plures moderniores extra Societatem Jesu, uti *Card. C. Mazzella*, *Horatius Mazzela*, *Gähr*, *Del Val*, *Pohle*, *Tanquerey*, *Heylen*, *Mac Guinness*. Ex Scotistis quidam in eandem sententiam inclinant, ut *Cavellus* et *Frassen* de quibus infra.

Sufficit hic referre verba *SUARESII*, tum quia clarius et extensius rem proponit (imo fusiori calamo quam omnis alius theologus totam quaestionem de reviscientia meritorum pertractavit in *speciali suo opusculo* 5), tum quia ex eo posteriores desumunt fere omnia sua argumenta et explicationes:

“Cum . . . ostensum sit merita per peccatum mortificata in justificatione vivificari, hic explicandum superest qua perfectione hoc fiat, id est, quem effectum, quodve praemium habeant apud Deum illa merita, postquam homo per poenitentiam ad divinam gratiam rediit. Quae sane quaestio satis est in praecedenti expedita [ubi de ipsa existentia reviscientiae], si attente considerentur quae diximus, et ex illis unusquisque consequenter philosophetur. Tamen, quia Theologi graves, et antiqui, et moderni, varie de hac re opinati sunt, adeo ut pauci sint qui hanc reparationem meritorum perfectam esse velint, ideo necessarium est singulas opiniones referre et examinare, ut certius et evidentius constet reparationem esse perfectam.”²⁴

“Dicendum . . . censeo, per quamcumque contritionem et peccati mortalis remissionem restitui integre omnia merita prius mortificata quoad totum essentiale praemium. . . Potest autem haec veritas sufficienter probari ex alterius impugnatione; nam, cum ostensum sit reviviscere merita quoad praemium essentiale, et nulla sit sufficiens ratio dicendi aut explicandi quomodo resurgant ad partem praemii, et non ad totum, concludendum est semper resurgere ad totum praemium. . . *Secundo est ratio a priori*, quia contritio non concurrat ad hoc meritum, ut causa per se illius, sed tantum ut removens impedimentum peccati; hoc autem impedimentum omnino removetur per quamcumque contritionem, etiam minimam, et etiam per quamcumque attritionem cum sacramento, quia omnino auferitur culpa; nam quod poena non semper tota auferatur, nil refert, quia reatus poenae temporalis non impedit simpliciter perfectum valorem, et praemium cujuscumque meriti suo tempore reddendum; ergo per quamcumque contritionem et remissionem peccati reparantur omnia merita. . . *Tertio ac praecipue* hoc egregie confirmat testimonium Concilii Tridentini, sess. 6, c. 16, quod in superioribus etiam ponderabamus. Docet enim omnibus meritis de condigno integrum essentiale praemium infallibiliter reddi, si homo in gratia decedat; ergo ex mente Concilii nunquam potest contingere quod homo in gratia decedens non assequatur totum essentiale praemium quod aliquando meruit; quia in eo jam impletur conditio sub qua totum illud praemium promeruit.”²⁵

²⁴ Opusc. 5. De meritis mortificatis et per Poenitentiam reparatis, disp. 2, Opera omnia, t. 11, Parisiis, 1868, p. 457.

²⁵ *Ibid.*, p. 488.

"Quarta sententia est, totam gratiam debitam meritis mortificatis statim restitui in ipsomet instanti justificationis in quo talia merita vivificantur, sive dispositio ad illam justificationem sit intensa, sive remissa, et sive sit contritio, sive attritio cum sacramento. . . Fundamentum fuisse videtur, quia merita reviviscunt quoad totum hunc effectum, et ille talis est, ut statim absque ulla mora dari possit, in quo differt ab effectu gloriae; quia homo quamdiu est in hac vita, non est in statu capaci illius praemii, est autem in statu capaci cujuscumque gradus gratiae, et jam non habet impedimentum ad illum recipiendum. Hoc enim per remissionem peccati sufficienter sublatum est. Neque etiam ad hoc requirit novam vel specialem dispositionem, quia talis gradus gratiae non gratis donatur, sed ex debito justitiae redditur. . . Hanc [sententiam] . . . censeo probabiliorem et veram propter ejus fundamentum, quod mihi optimum et solidum videtur, et quia aliae opiniones sine causa multis difficultatibus implicantur."²⁶

"Praeter gratiam quam justii consequuntur per sua merita, habent plures gradus gratis et sine ullo merito a Deo donatos, ut est omnis prima gratia, quam homo accipit cum resurgit a peccato, et omnis etiam illa quae ex opere operato datur. De hac ergo dicunt aliqui non restitui cum homo resurgit a peccato, etiamsi cum maxima contritione resurgat. . . Ego tamen censeo hanc gratiam totam restitui. . . Et quidem de *prima gratia*, quae per propriam sufficientem dispositionem obtenta est, fundari hoc potest in merito primae gloriae, quae eidem primae gratiae respondet ut haereditas, ipsi autem dispositioni, ut informatae per primam gratiam, debetur ut corona justitiae. Hinc ergo fit ut meritum illius primae gloriae, si mortificetur per peccatum, resurgat postea per poenitentiam, eadem ratione ac modo quo vivificatur omne aliud meritum gloriae. Vivificato autem merito alijus gloriae, statim datur jus ad illam, fundatum in intrinseca proportione et gratia; ergo necesse est gratiam etiam proportionatam gloriae restitui, quamvis jam non conferatur ut prima gratia, sed ut quidam gradus gratiae. Quamvis ergo homo non mereatur primam gratiam, tamen, merendo gloriam, meretur, quantum ex se est, perpetuitatem gratiae proportionatae, si auferatur impedimentum peccati; in hoc ergo merito optime fundatur restitutio primae gratiae. Restitutio autem *gratiae collatae ex opere operato* optime fundatur in excellentia meritorum Christi, in quibus omnis conditio meriti, quod ad perfectionem spectat, excellentius reperitur quam in nostris. Ad perfectionem autem meriti spectat ut, quantum est ex se, semper vivum maneat in acceptione divina, et habeat suum effectum, secluso impedimento peccati; ergo haec proprietas perfectius reperitur in meritis Christi quam in nostris."²⁷

"Hinc . . . coligitur, quoties homo, qui justus fuit et peccavit, justificatur, surgere cum majori cumulo gratiae. Nam imprimis accipit novam gratiam proportionatam suae dispositioni, vel sine sacramento, vel cum illo, juxta modum justificationis. Deinde vero accipit totum cumulum gratiae, quem antea habebat; ergo consurgit semper cum majori gratia. Et hoc etiam absolute docent auctores illius quartae opinionis, et non esset in universum verum, si vel gratia sacramentorum, vel alia gratis data non restitueretur, quia ex hac parte posset resurgere in minori gratia."²⁸

Nota. De hac sententia quidam confidenter dicunt eam esse "omni alia longe communiorem" (Pesch); eamque defendisse quosdam mediaevales, nominatim Petrum Lombardum et Albertum M., quosdam thomistas, ut Medinam, Cano et Salmanticenses, omne Nominales et Scotistas, praeter Jesuitas (sic plures); vel eam defendi ab

²⁶ Ibid., p. 494.

²⁷ Ibid., p. 511.

²⁸ Ibid., p. 512.

omnibus doctoribus S. J., excepto Gregorio de Valentia (Pesch, Huarte); vel eam esse communiorem inter recentiores (Hervé et alii passim). Unus vel alter non veretur apponere censuram seu notam theologiam, ut Puig de la Bellacasa (De sacram., n. 672): "Cens. saltem probabilior".²⁹

In quibus affirmationibus plures continentur confusiones et exaggerationes. Et imprimis fit confusio inter quaestionem de revisiscentia meriti ut sic, i.e. juris ad gloriam, et revisiscentiam ipsius gratiae; item, quoad gratiam fit confusio inter revisiscentiam et immediatam revisiscentiam. Ut igitur recte judicetur de mente doctorum, oportet quaestionem ad unum praecisum et formale punctum revocare, scilicet an revisiscentia supernaturalis dignitatis amissae per peccatum (meriti et gratiae) fiat *secundum mensuram dispositionis subjecti*; ad hoc enim, ut supra notatum est, reducitur fundamentale dissidium theologorum, et, ex positione quam varii doctores assumunt relate ad hanc quaestionem, procedunt in varias opiniones quibus conantur explicare veram meritorum revisiscentiam quam omnes profitentur. Sic autem statuta quaestione, falsum est sententiam negantem, qua indiscriminatum docetur immediata et totalis restitutio meritorum et gratiae, esse longe communiorem, imo communiorem, etiam inter recentiores.

Inepte invocantur Petrus Lombardus et Albertus M., qui loquuntur tantum modo generali (cf. verba Lombardi supra, in p. 140), imo Albertus M. explicite statuit cum S. Thoma principium quod homo redit in gratiam secundum mensuram suae dispositionis. Generatim Scotistae cum Scoto docent ipsam gratiam non totam immediate restitui sed juxta dispositionem subjecti; quod autem admittant ipsum meritum, seu praemium ad gloriam, totum statim redire, provenit ex peculiari eorum principio quo separant meritum a gratia, ut infra explicabitur, ac propterea faciunt revisiscentiam ipsius meriti independentem a dispositione subjecti. Quidam thomistae, ut Joannes a S. Thoma et Salmanticenses, docent totum meritum et gratiam saltem aliquo modo redire, sed dependenter a dispositione subjecti, ita ut quoad jus statim redeant sed de facto subjecto non applicentur nisi quando adest congrua dispositio. Suarez ipse (Disp. 2, sect. 3, n. 12), pro sua sententia, quatenus docet totalem revisiscentiam gratiae ipsius, non citat nisi Majorem, Biel, Medinam et ex parte Henricum Gandavensem, quatenus vero docet totalem revisiscentiam solum meritorum, citat praecipue Scotistas et Nominales (determinate refert Scotum, Albertum M., Petrum Lombardum, Richardum, Biel, Al-

²⁹ Intelligit tamen de immediata et totali revisiscentia solius meriti ad gloriam, abstracto a revisiscentia ipsius gratiae.

mainum, Marsilium, Occam, Durandum, Henricum Gandavensem, Medinam); et quoad totam suam sententiam simpliciter consideratam, fatetur eam nonnisi paucos habere defensores: "Theologi graves, et antiqui, et moderni, varie de hac re opinati sunt, adeo ut pauci sint qui hanc reparationem meritorum perfectam esse velint" (ibid., sect. 2, circa initium).

Lugo († 1660) de suo aevo ait: "Haec est hodie communior sententia, et eam sequuntur fere omnes nostrae Societatis theologi" (n. 43). Undenam sibi convincat eam fuisse tunc communiorem sententiam, non apparet; saltem enim omnes thomistae et communiter Scotistae ei adversabantur. Caeterum, inter modernos eidem sententiae adversantur tum dominicani, tum illi Scotistae, qui pressius adhaerent principiis sui magistri, tum plures insignes Jesuitae, i.e. Billot, D'Alés, Marino, De Letter, Boyer, tum plures extra scholas, uti Jansens, Lépiciet, Van der Meersch, Lahitton, Michel, Diekamp, Hervé, Piolanti.

Relinquitur ergo eam sententiam, in proprio et amplo suo sensu, esse potius novam in traditione theologica, seu divulgatam esse post Conc. Trid., nec etiam posterius usque ad hodiernum diem factam esse valde communem, in comparatione adversae doctrinae, cum reductur praecipue ad unam classem theologorum. Apte concludit *Billot*: "Vides igitur esse theologos ex omni schola, qui a temporibus etiam Tridentini, aperte contradicunt principali positioni partis adversae, secundum quam poenitens semper resurgeret sanctior quam fuerat prius, quidquid sit de perfectione dispositionum cum quibus ad iustificationem se praeparat. Et hoc quidem argumento tibi erit, somnio similem esse divinationem quorundam dicentium, quod S. Thomas aliique veteres certo certius mutavissent sententiam, si venissent post Tridentinum."³⁰

SECUNDA SENTENTIA docet in toto rigore reviscentiam meriti et gratiae *proportionari dispositioni subjecti*. Ex quo infert, 1. praeter gratiam correspondentem actuali dispositioni, necnon merita ad gloriam in hac gratia fundata, poenitentem non consequi aliam gratiam aut merita, correspondentia praeteritis meritis, cum una et eadem dispositio non sit proportionata ad duplicem gratiam; 2. numquam hominem hanc aliam gratiam consequi posse in futuro, idque ob eandem rationem, quia nempe quantumvis intendat vel multiplicet suos actus bonos et meritorios, unusquisque actus semper inferet gratiam sibi debitam et proportionatam, nec ideo unquam poterit esse simul dispositio ad alium gradum gratiae qui debeatur ratione meritorum praeteritorum; 3. istorum ergo reviscentiam non consistere in hoc

³⁰ De Ecclesiae sacramentis, tomus posterior, Romae, 1930, p. 105 sq.

quod, praeter gratiam, debitam ratione praesentis dispositionis, detur etiam alius gratiae gradus correspondens praeteritis meritis, sed aliter explicandam esse.

In qua quidem explicatione distinguitur *duplex opinio*:

PRIMA OPINIO docet merita reviviscere non quoad sum praemium essenziale, seu ipsam essentiam gloriae quae commensuratur ipsi gratiae, sed *tantum quoad praemium accidentale*, i.e. quoad gaudium quod beatus habebit de bonis operibus in prima charitate factis (nam, juxta S. Thomam, 1 p., q. 95, a. 4, beatitudo accidentalis consistit in "gaudio de bono creato").

Haec sententia *tribuitur pluribus antiquioribus* theologis ante Tridentinum, ut Capreolo, Paludano, Bonaventurae, Alex. Halensi, imo et ipsi S. Thomae (3 p., q. 89, a. 5, ad 3; In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3, ad 4); sed illi theologi potius indeterminate loquuntur de reviviscencia meritorum et gratiae juxta mensuram dispositionis, de sententia vero S. Thomae, quidquid prima fronte sonent verba illorum locorum, dicitur infra (p. 224–233). Quidam, ut Galtier, hanc sententiam tribuunt etiam Bagnez, sed videntur eam confundere cum sequenti longe diversa opinione.³¹ Unde Suarez, eam reiciens "tamquam improbabilem et temerariam", recte observat: "Hanc opinionem sub his terminis non invenio apud aliquem auctorem Scholasticum".

SECUNDA OPINIO docet merita reviviscere *etiam ad praemium*

³¹ Ad rem apte scribit *Th. Deman*, agens de sententia Bagnez circa augmentum gratiae per actus remissos, cujus praesens quaestio est mera applicatio: "L'exposé de la doctrine de Bañez, que l'on vient de lire, pour sommaire qu'il soit, dénonce l'inexactitude du résumé où le R. P. Dublanchy, *DTC.*, art. *Charité*, t. ii, c. 2231, croit traduire l'opinion de ce théologien: 'Bannez, in 2am 2ae, q. 24, a. 6, Venise, 1602, col. 801 sq. et plusieurs autres théologiens ne voient plus d'autre ressource que celle de limiter le mérite des *actus remissi*, c'est-à-dire des actes de charité qui n'ont pas une intensité supérieure. Dès lors, ces actes ne peuvent réellement mériter la récompense essentielle qui est la vision béatifique ou ils ne la méritent que conjointement à des actes plus fervents et sans dépasser le mérite global. Aux actes *remissi* correspond en propre la seule augmentation de la joie accidentelle, adjointe à la délectation béatifique ou l'augmentation de l'aurore déjà méritée.'

"L'auteur a certes raison de penser d'une telle opinion: 'Système logiquement inconciliable avec la doctrine théologique certaine sur la capacité du strict mérite surnaturel appartenant à tous ces actes.' Mais comment peut-il prêter un tel système à un théologien de la qualité de Bañez? Celui-ci entend bien que les actes rémittents, élicites ou impérés, méritent de soi la récompense essentielle. Et son soin est de montrer comment cette récompense leur est en effet accordée, quand même ces actes ne se sont point résolus en un acte plus fervent. La col. 801 qu'allègue le R. P. concerne les actes impérés auxquels répond, selon leur genre, une récompense accidentelle, mais auxquels revient aussi, en tant qu'ils sont informés par la charité, la récompense essentielle. Pour plus de sûreté, on peut lire un excellent résumé de la doctrine de Bañez dans Jean de Saint-Thomas (. . . 2a 2ae, disp. 9, a. 4, n. 6 . . .). Les Salmanticensis donnent de la même opinion un exposé circonstancié . . . au commencement de leur n. 67, selon lequel il faut corriger les formules sommaires où ces théologiens réduisent quelquefois cette opinion, v. g. n. 67 fin et n. 68." (*Dict. de Spiritualité*, art. *Accroissement des vertues*, col. 148 sq. in nota).

essentiale et gratiam ipsam restitui, juxta mensuram dispositionis, non tamen eo sensu quod aliquid amplius gratiae conferatur quam exigat praesens dispositio, sed quod eadem gratia (et merita in ea fundata), quae inducitur per praesentem dispositionem, sive praecesserint alia merita sive non, *datur (ei in quo praecesserint merita) duplici titulo*, i.e. tum titulo praesentis dispositionis, tum titulo praecedentis meriti, seu restitutionis et reviviscentiae, ita ut ipsa sit veluti duplex aut major gratia in esse morali, etsi sit una et eadem in esse physico. Praeterea, reviviscunt praeterita merita etiam quoad praemium accidentale, ut dictum est in priori sententia. Hoc igitur duplici modo salvatur vera reviviscentia meritorum tum quoad praemium essentiale tum quoad praemium accidentale.

Ad formaliores tamen intelligentiam hujus sententiae adverte quod, *stricte loquendo*, ejus defensores (ut patet ex ipsa littera plurium eorum, ut Billot et Boyer) reviviscentiam non referunt ad ipsam gratiam in qua fundantur merita, sed *tantum ad ipsa merita*, et praeterea haec *merita dicunt reviviscere omnia et totaliter ad ipsum praemium essentiale*, etsi gratia actualiter mensuretur juxta dispositionem subjecti. Rem nempe sic concipiunt: Cum quis convertitur, accipit tantam gratiam quanta proportionatur actuali dispositioni, nihil autem de gratia praecedenti, si eam habuerit; propter hanc gratiam, quam nunc primo accipit, habebit correspondentem et aequalem gloriam essentialem in coelo, titulo ipsius justificationis seu, ut ajunt, titulo et jure haereditatis, quae quidem gloria est proinde proportionata actuali dispositioni sicut ipsa gratia, in qua fundatur. Et hucusque non agitur de ulla reviviscentia. Attamen, si quis prius jam habuerit gratiam, tunc ille gradus gloriae quem quis debet habere juxta novam gratiam, proportionaliter ad gradum actualis dispositionis et jure haereditatis, debetur ei etiam jure meriti seu reviviscentiae praecedentium meritorum, et quidem non ratione hujus vel illius meriti aut alicujus gradus illorum meritorum, sed ratione omnium simul et indistincte (quia non est ratio cur reviviscat unum meritum potius quam aliud, nec ad illum gradum gloriae, qui fundatur et proportionatur soli gratiae actualiter collatae, magis refertur unum meritum quam aliud); et in hoc sensu dicuntur omnia merita praecedentia reviviscere, non scilicet ad conferendum iterum illum gradum gloriae quem contulissent si mortificata non fuissent, sed ad conferendum sub titulo meriti illum eundem novum gradum gloriae (forte minorem), qui correspondet praesenti gratiae et praesenti dispositioni sub titulo haereditatis.

Et simili modo merita reviviscunt etiam per subsequentes actus meritorios elicitos in tota vita, quousque evacuetur summa meritorum

cui reviviscentia debetur, cum hac tamen differentia quod illis actibus gloria debetur iterum sub titulo meriti, non vero sub titulo haereditatis sicut in prima justificatione, ac ideo debetur sub duplici titulo meriti.

Ratio hujus sententiae est quia omnis justificatio et gratiae infusio non fit nisi secundum dispositionem subjecti, ut constat tum theologice ex *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 7 (“Iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam ‘Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult’ [1 Cor 12, 11], et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem”), tum philosophice ex illo principio quod nulla forma introducit nisi in subjecto disposito, et juxta mensuram dispositionis. Ad hoc ergo ut quis per poenitentiam recuperet praeteritam gratiam, non sufficit simplex factum quod eam ante peccatum habuerit, sed requiritur ut ad eam iterum accipiendam inveniatur actu dispositus. Jamvero poenitens, quantumcumque bene se disponat, numquam de facto habebit dispositionem requisitam ad ipsam gratiam praeteritam accipiendam, nam per omnem dispositionem jam accipit novam gratiam illi proportionatam, nec potest per unam dispositionem se disponere ad duplicem gratiam, secus non servaretur proportio inter dispositionem et formam. Ita, si quis resurgit cum contritione ut quatuor, accipiet, ratione ipsius contritionis, gratiam ut quatuor, unde non potest quidquam accipere de ipsa praeterita gratia, quia jam saturata est vis et proportio illius dispositionis; et idem valet de omni alio actu contritionis vel cujuscumque subsequenter bonae dispositionis, quantumvis intenso vel multiplicato, quia semper illi correspondet aequalis gradus novae gratiae.

Nihilominus, quia reviviscentia meritorum est admittenda, eo quod merita remanserint cum sua efficacitate in acceptance Dei et, remoto impedimento peccati, ipsa resumunt suum influxum relate ad hominem, ideo non aliud manet concludendum nisi quod eadem gratia, vel potius eadem gloria, datur duplici titulo, i.e. titulo praesentis dispositionis et simul titulo reviviscentiae seu restitutionis.

Et cum obicitur hanc sententiam nihil, nisi verbis, differre a praecedenti, respondetur negando, quia revera gloria datur titulo restitutionis seu praecedentis meriti, etsi detur etiam alio titulo seu novae dispositionis. Et si instatur ita reviviscentiam fere ad nihilum reduci, cum non magis de facto habeatur ex duobus titulis quam haberetur ex unico titulo praesentis dispositionis, si nempe non praecesserint merita, respondetur negando, nam, etsi non magis habeatur physice, *habetur tamen magis moraliter*, et retributio gloriae multum exinde crescit *in sua morali ratione praemii*. Nam:

Primo, "in hoc ostenditur causalitas uniuscuiusque illorum titulorum".³²

Secundo, "est . . . magna perfectio habere gloriam essentialem ex titulo meriti, et tanto maior perfectio est, quanto ex titulo plurium et potiorum meritorum possidetur. Quin imo, est perfectio qua tantopere electos multos adornari vult Deus, ut pro illa sinat eos exponi tot discriminibus, et permittat tot alias creaturas racionales finaliter deficere ab ultimo fine."³³

Tertio, "propter merita mortificata, licet per poenitentiam vivificentur, non habebit homo majorem visionem Dei, nec majorem beatitudinem; habebit tamen majus praemium, quia illamet visio, ut data propter omnia illa merita est majus praemium in ratione honoris et laudis, quod est proprium virtutis praemium, juxta doctrinam Aristotelis quam declarat S. Thomas 1, 2, quaest. 21, art. 2. Et ex rebus humanis declarari potest; nam res minima, vel minus stipendium, si sit testimonium majoris virtutis vel doctrinae, aut aliarum nobilium actionum, honorabilius praemium est, quam stipendium magnum propter viles actiones. Atque hoc modo summus Pontifex, verbi gratia, aut Imperator mittens gladium, vel aliquid simile in signum honoris, propter res bene gestas, censetur moraliter dare magnum praemium, quamvis materialiter res illa non sit magni valoris. Et hoc etiam modo praemia meritorum Christi, si materialiter considerentur non habent infinitatem aliquam; si tamen considerentur quatenus ab ipso Deo dantur ut debita ex rigore justitiae, habent infinitatem quamdam in ratione praemii, quia sunt testimonia cujusdam infinitae dignitatis. Sic ergo visio beata, quatenus a Deo datur in laudem bonorum operum, habet rationem praemii; nam beatus per illam visionem videt Deum se laudantem propter bona opera quae fecit, meritoria talis visionis; ergo ut sic illa visio habet rationem praemii. Unde, si per eam ostendatur Deus, ut laudans et dans visionem propter plura merita, licet non sit major visio, erit majus praemium, majorque gloria apud Deum, quia est majori cum laude notitia et visio ipsius Dei."³⁴

Patroni hujus sententiae dicuntur esse imprimis S. Thomas, Alex. Halensis, Albertus M., Bonaventura, omnes fere antiqui thomistae usque ad Conc. Trid., uti Paludanus, Capreolus, Cajetanus, Cano; Bagnez ait hanc fuisse thomistarum concordem sententiam usque ad

³² Ita Boyer, defensor hujus sententiae, De Poenitentia, Romae, 1942, p. 294.

³³ Ita Billot, defensor hujus sententiae, De sacramentis, t. 2, Romae, 1930, p. 115.

³⁴ Ita Suarez exponit rationem hujus sententiae, quam tamen impugnat, Opusc. 5, disp. 2, sect. 1, n. 9, Opera omnia, vol. 11, Parisiis, 1868, p. 460 sq.

Franciscum de Victoriam, qui primo incoepit ab ea recedere. Attamen antiqui illi theologi, quamvis possint juxta hanc sententiam logice explicari, quatenus concorditer docent gratiam non infundi nisi juxta dispositionem subjecti et hoc principium invocant etiam in quaestione de reviscientia meritorum, eam tamen non explicite proponunt, si excipiatur unus vel alter, nominatim *Cajetanus* (infra citandus), qui eam explicite quidem sed transeunter tantum nec omnino determinate exhibet. Etiam Card. *Toletus* S.J. († 1596) videtur idem satis clare docere.

Primus qui hanc sententiam in propriis essentialibus terminis explicite et signate defenderit, est *Dominicus Bagnez* O.P. († 1604), quem secuti sunt *Estius*, *Sylvius*, *Contenson* O.P., *Tournely*, *Gotti* O.P. et inter modernos *Pègues* O.P. (sic est interpretandus, etsi videatur loqui in duriori sensu praecedentis opinionis), *Billot* S.J.; *Lépicier*, *Janssens*, *Paquet* (inclinat), *D'Alès* S.J. (minus explicite, sed fere ut *Pègues*), *De Letter* S.J. (sic eum videtur interpretari *Boyer*), *Boyer* S.J., *Marino* S.J., *Diekamp*, *Van der Meersch*, *Lahitton*, *Deman* O.P., *Noble* O.P., *Hugueny* O.P., *Merkelbach* O.P., *Daffara* O.P., *Hervé* (inclinat), *Piolanti*, *Michel* (inclinat).³⁵

Nota quod, quamvis hi theologi convenient in docendo vi reviscientiae non conferri aliquid physicum ultra id quod debetur vi actualis dispositionis (in quo est essentia hujus opinionis), sed eandem physicam realitatem dari duplici titulo ac ita eam esse ampliore in esse morali, tamen non uno modo loquuntur cum conantur explicare quid sit idem conferri duplici titulo et quid sit ea major perfectio moralis. Imo aliqui peculiare quasdam, nec valde felices, vias tentant, ex quodam inconfesso timore ne, ut obiciunt adversarii, in hac sententia totaliter evacuetur reviscientia meritorum.

R. MARINO S.J. in suo peculiari articulo de hac quaestione (infra cit.) ait reviscientiam consistere in hoc quod eadem gratia "duplici titulo confertur, ex congruo et ex condigno": ex congruo, seu vi actualis dispositionis, quatenus congruit Dei liberalitati ut subjecto disposito det gratiam, et ex condigno seu ex jure praecedentium meritorum.

Attamen, non intelligitur quid sit hoc jus condignitatis et in quo fundetur; ante infusionem enim gratiae homo nullum habet jus condignitatis (quippe quod in sola gratia fundetur), etiam si in eo praecesserint merita, secus ipsa justificatio non esset gratuita sed debita ei in quo praecesserint merita. Nec valet cum claro auctore distinguere duplex instans rationis, ita ut in priori justificatio detur ex congruo, in posteriori de condigno; nam etiam in posteriori instanti jus condignitatis non fundatur in ipsa gratia jam habita in priori instanti, siquidem haec est ipsum objectum juris, sed in praecedentibus meritis, adeoque justificatio manet debita; praeterea, cum collatio objecti juris sit posterior ipso jure, sequeretur quod in ea hypothese res essent sequenti ordine naturae disponendae: primo adest dispositio poenitentis cum jure congruitatis, secundo justificatio, tertio jus condignitatis ex meritis praecedentibus, quarto iterum eadem justificatio; jamvero

³⁵ Quidam, ut *Van Noort-Verhaar* et *Denis* S.J. videntur consentire quatenus dicunt sententiam Suaresii non videri conformem menti S. Thomae, sententiam vero *Billot* illi conformari.

bis eadem justificatio fingi non potest; nec ceterum possunt res hoc alio modo disponi ut primo detur jus congruitatis, secundo jus condignitatis, tertio justificatio pro utroque jure; nam, posito primo jure, illico concipitur ejus effectus procedere, nec est unde debeat expectari influxus alterius juris ut simul valeant eundem effectum causare.

C. BOYER S.J. cui consentit *Piolanti, communem sententiam emollire conatur*, addens aliquam determinationem, quam dicit a nonnullis (Alex. Halensi, Bonaventura et De Letter, infra cit.) explicite fieri quaeque, ait, “non parvi est momenti sive ad complementum doctrinae sive ad solutionem difficultatum”. Quantum intelligimus, ipse docet quod, ratione et jure praeteritorum meritorum manentium in acceptatione divina, Deus in momento justificationis dat homini impulsum ad eliciendam talem dispositionem vi cuius possit acquirere tantam gratiam quantum prius habebat, et de facto homo totam gratiam recuperet si divino impulsui plene cooperatur, tantum vero partem si partialiter cooperatur. Ex quo tria sequuntur: primo, quod Deus, ratione meritorum, per suum impulsum semper intendat plenam hominis restitutionem in pristinum statum; secundo, quod Deus diversimode proportionat suum impulsum, ita ut fortius, ut ita dicamus, moveat hominem qui habuerit plura merita ad hoc ut ipse eliciat meliorem dispositionem proportionatam amplioribus meritis et ampliori gratiae recuperandae; tertio, quod “ex duobus aequaliter gratiae conversionis cooperantibus, ille majorem gratiam accipiet qui ante peccatum majora habuit merita.”

Attamen, imprimis haec explicatio nihil novi addit communi illi sententiae; nam undecumque proveniat actualis hominis dispositio et quomodolibet explicetur voluntas et influxus Dei in illam, semper verum erit tum quod gratia non dabitur nisi juxta mensuram dispositionis, tum quod non duplex gratia dabitur, sed unica duplici titulo. Ceterum illa tria quae diximus sequi seu involvi in hac explicatione, aut inepte dicuntur, aut vix intelligimus. Et primo, quod Deus intendat plenam hominis rehabilitationem, nihil novi est, nec proprie debetur antea actis meritis, sed est commune voluntati et actioni Dei, qui, etiam ubi nulla merita praecesserint, nullum limitem ponit influxui suae gratiae sufficienti, ita ut homo sanctificari possit in indefinitum, juxta gradum suae dispositionis. Secundo, voluntarie proinde dicitur Deum diversimode proportionare vim sui influxus magnitudini meriti seu gratiae recuperandae. Tertio, duo aequaliter cooperantes divinae gratiae, aequaliter se disponunt ad ejus effectum, idem enim sunt dispositio et cooperatio etsi secundum diversum, et ideo aequalem gratiae effectum suscipiunt, juxta receptum thomisticum principium de proportionatione inter dispositionem et formam.

Praedicta communis sententia, quae hodie magis ac magis increscit inter doctores thomisticae indolis, a quibusdam patronis aliarum sententiarum, tam extraneis quam etiam thomistis, acriter improbatur. Iam ante Bagnez († 1604), *Dominicus Soto* O.P. († 1560), tribuens hanc sententiam pluribus thomistis, scribit: “Et hic est sensus quem thomistae sustentare consueverunt, et quem Capreolus, d. 14, q. 2. insinuare videtur, licet non se clare explicet. Et sunt qui arbitrentur sententiam esse S. Thomae inferius, art. 5. quem locum tunc explicabimus monstrantes numquam id S. Thomam somniasse. Quicumque igitur fuerit sensus hujus auctoris tum falsissimus est, tum menti S. Thomae adversissimus” (In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2). *Martinus de Ledesma* O.P. († 1574) ait eam sententiam “ita esse falsissimam, ut sit etiam erronea; et qui hoc praedicaret populo, pessime faceret, meri-

toque esset a praesidibus ecclesiae magna poena multandus" (1 p., q. 30, a. 2). *Suarez S.J.*: "Ego . . . omissis censuris, illam opinionem falsam esse assero, et ex infirmo fundamento philosophico multa in Theologia admittere absurda, et sententiis Patrum, imo et Conciliorum et Scripturae, et suavitati ac dispositioni divinae providentiae parum consentanea" (disp. 2, sect. 2, n. 13). Ipse *Bagnez* refert: "Propter quae [argumenta] reprobant antiquorum Thomistarum sententiae D. Thomae intelligentiam, non solum tamquam falsam, sed etiam tamquam absurdam, et ut alii dicunt, temerariam in religione" (In 2-2, q. 24, a. 6). *Joannes a S. Thoma O.P.*, loquens de doctrina Bagnesii circa augmentum gratiae ex actibus remissis collatum mere ex duplici titulo, in qua quidem fundatur illius explicatio de reviviscentia meritorum, ait: "Haec solutio semper visa est rigida, et non salvare simpliciter rationem augmenti" (De charitate, disp. 9, a. 4, n. 7). *Salman-ticensis*, loquens de eadem doctrina, dicunt: "Opinio Bannez . . . videtur durissima, et doctrinae Concilii minus cohaerens"; addunt tamen: "[Ea opinio] non reputatur improbabilis. . . Quae . . . adnotamus . . . ut retundamus excedentes quorundam invectivas, et censuras contra praedictum Magistrum" (De charitate, disp. 5, dub. 3, § 2, n. 39). *Collet* ait: "Ex his opinionibus, secunda, quae est Bannezii, plus a vero distare videtur" (De Poenit., n. 207). *Tanquerey* ait: "Prima opinio tenet cum Bannez opera mortua reviviscere solum eo sensu quod gloria . . . dabitur duplici titulo. . . Quae tamen opinio merito rejicitur, cum ipsam reviviscentiam negare videatur" (De Poen., n. 194). *Huarte S.J.* scribit: "Sed haec doctrina tam improbabilis se statim offert, ut nulla refutatione indigeat. . . Unde non est mirandum, quod haec sententia communi fere omnium theologorum consensu rejecta jaceat" (De Poenit., n. 270). *Garrigou-Lagrange*: "Haec opinio, quae radicaliter opponitur opinioni Suarezii, videtur negare ipsam reviviscentiam meritorum, nam meritum definitur primo ut jus ad praemium essenziale [adeoque non sufficit dicere quod meritum reviviscat ad praemium accidentale]" (De Poenit., p. 399).

Ad rem *ALEXANDER HALENSIS*: "Quandoque resurgit paenitens in maiore munere virtutis, quandoque in aequali, quandoque in minori. . . Ponentes quod resurgunt in aequali gratia vel caritate supponunt quod Dominus conferendo gratiam respicit ad gratiam in qua serviebant illi resurgentes, et secundum hoc confert illis gratiam proportionalem sive aequalem. Sed hoc habet dubitationem" (Summa, p. 4, q. 12, m. 4, a. 5).

BONAVENTURA: "Dixerunt quidam quod semper in aequali vel maiori oportet resurgere. — Et ratio eorum super hoc est quod Dominus non permetteret electum cadere nisi videret quod deberet sibi prodesse. Uterius dicunt quod Dominus semper electos in meliori statu vitae accipit; tertio, quia remuneratur opus quantum meruit radix ex qua fuit. — Sed positionem hanc credo falsam, sicut monstratum est; et rationem positionis minus congruam, tum quia fundatur

super falsum, tum quia super incertum. Super falsum in hoc, quod dicit quod remuneratio operis respicit radicem ex qua facta sunt; quod falsum est; sed potius radicem, in qua reviviscunt; numquam enim remunerarentur nisi finalis caritas superveniret. Nihil enim efficaciter est dignum remuneratione sine finali perseverantia. — Alia duo sunt dubia, scilicet quod Deus semper electos in meliori statu accipiat et quod semper prosit casus ad augmentum gratiae, cum videamus signa ad contrarium. Ideo credo quod probabilior est alia opinio, quod resurgat in aequali et maiori et minori, secundum quod se melius praeparat et divina largitas dispensat. . . Ad illud quod obicitur, quod non recordatur Deus iniquitatum, dicendum quod verum est; unde non dat ei minorem gratiam merito peccatorum, sed quia non bene se praeparat ad tantam gratiam” (In 4 Sent., dist. 14, p. 2, a. 2, q. 1. sol. et ad 2).

CAJETANUS: “Advertendum est, in quinto articulo, in corpore juncto cum responsione ad tertium, quod aliud est loqui de opere meritorio: et aliud est loqui de quantitate operis meritorii. Cum enim mortificata reviviscunt, semper opera omnia meritoria quae mortificata erant reviviscunt: quoniam isti in quo reviviscunt debita est vita aeterna ex vi illorum priorum operum, et non solum ex vi praesentium operum; ita quod *hoc operatur reviviscere, quod ex pluribus capitibus debetur huic vita aeterna*, scilicet ex meritis prioribus et ex meritis posterioribus. Sed quantitas operis meritorii *non semper reviviscit simpliciter*, quoniam non semper recuperat propriam efficaciam, quae est perducere hunc ad tantum gradum beatitudinis aeternae: ut patet in eo qui resurgit in minori gratia, ita quod in illa minore decedit; talis enim numquam perveniet ad illum beatitudinis gradum quem quantitas prioris meriti debitum sibi fecerat. Et in promptu causa huius non-reviviscitiae est ipsa resurgentis indispositio. Sicut enim, si non resurrexisset a peccato, mortificata merita non sibi revixissent, quia peccatum proprium impedivisset meritorum efficaciam; ita, resurgendo a peccato, cum minore tamen gratia, ex hoc ipso indispositus est ad suscipiendum fructum maioris meriti: ipse enim minor conatus resurgentis et ad maiora non progredientis impedimentum praestat efficaciae quantitatis magni meriti praecedentis, et facit ut quantitas illa non reviviscat sibi simpliciter et absolute. Cum quo tamen stat quod *reviviscit illi secundum quid, hoc est quoad gaudium accidentale*: quia, ut in littera dicitur, plus gaudebit de maiore merito praecedente quam de minore quod subsecutum est” (In 3 p., q. 89, [ad a. 5]).

BAGNEZ ita exponit sententiam suam: “Si homo moriatur statim postquam merita reviviscunt per poenitentiam, non recipiet maiorem gloriam essentialem quam respondeat merito praesentis dispositionis. . . Si autem in minori dispositione resurgat quam antea erat, recipiet praemium essentialia in minori quantitate, quam antea erat recepturus: recipiet tamen illud pluribus titulis plurium meritorum.”³⁶

TOURNELLY: “Quaeres, an merita in eodem perfectionis gradu, in quo primum fuerant, reparentur, ac reviviscant. Resp. cum S. Thoma, praecedentia merita reparari, ac reviviscere pro maiori vel minori perfectione, seu intentione poenitentiae subsequenter. . . [Citat consuetos textus S. Thomae] Quibus verbis declarat S. Doctor, eum qui a peccato resurgit per charitatem minorem ea, quam antea habuerit, praemium quidem essentialia beatitudinis reportaturum, sed in praemium prioris charitatis majoris, majus ipsi gaudium accidentale concedendum fore.”³⁷

PÈGUES: “*L’ad tertium*, nous l’avons déjà dit, est particulièrement délicat: non pas selon qu’il se présente dans la teneur de son texte; mais en raison du sens qu’il exprime et qui est loin d’être agréé de tous, même par les plus fidèles disciples de saint Thomas. Lisons d’abord le texte et voyons le sens qu’il exprime. ‘Celui’, déclare le Saint Docteur, ‘qui se relève dans une charité moindre obtiendra

³⁶In 2-2, q. 24, a. 6, dub. 6, concl. 3. Salmanticae, 1584, p. 942.

³⁷De Poenitentia, q. 11, a. 3, Prael. Theol., t. 9, Parisiis, 1765, p. 363 sq.

la récompense essentielle selon la quantité de la charité dans laquelle il se trouve. Toutefois, il aura une plus grande joie des oeuvres faites dans la première charité, que des oeuvres qu'il aura faites dans la seconde; ce qui appartient à la récompense accidentelle'.

"Assurément, pour quiconque entend cette réponse dont tous les termes sont commandés, quant à leur sens précis, par l'objection elle-même . . . il est manifeste qu'aux yeux de saint Thomas, celui qui, se relevant de son péché par la pénitence, a un degré de charité inférieur au degré de charité qu'il avait dans son premier état, avant le péché, s'il meurt dans ce degré de charité n'aura, comme degré dans la vision de Dieu, qui constitue la récompense essentielle, qu'un degré correspondant au degré de charité dans lequel il s'est relevé. *D'où il suit que la différence entre ce degré et le degré qu'il avait précédemment sera perdue pour lui comme récompense essentielle.* Il aura cependant, nous a dit saint Thomas, le correspondant de ces degrés perdus, en ce qui est de la récompense accidentelle ou de la joie éprouvée par les saints pour les actes vertueux accomplis autrefois. Outre que *tel est manifestement le sens de l'ad tertium* que nous venons de traduire, il y a aussi que cette doctrine s'impose dans l'ensemble de la doctrine de saint Thomas pour qui il n'a jamais fait de doute que le degré de gloire est proportionné au degré de grâce ou de charité qui est celui de l'âme au moment de la mort.

"Hâtons-nous de dire, d'ailleurs, que *c'est bien ainsi que d'excellents commentateurs de saint Thomas ont lu ce texte. Il en est d'autres, cependant, qui ne pouvant se résoudre à admettre qu'une partie de la récompense essentielle pût être perdue, ont torturé le présent texte pour lui faire dire ce qu'il ne dit pas.* Et ils ont proposé les systèmes ou les combinaisons les plus fantaisistes en vue de rétablir sinon l'égalité absolue, au moins une certaine compensation de proportion. Les uns ont dit que Dieu, au moment de la mort, donnait à l'âme un degré de grâce qui comblerait la différence entre le degré qu'elle avait eu avant sa chute et celui dans lequel elle s'était relevée. D'autres ont supposé que Dieu établirait une proportion entre le mérite du premier état et celui du second; de telle sorte, par exemple, qui si le premier mérite était de dix degrés et le second de deux, Dieu donnerait un état ou une grâce et une gloire qui serait de quatre degrés. Tout cela peut être ingénieux et répondre plus ou moins à ce qui plaît ou à ce qu'on désire. Mais, très certainement, ce n'est pas ce que le Saint Docteur a entendu dire et enseigner dans le présent *ad tertium*. Ce qu'il a voulu dire et enseigner, la lettre même de son texte nous l'a dit trop clairement pour qu'il soit besoin d'y insister."³⁸

DEMAN, loquens de sententia Bagnez circa augmentum gratiae per actus remissos, a qua praesens quaestio dependet, scribit: "Dès 1582, l'opinion de Bañez relative au mérite des actes rémittents avait fait, avec d'autres, l'objet d'une accusation devant les tribunaux ecclésiastiques. L'histoire de cette affaire dans les articles du P. Beltrán de Heredia, O.P.: *El maestro fray Domingo Bañez y la Inquisición española*, dans la *Ciencia tomista*, xxxviii (1928, 2), pp. 35-58, 171-186. Ni les origines ni les conclusions de ce procès n'ôtent rien à la valeur théologique de l'opinion de B.; et il en ressort singulièrement qu'elle est seule conforme à la doctrine thomiste traditionnelle, d'où s'était écarté Victoria et après lui l'école de Salamanca. . .

"Sans cet accident [i.e. si Joannes a S. Thomas non legisset textum S. Thomae, Suppl., q. 93, a. 3, secundum lectionem mendosam; cf. infra, p. 191], la thèse que nous croyons moins fidèlement thomiste eût perdu peut-être en Jean de Saint-Thomas son plus vénérable patronage. . .

"L'opinion de Bañez n'est donc point celle qui a connu la plus grande fortune,

³⁸ Commentaire de la Somme Théologique, v. 19, Parisiis, 1930, p. 137 sq.

encore qu'elle ait gagné de notables adeptes, encore que ses adversaires mêmes en aient reconnu la valeur. Il est vrai qu'elle est plus exigeante que l'opinion contraire. Mais elle est aussi plus conforme aux lois du développement vital de la charité. Sa supériorité est de ne vouloir à aucun prix considérer le mérite comme ayant une efficacité indépendante de la disposition physique. Elle refuse de traiter l'acte rémittent autrement que comme un acheminement vers l'acte plus fervent. Ne séparant point ce qui est en effet uni, elle n'en est pas réduite à rechercher ou plutôt à deviner une issue de fortune au débat. Elle tient compte concurremment de tous les éléments du problème. Cette opinion est très favorable à la vie spirituelle puisqu'elle excite les justes à des actes plus fervents de charité, sans déprécier toutefois les actes rémittents, lesquels sont propres à nous conduire aux actes plus fervents et recevront dans tous les cas leur digne récompense. *Cette opinion bien équilibrée nous paraît seule traduire l'authentique enseignement de saint Thomas*; et il n'est point de conséquences où elle aboutit à quoi ne s'accordent les propositions mêmes du maître. Les défenseurs de cette opinion n'ont pas manqué de signaler qu'elle n'offrait rien de discordant d'avec les textes du concile de Trente.³⁹

BILLOT, praeter verba supra citata (p. 167-170), haec habet: "Thesis X. Opera per peccatum mortificata, vi poenitentiae ipso facto reviviscunt, et quidem ad totum praemium gloriae tam essentialia quam accidentalia, ad quod ut meritoria, ex sese valebant.

"In doctrina S. Thomae, iuxta superius praemissa, meritum bonorum operum nusquam se extendit ad certam quantitatem gratiae habitualis, nisi sub conditione proportionatae dispositionis in anima. Et quia mensura gloriae essentialis semper est secundum mensuram habitus gratiae, *merita praeterita verissime reviviscunt ad totum praemium essentialia* ad quod ex sese valent, statim ac denuo accipiunt vim perducendi in beatam consummationem illiusmet gratiae, ad quam homo in suo reditu ad Deum se disposuit.

"Dices forsitan quod hoc modo reviviscencia ad nihil fere reducitur, quia etiamsi praecedentia merita perpetuo mortificata remanent, adhuc consequeretur poenitens eandem gloriae quantitatem, proportionatam gratiae quam in gratuita iustificatione hic et nunc accipit. Sed negandum est assumptum. Ad rationem vero additam dico duplicem esse modum habendi gloriam essentialem: vel ut coronam iustitiae meritis acquisitam, vel ut solo titulo haereditatis sine merito acceptam. *Est autem magna perfectio habere gloriam essentialem ex titulo meriti, et tanto maior perfectio est, quanto ex titulo plurium et potiorum meritorum possidetur.* Quin imo, est perfectio quo tantopere electos multos adornari vult Deus, ut pro illa sinat eos exponi tot discriminibus, et permittat tot alias creaturas rationales finaliter deficere ab ultimo fine."⁴⁰

In Tractatu de Gratia, scribit: "Remanet igitur tertia sententia, quae sine dubio est S. Thomae et plerumque theologorum qui opinioni Nominalium primo loco recensitae non suffragantur. Agnoscit quidem haec sententia in bonis operibus, etiam remissis, meritum augmenti gratiae. Sed a ratione meriti distinguit rationem dispositionis pro accipiendo augmenti praemio necessariae. Et cum haec in operibus remissis desideretur, dilatatum augmentum docet usque ad positionem ferventioris actus charitatis: quo demum adveniente, augmentum datur proportionatum quidem intensitati ultimi ferventioris actus, adhuc tamen tamquam merces, non ultimi tantum, sed et praecedentium. . . Ubi vides sententiam hanc notabiliter differre a duabus prioribus, et in hoc praecipue, quod mensuram gratiae et gloriae assignat longe infra cumulum illum quem aliae repromittunt. Nam in aliis, culibet operi meritorio, quantumvis remisso, respondet novus accrescens gratiae et gloriae gradus, in ista autem non; sed novi gradus sequuntur nova incrementa actualis

³⁹In Dictionnaire de Spiritualité, art. Accroissement des vertus, col. 147. 150. 153.

⁴⁰De Ecclesiae sacramentis, tomus posterior, Romae, 1930, p. 112. 115.

ferioris charitatis, ut *non plus praemii, sed tantum propter plura praemium accipiat*, qui remissa opera multiplicat ante adventum dispositionis ad augmentum requisitae.

"Et non deoritur qui contra eiusmodi sententiam protestentur dicentes meritum operum quae non procedunt ex fervore semper crescente charitatis, hoc modo ad nihil fere reduci. Similis nempe difficultas in quaestione de reviviscentia meritorum occurrit, cui fortasse vix invenietur responsio quae firmum ac decisum adversarium convincere possit. Interim vero tria haec opportune considerata proponuntur. Primum est, non ideo evacuari dicitur meritum [intellige jus hereditatis] actus contritionis, ex hoc quod nemine diffidente, nulla alia ei respondet retribuenda gloriae mensura, praeter eam quae titulo gratuita justificationis iam est constituta. A pari ergo, nonnisi immerito diceretur evacuari meritum operum remissorum, ex hoc quod in unam collineant augmenti gratiae mercedem, etiam uni ferventiori actui proportionatam, eique vel soli iam debitam. Ut enim observatum est supra, non in eo est meritum ut debitum faciat aliquid quod aliunde non haberetur, sed satis est ut afferat titulum ad praemii recompensationem, *quidquid sit an tituli alii, vel eiusdem vel diversi generis, concurrant, necne*. . . [Alia] observatio sit, quod respiciendo nunc ad praxim, optimum consilium erit ordinare vitam spiritualem conformiter ad principia tertiae huius sententiae, quae procul dubio tutior est, ut observat Bannez, supposito quod omnes sustineri possent. Etenim, inquit, si opinio Scoti et Nominalium vera fuerit, nihil mihi nocebit, sed potius proderit sententiam S. Thomae tenuisse mente et opere. Caeterum, si sententia S. Thomae vera est, multum detrimenti accipient, qui plus nimio fidentes multitudini bonorum operum, negligentis fuerint in fervore charitatis quae est vinculum perfectionis'. Et in summa, timendum est ne divitiae spirituales quae in aliis sententiis tanta liberalitate congeruntur, in die tandem retributionis evanescent, suamque applicationem alicuique habeat illud quod dicitur in Psalmo: 'Dormierunt omnium suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis'.⁴¹

D'ALÈS, apte proposita diversitate trium principalium conceptionum, S. Thomae, Scoti et Suaresii, scribit: "Quod attinet ad gloriam paratam, proprium est S. Thomae ut, instituta distinctione praemii essentialis et accidentalis, statuatur *praemium essentialia commensurari gratiae in qua homo decedit, praemium accidentale caritati actuali unde singuli eius actus meritorii processerint*. Haec distinctio, quae multarum difficultatum solutionem suggerit, auctoritate Tridentini egregie commendatur. s. 6 c. 16, *DB.*, 809: 'Atque ideo bene operantibus usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita aeterna *et tanquam gratia* filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, *et tanquam merces* ex ipsius promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda.' Quoniam donum vitae aeternae est quaedam gratia Dei, aequum est illud commensurari essentialiter gratiae iam possessae; quoniam est merces hominis, aequum est illam commensurari alicuique meritis actualibus. Ceterum in materia disputationibus Doctorum catholicorum obnoxia, unusquisque in suo sensu abundet."⁴²

DIEKAMP: "Thomas (3, q. 89, a. 2 et 5), Bonaventura, Albertus Magnus, omnes fere Thomistae⁴³ necnon nonnulli theologi aliarum scholarum docent *primo gradum gratiae*, in quo peccator resurgit, *semper dispositioni, quam habet in praesenti justificatione*, respondere ideoque minore esse posse quam ante lapsum. . . *Secundo* hi theologi tenent *merita praecedentia reviviscere* ipsaque vim hominem ad gloriam perducendi secundum gradum *praesentis* gratiae et caritatis exercere posse. . . Haec ultima sententia videtur esse praeferrenda. Etenim omne opus bonum iusti vitam aeternam meretur, sed gratia et gloria tunc solum augentur, si homo actum elicit, qui intensitati caritatis praejacentis correspondet. Augmentum gratiae pariter ac prima ejus infusio ex gradu dispositionis mensuratur.

⁴¹ De Gratia Christi, thes. 21, Romae, 1928, p. 257-259.

⁴² De Poenitentia, thes. 12, Parisiis, 1926, p. 167.

⁴³ Cf. auctor videtur in unam confundere varias sententias thomistarum.

Sic etiam poenitens in secunda justificatione vitam *gratiae* amissae mensuram tunc solum recipit, si dispositio huic mensurae correspondet. Merita autem praecedentia pro *gratiae augmento*, pro quanto mercedem acceperunt, efficacitatem iam non habent; merces enim ista per peccatum mortale destruitur nec in justificatione reviviscit, sed gratia secundum gradum praesentis dispositionis de novo educitur et infunditur. — Secundum gradum gratiae mensuratur gradus *gloriae*. Itaque *reviviscentia meritorum pro vita aeterna* in hoc consistit, quod iterum *efficacitas eis confertur hominem ad eum gloriae gradum perducendi, qui correspondet gradui gratiae in secunda justificatione accepto*. Merita praecedentia id efficiunt, quod homo gloriam gratiae suae correspondentem *non solum titulo haereditatis, sed etiam titulo meriti*, tamquam mercedem et coronam iustitiae accipit¹⁴.

MERKELBACH: "Veteres: S. Thomas, S. Bonaventura, Scotus et Thomistae: Caietanus, S. Antoninus, Bannez, Sylvius, Contenson, ad quos recentius accessit Billot, habent actus nostros non solum esse *causas morales et meritorias, sed et insuper dispositivas*, atque dicunt omnia opera bona mereri gratiam et gloriam sed non in determinato gradu, nisi sub conditione quod adsit ad illum gradum proportionata dispositio. . . [Docent:] opera esse meritoria etiam si non obtineant speciale praemium, quia *idem praemium potest dari pluribus titulis*: magna est perfectio moralis habere gloriam coelestem non solo titulo gratuito haereditatis sed etiam ut coronam operum, et eo maior est perfectio quo ex titulo plurium operum obtinetur. Ita Christus qui ius habebat ad gloriam corporis, idem ius meruit suis operibus, et non tantum uno sed omnibus. . . Reviviscunt [merita] totaliter *ut sunt secundum se*, quia, ut dictum est, post peccatum, sicut antea merentur determinatum gradum gratiae dummodo adsit conditio requisita, scilicet conveniens et proportionata dispositio nostra (a. 2, ad 2). . .

"Post controversiam *quidam thomistae recentiores* sententiam intermediam elegerunt, dicentes non omnem gratiam restitui si non adsit dispositio, aliquem tamen gradum maiorem reddi propter merita praecedentia, v. g. si quis habeat dispositionem ad gradum 5^m, recuperabit gratiam in gradu 10^o: ita Soto, Nugno, Alvarez, Ledesma, Gonet, Billuart. Sed *hoc non est secundum principia S. Thomae* de conformitate proportionata ad dispositiones, nec est secundum principia prioris sententiae secundum quam opera totaliter reviviscunt. Unde videtur relinquendum tamquam illogicum; et ceteroquin in nullo fundatur."¹⁵

BOYER, loquens de restitutione gratiae, scribit: "Alii dicunt peccatorem resurgere *simpliciter* in gratia quae correspondet *actuali* dispositioni. . . Sic iam opinabatur *Alexander Alensis*. . . Item *S. Bonaventura*. . . In eundem sensum interpretantur *S. Thomam* eumque sequuntur *Capreolus, Caietanus, Bannes, Sylvius, Contenson*, ac diebus nostris *Billot* et card. *Lépicier*. Nec D. Doctor quidquam dicit quod ad aliam sententiam adduci posse videatur.

"Thesis XXI. — Homo per poenitentiam resurgit in illo gradu gratiae et virtutum qui correspondet intensitati seu remissioni actualis dispositionis. Quapropter, quamquam ex parte Dei movetur ad aequalem vel maiorem gratiam quam prius habuerat, potest tamen ex parte sui, et ex impedimento actus remissionis, nonnisi in minori gratia resurgere. — Scilicet, in tanta illa opinionum varietate, primum eligenda ea nobis videtur, quae quantitatem gratiae *ex dispositione recipientis* mensurat, iuxta haec verba concilii Tridentini: 'Iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem'. Deinde, opinio quae genuinam Angelici doctrinam referre videtur, maiori cohaerentia gaudet, nec ulli verae difficultati obnoxia esse demonstratur. . . [Probata thesi, Boyer addit]: Argumento pro hac prima parte dato, non tantum opinio Occami et Suarezii excluditur ut satis patet, sed eodem

¹⁴Theol. Dogm. (A. Hoffman) v. 3, Parisiis (1935), p. 191 sq.

¹⁵Theologia Moralis, t. 3, n. 468, ed. 3, Brugis, 1939, p. 411 sq.

iure opinio *Dominici Soto* et sequentium eum. Si enim praeter gratiam quae correspondet praesentis dispositioni resurgentis alium gradum addis quacumque ratione, — nisi titulo rei et sacramenti in subiecto existentis, — iam evanescit *physica* proportio inter formam inductam et potentiam receptivam”.⁴⁶

Loquens separatim de reviviscentia meriti ad gloriam, scribit: “Est denique opinio quam recentius docuerunt *Billot* et *Lépicier*, post *Bannesium* et, ut videtur, *Caietanum*, ut genuinam opinionem *S. Thomae*, a nullo documento *Ecclesiae infirmatam*. Haec sententia ponit: 1. Merita reviviscunt tum quoad praemium accidentale, tum quoad praemium essentiale; 2. tamen praemium essentiale numquam maius datur quam debetur pro gradu gratiae in hac vita acquisito; 3. gradus gratiae in hac vita semper correspondet, in momento quo quis resurgit a peccato, *soli dispositioni actuali*, nec augetur deinde nisi secundum quod exigunt actus de novo positi; 4. unde merita praehabita *per hoc reviviscunt per poenitentiam quod praemium essentiale, quodquod illud sit, habetur etiam propter illa merita, et per virtutem illorum, et non tantum propter opera sequentia*; 5. quod ad praemium accidentale spectat, maius erit gaudium de operibus factis cum maiori gratia ante peccatum quam de operibus factis cum minori gratia post poenitentiam.

“Cui opinioni nonnulli *determinationem explicitam addunt quae non parvi est momenti* sive ad complementum doctrinae sive ad solutionem difficultatum, et quae sponte sequitur ex dictis in praecedenti articulo. Merita nempe ante peccatum acquisita, aiunt, cum a Deo remanent accepta, *infiunt in momento iustificationis ut Deus hominem moveat ad illam dispositionem quae correspondet gratiae proportionatae meritis illis*; ita ut homo, si plene Deo moventi obsequatur, resurgat habens actu totum augmentum gratiae quod sua praeterita merita aequat; si autem homo motioni Dei eum disponentis minus cooperatur, minus augmentum pro tunc recipiet. Unde fit quod, ceteris paribus, ex duobus aequaliter gratiae conversionis cooperantibus, ille maiorem gratiam recipiet qui ante peccatum maiora habuit merita”.⁴⁷ Huic parti gratiae meritorum, quae non recipitur actu, correspondet in habente meritum privatio, quam motiones Spiritus Sancti intendunt reparare.

“Dum igitur aliae opiniones plenam vel plenioram restitutionem in pristinum statum derivant *immediate* ex concessione divina (sive ad iustitiam, sive ad solam misericordiam appellent), haec ultima opinio eandem restitutionem, *omnino possibilem dicit et a Deo intentam*; sed eam derivat ex concessione divina *mediate*, id est mediante dispositione poenitentis procedente ex gratia. . .

“Thesis XXII. — Opera virtutum in caritate facta, cum per peccatum sequens mortificata fuerint, per poenitentiam reviviscunt tum quoad praemium accidentale, tum quoad praemium essentiale, ita tamen ut illud ipsum praemium essentiale obtineant quod correspondet gratiae ad actualem dispositionem resurgentis commensuratae. Disponenti autem seipsum secundum intentionem divinam gratia actu infunditur meritis proportionata. . .

“Quod [per hoc assertum] . . . veritati reviviscentiae non detrahimus, sic ostenditur. Hic modus explicandi reviviscentiam meritorum non detrahit ipsi reviviscentiae, qui ponit opera viva mortificata exercere post poenitentiam suum effectum, *iisdem conditionibus* subjectum ac ante peccatum; nec requiritur ut conditiones quae sunt ex natura rei exprimantur in verbis Concilii Tridentini. Atqui praesens explicatio sic agit. Etenim opus vivum, ante peccatum 1. vim habebat perducenti in vitam aeternam, *dummodo* homo operans in gratia vitam finivisset; 2. vim habebat causandi augmentum gratiae, *dummodo* dispositio proportionata exsurgeret in subiecto. Porro haec opera per poenitentiam vivificata

⁴⁶ De Poenitentia, Romae, 1942, p. 267. 268–270.

⁴⁷ “In hunc sensum vide textus *Al. Halensis* et *S. Bonaventurae* in statu praecedentis articuli positos, et *Prud. de Letter S.J., De ratione meriti secundum S. Thomam* (Analecta Gregoriana, vol. XIX, Romae, 1939, p. 95 sqq.).”

haec duo iterum efficiunt sub iisdem conditionibus. Ergo vere dicuntur reviviscere per paenitentiam. . .

“[Obicies exinde sequi quod] 1. duo qui habent idem praemium essentiale possunt habere merita diversa: unus nempe potest habere merita plura quam alter; 2. duo qui resurgunt in eadem caritate et statim moriuntur habebunt idem praemium essentiale, quamquam ante peccatum unus longam vitam in sanctitate duxerit, et alter in pessimis peccatis semper fuerit. . . *Respondeo. Dist. . .*: hi habebunt idem praemium essentiale absolute sumptum, *concedo*, habebunt idem praemium essentiale ex iisdem titulis, et cum eodem praemio accidentali, et etiam sine remissione conatu paenitentiae, *nego*. . . Nec dicas nihil esse *praemium haberi ex pluribus titulis*, nam in hoc ostenditur causalitas uniuscuiusque illorum titulorum.⁴⁸

MARINO, initio suae dissertationis de reviviscencia meritorum, italice exaratae, sic latine reddit summarium suae doctrinae: “De mente Angelici Doctoris circa reviviscenciam meritorum. Doctrina tradita in corpore articuli quinti (Summa Theologica, P. III, Q. 89), cum solutione ad 3um comparata, difficultatem quamdam involvere videtur. . . [Attentis diversis theologorum interpretationibus] nequit cum certitudine deduci quid S. Thomas senserit. *Unus Banez videtur genuinam eius mentem nobis tradere*. . . Quenam fuerit vera Angelici Doctoris sententia desumitur unice ex eius scriptis. Haec enim manifesta apparet, si prae oculis habetur doctrina, quam ipse tradit circa meritum, gratiae augmentum et dispositionem, cuius brevis hic instituitur analysis. Reviviscencia meritorum extenditur tum ad gratiam tum ad gloriam, sive essentialem sive accidentalem.

“*Distinguenda tamen est reviviscencia in actu primo et in actu secundo*. In actu primo est absoluta et totalis: consistit in iure quod peccator vi paenitentiae, sive ut virtutis sive ut sacramenti, rursus obtinet. In actu secundo vero est relativa et conditionata, quia actualis gratiae recuperatio, cum consequente iure ad gloriam, a gradu dispositionis paenitentis pendet; gradus autem dispositionis ab huius voluntate, divina tamen movente virtute quam Deus nemini negat. Gratia praecedentium meritorum potest tamen paulatim recuperari, crescente dispositione. At si paenitens decidat, quin requisitam dispositionem obtinuerit, evidens est ipsum non recuperare amissam gratiam, nisi iure. Satisfit quaestioni, quae sponte oritur: utrum paenitens, praeter gradum gratiae, qui debetur vi praecedentium meritorum, etiam alium gradum recipiat vi paenitentiae. Respondetur negative: iustificatio enim fit per gratiam praecedentium meritorum, quae *duplici titulo confertur, ex congruo et ex condigno*. . . Sententiae aliorum Doctorum praeferenda videtur Angelici sententia utpote *in praxi tutior*.”

In corpore articuli addit: “Spontaneamente sorge *una difficoltà*. Perché abbia luogo la reviviscenza dei meriti, non si richiede nel penitente lo stato di grazia? Se dunque tale grazia viene infusa precedentemente e quindi indipendentemente dalla reviviscenza dei meriti, ed è proporzionata alla disposizione del penitente, o bisogna ammettere che questi, oltre il grado di grazia, dovuto in virtù della reviviscenza dei meriti, riceva, per priorità almeno di natura, qualche grado di grazia anche ‘vi contritionis’ o ‘vi sacramenti’; oppure bisogna confessare che la reviviscenza dei meriti sia, in realtà, illusoria, e che, tutto al più, si riduca, come è parso ad alcuni, alla sola gloria accidentale.

“Ma, senza concedere nè l’uno nè l’altro, credo che la difficoltà svanisca, se si distingue *un duplice segno di ragione*: il penitente, disposto alla giustificazione, riceve la grazia giustificante ‘ex congruitate’, in quanto che Dio conferisce la grazia giustificante al soggetto disposto, per sola sua liberalità ed ‘ex condigno’, in quanto che la grazia, mediante la quale si opera la giustificazione, viene conferita anche ‘vi reviviscenciae meritorum’. La medesima grazia abituale viene, quindi, conferita *per un duplice titolo: di congruità*, fondato sulla liberalità di Dio, e *di*

⁴⁸ Ibid., p. 276 sq. 278. 282. 284.

condignità, fundato sui meriti precedenti, ai quali 'ex condigno' si deve la grazia. Il secondo titolo evidentemente presuppone il primo. Tale soluzione credo che sia secondo la mente del S. Dottore.^{19,19}

TERTIA SENTENTIA *media* acceptat quidem commune principium de proportionanda reviviscencia meritorum praesenti dispositioni subjecti, sed *aliquam inducit restrictionem* qua rigor illius principii mitigetur, concedendo nempe quod titulo reviviscenciae aliquid amplius poenitenti conferatur praeter id quod exigit ipsa actualis dispositio.

In quo quidem explicando dividuntur doctores in *tres praecipuas opiniones*, nam juxta quosdam restituitur non ipsa gratia physice considerata sed *aliquid morale* (seu merita vel, quod ad idem redit, gratia in esse morali), et quidem *vel totaliter* (Scotistae et alii thomistae, ut Salmanticenses) *vel tantum partialiter* (Gonet), ipsa vero gratia in esse physico restituitur post mortem; juxta alios vero restituitur immediate *ipsa gratia in esse physico* sed tantum partialiter, et quidem juxta aliquos gratia *non restituitur totaliter* in altera vita (Soto), juxta alios *restituitur totaliter* saltem post mortem (Joannes a S. Thoma).

Ad hanc illius principii mitigationem duplici via isti perveniunt; quidam nempe introducunt *distinctionem inter effectus* qui per actualem dispositionem restituantur, seu inter effectum physicum (gratiam) et effectum moralem (merita), et dicunt sola merita restitui et quidem immediate et totaliter, non vero gratiam nisi post mortem (Scotistae, Salmanticenses); alii introducunt *distinctionem potius in ipsa dispositione*, quae fungeretur duplici munere, scilicet proprie dictae dispositionis relate ad novam gratiam et simul conditionis relate ad restitutionem pristinae gratiae, quarum utraque immediate confertur juxta gradum dispositionis (Soto, Gonet, Joannes a S. Thoma, quos sequuntur plures alii thomistae).

In hanc igitur mediam sententiam conveniunt *Scotistae et plures thomistae recentiores*, quamvis aliunde Scotistae et Thomistae discrepent in modo quo concipiunt essentiali connexionem inter meritum et gratiam, ut mox patebit. Ceterum Salmanticenses magis quam alii thomistae accedunt ad Scotistas in praesenti quaestione; ac propterea mox distinguemus tres opiniones, unam Scotisticam, aliam Salmanticensium, aliam ceterorum Thomistarum recentiorum.

A rigidiori secunda sententia supradicta hi thomistae recedere coeperunt inde a tempore Concilii Tridentini. Viam eis aperuit *Franciscus*

¹⁹ Art. La reviviscenza dei meriti secondo la dottrina del dottore Angelico, in *Gregorianum*, 13 (1932), p. 75 et 102.

de Victoria O.P. († 1546), pater scholae Salmanticensis, quem Bagnez incusat quod causa fuerit ut inde thomistae incooperint a sententia S. Thomae recedere. In sua peculiari Relectione de augmento charitatis et diminutione,⁵⁰ Victoria acrem suscitavit controversiam, distinguens inter gratiam et charitatem ac docens per actus remissos intendi immediate ipsam gratiam (et consequenter jus ad gloriam) etsi non ipsam charitatem. Ex Victoriae influxu explicari potest sententia *Salmanticensium* infra referenda. Forte etiam doctrina Conc. Trid. relata in art. praec. (p. 152–154) aliquem habuit influxum in mitigationem sententiae antiquorum inductam a recentioribus thomistis.

Ad *Joannem a S. Thoma* quod attinet, notandum est ipsum in quaestione de augmento gratiae per actus remissos (a qua praesens quaestio de reviviscentia dependet) haesisse inter sententiam Victoriae et sententiam Bannez, ac tandem elegisse mediam sententiam Alvarez et Nugno, dicentium gratiam pro actibus remissis dari non immediate sed post hanc vitam ratione actus ferventioris habentis rationem non dispositionis seu meriti sed simplicis conditionis (cf. In 2–2, disp. 9, a. 4, n. 13–16); praecipue autem eam elegisse ob verba S. Thomae in Suppl., q. 93, a. 3; jamvero valor hujus textus in favorem talis sententiae provenit ex quadam mendosa lectione quae fert vocem “charitas” pro “claritas”;⁵¹ unde notat Th. Demàn O.P.: “Sans cet accident, la thèse que nous croyons moins fidèlement thomiste eût perdu peut-être en Jean de Saint-Thomas son plus vénérable patronage”.⁵²

PRIMA OPINIO igitur acceptat tantummodo partialiter principium reviviscentiae pristinae perfectionis juxta mensuram actualis dispositionis, scilicet tantum quod attinet ad restitutionem ipsius gratiae, non vero quod attinet ad restitutionem ipsorum meritorum seu proprie dicti praemii ad gloriam. Docet nempe gratiam conferri tantummodo juxta mensuram actualis dispositionis ut vult praecedens sententia, *ipsa vero merita* seu jus ad gloriam reviviscere immediate ac

⁵⁰ Cf. V. Beltrán de Heredia O.P., *Los Manuscritos del Maestro Fray Francisco de Victoria, O.P.*, p. 140. Eam Victoriae relectionem Bagnez inseruit suis Commentariis in 2–2, ad calcem q. 24, a. 6, et crisi subiecit. Ipse Victoria in Commentariis in 2–2, q. 24, a. 6, tangens eandem quaestionem, suam sententiam jam transeunter innuit, scribens: “Ex hoc oritur dubium quia sanctus Thomas dicit quod quilibet actus meretur augmentum, dandum cum iste homo dispositus fuerit, cum intense operabitur. Quid si non operetur intense, sed remisse usque ad finem vitae? An tunc praemiabuntur illi actus remissi? Scotus dicit quod tunc dabitur caritas ratione illorum actuum. *Ego nescio quare ante non fuit data. Propterea ego promitto vobis quod in hoc anno, sine dubio, faciam relectionem de ista materia.* Est digna materia quae pertractetur, ut sciamus semel quomodo oportet operari ex caritate. Ideo omnia ista conjiciemus in illum locum” (editio V. Beltrán de Heredia, t. 2, Salamanca, 1932, p. 49 sq.).

⁵¹ Cf. in *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques*, t. 19 (1930), p. 107–115, art. L'accroissement de la charité. A propos d'un texte de saint Thomas.

⁵² In *Dict. de Spiritualité*, art. Accroissement des vertus, col. 150.

totaliter, ita ut homo habeat, ut mercedem suorum operum, tantam gloriam quam meruit per opera mortificata (necnon, ut patet, per subsequenda opera viva). Quidam praeterea concedunt quod ipsa praeterita gratia, probabiliter saltem restituatur tota in fine vitae, seu in momento separationis animae a corpore, eo quod tunc habebitur proportionata dispositio ad eius restitutionem, ac ideo tunc tota pristina perfectio, per peccatum mortificata, reviviscet ad gloriam, ita ut haec conferatur secundum omnes gradus correspondentes tum praemio praeteritorum meritorum mortificatorum, tum juri (non proprie praemio) praeteritae gratiae amissae.

Haec est peculiaris sententia *Scoti et Scotistarum*, signanter *Hyquaci, Frassen, Montefortino, et Minges*. Quae sententia, quamvis sit materialiter similis opinioni quorundam thomistarum, uti Salmanticensium, tamen differt ab ea *ex parte principii a quo procedit*, quatenus nempe inducit aliquam separationem inter meritum et gratiam, seu supprimit necessariam et essentialem commensationem meriti ad gratiam, quae ab omnibus aliis theologis admittitur et praesupponitur.

Docent nempe Scotistae:

1. De gloria, seu beatitudine, aliqua pars datur ratione gratiae, mero jure haereditatis, et alia pars datur ratione meritorum, jure mercedis seu proprie ut praemium. Et pariter de gradibus gloriae alii correspondent gradibus gratiae, alii gradibus meritorum.

2. Abstracte igitur loquendo, gratia et meritum, eorumque jura et gradus sunt separabilia. De facto autem, gratia ejusque jura possunt separari a meritis, ut patet in infante baptizato, dum e contra merita eorumque jura nequeunt simpliciter separari a gratia, quia, ubi non est gratia et amicitia, opera nequeunt esse acceptabilia Deo. Possunt tamen merita aliquo modo separari a gratia; nam, quamvis supponant necessario statum gratiae, ut conditionem sui esse, non supponunt tamen nec alligantur determinate huic vel illi gratiae, scilicet ipsi gratiae sub qua bona opera facta sunt, nec a fortiori in suis gradibus alligantur aut proportionari debent gradibus illius gratiae; sed sufficit quomodolibet quod homo sit in statu gratiae, ac ideo quaecumque gratia, in quocumque gradu etiam minimo, sufficit ad conditionandam existentiam vel reviviscentiam cuiuscumque meriti in quocumque gradu, et fieri potest ut praeterita merita reviviscentia adsint cum nova gratia etsi praeterita gratia non reviviscat, et ideo ut gratia minor sit cum majoribus meritis vel gratia maior cum minoribus.

3. In justificatione impii gratia non datur nisi secundum mensuram actualis dispositionis, juxta communem doctorum sententiam quae vult

formam proportionari dispositioni, nec ideo aliter quam juxta mensuram dispositionis posset redire gratia deperdita per peccatum, si rediret. Ceterum nec redit ullo modo; nam ea gratia fuerat acquisita vel ex opere operato vel ex gratuito opere justificationis vel ex meritis subsequenter; janvero in nullo casu restitutio gratiae debetur, in primo et altero quia gratia collata fuit gratis et sine merito, in tertio vero quia Deus jam solverat quod pro merito debebat, scilicet augmentum gratiae, et, soluta mercede, extinguitur obligatio. E contra, quod attinet ad praemium gloriae quod correspondet meritis, haec merita jugiter manent in suo esse morali in divina acceptatione, quia praemium nondum est solutum, et ideo, restituta conditione status gratiae per productionem novae gratiae in quacumque mensura juxta dispositionem subjecti, merita ad gloriam reviviscunt, et quidem immediate et totaliter, dum praeterita gratia non restituitur nec immediate nec totaliter, imo nec partialiter nec forte unquam.

Quoad hoc ultimum assertum, seu quod gratia deperdita numquam restituetur, fluctuanter loquuntur Scotistae. Nam *Scotus* videtur dicere quod post mortem restituetur tota gratia; *Montefortino* id decisive docet ut respondeat objectioni quod oportet futuram gloriam commensurari gradui gratiae; *Frasen* dubitanter id negat; *Hyquaeus* decisive id negat et quidem consequenter ad supradicta principia de separabilitate gratiae et meriti inquantum fundant jus ad gloriam; addit tamen quod, juxta plurimum doctrinam cui obsequitur *Scotus*, aliqua gratia tunc dabitur, ea scilicet quae correspondet actibus meritoriiis remissis quaeque, ob defectum proportionatae dispositionis, non potuit antea dari, ita ut tunc merita illa reviviscant ad istam gratiam eo quod, sicut ipsa gloria, nondum fuerit collata ac ideo Deus nondum huic debito satisfecerit, sicut satisfecit debito actuum meritoriorum intensionum.

4. Praeterea, *Scotus* addit, ad modum corollarii, aliquid de connexionione inter merita et gratiam, quod videtur aliquatenus collimare cum supradictis explicationibus *Marino* et *Boyer* (p. 180 sq.). Ait nempe quod, quamvis gratiae et meritis distincta jura conveniant, tamen merita mortificata id efficere possunt ut Deus citius det gratiam ad resurgendum ei qui merita habuerit quam ei qui omni merito caruerit.

5. Tandem unus vel alter Scotista emollit positionem Magistri eiusque scholae, inclinans in principia vel sententiam Nominalistarum et *Suarezii* de immediata et totali reviviscencia pristinae dignitatis non solum secundum merita, sed etiam secundum ipsam gratiam; ex quo iterum apparet generalis defectus stabilitatis in doctrina scotistica ob eius notam connexionem cum schola Nominalistarum. Ita *Hyquaeus*,

quamvis explicitè sustineat contra Suaresium, sola merita ad gloriam reviviscere et gratiam nullatenus restitui, consentit Suaresio quoad principium immediatae collationis gratiae ob actus remissos,⁵³ in quo tamen fundatur dissensus inter Suarez et thomistas quoad ipsam reviviscentiam meritorum et gratiae. *Hugo* vero *Cavellus* (Scholia in Scotum) ipsam sententiam Suaresii de totali restitutione ipsius gratiae ut probabilem praefert. In eandem sententiam inclinat ipse *Frasen*, dicens eam non esse improbabilem; subinde tamen, veluti pedem retrahens, conatur Scotum et Suaresium consociare in aliqua explanatione simili sententiae Salmanticensium mox referendae, dicens per poenitentiam gratiam totam restitui non tamen in esse physico, seu ut qualitatem inhaerentem animae, sed tantum in esse morali, seu quatenus facit ut homo sit gratosus et acceptus Deo ac ita ejus merita totaliter acceptentur a Deo ad praemium gloriae.

SCOTUS, Opus Oxoniense, In 4 Sent., dist. 22, q. unica, n. 8. 9. 10. 13 (Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 777. 782–784):

“Post meritum aliquod vita aeterna dignum, numquam dignitas ista ad bonum aeternum commutatur secundum iustitiam in bonum temporale; igitur nunquam expirat illud jus, quousque bonum aeternum sit solum; sed illud non solvitur in viatore, dum est viator; ergo semper manet illud jus, tamen extinctum per peccatum mortale, quia tunc non competit sibi executio juris sui. . .

“Contra hoc [obici potest], quia tunc omnis resurgens a peccato mortali resurgeret in gratia majori, quam fuit illa a qua cecidit, quia resurgeret in omnibus bonis, quae prius habuit jam vivificatis, et praeter hoc, in isto actu poenitentiae per quem resurgit, et quem illis praeteritis superaddit, et ita in majori gratia; quod videtur inconveniens; tum quia non omnis cadens semper gravius cadit quam prius ceciderit, nec igitur resurgens gratior resurgit quam praefuit; tum quia prima gratia potest esse major et minor, et per consequens minima; sed per poenitentiam acquiritur prima gratia; ergo possibile est aliquando primam gratiam recuperatam per poenitentiam esse minimam. Ad hoc dico, quod *non est idem habere plura merita in acceptatione divina reservata in ordine ad praemium pro eis reddendum, et habere majorem gratiam intensive*. Universaliter enim cuicumque merito debetur non tantum aliquod praemium accidentale, sed etiam praemium essentiale. Patet, quia si quis istud solum haberet sine omni alio merito, beatifi-

⁵³ “Dico . . . probabilius mihi videri hoc augmentum dari statim post ipsum opus elicitum, neque huic repugnat Doctor, quia etsi dixerit hoc augmentum non dari statim post actum, id assertive non asserit, sed ex suppositione sententiae antiquorum, qui dicebant non augeri gratiam per actus remissos, ut servarent proportionem inter meritum et gratiam, quae est inter habitos acquisitos et actus, quibus acquiruntur. Hinc autem Doctor asserit saltem illud augmentum seu gratiam debitam operibus remissis dari in termino, quod non est negare absolute dari statim per actum, sed permittere quoad hoc sententiam oppositam. Probatur . . . quia meritum remissum perinde acceptatur ad praemium sibi proportionatum ac meritum intensum ex generali lege, et per illud fit homo magis iustus . . . et magis dignus vita aeterna. . . Ergo sicut mortuo sine peccato et poena debita, daretur gloria essentialis debita operibus etiam remissis ex hac regula generali iustitiae de dando debito, ita etiam quando nullum est impedimentum et completum manet jus creditorum, ita etiam viatori datur augmentum gratiae, sed in justo, supposito opere quocumque meritorio, est jus recipiendae gratiae debitae tali operi, et nullum est impedimentum ejus recipiendae; ergo statim eam recipit” (Comm. in Scotum, Opus Oxoniense, In 4 Sent., dist. 22, q. unica, Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 788).

caretur, non praecise in illo gradu in quo propter gratiam solam sine meritis beatificaretur, sicut parvulus nunc baptizatus; gloria enim cujuscumque habitentis meritum proprium, excedit gloriam talis. Ergo quodcumque meritum sequens alia merita jam habita, requirit proprium gradum gloriae essentialis sibi correspondentem; nec tamen per quodcumque meritum augetur statim gratia, nec habens plura merita est semper in majori gratia. *Si igitur sufficiat sola gratia ad aliquam gloriam, tamen meritis correspondet aliquis gradus gloriae saltem*; licet majori gratiae sine meritis correspondeat major gloria quam minori gratiae; tamen in quocumque gradu eodem ponatur gratia merito adjuncto, licet per illud non statim intendatur gratia, tamen correspondet sibi gradus gloriae, ultra illum gradum qui responderet praecise illi gratiae.

"Per hoc dico ad argumentum, quod *resurgens plura merita habet in acceptance Dei, quam habuit quando cecidit, et per consequens ad majorem gloriam ex ea parte ordinatur; sed non oportet eum in majori gratia resurgere, quia secundum eius dispositionem in detestando peccatum commissum intense vel remisse datur sibi nunc major vel minor gratia*. . . Praescindendo illud in gloria, quod respondet meritis, et illud dicatur *B*, ab illo quod respondet gratiae, et illud dicatur *A*, forte *A* excedit *B*; et quando iste resurgit, quia omnia priora merita vivunt in Dei acceptance, redit sibi jus et dignitas ad totum *B*, sed ad *A* non redit sibi jus et dignitas, si gratia secunda sit minor prima; igitur reviviscunt merita, sed non reviviscit prior gratia, quia prius habita. Et istud est satis consonum justitiae, quia gratia prior fuit tantum donum Dei, merita autem erant alio modo opera hominis, et ideo illa sunt sibi semper salva in acceptance Dei, gratia vero non. ut propter eam ordinatur ad aliquod praemium, quia habuit eam, sed tantummodo per eam si nunc habet eam. . .

"[Addo ut corollarium] quod illa quibus respondet magnus gradus gloriae, dum sunt mortificata, non possunt mereri minimam gratiam; alioquin qui cecidisset a multis meritis, jam meruisset, ut resurgeret ab illo lapsu per primam gratiam sibi propter ista merita conferendam. Nec tamen credo quod merita mortificata omnino nihil faciant in acceptance divina ad primam gratiam dandam huic lapsu, quia etsi secundum strictam justitiam iste inimicus Dei non sit dignus de propinquo ad aliquam gratiam et gloriam, *tamen excellens misericordia propter praecedentia merita licet mortificata citius dat gratiam ad resurgendum*. Unde sicut credo quod perfectior gravius cadit propter majorem ingratitudinem, ita credo quod, caeteris paribus citius resurgit propter Dei benignitatem, *merita praedicta ad hoc aequaliter acceptantem*."

Opus Parisiense, In 4 Sent., dist. 22, q. unica, n. 6-9 (Opera omnia, t. 24, Parisiis, 1894, p. 335-337):

"Dico quod Deus non sic punit mala, sicut praemiatur bona nostra. Et in hoc apparet maxima misericordia sua, sicut enim praemiatur bona nostra opera, ex quo semel sunt facta, quantumcumque interveniat peccatum mortale, de quo homo postea poeniteat, semper sunt nostra, sicut si essent actualiter et simpliciter in nobis, et habent esse simpliciter in acceptance divina, ut pro eis reddatur secundum justitiam distributivam vita aeterna, et numquam sunt mortua extincta vel tecta, quamdiu homo est viator, sed tantum suspensa. Et ideo quae prius erant accepta, cum homo desierit a peccato, incipiunt de novo accepta esse ad vitam aeternam, et ita quasi bis sunt acceptata. . .

"Sed ex hoc accidit quoddam dubium. Dices enim quod ex hoc sequitur quod quando aliquis resurgit a peccato semper resurgeret in majori charitate quam prius habuit, quod est manifeste falsum. . . Respondeo . . . quod quicumque resurgens a peccato de novo propter plura merita, et bona opera, quae prius fecit, *habet ex divina justitia distributiva ordinem ad majus praemium*, et majorem gloriam intensive, quam prius habuit, antequam cecidit; *et tamen propter illa*

plura merita non habet majorem gratiam vel charitatem, quam prius habuit, quidquid dicatur de charitate dormiente. . .

“Nullum opus bonum manet irremuneratum, nec malum impunitum . . . ; nec tantum correspondet operibus meritoriis gloria et praemium accidentale, sed etiam essentialis, quia *posito quod opus meritorium possit esse sine gratia acceptum*, ut quod actus ex genere actus esset acceptus a Deo, adhuc correspondet sibi praemium et gloria essentialis, quia quodlibet tale opus esset meritorium et remunerabile vita aeterna, et consequens cuilibet gradui operis meritorii correspondet gradus in praemio, et majori gradui meriti major, et intensior gloria et retributio, *modo tamen ad hoc quod opera nostra sint accepta Deo, et digna praemio vitae aeternae, requiritur charitas et gratia, quia sine ipsa impossibile est placere Deo, non tamen intensiori, sed operi meritorio, quod elicitur secundum inclinationem ejus correspondet praemium*. Unde habens solum charitatem sine meritis et bonis operibus, habebit tantum de gloria et praemio essentiali, sicut habens minorem charitatem cum multis meritis et operibus bonis, non tamen habebit tantam gloriam habens solum charitatem magnam sine operibus meritoriis sicut cum eis, quia eis correspondet principaliter praemium. . .

“Nec sequitur . . . propter majus augmentum meritorium, augmentatio charitatis in operibus, nisi extendendo augmentum charitatis ad opera meritoria, quia *non omnes operationes meritoriae statim augent meritum* [i.e. meritum ad augmentum gratiae], *quantum natae essent augere illud, sed differtur in multis usque ad instans mortis*, vel ad retributionem aeternam, ubi dabitur correspondens praemium meritis bonis prius factis, ad gloriam cumulandam majorem, unde nunquam negligas bene operari, quia nullum bonum tuum erit irremuneratum, sed salva erunt tibi omnia merita tua ad majus bonum tuum, et ad gloriam tuam augendam. Et ita, licet in personis perfectis, ut in beata Virgine, multitudinem meritorum sequatur augmentum gratiae et charitatis, quia sibi dispensative data est hic tanta gratia, quantum ad habitum in se, quantum habet modo in coelo, et hoc decuit eam, ut esset habitaculum dignum Filii Dei, quamvis actus eius sit modo intensior in coelo propter habitum vel actum gloriae, quam actus charitatis quam habuit in hac vita, *non tamen oportet propter majora merita necessario habere majorem charitatem.*”

HYQUAEUS, Comm. in citatum locum Scoti in Opere Oxoniensi (ibid. p. 795. 802. 803. sq. 809-811) :

“*Dico primo* reviviscere merita integra quoad totum jus antiquum praemii essentialis, est Doctoris in littera. . .

“*Dico secundo*, hanc reviviscentiam meritorum esse non solum opus divinae misericordiae, sed etiam justitiae, supposito pacto de acceptance bonorum operum in esse meriti. Haec est conclusio Doctoris. . .

“*Tertia conclusio*, licet non gratia antiqua data operibus, adhuc opera redeunt quoad jus antiquum ad praemium. Probat reviviscencia ex dictis, quia ut postea videbimus, *communior sententia est, non redire gratiam, nisi secundum mensuram dispositionis, in qua resurgit poenitens*, neque de contrario ita ratio, aut auctoritas expressa ulla convincit, sicut de reviviscentia meritorum. . . Neque [contrarium convincit] debitum etiam ex parte operum conveniens redivivo per poenitentiam, quia et gratia debita operibus jam est collata in effectu, quam sibi perdidit peccans, non ita collatum est praemium essentialis, ad quod primario ordinata sunt opera, neque etiam necessitas dispositionis ad gloriam seu praemium essentialis, ad quod disponit gratia, aliud convincit, nisi aliquam gratiam supponi ex parte resurgentis ad effectum praemii, qua constituatur filius Dei, et capax gloriae, quae tantum promissa est filiis. . .

“*Quarta conclusio est*, non redire gratiam deperditam, sive ex meritis fuit, sive tamen ex aliis mediis. Haec est contra Nominales et Suarem et Vasquem . . . , et

sufficiens probata est ex dictis. Eam tenet Doctor in littera, et omnes antiqui, ut patet ex fundamentis et assertionibus eorum. . .

"Immerito Suarez explicat Doctorem in eam sententiam trahens, quasi non negaverit gratiam, licet in hac vita non detur, dari eam in patria, neque consequenter negare potuisse, cum dicat merita quoad praemium essentiale in integrum reviviscere. Contrarium enim supponit Doctor, et ratio ejus, quia dicit quod non resurgat quia prius habita est, in quo discernit jus ad gratiam et gloriam, quia nempe jus meriti extinguitur solutione. Ergo cum gratia sit meritis collata, et demerito peccantis perditur, sibi perditur, et non Deo, et consequenter quantum est ex parte justitiae, non potest praetendi ejus restauratio ex merito; gloria autem numquam fuit collata, ideoque manet jus meriti ad gloriam in divina acceptatione, quando meritum ipsum reviviscit. . . Neque ratio Suaris urget pro praetensa interpretatione, urget primo, quia Doctor dicit dari augmentum charitatis aut gratiae actibus meritoriis remissis saltem in termino. Secundo quod gratia sit dispositio ad gloriam. Tertio, quia datur de facto ad visionem beatam lumen proportionatum meritis in Patria; ergo similiter gratia aut charitas. Respondetur ex ratione praemissa, actum meritorium remissum fundare jus ad gratiam, quae si non datur statim post ipsum actum, sed in termino, semper manet jus illud, donec detur gratia; nec peccatum subsequens actum delet nisi gratiam, quam supponit in subjecto. Eadem ergo ratio erit de actu remisso quoad debitam gratiam et gloriam, si gratia non detur in via. Idem dicendum de lumine gloriae, quod non datur in via, modo cadat sub merito; non est eadem ratio de justitia viatoris, quam extinguit ejus peccatum, et in re ipsa est concessa periculo recipientis, aut lucro. Quod vero gratiam appellet Doctor dispositionem ad gloriam, non intelligit proportionari in gradu ad gloriam, sed necessario requiri in specie. . .

"Sed objicit Suarez, hominem in via esse capacem gratiae redivivae, modo auferatur peccatum. Respondetur nullum subjectum esse capax formae, nisi respective ad agens quod eam communicare potest; loquor de capacitate, quae reduci potest ad actum. In proposito autem gratia illa deperditam neque per Sacramentum restituitur, neque etiam per merita mortificata, quorum virtus respectu gratiae expiravit, quando gratia est collata; illa enim virtus convenit ipsis, quae sunt meritum, quod expirat solutione debiti."

FRASSEN: "Probabile est per Poenitentiam non reviviscere nec reparari gratiam deperditam. Haec videtur esse Doctoris in 4. dist. 22, n. 9 et 10 . . . [citatur Scotum]. Quibus verbis Doctor significat primo, gloriam homini deberi duplici titulo, nempe ut haereditas ratione gratiae sanctificantis, velut merces ratione honorum operum, ita quod ut merita habeant jus proximum ad gloriam, sufficit status gratiae sanctificantis actualis; nec ad id opus est, ut etiam praesens adsit gratia sanctificans, cum qua illa opera meritoria fuerint elicita. Unde fieri potest, ut homo cum amplioribus meritis, et minore gratia sanctificante, obtineat majorem Dei fruitionem, quam ille, qui aequalem gratiam haberet, et minora merita; quia videlicet meritum fundat titulum proprium respectu gloriae, distinctum a titulo gratiae habitualis, ut colligitur ex Scriptura, quae pluries testatur gloriam esse repromissam bonis operibus. . .

"[Haec] sententia confirmari potest ex eo quod opera meritoria habeant speciale jus ad gloriam aeternam distinctum a gratia habituali; si enim illa opera haberent illud jus dumtaxat ex gratia, et tantum ratione illius, et acceptarentur a Deo in ordine ad praemium vitae aeternae; id fieret vel mediante prima gratia; et hoc non, quia ipsa est ex dono Dei, nec tribuit jus ad gloriam, tanquam praemium, ut patet in infantibus decedentibus cum sola gratia Baptismali: vel acceptarentur mediante secunda gratia, seu augmento gratiae; quod dici nequit, cum illud augmentum sit praemium secundarium ipsorum operum, adeo ut per ipsa opera gratia accepta conservetur et consummetur. Itaque non est impossibile, aliquem

habere plura merita in acceptatione divina, et consequenter jus ad majorem gloriam, quamvis de facto non habeat, *nec forte post mortem habiturus sit maiorem gratiam*; nam potest manere jus fundatum in bonis operibus respectu gloriae, quae nondum concessa fuit, quamvis non remaneat idem jus ad gratiam, quae data fuit, et per peccatum deperdita. Et quamvis jus ad gloriam impediatur in executione per absentiam gratiae, redit tamen *per quamcumque minimam gratiam*; siquidem Conc. Trid. Sess. 6, Can. 33, hanc solam conditionem requirit, *Si in gratia decesserit*. Ex quibus omnibus inferre licet, quod possit recuperari totum jus, sive tota actio ad jus antiquum gloriae debitae, sive titulo mercedis bonis operibus, sive titulo haereditatis gratiae sanctificanti retribuendae, absque restitutione gratiae semel deperditae. . .

"Dixi in Conclusionem, hoc quidem esse probabile, non vero quod sit certum, quamquam Doctor videatur magis in illam assertionem propendere; non enim opposita sententia probabilitate caret, nempe quod per poenitentiam non solum reviviscant opera meritoria in ordine ad gloriam, sed etiam quod restituatur gratia habitualis prius deperdita. Cui utique sententiae adstipulantur omnia Scripturae oracula, quibus supra probavimus opera meritoria reviviscere. . .

"Possent tamen, ut conjicio, duae illae oppositae sententiae invicem conciliari, nempe dicendo, quod restituatur gratia deperdita; non quidem in esse physico, seu ut est qualitas et habitus constituens nos participes divinae naturae et filios Dei adoptivos; sed in esse morali, sive in esse gratiae, quatenus videlicet per eam justus acceptatur ad gloriam, mediantibus bonis operibus, vel praesentibus, vel praeteritis, sed remanentibus in divina acceptatione; ita quod in reviviscencia, gratia dicitur augeri, non ut est qualitas supernaturalis, quo per additionem gratiae deperditae fiat major et intensior, quemadmodum omnis qualitas per additionem alterius ejusdem speciei fit intensior, sed dumtaxat quatenus habet rationem formalem gratiae, seu prout efficit hominem gratum Deo, qui ejus merita acceptat in ordine ad gloriam aeternam, sub titulo praemii et mercedis conferendam."⁵⁴

MONTEFORTINO: "Concedo per poenitentiam eadem merita redire in acceptatione divina, et proximum jus ad gloriam, quod ius per peccatum fuerat impeditum, et veluti suspensum ab executione sua; nego tamen, propterea esse admitendum necessario redire easdem virtutes theologicas, vel iam deperditis aequales; et rationem esse, quia proximum jus ad gloriam et ad tantam gloriam fundatur in operibus meritoriis, non in charitate; esto haec necessario requiratur, ut opus sit meritorium. Nisi enim aliquid opus eliciatur iuxta inclinationem habitus charitatis, nec a Deo acceptatur, nec est dignum vita aeterna. Hinc in Scriptura divina reprobantur praemium operibus meritoriis, et non habitibus virtutum, quamquam sine virtutibus theologis nequeat esse aliqua actio meritoria. . .

"[Si obicitur quod] in tantum potest habere illud praemium qui poeniterit, in quantum habet aequalem gratiam; *respondeo*, satis esse, ut gratia necessaria tali praemio attingendo *detur illi in statu separationis*, si nihil habeat solvendum poenarum temporalium, vel in statu beatitudinis; et ideo non oportere ex reviviscencia meritorum mortificatorum redire parem gratiam a qua excidit per peccatum, sed magis tantam, quantum exigunt ipsius poenitentis dispositiones; maxime *cum gratia in quovis gradu faciat redire proximum ius eorundem meritorum, quantumcumque, et qualiacumque sint*, eaque gratia valeat quisque meritorie operari, ad quem finem Deus eam elargitur viatoribus, stante statu viae, in patria vero. ut secundum iustitiam et exigentiam meritorum anima attingat praemium bonis operibus promissum et promeritum. Quod satis consonum iustitiae videtur, quia gratia prior, a qua per peccatum excidit, fuit tantum donum Dei; merita autem erant quodammodo opera hominis. Gratia enim sanctificans, quae

⁵⁴ De Poenitentia, a. 1, sect. 3, q. 4, Scotus Academicus, t. 10, Romae, 1902, p. 252-255.

constituit gloriae haereditem, seu prima, seu secunda sit, non habet ex ratione formae tribuere tale ius ad haereditatem, sed ex divina acceptatione, sive ex dono Dei; ideoque *gloria ut referitur ad gratiam sanctificantem datur per modum haereditatis; ut autem confertur operibus, tribuitur ut praemium*. Ius ergo, quod fundabatur in gratia, deperditur per peccatum; at ius fundatum in operibus manet in divina promissione nondum completa; istud ergo ius cum reviviscit per gratiam poenitentialem, *non reviviscit secundum quod fundabatur in amissa gratia, sed aliud acquiritur per aliam gratiam, et ideo haec minime est similis illi de necessitate, etsi esse possit*".⁵⁵

MINGES: "Ius in praemium per relapsum in peccatum non omnino tollitur. sed nonnisi suspenditur vel prohibetur quoad executionem, quamdiu homo manet inimicus Dei. . . In ipsa resurrectione seu nova conversione continetur novum meritum correspondens dispositioni novae iustificationi praeviae; quare *omnis resurgens a peccato mortali resurgit in meritis maioribus* quam illa fuerant, ex quibus cecidit, cum illa reviviscant et novum meritum resurrectionis accedat. . . Homo poenitens praemium suum totum correspondens prioribus meritis recipit, quidem etiam propter gratiam habitam, sed non propter gratiam prius habitam, sed tantummodo per eam, quam nunc habet. . .

"Actus boni merentur cum augmentum gratiae tum augmentum gloriae. Videntur nonnisi actus boni intensiores, non autem actus remissi, saltem non omnes et non statim, augmentum gratiae mereri. Gratia est enim realiter idem cum charitate, sed ubi in actu aliquo, puta remisso, non ostenditur multa charitas erga Deum, minus expedit, tali actui in praemium dari augmentum gratiae, quia cum augmento gratiae homo habilior et promptior fit ad actus alios bonos perfectioresque. Accedit, quod, sicut declaratum est, *non idem esse videtur, multa merita habere atque multam gratiam habere*; nam homo a peccatis resurgens non habet idem ius ad gratiam priorem, quod habet ad praemium pro meritis prioribus. Quare *nonnisi actus boni intensiores eiusmodi augmentum gratiae statim recipiunt* ad ulterius bene et merito agendum, actus remissiores autem nonnisi augmentum gloriae correspondens.⁵⁶ Cum hac doctrina convenire videtur S. Scriptura, quae passim docet, Deum retribuere secundum merita et observantiam legis, minus autem loquitur de habitu gratiae. Certe habitus iste necessarius est ad vitam aeternam, sed non obstante habitu vel gratia minore potest aliquis permulta merita et eo ipso praemium magnum coeleste habere, scilicet ille, qui post permulta merita iterum resurrexit, sed non in priore gradu gratiae. Ex altera parte bene suadendum est, ut homo quam plurimos actus bonos eliciat, licet remissos, quia non manent sine praemio aeterno. Haec doctrina non favet Pelagianismo nec Laxismo, nec diminuit ligamen harmonicum inter gratiam et naturam, nec acceptationem meritorum nostrorum a parte Dei mere arbitrariam prae se fert."⁵⁷

SECUNDA OPINIO similiter etiam inducit mitigationem principio de proportionanda reviviscentia mensurae actualis dispositionis, non proprie distinguens inter meritum et gratiam, sicut *praecedens opinio Scotistarum*, sed inter gratiam in esse physico (seu in esse qualitatis) et eandem *gratiam in esse morali* (seu in esse gratiae et acceptabilitatis).

Supponens nempe merita et gratiam pari passu procedere in suo influxu et iure ad gloriam, docet quod per poenitentiam reviviscunt

⁵⁵ Joannis Duns Scoti Summa Theologica (3 p., q. 89, a. 2), t. 6, Romae, 1903, p. 86 sq.

⁵⁶ Similiter S. Thomas, S. th. II. II. qu. 24, art. 6.

⁵⁷ Joannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica, t. 2, c. 10, § 3, Quaracchi, 1930, p. 503-506.

totaliter merita, seu, quod idem est, ipsa gratia in suo esse morali prout dicit jus acceptationis ad gloriam, ipsa vero physica qualitas gratiae nullatenus restituitur, sed tantum nova gratia infunditur, juxta mensuram praesentis dispositionis, qualis ceteroquin infunderetur etiam si nulla merita praecessissent, idque ob eandem rationem allatam a *secunda sententia* Bagnesii, quia scilicet eadem praesens dispositio nequit esse proportionata duplici gratiae. Attamen, ratione primi actus charitatis qui elicitur post separationem animae a corpore, homo acquireret, per quandam vim reviviscentiae seu virtute praecedentis juris, jam restituti in ipsa restitutione gratiae moraliter consideratae, tantam gratiam quae sit aequalis omnibus praecedentibus meritis mortificatis, quae tunc tandem perfecte, seu etiam physice, reviviscunt; cujus ratio est quia, ratione status termini qui non est amplius tempus proficiendi, ille actus charitatis non est amplius dispositio ad novum augmentum gratiae, et ideo potest tunc primo esse mera conditio reviviscentiae praeteritae gratiae, quod antea nunquam potuit, quantumvis intenderetur aut multiplicaretur.

Ratio hujus sententiae est quia ex una parte oportet admittere reviviscentiam meritorum et ex alia parte in principiis thomisticis nequit admitti immediata reviviscentia gratiae in esse physico, nihil vero prohibet ut admittatur immediata ejus reviviscentia in esse morali, et subinde post mortem, ob peculiarem rationem quam tunc assumit actus charitatis, ipsa reviviscentia in esse physico.

Patroni hujus sententiae sunt pauci thomistae bonae notae, uti *Alvarez* (De auxiliis, l. 7, disp. 66 et 70), *Montesinos*, *Nugnus* et praecipue *Salmanticenses* (Tract. de Merito, disp. 5, dub. unico, n. 9 sqq.), quos inter modernos sequitur *Zubizarreta* (De gratia, n. 348) eiusdem religionis professor.

SALMANTICENSES: "Quarta sententia ad hujus rei explicationem duo statuit. Primum est, quod per primum actum, per quem homo a peccato resurgit, consequitur homo totam gratiam, quae meritis mortificatis debebatur, non quidem in esse physico, seu in esse qualitatis, sed solum in esse morali, seu quantum ad jus acceptationis ad gloriam, quod aliqui vocant in esse gratiae. Secundum est, quod in esse physico, et in esse qualitatis solum assequitur homo per praedictum actum gratiam ejusdem intensionis cum ipso, atque adeo gratiam ipsimet actui secundum se debitam; nihil vero de illa, quae debita erat ratione meritorum praecedentium. Consequetur tamen totam hanc gratiam physice, et in esse rei una cum gloria essentiali ejusdem intensionis primo instanti suae glorificationis, ubi in virtute omnium meritorum praecedentium eliciet actum charitatis fervidissimum, tantaque intensionis, quanta fuerunt ipsa merita; *eritque talis actus dispositio physica ad praedictam gratiam sine eo, quod aliquam denuo acquirat, aut sibi debeatur; quia extra viam non est tempus proficiendi, neque novae gratiae acquirendae*. Ita *Alvarez* lib. 7, de auxiliis, disp. 66 et 70, *Montesin*. in praesenti,

disp. 36, § ult. *Nuno* 3 part. quaest. 89, art. 5, et alii. Et quia haec sententia veritatem continet, statuitur a nobis pro conclusione."⁵⁸

TERTIA OPINIO per aliam viam conatur mitigare rigorem praedicti principii thomisticij in favorem reviviscentiae meritorum et gratiae, introducens ingeniosam quamdam distinctionem non amplius ex parte effectus qui reviviscit, sicut duae praecedentes sententiae, sed ex parte ipsius dispositionis juxta cujus mensuram hic effectus reviviscit.

Distinguit nempe inter dispositionem proprie dictam et simplicem conditionem, docens eundem actum poenitentiae se habere ut dispositionem ad novam gratiam et simul ut conditionem ad proportionatam reviviscentiam amissae gratiae, ita ut utraque gratia simul conferatur et quidem juxta mensuram ejusdem dispositionis, gerentis duplex munus, et in eadem, proportionali saltem, aequalitate. Hoc modo aliquid de amissa gratia semper restituitur, et per repetitos actus bonos, tamquam per continuatam dispositionem, potest paulatim integre restitui. Sic, aiunt, media via procedendo, satisfit omnibus exigentiis et omnia bene consonant; nam ex una parte salvatur cum proprietate reviviscentia meriti et gratiae, et ex alia parte haec explicatur juxta rigorosum principium thomisticum de proportionanda omni gratiae collatione ipsi mensurae dispositionis.

Et si obiciendo tangatur punctum neuricum hujus sententiae, seu si quaeratur quomodo possit idem actus se habere ut dispositio ad duplicem formam seu gratiam, respondent id posse sub duplici vi et formalitate, seu proprie loquendo illum actum non esse dispositionem ad duas gratias, sed dispositionem ad unam et conditionem, seu removens prohibens, ad aliam. Et si instatur quod, si actus poenitentiae se haberet ut mera conditio ad reviviscentiam meriti et gratiae, jam nihil prohiberet quominus haec totaliter reviviscerent, ut vult prima sententia, quoniam conditio non influit secundum magis et minus sicut dispositio, respondent negando hoc ultimum assertum, "quia causa removens prohibens non unico et indivisibili modo semper illud removet, sed aliquando plus, aliquando minus; sicut aperiens ostium, potest plus vel minus aperire, et sic plura vel pauciora admittere; vel sicut ventus aliquando plus, aliquando minus removet nubes, et sic plus vel minus solis restituit. Quo exemplo utitur D. Thomas in 4, dist. 14, quaest. 2, art. 2."⁵⁹

Ratio hujus sententiae jam assignata est, scilicet necessitas simul salvandi ex una parte proprie dictam reviviscentiam meriti et gratiae,

⁵⁸ De Merito, Disp. 5, dub. un., § 2, n. 9, *Cursus Theol.*, t. 10, Parisiis, 1879, p. 783.

⁵⁹ Ita *Gonet*, Disp. 6, a. 2, § 4, n. 47, fere ad verbum transcribens Joannem a S. Thoma (*Disp. 36, a. 2, n. 9*) et transcriptus ipse ab *Hugon* (v. 3, a. 1948, p. 562).

quae non simpliciter salvatur in praecedentibus opinionibus secundae et tertiae sententiae, et ex alia parte veritatem principii commensurationis inter dispositionem et gratiam, quod offenditur in prima sententia.

Patroni hujus sententiae sunt major fortasse pars thomistarum posttridentinorum, et certe omnes thomistae praeter eos qui adhaerent secundae sententiae Bagnesii et praecedenti opinioni Salmanticensium (quorum tamen aliqui, ut Alvarez et Nugnus afferunt etiam hanc ipsam opinionem). Primus, qui huic explicationi viam aperuit, videtur fuisse *Franciscus de Victoria* (ut dictum est supra, p. 190 sq.). Eam subinde explicite statuerunt *Dominicus Soto* († 1560) et *Martinus Ledesma* († 1574), quos secuti sunt *Alvarez*, *Nugnus*, *Joannes a S. Thoma*, *Gonet*, *Billuart*, *Hugon*, *Garrigou-Lagrange*. Eamdem sententiam sustinuit *Gregorius de Valentia* († 1603) ex Societate Jesu.

Ceterum, etsi hi auctores conveniant genericè in admittendo immediate reviviscentiam saltem alicujus partis meritum secundum aliquam mensuram proportionatam actuali dispositioni, *non parum discrepant* in determinando tum id quod reviviscit, tum mensuram in qua reviviscit.

Et primo quoad effectum reviviscentiae, tres afferuntur explicationes: Quidam ut *Victoria* (probabiliter), *Soto* (probabiliter),⁶⁰ *Ledesma*, *Valentia*, docent praeter merita reviviscere ipsam *gratiam in esse physico* et hanc reviviscentiam jugiter continuari per varios actus bonos durante vita; an vero, si contingat per talem continuatam reviviscentiam de facto non reparari totam gratiam, haec compleatur in altera vita per primum actum charitatis, hi doctores explicite non dicunt; attamen *Victoria* videtur negare, *Soto* vero affirmare, nam ubi agunt de augmento charitatis per actus remissos prior negat augmentum non collatum in hac vita conferri in altera vita, alter vero (In 4 Sent., dist. 15, q. 2, a. 2) ut possibile affirmat. *Alii*, ut *Victoria* (probabiliter), *Soto* (probabiliter), *Gonet* et *Billuart*,⁶¹ docent reviviscere immediate, juxta mensuram praesentis dispositionis, tum merita tum *gratiam in esse morali*, non vero gratiam in esse physico, quae

⁶⁰ Quoad *Victoriam* et *Soto* dicimus probabiliter, quia ubi agunt de augmento gratiae et charitatis per actus remissos, admittunt per hos actus augeri immediate gratiam in esse gratiae (i.e. in esse morali) non vero gratiam in esse physico (quam videntur identificare cum charitate); unde, si consequenter loquantur, idem dicere deberent in hac quaestione de reviviscentia meritum, et consequenter sentire cum *Gonet* et *Billuart*; tamen ex ipsa littera *Soti*, In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2 (mox citand.), id non apparet, imo contrarium erui videtur.

⁶¹ Cf. ea quae *Gonet* et *Billuart* docent tum hic tum in tractatu De Charitate (ubi de augmento charitatis). Quoad *Hugon* non apparet cuinam explicationi determinate adhaereat.

tamen reviviscet post mortem per primum actum charitatis, non quidem totaliter sed in eadem mensura qua durante vita revixit gratia in esse morali, ita ut ob remissas vitae dispositiones contingeret aliquem gradum gloriae frustrari in aeternum. *Alii* tandem, ut *Joannes a S. Thoma*, proponunt sententiam mediam, veluti in unum conjungendo utramque hanc explicationem, imo et supradictam opinionem Salmanticensium (quae latius patet quam sententia Gonet). Docet nempe Joannes a S. Thoma gratiam reviviscere etiam in esse physico juxta mensuram dispositionis, gradus vero gratiae qui durante vita forte non revixerint ob defectum dispositionis remissae, reviviscere omnes in altera vita per primum actum charitatis, ita ut nihil de mortificatis meritis et amissa gratia frustrabitur in aeternum.

Secundo, quoad mensuram in qua merita vel gratia reviviscunt, tres attentantur diversae determinationes et regulae: *Quidam*, ut *Soto*, *Ledesma*, *Valentia* et *Billuart* ("Haec sententia satis arridet"), dicunt reviviscentiam fieri secundum proportionalitatem quantitatis seu intensiois actus poenitentiae ad quantitatem meritorum vel gratiae, ita ut si contritio sit summa quam poenitens potest elicere, reviviscentia etiam sit summa seu totalis; si vero contritio non sit summa, ipsa quoque reviviscentia sit partialis, ita ut deficiat in eadem proportione quo quantitas contritionis deficit a sua summa intensitate: sic, si contritio attingit tantum dimidiam partem illius intensiois quam posset habere in poenitente, restituitur media pars meritorum, si vero attingit tertiam partem intensiois restituitur tertia pars meritorum, et ita porro. *Alii*, ut *Nugnus*, dicunt tot gradus de praeteritis meritis et gratiae restitui quot sunt gradus contritionis, eadem nempe proportione qua ipsa nova gratia infunditur; ita qui habet contritionem ut duo, accipet quattuor gradus meriti et gratiae, duo de nova gratia et duo de praeterita, quidquid sit de maiori quantitate praeteritorum meritorum. *Tandem Gonet*, attendens etiam ad quantitatem seu numerum praeteritorum meritorum, proponit reviviscentiam proportionari simul gradui contritionis et numero meritorum; ita qui habuit decem merita intensa ut octo et elicit contritionem ut unum, recuperat unum tantum gradum de unoquoque merito, seu decem gradus meritorum, et ideo resurgit cum undecim gradibus, addito nempe uno qui aliunde debetur ratione novae gratiae acquisitae.

Primae duae computationes, quae solae commemorantur a Suaresio, communiter afferuntur; *Billuart* dicit secundam esse communiorem inter thomistas; tertia videtur esse peculiaris Gonet. Ceterum plures, ut *Joannes a S. Thoma*, *Hugon* et *Garrigou-Lagrange*, videntur velle prudenter abstinere a talibus computationibus, cum sapiant aliquid arbitrarium et peregrinum.

SOTO: "Verissimus . . . sensus opinionis S. Thomae qui inter extrema praedictarum opinionum medius est, in his propositionibus consistit. Prima. Ratione contritionis resurgens non solum confertur divinitus gratia illi aequalis, verum et novus gradus ratione meritorum mortificatorum, quae tunc vivificantur. Probat, quia non solum est dispositio ad novam gratiam, sed ad vivificationem aliorum.

"Quod si queras quantus gradus dabitur propter praecedentia: posset forsitan quis respondere quod tantus, quantus datur novus ratione contritionis. Itaque si contritio est ut unum, donatur unus gradus novus ratione ipsius, atque alter propter merita praecedentia. Sed huic responso non acquiescit animus: quoniam non solum habenda est ratio quantitatis, verum et multitudinis magnitudinisque meritorum, quae fuerunt mortificata. Nam resurgenti per contritionem, ut unum, liquida ratio exposcit, ut plus gratiae restituatur si a gratia ut decem ceciderat, quam si a quinque dumtaxat cecidisset. Qua enim ratione considerantur merita, debet multitudo et magnitudo considerari.

"Hanc igitur ob rem statuerim secundam propositionem. Ille qui summo conatu, quem per auxilium Dei habere potest resurgit, praeter gradum gratiae respondentem contritioni recuperat omnem gratiam, a qua ceciderat, sive magna fuerit sive parva. . . *Si contritio deficit ab illa summa, in ea proportione, qua ab illa distat, restituitur antiqua gratia*, ut si contritio est medietas summae, restituetur medietas gratiae, a qua homo cecidit: et si fuerit quarta pars, restituetur ei quarta pars gratiae pristinae: quoniam si per summam poenitentiam tota ruina reparatur, apparet, ut 6 et 7 Physi. docet Philosophus, quod illa sit proportio servanda inter minores causas et effectus. . .

"[Addo] per omnes succedentes dolores restitui gratiam, ut si homo a gratia ut decem cecidit, et per primam contritionem non recuperavit nisi gradus quatuor, per subsequentes dolores et gemitus potest totam gratiam recuperare. Quin vero non solum per illos actus poenitentiae, sed per quoscumque actus charitatis, ut per elemosynas et alia opera. Nam cum illi gemitus, et officia ex charitate germinentur atque adeo meritorii sunt apud Deum, non est cur, ut sunt merita novae gratiae, sint etiam recuperandae deperditae. Alioqui fieret consequens, ut qui per primam contritionem non resarsertit totam nequibit postea jacturam reficere; quod est absurdum. Et quod etiam alia opera ad id valeant, probatur: nam inter homines pluri amicus facit alia officia illius, qui eius amicitiam leserat, quam identidem veniam petere. Et a fortiori Deus post legitimum dolorem peccatorum, pluri aestimat charitatis officia in proximis, quam si poenitens semper in gemitu permaneret."⁶²

VALENTIA: "Statuimus . . . non semper recuperari gratiam aequalem secundum primam intensionem, sed aliquando aequalem, aliquando maiorem, aliquando minorem pro ratione dispositionis qua respicit peccator. Hoc asserimus ex sententia D. Thomae et aliorum theologorum, ubi supra, contra duas opiniones, benignas illas quidem, sed minime veras. . . Proportio dispositionis secundum quam plus vel minus de pristina gratia restituatur . . . attendi debet secundum latitudinem intensionis quae in dispositione sufficeret iudicio et decreto Dei ad recuperandam totam pristinam gratiam, considerata eius magnitudine; ita ut si praesens dispositio habeat totam eam intensionem, tota pristina gratia recuperetur, si autem mediam eius intensionis partem, media pars gratiae recuperetur, et sic de aliis proportionibus"⁶³

JOANNES A S. THOMA: "In hoc puncto probabilior resolutio secundum

⁶² In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, t. 1, Venetiis, 1575, p. 755 sq.

⁶³ In 3 p., disp. 7. q. 6, punct. 1.

mentem S. Thomae mihi videtur componenda ex his duabus ultimis solutionibus [i.e. Soto et Salmanticensium]. Dico ergo, quod poenitentia, seu contritio habet duplicem causalitatem, et rationem mensurandi, seu disponendi subiectum ad gratiam: unam respectu gratiae de novo dandae iuxta illam, et ad hanc comparatur tamquam dispositio propria et per se ad illam formam: aliam respectu gratiae antiquae restituendae et vivificandae, et respectu hujus se habet contritio, ut causa removens prohibens, quae tamen non semper removet totum impedimentum adaequatum, sed aliquando plus, aliquando minus. Licet enim impedimentum quoad ipsam substantiam gratiae sit peccatum, quod totaliter deletur et tollitur, tamen quantum ad augmentum et quantitatem gratiae, non solum peccatum est impedimentum, sed etiam defectus dispositionis, quia non est proportionata augmento gratiae, cum sit remissa: quare iuxta quantitatem dispositionis contritionis, in qua homo resurgit, datur augmentum gratiae praesentis, quod per se correspondet illi dispositioni de novo: et iterum datur tantum de gratia antiqua, quod correspondet illi contritioni, ut causa per accidens, sicut dictum est in secunda solutione [i.e. Soto]: si autem praeter istam gratiam restitutam adhuc remaneat alia, quae tali dispositioni remissae non potuit correspondere, redibit illa quantum ad praemium essentialia, quando habebit homo ferventorem dispositionem, saltem in exitu hujus vitae, sicut de actibus remissis docet ultima solutio. . .

"Solum possunt urgeri duo contra hanc solutionem. Primo, quia assumimus rem incertam; unde enim constat animam separatam semper prorumpere in actum ferventorem omnibus remissis, quos habuit in hac vita, verbi gratia, si exercuit mille actus meritorios remissos, aut alias exercuit centum: unde constat, quod anima separata unius eliciat actum intensum ut mille, et alia ut centum, nam totum hoc est divinare. *Secundum* est, quia potest contingere quod aliquis qui habuit plures actus remissos in hac vita, tamen quando moritur exeat ita purgatus, vel propter martyrium, vel propter alias expiationes, quod in ipso instanti separationis videat Deum: et tunc actus charitatis, quem elicit, erit ferventissimus, imo necessarius, et non liber; non tamen iste potest esse dispositio ad majus augmentum gratiae vel gloriae, quia iste actus procedit et regulatur per visionem beatificam: ergo illa visio procedit in toto suo augmento et statu, quem semper habitura est, quia est visio aeterna: et non potest crescere aut mutari: ergo actus charitatis ab illa visione procedens non potest esse dispositio et mensura, ut sibi detur tanta intensio in visione.

"Respondetur ad primum, non esse incertum id, quod assumimus, sed probabilissimis principiis et conjecturis fundari: nam ex una parte constat animam separatam, praesertim in gloria, multo perfectius et intensius operari, quam dum est in corpore retardante illam in suis actibus. . . Rursus Deus, qui illa merita acceptat, et tamquam vivificata habet, etiam debet dare omnia, quae ad talem meritorum praemiationem sunt necessaria: et sic cum sit valde consonum rationi, quod formae recipiantur iuxta dispositionem subjecti, utique dabit Deus illam dispositionem requisitam, ne merita defraudentur praemio. . . *Ad secundum* respondetur, non esse inconveniens, quod in diverso genere causae actus charitatis in patria sequatur ad visionem regulative, seu effective; praecedat vero visionem dispositive, quia iuxta illam mensurantur diversae visiones, seu mansiones beatitudinis. Sicut etiam in naturalibus ultima dispositio praecedit formam in genere causae dispositive, et subsequitur illam in genere causae effective, cum hoc totum sit in eadem duratione, et instanti reali. Est exemplum manifestum in anima Christi, quae in primo instanti suae conceptionis habuit visionem gloriae ut omnes theologi fatentur cum S. Thoma iii part. quaest. xxxiv, art. iii, et in eodem instanti recepit gratiam, et sanctificationem accidentalem per propriam dispositionem, quia non est sanctificatus Christus more parvulorum sine actu suo, sed perfecte tamquam adultus: ille ergo actus charitatis, quo dispositus est Christus ad illam gratiam et gloriam, processit a visionem beatificam tamquam a

regulante, vel supposuit illam visionem . . . et tamen ille actus charitatis per modum dispositionis antecessit gratiam ejus habitualement, et gloriam."⁶⁴

GONET: "*Dico primo*, Per poenitentiam non semper homo recuperat totam gratiam in esse qualitatis et habitus, quam habebat ante peccatum, sed gratia quae in justificatione ei infunditur, commensuratur praesenti dispositioni per quam resurgit. . .

"*Dico secundo*, Quando poenitens resurgit per actum contritionis vel charitatis ut quatuor, non recipit octo gradus gratiae in esse physico, nimirum quatuor de novo, juxta praesentem dispositionem, et quatuor de gratia antiqua, per praecedens peccatum amissa. . .

"*Dico tertio*, Merita mortificata sic reviviscunt per poenitentiam, ut ultra gratiam quam poenitens recipit, et gloriam ad quam habet jus ex vi praesentis contritionis, insuper recuperet statim aliquid de gratia deperdita, in esse gratiae considerata; necnon de jure ad gloriam essentialem correspondentem praecedenti-
bus meritis. . .

"*Dico quarto*, Quando merita mortificata, per actus remissos contritionis vel charitatis reviviscunt, non reviviscunt secundum omnem gradum meriti quem habuerunt ante peccatum, sed juxta quantitatem praesentis contritionis sive dispositionis per quam poenitens resurgit: verbi gratia si quis ante peccatum habuit decem opera meritoria intensa ut octo, et cadat in peccatum mortale, et postea resurgat contritione ut unum, quodlibet opus resurget ut unum, et manebit poenitens cum merito ut undecim. . .

"*Dico ultimo*, Pro meritis remissis, seu remisse vivificatis, non recipiet homo in hac vita augmentum gratiae in esse physico, ipsi debitum, sed in alia, nempe in instanti separationis animae a corpore, vel in primo instanti glorificationis."⁶⁵

BILLUART: "Hic . . . inquirimus tantum de reviviscencia gratiae sumptae moraliter pro jure ad gloriam; quia meritum dicit jus ad gloriam, ideoque meritum reviviscere est recuperare jus ad gloriam. Quomodo autem et quando resurgat et augeatur gratia in esse physico ad quam recuperatur jus per actus remissos poenitentiae, dicemus in tract. de Charitate, dum de ejus augmento *Dico 1*. Merita per peccatum mortificata non semper reviviscunt per poenitentiam in eodem gradu et eadem perfectione quam habebant antequam mortificarentur. sed secundum quantitatem et proportionem praesentis dispositionis. . . *Dico 2* Merita mortificata reviviscunt secundum quantitatem praesentis dispositionis, non hoc sensu quod eadem gloria essentialis conferatur poenitenti duplici titulo, scilicet titulo praesentis dispositionis, et titulo meritorum mortificatorum, sed hoc sensu quod ultra jus ad gloriam essentialem correspondentem praesenti dispositioni. conferatur aliquid de jure ad distinctam gloriam essentialem correspondentem praecedentibus meritis. . .

"Sententia . . . nostra his duabus conclusionibus explicata, in hoc est caeteris anteponenda, quod media via incedat inter nimium rigorem et nimiam indulgentiam. Nimius namque rigor videtur quod homo poenitens non resurgat nisi ad gloriam essentialem quae praecise respondet dispositioni praesenti, et nullatenus ad aliquam saltem partem illius quae debebatur meritis praecedentibus unde poenitentes animo cadunt, et in desperationem labuntur. Ex altera parte videtur nimia indulgentia, quod poenitentes semper resurgant ad majorem gratiam et gloriam: unde peccatores fiunt praesumptuosi, et negligunt bona opera. Uterque vero scopulus cavetur, et jura misericordiae et justitiae conciliantur, dicendo quod homo poenitens resurgat secundum quantitatem dispositionis praesentis ac aliquid gradum praemii essentialis, distinctum ab illo qui respondet praesenti dispositioni."⁶⁶

⁶⁴ De Poenitentia, disp. 36, a. 2, n. 8. 14. 15. 16, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1886 p. 700. 702 sq.

⁶⁵ De Poenitentia, disp. 6, a. 2, § 2, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 579-582.

⁶⁶ De Poenitentia, diss. 3, a. 5, § 2, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 286 sq.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Merita reviviscunt juxta mensuram actualis dispositionis subjecti. Unde reicienda est sententia Nominalium et Suaresii docentium pristinam perfectionem, seu merita et gratiam, immediate et totaliter restitui independenter a dispositione subjecti et ultra id quod pro hac dispositione homini confertur.

Probatur 1. *EX IPSA INDOLE JUSTIFICATIONIS*, quae involvitur in revisiscentia meritorum.

Meritorum revisiscentia fit per infusionem gratiae, quae dicitur restitui et in qua fundantur ipsa merita quae dicuntur reviviscere. Atqui infusio gratiae fit juxta mensuram actualis dispositionis subjecti. Ergo merita reviviscunt juxta mensuram hujus dispositionis.

Minor probatur ex Conc. Trid., ex natura rei et ex auctoritate S. Thomae.

Et *primo*, est doctrina catholica, saltem theologicè certa, primam gratiae infusionem seu primam, ut aiunt, justificationem, non conferri adultis nisi secundum mensuram dispositionis. Ait enim *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 7: "Iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam 'Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult' [1 Cor 12, 11], et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem" (Denz. 799). Jamvero quod valet de prima infusione gratiae, valet de omni infusione, seu etiam de augmento gratiae per actus meritorios et peculiariter de restitutione gratiae prius habitae, quantumvis per merita acquisitae. Utrobique enim par est ratio, quod attinet ad indolem actus quibus fit in se disponit ad gratiae infusionem; nam hi actus habent ex sua natura quod sint physica dispositio ad infusionem primae gratiae, nec ex hoc quod accipiunt rationem meriti respectu secundae gratiae amittunt quod eis convenit ex sua natura; unde si semel habent quod sint dispositio ad gratiam, ut de facto habent respectu primae gratiae, semper id habent, adeoque respectu cujuslibet infusionis gratiae.

Praeterea, infusio gratiae quae fit in revisiscentia meritorum, consistit de facto in prima justificatione; nam, quantumvis in justificatione peccatoris velit quis distinguere inter partem gratiae quae detur titulo conversionis et poenitentiae et partem gratiae quae detur cum priori ex mero titulo restitutionis seu ex vi praecedentium meritorum, de facto tamen haec etiam secunda pars gratiae datur primo, cum immediate ante non erat, adeoque vix et ipsa differt a prima justifica-

tione easdemque conditiones requirit, ut scilicet mensuretur juxta dispositionem subjecti.

Ceterum verba Concilii generaliter sonant de gratia quam quis accipit in prima justificatione, adeoque intelligenda sunt de quacumque parte istius gratiae, etiam de ea quae daretur praecise vi praecedentium meritorum ultra id quod correspondet vi actus poenitentiae; quam ceterum non dari dicitur in seq. Concl.

Secundo, nullam dari gratiae infusionem nisi juxta mensuram dispositionis physicae, nec in ipsa reviviscentia praeteritae gratiae sufficere mensuram dispositionis moralis seu ipsorum meritorum, sequitur ex ipsa natura rei; nam gratia non est aliqua extrinseca Dei benevolentia vel favor, sicut esset favor vel donum regis in subditum, sed quaedam physica forma, animae inhaerens. Quamvis autem Deus posset infundere physicam formam gratiae, nulla praesupposita dispositione aut sola morali dispositione meritorum, id tamen nequaquam esset connaturale et conveniens naturae rei, nec ceterum congrueret generali modo agendi supernaturalis providentiae quae per gratiam non destruit naturam sed perficit, non contradicens legibus naturalibus sed obtemperans eis; lex autem est in naturalibus ut nulla forma introducat nisi in subjectum dispositum et juxta modum dispositionis ejus.

Tertio, est clara et constans *S. Thomae* doctrina nunquam infundi gratiam nisi juxta subjecti dispositionem: 1–2, q. 52, a. 1 et 2; q. 66, a. 1; q. 114, a. 8, ad 3; 2–2, q. 24, a. 6; In 2 Sent., dist. 27, q. 1, a. 5; In 1 Sent., dist. 17, q. 2, a. 3, ubi ait: “Non eodem modo se habet actus informatus charitate ad augmentum charitatis, et actus praecedens charitatem ad habendam charitatem. Actus enim qui est ex charitate, ordinatur ad augmentum charitatis et *per modum dispositionis et per modum meriti*; sed actus praecedens charitatem ordinatur ad consequendum charitatem solum per modum dispositionis, ut supra dictum est, non per modum meriti: quia ante charitatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam vel augmentandam charitatem per modum alicujus efficientiae; sicut actus nostri ad habendum habitus acquisitos.”

Probatur 2. EX AUCTORITATE S. THOMAE.

S. Doctor non solum generaliter docet gratiam non infundi nisi juxta subjecti dispositionem, ut modo dictum est, sed etiam directe in hac ipsa quaestione de recuperatione pristinae perfectionis per poenitentiam, applicans generalem illam doctrinam, docet amissam gratiam non recuperari nisi secundum dispositionem subjecti (3 p., q. 89, a. 2);

ergo, juxta S. Thomam, merita non reviviscunt immediate et totaliter, saltem qua parte haec reviviscentia implicat restitutionem gratiae. Praeterea, idipsum docet etiam de ipsa reviviscentia meritorum, prout merita distinguuntur a gratia, eo quod eam mensuret juxta mensuram ipsius gratiae quae restituitur (3 p., q. 89, a. 5, ad 2). Ceterum, de mente S. Thomae fusius agetur in Concl. seq., ubi ostendetur eam simpliciter opponi sententiae Nominalium et Suaresii; nec quidquam in S. Doctore inveniri unde possint cum aliqua spe probabilitatis justificari haec verba *Pesch*: "Quaestio ex auctoritate S. Thomae nullo modo dirimi potest" (n. 336).

Confirmatur conclusio a quibusdam thomistis aliquibus convenientiae rationibus, a quibus tamen consultius abstinendum est, tum quia illis facile adversarii occurrunt, tum ut a nobis cum majori jure et efficacia repellantur similes rationes convenientiae quas adversarii e regione opponunt huic conclusioni.

Baguez eam rationem adducit quod sententia S. Thomae sit *tutior*, scribens: "Si opinio Scoti aut Nominalium, aut modernorum thomistarum vera fuerit, nihil mihi nocebit, sed potius proderit sententiam Divi Thomae tenuisse mente et opere. Ceterum si sententia Divi Thomae vera sit, sicut ego credo verissimam esse, multum detrimenti accipient qui plus nimio fidentes multitudini operum bonorum, negligentes fuerunt in fervore charitatis, quae est vinculum perfectionis" (In 2-2, q. 24, a. 6, Romae, 1586, p. 585).

Respondet autem Huarte: "Responso ad argumentum obvia est; nam aliud est hortari auditores ad id quod est perfectius in actione vitae, aliud vero inquirere fundamenta speculativa huius vel alterius sententiae. Et ut exemplis rem illustremus, si opinio quae sustinet sufficientiam attritionis formidolosae vera est, nihil nobis nocebit sed potius proderit tenuisse mente et opere contritionismum. Si autem vera est sententia contritionismi (saltem mitioris), multum detrimenti accipient qui negligentes fuerint in procurando aliquo saltem amore benevolo ad recipiendum sacramentum poenitentiae. Sed nemo exinde concludet probabilem esse contritionismum, vel rigidum, vel mitiorem".⁶⁷

Gonet has rationes adducit: "Plures . . . rationes seu congruentiae assignari possunt, cur potius acceptetur illa contritio ad gratiam et gloriam ut duo, quam ut octo. *Prima* est, ut in reviviscentia meritorum non sic splendeat divina misericordia, quin detur aliquis etiam locus splendori *divinae justitiae*, quae videtur exigere, ut non per qualemcumque poenitentiam, licet veram, peccator restituatur in pristinum gradum gratiae et gloriae, sed solum per eam quae ipsi proportionatur.

⁶⁷ De Poenitentia, Romae, 1930, p. 301.

Secunda, ne detur *ocasio tepiditatis et facilitatis* ad peccandum hominibus justis, videndo ita facilem esse per poenitentiam praecedentium meritorum reviviscentiam, quoad praemium essentialia. *Tertia*, ut justificati per hoc *inducantur ad eliciendum ferventiores actus* contritionis et charitatis, quibus opera mortificata magis reviviscant, quousque in integrum restituantur quoad omne meritum. Certe adversariorum opinio dum nimia sua benignitate peccatores poenitentes consolatur, multum videtur injicere tepiditatis et facilitatis ad peccandum justis, utpote qui non tanto peccatum formidabunt, si existiment postmodum qualicumque poenitentia, quantumvis remissa, omnes pristinae gratiae et gloriae gradus se statim recuperaturos.⁶⁸

Responderat jam Suarez: "Hoc argumentum magni faciunt auctores contrariae sententiae, ita ut Ledesma dicat consequens illud [i.e. peccatorem semper resurgere cum majori gratia et merito] esse novum, et alienum a doctrina Patrum, quos (inquit) si moderni legissent, nunquam sententiam illam docuissent. Ipse vero nullum Sanctorum Patrum adducit, qui huic sententiae repugnare videatur. Nos vero in superiori disputatione multa ex Patribus adduximus ad probandam hanc reviviscentiam meritorum, in quibus potius favent huic sententiae quam repugnent; nam simpliciter et sine limitatione significant restitui merita, in quo potius indicant reviviscentiam hanc esse integram, quam solum ex parte. Ad argumentum ergo concedo sequelam, efficaci enim argumento probatur; nego autem illud esse inconveniens aliquod. Nam, quod minima contritio integre reparat merita, potius est excellentia quaedam virtutis poenitentiae, et divinae gratiae, et misericordiae, et praecipue est commendatio meriti de condigno, quod tanti valoris est apud Deum, ut ad finale praemium obtinendum solum requirat conditionem illam decedendi in gratia. Quod vero plus praemii consequatur, caeteris paribus qui post priora merita peccat et surgit, quam qui omni actu vacat et otiosus est, verissimum est, et nihil absurdi continet; nam illa major utilitas non provenit per se ex peccato, sed ex contritione; peccatum autem potuit esse occasio crescendi in merito, quod frequentissime accidit. Quod autem alius careat tali augmento, non provenit ex eo quod non peccavit, sed ex eo quod nullum novum actum meritorium exercuit; quod tamen facere potuisset nullo interveniente peccato; imo, dum alius peccavit et surrexit, potuisset alter plures actus meritorios exercere, et per eos in essentiali praemio amplius crescere; si ergo id facere omittit, sibi imputet, quia meretur quod ab alio peccatore poenitentiam agente in essentiali praemio superetur."⁶⁹

⁶⁸ De Poenitentia, disp. 6, a. 2, § 4, n. 49, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 586.

⁶⁹ Opusc. 5 De meritis mortificatis et per Poenitentiam reparatis, disp. 2, sect. 2, n. 21, Opera omnia, t. 11, Parisiis, 1868, p. 489.

A. MICHEL sic apte resumit praecipuas lineas discrepantiae inter conceptionem thomisticam, ni dicatur traditionalis, et conceptionem nominalisticam quae post Suaresium facilem favorem obtinuit inter moderniores, in hac quaestione de reviviscencia meritorum:

"Préoccupés de justifier leur thèse sur la reviviscence des mérites, ces théologiens [thomistes] négligent de considérer ce que le Concile de Trente affirme de l'influence des dispositions subjectives sur le degré de la grâce infusée à l'âme, sess. vi, cap. vii: 'iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam . . . secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem'. Denz.-Bannw., n. 799. Ils ne veulent retenir que l'affirmation des canons 24 et 32; 'iustitiam acceptam . . . augeri . . . per bona opera, et hominem iustificatum . . . bonis operibus . . . vere mereri augmentum gratiae'. Id., n. 834, 842. Ils en déduisent que l'accroissement de grâce et de vertus s'opère pour ainsi dire mathématiquement par tout acte méritoire, même rémittent, c'est-à-dire d'une ferveur inférieure au degré précédent de charité. Et, dans le cas du pécheur pénitent, récupérant la grâce et les vertus perdues par le péché, ils n'ésitent pas à affirmer qu'en toute hypothèse ce pécheur ressuscite avec une grâce et des vertus supérieures. . . Nous avons ici l'application de la théorie générale de l'accroissement *par addition*: la conversion du pécheur étant un nouveau mérite, elle ajoute quelque chose au degré de grâce antérieure. . .

"Le P. Hugueny a bien souligné le côté faible de cette théorie, en apparence simple et facile. Premièrement, elle ne tient pas compte du caractère vital que doit présenter dans la vie surnaturelle de l'homme tout accroissement de grâce et de vertus: 'Le progrès vital, surtout en fait de vie d'esprit, n'est pas une addition, et son résultat final ne s'estime pas comme un total, mais d'après l'état auquel, finalement, il a conduit le vivant.' La *pénitence*, t. 1, p. 297; cf. A.-A. Goupil, *Les sacrements*, t. iii, p. 67. Deuxièmement cette théorie aboutirait, par son caractère quantitatif, à considérer 'que la multitude des actes médiocres pût suppléer à leur infériorité en perfection. En ce cas, une vieille centenaire, qui aurait mené la vie la plus banale, avec pas mal de péchés mortels au cours de cette vie, pourrait être élevée en gloire au dessus de Sainte Agnès trop tôt martyrisée pour arriver à un aussi beau total de petits mérites.' Hugueny, *op. cit.*, p. 296. . .

"Ce que différencie fondamentalement l'explication de saint Thomas et celle de Suarez, c'est donc ceci: dans la première, on pose comme condition de l'accroissement de grâce l'acte de charité plus intense; dans la seconde cette condition n'existe pas. Et c'est sur ce point précis que porte toute l'offensive des suarésiens. . . La véritable raison pour laquelle les théologiens modernes ont, en grand nombre, adopté l'opinion suarésienne, c'est celle que nous avons déjà fait pressentir. . . ; il semblent à ces théologiens impossible de trouver le fait de la reviviscence des mérites sans aller jusqu'à ce que leur paraît la conséquence logique de ce fait, la restitution totale de leur valeur au point de vue de la récompense."⁷⁰

DICES 1. Documenta Scripturae, Patrum et Ecclesiae, adducta in art. praec. ad probandam reviviscenciam meritorum, nullam apponunt limitationem aut conditionem huic reviviscenciae. Praeterea Conc. Trid. (sess. 6, cap. 16) nihil aliud exigit ad hoc ut opera bona consequantur vitam aeternam nisi ut fiant in statu gratiae et ut homo in statu gratiae decedat; contra mentem ergo Concilii quis adderet

⁷⁰ In Dict. Théol. Cath., art. Reviviscence (des mérites), col. 2632 sq.

aliam conditionem, seu mensuram dispositionis subjecti poenitentis. Pius XI (ibid. cit.) evidenter favet sententiae de totali reviviscentia meritorum, illis verbis "Eam quam peccando amiserant, meritorum donorumque copiam ex *integro* reparant ac recipiunt".

RESP. Praefata documenta exprimentur merum factum reviviscentiae, non vero ipsum ejus modum et gradum, ac proinde inepte in causam allegantur. Modus ipse aliunde colligendus est, et quidem, ut diximus in argumento, ex ipsa consideratione justificationis, quae intervenit in reviviscentia meritorum, quaeque ex generali mente tum Scripturae, tum Patrum, tum Ecclesiae, fit juxta subjecti dispositionem: 1 Reg. 7, 3: "Praeparate corda vestra Domino"; Augustinus, Serm. 169, 11, 13: "Qui fecit te sine te, non te justificat sine te"; Conc. Trid., sess. 6, cap. 7: "Justitiam . . . recipientes . . . secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem".

Conc. Trid. frustra invocatur; in sessione enim 6, cap. 16, mere suadetur ipsum factum reviviscentiae meritorum, et quidem nonnisi indirecte; unde non est contra mentem Concilii addere conditionem dispositionis subjecti quod attinet ad modum et gradum reviviscentiae, nec etiam id est praeter mentem Concilii, sed omnino juxta ejus mentem expressam in cap. 7 ejusdem sessionis, ut dictum est. Unde si res vel ex sola doctrina Concilii decidenda esset, potiori ratione Concilium affertur contra sententiam Nominalium. Verba quoque *Pii XI* frustra adducuntur; nam Papa loquitur non de quocumque actu poenitentiae, sed de pleniori illa poenitentia, qua quis, omnia Apostolicae Sedis salutaria jussa perficiendo, plenum Jubilaei effectum consequitur, seu et totalem praeteritorum meritorum recuperationem et totalem etiam remissionem poenae temporalis.

DICES 2. Actus poenitentis non est ullatenus causa meritorum reviviscentium, sed mera conditio removens prohibens, ut patet ex eo quod ex una parte ea merita fuerunt jam prius acquisita per opera bona tanquam per propriam causam, et ex alia parte peccatum, quod removetur per actum poenitentis, nequaquam extinxit ea merita sed est merum impedimentum prohibens eorum efficaciam, ut docet S. Thomas (3 p., q. 89, a. 5). Jamvero per actum poenitentiae impedimentum peccati totaliter removetur. Ergo merita reviviscunt totaliter, nec conceduntur tantum secundum mensuram dispositionis sicut quando primo per actus bonos acquiruntur. Et in hoc ceteroquin collimat tota ratio ex qua in art. praec. probatum est cum S. *Thoma* (ibid.) ipsum factum reviviscentiae meritorum.

Confirmatur a paritate cum effectu sacramenti qui non commen-

suratur actui attritionis, eo quod quaelibet attritio aufert perfecte impedimentum peccati quod obstat efficaciae sacramenti.

RESP. In hoc argumento quod est praecipuum ab adversariis allatum post Suarez (supra cit., in p. 172 sq.) fit confusio inter conditionem et dispositionem, vel illogicus transitus a negatione causae ad affirmationem conditionis. Inter proprie dictam enim causam et meram conditionem mediat proprie dicta dispositio; dicimus ergo actum poenitentiae se habere non ut meram conditionem sed ut proprie dictam dispositionem in revisiscentia meritorum.

Ad cuius rei intelligentiam attende diversum influxum quem bonus actus hominis (puta poenitentiae) habet in primam infusionem gratiae, in augmentum gratiae ex opere operantis per viam meriti, in collationem gratiae ex opere operato sacramenti, in revisiscentiam seu restitutionem amissae gratiae (tam extrasacramentalem quam sacramentalem).

In nullo quippe casu actus bonus se habet ut mera conditio, tantummodo removens peccatum. In casu enim primae infusionis gratiae, actus hominis se habet ut vera et proprie dicta dispositio, proportionans subjectum ad formam. In casu augmenti gratiae, ille actus se habet praeterea ut vera causa efficiens moralis, seu meritoria, juxta cuius influxum effectus mensuratur. In casu collationis gratiae per sacramentum, actus contritionis se habet quidem ut mera conditio, non tamen qua tantummodo removetur peccatum, sed etiam qua subjectum applicatur causae sacramentali (etsi non sit dispositio proportionans subjectum ad formam);⁷¹ et ideo secundum quod magis vel minus applicat subjectum illi causae, influit indirecte in mensuram effectus, et hoc sensu etiam in sacramentis gratia commensuratur dispositioni subjecti, quamvis non necessario secundum proportionem arithmeticam, sicut gratia extrasacramentalis commensuratur suae dispositioni (quatenus nempe quatuor gradibus gratiae debent correspondere quatuor gradus dispositionis), sed saltem proportionem geometricam (quatenus meliori dispositioni semper correspondet proportionatius amplior gratiae effectus per sacramentum collatus).

⁷¹ Ad rem *Joannes a S. Thoma*: "Respectu augmenti ex opere operato dispositio nostra, quae est ex opere operantis non se habet tanquam dispositio proportionans subjectum ad formam, sed applicans ad causam, quae supra dispositionem hominis potest producere augmentum, . . . Unde S. Thomas III p. quaest. LXIX, art. VIII dicit, quod baptismus non habet aequalem effectum in adultis, propter diversam dispositionem, qua se applicant causae gratiae; sicut ex eo aliquis magis calefit, quia magis accedit ad ignem, et quia ut dicit Tridentinum sessione VII, canone VI sacramenta habent suum effectum in non poenitentibus obicem, quare non requiritur dispositio positiva ad augendam gratiam, sed sufficit non ponere obicem: et dispositio qua aliquis accedit solum se habet ut applicans magis vel minus, non ut formaliter mensurans" (De charitate, disp. 9, a. 2, n. 22, *Cursus Theol.*, t. 7, Parisiis, 1886, p. 441).

In reviviscentia autem meritorum, seu restitutione pristinae gratiae, actus poenitentis non se habet ut mera conditio, sed ut vera dispositio, quia, ut dictum est in Prob. 1,¹ agitur de facto de infundenda gratia (cui ceteroquin et merita coequantur), et omnis infusio physicae formae gratiae praerequirit connaturalem dispositionem in subjecto eique proportionatur. Nec proinde refert quod agatur de mera restitutione gratiae jam prius acquisitae, nam hoc non tollit quominus agatur etiam de actuali infusione formae non existentis in subjecto. Nec etiam refert quod peccatum sit merum impedimentum prohibens efficaciam meritorum jugiter existentium, nam haec merita non existunt in ipso subjecto sed tantum in divina acceptione nec valent iterum influere nisi mediante gratiae infusione, quae sibi exigit congruam subjecti dispositionem, ita ut conditio removens peccatum necessario transeat in dispositionem ad gratiam qua peccatum ipsum removetur.

Unde S. Thomas, cujus auctoritas frustra invocatur, instituens comparisonem cum ipsa *causalitate sacramentorum*, quae in confirmationem adducitur, scribit: "Poenitentia quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, et etiam promovendi in ulteriorem statum; sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum et in detestationem peccati. Sicut etiam in baptismo aliqui adulti consequuntur majorem vel minorem gratiam, secundum quod diversimode se disponunt" (3 p., q. 89, a. 2, ad 2).

Ad haec addit Gonet: "Quamvis daretur quod poenitentia se haberet solum ut removens prohibens, non tamen propterea per quamcumque poenitentiam, et actus contritionis remissos, redirent omnia merita praecedentia, et omnis antiqua gratia restitueretur; quia causa removens prohibens, non unico et indivisibili modo semper illud removet, sed aliquando plus, aliquando minus; sicut aperiens ostium, potest plus vel minus aperire, et sic plura vel pauciora admittere; vel sicut ventus aliquando plus, aliquando minus removet nubes, et sic plus vel minus solis restituit. Quo exemplo utitur D. Thomas in 4. dist. 14. quaest. 2. art. 2. ubi inquit quod 'Sicut ventus auferens nubem, nobis solem restituit; ita poenitentia tanquam removens prohibens, gratiam gratum facientem et omnes virtutes nobis restituit.' Unde quando ibidem art. 3. docet, remota indispositione a peccatore per poenitentiam, opera praecedentia ex charitate facta vivificari, solum vult opera illa per poenitentiam, reviviscere; non tamen quantum ad omnem gradum meriti quem antea habebant, sed juxta mensuram et intentionem contritionis, per quam poenitens resurgit, et se ad meritorum reviviscentiam disponit."²

² De Poenitentia, disp. 6, a. 2, § 4, n. 47, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 585.

DICES 3 atque instes. Principium illud de commensuratione inter formam eiusque intensionem et dispositionem ejusque gradus, in quo tum haec responsio tum ipsa principalis probatio Conclusionis fundatur, nimis labile et incertum est ut debeat illi tota haec quaestio de meritorum reviviscentia alligari.

Primo enim, illud principium etiam in Philosophia, seu quoad formas naturales, incertum est, maxime quod attinet ad incrementum habituum per solos actus intensiores. "Satis [enim] est dubium in philosophia, an habitus etiam acquisiti possint intendi per actus remissos. Experimenta enim videtur probare non solum actibus intensis, sed ipsa mea actuum repetitione intendi habitum, et acquiri majorem facilitatem".⁷³

Secundo, certe illud principium invocari simpliciter nequit in Theologia, seu quoad formas supernaturales gratiae et virtutum infusarum, saltem quod attinet ad necessitatem *physicae dispositionis* et commensurationis gratiae cum ipsa. Nam "cum gratia sit quid supernaturale, nulla dispositio physica requiritur ad eam habendam: imo stricto sensu non potest dari dispositio physica ad gratiam; siquidem dispositionis nomine illud venire solet, quod formam *exigit* proxime vel remote. Cum autem gratia non pendeat ex exigentiis animae, nequit hic sermo esse de dispositionibus proprio sensu".⁷⁴ Praeterea, idipsum patet ex maxima disparitate quae adest inter virtutes naturales seu acquisitas et virtutes supernaturales seu infusas, quo quidem ruit totum fundamentum Thomistarum aequiparantium utriusque ordinis virtutes quoad earum augmentum. Nam, "*Primo*: Adversarii admittunt in baptismo infundi parvulis gratiam et virtutes infusas. Si autem eisdem parvulis conferatur sacramentum confirmationis, augebuntur gratia et virtutes in *esse habitus et qualitatis*, quandoquidem parvuli non sint capaces *meriti*. Unde sequitur virtutes infusas posse intendi sine actibus nostris; atqui de acquisitis id non valet. Ergo non est paritas inter virtutes acquisitas et infusas, quoad earum augmentum. *Secundo*: Quoad adultos, theologi communiter haec admittunt: 1) virtutes acquisitae, sicut producuntur efficienter ab actibus, sic per eosdem intenduntur efficienter: utrumque de infusis negandum est; 2) virtutes acquisitae non crescunt omnes simul, sed singulae per actus proprios uniuscuiusque virtutis: in infusis vero, qualibet earum crescente, simul crescunt aliae omnes; 3) virtus acquisita minui potest, non vero infusa; 4) virtus acquisita, per actus ipso habitu remissiores paulatim minuitur; virtus infusa, etiam per actus remissiores *debet* intendi, quamvis secundum te de facto non intendatur nisi in altera

⁷³ Lugo, Disp. 11, sect. 2, n. 37.

⁷⁴ Huarte, De poenitentia, n. 280, Romae, 1930, p. 295.

vita. Patet igitur nihil valere argumentum quod deducitur ex paritate quam ponunt inter virtutes infusas et acquisitas.”⁷⁵

Tertio, etiam quod attinet ad ipsas *morales dispositiones*, quae solae in adultis requiruntur, modus quo ipsae influunt non est ad amussim rimandus cum modo quo in naturalibus influunt physicae dispositiones, cum ipsae habeant propriam moralem et indeterminatam indolem, juxta quam tum earum gradus tum earum influxus pensandus est. “Dispositio [quippe] moralis . . . non semper est eadem; nam alia dispositio nunc in sacramentis sufficit, quam extra illa requiratur; et alia exigitur in eo qui mortaliter peccavit, alia vero in eo qui non sic peccavit. Igitur in hac dispositione non est necesse exacte observari illam regulam physicam, quod intensio habitus vel formae nunquam excedat intensionem actus vel dispositionis, quia in dispositione morali plus attendi debet moralis valor vel aliae morales condiciones actus, quam sola physica intensio. Unde verisimile est, si homo, contritus ut quatuor, justificetur per sacramentum, intensiorem gratiam recipere quam ut quatuor; nam, si absque sacramento justificaretur, forte reciperet gratiam ut quatuor aequalem suae contritioni; ergo cum sacramento majorem accipiet, illaque dispositio conjuncta sacramento, licet non sit physice intensior, censetur moraliter major et potentior, vel certe ipsum sacramentum ex virtute meritorum Christi est causa potentior ad inducendam majorem formam cum eadem dispositione; quia cum illa dispositio non requiratur ex physica necessitate formae, sed ex quadam moralitate, hanc facile supplet et superat valor ipse meritorum Christi. Sic ergo in praesenti, quamvis actus ipsi non sint physice intensiores, ob valorem meriti quem habent, suppleant, vel potius induunt rationem dispositionis moralis sufficientis, ut propter eam detur intensior habitus quam aliquis in via meruit, licet fiat habitus intensior quam fuerint actus meritorii; sine causa ergo postulatur ut omnino necessaria ad talem effectum alia dispositio per actum physice intensiorem.”⁷⁶

RESP. Primo, formas naturales exquirere dispositiones congruas, et incrementum formarum quae intenduntur, ut sunt habitus, non fieri nisi per actus intensiores, probant philosophi rationibus quas hic adducere non vacat, et satis clare ostendit S. Thomas quoad incrementum habituum, scribens: “Sicut contingit quod aliquis habens habitum non utitur illo, vel etiam agit actum contrarium; ita etiam potest contingere quod utitur habitu secundum actum non respon-

⁷⁵ *Huarte*, *ibid.*, n. 282, p. 298, in nota.

⁷⁶ *Suarez*, *Opusc. 5 De meritis mortificatis et per Poenitentiam reparatis*, disp. 2, sect. 3, n. 16, *Opera omnia*, t. 11, Parisiis, 1858, p. 496.

dentem proportionaliter intensioni habitus. Si igitur intensio actus proportionaliter aequetur intensioni habitus, vel etiam superexcedat, quilibet actus vel auget habitum, vel disponit ad augmentum ipsius, ut loquamur de augmento habituum ad similitudinem augmenti animalis. Non enim quodlibet alimentum assumptum actu auget animal, sicut nec quaelibet gutta cavat lapidem; sed multiplicato alimento tandem fit augmentum; ita etiam multiplicatis actibus crescit habitus. Si vero intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius" (1-2, q. 52, a. 3). Id ceteroquin communis sensus et experientia ostendit, quidquid sit de contraria experientia quam testatur Lugo; quis enim nesciat, remisso exercitio in aliqua praxi vel arte, paulatim minui habitum et promptitudinem, et quis non facile intelligat in his quae in motu consistunt, aut motu acquiruntur, non progredi esse idem ac regredi?

Secundo, etiam supernaturalis gratiae forma exigit physicam dispositionem, non confundendo tamen physicam cum naturali; talis autem est actus contritionis justificantis relate ad gratiam sanctificantem; talis etiam est omnis intensior actus procedens a gratia et virtutibus relate ad earum augmentum; tales sunt dispositiones de quibus loquitur Concilium Tridentinum in sess. 6 (cap. 6 et 7) et juxta quas prima justificatio confertur ("Iustitiam in nobis recipientes secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem"), non enim Concilium loquitur de morali dispositione, cum prima justificatio non cadat sub merito. Quod autem obiciens ait de infantibus justificatis et in gratia proficientibus absque ulla dispositione, nemo negat, cum dispositio in illis non sit possibilis et aliunde non repugnet Deo, agenti infinito et suam actionem attemperanti indoli subjecti, formam infundere sine ulla praevia dispositione. Quae tandem addit de discrimine inter virtutes acquisitas et infusas, sunt ad rem impertinentia, quoniam ex nullo adducto discrimine sequitur quod virtutes naturales et supernaturales non conveniant in necessariam connexionem inter dispositionem et productionem sive incrementum virtutis.

Tertio, ipsae etiam morales dispositiones, ut est meritum, sequuntur determinatas leges, proportionaliter ad physicas dispositiones, atque commensurari debent formae ejusque incremento, secus dispositiones non essent, sed merae conditiones, aut luditur verbis. Ceterum, ad hoc tandem perveniunt adversarii in praesenti quaestione, et hoc praecise volunt, ut actus poenitentiae non sit vera dispositio, sed mera conditio removens prohibens peccati. "Semper enim prae oculis est habendum, inquit *Huarte*, conversionem peccatoris se habere ad merita praee-

dentia per modum removens prohibens, non vero quasi dispositionem aliquam positivam.”⁷⁷ Unde ludere videtur Suarez cum, postquam dixerit contritionem relate ad praeterita merita se habere “tantum ut removens impedimentum peccati”, seu ut meram conditionem (Disp. 2, sect. 3, n. 18), subinde (in verbis nuper citatis) frustranee insudat in ostendendo quomodo ipsa non debeat necessario proportionari praeteritis meritis eo quod sit tantum dispositio moralis, habens suas morales et indeterminatas leges.

DICES 4 atque insistes. Gratia sacramentalis acquisita ex opere operato reviviscit, non secus ac gratia acquisita ex meritis, nam secus frustraretur finis sacramenti qui est adjuvare hominem in tota sua vita in ordine ad recte exercendum aliquod munus (quinque enim sacramenta sunt simpliciter vel secundum quid initerabilia). Jamvero, gratia sacramentalis totaliter reviviscit, ac ideo actus poenitentis se habet ut mera conditio ad ejus reviviscentiam, non vero ut dispositio juxta quam commensuretur. Ergo nihil obstat quominus idem dicatur etiam de gratia non sacramentali.

RESP. Huic argumento triplex datur doctorum responsio.

Quidam, ut Vasquez et Scotus, negant majorem, seu non admittunt gratiam sacramentalem reviviscere, eo quod non fuerit data ex meritis ac ideo nullus relinquatur titulus justitiae qui fundet ex parte Dei debitum reviviscentiae; idemque Scotus dicit de gratia gratis collata in prima justificatione. Attamen, haec responsio improbabilis est, ac fere communiter reicitur a theologis, tum ob rationem tactam ab obiciente tum ex eo quod cum doctores asserunt reviviscentiam meritorum, non vim faciunt in verbo “meriti” sed hoc accipiunt largius pro omni eo quod fundat aliquem titulum ad gloriam, sive sit titulus proprie dicti meriti seu mercedis, sive sit titulus seu jus hereditatis quod inest omni gratiae, nam eadem ratio est de utroque, quod attinet ad ejus permanentiam in divina acceptatione et consequentem exigentiam reviviscendi.

Alii, ut Bagnez, concedunt majorem et minorem, sed negant consequentiam, seu affirmant gratiam sacramentalem totaliter reviviscere et id negant de gratia non sacramentali, assignantes disparitatem in eo quod haec gratia et non illa fuerit acquisita juxta mensuram dispositionis vel meriti, adeoque haec debeat reviviscere juxta mensuram dispositionis, illa vero totaliter, seu dependenter ab actu poenitentis ut a mera conditione. Attamen, et haec responsio est reicienda, tum quia videtur improbabile pejoris esse conditionis in reviviscentia gratiam acquisitam ex meritis quam gratiam sine merito collatam, tum quia utraque

⁷⁷ De Poenitentia, Romae, 1930, p. 295.

gratia constituitur per peccatum in eadem conditione et dependentia ab actuali dispositione in reviviscentia; quamvis enim gratia sacramentalis fuerit primo acquisita per sacramentum, semel tamen amissa, nequit restitui nisi dependenter ab actuali dispositione et juxta ejus mensuram, et ceterum, ut dictum est supra, etiam gratia sacramentalis data est per sacramentum dependenter a dispositione subjecti, non tanquam a conditione mere removente peccatum, sed tanquam regulante efficaciam sacramenti.

Unde cum *aliis*, ut *Salmanticensibus* et *Gonet*, negamus minorem argumenti. Sive nempe gratia gratis concessa in prima justificatione, sive gratia aucta subinde ex merito, sive gratia sacramentalis, restituitur juxta mensuram actualis dispositionis, quidquid sit de modo, dispositione et gradu, quo unaquaeque fuerit antea collata vel acquisita.

DICES 5. Sententia quae negat merita totaliter et immediate reviviscere, et signanter opinio Bagnesii, pluribus scaturit *inconveniētibz*, quae videntur praecipue offendere rationes perfectae remissionis peccati, strictae justitiae divinae et amplissimae Dei misericordiae. *Primum inconveniens*, quod contra hanc sententiam obici potest est quod *ratio perfectae remissionis peccati* non intelligitur, si merita totaliter non reviviscant, nam sic adhuc subsistit aliquis effectus peccati, frustratio nempe praecedentium meritorum; imo sub hac ratione dici potest peccatum remissum adhuc *in aeternum puniri*. Praeterea, remissio peccati consistit in restitutione amicitiae, quae vix intelligitur absque totali restitutione praecedentium bonorum.

RESP. Ut dictum est in art. praec. (p. 154 sq.), rationes perfectae remissionis et amicitiae non necessario probant ipsum factum reviviscentiae meritorum, unde multo minus probant necessitatem totalis reviviscentiae. Remissio quippe peccati perfecte fit si privatio gratiae, in qua peccatum consistit, perfecte removetur; et similiter amicitia perfecte restituitur, si gratia sanctificans, in qua amicitia consistit, revera conferatur. An autem et cetera, quae occasione peccati homo incurrit, auferantur, et quo modo aut gradu, non ex ipsa peccati remissione directe deducendum est, sed aliunde, et praecise quoad reviviscentiam meritorum deducendum est ex copulata ratione permanentiae meritorum in acceptatione divina et vivificationis influxus ipsorum relate ad hominem juxta mensuram actualis dispositionis subjecti.

Quod autem ad satietatem asseritur ab adversariis de ratione aeternae poenae qua afficeretur remissum peccatum si merita totaliter non reviviscerent, ineptum est ac fundatur in noto sophismate "Post hoc,

ergo propter hoc". Ipsa enim meritorum mortificatio qua talis non fuit poena peccati, nec accidit *propter peccatum* tanquam causam meritoriam (nam, ut subtiliter ait *Billot*, "a peccato tanquam a causa meritoria dependet gratiae privatio ut sic, minime vero privatio talis vel talis gradus sive quantitatis gratiae", cum gradus accidat substantiae), sed contingit *post peccatum* seu occasione peccati, quatenus, remota gratia, omnes gradus et merita in ipsa fundata necessario ruunt. Unde quod post peccati remissionem quaedam merita adhuc maneant mortificata, non est poena peccati sed conditio naturae seu potius "defectus sequens ex alio defectu, scilicet sufficientis dispositionis" (*Billuart, Gonet*), ita ut "haec [meritorum] diminutio habeat erga peccatum rationem consequentis, non autem consequentiae, quod tamen ad rationem poenae requiretur" (*Boyer*).

Res legitime illustratur exemplo tum non recuperatae virginitatis et innocentiae post justificationem, tum permanentiae poenae temporalis quae, ut diximus in art. 53 (tom. 3, p. 205 sq.), post remissum peccatum non est amplius reatus poenae simpliciter dictae. Unde inepte subsumit *Galtier*: "Nego paritatem. Nam, non restitutio innocentiae aut virginitatis non est denegatio alicujus boni positivi, qualis esset denegatio certi praemii, sed mera absentia status praeteriti, qui finem habuit per factum praeteritum, quod nec ipse Deus potest facere infectum."⁷⁸ Etenim, haec disparitas est materialis et imperitinis; stat enim paritas in hoc quod aliquid inductum occasione peccati remaneat, nec tamen sit poena peccati, et quod haec permanentia debeatur connaturali conditioni subjecti, seu defectui integritatis corporis vel mentis et defectui dispositionis, quamvis aliunde hic defectus possit removeri, ille non possit.

DICES 6. Secundum inconveniens hujus sententiae est, quod non servat perfectam rationem *justitiae divinae*. Justitia enim exigit ut omnia jura, dum manent, suum consequantur effectum et ut majoribus meritis majus retribuatur praemium. Jamvero si merita totaliter non reviviscerent, quaedam suo effectu frustrarentur, cum tamen secundum se jugiter subsistant in divina acceptatione nec unquam extinguantur; item, si merita reviviscerent juxta mensuram dispositionis subjecti, haec inter alia sequerentur, parum conformia divinae aequitati et satis absona communi sensui fidelium: "Sacerdos v. gr. aut religiosus, qui in longa vita sua non agit forte unquam cum majore fervore charitatis ac die suae ordinationis aut professionis, quamvis multa bona opera faceret, non auget tamen praemium suum, sed totum semel pro semper in hac ipsa die sibi acquisivisset. Hinc forte intelli-

⁷⁸ De Paenitentia, Parisiis, 1931, p. 435.

gitur durum hac de sententia iudicium Martini de Ledesma O.P.: 'Qui hoc praedicaret populo, pessime faceret, et merito esset a praesidentibus Ecclesiae magna poena mulctandus' " (Ita *Galtier*⁷⁰). Item: "Si esset homo per totam fere vitam Deo serviens in magnis operibus, et postea commisit unum leve mortale, a quo statim per poenitentiam non multum intensam surrexit et mortuus est; esset autem alter, qui toto tempore gravissimis offendit Deum peccatis, et postea intensiore surgens poenitentia mortuus est, tunc iste maius praemium apud Deum consequeretur. At hoc concedere durissimum est et contra Dei misericordiam videtur; nec erat affirmandum, nisi fides aut ratio convinceret, quorum neutrum est. Manet ergo firma conclusio et tenenda" (Ita *Toletus*, In 3 p., q. 89, a. 5, concl. 2, arg. 7; idemque repetunt *Suarez*, Disp. 2, sect. 1, n. 14 sq., *Pesch*, *Huarte*, aliique).

RESP. Merita mortificata etsi remaneant in divina acceptatione, non tamen prosunt subjecto in statu peccati; unde ex hoc solo quod merita remaneant, male arguitur ad eorum necessariam retributionem, et de facto, si quis moritur in peccato, ejus merita in aeternum frustrabuntur. Unde necessitas justae retributionis ejusque gradus non est colligenda et mensuranda ex ipsa permanentia meritum secundum se, sed ex eorum existentia seu reviviscentia in subjecto; adeoque fallitur praedicta ratio vel petit principium: respondetur enim omnia jura debere consequi suum effectum, si manent applicata subjecto et juxta mensuram qua ei applicantur, concedo; secus, seu prout manent secundum se et in sola acceptatione divina, nego. Applicantur autem subjecto juxta mensuram dispositionis in qua resurgit.

Ad invocata vero consecraria, quae adversarii ex factis raro aut vix contingentibus colligunt, omisso quod similia inconvenientia contra ipsorum sententiam obici possunt (ut quod v.g. ex ea sequeretur hominem lapsum in peccatum post statum eximiae sanctitatis, ac per triginta annos perseverantem in statu peccati, in impudicitia, scandalis, infidelitate, Ecclesiae persecutione etc., si tandem cum valde remissa dispositione in fine vitae ad gratiam reviviscit, fieri repente iterum sanctissimum), concedendum est omnem disparitatem acquisitae aut restitutae gratiae contingere ac refundi in disparitatem dispositionis apud poenitentes. Ceterum melior est conditio ejus in quo praecesserint plura merita, tum quia potest ad eorum perfectam recuperationem se disponere, quod alius non potest, tum quia de facto semper aliquid de praeteritis meritis in eo reviviscit, juxta mensuram dispositionis. Quod quidem alii aliter explicant, juxta supradictas opiniones thomistarum; in sententia autem Salmanticensium et Joannis a S. Thoma,

⁷⁰ Ibid., p. 437.

juxta quam, omnia merita et gratia restituuntur saltem post mortem, nullum fere inconueniens ex adductis exemplis deducitur, in sententia vero Bagnesii et Billot, sequitur quidem gloriam in esse physico non augeri, ratione ipsius reuiscientiae, sed non sequitur eam simpliciter non augeri, augetur enim semper in esse morali, eo quod detur duplici aut multiplici titulo, quod quidem non parua perfectio est. Et haec sufficiant pro nunc ad repellendam objectionem aduersariorum ex communibus thomistarum dictis; nam, ut constabit ex dicendis in seq. Concl., nec verum est suppositum quod aduersarii assumunt, nempe vi ipsius reuiscientiae plus deberi ei in quo praecesserint merita, etsi resurgat cum aequali dispositione; hoc enim suppositum procedit ex imperfecta conceptione vitae et valoris supernaturalis.

DICES 7. Tertium inconueniens talis sententiae est, quod non satis congruit aestimationi quam fideles habent de magnitudine *misericaediae divinae*.

Ad rem *Huarte*: "Iuvat . . . advertere . . . , veritatem nostrae sententiae *ipso sensu christiano* non immerito commendari. Si enim fidelibus dicas doctrinam de reuiscientia meritorum esse certam omnino, si statim iterum adiungas eam explicationem quam proposuit Bañez, facile omnes existimabunt in tota hac re sibi illudi. Contra vero, ex simplici expositione doctrinae sine ullo addito diuersarum sententiarum, difficile inuenies aliquem cui in mentem non veniat reuiscientia meritorum sensu pleno. Unde etiam *consolationem non parua* experietur peccator ad Deum conversus, cum audiat anteriora merita sibi non fuisse inutilia. Haec autem consolatio maior quae ex nostra sententia sequitur, non est ratio cur eam eligendam ducamus, sed est potius naturale quoddam consecretarium ipsius. Praeterquamquod nihil impediret quin etiam ex hoc capite argumentum aliquod duceremus. Agitur enim de tali sententia in quam solam et testimonia Sacrae Scripturae obvio sensu intellecta videntur apte congruere, et Patrum communis doctrina consentit, et iudicium naturale suffragatur. Si ergo his omnibus praeterea addas, consolationem aliquam et erectionem animi ex ea sequi, nova habebitur *confirmatio ejusdem sententiae*, per quam videlicet suaviorem esse intelligamus providentiae ordinem, ac Deo gratias ex corde agamus, quod nobis tam bonus sit."⁸⁰

RESP. Argumentum hoc "*consolatorium*" non parum certe allicit et te et me peccatores, nec paruum colliget suffragium apud indoctam devotamque plebem, quemadmodum non parum multos attraheret negatio existentiae peccati originalis, reprobationis, inferni et purgatorii, si haec opinabilia essent. Jamvero "Suarezii sententia commendat

⁸⁰ De Poenitentia, Romae, 1930, p. 302.

misericordiam Dei; sed num secundum veritatem?"⁸¹ "Cavendum est ne in hac re nimium tribuamus argumento *consolatorio*, in alteram partem propendentes solum quia maioris consolationis esse videtur. Quippe vera consolatio illa est, quae non phantasiae placitis innititur, sed veritati de qua scriptum est: 'Et veritas Domini manet in aeternum'.⁸² Veritas enim nonnunquam dura est, et maxime in mysteriis gratiae et providentiae divinae, in qua suprema justitia et infinita misericordia ultra omnem humanae mentis captum mirabiliter in unum copulantur.

Hoc certe dici potest, sententiam thomisticam, et *quidem in strictiori forma ipsius Bagnesii*, plenius ac pressius ponderare *omnia elementa praesentis problematis*, tam ex parte Dei quam ex parte hominis, et ex parte quidem Dei tam secundum attributum justitiae quam secundum attributum misericordiae, ex parte autem hominis tam quoad efficaciam praeteritorum meritorum quam quoad vim praesentis dispositionis, ita ut haec omnia elementa coadunentur in harmonicum quoddam causarum ac jurium aequilibrium, quod esse solet nota thomisticae veritatis. Ad rem *Deman*: "Il est vrai que [l'opinion de Bañez] . . . est plus exigeante que l'opinion contraire [même des autres thomistes]. Mais elle est aussi plus conforme aux lois du développement vital de la charité. Sa supériorité est de ne vouloir à aucun prix considérer le mérite comme ayant une efficacité indépendante de la disposition physique. . . Ne séparant point ce qui est en effet uni, elle n'en est pas réduite à rechercher ou plutôt à deviner une issue de fortune au débat [comme les opinions des autres thomistes]. Elle tient compte concurremment de tous les éléments du problème."⁸³

Alterum certum est, hanc nempe sententiam esse "*in praxi tutiorem*."⁸⁴ Ad rem *A. Michel*: "Au point de vue de la vie spirituelle, l'opinion de Saint Thomas, plus sévère, semble plus sûre, la seule sûre. . . Pratiquement, il semble que s'en tenir à l'opinion plus sévère de Saint Thomas et des anciens théologiens, c'est la seule manière de n'avoir pas de surprise dans l'au-delà. Au moment où elle bénit pour la dernière fois le cadavre de ses enfants, l'Eglise prie le Dieu de miséricorde 'de ne point entrer avec son serviteur en des comptes trop rigoureux'. 'Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine'. Voilà qui nous met assez loin de la comptabilité par doit et avoir qui se trahit en trop d'auteurs modernes."⁸⁵ Unde, concludit *Billot*, "respiendo

⁸¹ *D'Alès*, De Poenitentia, thes. 12, Parisiis, 1926, p. 166.

⁸² *Billot*, De Ecclesiae sacramentis, t. 2, Romae, 1930, p. 115 sq.

⁸³ In Dictionnaire de Spiritualité, art. Croissance des vertus, col. 153.

⁸⁴ *Hervé*, Theol. Dogm., v. 4, n. 326.

⁸⁵ In Dict. Théol. Cath., art. Reviviscence des mérites, col. 2634 et 2643.

nunc ad praxim, optimum consilium erit ordinare vitam spiritualem conformiter ad principia tertiae hujus sententiae, quae procul dubio tutior est, ut observat Bannez, supposito quod omnes sustineri possent. 'Etenim, inquit, si opinio Scoti et Nominalium vera fuerit, nihil mihi nocebit, sed potius proderit sententiam S. Thomae tenuisse mente et opere. Caeterum, si sententia S. Thomae vera est, multum detrimentum accipient, qui plus nimio fidentes multitudini bonorum operum, negligentes fuerint in fervore charitatis quae est vinculum perfectionis'. Et in summa, timendum est ne divitiae spirituales quae in aliis sententiis tanta liberalitate congeruntur, in die tandem retributionis evanescant, suamque applicationem aliquantulum habeat illud quod dicitur in Psalmo: 'Dormierunt somnum suum et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis'.⁷⁸⁶

Conclusio 2. Probabilius juxta sententiam Bagnesii et Billot, merita ita vere reviviscunt ut nihil physice addatur ei quod aliunde debetur poenitenti ratione praesentis dispositionis. Unde videtur recianda, praeter opinionem Scotistarum, etiam sententia plurium recentiorum thomistarum.

Probatur 1. EX AUCTORITATE S. THOMAE.

Huic loco explicationem mentis S. Doctoris reservavimus, ut ex ea simul confirmarem thomisticam genuinitatem hujus sententiae, quam probabiliorum reputamus, etsi auctoritas tam fidelium interpretum S. Thomae quos in adversa opinione recognoscimus, nominatim Joannis a S. Thoma et Salmanticensium, nos ita aliquantulum retrahat, ut minorem probabilitatem illius opinionis respuere non audeamus.

Porro littera S. Doctoris in hac quaestione mirabilis admodum apparet; nam ex una parte videtur prima fronte clarissima, et ex alia parte ansam praebet diversis interpretationibus, quibus fere omnes patroni diversarum opinionum conantur eam ad proprium sensum reducere. Generatim patroni sententiae Bagnesii dicunt doctrinam S. Thomae esse claram, patroni vero sententiae Suaresii eam esse obscuram, patroni tandem sententiae mediae, praecipue thomistae, textum Magistri conantur ope parallelorum locorum torquere et emollire donec sensum quem quaerunt elicere videatur.

En quaedam judicia:

Patroni sententiae Bagnesii dicunt vel supponunt sententiam S. Thomae esse claram, in proprio eorum sensu.

Bagnez ait in hac quaestione apparere "quantum distent moderniores thomistae a sententia S. Thomae". *Contenson* dicit sententiam Bag-

⁷⁸⁶ De Gratia Christi, Romae, 1928, p. 258 sq.

nesii et suam esse “ipsissimam S. Thomae mentem” aliosque S. Doctoris discipulos appellat “molliores thomistas”. *Billot* in toto suo discursu supponit doctrinam S. Thomae esse manifestam, maxime quod attinet ad exclusionem sententiae Suaresii (“Alia omnino est conceptio S. Thomae”). Similiter *D’Alès* nullam supponit esse difficultatem in interpretatione S. Thomae eamque simpliciter interpretatur in sensu *Billot*, et pro clara habet prout saltem opponitur duplici conceptioni Scoti et Suaresii. *Boyer* explicitè asserit: “Nec D. Doctor quidquam dicit quod ad aliam sententiam adduci posse videatur”, “Opinio quae genuinam Angelici doctrinam referre videtur”, “Est denique opinio quam recentius docuerunt *Billot* et *Lépicier* . . . ut genuinam opinionem S. Thomae”. *Delman*: L’opinion de Bagniez “est seule conforme à la doctrine thomiste traditionnelle, d’où s’était écarté *Victoria* et après lui l’école de *Salamanque*”, “La thèse que nous croyons moins fidèlement thomiste . . . [loquitur de sententia Joannis a S. Thoma et aliorum recentiorum thomistarum]”, “Cette opinion [de Bagniez] bien équilibrée nous paraît seule traduire l’authentique enseignement de saint Thomas”. *Michel*: “Saint Thomas présente une explication complète, dont les contours, quoi qu’on en ait dit, sont fermement dessinés”, “Nous sommes en présence de deux conceptions théologiques de l’œuvre méritoire: celle de Saint Thomas . . . ; celle de *Suarez*”. *Pègues*: “L’*ad tertium* [3 p., q. 89, a. 5, ad 3] . . . est particulièrement délicat: non pas selon qu’il se présente dans la teneur de son texte, mais en raison du sens qu’il exprime et qu’il est loin d’être agréé de tous, même par les plus fidèles disciples de saint Thomas . . . Il en est . . . qui ne pouvant se résoudre à admettre qu’une partie de la récompense essentielle pût être perdue, ont torturé le présent texte pour lui faire dire ce qu’il ne dit pas. Et ils ont proposé les systèmes ou les combinaisons les plus fantaisistes [alludit ad mediam sententiam recentiorum thomistarum] . . . Mais, très certainement, ce n’est pas ce que le Saint Docteur a entendu dire et enseigne dans le présent *ad tertium*. Ce qu’il a voulu dire et enseigner, la lettre même de son texte nous l’a dit trop clairement pour qu’il soit besoin d’y insister.”

Patroni sententiae Suaresii generatim dicunt mentem S. Thomae esse *difficilem, incertam et obscuram*; S. Doctorem nondum rem penitus explorasse; concedi posse ipsum favere sententiae Bagnesii, sed quidquid ipse sentiat, in re ab ipso minime explorata et jam post Conc. Trid. satis clare apud theologos firmata, non esse inconveniens ab ejus sententia recedere. *Vasquez* (Com. in 3 p., q. 89, a. 5) clare fateri videtur S. Thomam sibi esse contrarium. *Suarez*: “Est . . . hac in parte sententia S. Thomae mihi difficilis et obscura” (Opusc. 5, disp.

2, sect. 3, n. 19). "Fateor . . . me non satis intelligere quid D. Thomas in hac solutione [3 p., q. 89, a. 5, ad 3] sibi voluerit. Et libentius dicerem non satis accurate hic respondisse, quam propter unum verbum, quod excidere solet in solutione unius argumenti, sententiam aliquam improbabilem, et aliis principiis ejus repugnantem, illi imponere" (Comm. In 3 p., q. 89, a. 5). *Lugo*: "Verisimile est, S. Thomam locutum fuisse juxta alia principia sua, quibus docuerat per actus remissos non augeri habitum charitatis, vel saltem non dari statim illud augmentum . . . : sed cum communis jam sententia propter auctoritatem Concilii Tridentini oppositum doceat, non mirum quod in iis etiam, quae ex illo principio sequuntur difficultis appareat S. Thomae doctrina" (Disp. 11, sect. 2, n. 38). *Otten*: "Hoc . . . loco [i.e. 3 p., q. 89, a. 5] perfectam meritorum reviviscentiam docere videtur, et hoc sensu theologi ejus doctrinam communiter fere interpretantur. Manet tamen quaedam obscuritas propter textus superius allegatos [i.e. *ibid.*, a. 2 et a. 5, ad 3], et ideo quaestio de mente S. Thomae hac in re absolute dirimi nequit" (n. 70). *Pesch*: "Quaestio ex auctoritate S. Thomae nullo modo dirimi potest. Immo facilius in sententiis prima et secunda [i.e. docentium reviviscentiam solius praemii accidentaliter, et Bagnesii], quae re non differunt, videntur omnia dicta S. Thomae aliquo modo conciliari posse" (n. 336). *Galtier*: "S. Thomas videtur revera stare potius pro 1^a sententia [Bagnesii]; quicumque proinde etiam thomistarum, 2^{ae} vel 3^{ae} sententiae adhaeserunt [Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Soto, Gonet], illum in hac quaestione deseruisse dici debent. Attamen fatendum est eum, in loco ubi ex professo notionem dat reviviscentiae meritorum nitidissime proposuisse principium quod 3^a sententia [Suarezii] sola vere servat" (n. 574). *Huarte*: "Ad S. Thomae auctoritatem, nihil est ulterius respondendum post ea quae iam saepius dicta sunt. Legatur *Card. Mazzella*, qui in tract. *De virt. infusis*, n. 163: 'Haec paulo accuratius, inquit, notavimus, ut mirum non sit nos posterioribus Concilii Tridentini decretis strictius adhaerentes, ab Angelici Praeceptoris sententia divertere in re nondum apud ipsum penitus explorata'."⁸⁷

Patroni sententiae mediae, inter thomistas, majorem anxietatem ostendunt, cum ipsis non relinquatur facile effugium recedendi a sententia S. Thomae.

Solus enim *Soto*, ut videtur, maximam affectat confidentiam, cum ait sensum Bagnesii esse "menti S. Thomae adversissimum" et "nunquam id S. Thomam somniasse" (cf. supra p. 181). *Joannes a S. Thoma* agnoscit difficultatem, cum inquit: "Punctum . . . difficultatis reducitur

⁸⁷ De Poenitentia, Romae, 1930, p. 302.

ad illud tertium argumentum, quod ponit S. Thomas art. V, quaest. LXXXIX. . . Propter hanc difficultatem multi recedunt a sententia S. Thomae: alii in ea explicanda laborant” (Disp. 36, q. 2, n. 2 sq.); “Ideo interpretes S. Thomae divisi sunt ad hoc explicandum” (ibid., n. 6; majorem adhuc molestiam fatetur in tract. de charitate, disp., 9, a. 4, n. 13–16, in explicanda mente S. Thomae de augmento charitatis per actus remissos). *Salmanticenses*: “Nonnihil difficultatis continent duo illa D. Thom. testimonia [3 p., q. 89, a. 5, ad 3; In Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3, ad 4] . . . et ideo oportet ut illa explicemus” (De merito, disp. 5, dub. un., n. 15).

Ex his discrepantibus judiciis, inter ipsos etiam fideles S. Thomae interpretes, saltem conicitur ejus verba non esse tam immediate clara, ut quidam confidunt, nec esse tam obscura, ut alii opponunt. Difficultas ceteroquin non tam in ipsis verbis nude sumptis invenitur, quam in interpretanda mente S. Thomae in generali quadro ejus doctrinae de merito et augmento gratiae per viam meriti. Restat igitur ut praecipuos locos breviter examinemus ut sine praejudicio dicatur quid directe in eis continetur et quid ulterius, ex collatione aliorum locorum, indirecte argui potest quod illud compleat aut ei saltem non adversetur.

Porro, examinando *q. 89 tertiae partis*, in qua, directe et in plena maturitate sui iudicii, S. Doctor, ad terminum fere suae vitae, praesentem quaestionem de virtutum restitutione et de meritorum reviviscentia examinat,⁸⁸ haec plane inveniuntur:

In a. 2 S. Doctor loquitur de restitutione gratiae et virtutum et quaerit an homo per poenitentiam resurgat in aequali virtute; respondet autem hominem non necessario resurgere in aequali virtute, sed quandoque in majori, quandoque in aequali, quandoque in minori virtute, quam ea quam ante lapsum habebat, idque quia infusio gratiae fit juxta gradum dispositionis subjecti. Ad rem ipse: “Manifestum est . . . quod formae quae possunt recipere magis et minus, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subiecti, ut in Secunda Parte habitum est. Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in poenitentia est intensior vel remissior, secundum hoc poenitens consequitur maiorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus poenitentis quandoque proportionatam esse maiori gratiae quam illa a qua ceciderat per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque vero minori. Et ideo poenitens quandoque resurgit in maiori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in aequali,

⁸⁸ Eam examinaverat etiam in Comm. super Sententias, I. 3, dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3; I. 4, dist. 14, q. 2, a. 3, q. 3; dist. 22, q. 1, a. 1, ad 6; sed ibi nihil peculiare habetur, quod non referatur iterum in praesenti q. 89 Summae Theol.

quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, quae ex gratia consequuntur” (in corp.).

Hic textus manifeste *excludit sententiam Suaresii*, qua parte dicit peccatorem semper resurgere in majori gratia (abstrahendo a gradu quo ipsa merita, prout distinguuntur a gratia, restituuntur). Nam S. Doctor non loquitur de quacumque collatione gratiae, ita ut possit sic interpretari quod dicat gratiam novam conferri juxta dispositionem subjecti et nihilominus supponat gratiam pristinam dari aliunde totaliter et independenter a dispositione, sed loquitur directe et simpliciter de ipsa restitutione gratiae, seu de comparatione inter quantitatem gratiae, quam poenitens habebat ante peccatum, et quantitatem quam obtinet per actum poenitentiae; quaerit enim an homo semper *resurgat* in aequali virtute, idque simpliciter negat.

Praeterea, connaturalis sensus litterae *excludit etiam interpretationem recentiorum thomistarum* (Soto, Joannis a S. Thoma). Sermo enim est de quantitate gratiae, quam accipit peccator resurgens, simpliciter et absque distinctione aut restrictione. Nullum autem est vestigium alicujus gratiae gradus quem ipse acciperet praeter id quod correspondet actuali dispositioni.

Nam S. Doctor, etsi agat de quantitate gratiae in qua homo resurgit in comparationem ad gratiam quam prius habebat, non aliud principium appellat, ad eam mensurandam, quam ipsum idem principium quod in aliis locis⁸⁰ appellaverat ad mensurandam quantitatem gratiae in quacumque justificatione, abstrahendo an merita in peccatore praecesserint vel secus, scilicet gradum actualis dispositionis. Si autem S. Doctor haberet in mente quod, in casu quo merita praecesserint, poenitens consequatur ulteriorem gradum gratiae, utut mensuratum ab actuali dispositione (ut volunt recentiores thomistae), id debuisset indicare, saltem sub forma responsionis ad objectionem, secus ejus processus esset incompletus, cum inde connaturaliter exurgat objectio contra rationem ab ipso allatam. Cum enim invocet dispositionem subjecti ut unicum principium et causam mensurationis gratiae restitutae, aliquis connaturaliter obiceret addendo aliud principium, scilicet ipsum jus reviviscentiae; cui S. Thomas tunc respondere deberet (juxta doctrinam recentiorum thomistarum) etiam influxum hujus principii mensurandum esse juxta dispositionem; et ita ejus littera et processus esset completus. Jamvero neque hic, neque *In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3*, ubi S. Doctor eandem prorsus quaestionem examinat, hujusmodi connaturalem objectionem sibi proposuit aut

⁸⁰ In 1-2, q. 52, a. 1 et 2; q. 66, a. 1, ubi de augmento habituum et aequalitate virtutum; et 1-2, q. 114, a. 8, ad 3; 2-2, q. 24, a. 6, ubi de augmento gratiae per actus remissos.

simile quid in contrarium opponi posse suspicatur. Unde nullum vestigium habetur in textu S. Thomae alicujus gradus gratiae qui daretur praeter id quod competit actuali dispositioni etiamsi nulla merita praecesserint, sed connaturalis sensus et processus litterae hanc thomistarum interpretationem excludere videntur.

Unde inepte recentiores thomistae hunc textum invocant in suum favorem; textus excludit directe sententiam Suaresii, indirecte sententiam horum thomistarum, directe vero et connaturaliter favet sententiae Bagnesii.

In a. 5 S. Doctor agit directe de ipsa reviviscentia meritorum (utitur quidem expressione “reviviscentia operum meritoriorum”, sed in loco parallelo In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3, ad 4, loquitur de “vivificatione meritorum”, unde binae expressiones accipi possunt pro aequivalentibus), seu examinat eandem generalem quaestionem de recuperatione pristinae perfectionis, ex parte moralis ejus entitatis, seu meritorum ut sic, quam in a. 2 examinaverat ex parte physicae entitatis gratiae et virtutum, in quibus ceteroquin merita fundantur et quibus proportionantur.

In corpore articuli, quod supra (p. 155 sq.) integre citavimus, S. Thomas solummodo affirmat ipsum factum reviviscentiae, contra quosdam qui illud negabant, ea nixi ratione quod opera meritoria non amplius remanent ut iterum vivificari queant; propterea explicat quomodo haec opera revera maneat, i.e. secundum se et in acceptatione divina, et quomodo reviviscant, i.e. quia “opera prius mortificata per poenitentiam recuperant efficaciam perducendi eum qui fecit ea in vitam aeternam; quod est ea reviviscere”, seu quia “remoto impedimento [peccati] quod est ex parte hominis operantis, Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur” (ad 1).

Gradus vero, in quo merita reviviscunt, tangitur a S. Thoma in *celebri resp. ad 3* (quae tantopere torquet theologos), et quidem sub forma responsionis ad objectionem, qua S. Doctor complet suam doctrinam, veluti comparans quod docuit in a. 2 cum eo quod docet in a. 5 et ostendens nullam esse oppositionem inter utrumque. Cum enim in a. 2 docuerat gratiam conferri juxta dispositionem subjecti ac ideo poenitentem posse resurgere in minori gratia, connaturaliter inde exurgit objectio contra reviviscentiam meritorum quam docet in a. 5; nam, cum merita aequentur gratiae, si recuperatur minor gratia, reviviscunt minora merita, imo deberet reviviscentia meritorum totaliter negari, cum merita priora aequali titulo debebantur nec ideo ratio est quare unum meritum prae alio reviviscat. Respondet autem S. Doctor merita reviviscere partialiter quoad praemium essentialia, nam

sic commensurantur ipsi gratiae et charitati, totaliter vero quoad praemium accidentale, nam sic commensurantur non ipsi habitu gratiae et charitatis, sed ipsis actibus seu operibus, ut explicat in loco parallelo *In 3 Sent.*,⁹⁰ et innuit hic tum ad 3 tum in corp.

En verba *S. Doctoris. Ob. 3*: “Opera in charitate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiae vel charitatis. Sed quandoque per poenitentiam homo resurgit in minori gratia vel charitate. Ergo non consequitur gloriam secundum meritum priorum operum; et ita videtur quod opera per peccatum mortificata non reviviscant.” *Ad 3*: “Ille qui per poenitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem praemium essenziale, secundum quantitatem charitatis in qua invenitur; habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus quae in secunda fecit, quod pertinet ad praemium accidentale.”

Eandem doctrinam clarius, si fieri potest, *S. Doctor* exhibet in loco parallelo *In 3 Sent., dist. 31, q. 1, a. 4, q. 3, ad 2 et 4*. Imprimis sibi proponit hanc obiectionem, *ob. 2*: “Ambrosius dicit quod poenitentia omnia ablata restituit. Sed hoc non esset si non resurgeret ad minus in aequali caritate. Ergo semper resurgit aliquis in aequali caritate.” Respondet, *ad 2*: “Dicendum, quod poenitentia omnia restituit; sed non oportet quod aequalia.” Dein sibi opponit *ob. 4*: “Poenitentia vivificat merita per peccata mortificata. Ergo poenitens tantam habebit gloriam quantum ante peccatum meruerat. Sed tantum meruerat quantum de caritate habuerat. Gloria ergo quam poenitens habebit, proportionatur caritati quam ante peccatum habuit. Proportionatur autem caritati in qua in morte invenitur post poenitentiam: quia lignum ubi ceciderit, ibi erit: *Eccl.*, penult. Ergo caritas in qua resurgit poenitens, est aequalis caritati a qua cecidit.” Respondet, *ad 4*: “Dicendum, quod sicut e praedictis patet, per priora merita merebatur sibi tantam gloriam, quantam caritatem habebat. Sed ipse per peccatum factus est alter, et non plenarie ad pristinum gradum restitutus: et ideo non plenarie recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad praemium accidentale, quod mensuratur actibus magis quam habitu caritatis.”

Inde manifeste excluditur *sententia Suaresii*, ut ceteroquin satis sentire videntur ipsi ejus sequaces (cf. Lugo supra cit. p. 226); inepte autem quidam appellant ad corpus ejusdem a. 5, nam ibi *S. Doctor* loquitur de solo facto reviviscentiae, ipsum vero gradum reviviscentiae limitat manifeste in resp. ad 3 et in a. 2, nisi velimus ipsum sibimet

⁹⁰ *Ibid.*, q. 1, ad 1, ait illud commensurari “actui vel statui”, uti statui virginitatis aut innocentiae.

contradicere aut prorsus nescire quid sibi obiciat in ob. 3 et quid respondeat.

Excluditur praeterea opinio dicentium merita reviviscere ad *solum praemium accidentale*, aut in hoc sensu interpretantium verba S. Thomae ad 3; nam S. Doctor docet merita reviviscere etiam ad praemium essentiale (“consequitur quidem praemium essentiale”) sed non totaliter, sicut ad praemium accidentale.

Nihil etiam est quod faveat *sententiae recentiorum thomistarum*, qua parte quidam (Soto et Joannes a S. Thoma) dicunt aliquid de gratia dari praeter id quod confertur ratione praesentis dispositionis; de quo sufficienter dictum est supra (p. 228 sq.) in explicatione a. 2, cujus doctrina resumit S. Doctor hic ad 3. Praeterea, excluditur eadem sententia qua parte quidam (Salmanticenses) dicunt restitui immediate et totaliter jus ad gloriam, etsi non ipsam gratiam, nam S. Doctor et alibi docet, et in utroque citato loco manifeste significat, jus ipsum ad gloriam fundari et proportionari cum gratia (“Secundum quantitatem charitatis”, “Merebatur sibi tantam gloriam, quantum caritatem habebat”). Item excluditur ea opinio qua parte plures (Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Gonet, Billuart) dicunt per actum ferventiorum elicitum post mortem in altera vita restitui gratiam quae ob defectum dispositionis non potuit prius restitui; non solum enim S. Thomas nunquam ad talem actum recurrit ad explicandam reviviscentiam, sed etiam videtur illum positive excludere in illis verbis *ob. 4* (citato loco In 3 Sent.), quae non reprobatur sed ut vera supponit: “Proportionatur autem [gloria] charitati *in qua in morte invenitur* post poenitentiam: quia lignum ubi ceciderit, ibi erit: Eccles., penult.”; unde inepte Joannes a S. Thoma ad excusandum effugium ad talem actum (quod jam ut arbitrarium respuerat ipse Victoria), scribit: “Nec S. Thomas unquam dixit, hunc actum ferventiorum, in quem prorumpunt actus remissi [et qui valeat augere gratiam ipsis debitam], debere esse in hac vita, et non in alia” (n. 13).

Relinquitur ergo solam sententiam Bagnesii, Billot et aliorum, esse conformem textui S. Thomae, qua parte docet 1. merita et gratiam non necessario reviviscere totaliter et immediate (contra Suarez); 2. non ita reviviscere ut ex parte subjecti et effectus detur aliquid meriti aut gratiae praeter id quod daretur ob praesentem dispositionem etiam si nulla merita praecesserint; 3. vere tamen reviviscere, et hanc reviviscentiam consistere in eo quod homo iterum consequitur praemium essentiale proportionatum gratiae in qua resurgit, quae sua vice proportionatur actuali dispositioni subjecti; et praeterea obtinet totaliter jus ad praemium accidentale.

Quod ulterius ea sententia addit, praedictum nempe praemium

essentiale ita obtineri ab eo in quo merita praecesserint, ut ei debeatur jam duplici titulo, titulo scilicet anteriori seu restitutionis, et titulo actuali, seu novae dispositionis, S. Thomas in dictis textibus non exprimit. Id tamen est imprimis logica consequentia reviscentiae ab ipso affirmatae in corpore a. 5; si enim merita reviviscunt una cum gratia reparata et nihilominus gratia quae confertur non est major gratia quae daretur si nulla merita praecesserint, sequitur quod dici potest gratiam conferri duplici modo seu titulo. Secundo, id est omnino conforme cum eo quod S. Doctor alibi docet de merito Christi, dicens ipsum per suam passionem bis meruisse eandem corporis glorificationem, hanc assignans rationem quod aliquid potest duplici titulo mereri.

Ita, *In 3 Sent., dist. 18, q. 1, a. 2, ob. 4*: “Quicumque meretur, merendo proficit quantum ad illud quod est merendi principium: quia caritas per meritum augetur. Sed Christi caritas augeri non potuit, nec ipse in spiritualibus bonis proficere. Ergo ipse non merebatur”. *Ad 4*: “Ille qui meretur, non oportet quod proficiat quantum ad rationem merendi: hoc enim accidit sibi ex hoc quod radix merendi, scilicet caritas, non est in ipsius merito: sed oportet quod omnis qui meretur, proficiat quantum ad mercedem quam meretur, ut scilicet *eam sibi debitam faciat vel simpliciter, vel quantum ad aliquem modum quo sibi prius debita non erat.*” *Ibid., q. 1, a. 5*: “Mereri . . . est facere aliquid sibi debitum. Hoc autem contingit tribus modis. Uno modo quando aliquis facit de non debito debitum; sicut aliquis primo motu caritatis meretur vitam aeternam, faciens eam debitam sibi, quae prius ei debita non erat. Alio modo quod erat minus debitum faciendo sibi magis debitum; quod contingit in eo in quo caritas augetur. Tertio contingit, quando aliquid *quod est uno modo debitum sibi, facit alio modo debitum sibi*; sicut puer baptizatus, cui debetur vita aeterna ex habitu gratiae in baptismo infusae, quando usum liberi arbitrii habere incipit, facit sibi debitam eam ex actu. . . Tertio modo meruit [Christus] in omnibus actibus suis post primum instans suae conceptionis: quia fecit sibi debitum aliquibus actibus *quod prius ex aliis actibus debebatur*” (cf. *ibid.* ad 1 et 2).

De Veritate, q. 26, a. 6, ob. 4 et 5, Sed contra: “Mereri est de non suo suum facere, vel de minus suo facere magis suum. Sed Christus non potuit facere de non suo suum, nec de minus suo magis suum, quia a primo instanti suae conceptionis sibi perfectissime debebatur quicquid cadit sub merito. Ergo Christus passione nihil meruit. Sed dicendum, quod meruit faciendo de suo primo modo, pluribus modis. — Sed contra: duplex vinculum facit maiorem obligationem. Ergo similiter et duplex ratio debiti facit magis debitum. Si ergo Christus

non potuit facere aliquid magis debitum, nec etiam potuit aliquid facere pluribus modis debitum.” *Respondet ad 4 et 5*: “Christus per passionem suam meruit sibi et nobis: sibi quidem gloriam corporis, quam quamvis per praecedentia merita meruerit, tamen per quamdam decentiam proprie claritas resurrectionis est praemium passionis, quia exaltatio est proprium humilitatis praemium. Nobis autem meruit, in quantum in sua passione pro peccato totius humani generis satisfacit, non autem per praecedentia opera, quamvis per ea nobis meruerit. . . Gloriam corporis Christus per passionem nec fecit de non debita debitam, nec de minus debita magis debitam; *fecit tamen alio modo debitam quo prius non erat*. Nec tamen sequitur quod magis debitam; hoc enim sequeretur, si causa debiti vel augetur vel multiplicaretur, sicut fit quando duplici promissione obligatio augetur; quod in merito Christi non accidit, quia gratia ejus non est augmentata.”

Si quis autem quaerat quare S. Thomas idipsum de reviviscentia meritorum explicite non dicat ut inde clarificet mentem suam, quaeri potest curnam dicere debuerit, cum res ex praemissis logice fluat et aliunde id conformetur concisiori stylo S. Doctoris qui non plus dicere solet quam necesse sit, non semel involuntariam praebens occasionem modernis argumentosis doctoribus in infinitum disputandi de sensu hujus vel illius textus. Illum ipsum modum, quo Christus duplici titulo meruit, S. Doctor, etsi in duplici citato loco tam explicite proponat, sub completo tamen silentio praeterit in Summa Theol., ubi iisdem prorsus objectionibus aliam affert responsionem (cf. 3 p., q. 48, a. 1, ob. 2-3 et ad 2-3; q. 49, a. 6, ob. 2 et ad 2). Ceterum, ea reviviscentiae explicatio per distinctionem duplicis tituli non est nisi unus modus exprimendi veram S. Thomae doctrinam quae ampliori et formaliori modo procedere videtur, ut constabit ex dicendis in Prob. 3.

Probatur 2. EX REFUTATIONE ALIARUM OPINIONUM.

Et imprimis non vacat immorari in refutanda *prima opinione secundae sententiae* (cf. supra p. 176), juxta quam merita reviviscunt ad solum praemium accidentale, tum, quia nullus theologus eam sustinuisse videtur (inepte autem tribuitur a quibusdam ipsi S. Thomae et antiquioribus thomistis, incluso Bagnesio), tum quia talis modus reviviscentiae si daretur, vix dici posset meritorum reviviscentia, cum non respiciat proprium et specificum objectum meriti quod est praemium ipsum essentiale et conveniret etiam operibus mortuis, puta actibus fidei, spei et attritionis elicitis in statu peccati, quibus se homo praeparavit ad justificationem et de quibus poterit similiter in coelo gaudere. Ceterum talis reviviscentia nec dari potest, quia praemium acciden-

tale fundatur in ipso praemio essentiali, nec potest existere aut reviviscere nisi cum illo. Hoc manifeste supponit *S. Thomas* cum scribit: "Quantitas meriti ex duobus potest pensari. Uno modo ex radice charitatis et gratiae; et talis quantitas meriti respondet praemio essentiali, quod consistit in Dei fruitione: qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectius Deo fruitur. Alio modo pensari potest quantitas meriti ex quantitate operis; quae quidem est duplex, scilicet absoluta, et proportionalis. Vidua enim quae misit duo aerea minuta in gazophylacium, minus opus fecit quantitate absoluta quam illi qui magna munera posuerunt; sed quantitate proportionali vidua plus fecit secundum sententiam Domini, quia magis ejus facultatem superabat. Utraque tamen quantitas meriti respondet praemio accidentali, quod est gaudium de bono creato" (1 p., q. 95, a. 4).

Tertia autem sententia, in suis tribus subordinatis opinionibus *illud habet commune* ut concedat vi reviviscentiae meritorum aliquem effectum gratiae vel gloriae conferri poenitenti praeter id quod ei aliunde debetur ratione praesentis dispositionis, etiam si nulla merita praecesserint; quidam ceterum dicunt talem effectum conferri immediate sub sola forma morali (jure ad gloriam vel gratia in esse morali) et in futuro saltem post mortem sub ipsa forma physica gratiae et gloriae (Scotistae, Salmanticenses, Gonet et Billuart), alii dicunt conferri immediate sub ipsa physica forma gratiae, etsi partialiter tantum (Ledesma, Valentia et Joannes a S. Thoma). Jam vero ex hoc ipso ac veluti prima fronte suspicari licet infirmitatem hujus sententiae, cum manifeste appareat ut historicum quoddam ac doctrinale compromissum inter positionem antiquorum thomistarum et impugnationem priorum Nominalistarum, cum intensiore rigore renovatam post Conc. Trid. a Suaresio ejusque sequacibus, necnon ut palliata quaedam nec confessa mitigatio principii thomistici de attemperanda meritorum reviviscentia actuali dispositioni poenitentis.

Tria autem sunt praecipua asserta quae in hac sententia invenimus, diversimode ceteroquin in variis opinionibus inter se copulata, ut explicatum est supra (p. 190 sqq.).

Primum assertum est quod merita (vel, si placet, gratia in esse morali) immediate restituantur, sed nihil immediate restituatur de ipsa gratia in esse physico. Ita *Scotistae*, *Salmanticenses*, *Gonet* et *Billuart* (qui tamen duo ultimi doctores dicunt non totam gratiam in esse morali restitui, sed tantum partem, juxta subjecti dispositionem).

Quidquid sit de convenientia ipsius distinctionis gratiae in esse physico et in esse morali (i.e. gratiae ut qualitatis et gratiae ut juris ad gloriam, vel, quod idem est, gratiae et meriti), quae a S. Thoma in alio

proprus sensu affertur in 3 p., q. 7, a. 11, inepta est illa separatio meriti a gratia, juxta quam asseritur meritum statim restitui quin restituatur gratia, siquidem juxta omnium principia (si excipiantur Scotistae, quorum assertiones refutantur in tractatu De Gratia) meritum et gratia pari passu procedunt, ita ut meritum fundetur in gratia et ab ea mensuretur, eo quod merita non aliter ordinentur ad gloriam nec eam exigant nisi mediante gratia, ut eorum radice et principio. Si igitur merita (seu gratia in esse morali) immediate restituantur, non est unde impediatur immediata restitutio ipsius gratiae, et si praeterita merita, remoto impedimento peccati, manent eo ipso expedita in sua efficacitate relate ad gloriam, non est unde simul non maneant expedita etiam relate ad gratiam, in qua jus gloriae fundatur. Nec valet recurrere cum *Salmanticensibus* (n. 10) ad exemplum actus remissi, per quem homo vere meretur quin tamen statim ei infundatur gratia illi merito correspondens; nam actus remissus meretur non simpliciter sed dependenter ab aliqua conditione adhuc ponenda, i.e. a positione actus ferventioris, per quem ipsa gratia confertur in qua meritum fundatur.

Praeterea, vix valet intelligi quomodo dici possit homini poenitenti redire meritum seu gratiam in esse morali, nondum obtenta gratia in esse physico, nam id nihil aliud esset quam ex parte Dei et in ejus acceptatione merita homini reservari ita ut propterea ipse consequatur gloriam, posita prius consecutione gratiae (puta in altera vita); jamvero totum hoc jam competit homini ante ipsum actum poenitentiae, quando merita dicuntur mortificata, nam merita haec manent jugiter in Dei acceptatione cum tali efficacia ut prosint homini ad gloriam a momento quo ipse consequitur gratiam; ergo juxta hanc opinionem nondum explicatur reviviscentia meritorum.

Praeterea, etiam si concedatur illa separatio meriti et gratiae necnon influxus meritorum in reditum solius gratiae in esse morali, inde saltem sequitur denegatio vel limitatio principii thomistici de attemperanda reviviscentia meritorum actuali dispositioni subjecti. Nam, quo jure hoc principium applicatur gratiae in esse physico, applicari etiam debet gratiae in esse morali, cum haec moralis gratia, quomodolibet concipiatur, sit aliquid applicatum subjecto, et quidquid recipitur ad modum recipientis recipiatur. Voluntarie autem *Salmanticenses* (n. 19) hanc objectionem conantur pracludere, negando suppositum, seu asserendo quod actus poenitentis se habet ut dispositio relate ad solam gratiam in esse physico, dum relate ad gratiam in esse morali se habet tantum ut simplex conditio removens prohibens, adeoque permittens integraliter reviviscentiam jurium sicut integraliter removet

peccatum. Magis adhuc incongrua est explicatio *Gonet* et *Billuart*, dicentium ipsam gratiam in esse morali conferri tantum partialiter seu juxta dispositionem subjecti; quo enim jure actus poenitentis est vera dispositio juxta quam conferatur gratia in esse morali, potest etiam esse dispositio juxta quam conferatur gratia in esse physico. Nec valet iterum invocare praedictam distinctionem inter dispositionem et conditionem; nam si actus poenitentis accipiatur ut mera conditio removens prohibens peccati, illimitate influit, cum simpliciter ac totaliter removeat peccatum, ac proinde gratia in esse morali totalis restituitur, ut volunt *Salmanticenses*.

Secundum assertum est quod ipsa gratia in esse physico restituitur immediate, etsi partialiter tantum, juxta mensuram dispositionis. Ita *Ledesma*, *Valentia*, *Joannes a S. Thoma* et probabiliter *Victoria* et *Soto*.

Attamen, per hoc assertum adhuc evidentius limitatur vis praedicti principii thomistici. Nam ita pro una et eadem dispositione confertur duplex gratia, altera de veteri perfectione, altera de nova, et pro inferiori gradu dispositionis infunditur in uno et eodem subjecto superior gradus formae seu gratiae. Unde hi thomistae facilem occasionem praebent patronis sententiae *Suaresii* arguendi ad hominem contra vim praedicti principii in favorem suae sententiae ac dicendi cum *Lugone* (post *Suaresium*, Disp. 2, sect. 3, n. 6 sq.): "Argumentum [desumptum ex necessitate commensurandi reviviscentiam meritorum dispositioni subjecti] militat contra omnes etiam illos Thomistas qui admittunt aliqua ex parte restitui gratiam antiquam, licet non integre; nam secundum illam partem deberet esse supra mensuram dispositionis praesentis . . . , quia ultra gratiam quae nunc datur intuitu contritionis, verbi gratia, quae gratia commensuratur contritioni, concedis dari aliquid aliud ex illa, quae respondebat prioribus meritis; hoc ergo debet esse supra mensuram dispositionis praesentis."⁹¹

Respondet quidem *Joannes a S. Thoma* (supra cit. in p. 205) actum poenitentis in ratione dispositionis esse virtualiter duplicem, seu diversimode se habere ad antiquam et novam gratiam, ad hanc nempe ut stricte dictam dispositionem, ad illam vero ut meram conditionem removens prohibens, et ideo nunquam dari majorem gratiam quam sit dispositio nec ullatenus offendi praedictum principium thomistarum. *Attamen*, quantumvis *imprimis* distinguatur in eodem actu inter rationem dispositionis et rationem conditionis, adhuc stat quod pro una et eadem realitate, qua idem subjectum disponitur, major de facto infundatur forma. *Secundo*, oportet quod etiam pro illa parte gratiae

⁹¹ De Poenitentia, disp. 11, sect. 2, n. 36, Disp. Schol. t. 4, Parisiis, 1892, p. 670.

quae datur ob praeterita merita detur aliqua proprie dicta dispositio in subjecto, secus, contra principia thomistica, illa pars poneretur in subjecto non disposito, nec alia ea dispositio esse potest quam ille idem actus poenitentis qui disponit ad novam gratiam; unde frustranea est illa distinctio inter dispositionem et conditionem. *Tertio*, si actus poenitentis se haberet ut mera conditio ad reviviscentiam praeteritae gratiae, nihil obstaret quominus illa gratia totaliter revivisceret, et non solum secundum partem; nam ea conditio absque limite influeret, cum actus poenitentiae simpliciter et sine mensura auferat impedimentum peccati.

Ad hoc ultimum respondet *Joannes a S. Thoma* (citatus ibidem) conditionem "non semper remove re totum impedimentum adaequate, sed aliquando plus, aliquando minus [cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 2, sol. et ad 1]. Licet enim impedimentum quoad ipsam substantiam gratiae sit peccatum, quod totaliter deletur et tollitur, tamen quantum ad augmentum et quantitatem gratiae, non solum peccatum est impedimentum, sed etiam defectus dispositionis, quia non est proportionata augmento gratiae, cum sit remissa". *Attamen*, haec responsio non videtur esse ad rem nec evacuare difficultatem. Nam actus poenitentis dicitur conditio reviviscentiae non quatenus aufert defectum dispositionis, quia sic est proprie dicta dispositio ad gratiam, nam defectus dispositionis tollitur per ipsam dispositionem, sed quatenus aufert peccatum, ut etiam exprimit S. Thoma (3 p., q. 89, a. 5), sic enim habere potest rationem purae conditionis relate ad restitutionem gratiae praeteritae. Jamvero peccatum totaliter et simpliciter tollitur per actum poenitentis. Ergo, si hic accipitur ut mera conditio, non tantum partialiter sed totaliter permittet reviviscentiam praeteritae gratiae.

Tertium assertum est quod gratia vel pars gratiae, nondum restituta in hac vita ratione remissae dispositionis, restituetur tota in momento separationis animae a corpore, ratione intensae dispositionis quae tunc exhibetur per ferventem actum charitatis, non amplius habentem rationem meriti et dispositionis ad aliquam novam gratiam. Ita *Scotistae, Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Gonet, Billuart*.

Attamen, hoc commodum effugium ad actum alterius vitae ad salvandam totalem reviviscentiam praeteritae gratiae, quantumvis ingeniosum et alliciens, videtur arbitrarie et divinando procedere, nec mirum quod praeter Bagnesium, ipse Victoria, fundator hujus sententiae mediae Thomistarum, illud abiecerit. Et imprimis non congruit menti S. Thomae, ut dictum est supra (p. 231), et ipse *Joannes a S. Thoma* ad hoc effugium recurrere dubitavit, donec, ob mendosam

lectionem alicujus textus S. Thomae, sibi visum est ita Magistrum sensisse (cf. supra, p. 191).

Praeterea, illud non videtur congruere his quae communiter docentur a S. Thoma aliisque theologis de conditione status termini, in quo non amplius datur possibilitas supernaturaliter proficiendi; in ea enim opinione, actus charitatis elicited post mortem, quamvis non haberet rationem meriti aut satisfactionis, adhuc esset medium aliquod quam maxime proficiendi, seu obtinendi omnem deperditam gratiam.

Praeterea, de illo actu charitatis quaeri potest quandom eliceretur. An ab anima veluti suspensa ad fores purgatorii vel paradisi? sed id est divinare, nec ceteroquin congruenter cum his quae docentur de immediato transitu animae in alterutrum receptaculum. An in purgatorio? sed non omnes animae justae deputantur purgatorio, nec dici potest omnes illuc saltem transitorie mitti eo fine ut possint elicere praedictum actum et deperditam gratiam recuperare. An in caelo? sed primus actus charitatis qui elicited in beatitudine procedit ab ipsa visione beatifica, jam immutabiliter mensurata in suo gradu; quod si dicas cum *Joanne a S. Thoma* illum actum procedere ex visione beatifica in ordine causae efficientis et simul eam praecedere in ordine causae dispositivae, et sub hoc aspectu esse posse conditionem reviviscentiae, res difficile concipitur, nam ille actus prius et immediate deberet esse conditio reviviscentiae ipsius gratiae, ad cujus mensuram subinde proportionaretur visio beatifica, unde non ab ipsa visione beatifica procedere posset sed a gratia antecedenter ad collationem visionis.

Probatur 3. *EX IPSA RATIONE ADDUCTA A S. THOMA; simulque explicatur haec sententia atque vindicatur ab obscuritatibus et inconvenientibus quae facile ei affigi solent.*

Formae quae, sicut gratia sanctificans et virtutes, suscipiunt magis et minus, non intenduntur nisi juxta mensuram dispositionis subjecti (3 p., q. 89, a. 5). Jamvero, vi ipsius actualis dispositionis cum qua peccator resurgit, necessario ei confertur gratia sanctificans, etiam si nulla gratia aut merita praecesserint. Ergo nequit vi reviviscentiae, tanquam ex distincto titulo, ei conferri alia gratia vel alius gradus gratiae praeter illam, secus totalis effectus esset ultra mensuram dispositionis. Ergo reviviscentia meritorum nequit consistere in hoc quod aliqua physica gratiae entitas conferatur poenitenti praeter eam quae ei debetur ratione praesentis dispositionis, etiam si nulla merita praecesserint, sed consistit in hoc quod eadem gratia (et consequens jus ad gloriam), quae datur hic et nunc poenitenti, datur ei vi praee-

dentium meritorum, in conjunctione cum ipsis et dependenter ab ipsis, quidquid sit de modo quo haec vis, conjunctio et dependentia explicetur.

Ad cujus modi rectam intelligentiam assequendam, necesse erit in antecessu expurgare phantasiam ab ea mathematica et commerciali computatione qua materiales possessiones et jura regulantur, atque gratiae thesaurum et spiritualia merita in eo fundata et in divino "libro vitae" computata, concipere modo quodam vitali; gratia enim est vera vita, et gloria nihil aliud est quam plena expansio ejusdem vitae supernaturalis. In praedicta materiali et mathematica conceptione tum meritorum tum gratiae, quasi haec sint quaedam statica et mortua dona, veluti additionaliter acquisita et accumulata, stat fundamentale discrimen sententiae nominalisticae a pura sententia thomistica in hac quaestione de reviviscentia meritorum, non secus ac in aliis quaestionibus de gratia et merito eorumque augmento, disputatis in tractatu De Gratia, et ab ea provenit quaecumque difficultas et obscuritas quam adversarii accumulunt circa hanc puriorem sententiam thomisticam, ut ostendant *in ipsa non vere salvari communem ac firmam doctrinam theologiam de reviviscentia meritorum*.

Porro homini in statu gratiae, praecise quia est in statu gratiae et juxta intensionem qua hunc statum participat, debetur vita aeterna, et in eadem quidem intensitatis proportionem. Hoc debitum *fundatur in ipsa gratia*, tum collata sine causali influxu humanae cooperationis, in prima nempe justificatione et in receptione sacramentorum (debitum seu jus haereditatis), tum subinde aucta cum causali influxu humanae cooperationis ex ipsa gratia sanctificante elicita (debitum et jus meriti proprie dicti), et *residet in divina acceptatione*, seu in divina voluntate acceptante ipsas connaturales gratiae exigentias in vitam aeternam, sine qua acceptatione nulla adesset ratio hujusmodi debiti vel juris apud Deum.

Cum autem homo a statu gratiae recedit, merita (accipiendo hoc nomen generalius pro utroque debito praedicto) amittunt suum fundamentum in homine, et tamen manent secundum se in sua ratione divinae acceptationis quia nequit fieri ut quod semel Deo placuit, non amplius placeat, et quod fuit ab eo acceptum et computatum ut dignum vitae aeternae, non amplius sic computetur, quod enim factum est, infectum fieri nequit. Unde quantum est ex parte Dei, merita non mutant suam conditionem et valorem post peccatum, nisi quod, subtracto ex parte hominis eorum physico fundamento, jam non amplius respiciunt hominem, quasi valentia in eum exerere suam efficaciam perducendi in vitam aeternam.

Cum tamen homo statum gratiae recuperat per poenitentiam, jam omnia merita, modo indefinito et in solido, reviviscunt relate ad ipsum hominem, quatenus eum iterum respiciunt et in eum iterum convertunt praedictum proprium influxum perducendi in vitam aeternam. Hoc sensu merita semper totaliter reviviscunt, veluti *in actu primo et quantum est ex parte Dei* iterum in hominem convertentis influxum et valorem meritorum, quatenus, ut ait *S. Thomas*, “remoto impedimento [peccati] . . . Deus implet ex parte sua illud quod opera merebantur” (3 p., q. 89, a. 5, ad 1). Ille tamen influxus omnium meritorum, quantum est de se ad hominem conversus, valorem et mensurationem accipit, *in actu secundo* et quoad practicum et finalem effectum, juxta modum quo suscipitur in homine, seu juxta mensuram in qua reedit fundamentum gratiae, proportionaliter ad dispositionem qua homo in gratia resurgit. Gratia enim est quae ultimo vitalizat merita ac veluti eorum valorem et effectum actualizat; unde in ea proportione qua homo per praesentem dispositionem recuperat antiquam gratiam in ipsa nova gratia, recuperat quoque praecedentia merita in renovato eorum influxu et valore quem relate ad ipsum amiserant, et in ea proportione, qua in recuperata gratia increscit usque ad finem vitae, increscit quoque in recuperatione praecedentium meritorum et in ampliorem quoque istorum augmento, ita ut “possit [homo] mortificationem praecedentium meritorum *per merita sequentia* penitus annullare, praecipue gratia adjutus” (*In 4 Sent., dist. 22, q. 1, a. 1, ad 6*). Nec est fingenda avara quaedam et myops distinctio inter antiquam et novam gratiam, aut inter priora et posteriora merita, sed tota gratia concipienda est ut una et eadem vita, quae extinguitur et recuperatur, quae stat et increscit, secundum eandem quidem substantiam ejusque gradus; et similiter omnia merita accipienda sunt ad modum alicujus unius valoris qui in divina acceptatione relate ad hunc hominem extinguitur et recuperatur, stat et increscit, oscillans in sua propria efficacia juxta modum quo gratiae conditio variat in ipso subjecto.

A. MICHEL ingenioso quodam exemplo explicat hanc *S. Thomae* sententiam: “S’il en est ainsi, la reviviscence des mérites s’explique facilement. Le mérite n’est pas totalement effacé par le péché mortel; il est seulement *mortifié*. La justification de l’âme rend au mérite sa valeur pour le ciel; mais le degré de la rétribution sera mesuré au degré de grâce rendue à l’âme. Toutefois les mérites revivent tous, parce que tous demeurent des titres à cette rétribution. Nous trouverions facilement un terme de comparaison dans le monde matériel des affaires. Voici les actions d’une société industrielle. Au temps d’une première prospérité ces actions, au nominal de 100 frs par exemple, se sont élevées en bourse jusqu’au cours de 1000 frs; survient une crise, la faillite: les actions tombent à 0. La négociation en bourse devient impossible. Mais bientôt la société est renflouée; les actions sont cotées de nouveau et reprennent de la valeur. Mais le nouvel état de la société étant bien moins florissant qu’avant la chute, les actions sont cotées seulement 50 frs. Pourtant ce sont les mêmes actions.

"Ainsi — toutes proportions et dissemblances respectées — en est-il dans le domaine des mérites. Le mérite est une 'action', titre négociable pour le ciel. Le péché mortel réduit à 0 la valeur de cette action, laquelle cependant subsiste. Le renfouement survient, c'est-à-dire la justification; mais la valeur d'échange de l'action demeure proportionné au nouveau crédit qu'offre la société renflouée, c'est-à-dire au degré de grâce et de charité que possède l'âme ressuscitée à la vie surnaturelle. Crédit bien moindre dans le cas présent. De même qu'avec son action — la même action — qui valut jadis 1000 frs, le capitaliste n'obtiendra plus que 50 frs, après le renfouement de la société en faillite, ainsi le juste, tombé en péché mortel et ressuscité à la grâce n'aura plus, avec les mêmes mérites précédents, qu'une récompense proportionnée à la vie surnaturelle diminuée en laquelle il ressuscite. Les titres demeurent identiques, leur valeur d'échange varie."⁹²

Non est igitur cogitanda meritorum reviviscentia per modum additionis alicujus de gratia ac meritis antiquis ad aliquid de gratia ac meritis novis, sed per modum proportionatae cujusdam re assumptionis ejusdem vitae ejusdemque moralis dignitatis et valoris. Homini, qui, ob corruptionem vel infirmitatem oculi, privatur effectu influxus lucis, restaurato subinde organo, tota quidem lux ejusque influxus restituitur, quantum est ex parte ipsius lucis, et tamen nisi perfecte oculus in pristina valetudine restauretur, non totus lucis effectus restituitur, sed visionis claritas regulatur juxta actualem organi conditionem. Et similiter in ipso ordine morali, non semper, restituta amicitia post offensam, aequaliter restauratur habitudo inter amicos, quod attinet ad morales amicitiae effectus; potest enim huic perfectae restorationi obstare aliquis defectus dignitatis vel conditionis ex parte illius cui restituitur affectus (cf. supra, p. 220). Fingas v.g. aliquem servum quem dominus, utpote fidelem ac benemeritum, sibi consociaverit in ipsa administratione sui negotii vel officii, veluti cum pari jure et addita quoque promissione hereditatis, quique interim dominum offendat et ab ejus consortio ejiciatur, omni jure aut promissione privatus, ac tandem, remissa a domino offensa, in pristinam amicitiam admittatur; numquid omnia quoque jura et dignitatem recuperabit, si interim, a domino peregrinando, ita physicas suas vel morales vires dissipaverit, ut jam impar effectus sit ad praedictum officium vel negotium convenienter administrandum? Ita est de homine resurgente cum remissa dispositione; totum quidem quantum est ex parte Dei, una cum amicitia, ei restituitur, sed ipse cum minoribus viribus resurgens, impar est ad totum accipiendum, partemque necessario dimittit quam sustinere non potest; totum tamen paulatim saltem resumere poterit, si ejus vires succrescant.

Si quis autem cum adversariis, tam Suaesianis quam Thomistis, obiciat totam hanc ingeniosam explicationem non esse ad rem sed

⁹²In Dict. Théol. Cath., art. Reviviscentie des mérites, col. 2638.

extra quaestionem, nec ullatenus explicare meritorum reviviscentiam, quoniam sic eadem gratia daretur pro aequali dispositione duobus poenitentibus, quorum unus prius habuerit gratiam et merita, alter non habuerit, responderetur id iterum obici ob supradictam mathematicam et commercialem computationem, a qua moderna praesertim mentalitas abstrahere vix potest et in quam vehementer inclinatur. Cum enim gratia sit vita, et merita sint supernaturalis computatio acceptabilitatis et valoris hujus vitae apud Deum in ordine ad vitam aeternam, nihil officit quominus eadem physica quantitas gratiae duobus collata, in uno sit initium vitae, in altero sit restitutio vitae ac veluti resurrectio ad eundem vel majorem vel minorem gradum vitae quam prius habuerat, et quominus eadem dispositio in uno sit causa generationis, in altero principium resurrectionis seu vitae restitutionis, et quominus iidem tituli supernaturalis meriti ac dignitatis in uno nunc primo secundum aliquam mensuram conferantur, in altero vero secundum eandem prorsus mensuram revalorizentur seu reviviscant.

Et in hanc quidem antiquae gratiae resurrectionem ac praeteritorum meritorum revalorizationem, collimat id quod patroni nostrae sententiae, inde a Cajetano et post Bagnesium ad hodiernum diem, *repetunt de duplici vel multiplici titulo*, quo gratia et gloria ratione reviviscentiae conferatur, aliquantulum et ipsi condescendentes moderniori mentalitati, ignotae S. Thomae et antiquis, omnia mensurandi per numeros et additiones. Quae quidem plurium titularum computatio, etsi minus plene minusque formaliter reddat sensum litterae S. Thomae ejusque mentem, praebatque ansam faciliori adversariorum impugnationi, legitime tamen assumitur juxta lineas modernae mentalitatis et est satis solide fundata in his quae S. Thomas docet de merito Christi, Christum nempe bis meruisse sui corporis glorificationem, eam assignans rationem quod idem potest duplici titulo mereri (cf. supra, p. 232 sq.). Et in hac certe ratione aliquid pluribus titulis merendi, habetur major quaedam perfectio in esse morali, stante nihilominus paritate perfectionis in esse physico, ut supra (p. 178 sq.) explicatum est a patronis nostrae sententiae.

Obiciunt quidem adversarii per hanc moralem perfectionem non sufficienter salvari veram rationem reviviscentiae, "sicut si quis per decem dies in vinea alterius laborasset, et daretur illi stipendium unius diei decem titulis, novem dies priores non censerentur computari, et juste compensari" (*Billuart*, diss. 3, a. 5); sed respondent patroni nostrae sententiae rem non esse parificandam praemiis seu pretiis materialibus, quae praecise ratione materialis ac quantitativi valoris appetuntur, sed potius praemiis spiritualibus seu quae ratione honoris

et gloriae directe quaeruntur, sicut est corona vel aurea crux ob plures insignes victoriae militi collata. *Instant* tamen adversarii id concedi posse de praemiis mere moralibus, ut ostendit adductum exemplum, non vero de praemio reali et physico, qualis est gratia et gloria (ita *Galtier*, n. 572); sed responderi potest cum *Billot*: "Est . . . magna perfectio habere gloriam essentialem ex titulo meriti, et tanto maior perfectio est, quanto ex titulo plurium et potiorum meritorum possidetur. Quinimo, est perfectio qua tantopere electos multos adornari vult Deus, ut pro illa sinat eos exponi tot discriminibus, et permittat tot alias creaturas racionales finaliter deficere ab ultimo fine" (thes. 10); ceterum, ratio quare, ultra moralem hanc dignitatem, non possit ob praeterita merita conferri poenitenti major perfectio physica quam exigat actualis ejus dispositio, est praecise ipsa realis et physica natura formae gratiae quae, utpote inhaerens animae, nequit infundi nisi juxta mensuram dispositionis.

Et haec erant dicenda de interminabili hac et minus fructuosa theologorum controversia circa reviviscentiam meritorum, quae numquam extinguetur quousque discrepabunt doctores de ipsis principiis in materia de gratia et de merito. Ceterum, etsi principia S. Thomae quae invocavimus in Concl. 1 et juxta quae fideliter etiam conati sumus procedere in ipsa Concl. 2, videantur nobis firmissima, nemo est qui neget eorum applicationem in praesenti materia de reviviscentia meritorum non parvam ingerere difficultatem, ut patet vel ex ipsis discrepantibus opinionibus inter thomistas. Nihilominus, si in materia opinabili liceat cuique libere procedere, etiam cum periculo errandi, prudentius aget qui juxta certiora principia veritatem assequi conatur et tutius erit errare cum Thoma quam cum sexcentis aliis magistris.

ART. 91. Utrum Sacramentum Poenitentiae Remittat Peccata Vere Et Proprie, Seu Habeat Pro Effectu Ipsam Peccatorum Remissionem (3 p., q. 84, a. 3; q. 86, a. 6; Suppl., q. 10 et 18. i.e. In 4 Sent., dist. 17 et 18; Opusc. 22 De forma absolutionis; alii loci dantur infra, p. 264 sq.).⁹³

⁹³Theologi de hac quaestione agere solent in quatuor locis hujus tractatus, i.e. ubi de existentia et institutione potestatis clavium et sacramenti, vel de sufficientia attritionis seu non necessitate perfectae contritionis in hoc sacramento, vel de effectu hujus sacramenti, vel de sensu formae absolutionis. Praeterea plures prodierunt monographiae et ephemeridum articuli de hac re, praesertim sub aspectu positivo.

Alszeghy, Z., La penitencia nella scolastica antica, in *Gregorianum*, v. 31 (1950), p. 275-283.

Amann, E., Pénitence, in *Dictionnaire de Théologie Catholique*, t. 12, 1^{re} partie (Paris, 1933), col. 940-943.

Anclaux, P., Le sacrement de Pénitence chez Guillaume d'Auvergne, in *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, v. 24 (1948), p. 98-118; *La théologie du sacrement de Pénitence au XII^e siècle*, Louvain, Gembloux, 1949, p. 51-55. 275-353. 491-586.

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et sequenti articulo est quaestio *DE EFFECTU POENITENTIAE UT SACRAMENTI*, seu de modo quo remissio peccati fit mediante sacramento. De quo quidem non multa manent dicenda post ea quae disputavimus tum nuper in art. 84–90, ubi de effectu poeni-

- Boyer, C.*, De Poenitentia, pars 2, q. 1, a. 6.
Buchberger, M., Die Wirkungen des Bussakramentes nach der Lehre des hl. Thomas von Aquin, Freiburg, 1901.
Carpino, F., Un tentativo al secolo xiii per valorizzare l'assoluzione sacramentale, in La Scuola Cattolica, v. 66 (1938), p. 281–289; Consensi et critiche ad una teoria sull'assoluzione sacramentale nel secolo xii, *ibid.*, v. 67 (1939), p. 308–325.
D'Alès, A., De Paenitentia, thes. 11.
De Blic, J., Sur l'attrition suffisante, Lille, 1945.
De Vooght, P., La justification dans le sacrement de pénitence d'après Saint Thomas d'Aquin, in Ephemerides Theologicae Lovanienses, v. 5 (1928), p. 225–256; A propos de la causalité du sacrement de pénitence. Théologie thomiste et théologie tout court, *ibid.*, v. 7 (1930), p. 663–675; La théologie de la Pénitence, *ibid.*, v. 25 (1949), p. 77–82.
Dondaine, H., L'attrition suffisante, Paris, 1943.
Egger, C., De praxi poenitentiali Victorinorum, in Angelicum, 1940, p. 156 sqq.
Flick, M., L'attimo della giustificazione secondo San Tommaso, Roma, 1947.
Galtier, P., De Paenitentia, thes. 11 et 22.
Göttler, Der heilige Thomas von Aquin und die vortridentinischen Thomisten über die Wirkungen des Bussakrament, Freiburg, 1904.
Hugueny, E., La pénitence, t. 2, Note doctrinale 3 (Editions de la Revue des Jeunes, Paris, 1931).
Iodice, A., L'efficacia del sacramento della penitenza negli scolastici e in Gabriele Biel, in La Scuola Cattolica, v. 66 (1938), p. 141 sqq.
Joannes a S. Thoma, De Poenitentia, disp. 33, art. 3, n. 14–24.
Joret, D., Le sacrement de Pénitence et la rémission des péchés mortels, in La Vie Spirituelle, v. 17 (1927), p. 291–315.
Krautwig, N., Die Grundlagen der Busslehre des J. Duns Skotus, Freiburg, 1938.
Landgraf, A., Grundlagen für ein Verständniss der Busslehre der Frühund Hochscholastik, in Zeitschrift für kathol. Theol., v. 51 (1927), p. 161–194; Das Sakramentum in voto in der Frühcholastik, in Mélanges Mandonnet, t. 2, Paris, 1931, p. 97–144; Der frühcholastische Streit um die potestas quam Christus potuit dare servis et non dedit, in Gregorianum, v. 15 (1934), p. 524–572.
Lugo, De Poenitentia, disp. 13, sect. 2.
Marduel, F., Comment se justifie la confession réitérée des péchés déjà pardonnés par le sacrement de pénitence?, in L'Ami du Clergé, v. 57 (1946), p. 151–154.
Michel, A., Pénitence, in Dictionnaire de Théologie Catholique, t. 12, 1^{re} partie (Paris, 1933), col. 985–995.
Neuveu, E., L'absolution change-t-elle les dispositions psychologiques du pénitent, in Divus Thomas (Piacenza), v. 32 (1929), p. 160–162; De la justification, in Revue Apologétique, v. 54 (1932), p. 25–48.
Palmer, P. F., How Does the Priest Retain Sins?, in Theological Studies, v. 11 (1950), p. 240–258.
Palmieri, D., De Poenitentia, thes. 26.
Perinelle, I., L'attrition d'après le Concile de Trente et d'après S. Thomas d'Aquin, Kain, 1927.
Philbin, W. J., The Scholastic Theory of the Power of the Keys, in Irish Ecclesiastical Record, 1933, p. 604 sqq.
Schmoll, P., Die Busslehre der Frühcholastik, München, 1909.
Schultes, K., Reue und Bussakrament, Paderborn, 1907; Circa doctrinam S. Thomae de justificatione, in Angelicum, v. 3 (1926), p. 166–175. 345–354.
Suarez, De Poenitentia, disp. 19, sect. 2.
Trombetta, A., Il valore dell'assoluzione sacramentale nei teologi scolastici, Roma, 1942.
Vacant, A., Absolution des péchés, in Dictionnaire de Théologie Catholique, t. 1, 1^{re} partie (Paris, 1930), col. 168–182.

tentiae ut virtutis, qui totus convenit ipsi sacramento, a cuius voto ipsa virtutis efficacia de facto dependet; tum in superioribus, ubi de necessitate confessionis ad remissionem peccati obtinendam (art. 36, tom. 2, p. 348–464), de materia circa quam sacramenti consistente in ipsis peccatis removendis (art. 7, tom. 1, p. 209–229), de vi satisfactionis sacramentalis (art. 71, tom. 3, p. 376–395), de sensu absolutionis (art. 79, tom. 3, p. 545–582); tum in primo tractatu De sacr. in genere, ubi de gratia sacramentali (art. 9–13).

Conc. Florentinum synthetice hunc effectum exhibet, docens: “Effectus huius sacramenti est *absolutio a peccatis*” (Denz. 699), Quae verba *Conc. Trid.* breviter explicat, addens secundarium aliquem ac contingentem effectum: “Sane . . . res et effectus huius sacramenti, quantum ad eius vim et efficaciam pertinet, *reconciliatio est cum Deo*, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc sacramentum percipientibus conscientiae pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet” (sess. 14, cap. 3, Denz. 896). *Catechismus Conc. Trid.* idipsum sic tradit: “Nihil profecto tam proderit fidelibus, nihilque majorem illis alacritatem poenitentiae suscipiendae afferet, quam si a Parochis saepe explicatum fuerit, quantum ex ea utilitatem capiamus. Vere enim de poenitentia illud dici posse intelligent, ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse. Poenitentiae itaque omnis in eo vis est, ut nos *in Dei gratiam restituat*, cum eoque summa *amicitia conjungat*. Hanc vero reconciliationem interdum in hominibus piis, qui hoc sacramentum sancte et religiose percipiunt, maxima conscientiae pax et tranquillitas cum summa spiritus jucunditate consequi solet” (pars 2, c. 5, q. 18). *Codex J.C.*, can. 870, statuit: “In poenitentiae sacramento, per iudicalem absolutionem a legitimo ministro impertitam, fidei rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa.”

Ut ex supradictis locis deducitur, hic generalis effectus absolutionis peccati, operatae per Dei gratiae et amicitiae restitutionem, sequentes peculiare effectus complectitur: gratiam communem, gratiam sacramentalem, remotionem peccati mortalis et venialis, condonationem poenae aeternae et temporalis, perfectam seu definitivam extinctionem proprii debiti peccati ita ut etiam post novum relapsum nullatenus reviviscere queat, veram reviviscentiam praecedentium meritorum per peccatum mortificatorum.

Sit breve verbum de singulis, quorum quaedam directe connectuntur cum ratione gratiae communis (quae confertur etiam per virtutem Poenitentiae), tam sub positivo aspectu gratiae quam sub negativo aspectu remotionis contrariae formae peccati, alia vero respiciunt

ipsam rationem gratiae sacramentalis qua talis, sub utroque pariter aspectu.

Gratia communis imprimis confertur per hoc sacramentum, sicut per cetera, cum omne sacramentum sit signum collativum gratiae. Confertur autem gratia *per se prima*, cum hoc sacramentum sit restaurativum amissae justificationis ac ita convenit cum Baptismo sub titulo sacramentorum mortuorum; si vero gratia jam praeeexistat in subjecto poenitenti, confertur ei *per accidens secunda gratia*, seu augmentum possessae justificationis. Et haec omnia patent ex dictis in tractatu De sacr. in genere (art. 9–13). Praeterea, ut dictum est hic, in art. 89, gratiam primam comitatur reviviscentia omnium meritorum per peccatum mortificatorum.

Sub aspectu negativo, prima gratia removet definitive et irrevocabiliter peccatum mortale, ejusque sequelam poenae tam aeternae quam (saltem partialiter) temporalis, necnon aliquatenus ipsas peccati reliquias, ut explicatum est in art. 87; secunda vero gratia hanc restorationem perficit, ut dictum est in art. 7 et 79 (tom. 1, p. 218–225, et tom. 3, p. 567); utraque gratia extinguit praeterea peccata venialia juxta dicenda inferius in art. 95.

Gratia sacramentalis quae, ut diximus in tractatu De sacr. in genere, confertur proprie et exclusive per unumquodque sacramentum atque distinguitur specificè in unoquoque juxta cujusque propriam indolem et finem, nequit in hoc sacramento esse alia quam *gratia formaliter remissiva*, nam remissio peccati est proprius finis et specificum munus ad quod sacramentum Poenitentiae institutum est. Et in hoc quidem Poenitentia formaliter distinguitur etiam ab ipso Baptismo, qui est alterum sacramentum mortuorum; nam Baptismus formalissime ordinatur ad spiritualem vitam generandam, ita ut ejus gratia sacramentalis sit formaliter gratia regenerativa et nonnisi identice aut consequenter sit gratia remissiva, ut patet ex eo quod in parvulis nullum peccatum remittat, sed tantum originale auferat, quod proprie non remissione sed ablutione indiget. Ceterum haec sacramentalis gratia sub pluribus ejus formalitatibus variis nominibus describi solet, scilicet: remissiva, reconciliativa, absolutiva, reparativa, medicinalis, vivificativa, prout nempe peccatum, quod per eam expellitur, consideratur ut offensa, vel separatio ab amicitia, vel ligamen, vel ruina seu lapsus, vel infirmitas, vel mors spiritualis.

Sub ejus positiva entitate, haec gratia importat imprimis, et juxta omnes doctores, *auxilia actualia*, quibus homo cooperatur ad expulsiōem peccati et ad praecavendum futurum relapsū in malum; praeterea ac praecipue, juxta puriorem thomisticam doctrinam quam

defendimus in tractatu De sacr. in genere (art. 12), ipsa importat *modalitatem quamdam*, qua intrinsece afficitur ac roboratur gratia ipsa communis, seu vigorem quemdam quo curatur vulnus malitiae inclinans ad peccatum, relictum in natura humana ex originali infectione, et quo partialiter ac initialiter restituitur donum integritatis amissum in eodem lapsu. Ita plenius intelligitur vis remissiva hujus sacramenti et specifica efficacia gratiae sacramentalis, quae una cum gratia communi revera intus infunditur in ipsam essentiam animae atque, colligens in unum omnes sanativas vires illius, diffundit eas in morales animi facultates, tamquam anthidotum extinguens flammam fomitis et tamquam pharmacum impeccabilitatis.

Sub aspectu autem negativo, haec sacramentalis gratia tollit *offensam* ad modum cujusdam satisfactionis applicantis immediate ex opere operato merita et satisfactionem Christi, quasi vertens imparem hominis attritionem in satisfactoriam contritionem, juxta effectum illud superius explicatum (art. 24, tom. 2, p. 32–36): “Sacramentum facit ex attrito contritum”. Praeterea, ut nuper dictum est, haec gratia ponit in anima germen aliquod sanitatis, paulatim extinctivum fomitis peccati et immediate *praeservativum a relapsu*. Praeterea, vi gratiae sacramentalis delentur quoque ex opere operato sacramenti *peccata venialia*, ut explicabitur in art. 95. Praeterea, ipsae *reliquiae peccati*, quae sunt veluti incentiva ipsius fomitis, quamvis non immediate auferantur per proprium vigorem gratiae sacramentalis, tamen ita per illum in sua activitate ligantur et impediuntur, ut paulatim per exercitium virtutum facilius expellantur aut suo ipsarum defectu et debilitate extinguantur (cf. art. 87, p. 107–110).⁹⁴

Tandem, una cum hac gratia ac veluti ex exigentia illius, per vim sacramenti tamquam ex opere operato deletur saltem partialiter debitum *poenae temporalis*. Hoc communiter docetur a Theologis et supponitur a *Conc. Trid.*, ita ut theologicè certum videatur, ut dictum

⁹⁴ Ad hoc refer quod scribit *Cajetanus*, agens de iterata absolutione peccatorum jam remissorum: “Ipsa gratia augmentata, quae per sacramentalem absolutionem confertur [cum absolvuntur peccata jam remissa], habet rationem magis absolutorii. Quia enim sacramentum poenitentiae ex propria ratione habet quod sit medicinale et curativum infirmitatis peccati actualis; et peccati actualis infirmitas consistit non solum in culpa et vocata poena, sive aeterna sive temporali, sed in multis aliis malis, ut clare patet in augmento vulnerum originalium: ideo absolutio sacramentalis non solum extendit se ad culpam et ad poenam, sed ad alia ex peccato actuali incursa mala. Ita quod gratia per sacramentalem absolutionem significata et collata, quatenus est sacramentalis hujus sacramenti, eo ipso quod extenditur ad amplius sanandum a morbo peccati actualis, habet rationem magis absolutorii a peccato: sicut gratia baptismalis, si baptizaretur quis plene prius consecutus baptismalem gratiam ex baptismo flaminis, esset magis ablutiva a peccato, dum a peccati reliquiis magis mundaret. Cuilibet siquidem Christiano, sicut convenit orare, ‘Amplius lava me, Domine, ab iniquitate mea’, ita convenit orare, ‘Amplius sana, Domine’, et, ‘Amplius absolve, Domine’” (Quaestiones de Confessione, quaesitum quartum, in editione Leonina Operum S. Thomae, t. 12, p. 352).

est in art. 71 (tom. 3, p. 376). Haec poena per sacramentum et vi clavium dupliciter aufertur: primo nempe in ipso actu absolutionis ac veluti in coniunctione cum gratia sacramentali, quatenus scilicet tres actus poenitentis, jam de se satisfactorii ex opere operantis, elevantur vi absolutionis ad hoc ut sint etiam satisfactorii ex opere operato; cujus ratio est quia sacramentum Poenitentiae ordinatur ad plenam remissionem peccati, quae est secundum culpam et poenam (cf. supra, art. 71, tom. 3, p. 380 et 383); secundo, aufertur etiam per subsequentem satisfactionem quae, utpote sacramentalis, agit ex opere operato in virtute praecedentis absolutionis (cf. *ibid.*, p. 378–380. 385 sq.), et hoc modo extinctio poenae conjungitur cum ipsa gratia sacramentali, quasi quaedam ejus extensio, nam, ut ait *S. Thomas*, “per satisfactionem consequitur poenitens perfectum effectum gratiae peccatum abolentis, quia liberatur totaliter a reatu peccati” (*In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1, q. 2, ad 3*).

S. Thomas de remissione poenae temporalis per sacramentum Poenitentiae haec habet:

Suppl., q. 10, a. 2: “Confessio simul cum absolutione habet vim liberandi a poena dupliciter: *uno modo* ex ipsa vi absolutionis. . . [Et sic poena temporalis] per vim clavium intantum minuitur quod proportionata viribus poenitentis remanet, ita quod satisfaciendo se in hac vita purgare potest. *Alio modo* diminuit poenam ex ipsa natura actus confitentis, qui habet poenam erubescitiae annexam; et ideo quanto aliquis pluries de eisdem peccatis confitetur, tanto magis poena minuitur.”

Ibid., q. 18, a. 2: “Ex vi clavium ex passione Christi efficaciam habentium . . . remittitur temporalis poena . . . , non tamen tota, sicut in baptismo, sed pars ejus”.

In 4 Sent., dist. 20, q. 1, a. 2, q. 1: “Poenam purgatorii . . . taxatur . . . secundum quantitatem peccati, considerata tamen contritionis quantitate, et confessione, et absolutione; quia per omnia haec aliquid de poena dimittitur. Unde etiam a sacerdote, injungendo satisfactionem, [haec] sunt consideranda.”

C. Gent. 4, 72: “Virtute clavium minister Ecclesiae, absolvendo, aliquid de poena temporalis dimittit, cujus debitor remansit poenitens post contritionem; ad residuum vero sua injunctio obligat poenitentem, cujus quidem obligationis impletio satisfactio dicitur, quae est tertia poenitentiae pars, per quam homo totaliter a reatu poenae liberatur, dum poenam exolvit quam debuit”.

Quodlib. 3, q. 13, a. 28: “Opus quod quis facit ex injunctioe sacerdotis, dupliciter valet poenitenti; uno modo ex natura operis; alio modo ex vi clavium. Cum enim satisfactio a sacerdote absolvente

injuncta, sit pars poenitentiae, manifestum est quod in ea operatur vis clavium; ita quod amplius valet ad expiandum peccatum quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.”

Conspectus effectuum sacramenti Poenitentiae.

1. *Gratia communis*

	sub aspectu positivo	
		gratia prima
		vel gratia secunda
		reviviscentia meritorum
	sub aspectu negativo	
		remissio peccati
		mortalis
		venialis
		remissio poenae
		aeternae
		temporalis (saltem partialiter)
		vis removendi reliquias peccati

2. *Gratia sacramentalis* (seu formaliter remissiva et sanativa)

	sub aspectu positivo	
		intrinsic modalitas gratiae communis
		auxilia actualia ad finem sacramenti
	sub aspectu negativo	
		remotio peccati
		remissio offensae
		mortalis (mutatio attriti in contritum)
		venialis
		praeservatio a relapsu
		extinctio poenae temporalis ex opere operato
		peculiaris alligatio fomitis et reliquiarum peccati

Ceterum, haec fere omnia sunt in comperto apud theologos et satis constant ex disputatis in antecessum, ut dictum est. *Duae tamen manent agitandae seu determinandae quaestiones*, olim saltem non parum controversae, quarum prior, dogmatice praecipua, quae est objectum praesentis articuli, vertit circa ipsam *naturam remissivae efficacitatis sacramenti*, imo circa ipsam hujus efficacitatis existentiam, de qua errarunt non solum Protestantes sed etiam, etsi indirecte, plures theologi mediaevales: an nempe sacramentum *vere et proprie* peccata remittat; altera historice celebrior, quae est objectum articuli sequentis, vertit circa *extensionem illius efficacitatis*, quam coarctarunt plures antiqui haeretici: an nempe omnia prorsus peccata sint remissibilia per sacramentum seu per claves Ecclesiae.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

De indole remissivae efficacitatis sacramenti *tres dantur sententiae*; juxta primam, quae est haeresis praecipue Protestantium, sacramentum *non vere* remittit peccata; juxta secundam, quae est doctrina

plurium theologorum saec. 12 jam erronea post Conc. Trid., sacramentum remittit peccata vere sed *non proprie*; juxta tertiam, quae post S. Thomam est communis sententia theologorum et saltem post Conc. Trid. est doctrina catholica, sacramentum remittit peccata *vere et proprie*. An autem ea remittat etiam directe et immediate, non vero mediante aliqua dispositione praevia gratiae remissivae, pertinet ad ulteriorem quaestionem scholasticam jam decisam in sensu affirmativo in tract. De sacr. in gen. (art. 10) contra Billot aliosque defensores dispositivae causalitatis sacramentorum (cf. infra, p. 267 in nota et 281).

PRIMA SENTENTIA docet sacramentum Poenitentiae *non vere* remittere peccata, sed ordinari ad aliquid aliud habens indirectam, nec necessariam, connexionem cum remissione peccatorum.

Ita omnes haeretici qui negarunt veram clavium potestatem et quidam catholici qui illi negationi, indirecte saltem, accesserunt, de quibus fusius dictum est praecipue in art. 1 (tom. 1, p. 45 sqq.). Hi omnes, modo generali et approximativo, reduci possunt ad duas classes; quidam nempe docent effectum Poenitentiae esse *nudam declarationem* remissionis peccatorum, cum ea declaratione non necessario connexae (Montanistae, Novatiani, Abaelardus, Protestantes, quidam Schismatici Orientales); alii docent effectum Poenitentiae esse *absolutionem ab aliqua poena* vel ligamine praesertim ecclesiastico (Petrus de Osma, Baius, Protestantes liberales, Poschmann, Adam).

Montanistae indirecte saltem impetiti sunt veram potestatem remittendi peccata, reducendo partes hierarchiae in hac remissione ad generale munus docendi et gubernandi (cf. art. 1, tom. 1, p. 45 sq.).

Plures Novatiani eandem potestatem abiecissee videntur, intelligentes verba institutionis de remissione peccatorum per Baptismum (Joann. 20, 23) vel de officio fraternae correctionis (Matth. 18, 18) (cf. *ibid.*, p. 47).

Abaelardus († 1142) docuit potestatem remittendi peccata colatam esse solis Apostolis, non vero eorum successoribus (cf. *ibid.*, p. 48 sq.). Quamvis haec verba, prout sonant, videantur aperte negativa potestatis clavium, tamen ex variis quae Abaelardus docet, utut confusis, benignius ejus mens explicari potest, juxta generalem sensum doctrinae plurium doctorum ejusdem saeculi (cf. infra), de quadam minorata et improprie dicta efficacia potestatis clavium relate ad remissionem peccatorum. De facto Abaelardus principaliter intendit indignos ministros excludere a participatione potestatis clavium, et quidem acceptae directe ut potestatis jurisdictionis; aliunde,

mentem suam convertens praesertim ad necessitatem et efficaciam actus contritionis in opere justificationis, non secus ac alii doctores ejusdem aetatis, praecipuas in hoc opere partes tribuit ipsis actibus poenitentis, ad minimum reducens influxum clavium et partes sacerdotis, ac si sacerdos se haberet ut merus testis in facie Ecclesiae actualium poenitentis dispositionum, per confessionem et satisfactionem exhibitarum, et simul ut merus intercessor in facie Dei qui, non nisi ratione interiorum poenitentis dispositionum, peccata dimittit. Cf. infra, art. 98, p. 603.

Petrus De Osma (circa medium saec. 15) docuit: "Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves" (Denz. 724). Doctrinam hujus theologi jam ter supra exhibuimus, i.e. art. 7 ubi de materia remota hujus sacramenti (tom. 1, p. 212 sq.), art. 36 ubi de necessitate confessionis (tom. 2, p. 350) et art. 53 ubi de satisfactione pro poena temporali (tom. 3, p. 157 sq.). In hoc ultimo loco diximus quod, collatis variis propositionibus ab Osma prolatis, satis clare apparet ipsum reducere sacramentum Poenitentiae ad merum disciplinare exercitium ecclesiasticae institutionis nec longe distare ab ipsa haeresi Protestantium.

Protestantes docent clavium potestatem esse nudum ministerium declarandi remissionem peccatorum, adeoque non veram potestatem, nec a fortiori judicalem, nec praecipue remissivam peccatorum (cf. in tom. 1, p. 50-53). Inde verbis "Ego te absolvo" submitunt sensum mere declarativum remissionis generaliter a Deo faciendae hominibus habentibus fiduciam in Christum, vel huic aut illi homini factae ratione solius praedictae fidei justificantis (cf. art. 79, tom. 3, p. 546); propterea generatim Novatores ea verba componunt sub forma mere declarativa vel deprecativa (cf. art. 81, *ibid.*, p. 660-664).

Jansenistae et Bajani accedunt ad doctrinam Protestantium, etsi superficialiter videantur sentire cum doctoribus mediaevalibus, de quibus infra in *Secunda Sententia*.

Ut dictum est in art. 53 (tom. 3, p. 158 sq.) agendo de satisfactione, *Jansenistae* in solam charitatem seu contritionem videntur refundere totam vim tam satisfactivam quam remissivam peccatorum; unde ministerium clavium necessario reducere debent vel ad meram declarationem consecutae justificationis vel ad aliquod ejus supplementum. Unde Pius VI, Const. "Auctorem Fidei", prop. 35 (citata *ibidem*), damnat doctrinam Jansenistarum de sacramentali satisfactione ut "inducentem in errorem haereticali nota in Petri de Osma confixum" (Denz. 1535).

In eundem errorem collimat magis explicita, utut confusa, sententia *Baii*. Distinguit imprimis in peccato inter actum ipsum et reatum poenae, scilicet omisso reatu culpae seu peccato habituali quod coincidit cum privatione gratiae et charitatis; item, distinguit in justificatione inter vivificationem quae fit per charitatem et remissionem peccati quae consisteret in extinctione reatus poenae; inde docet vivificationem fieri a solo Deo, solam vero extinctionem reatus poenae fieri per ministerium sacerdotis. Ex quibus sequitur remissionem peccati, prout ab Ecclesia intelligitur, pro ipsa nempe vivificatione seu collatione gratiae et charitatis, nullam habere connexionem cum ministerio sacerdotali. Et in hoc praecise doctrina *Baii*, quae est saltem suspecta, ob intimam sui connexionem cum haeresi Protestantium, distinguitur a sententia doctorum mediaevalium de qua infra.

En praecipuae *Baii* propositiones de hac re, a *Pio V* damnatae (cf. in art. 53, tom. 3, p. 160, prop. 10. 59.60.77 circa satisfactionem):

Prop. 31: "Caritas perfecta et sincera, quae est 'de corde puro et conscientia bona et fide non ficta' [1 Tim 1,5], tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum" (Denz. 1031).

Prop. 43: "In hominibus poenitentibus ante sacramentum absolutionis et in catechumenis ante baptismum est vera iustificatio, separata tamen a remissione peccatorum" (Denz. 1043).

Prop. 56: "In peccato duo sunt, actus et reatus; transeunte autem actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad poenam" (Denz. 1056).

Prop. 57: "Unde in sacramento baptismi aut sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dumtaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu" (Denz. 1057).

Prop. 58: "Peccator poenitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, poenitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat: ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur" (Denz. 1058).

Prop. 70: "Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem: et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis" (Denz. 1070).

Prop. 71: "Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coiunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti" (Denz. 1071).

Inter Schismaticos Orientales quidam theologi russi ad doctrinam Protestantium accesserunt. Ad rem *Jugie*: "Tempore quo schola *Theophanis Procopovitch* in theologiam Russorum dominatum exercebat, lutheranismi vestigia, ad significationem absolutionis sacerdotalis quod

spectat, quibusdam compendiis irreperant. In *Doctrina Orthodoxa Platonis Levkchin*, haec leguntur: 'Sacerdos peccatori paenitenti *annuntiat* remissionem peccatorum in nomine Christi'⁹⁵ *Theophylactus Gorskii* inter actus poenitentiae requisitos ponit veram fidem in Christum: 'Vera fides, inquit, ideo ab auctore tamquam pars poenitentiae notatur, quia juxta ipsius doctrinam, reconciliatio cum Deo et justificatio peccatoris fiunt per fidem in Christum, *qua appropriamus merita Christi*'.⁹⁶ *Sylvester Lebedinskii* notat 'usum clavium sive absolutionem non esse jurisdictionem *αυτοκρατορικὴν* vel *δικαστικὴν*, id est, vel *principalem* et *judiciariam* (Is., xliii, 25), sed *διακονικὴν* vel *ὀργανικὴν*, seu *ministerialem* et *subordinatam* sive *organicam* (Matth., xvi, 19)'.⁹⁷ Hodie vero Graeco-Russi absolutionem sacramentalem esse actum judiciale non negant, immo quidam ex ipsis hanc notam diserte illustrent'.⁹⁸

Moderni Protestantess liberales, ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 53-55), mentem Ecclesiae de potestate clavium interpretantes, docent hanc in primitiva Ecclesia non extitisse sed natam et evolutam esse una cum humana evolutione ecclesiae charismaticae in ecclesiam hierarchicam, ita ut primitus remissio peccatorum tribueretur soli Deo aut intelligeretur esse speciale charisma quibusdam sanctoribus viris concessum; postmodum vero inducta fuit ab ecclesiastica hierarchia quaedam forma verae potestatis remittendi peccata, in solo tamen externo foro, ad retinendos nempe vel expellendos peccatores a communitate fidelium et simul ad regulandam externam poenitentiam, impositam illis peccatoribus qui a communitate non excludebantur; tandem facta est pedetemptim usque ad Conc. Later. IV evolutio potestatis clavium in foro externo in potestatem in foro interno, ita ut jam Ecclesia convinceretur se posse vere remittere peccata et sibi hanc remissionem esse reservatam. Cum igitur, juxta Liberales, potestas clavium sit humanae originis, nec possit ulla humana potestas esse vera potestas remissiva peccati in foro interno, sequitur unicum effectum sacramenti Poenitentiae, ab ipsa Ecclesia instituti, esse aliquid pertinens ad forum externum, scilicet canonicam remissionem externae indignitatis et absolutionem ab ecclesiasticis poenis cum ipsa connexis.

Poschmann et *Adam*, inter ipsos eruditos catholicos, ad hanc Liberalium sententiam accesserunt, docentes potestatem clavium, juxta mentem antiquae Ecclesiae, non esse potestatem remittendi ipsum peccatum seu reconciliandi cum Deo, sed concedendi pacem et reconcilia-

⁹⁵ II pars, § 36.

⁹⁶ Orientalis Ecclesiae orthodoxa dogmata, ed. Mosquensis, 1831, p. 202.

⁹⁷ Compendium Theologiae Classicum, ed. Mosquensis, 1805, p. 513.

⁹⁸ Ita *Andrusus*, *Δογματική*, Athenis, 1907, p. 383 sq.

⁹⁹ Theologia Christianorum Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 341 sq.

tionem cum Ecclesia, quae quidem pax ponit peccatorem in illis favorabilibus conditionibus, in quibus tantum, potest a Deo per suam vel aliorum satisfactionem obtinere peccatorum remissionem (ita Poschmann), vel quae reconciliatio declarat poenitenti sufficientiam suae satisfactionis, praestitae Deo pro peccato (ita Adam) (cf. *ibid.* p. 55 sq. 58–60). Ex quo sequitur sacramentum Poenitentiae non vere remittere peccatum, nequidem improprie et indirecte ut admittit secunda sententia mox referenda, nam nullus affirmatur necessarius nexus inter absolutionem Ecclesiae et remissionem peccatorum.

SECUNDA SENTENTIA docet sacramentum Poenitentiae *non proprie* remittere peccatum, sed aliquem effectum habere qui necessario connectitur cum remissione peccatorum.

Ad hoc generaliter ac summatim reducit doctrina fere omnium *theologorum saec. 12 et initii saeculi 13* usque ad S. Thomam. Hi ceteroquin divisi sunt in tres opiniones, non parum discordantes. Nam, juxta plures cum *Petro Lombardo*, ille effectus est authentica declaratio per Ecclesiam remissionis peccati, jam prius obtentae a Deo per actum contritionis; juxta alios cum *Hugone a S. Victore*, effectus est remissio reatus poenae aeternae debitae pro peccato, jam deletio quoque reatum culpae per actum contritionis; alii vero cum *Alex. Halensi* ineunt mediam quamdam explicationem, quae praeparat viam verae doctrinae S. Thomae et juxta quam sacerdos in sacramento se habet veluti intercessor relate ad ipsam remissionem peccati, quae fit a solo Deo, et simul ut vera causa relate ad remissionem poenae.¹

Ad cujus sententiae originem, evolutionem et sensum recte intelligendum attende imprimis quomodo historice quaestio de proprio effectu sacramenti Poenitentiae posita est et ex quibus capitibus processit difficultas eam solvendi apud illos theologos.

Quaestio ipsa posita est sub duplici forma. *Primo* nempe de modo simul componendi duplicem fidei veritatem de nativa vi actus contritionis et de instituta efficacitate sacramenti relate ad eundem prorsus effectum remissionis peccatorum, vel, si placet, de modo componendi necessitatem virtutis Poenitentiae cum necessitate sacramenti Poenitentiae. Necessaria enim susceptio sacramenti nequaquam dispensat ab actu contritionis aut illum substituit sed potius illum praerequit; jamvero contritio est de se remissiva peccati; ergo videtur quod nihil dimittendum relinquat ipsi sacramento; aliis verbis: aut remissio peccati conceditur contritioni et negatur sacramento, aut conceditur

¹ De poenitentiali doctrina horum theologorum jam saepius occurrit sermo in superioribus, ubi de contritione, confessione et absolutione. Cf. tom. 2, p. 221. 283. 284. 304sq. 317–319. 383 in nota. 410. 457 sq.; tom. 3, p. 547. 557 sq. 615.

sacramento et negatur contritioni, supposita utriusque necessitate ad remissionem peccatorum consequendam. *Secundo*, quaestio posita est de modo componendi duplicem causalitatem Dei et sacramenti in eundem effectum remissionis peccatorum; nam remissio peccati, sicut ipsa infusio gratiae, est proprium opus Dei; quomodo ergo potest esse etiam opus sacramenti? et si non est etiam opus sacramenti, quomodo salvari potest veritas verborum evangelicorum “Quorum remisieritis peccata, remittuntur eis” et fides Ecclesiae de vera remissione peccatorum per sacramentum Poenitentiae?

Difficultas autem hoc dilemma solvendi provenit apud illos doctores ex duplici capite, connexo cum duplici modo ponendi quaestionem. *Primo* nempe ex nondum clarificata et expolita distinctione inter contritionem imperfectam, seu attritionem, et contritionem perfectam, quae, ut diximus in art. 23 (tom. 2, p. 5 sq.), invalescere coepit praecise circa finem saec. 12, et ex nondum simul ponderata salutari ratione ipsius imperfectae contritionis, ob quam causam, ut dictum est in art. 33 (ibid., p. 283), doctores illius aetatis, nominatim Petrus Lombardus et Hugo a S. Victore, ad ipsam susceptionem sacramenti requirebant perfectam contritionem. *Secundo* difficultas provenit ex nondum expolita notione instrumentalitatis causalitatis sacramenti, necnon ipsius gratiae sanctificantis per quam fit peccatorum remissio. Quae difficultas augebatur ex quibusdam affirmationibus Patrum, nominatim Augustini, Hieronymi et Gregorii M., assimilantium ministerium sacerdotale in remissionem peccatorum ministerio Apostolorum in resurrectione Lazari, quem Christus solus vivificavit, Apostoli vero tantummodo a vinculis solverunt.²

Hinc communis solutio hujus quaestionis apud praefatos doctores fuit quod remissio peccatorum fit proprie a solo Deo per actum contritionis elicited ante sacramentum, et nihilominus fit etiam subsequenter ab ipso sacramento secundum veram quandam sed impropiam rationem, ad modum nempe alicujus complementi ipsius divinae remissionis. In explicanda autem hac vera et impropria ratione sacramentalis remissionis, illi doctores per duas vias abierunt ac duas praecipuas opiniones protulerunt, quibusdam praeterea quamdam mediam viam tentantibus.

PRIMA OPINIO, magis sollicitè attendens ad propriam vim sacramenti et insistens proprietati verborum institutionis “Quorum remisieritis peccata, remittuntur eis”, *distinguit inter duos effectus remissionis*, seu reatum culpae et reatum poenae, quorum prior tribueretur contri-

² Ob easdem fere rationes natus est inter doctores mediaevales aliquis dissensus circa ipsam necessitatem confessionis, ut dictum est in art. 36 (tom. 2, p. 451 sqq.).

tioni, alter sacramento, ita *limitantes efficacitatem contritionis in favorem sacramenti*.³

Haec opinio nata est in schola S. Victoris, ut quaedam reactio contra alteram opinionem quae invalescere coeperat jam ante Petrum Lombardum, praecipue in schola Abaelardiana, quaeque fere ad nihilum videbatur reducere efficaciam sacramenti. Auctorem habuit *Hugonem a S. Victore* († 1141), quem secuti sunt pauci alii doctores, praecipue illius discipulus et continuator Richardus a S. Victore († 1173) necnon Anonymus auctor operis *Summa Sententiarum* (probabiliter alius discipulus Hugonis).⁴

Hugo a S. Victore, explicite impugnans supradictam opinionem scholae Abaelardianae ut non sufficienter concordem verbis institutionis, distinguit in peccatore duplex ligamen, scilicet ligamen obdurationis mentis (juxta posteriorem terminologiam, reatum culpae seu privationem gratiae) et ligamen seu debitum aeternae damnationis (reatum poenae aeternae) quod appellat "peccatum ipsum"; prius ligamen solvit solus Deus, auctor gratiae, ope perfectae contritionis ante sacramentum, alterum vero solvit sacerdos in sacramento, qui ita vere et proprie dicitur remittere peccatum quod est vinculum aeternae damnationis.

Richardus a S. Victore, impugnans eandem opinionem, etiam postquam ab ipso Petro Lombardo amplexa fuerit, eamque appellans "tam frivolum ut ridenda videatur postiusquam refellenda", in suo peculiari tractatu ad hoc conscripto "De potestate ligandi et solvendi" complicat, vel potius perficit, sententiam sui magistri, introducendo triplicem distinctionem, per quam de facto aliquid concedit sententiae Petri Lombardi et mediam assumit viam, propinquiorem veritati. Primum ligamen obdurationis subdistinguit in vinculum captivitatis (i.e. impossibilitatem recte operandi) et vinculum servitutis (i.e. inclinationem in malum); secundum ligamen seu debitum poenae subdistinguit in vinculum damnationis et vinculum expiationis; praeterea vinculum expiationis subdistinguit in debitum poenae aeternae et debitum poenae temporalis. Deus ante sacramentum homini contrito solvit totum ligamen obdurationis (sive quoad vinculum captivitatis sive quoad vinculum servitutis), tum etiam ligamen poenae quoad vinculum damnationis (in hoc Richardus aliquatenus recedit ab Hugone et accedit ad Lombardum), sed tamen conditionate tantum, i.e. sub conditione suscipiendae absolutionis; sacerdos vero influit tum reddendo

³ Cf. dicta in art. 33, tom. 2, p. 283.

⁴ Hoc opus extat inter opera Hugonis eique olim tribuebatur. De ejus indole et auctore cf. *J. de Ghellink*, *Le mouvement théologique du xii siècle*, Bruxelles, Paris, 1948, p. 197-203.

definitivam eam conditionatam solutionem vinculi damnationis, tum conficiendo vel reformando vinculum expiationis, seu obligando poenitentem ad expiationem poenae temporalis pro aeterna, quasi convertens poenam aeternam in temporalem et poenam non expiatoriam in expiatoriam (in hoc Richardus accedit ad Rolandum Bandinelli, assumens in consideratione sacramentalis efficaciae elementum poenae temporalis ab illo introductum).

HUGO A S. VICTORE, De sacramentis, l. 2, p. 14, c. 8: "Potestatem remittendi peccata quidam soli Deo ita ascribere conantur, ut in ea hominem participem fieri posse nullo modo concedant. Et ad confirmationem hujus assertionis adducunt mundationem illius leprosi, quem Dominus prius per semetipsum sanitati restituit, ac sic deinde ad sacerdotes misit; non ut ejus mundatio virtute illorum perficeretur, sed ut tantummodo testimonio illorum confirmaretur. . . Sed fortassis qui haec de absolute peccatorum dicunt, quomodo quisque peccato ligetur, non satis diligenter attendunt.

"Duobus enim modis peccator ligatus est. Ligatus est obduratione mentis, ligatus est debito futurae damnationis. . . Sed quia nemo sua virtute post ruinam peccati resurgere valeret, nisi divina misericordia gratuito praeveniens eum suscitaret: Ideo necesse est ut Deus gratiam suam quam peccantibus nobis juste subtraxerat, quando ad poenitentiam vivificandi sumus, sola misericordia nullis nostris meritis praecedentibus reddat, quatenus ipsa gratia adveniens cor nostrum a torpore infidelitatis et a peccati morte exsuscitet, ut scilicet dum primum ipsa sola operante ad poenitentiam compuncti a vinculis torporis absolvimur, etiam ipsa deinde cooperante, poenitentes a debito damnationis absolvi mereamur. Hoc bene in resuscitatione Lazari signatum est, quem ipse Dominus per se prius intrinsecus a vinculo mortis absolvit, vivificatum autem deforis ministerio ipsorum apostolorum solvi praecepit" (M.L. 176, 564 sq.).

RICHARDUS A S. VICTORE, De potestate ligandi et solvendi, c. 12, 13 sq. 18. 19. 23. 24: "*Exstat quorundam de potestate ligandi atque solvendi sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius quam refellenda.* Putant enim et praedicant sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos. Sed nunquid Deus dicit: Quodcumque ligatum ostenderit erit ligatum, et quodcumque solutum ostenderit erit solutum? Dicunt apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi cum Dominus hoc non dicat: Quorum remiseritis, inquit, peccata, non quorum remissa ostenderitis, remittuntur eis. Dicunt, quia, in remittendis vel retinendis culpis id juris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim sub lege habebant legales in curandis leprosis. Non autem habebant illi legales potestatem curandi, sed iudicandi et ostendendi utrum essent an non essent qui putabantur leprosi. Ecce credimus quod isti et illi idem habent officium, illi discernendi inter lepram et lepram, isti dijudicandi inter culpam et culpam. . .

"Quando Deus dat animae peccatrici odisse quod prius amabat, detestari quod antea desiderabat cum voto continendi, confitendi, satisfaciendi, efficitur statim emundatio integra et plena leprosi. Quid est autem leproso in leprae emundatione tria illa praecipere, nisi votum continendi, confitendi, satisfaciendi per internam aspirationem purgandae animae persuadere? . . . Sed haec omnia, inquis, Dominus per semetipsum operatur. Quid ergo sacerdoti relinquatur? Multum per omnem modum, et vere magnum et valde magnum. Sicut aliud est resuscitare mortuum, et aliud *solvere vinculum*, sic aliud est leprosum mundare, et aliud ejus vincula solvere. . . Nonne leprosum, sed mundatum sacerdos ligat et solvit? *Ligat in*

reddenda debitae satisfactionis et purgationis hostia, solvit in indulta revertend licentia. . .

“Distinguamus diligenter quid Dominus faciat per semetipsum, quid faciat per ministrum suum. Per semetipsum resuscitat mortuum, per ministros solvit ligatum. Per semetipsum mundat leprosum, ministerio sacerdotis reducit ejectum. Mortuum resuscitare, leprosum mundare, ad idem videtur respicere: nam utrobique solvitur obligatio culpa. Sed et vinctum solvere, vel ejectum reducere, ad idem nihilominus videtur respicere, quoniam utrobique sequitur obligatio poenae. Leprosus mundatur, quando perversus quisque pravitatis suae sordibus divinitus exiit; mortuus resuscitatur, quando peccato captivatus ad bene vivendum divinitus animatur. Post emundationem leprae sacerdotali officio interveniente, ejectus prius in sua reducit, quando aeternae quietis mansionem quam peccando amiserat *per injunctam satisfactionem recuperasse cognoscitur*. Institis involutus, et a Domini ministris solutus, abire et ad sua redire permittitur, quando per absolutionem et consilium sacerdotis ad vitae novitatem reformatur. . .

“Quidam quidem opponunt et dicunt: Qui veraciter de suis criminibus poenitent. pro certo jam charitatem habent. . . Sed, ut putant, qui charitatem habet debito damnationis aeternae teneri non valet. Quomodo ergo sacerdos eum ab ejusmodi debito absolvit, si ante sacerdotalem absolutionem charitatem interveniente absolvi jam meruit? Sed absque ulla dubitatione patriarchae et prophetae charitatem habuere, et tamen tenebantur debito damnationis aeternae. Alioquin nec ad inferna descenderent, nec Christi morte, nec ulla redemptione egerent. Absque ulla igitur ambiguitate tenebantur debito damnationis aeternae, non quod eis aeterna fuerit, sed quod eis aeterna fuisset, nisi mors Christi eos ab hoc debito absolveret. Constat ergo quod utrumque simul contingat, ut et homo charitatem habeat, et eum adhuc debitum damnationis teneat. . .

“Ad majorem evidentiam ante jam dictis aliquid addere non me pigebit ubi oportet. In omni peccato duo sunt consideranda, divina videlicet injuria et committentis corruptela. Illud est iniquitatis et impietatis, istud inhonestatis et deformitatis. Unum namque idemque peccatum et iniquitas est quantum ad Deum, et deformitas quantum ad seipsum. . . Valet ergo Deus et solet in uno eodemque crimine et id quod iniquitatis et impietatis est remittere, et quod inhonestatis et impuritatis est per semetipsum purgatorio igne mundare, vel *quid in hoc purgationis debito remittendum, vel quid satisfactionis medela curandum sit ministrorum suorum dispensationi committere*. . . Hinc ergo possumus colligere sacerdotalis illa absolutio quantae virtutis sit et excellentiae, quae veraciter poenitentem et studiose satisfactum liberat, non solum a truci incendio aeterni supplicii, verum etiam a concrementatione ignis purgatorii. . . Ecce habes quid debeas sentire tam de divina quam de sacerdotali remissione.

“Possumus tamen dicere quod aliud sit peccata remittere, aliud autem peccata dimittere, quamvis forte inveniatur ubi unum pro altero ponitur. Peccata namque dimittere, hoc est ex toto indulgere. Peccata vero remittere, hoc est debitam eis poenam temperare, et ex majori parte relaxare. Quamvis ergo, quaeso, peccati remissionem, vel poenae relaxationem putas, quando ex munere divino poena aeterna in purgatoriam et transitoriam transfertur vel sacerdotali officio illud purgatorium incendium in poenam poenitentialem transmutatur? Ecce jam habes quod ipse quaesisti, quae videlicet vel qualis sit divina seu sacerdotalis remissio ubi exigitur diuturna saepe et satis molesta expiatio. Quod enim possint sacerdotes peccata remittere, et futura incendia poenitentialem satisfactione exstinguere, omnes in commune credimus et tenemus. Quod autem possint quaelibet peccata quantumlibet criminalia ex toto dimittere, et sine aliqua omnino satisfactione plene et sine periculo indulgere, nec credimus, nec tenemus” (M.L. 196, 1168–1176).

SECUNDA OPINIO, magis attendens ad propriam et perfectam vim justificativam actus contritionis et ad exclusivum jus causae divinae in opere justificationis, retinet unitatem et inseparabilitatem effectus remissionis quoad utrumque reatum, *totum tribuens actui contritionis* et causae divinae, veluti *in detrimentum sacramenti*; sed simul, ad salvandam veram efficaciam sacramenti, distinguit inter duos modos remissionis ejusdem reatus, alterum interiorem ac productivum, alterum exteriorem ac declarativum. Solus nempe Deus in contritione ante sacramentum delet peccatum (quoad utrumque reatum culpae et poenae), ac ideo solus Deus proprie remittit et delet peccatum; sacerdos vero in sacramento declarat deletum, ac ideo non proprie remittit, etsi vere remittat seu in improprio sensu declarativo remissionis. Ceterum, quod est sedulo notandum, inter remissionem peccati factam per contritionem et declarativum sacramentum, ille intercedit intimus nexus quod contritio non remittit peccatum nisi ex voto sacramenti, seu sub conditione confessionis peragenda.

Haec opinio praecursorem habuit *S. Anselmum* († 1109), facilem ac connaturalem favorem obtinuit in schola Abaelardiana (Abaelardus enim [† 1142], ut supra dictum est, ultra progressus, fere nihil videbatur concedere efficaciae sacramenti, imo visus est negare ipsam clavium potestatem), praecipuum defensorem invenit in *Petro Lombardo* († 1160), ob cujus auctoritatem facta est longe communior apud doctores circa finem saec. 12 et initium saec. 13. Inter praecipuos defensores hujus opinionis notandi sunt: *Robertus Pullus* († 1146; Sent., l. 6, c. 61), *Gratianus* († 1158; De poenitentia, dist. 1), *Rolandus Bandinelli* (subinde Alexander III; † 1181⁵), *Petrus Pictaviensis* († 1205), *Praepositimus* († 1217).

Ceterum quidam ex his doctoribus transeunter saltem introducunt unum vel alterum elementum, praeter meram declarationem factae remissionis, ad explicandam remissivam efficaciam sacramenti, ac ita praeparant viam rectae sententiae S. Thomae in quam omnia veritatis fragmenta, in praecedentibus opinionibus dissita, mox confluerent et in unum colligi debebant. Sic Pullus ait effectum absolutionis esse *augmentum gratiae*, Rolandus introducit considerationem remissionis poenae temporalis per sacramentum, quae non clara est apud Lombardum (nam iste videtur loqui tantum de solutione seu dispensatione ab implenda poena ab ipso sacerdote imposita), quamque assumpserunt tum Richardus a S. Victore in praecedenti opinione, tum subinde *Guilhelmus Altissiodorensis* († 1223), qui imo videtur per ipsam solam remissionem poenae temporalis explicare efficaciam sacramenti ac ita

⁵Cf. Die Sentenzen Rolands, ed. Gietl, Freiburg, 1891, p. 248.

constituere mediam quamdam opinionem (Summa aurea, l. 4, De generali usu clavium).

ANSELMUS: “‘Quos ut’ intuitu clementiae ‘vidit, dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibus’, id est per humilem oris confessionem sacerdotibus veraciter manifestate omnes interioris leprae vestrae maculas, ut mundari possitis. Et quod rogabant factum est eis ‘dum irent’ ad sacerdotes, quia, scilicet, ‘mundati sunt’, quoniam peccatores, licet gravi criminum lepra sint foedati, euntes tamen ad confitendum, purgantur in ipsa confessione propter poenitentiam quam acturi sunt. ‘Dum irent, mundati sunt’, quia ex quo iter hoc intrant, incipiunt operari iustitiam; et iustitiae operatio est eorum mundatio. ‘Dum irent, mundati sunt’, quia ex quo tendentes ad confessionem et poenitentiam, tota deliberatione mentis peccata sua damnant, et deserunt; liberantur ab eis in conspectu interni inspectoris. Unde et per prophetam Dominus ipse testatur quia ‘impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua’ (*Ezech.* xxxiii, 12). Pervenendum tamen est ad sacerdotes, et ab eis quaerenda solutio, ut qui jam coram Deo sunt mundati, sacerdotum iudicio etiam hominibus ostendantur mundi” (Hom. 13, M.L. 158, 662).

PETRUS LOMBARDUS: “Hic quaeri solet si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo poenitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei a sacerdote. Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet, temporalis poenae, sed non a quo eum absolvat. Et ideo quaero. Ante poenitudinem quippe cordis, anima rei maculam habet et foetorem peccati, atque aeternae ultionis vinculo ligata existit. Si vero ante confessionem per cordis contritionem Deus per seipsum sine ministerio sacerdotis et debitum omnino relaxat, et animam interius purgat a contagione et foetore peccati; quid ergo mundat, quid dimittit sacerdos? ubi sunt claves illae quas Dominus tradidit Petro et successoribus ejus, dicens, Matth. 16. . . Quaeritur utrum a peccato solvere valeat sacerdos, id est, a culpa, ut palpeae maculam abstergat, vel debitum aeternae mortis solvere valeat.

“*Quidam arbitrati sunt*, cum peccator dupliciter ligatus teneatur, ut praedictum est, scilicet, mentis contagione ac caecitate, et debito futurae poenae, alteram curari per Deum, alterum solvi per sacerdotem. . . *Alii vero dicunt* solum Deum, non sacerdotem, debitum aeternae mortis dimittere, sicut et animam interius per se vivificat; nec tamen diffitentur sacerdotibus traditam potestatem peccata dimittendi et retinendi, quibus dictum est, Joann. 10: ‘Quorum remisistis peccata’, etc. Sicut enim Christus retinuit sibi potestatem Baptismi, ita et Poenitentiae. Et ideo sicut interius gratia sua animam illuminat, ita et simul debitum aeternae mortis relaxat. Ipse enim per seipsum peccata poenitentium tegit; et tunc tegit quando ad poenam non reservat. Tunc ergo tegit, quando debitum poenae solvit. Quod autem ipse tegat, aperte dicit *Aug.* . . . Item *Hieron.* . . Item *Cassiodorus.* . .

“*Ex his aperte ostenditur* quod Deus ipse poenitentem solvit a debito poenae; et tunc solvit quando intus illuminat, inspirando veram cordis contritionem. Cui sententiae ratio suffragatur, et auctoritates attestantur. Nemo enim vere compungitur de peccato, habens cor contritum et humiliatum, nisi in charitate. Qui autem charitatem habet, dignus est vita aeterna. Nemo autem simul vita et morte dignus est. Non est ergo tunc ligatus debito aeternae mortis. Filius enim irae esse desiit ex quo diligere coepit. Ex tunc ergo solutus est ab ira, quae non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit. Non ergo postmodum per sacerdotem cui confitetur ab ira aeterna liberatur, a qua jam liberatus est per Dominum, ex quo dixit: ‘Confitebor’. Solus ergo Deus hominem interius mundat a peccati macula, et a debito aeternae poenae solvit. . .

“*Nec ideo tamen negamus sacerdotibus concessam potestatem dimittendi et*

retinendi peccata, cum hoc Veritas in Evangelio aperte doceat. . . Hoc sane dicere ac sentire possumus, quod solus Deus dimittit peccata et retinet; et tamen Ecclesiae contulit potestatem ligandi et solvendi, sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, qui et animam mundat ab interiori macula, et a debito aeternae mortis solvit. . . Non autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem solvendi et ligandi, id est, ostendendi homines ligatos vel solutos. Unde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit discipulis solvendum. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiae solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis. In solvendis ergo culpis vel retinendis, ita operatur sacerdos evangelicus et iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quae peccatum signat. . . Hic aperte ostenditur quod non semper sequitur Deus Ecclesiae iudicium, quae per surreptionem et ignorantiam interdum iudicat, Deus autem semper iudicat secundum veritatem. Et in remittendis vel in retinendis culpis id iuris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim habebant sub lege legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel retenta iudicant et ostendunt. . .

“Ligant quoque sacerdotes, dum satisfactionem Poenitentiae constantibus imponunt. Solvunt, cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. . . Secundum hunc modum dicuntur etiam sacerdotes dimittere peccata vel retinere. . . Opus enim iustitiae exercent in peccatores, cum eos iusta poena ligant; opus misericordiae, dum de ea aliquid relaxant, vel sacramentorum communioni conciliant; alia opera in peccatores exercere nequeunt. Et notandum est quia quos satisfactione poenitentiae ligant, eo ipso a peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio poenitentialis, nisi quem sacerdos vere poenitentem arbitratur. Aliis vero non imponunt; et eo ipso peccatum retineri a Deo iudicant” (Sent., l. 4, dist. 18, n. 1-7, M.L. 192, 885-888).

PETRUS PICTAVIENSIS: “Deus dicitur dimittere peccata, quia animam omnino mundat a peccato et eam mortificatam suscitatur, et solvit prorsus a reatu peccati. . . Item, dicitur Deus dimittere vel solvere peccata quantum ad poenam, quia liberat hominem a poena aeterna, et ita duobus modis dimittit et solvit peccata. . . Sacerdos autem peccatum non solvit, nec quantum ad poenam, nec quantum ad reatum, sed solvit et dimittit, id est ostendit esse solutum et dimissum a Deo quantum ad reatum. Quia vero nescit ipsum esse dimissum quantum ad poenam, injungit ei temporalem poenam. Similiter ligat, id est ostendit esse ligatum. Unde absolvit, et excommunicat homines” (Sent. 3, 16, M.L. 211, 1073).

TERTIA OPINIO, media inter praecedentes, conatur quasi ex aequo salvare iura et efficaciam tum contritionis tum sacramenti, imo utramque efficaciam apte in unum conjungere, ac ita propius accedit ad veritatem, etsi nondum concedat plenam sacramenti efficaciam nec explicet sacramentum proprie remittere peccata, sed stet citra rectum medium plenamque synthesim, quam S. Thomas primus attingere debebat.

Docet nempe potestatem clavium sese extendere etiam ad ipsam remissionem peccati, non tamen “per modum impertientis”, sed *tantum “per modum deprecantis et impetrantis”* (Alex. Halensis). Unde in absolute sacerdotis distinguit duplicem formulam, alteram deprecativam⁶ (ut verba “Misereatur” et “Indulgentia”), quae ordinatur ad

⁶Cf. supra in art. 79 et 81, tom. 3, p. 547. 558. 615. 644. 649.

impetrandam a Deo gratiam remissivam peccatorum vel actum perfectae contritionis justificantis (ita ut, in casu quo quis bona fide accedit cum sola attritione, haec vertatur in contritionem justificativam), et alteram indicativam, quae est absolutio simpliciter dicta quaeque ordinatur non ad gratiam conferendam seu peccata remittenda (cum supponantur remissa per contritionem), sed tantum ad declarandam remissionem jam a Deo factam, ad reconciliandum cum Ecclesia et ad remittendam partem poenae temporalis pro peccatis debitae. Attamen, cum proprie "potestas sonet actionem impertientem" (Alex. Halensis), "potestas clavium proprie loquendo non se extendit supra culpam" (Bonaventura).

Hanc opinionem primus inexit *Alexander Halensis* († 1245) magisque explicavit discipulus ejus *Bonaventura* († 1274), sed in suis propriis terminis non multum favorem obtinuit, cum substantialiter non differret a communi sententia Petri Lombardi, atque cum suis editoribus decidit.

ALEX. HALENSIS: "Si quaeratur utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum est quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis absolutionem; sed per modum impertientis, nequaquam. Quoniam ergo potestas sonat in actionem impertientem ex se, potest dici convenienter et vere quod non extendit se supra culpam" (Summa Theol., pars 4, q. 21, m. 1).⁷

BONAVENTURA: "In forma absolutionis praemittitur deprecatio per modum deprecativum, et subiungitur absolutio per modum indicativum; et deprecatio gratiam impetrat, sed absolutio praesupponit. Numquam enim sacerdos absolveret quemquam, de quo non praesumeret quod esset absolutus a Deo. Si ergo quaeratur, utrum potestas clavium se extendat ad delendam culpam, dicendum quod bene potest se extendere per modum deprecantis et impetrantis, . . . sed per modum impertientis non. Quoniam ergo potestas sonat per modum activi et impertientis ex se, hinc est quod potestas clavium, proprie loquendo, non se extendit supra culpam" (In 4 Sent., dist. 18, pars 1, a. 2, q. 1;⁸ cf. dist. 17, pars 2, a. 2, q. 3, cit. in art. 33, tom. 2, p. 284).

Sunt et aliae quaedam mediae opiniones, prolatae etiam posteriori tempore a solitariis quibusdam theologis, quae conantur uno vel alio modo explicare quomodo huic sacramento vere conveniat remissio peccatorum, ultra quidem opinionem Petri Lombardi sed adhuc citra rectam sententiam S. Thomae, ita ut reapse negent per sacramentum proprie remitti peccata.

Ita quidam *Nominales*, ut *Biel*, dicunt hominem per solam contritionem, vel, si placet, per absolutionem in voto, liberari a peccato; per ipsam vero absolutionem in re, liberari tantummodo ab obligatione eadem peccata iterum confitendi, seu Ecclesiae clavibus subiciendi.

⁷ Cf. alia Halensis verba recitata in art. 81, tom. 3, p. 644.

⁸ Opera Theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 457 sq.

Quam explicationem, una cum aliis supradictis, jam protulerant quidam antiquiores defensores sententiae Lombardi, uti *Albertus M.* († 1280; In 4 Sent., dist. 17, a. 8). Ceterum *Biel* ad salvandam efficaciam sacramenti explicite quoque insistit in hoc quod remissio per antecedentem contritionem fit ex voto sacramenti et sacramentum ipsum confert augmentum gratiae, etsi non primam gratiam. Ad rem ipse: “[In hac sententia] in nullo derogatur sacramento, sed magis commendatur: quoniam causat effectum sive culpae deletionem *in voto*, quod includitur in contritione, antequam exhibeatur in opere . . . et hoc est signum magnae efficaciae, sicut et passio Christi in hoc est efficax, quia operata est salutem in Patribus V. L. priusquam exhiberetur in effectu. Nec propter hoc est simile Sacramentis V. L. quae tantum significabant seu promittebant; quia hoc Sacramentum confert gratiam, etsi non primam simpliciter, *confert tamen augmentum gratiae*, sicut et baptismus adulto, et cetera Sacramenta suscipientibus: et hoc ex opere operato, quod non faciebant veteris testamenti Sacramenta” (In 4 Sent., dist. 14, q. 2).

Joannes Medina (Cod. de Poenit., tr. 2, q. 38), singulariter docet effectum absolutionis esse aperiitionem regni coelorum, seu collationem juris ad ingrediendum regnum coelorum, ac si, remisso per contritionem peccato tam quoad culpam quam quoad poenam aeternam, nondum poenitens habeat expeditum jus ad ingressum paradisi donec accedat sacerdotis absolutio, quemadmodum contigit Patribus in Limbo usque ad Ascensionem Christi.⁹

Ceterum hic tacemus de variis modis, quibus theologi explicant effectum sacramenti et veritatem verborum absolutionis in casu quo absoluntur peccata jam remissa; haec enim est alia quaestio (quantumvis cum praesenti connexa), de qua egimus ex professo in art. 7 (tom. 1, p. 218–225) et in art. 79 (tom. 3, p. 567 sqq.).

TERTIA SENTENTIA docet sacramentum Poenitentiae remittere peccata *vere et proprie*, seu habere pro effectu ipsam remissionem peccatorum, causando gratiam qua peccata delentur.

Hanc sententiam tenent communiter theologi post S. Thomam usque ad Conc. Trid., et a fortiori post Conc. Trid., ex cuius decisione, ut explicabitur infra (p. 269), ipsa evasit theologice certa. Nec ab ista sententia recesserunt illi theologi saec. 17–18 qui regressi sunt ad eandem fere doctrinam de necessitate perfectae contritionis ad justificationem sacramentalem, ex qua Petrus Lombardus aliique antiquiores non illogice deduxerunt suam negationem propriae dictae efficacitatis

⁹ Cf. apud *Lugo*, Disp. 13, sect. 2, n. 44 sq., et *Joannem a S. Thoma*, Disp. 33, a. 3, n. 18 et 24.

sacramenti in remissionem peccatorum; nam hi theologi de facto admittunt sacramentum semper causare gratiam de se remissivam peccatorum, etsi jam praecesserit ipsa remissio per contritionem, eo modo quo omnes doctores admittunt efficacitatem absolutionis latae de peccatis jam prius absolutis vel remissis (cf. art. 33, tom. 2, p. 285 et 317–319). Ceterum nemo negabit logicam intercedere connexionem inter praedictam doctrinam Lombardi et opinionem istorum theologorum, quantumvis ipsi conentur ab hac cognatione sese expurgare.

S. *Thomas*, primus omnium, hanc sententiam explicite et determinate proposuit, transiens et ipse per duas phases quae tamen respiciunt ulteriorem praecisionem doctrinae, conceptum nempe directae remissionis peccati per sacramentum, ut infra explicabitur. Ceterum, sententiam S. Thomae praeparavit, apud theologos paulo anteriores, progressiva expulsio duorum defectuum, unde processit error Lombardi et Hugonis, scilicet clarificatio distinctionis inter perfectam contritionem et attritionem, huiusque salutaris indolis, et major determinatio instrumentalitatis sacramenti; in qua praeparatione partes praecipuas habuerunt Bonaventura, Albertus M., Alex. Halensis († 1245) et signantius *Guilelmus Alverniensis* († 1248; docere destitit inde ab a. 1228, cum creatus est archiepiscopus parisiensis) qui primus docuit sufficientiam attritionis in sacramento. Praeterea non defuit unus vel alter qui satis propinque accesserit ad expressionem doctrinae S. Thomae; ita jam circa finem saec. 11 *Bonizo Sutriensis* scribebat: “Remissio peccatorum, *quae fit per absolutionem* sacerdotis non expectat prolixitatem, sed quacumque hora peccator scelera sua sacerdoti confiteri non erubescens vere poenituerit, *judicatus a sacerdote* illico jam non est peccator, sed justus” (Liber de vita christiana, 9, 2);¹⁰ item praefatus *Guilelmus Alverniensis*: “Ad absolutionem et benedictionem sacerdotalem . . . dirumpi vincula peccatorum nullatenus dubitamus. . . [His] qui jam gratiae pristinae restituti sacerdotalem benedictionem et absolutionem peccata sua confessi recipiunt, pie credimus et sentimus . . . ipsam gratiam augeri” (De sacr. poenitentiae, c. 4).¹¹

S. *THOMAS* suam doctrinam de efficacia et effectu sacramenti Poenitentiae exponit praecipue in tribus locis, i.e. In 4 Sent., dist. 17. 18. 19 (peculiariter dist. 18, q. 1), quae referuntur in Supplemento tertiae partis, q. 1–20; Opusc. 22 De forma absolutionis (peculiariter c. 3); 3 p., q. 84–90 (praesertim q. 84, a. 3; q. 86, a. 6). Ceterum his logice coniungi debent loci in quibus S. Doctor loquitur de efficacia et

¹⁰ Ed. Perols, 1930, p. 276.

¹¹ Opera, Parisiis, 1676, p. 462. De doctrina huius theologi disserit *P. Anciaux*, Le sacrement de Pénitence chez Guillaume d'Auvergne, in Ephemerides Theologicae Lovanienses, v. 24 (1948), p. 98–118.

effectu sacramenti in genere, i.e. In 4 Sent., dist. 1, q. 1, a. 4 et 5; 3 p., q. 62.

Praesertim ad rem faciunt sequentes loci, quorum plures passim in superioribus citavimus: 3 p., q. 80, a. 4, ad 2; q. 84, a. 3, corp. et ad 3, 4, 5 (cit. in art. 78 et 79, tom. 3, p. 527–533. 557–559); q. 86, a. 2, corp. et ad 2; a. 6; C. Gent. 4, 72; In 4 Sent., dist. 6, q. 1, a. 3, q. 1, ad 5 (cit. in art. 33, tom. 2, p. 299); dist. 14, q. 2, a. 1, q. 1; dist. 17, q. 2, a. 5 (cit. ibid., p. 298); dist. 18, q. 1, a. 3, q. 1 (cit. ibid.); dist. 22, q. 2, a. 1, q. 3 (cit. ibid., p. 299); Opusc. 22 De forma absolutionis, c. 1 et 3 (cit. in art. 79, tom. 3, p. 548 sq. 553 sq.); Quodlib. 4, q. 7, n. 10 (cit. in art. 33, tom. 2, p. 299 sq.); In Matth. 16, n. 2 (cit. ibid., p. 300 sq.); In Joann. 11, l. 6, n. 6 (cit. ibid., p. 301). Quidam textus, qui solent opponi ad ostendendum S. Doctorem docuisse cum aliis theologis necessitatem perfectae contritionis ad susceptionem sacramenti, allati ac discussi sunt in art. 33 (tom. 2, p. 301–303).

Ex his aliisque locis apparet S. Doctorem in unum colligere omnia elementa veritatis sparsim contenta in praecedentibus opinionibus. Quam maxime imprimis attentionem ipse dirigit in verba institutionis “Quorum remiseritis peccata” et “Quaecumque solveritis”, quorum vim non satis ponderabant antiquiores cum Petro Lombardo, abstracti a consideratione propriae efficaciae actus contritionis. Secundo, attentionem dirigit ad propriam indolem sacramenti, veri signi et verae causae gratiae ex opere operato, quae tota convenit ipsi poenitentiae, quantumvis componatur humanis actibus et dispositionibus, ac velut informetur ipsa virtute Poenitentiae ejusque actu contritionis. Tertio, attentionem convertens ad actum contritionis, ipsum considerat non mere secundum se ac veluti abstractivè, sed in sua intima et necessaria connexionè cum sacramento, sive eliciatur ante sacramentum, in quo casu justificat ex voto sacramenti, sive eliciatur in conjunctione cum sacramento et ut ejus materialis pars, in quo casu concurrat ad modum unius cum absolutione ad unum et indivisum effectum signi sacramentalis. Quarto, hanc sacramentalem contritionem considerat secundum suam distinctionem in perfectam contritionem et attritionem sufficientem ad valorem et fructum sacramenti. Ex his deducit, ac firmiter docet, sacramentum Poenitentiae esse vere et proprie causam remissionis peccati secundum utrumque reatum culpae et poenae tam aeternae quam temporalis.

Quidam dicunt doctrinam S. Thomae esse adhuc imperfectam, primo, quia nondum satis clare docet essentialè distinctionem inter attritionem et contritionem, quemadmodum posteriores theologi inde a

Scoto vel Durando; *secundo*, quia nondum simpliciter docet sufficientiam attritionis in sacramento, sicut postmodum explicitè docuit Scotus, sed cum Halensi et Bonaventura requirit perfectam contritionem, excepto casu quo attritio existimetur contritio; *tertio*, quia nondum admittit sacramentum Poenitentiae causare directe ipsam remissionem peccati, sicut posterius clare docet Scotus, sed vult sacramentum inducere remissionem peccatorum tantum indirecte et mediate, causando nempe directe et immediate aliquam dispositionem cui exigitive adnectitur gratia remissiva peccatorum; ita ejus doctrina vix differt a sententia Halensis et Bonaventurae.

Ita inter alios judicat *Galtier* scribens: "Schultes O.P. contendit, at non evincit, S. Thomam clarissime repetivisse distinctionem utriusque contritionis ex diversitate motivorum: Reue und Busssakrament, p. 12 et 16-17".¹²

"[Alex. Halensis, Bonaventura et S. Thomas saltem junior] docebant suscipiendo efficaciter sacramento sufficere contritionem bona fide mere existimatum. . . Addebant . . . effectum . . . non produci nisi producta prius in subjecto dispositione contritionis perfectae. . . [Nota tamen] eosdem non admisisse sufficere attritionem cognitam ut talem. . . Scotus [vero] . . . clare distinguit duas vias quibus gratia percipi potest [i.e. per solam perfectam contritionem et per solum sacramentum sine perfecta contritione]. . . Et revera . . . explicitè . . . docet 'sacramentum poenitentiae posse digne recipi ab attrito . . . tanta attritione quae non sufficiat per modum meriti ad justificationem percipiendam in termino attritionis'".¹³

"S. Thomas primo docet sacramentum Poenitentiae, sicut et baptismatis, ordinari directe 'contra culpam' . . . (in IV, dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1) . . . Eandem doctrinam brevius et firmiter exponit in Summa Theologica (III, q. 84, a. 1-7; q. 86, a. 6; etc.). Attamen ubi pressius determinat modum quo sacramentum qua tale peccatum dimittit et gratiam infundit seu instrumentaliter operatur effectum ad quem ordinatur, causalitatem directam et immediatam non audet illi ascribere sed tantum mediatam. Tenet nempe sacramentum hoc sensu producere gratiam quod producit in anima dispositionem perfectam, cui remissio peccati adnectitur. . . Unde apparet eum non ita, quoad rem, dissentire a S. Bonaventura, ex quo absolutio non attingit proprie culpam sed tantum improprie, quatenus, ut est deprecativa, impetrat peccatori dispositionem, quae secundum veritatem sufficiat ad caritatem (in IV, dist. 17, p. 2, a. 2, q. 3 et dist. 18, p. 1, a. 2, q. 1). *Scotus* econtra non tantum pariter 'concedit quod sacerdos ita dimittit

¹² De Paenitentia, n. 57, Parisiis, 1931, p. 38 in nota.

¹³ Ibid., n. 387, p. 289 sq.

peccatum in poenitentia sicut in baptismo, et ita absolvit sicut baptizat, effectum [scilicet] sacramenti ministerialiter causat, [quatenus] aliquid [ritum scilicet sacramentalem] causat ad quod, secundum dispositionem seu pactionem Dei, regulariter sequitur effectus sacramenti' (in IV, dist. 14, q. 4, n. 11), sed etiam contendit de ratione sacramenti esse ut per seipsum et non tantum per praevidiam dispositionem procuret gratiam."¹⁴

Trium harum assertionum, primam refutavimus in art. 23 (tom. 2, p. 7–10), secundam in art. 33 (ibid., p. 296–303. 304–307), tertiam in tract. De sacr. in gen. (art. 10, p. 172–174), ubi, quod attinet saltem ad generalem doctrinam de causalitate sacramentorum, diximus S. Thomam in Sententiis et ad modum potius commentatoris docuisse mediatum tantum influxum in ipsam gratiam, in Summa vero, mutata vel potius prolata propria tamquam doctoris sententia, admisisse immediatum influxum in ipsam gratiam; idem ceteroquin apparet in ipsa praesenti quaestione, in qua S. Doctor applicat generalem illam doctrinam ad explicandam efficaciam hujus sacramenti Poenitentiae, ut constat ex locis nuper memoratis, quorum plures habes in praedicto art. 33 ubi sufficienter de mente S. Doctoris locuti sumus. Hanc discrepantiam inter doctrinam Comm. in Sent. et doctrinam Summae apte advertit *D'Alès*, scribens: "S. Thomas iunior nondum audet aperte recedere a vestigiis Magistri, sed conatur illum interpretari benigne . . . Senior autem protulit maturiorem sententiam. . . Baptismum et Poenitentiam operari instrumentaliter ad causandam ipsam remissionem peccatorum ac non tantum dispositionem ad illam, S. Thomas iunior negaverat, senior asseruit. Haec posterior [est] eius certa rataque sententia".¹⁵ Idem connaturaliter suspicatur *A. Vacant* scribens: "[S. Thomas] affirme . . . que les causes même instrumentales ne produisent pas directement, qu'elles amènent seulement, *inducunt*, la grâce justifiante et la rémission du péché . . . car, dit-il, du moins dans son commentaire sur les *Sentences* (la *Somme théologique* semble accorder aux sacrements plus de causalité, III, q. LXII), les sacrements sont des instruments de Dieu non justifiant, mais disposant, en tant qu'ils produisent une disposition qui rend nécessaire la grâce sanctifiante."¹⁶

Praeterea intelligere non valemus quo jure quidam moderni tam

¹⁴ Ibid., n. 187 sq., p. 127 sq. *Nota* autem quod etiam *Billot*, alique defensores causalitatis dispositivae sacramentorum, interpretantur sententiam S. Thomae sicut Galtier, in sensu nempe solius mediatii influxus sacramenti in gratiam remissivam peccatorum; sed id faciunt ex opposito prorsus motivo, i.e. non ut judicent eam sententiam imperfectam, sed ut inde confirment propriam doctrinam, quam tenent ut unice veram et completam.

¹⁵ De Poenitentia, Parisiis, 1926, p. 149 sq. Cf. eundem *D'Alès*, De Baptismo et Confirmatione, Parisiis, 1927, p. 133.

¹⁶ In Dict. Théol. Cath., art. Absolution des péchés, col. 180.

generose exaggerent *merita Scoti* in his questionibus de Poenitentia, cum notus minimismus hujus Doctoris, in Nominalismi principis fundatus, fere evacuaverit genuinam indolem et nativam efficaciam Poenitentiae, tam ut virtutis quam ut sacramenti, in omnibus ejus elementis. Ut enim constat ex dictis in variis capitibus hujus tractatus, Scotus reducit ipsum peccatum ad quemdam poenae reatum; ipsam remissionem ad meram solutionem hujus reatus; ipsam virtutem Poenitentiae ad meram voluntatem poenam solvendi; attritionem et contritionem non nisi accidentaliter inter se distinctas habere videtur; attritionem, in sacramento sufficientem, reducit ad meram voluntatem suscipiendi sacramentum vel ad minimam quamdam displicentiam ex motivis vix supernaturalibus;¹⁷ sacramentum Poenitentiae expoliat omni indole poenitentiali, illud reducens essentialiter ad solam absolutionem; totum sacramentum expoliat proprie dicta efficacitate et causalitate, ipsam absolutionem reducens tandem aliquando ad meram declarationem divinae remissionis.

A. VACANT ad rem scribit: "Duns Scot († 1308) opposa bientôt, aux enseignements du prince de la théologie, une doctrine toute différente, qui exerça une profonde influence, parfois même en dehors de l'école scotiste. Ce n'est pas le lieu de parler de la conception particulière que Scot se fait soit de la *tache du péché*, qu'il identifie avec l'obligation de subir une peine, *IV Sent.*, l. IV, dist. XIV, q. i, Lyon, 1639, t. ix, p. 9 (voir PÉCHÉ), soit de la *pénitence* qu'il fait consister dans la volonté de se punir, par laquelle le pénitent, qui ne veut plus pécher, devient vis-à-vis de lui-même l'instrument de la justice vindicative de Dieu. *Ibid.* q. ii, p. 30. Voir PENITENCE. Contentons-nous de remarquer que dépassant le mouvement imprimé par saint Thomas à la théologie du sacrement de pénitence, Scot fit consister le sacrement tout entier et exclusivement dans *l'absolution du prêtre*. A ses yeux, la contrition, la confession et la satisfaction ne sont pas la matière du sacrement; elles sont seulement des conditions requises. *IV Sent.*, l. IV, dist. XIV, q. iv, n. 2, p. 81. Ainsi la contrition, à laquelle les auteurs du xii siècle attribuaient toute la rémission du péché et que saint Thomas avait maintenue dans le sacrement, fut rejetée en dehors.

"Entraîné par la même exagération de la puissance de l'absolution, et conformément à ses principes sur la nature de la tache du péché et de la pénitence, Scot réduisit la *contrition*, ou plutôt *l'attrition requise pour l'absolution*, à un *minimum bien inférieur à celui qu'on admettait avant lui*. Il distingue, aussi bien que ses devanciers, entre la contrition, qui est complétée par la charité, et l'attrition qui ne l'est pas. Mais l'état de péché consistant d'après lui dans l'obligation de subir la peine du péché, il n'exige, pour l'attrition, qu'une détestation du péché considéré soit comme offensant Dieu, soit comme détournant de Dieu, soit comme privant de récompenses, soit comme méritant un châtement, soit sous d'autres aspects semblables. Après avoir ainsi réduit l'attrition à des motifs qui peuvent être purement intéressés, Scot ajoute qu'elle suffit pour assurer la rémission des péchés, même en dehors du sacrement de pénitence. Il lui attribue, en effet, un mérite *de congruo* en raison duquel Dieu la fera toujours suivre de la justification et la changera en contrition, c'est-à-dire en détestation accompagnée de charité. *IV Sent.*, l. IV, dist. XIV, q. ii, n. 14. 15, p. 45. . . Exagérer à ce

¹⁷ Cf. inter alia, quae retulimus supra in art. 33, tom. 2, p. 293 in nota.

point l'efficacité de l'absolution, c'était ne tenir aucun compte des textes qui exigent un repentir véritable pour la rémission des péchés. . .

"Les disciples de saint Thomas gardent sa doctrine et continuent à l'exposer jusqu'au XVI^e siècle. Mais une théorie opposée a été formulée par Scot dès la fin du XIII^e siècle. Continuant le mouvement qui s'était produit en faveur de l'importance de l'absolution, il fait de cet acte du prêtre le seul élément constitutif du sacrement et regarde la contrition comme n'en faisant point partie. Ce principe admis dans l'école scotiste y donne naissance à deux théories opposées et toutes deux inexactes. L'une proposée par Scot lui-même et reprise par *Occam* considère la contrition, et l'attrition elle-même, comme inutiles pour la rémission du péché, qui serait exclusivement l'effet de l'absolution. L'autre exposé par *Gabriel Biel* refuse toute valeur à l'attrition pour la rémission des péchés; elle attribue cette rémission à la contrition parfaite. Comme, dans le système scotiste, la *contrition est en dehors du sacrement*, elle conclut, en revenant aux théories de *Pierre Lombard*, que l'absolution n'a qu'une valeur déclarative, par rapport à la rémission du péché; qu'elle constate simplement cette rémission aux yeux de l'Eglise. Ces deux opinions scotistes préparent les voies aux protestants du XVI^e siècle; la première en leur fournissant un prétexte pour accuser l'Eglise catholique de prétendre remettre les péchés à ceux qui n'en ont point de repentir; la seconde en mettant en circulation les théories qu'ils adoptèrent, comme on peut le voir à l'article XII ABSOLUTION chez les protestants."¹⁸

Nota theologica.

1. Sacramentum Poenitentiae vere remittere peccata, quatenus per hoc excluditur sententia Protestantium, est de fide pluries definita in documentis Ecclesiae et signantius in Conc. Trid., ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 60 sqq.), ubi attulimus varia documenta quoad generaliore[m] quaestionem institutionis potestatis clavium et sacramenti Poenitentiae.

Sententia Petri de Osma damnata est ut haeretica a Sixto IV (cf. Denz. 733). Sententia Jansenistarum damnata est a Pio VI ut "inducens in errorem haereticalem" (Denz. 1535). Sententia Baii, damnata a Pio V, est saltem suspecta, ut dictum est supra (p. 252), ob intimam sui connexionem cum doctrina Protestantium. De sententia Poschmann, cui accedit Adam, aptum fert iudicium Galtier (cit. in art. 1, tom. 1, p. 60) cum ait: "Pareil radicalisme rend la théorie difficilement conciliable avec celle quae professe actuellement l'Eglise catholique." ¹

2. Sacramentum Poenitentiae proprie remittere peccata, ita ut ordinetur ad conferendam ipsam remissionem peccatorum est theologice certum, praecipue post Conc. Trid.; connectitur enim immediate cum ipsa praedicta definitione Concilii contra Protestantes, necnon cum aliis ejusdem Concilii doctrinis de collatione gratiae per sacramenta et sufficientia attritionis in sacramento Poenitentiae, et docetur directe a Concilio in sess. 14, cap. 1 et 2, ubi instituit notum parallelismum

¹⁸ In Dict. Théol. Cath., art. Absolution des péchés, col. 180-182.

inter duo sacramenta mortuorum, Baptismum nempe et Poenitentiam, quoad eorum remissivam efficacitatem.

Sententia autem antiquorum, et signanter Petri Lombardi, uti prostat (abstrahendo nempe a recta intentione qua ipsi procedebant in explicanda fide de vera remissiva clavium potestate quam firmiter tenebant), saltem erronea a theologis judicatur; *Soto* ait "sententiam Magistri nihil fere ab haeresi differre"; *Suarez*: "Hoc tempore erronea. . . Fere expresse damnata in Trid."; *Pesch*: "Vix conciliari potest cum iis, quae docentur a conc. Trid."; *Diekamp*: "Erronea"; *Galtier et Boyer*: Contraria est "theologie certa".

CONCLUSIO

Conclusio I. Sacramentum Poenitentiae vere remittit peccata, nec est "nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti" (Conc. Trid., sess. 14, can. 9).

Probatnr.

Haec conclusio jam sufficienter probata est tum ex Scriptura tum ex Traditione, contra Protestantibus aliosque patronos primae sententiae, in art. 1 (tom. 1, p. 70 sqq.), ubi de ampliore quaestione existentiae potestatis remittendi peccata, Ecclesiae hierarchicae a Christo concessae, et quidem sacramentalis.

Ad *Scripturam* quod attinet, confer praecipue quae dicuntur ibidem (p. 75-77. 80-83) de potestate in foro interno seu in ipsa peccata.

In doctrina *Patrum*, peculiariter efficax contra Protestantibus est tum ratio sacramentalis quae tribuitur Poenitentiae in ejus comparatione et connumeratione cum aliis sacramentis, nominatim cum Baptismo (cf. *ibid.*, p. 136-139), tum directa et repetita comparatio Poenitentiae cum Baptismo quoad ipsam efficaciam in remissionem peccatorum (cf. varios *Patres ibid.*, p. 124 sq., et peculiariter *Ambrosium*, p. 84 et 116, *Cyrillum Alex.*, p. 85, *Pacianum*, p. 116, *Ephraem*, p. 117, *Chrysostomum*, p. 118, *Augustinum*, p. 121 sq.); quae in summa exprimitur his verbis *Cyrilli Alex.*: "Remittunt peccata vel retinent Spiritu affliti homines, *duobus, ut arbitror, modis*: vel ad baptismum vocant, vel poenitentibus ignoscunt" et *Ambrosii*: "Quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus [remittendi peccata] sibi datum sacerdotes vindicent? *Unum in utroque mysterium est*". Haec mysterii unitas in utroque sacramento signanter passim exprimitur his Poenitentiae appellationibus: secunda poenitentia, secunda subsidia, iteratum beneficium, ultima spes, secunda tabula salutis, baptismus laboriosus, iterabilis baptismus (cf. *ibid.*, p. 4 et 99 sq.).

Inter particulares textus Patrum, ibidem citatos, attende praecipue sequentes. *Tertullianus*, sua ipsius impugnatione doctrinae Ecclesiae de potestate clavium, evadit praeclarus testis sensus Traditionis (cf. p. 106); reprobat decretum Callisti quod statuat: “*Ego delicta dimitto*” (p. 106); incusat catholicos quod “veniam [peccatorum] in sua potestate usurpaverint” (p. 103) seu quod sibi adscribant jus dandi a peccatis absolutionem, restitutionem, reconciliationem, indulgentiam, pacem (p. 106). *Hippolytus* impugnat Callistum “dicentem omnibus a semet dimitti peccata” (p. 108). *Didascalia Apostol.* alloquuntur episcopum: “Remissionem peccatorum *dato*. . . *Tu ergo*, episcope, solve per remissionem, et cognosce quod accepisti potestatem remittendi peccata” (p. 110). *Origenes*: “*Per homines a Deo fit hominibus peccatorum remissio*” (p. 112). *Cyprianus*: “Purgata conscientia manu sacerdotis” (p. 113). *Chrysostomus*: “Hoc vinculum [quod solvit sacerdos] *ipsam attingit animam*”; “[Sacerdotes N. T.] non lepram corporis, sed immunditiam animae, *non purgatam probandi*, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt” (p. 118). *Augustinus*: “In qua [Ecclesia] remittuntur *ipsa peccata*; extra eam quippe non remittuntur” (p. 120).

Praeter alias rationes quibus Protestantes conantur infringere consensum Traditionis in hac re et de quibus dictum est in eodem art. 1 (cf. tom. 1, p. 94. 112. 125. 126 sq.), ipsi peculiariter invocant supradictum *dissensum theologorum mediaevalium*, uti confirmativum indicium suae sententiae de tardiori introductione in Ecclesiam ipsius conceptus verae potestatis remittendi peccata.

Attamen, quamvis praedicti theologo praedicti theologo de efficacia potestatis clavium tam graviter erraverint ut eorum sententia praecipue post definitionem tridentinam erronea judicetur, eorum error, aliunde materialis potius quam formalis, non vertit directe circa ipsam existentiam aut veritatem potestatis clavium in remissionem peccatorum, sed circa modum eam explicandi seu circa proprie dictum influxum clavium in ipsam remissionem peccati ut peccati; docebant enim peccata *vere remitti, etsi non proprie*.

Ut ostendatur eorum sententiam essentialiter differre ab haeresi Protestantium, haec attende: *Protestantes docent* remissionem peccatorum fieri a sola fiducia in Christum; absolutionem sacerdotis non esse verum actum iudiciale sed nudum ministerium declarandi remissa esse peccata illam fiduciam habenti; sacramentum Poenitentiae, sicut cetera sacramenta, esse nudum signum nullam habens supernaturalem causalitatem et efficaciam ex opere operato; opus operantis, seu fidem in Christum, non dependere in suo influxu justificativo ab absolutione

sacerdotis, neque in voto; eam absolutionem necessariam non esse ad consequendam peccatorum remissionem; sacramentum non habere vim auferendi poenam aeternam aut temporalem peccatis debitam; sacerdotem non posse imponere satisfactionem pro illa poena temporali.

Illi vero theologi docent justificationem fieri per actum charitatis in voto sacramenti; absolutionem sacerdotis esse veram potestatem, et quidem judicialem, remittendi peccata, et verba institutionis "Quorum remisistis peccata" esse explicanda in sensu verae potestatis et veri influxus in remissionem peccatorum; sacramenta omnia esse praedita vera efficacia sanctificativa et gratiae collativa; actum charitatis iustificantis ante sacramentum pendere in sua efficacia ab ipso futuro sacramento ita ut remissionem non conferat nisi sub conditione suscipiendi sacramenti et ex vi voti illius; sacramentum, etsi peccatum ipsum non remitteret, aliquid tamen pertinens ad peccati vinculum solvere, uti poenam aeternam, vel poenam temporalem, vel obligationem subiciendi clavibus eadem peccata, jam remissa sub vinculo seu conditione peragendae confessionis; sacerdotem judicialiter imponere satisfactionem ac ita quodammodo vinculare peccati remissionem.

Ceterum in ipsa omnium assertione *necessarii vinculi inter remissionem peccati*, utut antecedentem confessionem, et absolutionem ejusdem peccati a sacerdote tandem exquirendam, implicite continetur ipsa sana doctrina quam illi theologi, aliis considerationibus distracti, plene attingere nequiverunt et ad quam alii doctores ejusdem fere aetatis logice et connaturaliter pervenerunt.

"Hoc [enim] . . . , iudicium scilicet peccati sacerdotale adeo esse remissionis peccati conditionem sine qua non ut, nisi in voto saltem adsit, eam faciat impossibilem, non tantum evertit principium protestanticum quod absolutio de se non sit necessaria, sed etiam *implicite jam supponit doctrinam* jamdiu explicitam catholicorum. Quod enim est alicui fini attingendo eo modo necessarium nequit esse illius finis mera conditio sine qua non, sed debet ad illum aliquatenus positive conferre: secus, arbitrarium esset illius exigere votum. Cut teneat velle mihi applicari nunc aliquid quod, si mihi nunc re vera applicetur, nihil tamen per se conferat ad effectum producendum? Et ea re vera est argumentatio qua *D. Thomas* statuit sacramentum ordinari ad ipsius culpa remissionem: 'Si clavis, ait, nullo modo ad culpa remissionem ordinaretur, . . . non exigeretur votum suscipiendi effectum clavium ad culpa remissionem, sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta quae non ordinantur ad culpam' (in IV, dist. 18, q. 1, a. 3, sol. 1). . . Quod ergo tum ex defectu doctrinae firmae de causalitate sacramentorum propria, tum ex difficultate conciliandi inter se dicta Patrum male cognita et a suo contextu plerumque distracta, scholastici veteres

nondum explicitè docebant, jam tamen omnes, adhaerendo traditioni Ecclesiae de necessitate sacramenti Poenitentiae . . . implicite tenebant. Eorum proinde opiniones, quamvis nondum erant ad normam dogmatis excogitatae satis exacte, adeo non efficiunt perpetuitati traditionis de vera potestate remittendi et retinendi peccata a Christo sacerdotibus concessa, ut eam e contra prodant in deposito fidei contentam.”¹⁰

Conclusio 2. Sacramentum Poenitentiae vere et proprie peccata remittit, seu habet pro effectu ipsam peccatorum remissionem, causando gratiam qua peccata delentur.

Probatur 1. EX DOCUMENTIS ECCLESIAE.

Juxta Concilia “effectus huius sacramenti est absolutio a peccatis” (Conc. Flor., Denz. 699); “effectus huius sacramenti, *quantum ad eius vim et efficaciam pertinet*, reconciliatio est cum Deo” (Conc. Trid., Denz. 896); “si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari” (Conc. Later. IV, Denz. 430; loquitur autem de poenitentia non quomodolibet, sed ut sacramento, ut patet ex contextu); “si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam [sacramentum] spiritualiter sanamur” (Conc. Flor., Denz. 695).

Sicut de Baptismo dicitur quod ejus “effectus est remissio omnis culpae”, ita de Poenitentia dicitur “effectus esse absolutio a peccatis” (Conc. Flor., Denz. 696 et 699; idem in Conc. Later. nuper cit. et saepius in Conc. Trid., sess. 14, cap. 1 et 2); unde sicut quoad Baptismum “remissio peccati” accipitur in sensu proprio, ita quoad Poenitentiam. Hanc sensus identitatem quoad effectum utriusque sacramenti signantissime proponit *Conc. Trid.*, utrumque sacramentum comparans quoad finem et efficacitatem: “Si . . . [regenerati] iustitiam in baptismo . . . susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad *peccatorum remissionem* esse institutum. Quoniam autem Deus . . . cognovit figmentum nostrum, illis etiam *vitae remedium* contulit, qui sese postea in peccati servitute et daemonis potestate tradidissent, sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsi post baptismum *beneficium mortis Christi applicatur*. . . Si [regenerati] se postea crimine aliquo contaminaverint, *non iam repetito baptismo ablui* . . . sed ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit, ut *per sacerdotum sententiam* non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, *possent liberari*. . . Merito poenitentia *laboriosus quidam baptismus* a sanctis Patribus dictus fuit” (sess. 14, cap. 1 et 2, Denz. 894 sq.).

¹⁰ Galtier, De Paenitentia, n. 192, Parisiis, 1931, p. 130.

Conc. Trid., sess. 14, cap. 4, docet attritionem sine sacramento non sufficere ad justificationem, cum sacramento vero ad eam sufficere. Ergo sacramentum vere et proprie remittit peccatum, seu habet pro proprio effectu ipsam peccatorum remissionem.

Conc. Flor. et Trid. docent sacramenta conferre et continere gratiam, et simul sacramentum Poenitentiae ordinari ad remissionem peccatorum. Ergo hoc sacramentum vere et proprie remittit peccatum, conferendo gratiam peccatorum remissivam.

Probatur 2. EX SCRIPTURA.

Juxta connaturalem et logicam regulam hermeneuticae, verba Scripturae accipienda sunt in sensu proprio, nisi aliunde obstet aliqua veritas fidei vel rationis. Jamvero, sensui proprio verborum "Quorum remisistis peccata" nihil obstat. Ergo ea accipienda sunt in proprio sensu actionis remissivae ipsius sacerdotis, non vero in sensu improprio declarationis remissionis a Deo factae, et quidem in sensu proprio remissionis ipsius peccati, non vero in sensu improprio remissionis poenae aut cujuslibet alius vinculi cum peccato connexi.

Ceterum, sensum proprium tum verbi "remissio" tum verbi "peccata" positive requirunt, et sensum improprium positive excludunt, variae rationes adductae contra Protestantes in art. 1 (tom. 1, p. 75-77 et 80-83).

Confirmatur ex eo quod si verba institutionis "Quorum remisistis. . . Quorum retinueritis" sumantur in improprio sensu merae declarationis, in eodem sensu deberent accipi etiam verba promissionis ejusdem potestatis "Quaecumque solveritis. . . Quaecumque alligaveritis", et tunc quia haec verba continent etiam ampliorem clavium potestatem juxta quam Ecclesia potest solvere et ligare in aliis quibusdam vinculis spiritualibus, qualis est potestas dispensandi in votis et juramentis aut indulgentias concedendi et potestas censuras infligendi, sequeretur totam hanc postestatem esse mere declarativam, nec proprie Ecclesiam dispensare aut censuras infligere.

Dices. Verba Christi ad Magdalenam "Remittuntur tibi peccata" (Luc. 7,48) habent sensum declarativum, ut patet ex eo quod illi mulieri peccata fuerant jam dimissa aut per actum charitatis ("Quoniam dilexit multum") aut saltem per praecedentia verba Christi "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum" (ibid., 47). Ergo similiter verba Christi "Quorum remisistis" et derivata verba absolutionis: "Ego te absolvo" intelligi possunt in sensu declarativo.

Resp. In art. 31 (tom. 2, p. 231-233) dictum est de multiplici sensu quo ea verba accipi possunt et accipiuntur a variis expositoribus.

Ceterum, si sumantur in sensu declarativo, negatur paritas inter ipsa et verba institutionis, ob supradictas rationes. Nam ex ipsa subiecta materia intelligitur in verbis ad Magdalenam excludendum esse proprium sensum remissionis peccatorum, cum haec fuerint jam remissa; praeterea in ore Christi ea verba possunt convenienter intelligi de mera declaratione factae remissionis, quia Christus infallibiliter cognovit peccata illius mulieris fuisse prius remissa, imo ipse actu suae voluntatis ea remiserat; quae quidem nullatenus conveniunt sacerdoti mere declaranti peccatorum remissionem.

Probatur 3. *EX PATRIBUS.*

Improprie dicta peccati remissio, seu mera remissionis declaratio aut alterius vinculi relaxatio, nullo modo convenit cum his quae diximus de Patrum doctrina in Concl. praec., seu cum asserta ab eis sacramentali ratione Poenitentiae, paritate cum Baptismo, vera indole judiciali. Contra eundem sensum collimant Patrum expressiones, ex multis aliis selectae, quas ibidem retulimus, uti illud Didasc. Apost. "Tu ergo solve per remissionem", vel illud Origenis "Per homines a Deo fit remissio" (adeoque eodem modo per homines, quo a Deo, scilicet effective, non declarative), vel illud praesertim Chrysostomi "*Non purgatam probandi*, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt".

Quoad comparisonem autem illam quam Patres instituunt (cf. textus relatos in art. 36, tom. 2, p. 383 sq.; item tom. 1, p. 13 et 126), inter justificationem peccatoris, per copulatum opus Dei et sacerdotis, et resurrectionem Lazari, quem Christus a se prius suscitatum Apostolis nonnisi solvendum tradidit (cui quandoque substituitur comparatio cum curatione *leproso* quos Christus ad sacerdotes misit eo tantum fine ut ab eis agnoscerentur mundati), adverte cum S. Thoma plus aequo antiquos theologos vim verborum Patrum in suam sententiam pressisse vel a materiali illorum sensu deceptos fuisse, non satis attendentes tum formalem sensum comparisonis tum explicitam eorumdem Patrum doctrinam de vera et propria remissione peccatorum per claves Ecclesiae. Formalis enim vis illarum comparisonum est tantum in eo quod Deus spiritualem resurrectionem et sanationem peccatoris nolit operari nisi cum vero, etsi ministeriali, secundario et visibili concursu suorum sacerdotum, ita ut per eorum visibile ministerium revera et efficaciter perficiat quod ipse interius incipit et interius principaliter operatur; unde ipsa mera externa aut legalis ratio solutionis, quae competit Apostolis in Lazari sanatione aut sacerdotibus A. L. in leproso mundatione, est elementum materiale et impertinens in his et similibus comparationibus.

Augustinus qui signantius in ea Lazari comparatione insistit (cf. textus in tom. 2, p. 383 sq.), opus Dei in resurrectione peccatoris reponit in ipsa gratia excitante hominem ad actum contritionis ut resolvat poenitere et confiteri apud claves Ecclesiae (Serm. 295: "Excitat Dominus, ut mortuus de monumento prodeat; si cor tangit, ut peccati confessio foras exeat"; cf. In Psalm. 101, serm. 2), opus vero sacerdotis in vera solutione peccatorum (In Psalm. 101, serm. 2: "Remissio peccatorum solutio est. *Quid enim prodesset Lazaro*, quia processit de monumento, nisi diceretur: Solvite eum . . . ?"), i.e. quid prodest homini motus ipse poenitentiae a Deo inspiratus, si tandem non perducitur ad ipsam peccatorum remissionem quae fit per claves Ecclesiae?). S. Doctor mentem suam in hac brevi sententia totam colligit: "Per se excitavit, per discipulos solvit" (Serm. 295). Signantissime *Chrysostomus*, adducens alteram comparationem mundationis leprosum, ostendit discrimen inter ministerium sacerdotum A. L. in ea mundatione et sacramentale ministerium sacerdotum N. L., inquiens: "Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, Judaeorum sacerdotibus licebat (Lev. 14). . . Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae, non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt" (De sacerdotio, 3, 5 sq., M.G. 48, 643 sq., extensius cit. in art. 1, tom. 1, p. 118).

S. *Thomas* in *Opusc. 22 de forma absolutionis* eandem objectionem deductam ex duplici illa comparatione, sic recitat (ex ore Anonymi quem in illo Opusculo impugnat) et sic resolvit: "Septimo objicit quod in suscitatione Lazari, secundum *Augustinum* et *Gregorium*, significata est suscitationis peccatorum praeoperatio, quia Lazarus est prius a Domino vivificatus, quam traderetur discipulis absolvendus. Ex quo arguit quod nihil valet absolutio sacerdotis antequam homo sit a Deo vivificatus per gratiam, et suscitatus a morte culpae: ergo sacerdos non potest super culpam; quae quidem ratio multiplices defectus habet. Primo quidem, quia arguitur ex metaphoricis locutionibus, ex quibus non est arguendum, ut *Dionysius* et *Augustinus* dicunt. Secundo, quia ratio sua non est ad propositum. Constat enim quod Dominus Lazarum suscitavit, et discipulis solvendum mandavit, ergo discipuli absolvent. Per hoc ergo non ostenditur quod sacerdos non absolvat aut non debeat dicere: 'Ego te absolvo'; sed quod eum non debeat absolvere, in quo signa contritionis non videt per quam homo justificatur interius a Deo culpa remissa. . .

"Quarto decimo objicit de hoc quod *Hieronymus* dicit super *Levit.* quod *leprosi* jubentur ostendere se sacerdotibus, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt, ita et hic. Decipitur autem, quia

similitudinem nimis extendit. Absit enim ut sacramenta novae legis solum significant, et nihil faciant, sicut veteris legis sacramenta. Si autem sacerdos solum discernendo denuntiaret peccatoris absolutionem, nihil faceret, sed tantum significaret. Ergo facit aliquid ministerium absolutionis impendendo, non tamen facit idoneos accedentes ad sacramentum. *Hoc enim solus Deus facit, qui ad se hominum corda convertit.* Et respectu hujus idoneitatis non habet sacerdos nisi discretionem, sicut et sacerdos legalis circa lepram.”

Probatur 4. *EX RATIONE*, simul ostendendo falsitatem sententiae adversariorum tum in sua generalitate tum in particularibus opinionibus et determinationibus a variis doctoribus allatis.

Sententia quae docet effectum Poenitentiae consistere non in ipsa peccati remissione, sed in mera declaratione jam acquisitae remissionis aut in remissione alius vinculi a peccato distincti:

Primo, innititur falso fundamento necessitatis actus perfectae contritionis ad susceptionem sacramenti, ut ostensum est in art. 33 (tom. 2, p. 317 sqq.).

Secundo, evacuat rationem sacramenti; nam sacramentum non tantum significat sed efficit quod significat; unde sacramentum Poenitentiae non solum significat remissionem et absolutionem peccatorum, quae exprimitur in verbis formae “Ego te absolvo a peccatis tuis”, sed etiam eam efficit, non secus ac Baptismus operatur spiritualem abluitionem quam in sua forma significat.

Tertio, evacuat rationem sacramenti mortuorum et parallelismum Poenitentiae cum Baptismo in ea ipsa ratione, constanter et signanter in tota Patrum et theologorum traditione inculcatum (cf. art. 1, tom. 1, p. 124 sq.). Sicut enim Baptismus dicitur institutus in remissionem peccatorum, et signanter originalis, sic etiam Poenitentia dicitur ordinari ad remissionem personalium peccatorum, tamquam secundus baptismus et secunda tabula salutis; sicut ergo Baptismus proprie et effective, nec tantum declarative, remittit peccata, ita et Poenitentia, secus quo jure id negaretur de Poenitentia, eodem jure negari posset de Baptismo (cf. In 4 Sent., dist. 18, q. 1, a. 3, q. 1).

Quarto, evacuat strictam necessitatem medii ad justificationem et salutem, quae competit sacramento Poenitentiae. Nam si ipsum semper supponeret justificationem jam acquisitam media contritione, non esset proprie necessarium ad justificationem sed tantum ad conservandam obtentam justificationem et remissionem, et similiter non esset proprie necessarium ad salutem nisi quadam necessitate praecepti, quae com-

petit etiam susceptioni aliorum sacramentorum et observationi quorumlibet mandatorum, quatenus non suscipiens sacramentum Poenitentiae amitteret acquisitam justificationem et consequenter non posset ad salutem pervenire.

Quinto ac praecipue evacuat veram potestatem clavium in remissionem peccatorum. Nam si cum quibusdam conceditur tantum potestas remissiva alterius vinculi, puta poenae, haec nequit dici potestas remissiva peccatorum, quantumvis poena connectatur cum peccato, sed erit quaedam secundaria clavis potestas, sicut poena est secundarium quoddam animae vinculum relate ad vinculum peccati in quo fundatur; imo logice rueret tota clavium potestas, nam, dempto principali, perit secundarium, cum omne aliud munus generalis potestatis clavium, ut solutio poenae, concessio indulgentiarum, dispensatio a voto et juramento, inflictio censurarum, fundetur in ipsa potestate clavium stricte accepta, qua solvitur vel ligatur vinculum peccati, et sit veluti istius extensio et complementum.

Si vero cum aliis conceditur tantum potestas declarandi remissionem, tunc perit ipsa ratio potestatis, tum quia ratio declarationis nullam habet indolem potestativam, tum quia ad hujusmodi declarationem faciendam nulla exigitur specialis deputatio, cum ab omni prudenti viro fieri possit imo et ab ipso poenitente, tum quia etiam specialis deputatio nihil ad veritatem declarationis conferret, cum nequeat sacerdos citra revelationem cum certitudine declarare peccata fuisse remissa.

Nec valet cum patronis utriusque adversae opinionis recurrere ad solum *votum sacramenti*, operans antecederet in ipsa contritione, ratione cujus sacramentum dici possit vere et proprie remittere peccata. Nam efficacia voti supponit et provenit ex efficacia ipsius rei, votum enim stat pro ipsa re, tanquam vicarium necessitatis; unde si sacramentum poenitentiae non posset secundum se operari ad remissionem peccatorum, a fortiori non posset ejus votum, et “si . . . clavis nullo modo ad culpae remissionem ordinaretur . . . non exigeretur votum suscipiendi effectum clavium ad culpae remissionem, sicut non exigitur votum suscipiendi alia sacramenta quae non ordinantur ad culpam” (In 4 Sent., dist. 18, q. 1, a. 3, q. 1; cf. supra, art. 33, tom. 2, p. 318).

Opinio Hugonis a S. Victore fundatur imprimis in falso supposito separabilitatis remissionis ipsius culpae a remissione reatus poenae aeternae. Hoc suppositum, explicite subinde damnatum in Conc. Trid. (sess. 6, cap. 14: “Poenae aeterna . . . vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur”), involvit contradictionem vel destruit ipsam essentiam gratiae sanctificantis, quae consistit in participatione naturae divinae, fundante jura amicitiae et haereditatis ad gloriam;

exinde enim sequeretur hominem justificatum ante sacramentum, simul esse amicum et inimicum et simul habere jus ad haereditatem et debitum damnationis seu exclusionis ab eadem haereditate. Qua ratione confisus, facile *Petrus Lombardus* positionem Victorini impugnavit et multis doctoribus invisam reddidit, scribens: "Nemo . . . vere compungitur de peccato, habens cor contritum et humiliatum, nisi in charitate. Qui autem charitatem habet, dignus est vita aeterna. Nemo autem simul vita et morte dignus est. Non est ergo tunc ligatus debito aeternae mortis."

Ceterum, opinio Hugonis non explicat effectum sacramenti in casu quo homo absolvitur tantum a peccatis jam absolutis vel a venialibus; nam reatus aeternae poenae in priori casu jam extinctus est per praecedentem absolutionem, in altero vero non datur. Praeterea, ex ea opinione sequeretur hominem justificatum per contritionem ac decedentem ante susceptionem sacramenti damnari aeterna poena; nec valet invocare exceptionem in ejus favorem, quia proprius effectus sacramenti non nisi per sacramentum confertur nec sine ullo fundamento in revelatione fingi potest specialis interventus illius divinae omnipotentiae quae suam virtutem sacramentis non alligavit.

Ob idem inconveniens refellitur supradicta *explicatio Medinae* qui magis adhuc arbitrarie fingit separationem remissionis poenae aeternae ab expedito jure ingrediendi regnum coelorum. Nec ipsi juvat adductum exemplum Patrum in Limbo, quoniam aliunde scimus fores regni coelorum usque ad Ascensionem Christi fuisse clausas, post Ascensionem vero omnibus reseratas. Ad rem *S. Thomas*: "Ante votum confessionis paradus clausus erat peccanti mortaliter; quamvis postea per contritionem votum confessionis importantem, apertus sit, etiam ante confessionem actualiter factam: non tamen obstaculum reatus est totaliter remotum ante confessionem et satisfactionem" (*In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 5, q. 3, ad 2*).

Opinio Petri Lombardi, etsi simplicior et cohaerentior quam praecedens, hanc qualitatem magno ac periculoso pretio sibi comparat. Evacuat enim rationem sacramenti, quam conatur salvare Victorinus (in quaestione de causalitate sacramentorum benemeritus), cum nulla supernaturalis efficacia insit actui merae declarationis. Evacuat traditionalem parallelismum inter duo sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet et Poenitentiam. Ad minimum reducit ipsam fidei veritatem de potestate clavium, seu de vera remissione peccatorum per sacramentum Poenitentiae, nec ullatenus consonat posteriori definitioni tridentinae contra Protestantes, juxta quam "absolutio sacerdotis . . . non est solum nudum ministerium . . . declarandi remissa esse peccata"

(Denz. 902). Unde non difficile negotium fuit duobus Victorinis hanc opinionem impugnandi tanquam “frivolam et ridendam” utpote quae doceat “sacerdotes . . . potestatem habere ligandi atque solvendi . . . perfunctorie et inusitato quodam genere loquendi significatam”.

Nec multum juvant supradictae additiones, a quibusdam inductae ad hanc sententiam veluti reformandam.

Productio *augmenti gratiae* sanctificantis, a *Pullo* invocata, non explicat remissionem peccatorum quae fit per primam gratiam. *Libratio ab obligatione eadem peccata iterum subiciendi clavibus*, quam invocat *Biel*, nihil juvat, quoniam ea deobligatio non requirit actum potestativum sed naturaliter sequitur ex ipso facto peractae confessionis; praeterea, haec explicatio nequit applicari absolutioni peccatorum jam absolutorum vel venialium, quippe quae nullam important confitendi obligationem; item, quoad ipsa peccata mortalia nondum confessa contingere potest ut quis ab eis absolvatur quin deobligetur a confitendo, ut in casu oblivionis vel physicae aut moralis impossibilitatis ea actu confitendi. Absolutio a sola *poena temporali*, a *Rolando*, *Altissiodorensi*, *Halensi* et *Bonaventura* invocata, omnino insufficientis est ad explicandam remissionem peccatorum per sacramentum, tum quia haec poena omnino distinguitur a peccato ut patet etiam ex ipsius permanentia post remissum peccatum; tum quia potest contingere ut nulla poena temporalis remaneat solvenda, si nempe actus contritionis fuerit ferventissimus; tum quia poena temporalis potest multis aliis remediis auferri, unde non explicaretur necessitas sacramenti nec requireretur votum sacramenti in contritione justificante; tum quia relate ad hanc poenam non potest exerceri potestas ligandi seu retinendi, cum ipsa possit aliis modis redimi aut deleri.

Media opinio Alex. Halensis et Bonaventurae impingit in eadem inconvenientia aliarum opinionum, prout colligit earum elementa, et aliud addit de suo, scilicet deprecativam indolem formae absolutionis prout refertur ad remissionem ipsorum peccatorum. Ceterum ipsi explicite fatentur quod, cum “potestas sonet actionem impertientem” et non tantum deprecantem (*Halensis*), “potestas clavium *proprie loquendo* non se extendit supra culpam” (*Bonaventura*).

Ceterum, meritum fuit horum duorum doctorum quod admiserint sufficere attritionem cum sacramento in casu bonae fidei seu existimatae contritionis, ac ita saltem in hoc casu salvaverint aliquo modo efficaciam sacramenti in remissionem peccatorum, quidquid sit de deprecativa indole quam tunc tribuunt absolutioni sacerdotali quoad talem effectum, ac ita viam praeparaverint firmae doctrinae S. Thomae (cf. dicta in art. 33, tom. 2, p. 319).

Quae diximus in hoc articulo respiciunt ipsam *veram et propriam* efficaciam sacramenti in remissionem peccatorum ab omnibus theologis nunc admissam. De modo autem quo ista efficacia exercentur, an nempe *directe*, seu in ipsam gratiam remissivam peccatorum, et non tantum indirecte, seu in aliquam dispositionem gratiae exigitivam, decisum est in tractatu De sacr. in genere (art. 10), ubi, agentes generaliter de causalitate sacramentorum, diximus cum S. Thoma seniore contra S. Thomam juniorem et eos qui cum Billot conati sunt restaurare antiquorum sententiam de dispositiva causalitate sacramentorum, hanc causalitatem in unoquoque sacramento, et signanter in Poenitentia quae est actio judicialis, esse immediatam et directam in ipsam gratiam, seu perfectivam, imo *physicam et perfectivam*. Praeterea, de modo quo remissiva efficacia Poenitentiae, necnon formalis sensus verborum absolutionis, verificetur uniformiter etiam in casu absolutionis peccatorum jam remissorum, dictum est in art. 7 et 79 (tom. 1, p. 218–225, et tom. 3, p. 567 sqq.; cf. art. 33, tom. 2, p. 319 sq.).

ART. 92. Utrum Quodlibet Peccatum Sit Remissibile Per Sacramentum Poenitentiae Seu Per Claves Ecclesiae.²⁰

²⁰ Huc faciunt plura ex operibus citatis in art. 45 (tom. 2, p. 850–853), ubi de poenitentia publica et privata. Praecipue tamen spectant sequentia (A catholici signantur asterisco):

Adam (K.), Der Kirchenbegriff Tertullians, Paderborn, 1907.

Albaspinaeus (G. de l'Aubespine), De veteribus Ecclesiae ritibus Observationum libri II, Parisiis, 1623.

D'Alès (A.), La théologie de Tertullien, Paris, 1905 (cf. praecipue chap. 7, p. 339–355; chap. 9, p. 435–446. 478–494); La théologie de Saint Hippolyte, Paris, 1906 (cf. praecipue chap. 1, p. 35–58); L'édit de Calliste, Paris, 1914 (est totum de hac quaestione; cf. praecipue p. I–VI, chap. 1, p. 1–11; chap. 3, p. 112 sq.; chap. 4, p. 133–135; chap. 8, p. 228–244; chap. 11, p. 360–384; Conclusion, p. 396–405; Appendice III, p. 443 sq. 451–455); La Théologie de Saint Cyprien, Paris, 1922 (cf. p. 272–302); *Novatien*, Paris, 1925 (cf. chap. 4, p. 138–163); art. Pénitence (Première partie), in *Dict. Apol.*, col. 1756–1784 (praecipue col. 1772–1784); art. La réserve des trois cas et l'édit de Calliste (Controversia cum Vacandard), in *Revue du Clergé français*, t. 50 (1907), p. 337–365.

Alexander Natalis, Historia ecclesiastica (diss. 10, in saec. 3), Parisiis, 1699.

Amann (E.), Art. Pénitence (Pénitence Sacrement, La pénitence primitive), in *Dict. Théol. Cath.*, col. 779–783; art. Novatien et Novatianisme, *ibid.*, col. 816–849.

Arnauld (A.), De la fréquente communion, p. 2, c. 15.

Batiffol (F.), Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Les origines de la Pénitence, Paris, 1926, p. XV–XXVII. 45–144; art. L'édit de Calliste, d'après une controverse récente, in *Bulletin de littérature ecclésiastique* . . . de Toulouse, 1906, p. 339–348.

Bellacasa (J. Puig de la), De Sacramentis, t. 1, thes. 71, Barcelona, 1941, p. 579–611.

Bethune-Baker, An introduction to the early history of the christian doctrine in the council of Chalcedon, London, 1903, p. 372 sq.

Bigg (C.), The Christian Platonists of Alexandria, Oxford, 1886, p. 217 sqq.

Boudinhon, Sur l'histoire de la pénitence, à propos d'un livre récent, in *Revue d'histoire et de littérature religieuse*, t. 2 (1897), p. 306 sqq.

Boyer (C.), De Poenitentia, thes. 9 et 13, Romae, 1942, p. 129–142.

Cappello (F.), De Sacramentis, v. 2 De Poenitentia, n. 48–51, Taurini-Romae, 1944, p. 46–51.

STATUS QUAESTIONIS

In art. praec. vidimus de natura remissivae efficacitatis sacramenti; jam agitur de extensione illius efficacitatis ad omne peccatum. Haec autem quaestio, etsi dogmatice et secundum se sit minoris momenti quam praecedens in qua directe involvebatur ipsa existentia potestatis clavium, de facto tamen celebrior evasit tum sub aspectu dogmatico,

Cavallera (F.), La doctrine de la pénitence au III siècle, in Bulletin de littérature ecclésiastique, 1930, p. 19 sqq. 49 sqq.

Chabaliat (L.), Les Lapsi dans l'Eglise d'Afrique au temps de saint Cyprien, Lyon, 1904.

Chardon, Histoire des sacrements, Du sacrement de Pénitence, sect. 1, chap. 1 et 2; sect. 3, 1re partie, chap. 8; sect. 4, chap. 8.

Charlier (C.), L'excommunication ecclésiastique d'après les écrits de Tertullien, in Antonianum (1935), p. 301-344. 499-536; La discipline pénitentielle d'après les écrits de saint Cyprien, ibid. (1939), p. 18-42. 135-156.

Collet, De Poenitentia, p. 2, c. 2, a. 1.

De San (L.), De Poenitentia, Brugis, 1900, p. 201-233.

Doellinger (F.), Hippolytus und Kallistus, Regensburg, 1853.

Domini (A.), Ippolito di Roma, Roma, 1925.

Duchesne, Histoire ancienne de l'Eglise, v. 1, 1908, p. 317.

Duguet, Conférences ecclésiastiques, Cologne, 1742, t. 1, p. 321-331 (Quelle était la discipline ancienne de l'Eglise à l'égard des relaps).

Esser (G.), Die Busschriften Tertullians De Poenitentia und De Pudicitia und das Indulgenzdekret des Papstes Kallistus, Bonn, 1905; Der Adressat der De Pudicitia und der Verfasser des römischen Bussedikts, Bonn, 1914; Varii articuli in Der Katholik, 1907. 1908. 1909.

Frank (F.), Die Bussdisziplin der Kirche von der Apostelzeiten bis zum VII Jahrhundert, Mainz, 1867, p. 811 sqq. 875 sqq.

Funk (F. X.), Zur altchristlichen Bussdisziplin, in Kirchengeschichtlichen Abhandlungen und Untersuchungen, t. 1, Paderborn, 1897, p. 158 sqq. (see art. Bussdisziplin, in Kirchenlexicon, 2, 1561 sqq.); Das Indulgenzdekret des Papstes Kallistus, in Theologische Quartalschrift, 1906, p. 541-568.

Galtier (P.), De Poenitentia, thes. 12. 13. 16. 17, Parisiis, 1931; L'Eglise et la rémission des péchés aux premiers siècles, Paris, 1932, p. 29-41. 139-213. 381-389. 467-485; Le péché et la Pénitence (1929), chap. 5, p. 120-124; Les péchés "incurables" d'Origènes, in Gregorianum, 1929.

Garcia Villada, Varii articuli in Razón y Fe (1909-1910).

Göller (E.), Analecten zur Bussgeschichte des 4. Jahrh., in Römische Quartalschrift, 1928, p. 235 sqq.; Papstum und Bussgewalt in spätrömischer und frühmittelalterlicher Zeit, ibid., 1931, p. 71 sqq.; 1932, p. 219 sqq.

Gonzales Rivas (S.), La penitencia en la primitiva Iglesia española, Salamanca, 1949.

Harent (S.), La confession, Nouvelles attaques et nouvelle défense, in Etudes, t. 80 (1899), p. 584-589; La discipline pénitentielle dans l'Eglise primitive, ibid., t. 82 (1900), p. 580-588. 595-603; La méthode apologétique dans la question des sacrements, ibid., t. 87 (1907), p. 770 sq.

**Harnack (A.)*, Lehrbuch der Dogmengeschichte, t. 1, Tübingen, 1909, p. 439-444.

**Hauck*, art. Calixt, in Realencyclopädie für prot. Theologie und Kirche, 1897.

Hervé (J. M.), Manuale Theol. Dogm., v. 4, n. 233-242, Parisiis, 1939, p. 272-288.

Hogan (T.), Penitential discipline in early Church, in The American Catholic Quarterly Review, 1900.

Huarle (G.), De Poenitentia, prop. 15, Romae, 1930, p. 225-263.

Hurter (H.), Theol. Dogm., t. 3, thes. 243 et 244, Oeniponte, 1891, p. 428-439.

Juénin, De Poenitentia, q. 7, c. 1, a. 2, § 1.

Kirsch (P. A.), Die Behandlung der crimina capitalia in der morgenländischen Kirche im Unterschied zur abendländischen, in Archiv für katholisches Kirchenrecht, t. 84 (1904), p. 269 sq.

Latho (E.), Origen's Concept of Penance, Quebec, 1949.

Lebreton (J.), in Revue pratique d'Apologétique, 15 nov. 1906, p. 242.

nam a negatione remissibilitatis quorundam peccatorum per claves Ecclesiae incepit saec. 3 prima impugnatione contra ipsam clavium potestatem et occasione illius invocata sunt principia et argumenta quae logice ducunt ad negationem ipsius potestatis; tum sub aspectu historico, nam cum hac quaestione connectitur ortus duarum praecipuarum haeresum poenitentialium, Montanismi scilicet et Novatianismi, nec non controversiarum et operum Patrum circa disciplinam et doctrinam

Lercher (L.), Theol. Dogm., v. 4, n. 438–441, Oeniponte, 1935, p. 512–519.

**Loisy*, L'Évangile et l'Église, ed. 4, p. 238 sq.

**Loofs (F.)*, Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte, Halle, 1906, p. 206 sqq.

Martène, De antiquis Ecclesiae ritibus, t. 1, c. 6, a. 2.

Michelini (G.), Il "peccato irremissibile", in Rivista storico-critica delle scienze teologiche, 1910, p. 454 sqq.

Morinus (J.), Commentarius historicus de disciplina in administratione Sacramenti Poenitentiae XIII primis saeculis in Ecclesia occidentali et usque nunc in Orientali observata, l. 5, c. 2. 27–30; l. 9, c. 19–27; l. 10, c. 1–15, Parisiis, 1651.

O'Donnell (M. J.), Penance in the Early Church, chap. 3, Dublin, 1907.

Orsi (Card. J. A.), Dissertatio historica qua ostenditur catholicam ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse, Mediolani, 1730.

Palmeri (D.), De Poenitentia, thes. 9, Romae, 1879, p. 73–98.

Pesch (Chr.), Prael. Dogm., t. 7, prop. 2, Friburgi Br., 1920, p. 14–45.

Petavius (D.), De vetere in Ecclesia Poenitentiae ratione Diatriba ad haeresim LIX, quae est Novatianorum, ex Epiphianianis animadversionibus excerpta, § 1. 2. 3 (in Dogmata Theologica, t. 8, Parisiis, 1867, p. 177–187); Diatriba de Poenitentia et reconciliatione veteris Ecclesiae moribus recepta, ex notis in Synesium, § 4 (ibid., p. 451–453); De poenitentia publica et praeparatione ad communionem [contra opus A. Arnauld, De frequente Communione], l. 2, c. 2 (ibid., p. 236–238).

Pighi, De universa poenitentiae ratione, Veronae, 1904.

Pignataro (F.), De disciplina poenitentiali priorum Ecclesiae saeculorum commentarius, Romae, 1904.

Piolanti (A.), De Sacramentis, v. 1, De Paenit., c. 2, Romae-Taurini, 1945, p. 231–253.

Pohle, Dogmatik, Paderborn, 1912, v. 3, p. 440 sq. (Pohle-Preuss, The Sacraments, v. 3, p. 1, c. 1, a. 3).

Poschmann (B.), Die Sündenvergebung bei Origenes, Braunsberg, 1912; Zur Bussfrage in der Cyprianischen Zeit, in Zeitschrift für kath. Theol., 1913, p. 25 sqq. 244 sqq.; Poenitentia secunda, Die kirchliche Busse im ältesten Christentum bis Cyprian und Origenes, Bonn, 1940.

**Preuschen (E.)*, Tertullians Schriften De Poenitentia und De Pudicitia mit Rücksicht auf Bussdisziplin untersucht, Giessen, 1890; Die Kirchenpolitik des Bischofs Kallist, in Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft, 1910, p. 135.

Probst (F.), Sakramente und Sakramentalien in den drei ersten christlichen Jahrhunderten, Tübingen, 1872.

Rahner (K.), La doctrine d'Origène sur la Pénitence, in Recherches de science religieuse, v. 37 (1950), p. 47–97. 252–286. 422–457.

Rauschen (G.), Eucharistie und Bussakrament in den sechs ersten Jahrhunderten der Kirche, Freiburg, 1910 (Eucharist and Penance, translation from the second German edition, St. Louis, Mo., 1913, p. 152–184).

Rossi (J. B. De), Esame archeologico e critico della storia di S. Callisto narrata nel libro nono dei Filosofumeni, in Bollettino di archeologia cristiana, t. 4 (1866), p. 1–14. 17–33.

**Seeberg (R.)*, Lehrbuch der Dogmengeschichte, t. 1, Leipzig, 1908, p. 496.

Sirmundus (J.), Historia poenitentiae publicae, Parisiis, 1651.

Straub, De Ecclesia, n. 953.

Stufler (J.), Die Sündenvergebung bei Origenes, in Zeitschrift für katholische Theologie, t. 31 (1907), p. 193–228; Die Bussdisziplin der abendl. Kirche bis Kallistus, ibid., p. 431–473; Zur Kontroverse über das Indulgenzedikt des Papstes Kallistus, ibid., t. 32 (1908), p. 1–42; Die Sündenvergebung bei Irenäus, ibid., p. 488–497; Einige Bemerkungen zur Busslehre Cyprians, ibid., t. 33 (1909), p. 232–247.

potestatis clavium; tum sub aspectu stricte positivo, nam ab hac questione exordium sumpserunt inde a saec. 17 modernorum theologorum inquisitiones et disputationes circa antiquam praxim poenitentialem, connexas cum ipsis fidei veritatibus de existentia potestatis clavium, de necessitate confessionis, de sigillo sacramentali, de poenitentia privata, et in ea quaestione praecipuum invenerunt nodum difficultatis circa praedictam praxim, an scilicet prior Ecclesia aliquando consueverit reconciliationem denegare quibusdam peccatis vel peccatoribus.

Hinc patet praesentem articulum intime connecti cum dictis in art. 1 (de existentia sacramenti et potestatis clavium), art. 36 (de necessitate sacramenti et confessionis), art. 42–44 (de secreta ratione confessionis et sigillo sacramentali), art. 45 (de poenitentia publica et privata). Proxime autem ac logice connectitur cum dictis in art. 85 de remissibilitate quorumlibet peccatorum per virtutem Poenitentiae, ab efficacia enim virtutis logice gressum facimus ad derivatam efficaciam sacramenti, quod est veluti haeres ipsius virtutis. .

Solet praesens materia separari in *DUAS QUAESTIONES, ALTERAM DOGMATICAM* contra haereticos, seu an revera Ecclesia habeat potestatem remittendi quodlibet prorsus peccatum, et *ALTERAM HISTORICAM*, inter eruditos tam haereticos quam catholicos, seu an de facto Ecclesia hac potestate semper usa fuerit (imo semper uti debuerit) ita ut nunquam denegaverit (imo numquam denegare

Tanqueray (A.), Theol. Dogm., t. 3, n. 697–699, Romae-Parisiis, 1921, p. 44 sq.

Tixeront (J.), Le sacrement de pénitence dans l'antiquité chrétienne, Paris, 1914, Histoire des dogmes, I, chap. 10, Paris, 1930, p. 361–377; Mélanges de Patrologie et d'histoire des dogmes, chap. 6. 7. 8., Paris, 1921.

Tournely (H.), De Poenitentia, q. 9, a. 2.

**Turmel (J.)* (sub pseudonimis A. Vanbeck et A. Lagarde), La pénitence dans les écrits des premières générations chrétiennes, in Revue d'hist. et lit. rel., 1910; La pénitence dans le Pasteur d'Hermas, ibid., 1911; La pénitence dans saint Cyprien, ibid., 1913. Cf. alia hujus apostatae opera, citata in tom. 1, p. 38.

Umbert, Absolutionspflicht und altchristliche Bussdisziplin, in Scholastik, 1927, p. 321 sqq.

Vacandard (E.), La confession sacramentelle dans l'Eglise primitive, 1903; Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série (Les origines de la confession sacramentelle, VI), Paris, 1910, p. 101–110; in *Dict. Théol. Cath.*, art. Absolution des péchés au temps des Pères [a. 1902], col. 152 sq.; art. Confession (du 1 au 13 siècle), col. 859–861; in *Dict. d'Archéologie* chrétienne et de Liturgie, art. Adultère [a. 1907], col. 550–554; in *Revue du Clergé français*, t. 21 (1899), p. 28–53; art. La discipline pénitentielle dans l'Eglise primitive, t. 24 (1900), p. 241–266; art. La discipline pénitentielle dans la primitive Eglise; t. 50 (1907), p. 113–131; art. Tertullien et les trois péchés irrémissibles.

Van Noort-Verhaar, De Sacramentis, II, n. 30–36, Hilversum, 1940, p. 19–24.

**Watkins (O. D.)*, A History of Penance, v. 1, London, 1920 (cf. praecipue p. 10–26 et 101–142).

Windisch (H.), Taufe und Sünde im ältesten Christentum bis auf Origenes, Tübingen, 1908, p. 485 sq.

Witasse, De Poenitentia, p. 1, s. 4, ass. 1. 2.

potuerit) suam absolutionem ulli peccato vel peccatori. Utramque quaestionem in hoc articulo colligimus sub duabus Conclusionibus, quarum secunda constituit argumentum ipsum Traditionis pro priori; ad hoc enim redit ut extensio clavium ad remissionem cujuslibet peccati efficaciter probetur ex ipso facto numquam denegatae ab Ecclesia cujuslibet peccati absolutionis.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD IPSAM QUAESTIONEM DOGMATICAM de remissibilitate cujuslibet peccati per claves Ecclesiae.

Nota theologica et Documenta Ecclesiae.

Res est *de fide definita* tum a constanti magisterio ordinario tum ac saepe ab ipso magisterio solemniter inde a Gelasio I usque ad Conc. Trid. in quo haeresis Novatiana iterum damnata est.

Praeter infra citanda (p. 400–407) testimonia Conc. Nicaeni I, Innocentii I, Caelestini I et Leonis I, de praxi et necessitate concedendi omnibus peccatoribus reconciliationem, in qua ipsa doctrina de remissibilitate omnium peccatorum per claves Ecclesiae implicite exhibetur, hanc explicite proferunt ac definiunt sequentia documenta:

Victor P. damnavit Montanistas (cf. infra, p. 287), *Cornelius P.* vero cum synodo romana damnavit Novatianos (cf. infra, p. 293 sq.).

Gelasius I, Tom. "Ne forte" de anathematis vinculo, circa a. 495: "Dixit Dominus, quod 'in Spiritum Sanctum peccantibus nec hic esset nec in futuro saeculo remittendum' [Mt 12, 32]. Quantos autem cognoscimus in Spiritum Sanctum delinquentes, sicut haereticos diversos . . . ad fidem catholicam revertentes, et hic remissionem suae percepisse blasphemiae, et in futurum spem sumpsisse indulgentiae consequendae? Nec ideo non vera est Domini sententia, aut putabitur esse ullatenus resoluta, cum circa tales, si hoc esse permaneant, numquam omnino solvenda persistat, effectis autem non talibus non irrogata. Sicut etiam est consequenter et illud beati Ioannis Apostoli: 'Est peccatum ad mortem: non dico, ut oretur pro eo; et est peccatum non ad mortem: dico, ut oretur pro eo' [1 Io 5, 16–17]. Est peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus; est peccatum non ad mortem ab eodem peccato recedentibus.

"Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non oret Ecclesia remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel poenitentibus relaxare, cui dicitur: 'Quaecumque dimiseritis super terram . . .' [cf. Io 20, 23]; 'quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo' [Mt 18, 18]. In 'quibuscumque' omnia sunt, *quantacumque* sint, et *qualiacumque* sint,

veraci nihilominus eorum manente sententia, qua nunquam solvendus esse denuntiatur in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens" (Denz. 167).

Conc. Later. IV, Cap. I De fide catholica, agens de sacramentis et relata indole Eucharistiae ac Baptismi, subdit: "Et si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram *potest semper* poenitentiam reparari" (Denz. 430).

Conc. Trid., hanc doctrinam tradit, absque limitatione docens ac definiens lapsos post Baptismum posse per sacramentum Poenitentiae reparari (sess. 6, cap. 14 et can. 29; sess. 14, cap. 1. 2, can. 1); assimilians Poenitentiam Baptismo quoad ejus necessitatem et efficacitatem (sess. 6, cap. 14; sess. 14, cap. 2 et can. 2); assimilians necessitatem sacramenti necessitati virtutis Poenitentiae "quoad universos homines, qui se *mortali aliquo peccato* inquinassent" (sess. 14, cap. 1); condemnans explicitè "*Novatianos* remittendi potestatem olim pertinaciter negantes" (ibid.); explicitè docens baptizatos "si se postea *crimine aliquo* contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui . . . sed . . . per sacerdotum sententiam *non semel, sed quoties* ab admissis peccatis ad ipsum [sacerdotum tribunal] poenitentes confugerint, posse liberari" (ibid., cap. 2), ac solemniter definiens: "Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, *quoties post baptismum in peccata labuntur*, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit" (ibid., can. 1).

Catechismus Conc. Trid. hanc Concilii doctrinam emphatice explicat, inquiring: "Nullum est . . . tam grave et nefarium scelus, quod sacramento non quidem semel, sed iterum et saepius non deleatur" (2 pars, c. 5, n. 18); exponit etiam qua ratione quaedam peccata dicuntur a Patribus irremissibilia (n. 19, cit. in art. 85, p. 16).

HAERESSES.

I. MONTANISMUS.²¹

Hujus haeresis patria fuit: provintia Mysiae in Phrygia (inde nomen "Phrygiae" vel "Cataphrygiae"); centrum activitatis ac veluti civitas sancta: Pepuza,²² parvus pagus illius regionis;²³ fundator: Montanus,

²¹ Plura de hac haeresi habet *Eusebius Caesariensis* († circa 340), in sua *Historia ecclesiastica*, referens praecipua documenta ipsi haeresi coaeva. De hujus historia et doctrina confer praeterea *Labriolle*, *La crise montaniste*, Paris, 1913; *Les sources de l'histoire du montanisme*, Paris-Fribourg, 1913; *D'Alès*, *La Théologie de Tertullien*, chap. 9, Paris, 1905, p. 435-491; *L'édit de Calliste*, chap. 6, Paris, 1914, p. 172-216; *G. Bardy*, in *Dict. Théol. Cath.*, art. *Montanisme*, ubi invenies amplam bibliographiam.

²² Cf. *Dictionnaire d'Archéologie Chrétienne et de Liturgie*, art. *Pépuze*, col. 299-302.

²³ Inde nomen "Peputiani", quod postea assumpsit quaedam secta a Montanismo derivata.

idolorum sacerdos ad fidem christianam recenter conversus (inde nomen "Montanistae"); propagatores: prophetissae Maximilla et Priscilla sub ipso Montano. Orta post medium saec. 2 (probabiliter a. 172), secta velociter propagata est in Asia, mox circa finem ejusdem saeculi appetens Romam et Carthaginem. Impugnata in Oriente, signanter ab Apollinari Hieropolitano episcopo (a. 161–180; cf. Eusebium Caes., Hist. eccl. 5, 16), damnata est Romae probabiliter a Victore Papa († circa 199), teste ipso Tertulliano,²⁴ et jam sub Zephyrino, Victoris successore, influxum suum in communitate romana amisisse videtur; ejus tamen activitatem saec. 5 commemorat Hieronymus (Epist. 41, 1). In ipsa Carthagine non diu post Tertullianum supervixit, cum Cyprianus eam non commemoret, Optatus Mil. (De schism. Donat. 1, 9) eam videatur habere inter haereses jam elapsas, Augustinus autem (De haer. 86, infra cit.) referat tantum existentiam alicujus factionis Tertullianistarum, quam ipse ad Ecclesiam reduxit. In Oriente Manianismus diutius duravit, nam Sozomenus, scribens circa medium saec. 5, testatur multos esse hujus haeresis sequaces (Hist. eccl. 3, 32, 6); ceterum Montanismus saec. 3 et 4 vegetavit potius sub derivatis quibusdam sectis, quarum praecipua fuit Peputianorum (seu Quintilianorum, Priscillianorum, Artotyritarum); ultima Montanistarum mentio habetur saec. 8.

Praecipuae Montanismi notae sunt: facultas concessa mulieribus in sacro ministerio, habebant enim prophetissas (cf. Tertullianum, De anima, 9), presbyterissas et episcopissas (cf. Epiphanium, Haer. 49, 2); austerior vivendi modus (inter alia ter vel quater in anno Quadragesimam celebrabant); condemnatio secundarum nuptiarum; *exclusio peccatorum a venia*; praedicatio parousiae seu imminentis finis mundi; exaltatio prophetismi; *pneumatica seu charismatica conceptio Ecclesiae*, juxta quam potior auctoritas residet apud prophetas, seu homines a Spiritu per charismata afflatos, quam apud constitutos hierarchas et episcopos.

Hieronymus, Epist. 41 (ad Marcellam), 3, sic eorum discrepantias a catholica fide et moribus resumit: "Primum in fidei regula discre-

²⁴In opere Adversus Praxeam (Modalistam), c. 1, incusat hunc haereticum quod Papam contra Montanistas instigaverit: "Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romae; homo et alias inquietus, insuper de jactatione martyrii inflatus, ob solum et simplex et breve carceris taedium; quando 'et si corpus suum tradidisset exurendum, nihil profecisset, dilectionem Dei non habens' (I Cor. xiii, 3), cujus charismata quoque expugnavit. Nam idem tunc episcopum Romanum [Victorem], agnoscentem jam prophetias Montani, Priscae, Maximillae, et ex ea agnitione pacem Ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem, falsa de ipsis prophetis et ecclesiis eorum asserendo, et praedecessorum ejus [Soteri et Eleutherii] auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare jam emissas, et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romae procuravit: prophetiam expulit, et haeresim intulit; Paracletum fugavit, et Patrem crucifixit" (M.L. 2, 178 sq.).

pamus. Nos Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum in sua unumquemque persona ponimus, licet substantia copulemus: illi Sabellii dogma sectantes Trinitatem in unius personae angustias cogunt. Nos secundas nuptias non tam appetimus, quam concedimus, Paulo iubente, ut viduae adolescentulae nubant: illi in tantum putant scelerata conjugia iterata, ut quicumque hoc fecerit, adulter habeatur. Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, toto nobis orbe congruo, jejunamus: illi tres in anno faciunt Quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. Non quod, et per totum annum, excepta Pentecoste, jejunare non liceat; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre. Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent: *apud eos Episcopus tertius est*. Habent enim primos de Pepusa Phrygiae Patriarchas; secundos, quos appellant: Cenonas: atque ita in tertium, id est, pene ultimum locum Episcopi devolvuntur; quasi exinde ambitiosior religio fiat, si quod apud nos primum est apud illos novissimum sit. *Illi ad omne pene delictum Ecclesiae obserant fores*; nos quotidie legimus: 'Malo poenitentiam peccatoris, quam mortem' (Ezech. 18. 23). Et, 'Nunquid qui cadit, non resurget, dicit Dominus' (Jerem. 8. 4). Et, 'Convertimini ad me filii convertentes, et ego curabo contritiones vestras' (Jerem. 3. 22. sec. LXX). Rigidi autem sunt, non quo, et ipsi pejora non peccent; sed hoc inter nos, et illos interest, quod illi erubescunt confiteri peccata quasi justi: nos dum poenitentiam agimus, facilius veniam promeremur" (M.L. 22, 475 sq.).

TERTULLIANI prima opera (circa a. 197) nullam continent Montanismi mentionem; ejus doctrinalis evolutio ab his quae catholicus docuerat de potestate clavium in libro De Poenitentia (a. 200-206) ad oppositam doctrinam quam proponit praecipue in libro De Pudicitia (a. 217-222) incoepit circa a. 206-208; anno 213 aperte ipse recessit ab Ecclesia hierarchica. Elenchum operum quae Tertullianus scripsit in triplici suae activitatis periodo, catholica nempe (197-206), semimontanistica (206-212), montanistica (213-222), habes apud *D'Alès* (*La théologie de Tertullien*, Paris, 1905, p. XIII sq.).

Ratio defectionis fuit tum personalis fortasse dissensus Tertulliani cum quibusdam membris hierarchiae, et nominatim cum clero romano (ut testatur Hieronymus), tum intellectualis independentia, propria istius Apogetae, cui facile obtulit pabulum individualismus novae sectae, tum ac praesertim fundamentalis quaedam affinitas inter religioas et dogmaticas tendentias doctoris africani cum exaggerato pseudospiritualismo Montanistarum. Ceterum, an initio saec. 3 extiterit Carthagine vera et proprie dicta communitas Montanistica et an illi

Tertullianus se aggregaverit, non constat; videtur potius ipse propriam sectam constituisse, de cujus occasu haec scribit *Augustinus*: "Tertullianistae a Tertulliano, cujus multa leguntur opuscula eloquentissime scripta, usque ad nostrum tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerunt in urbe Carthaginensi: me autem ibi posito ante aliquot annos, quod etiam te meminisse arbitror, omni ex parte consumpti sunt. Paucissimi enim qui remanserant, in Catholicam transierunt, suamque basilicam, quae nunc etiam notissima est, Catholicae tradiderunt. . . Ideo est Tertullianus factus haereticus . . . quia transiens ad *Cataphrygas*, quos ante destruxerat, coepit etiam secundas nuptias contra apostolicam doctrinam (I Tim. iv, 3) tanquam stupra damnare, et postmodum etiam ab ipsis divisus, sua conventicula propagavit. Dicit sane etiam ipse animas hominum pessimas post mortem in daemones verti" (De haer., 86, M.L. 42, 46 sq.).

Tertulliani doctrinam de Poenitentia, tum catholicam juxta librum De Poenitentia, tum montanisticam juxta librum de Pudicitia, sufficienter exposuimus in art. 1 (tom. 1, p. 97-106; cf. p. 45-47). Ad praesentem articulum quod attinet, confer quae ibi habentur de peccatis (praecipue tribus, i.e. fornicatione, idololatria et homicidio) quae a Tertulliano dicuntur irremissibilia per claves Ecclesiae; ceterum, ex ibidem dictis patet Tertullianum aequivalenter negare ullum prorsus peccatum remitti posse per claves Ecclesiae, cum, sub captiosis expressionibus quibus videtur concedere potestatem clavium, hanc revera neget, facultatem remittendi peccata transferens ab ecclesia hierarchica ad ecclesiam pneumaticam.

Ad complementum dictorum tum hic, tum in praefato art. 1, haec lege ex *D'ALÈS*:

QUOAD CAUSAM DEFECTIONIS TERTULLIANI: "Esprit exalté, caractère intransigeant, Tertullien devait accueillir avec faveur une doctrine faite d'illumination et de rigorisme. Aussi la nouvelle prophétie s'empara-t-elle puissamment de son âme. On a souvent répété qu'il fut toujours virtuellement montaniste, et que, bien avant la crise qui le jeta hors du catholicisme, que même de tout temps, il en était séparé d'esprit. Si par là on entend seulement dire que de profondes affinités entraînaient dans les voies de la nouvelle hérésie sa nature ardente, rien n'est plus vrai. Mais nier l'évolution de son esprit serait aller contre l'évidence même".²⁵

"Saint Jérôme assure que Tertullien fut en butte aux mauvais procédés des clercs romains, qu'il rend plus ou moins responsables de sa chute. Nous ne pouvons pas vérifier cette assertion; mais il est clair que des froissements d'amour-propre s'ajoutèrent aux tendances montanistes pour accélérer la crise, et nous constatons les ravages produits dans l'âme de l'irascible apologiste. On le savait coutumier des assertions tranchantes: désormais il s'exaspère sous la contradiction, jusqu'à énoncer les plus monstrueux paralogismes. Profondément aigri, bientôt, il retourne contre les *psychici* les mêmes calomnies que jadis il repoussait avec indignation".²⁶

²⁵ La théologie de Tertullien, Paris, 1905, p. 445.

²⁶ Ibid., p. 497.

QUOAD VARIOS EJUS ERRORES. "Résumons . . . son oeuvre au cours de cette dernière période [i. e. Tertulliani montanistae]. En annonçant la fin du monde à brève échéance, il pousse les âmes à un détachement toujours plus grand des choses terrestres. En ouvrant la porte à la nouvelle prophétie, il inaugure le règne arbitraire des charismes individuels, et par contre-coup ébranle l'autorité de l'A. et du N. T., avec celle de l'Eglise. En obligeant le chrétien de faire face à la persécution, contrairement à la tradition chrétienne, il érige l'héroïsme en loi. En rejetant les secondes nocces et médisant des premières, il rétrécit la législation du mariage, fixée par saint Paul, et fausse le dessein du Créateur. En légiférant en matière de jeûne et attaquant des usages plus ou moins inoffensifs, il prend une attitude hautaine et usurpe une autorité qui ne lui appartient pas. En exceptant certains péchés des pardons de l'Eglise, il se voit conduit à nier le pouvoir des clefs. En reléguant l'Eglise chrétienne dans la sphère du Paraclet, il a perdu de vue tout lien de communion entre les membres de cette Eglise. Ces innovations ont pour effet d'une part d'aggraver l'opposition déjà réelle entre l'Eglise et le siècle, d'autre part de substituer à l'Eglise visible et hiérarchique, héritière de l'enseignement et du pouvoir des apôtres, une Eglise où il n'y a plus de sacerdoce, ni d'autre investiture que celle de l'Esprit".²⁷

QUOAD EJUS DOCTRINAM DE PECCATIS IRREMISSIBILIBUS. "[Le libelle *De Pudicitia* rend] manifeste l'opposition entre Tertullien catholique et Tertullien montaniste sur la doctrine de la pénitence. Loin de faire mystère de cette opposition, il l'affiche le plus qu'il peut et n'a la plume que pour se réfuter lui-même; il le fait d'ailleurs sans vergogne, avec une persévérance inlassable, avec une méthode exhaustive qui ne laisse debout aucun de ses anciens arguments. Entre beaucoup d'idées qui font leur apparition dans le *De pudicitia*, nous en signalerons trois, dignes, par leur nouveauté, de fixer l'attention. 1° Conception des trois péchés irrémissibles: idolâtrie, homicide, impudicité; 2° Conception du péché direct contre Dieu, échappant comme tel au pouvoir de l'Eglise; 3° Conception d'une rémission directe par Dieu, normalement indépendante du ministère de l'Eglise. Tertullien présente expressément ces trois conceptions comme des nouveautés, comme des éclosions toutes fraîches de son montanisme, nullement comme des réminiscences de son passé catholique".²⁸

"Au catholicisme appartient en propre l'idée du pardon divin lié au pardon de l'Eglise, selon la parole du Seigneur: Ce que vous délierez sur terre sera délié au ciel. Au montanisme appartient d'abord la trilogie des péchés irrémissibles; peut-être aussi, appelée par le besoin de défendre cette trilogie, la notion fondamentale du péché direct contre Dieu, échappant, de sa nature, à la médiation miséricordieuse de l'Eglise; enfin, corollaire des deux thèses précédentes, la dissociation du pardon divin et du pardon de l'Eglise, c'est-à-dire la négation du pouvoir des clefs, au moins quant à sa conception plénière. . . En trois articles étroitement liés, Tertullien a développé toute la doctrine montaniste sur la pénitence. Nous avons pu constater que, pour l'établir, il recourait directement au Nouveau Testament lu à travers la révélation du Paraclet; son exégèse a peu de prétentions à l'antiquité; l'argument de prescription n'apparaît point, sinon retourné:²⁹ 'Nemo proficiens erubescit.' Il déclare se séparer des catholiques pour mieux faire: il sent très bien et il avoue que les catholiques ont pour eux deux siècles de tradition contraire".³⁰

QUOAD EJUS NEGATIONEM IPSIUS POTESTATIS CLAVIUM. "L'Eglise a le pouvoir de remettre les péchés. Ainsi parlaient les catholiques avec Calliste.

²⁷ Ibid., p. 491 sq. Cf. *Tixeront*, *Mélanges de patrologie et d'histoire des dogmes*, chap. 6 (Tertullien moraliste), Paris, 1921.

²⁸ L'édition de Calliste, Paris, 1914, p. 196 sq.

²⁹ *Fud.*, 1, 12.

³⁰ *Op. cit.*, p. 215 sq.

Tertullien reprend avec les nouveaux prophètes : Oui, sans doute, l'Eglise a le pouvoir de remettre les péchés ; mais elle se gardera bien d'en user. Car l'Eglise — ou l'Esprit-Saint, c'est tout un — ne veut pas encourager les désordre. . . La tactique était habile. . . Ce que Tertullien paraissait offrir d'une main, il le reprenait de l'autre ; ou plutôt il ne feignait d'entrer dans les vues de ses adversaires que pour ruiner plus sûrement *ce principe d'autorité dont l'existence était au fond de tout le débat*. A la distance où nous sommes des faits, il devient plus facile de prendre le change, et les bonnes paroles données par Tertullien aux catholiques peuvent avoir l'air de confirmer leur thèse, au lieu qu'en réalité *elles en sont l'antithèse parfaite*.

«Le pouvoir de remettre les péchés — et il s'agit ici des péchés les plus graves — était revendiqué par l'Eglise. Le *De pudicitia* nous en apporte la preuve, et nous montre en même temps que ce pouvoir n'était pas contesté par ses adversaires, du moins en théorie. Mais pour que cette concession eût quelque valeur, il fallait que, dans la bouche de ceux qui la faisaient, le mot d'Eglise gardât un sens reconnaissable. Ce n'était point le cas. L'Eglise investie du pouvoir de remettre les péchés, selon la conception montaniste, n'est pas l'organisme normal du salut, mais la tourbe incohérente des hérauts du Paraclét. Encore ce pouvoir y est-il lié, puisque, par prudence, l'esprit s'interdit d'en faire usage. *Il reste donc de la doctrine catholique une façade, et rien de plus.*

«Il semble bien qu'on s'y est trompé quelquefois. *C'était le cas de Funk*,³¹ affirmant qu'au point de vue de la doctrine pénitentielle le montanisme ne différait pas du catholicisme ; que, du *De paenitentia* au *De pudicitia*, Tertullien a changé seulement d'attitude envers l'Eglise catholique, non de conviction en matière de pénitence ; que, dans la page qui nous occupe [*De Pudicitia*, 21], il a en vue la réconciliation par l'Eglise, selon la conception catholique. C'est aussi le cas de ceux qui, sur le pas de l'historien allemand, se sont engagés dans la même voie.

«Achevons donc de relire cette page, afin d'être fixés sur ce que Tertullien accorde aux catholiques et sur ce qu'il leur refuse. Il nous dit . . . : 'Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit ; sed Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem, non Ecclesia numerus episcoporum. Domini enim, non famuli, non ius et arbitrium ; Dei ipsius, non sacerdotis.' Dès lors, que devient l'organisme du salut, donné par le Christ à son Eglise ? Il n'a plus qu'à disparaître, pour faire place à un organisme nouveau, fondé sur le principe des charismes. Cette révolution pouvait laisser intact l'ancien catalogue des péchés ; elle pouvait même donner l'illusion du respect pour les anciens cadres chrétiens ; mais en évitant de choquer trop ouvertement les habitudes du langage, elle minait d'autant plus sûrement la doctrine.

«C'est à quoi n'ont pas pris garde tous ceux à qui le talent de ce prestigieux avocat a donné le change sur le radicalisme de ses thèses. Dans le *De paenitentia*, il accordait à l'Eglise hiérarchique le pouvoir de remettre les péchés, et nous n'avons aperçu la trace d'aucune restriction. La restriction apparaît dans le *De pudicitia*, et, pour lui donner un fondement dogmatique, Tertullien introduit une conception nouvelle, celle d'un double pouvoir accordé aux Apôtres :³² la *disciplina*, pouvoir ordinaire d'enseignement et de gouvernement, et la *potestas*, charisme extraordinaire et personnel. La *disciplina* suffit à remettre les moindre péchés, elle ne suffit pas aux plus graves.³³ Or la hiérarchie, héritière de la *disciplina* apostolique, ne l'est pas de la *potestas* : aussi reste-t-elle impuissante devant les grands péchés. . .

³¹ Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen, t. 1, p. 158 et 166 ; Theologische Quartalschrift, 1906, p. 545 ; item, *Batiffol*, in Bulletin de littérature ecclésiastique, 1906, p. 341.

³² Pud., 21, 1. 3. 5. 6.

³³ Pud., 21, 2-3.

“Si notre analyse n’a pas trahi la pensée de Tertullien, on doit voir désormais plus nettement où tendait tout son effort. Il déclare reconnaître à l’Eglise le pouvoir de remettre les péchés. Plusieurs lecteurs s’arrêtent là. Tertullien, nous dit-on, est, avec les catholiques, d’accord sur le principe et le fond des choses; restait à s’entendre sur la pratique et les détails. Mais non! comme l’a très bien montré M. Esser,³⁴ c’est là donner en plein dans les filets de cette argumentation captieuse par laquelle, en feignant d’accorder tout aux catholiques, Tertullien en réalité tire tout à lui; la concession verbale qu’il vient de faire n’a qu’un but: sous le couvert du mot: *Eglise*, introduire subrepticement une conception tout à fait dissolvante du principe catholique que l’Eglise soit une puissance hiérarchisée, appuyée sur l’institution divine. *Le pouvoir des clefs, selon la conception catholique, suppose essentiellement la hiérarchie*: après avoir vidé le mot de ce contenu essentiel, Tertullien pouvait, sans inconvénient, le rendre aux adversaires, sûr que ceux-ci n’en tireraient aucun avantage. . .

“En somme, la concession faite par Tertullien à la tradition ecclésiastique n’est qu’un leurre. Sa reconnaissance verbale du pouvoir de l’évêque montre seulement son impuissance à tout renier du principe hiérarchique, en même temps que ses revendications en faveur du pouvoir de l’Eglise-Esprit, montrent seulement son impuissance à tout renier du principe de la rémission des péchés, qu’il avait professé sans restriction dans le catholicisme”³⁵.

II. NOVATIANISMUS.³⁶

Haec secta orta est circa medium saec. 3 in Occidente, et quidem Romae, sub forma schismatis, mox labens in haeresim, comes ac haeres rigorismi Montanistici, praesertim in materia poenitentiali. Auctor fuit *Novatianus*, presbyter romanus, ingenio et auctoritate praestans inter membra presbyterii quod rexit romanam ecclesiam, sede vacante a morte Fabiani (a. 250) ad electionem Cornelii (a.

³¹ Esser, *Der Katholic*, 1907, t. II, p. 186 sqq.

³² *Op. cit.*, p. 190-196.

³³ *Cyprianus*, praecipue Epist. 52 (Migne) ad Antonianum, quae tota est de Novatianismo; praeterea Epistolae 40 (De schismate Felicissimi). 44. 50. 51. 73. 76.

Novatianus, duae epistolae scriptae ad Cyprianum nomine cleri Romani, i.e. Epist. 30 et 31 inter epistolas Cypriani (cf. D’Alès, *Novatien*, Paris, 1925, p. 138).

Cornelii Papae epistola ad Fabium Antiochenum (apud Eusebium Caes., *Hist. eccl.*, 6, 43; cf. in Migne, P.L. 3, 758 sqq.).

Dionysii Alex. variae epistolae (6 et 7).

Pseudo-Cyprianus, Ad Novatianum, inter opera Cypriani (M.L. 3, 1255-1268).

Pacianus, Ad Sympronianum novatianum epistolae tres; *Paraen. ad Poenitentiam*.

Ambrosius, *De Poenitentia*, l. 1.

Ensebius Caes., *Hist. eccl.*, 6 et 7.

Socrates, *Hist. eccl.*, 4, 28 (Hic auctor favet Novatianismo; cf. D’Alès, *L’édit de Calliste*, p. 393 sq.).

Sozomenus, *Hist. eccl.* 3, 8.

Batiffol, *Etudes d’histoire et de théologie positive*, première série, Paris, 1926, p. 111-144 (La crise novatienne).

Tixeront, *Histoire des dogmes*, v. 1, chap. 10, Paris, 1930, p. 369-377.

Bardy, *L’autorité du Siège romain et les controverses du III siècle*, in *Recherches de science religieuse*, 1924, p. 262-264.

Galtier, La rémission des péchés moindres, *ibid.*, 1923, p. 116.

D’Alès, *De Paenitentia*, 1926, p. 10 et 36-43; *Novatien*, Paris, 1925 (per totum); *L’édit de Calliste*, Paris, 1914, p. 384-395; *La théologie de Saint Cyprien*, Paris, 1922, p. 147-159; *La théologie de Saint Hippolyte*, Paris, 1906, p. XIV. XVI. XXXIX- XLIII (de relatione Hippolyti cum Novatianismo).

Dict. Théol. Cath., art. *Novatien et Novatianisme (Amann)*, col. 816-849.

251), quo tempore saeviebat crudelissima Decii persecutio (a. 250–251). Occasio schismatis fuit ipsa electio Cornelii ad pontificatum quem videtur ambiisse Novatianus. Motivum fuit dissidium de disciplina adhibenda quoad lapsos in praedicta persecutione et recriminatio rigoristae Novatiani contra indulgentiam Cornelii in lapsis reconciliandis (cf. Cyprianum, Epist. 52, 10. 12). Novatianus, a Cornelio discedens et episcopalem ordinationem a tribus episcopis extorquens, ecclesiam ecclesiae opposuit, veluti antipapa. A Synodo Romana sub Cornelio et Carthaginensi sub Cypriano a. 251 damnata, nova nihilominus factio mox non paucos sibi adscivit adeptos et per varias imperii provincias cito sese extendit.³⁷ Inter Novatiani sequaces notandi sunt ille idem *Novatus*, presbyter carthaginensis, qui prius ob suam ipsam indulgentiam in reconciliandis lapsis contradixerat Cypriano et procuraverat schisma laxistae Felicissimi (cf. Cyprianum, Epist. 43 et 49), et *Marcianus* episcopus Arelatensis (cf. Cyprianum, Epist. 67, 1). In pluribus Orientis regionibus variae communitates Montanisticae facile Novatianismo adhaeserunt; Concilium ipsum Nicaenum (can. 8, infra cit.) decrevit de modo reconciliandi Novatianos.³⁸ Schisma floruit per tria fere saecula, donec, ecclesiasticis et civilibus sanctionibus oppressum, paulatim deciderit, prius quidem in Occidente, serius in Oriente ubi inde a saec. 8 nullum ampliusprehenditur Novatianorum vestigium. Solemnior damnatio Novatianismi lata est, etsi incidenter, a *Gelasio I* (supra cit., p. 285) circa finem saec. 5, cum secta jam desierat, saltem in Occidente.

Disciplina et doctrina hujus haeresis valde affinis est Montanismo, demptis quibusdam istius exaggerationibus de prophetismo et ecclesia charismatica. Potest autem his duobus verbis resumí: rigorismus moralis et rigorismus poenitentialis. Inde nomen Catharorum quo Novatiani sibi usurpabant (καθαροί = puri; cf. Conc. Nic., Hieronymum et Augustinum, infra cit.).

Ad primum rigorismum refertur peculiariter reprobatio secundarum nuptiarum (cf. Conc. Nic., Rufinum et Augustinum, infra cit.; item Epiphanium, Haer., 59, 3; Socraten, Hist. eccl. 5, 22); ceterum hanc reprobationem, satis vulgatam inter Novatianos orientales saec. 4 ex eorum fortasse connubio cum reliquiis Montanistarum, non constat tribui posse etiam Novatianis occidentalibus, et multo minus ipsi Novatiano ut facit Rufinus. Ad poenitentialem rigorismum quod attinet, hi haeretici exordium caeperunt veniam denegando soli *pec-*

³⁷ A. Harnack, art. Novatian, in Realencyclopädie, t. 14, p. 240, refert Novatianorum communitates per varias regiones.

³⁸ De Novatianis in Oriente plura exhibent *Eusebius Caes.*, *Socrates* et *Sozomenus* in suis Historiis ecclesiasticis.

cato idololatriae, ut constat ex ipsa controversia de modo reconciliandi lapsos (sacrificatos et libellaticos) in persecutione Decii, unde schisma processit. Mox vero ad firmandam suam severitatem, ex quaestione disciplinari ad quaestionem dogmaticam gressum fecerunt, declarantes praedictum peccatum esse irremissibile per claves Ecclesiae. Subinde alia crimina illi consociarunt, ita ut restaurarent montanicam trilogiam peccatorum capitalium irremissibilium (*idololatriae, fornicationis et homicidii*); ceterum his peccatis facile alia graviora accesserunt, ita ut nonnisi levia ut remissibilia haberentur; imo, vi ejusdem logici processus et ex concurrente influxu supradicti connubii cum Montanistis, quidam saltem Novatiani omnia peccata a remissione explicitè excluderunt, efficaciam Poenitentiae et potestatem clavium penitus evacuantes.

Hanc radicalem conclusionem Ambrosius (infra cit.) tribuit signanter *ipsi Novatiano*; Pacianus, Augustinus et Theodoretus (infra cit.) eam tribuunt generaliter omnibus *Novatianis*. Ceterum, quidquid sit de objectivitate hujus attributionis, quam quidam eruditi (ut Tillemont et D'Alès) dubiam habent,³⁰ dici saltem potest eam esse implicitum fundamentum vel logicam conclusionem doctrinae Novatianaë, non minus quam cognatae haeresis Montanisticae, ac propterea ipsum *Conc. Trid.* illos haereticos absque distinctione sic definit: "Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes" (sess. 14, cap. 1). Quomodo hi haeretici detorquerent sensum verborum promissionis et institutionis, dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 47). Irremissibilitatem autem quorundam peccatorum probabant, non secus ac Montanistae, ex notis textibus Scripturae de peccato irremissibili (cf. infra, p. 347).

Huc spectant, inter alia, sequentia documenta:

Cyprianus (coaevus Novatiani), *Epist. 52, ad Antonianum* (quae tota est de Novatiano ejusque haeresi), 22. 24. 26. 27. 28. 29: "Miror autem quosdam sic obstinatos esse ut dandam non putent lapsis poenitentiam, aut poenitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptura ait: 'Memento unde cecideris, et age poenitentiam, et fac priora opera' (Apoc. II, 5). . .

"Quod vero ad *Novatiani* personam pertinet, frater charissime, de quo desiderasti tibi scribi quam haeresim introduxisset, scias nos primo in loco nec curiosos esse debere quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille est et qualiscumque est, Christianus non est qui in Christi Ecclesia non est. . . Si se cordis et renis scrutatorem constituit et judicem, per omnia aequaliter judicet; . . . fraudatores et

³⁰ Cf. *D'Alès*, Novatien, Paris, 1925, p. 167, in textu et nota 2.

moechos a latere atque a comitatu suo separet, quando multo et gravior et pejor sit moechi quam libellatici causa, cum hic necessitate, ille voluntate peccaverit, hic existimans sibi satis esse quod non sacrificaverit, errore deceptus sit, ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus ad cloacam et coenosam voragine vulgi, sanctificatum corpus et Dei templum detestabili colluvione violaverit. . . Nec sibi in hoc novi haeretici blandiantur quod se dicant idololatri non communicare, quando sint apud illos et adulteri et fraudatores, qui teneantur idololatriae crimine. . . Nam cum corpora nostra membra sint Christi, et singuli simus templum Dei, quisquis adulterio templum Dei violat, Deum violat; et qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, daemioniis et idolis servit. . .

“O frustrandae fraternitatis irrisio! o miserorum lamentantium et amentium caduca deceptio! o haereticae institutionis inefficax et vana traditio! hortari ad satisfactionis poenitentiam et subtrahere de satisfactione medicinam, dicere fratribus nostris: ‘Plange et lacrymas funde, et diebus ac noctibus ingemisce, et pro abluendo et purgando delicto tuo largiter et frequenter operare, sed extra Ecclesiam post omnia ista morieris; quaecumque ad pacem pertinent facies, sed nullam pacem, quam quaeris, accipies.’ Quis non statim pereat, quis non ipsa desperatione deficiat, quis non animum suum a proposito lamentationis avertat? . . . Praecludere est atque abscindere iter doloris ac poenitendi viam, ut cum in Scripturis omnibus Dominus Deus revertentibus ad se et poenitentibus blandiatur, nostra duritia et crudelitate, dum fructus poenitentiae intercipitur, *poenitentia ipsa tollatur*” (M.L. 3, 812–819).

Conc. Nicaenum I (a. 325), can. 8: “De his [Novatianis], qui se nominant Catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. Haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod catholicae et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur; id est, et bigamis se communicare et his qui in persecutione prolapsi sunt. . .” (Denz. 55).

Pacianus, Ad Sympronianum novatianum [in Hispania], Ep. 3, 1: “[Doctrina] Novatianorum . . . hoc continet: Quod *post baptismum poenitere non liceat*; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes” (M.L. 13, 1063; cf. reliqua verba in tom. 1, p. 48).

Ambrosius, De Poen. 1, 3, 10: “Sed aiunt [Novatiani] se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris *Novatianus, qui nemini poenitentiam dandam*

putavit; ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari a se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, *qui distinctionem peccatorum facitis*, quae solvenda a vobis putetis, et quae sine remedio esse arbitremini" (M.L. 16, 489).

Rufinus, In symb. apostol., 39: "Novatus [Intellige: Novatianus] sollicitavit [Ecclesiam] lapsis poenitentiam denegando: et secundas nuptias, cum forte iniri eas necessitas exegerit, condemnando" (M.L. 21, 376).

Hieronymus, De viris illustribus, 70: "Novatianus, Romanae urbis presbyter, adversus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus invadere, Novatianorum, quod Graece dicitur *καθαρῶν* dogma constituit, nolens apostatas suscipere poenitentes. Hujus auctor Novatus, Cypriani presbyter, fuit. Scripsit autem de Pascha, de Sabbato, de Circumcisione, de Sacerdote, de Oratione, de Cibis Judaicis, de Instantia, de Attalo multaue alia, et de Trinitate grande volumen, quasi *ἐπιτομῆν* operis Tertulliani faciens, quod plerique nescientes, Cypriani existimant" (M.L. 23, 718 sq.).

Breviarium in Psalmos, in psalm. 95: "Felix poenitentia: licet rueris, tamen si egeris poenitentiam nova domus Dei diceris. . . 'Cantate Domino, omnis terra'. Novatianus occiditur. Quomodo? Dicit enim Novatianus: Sunt aliqua peccata, pro quibus debemus agere poenitentiam. Ac si dicat: De mendacio, de perjurio, de furto. Caeterum qui *fornicatus* fuerit, qui *homicidium* fecerit: iste agere non potest poenitentiam. Audi quid dicat: 'Cantate Domino, omnis terra.' Omnis autem terra, et adultera est, et homicida, et omnia peccata terrena sunt. Si autem universa peccata terrena sunt: qualiacumque peccata habueris, age poenitentiam et salvus eris" (M.L. 26, 1179).

Epist. 42 (ad Marcellam, contra Novatianos haereticos), 1: "Brevis est quaestiuncula, quam misisti, et aperta responsio est. Si enim de eo quod in Evangelio scribitur: 'Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro' (Matth. 12. 32; et Marc. 3. 29), Novatianus affirmat non posse peccare in Spiritum Sanctum, nisi eum qui Christianus sit, et postea negaverit; manifestum est Judaeos qui eo tempore blasphemabant, peccato blasphemiae non teneri: quippe, qui impii coloni, interfectis Prophetis, de nece Domini cogitabant, et in tantum erant perditii, ut ad salvandos eos se Dei Filius venisse responderit. Unde de toto ipsius Scripturae ordine convincendus est, non his irremissibilem esse

dictam blasphemiam, qui tormentis compulsi, et variis eviscerati cruciatibus, Dominum denegassent; sed his qui cum in virtutibus videant opera Dei, calumnientur et clamitent, daemonis esse virtutem, et omnia signa quae facta sunt, non ad divinam magnificentiam, sed ad diabolum pertinere (Matth. 12; Marc. 3; et Luc. 11). . . Probet itaque Novatianus, aliquem de his, qui sacrificare compulsi sunt ante tribunal iudicis, respondisse omnia quae in Evangelio scripta sunt, non a Filio Dei, sed a Beelzebul principe daemoniorum fuisse perfecta, et tunc poterit approbare irremissibilem in Spiritum Sanctum esse blasphemiam" (M.L. 22, 477).

Augustinus, De haeresibus, 38: "Cathari, qui se ipsos isto nomine, quasi propter munditiam, superbissime atque odiosissime nominant, secundas nuptias non admittunt, poenitentiam denegant, Novatum sectantes haereticum: unde etiam Novatiani appellantur" (M.L. 42, 32).

De bono viduitatis, 1, 6: "Hoc primum oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari secundas nuptias, sed [ab Apostolo] honorari. . . Hinc enim maxime Cataphrygarum ac Novatianorum haereses tumuerunt, quas buccis sonantibus, non sapientibus, etiam Tertullianus inflavit, dum secundas nuptias tamquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apostolus sobria mente concedit" (M.L. 40, 433).

Socrates, Hist. eccl. 4, 28: "Novatus presbyter Ecclesiae Romanae, ideo dissidium fecit quod Cornelius episcopus fideles qui tempore persecutionis a Decio imperatore contra Ecclesiam excitatae, idolis sacrificaverant, in communionem suscepisset. Hanc igitur ob causam cum secessisset, ab episcopis qui idem cum ipso sentiebant ad pontificatum evectus, scripsit ad omnes ubique Ecclesias, ne eos qui daemonibus immolaverant, ad sacra mysteria admitterent, sed ut hortarentur quidem eos ad poenitentiam, indulgentiam autem criminum relinquerent Deo, penes quem jus arbitriumque est crimina remittendi" (M.G. 67, 538).

Ibid., 17, 25: "Cumque [Atticus episcopus] aliquando ordinandi episcopi causa Nicaeam venisset, Asclepiadem Novatianorum episcopo admodum senem conspicatus, interrogavit, quot annos in episcopatu transegisset. Qui cum quinquaginta annos transegisse se respondisset: Beatus es, inquit, o homo, qui tanto temporis spatio tam bonum opus administraveris. Eidem quoque Asclepiadi aliquando dixit: Ego Novatum quidem laudo: Novatianos vero non probo. Turbatus hoc dicto Asclepiades: Quomodo, inquit, hoc dicis, episcope? Cui Atticus: Ego, inquit, illum laudo, quod cum iis qui sacrificaverant,

communicare noluerit. Idem enim et ipse fecissem. Novatianos vero minime probo, qui ob levia delicta laicos a communione excludunt. Ad haec Asclepiades ita respondit: Praeter sacrificium idolorum, sunt et alia multa peccata ad mortem, ut loquuntur Scripturae: propter quae vos quidem clericos, nos vero etiam laicos a communione remove-mus, soli Deo potestatem condonandi illis relinquentes” (M.G. 67, 795-798).

Theodoretus, Haer. fab. conf., 3, 5: “Novatus autem Romanae Ecclesiae presbyter erat. Cum autem gravissima tempestas Ecclesiam invasisset, accidit ut quidam e pietatis alumnis post varia tormenta defatigarentur, et negationis verba usurparent. Hi reddita tranquillitate rogarunt ut poenitentiae remedia obtinerent. Atque optimis quidem pastoribus metuenda Domini accusatio videbatur, quae dicit: ‘O pastores, quod contractum erat non colligastis; et quod aberraverat non reduxistis, et quod ceciderat non erexistis;’ imo quoque, lapsis manum esse porrigendam, et hos juxta Domini praeceptum confir-mandos esse. . . His consiliis Novatus non acquievit, sed palam contradixit, non oportere dicens salutem illos consequi, qui abnegasent, perinde faciens ut ii qui aegrotos medicamentis uti prohibent. . . Sectae vero suae asseclas, non solum Novatianos, sed etiam Catharos appellavit. . . Hujus autem successores alia etiam dogmati adjecerunt. Eos enim qui secundas nuptias inierint, a sacris mysteriis repellunt: et poenitentiae mentionem prorsus a suis conventibus exterminant, et iis quos baptizant sanctissimum chrisma non praebent” (M.G. 83, 406 sq.).

D’ALÈS sic Novatiani figuram depingit :

“Novatien était, au milieu du III^e siècle, un des prêtres les plus en vue du clergé de Rome. Lors de l’élévation du pape Corneille (mars 251), son ambition frustrée le poussa hors de l’Eglise. Le schisme dont il avait pris la tête, ouvert sur une question de personnes, évolua sur le terrain de la discipline ecclésiastique et espéra se faire une brillante façade en affichant, au sujet de la rémission des péchés, une sévérité plus grande que celle dont usait l’Eglise catholique. Par là, il fut amené à prendre position même sur le terrain doctrinal, et le schisme se compliqua d’hérésie, tout en conservant, quant aux dogmes fondamentaux du christianisme, la tradition de la grande Eglise. La trace du mouvement novatien se laisse poursuivre durant près de trois siècles. Quant à son auteur, il disparaît de l’histoire ecclésiastique presque au lendemain du schisme. Mais quelques-uns de ses nombreux écrits ont survécu sous des noms d’emprunt.”⁴⁰

“Novatien . . . personnifie le rigorisme en matière de pénitence. Le mouvement qu’il avait lancé, en protestant contre la réconciliation des fidèles tombés au cours de la persécution, devait se propager après lui durant plusieurs siècles, en Occident et en Orient. Lui-même prétendait représenter l’antique sévérité qui était une tradition de l’Eglise romaine. Reprenant, à trente ans de distance, le rôle du prêtre Hippolyte, il protesta contre l’orientation de la discipline chrétienne au temps

⁴⁰ Novatien, Paris, 1925, p. 1 sq.

du pape Corneille. Deux lettres écrites par lui au nom du clergé romain à saint Cyprien de Carthage, durant la vacance du Saint-Siège qui précéda l'élevation de Corneille, énoncent, avec infiniment de circonspection et de réserve, les principes rigoristes qu'il professera ouvertement aux temps de son schisme. D'autres écrits, attribués avec certitude ou avec vraisemblance à Novatien, achèvent quelques traits de cette physionomie".⁴¹

"A tout prendre . . . [la] morale [de Novatien] est d'une belle tenue, et d'ailleurs assez parée d'Évangile pour pouvoir aisément séduire des âmes chrétiennes. On s'explique sans beaucoup de peine l'entraînement passager de quelques confesseurs romains vers le schisme naissant; on s'explique aussi le flottement, qui en Afrique, en Asie et ailleurs, se produisit, et dont les effets lointains s'observent encore après plusieurs siècles. On s'explique enfin le travail rétrospectif de la légende, qui rattacha au mouvement Novatien tel schismatique de date plus ancienne et de tendance pareillement sévère, comme Hippolyte. L'ascendant de Novatien sur son temps, en dehors de la séduction personnelle, procède, pour une part, de ses fréquents appels à la tradition, pour une part, de l'austérité qui servit d'enseignement à la secte. Austérité quelque peu profane, et qui donnait parfois l'impression d'un stoïcien égaré dans l'Église. On a pu lire, dans la lettre du pape Corneille à Fabius d'Antioche, qu'au temps de la persécution Novatien se désintéressa des épreuves communes et se déclara épris d'une autre philosophie. Cyprien nomme expressément la philosophie du Portique. Effectivement, nous relevons dans l'oeuvre de Novatien certains traits qui l'apparentent au Portique. Ce sont, dans le *De Trinitate*, tels développements sur Dieu et son action dans ce monde. C'est dans le *De bono pudicitiae*, telle sentence qui fait fonds sur les ressources de la volonté plus que sur les secours de la grâce; c'est, dans la correspondance, tel déploiement excessif de dialectique. Traits d'ailleurs fuyitifs: Novatien était singulièrement maître de sa plume".⁴²

"L'enseignement morale de Novatien, pour autant que nous le pouvons ressaisir, présente une réelle unité: les écrits de la période orthodoxe contenaient en germe le rigorisme qui devait s'épanouir dans la secte. Personnellement, Novatien paraît avoir eu la bonne fortune de racheter, aux yeux des siens, les faiblesses de ses débuts et de conquérir hors de l'Église cette auréole de confesseur qu'il avait laissé échapper dans l'Église. L'ambition après l'avoir jeté sur les voies du schisme, l'entraîna d'abord à d'étranges compromis: il accueillit, sans choix, toute sorte d'alliés, y compris le trop fameux Novat, fraîchement débarqué d'Afrique où il avait professé le laxisme en matière de pénitence et lancé le schisme de Félicissime. Mais Novatien ne devait pas tarder à sentir l'inconvénient du démenti si légèrement donné à ses principes personnels, et semble s'être empressé d'écouler en province Novat et ses pareils. A Rome, le schisme prit très vite la signification rigoriste qu'il avait affectée dès la première heure et qu'il a gardée dans l'histoire".⁴³

III. DONATISMUS.

De historia et doctrina hujus sectae dictum est in tractatu De sacr. in genere (art. 39, p. 472 et 476, ubi de requisitis in ministro ad valorem sacramenti). Eorum connexio cum Novatianismo in praesenti materia de potestate clavium nonnisi indirecta est, quatenus nempe, ob eorum puritanismum ecclesiologicum, quo concipiebant Ecclesiam tamquam societatem sanctorum (ut inde excluderent validi-

⁴¹ Ibid., p. 138.

⁴² Ibid., p. 163 sq.

⁴³ Ibid., p. 168 sq.

tatem sacramenti administrati ab haeretico vel impio), affectabant consequenter quendam rigorismum poenitentialem, denegantes poenitentiam *publicis* et *manifestis* peccatoribus et incusantes Ecclesiam catholicam de laxismo in reconciliandis lapsis. Ita validum auxilium praebuerunt ipsi Novatianismo qui, occasione ortus Donatismi in eadem regione Africana vix post quinquaginta annos ab ejus exordio, recrudescere coepit.

Ad rem *D'ALÈS*: "Le groupe donatiste qui, à cinquante ans de distance, reprit à son compte une partie du programme novatien, et surexcita les espérances de la secte, eut des sévérités spéciales pour les apostats ou traîtres des choses saintes, mais non pas une doctrine cohérente en matière de pénitence. D'ailleurs circonscrit quant au lieu, avili par toute sorte d'excès, ce schisme ne fut qu'une crise particulièrement morbide dans le rêve ecclésiologique souvent repris depuis Montan. Le mouvement novatien proprement dit était destiné à un plus long avenir, aussi bien qu'à une diffusion plus universelle".⁴⁴

QUOAD QUAESTIONEM HISTORICAM de antiqua praxi Ecclesiae circa remissionem peccatorum seu reconciliationem lapsorum, an nempe Ecclesia universalis, et nominatim Ecclesia Romana in cujus doctrina et praxi maxime deprehenditur sensus universalis Ecclesiae, *aliquando proprie et simpliciter denegaverit absolutionem quibusdam peccatis aut peccatoribus*, non una nec simplex est responsio eruditorum tam catholicorum quam liberalium.

Gravitas problematis, quod inde a saec. 17 inter ipsos catholicos, ducibus hinc inde Petavio et Morino, agitari coepit, provenit tum ex sua non deneganda connexione cum ipso copulato dogmate de potestate clavium et necessitate confessionis; tum ex non dissimulanda severiori ratione antiquae disciplinae poenitentialis et ex istius minori uniformitate in variis ecclesiis; tum ex vario modo quo ipsa quaestio proponi potest et ab eruditis proponitur, nam quaestio moveri potest vel generaliter et indeterminate de peccatis et peccatoribus (an Ecclesia unquam denegaverit absolutionem, abstrahendo an id fieret directe ratione peccati vel potius ratione peccatoris), vel determinate de ipsis peccatis aut de ipsis peccatoribus (an Ecclesia unquam denegaverit absolutionem quibusdam peccatis, et praeterea an eam saltem denegaverit quibusdam peccatoribus non praecise ratione peccati sed ob aliam rationem, puta ob eorum relapsum post actam poenitentiam publicam); tum ex vario fine aut praesupposito dogmatico, quod doctores assumunt, nam acatholici praesupponunt antiquam Ecclesiam non habuisse nec adhuc sibi agnovisse potestatem reconciliandi peccata in foro interno, saltem plene et universaliter, quidam vero catholici putant Ecclesiam hanc potestatem, quam certe habebat et

⁴⁴ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 387.

quoad essentiam sibi semper agnovit, potuisse quoad usum disciplinarter regulare, restringendo vel ampliando, aut forte consequentia jura et officia minus plene et explicitè intelligere, alii tandem putant Ecclesiam non potuisse ita uti praedicta potestate ut bene dispositis peccatoribus unquam veniam denegaret aut tam diminute intelligere officium inhaerens illi potestati ut per absolutionis denegationem contraret juri poenitentis et institutae necessitati recursus ad claves ad obtinendam peccatorum remissionem.

Quaestio primo posita est saec. 17 a Petavio († 1652) et Morino († 1659), occasione libri Tertulliani de Pudicitia, in quo negatur remissibilitas trium praesertim peccatorum⁴⁵ (fornicationis, idololatriae et homicidii) atque impugnatur sic dictum decretum Callisti concedens veniam peccato impudicitiae (“Ego et moechia et fornicationis delicta, poenitentia functis dimitto”; cf. supra, art. 1, tom. 1, p. 106). Quaestio limitata est determinate ad tria praedicta peccata et ad tria priora saecula, imo strictius ad aliquod tempus praecedens praefatum decretum Callisti (signanter ad finem saec. 2 et initium saec. 3), nam praecise ex illo decreto (edito circa a. 220) et ex tota controversia cum Montanismo Tertulliani, constat inde a prima parte saec. 3 veniam concessam esse moechis, et ex subsequenti controversia cum Novatianis constat inde a medio saec. 3 remissionem datam esse peccato idololatriae seu apostasiae, et fere eodem tempore etiam peccato homicidii; praeterea inde ab initio saec. 4 venia omnibus peccatoribus concessa est in articulo mortis, id statuente Conc. Nicaeno (can. 13) ac subinde confirmantibus Innocentio I (a. 405), Coelestino (a. 428) et Leone M. (a. 452). Quaestio igitur hoc modo posita est: utrum ante decretum Callisti vulgata praxis Ecclesiae, saltem per aliquod temporis spatium, fuerit denegandi veniam tribus peccatis capitalibus, et utrum proinde illud decretum constituerit veram innovationem in disciplina poenitentiali Ecclesiae et in usu potestatis clavium. Affirmative respondit Petavio, negative vero Morinus, inter se dividentes favorem aliorum eruditorum.

Eadem quaestio et eadem solutio substantialiter renovata est hodierno tempore, praecipue inde ab altera parte saeculi elapsi, cum majori tamen clamore nondum perfecte sopito, cum majori difficultate orta ex peritiori cognitione historicorum documentorum, cum novis

⁴⁵Ut dictum est in art. 45 (tom. 2), capitalia a Patribus vocabantur ea peccata, quae poenitentia publica plectebantur. Fornicatio, idololatria et homicidium dicta sunt capitalia, quatenus, accepta in generali quodam sensu, comprehendunt cetera omnia peccata graviora quae, juxta diversam ecclesiarum praxim, subiciebantur poenitentiae publicae, eo fere modo quo quatuor virtutes (prudencia, justitia, fortitudo et temperantia) vocantur cardinales, seu veluti capitales.

distinctionibus, ampliacionibus et modificationibus tum ipsius quaestionis tum ejus solutionis.

Imprimis enim in arenam connaturaliter descenderunt moderni Protestantes Liberales ut juxta solutionem Petavii inferrent et confirmarent suam doctrinam de evolutione conscientiae Ecclesiae circa existentiam clavium potestatis; quod quidem acuit dissidium inter ipsos eruditos catholicos, aliis rigidius consistentibus in sua positione dogmatica, aliis manus praebentibus Rationalistis Petaviique positionem confirmantibus et ampliandis absque timore ullius offensionis catholici dogmatis, aliis denique medias vias inter utramque positionem laboriose tentantibus.

Praeterea, nova documenta in medium prolata sunt. Ita opus Hippolyti "Philosophoumena" (primo prolatum a. 1851), in quo impugnatur disciplina poenitentialis Callisti Papae; textus graecus Pastoris Hermae (notus ab a. 1856); clarificata documenta antiquiora ex quibus originaliter resultarunt Constitutiones Apostolicae, praxim orientalem exhibentes. Inde melior intellectio doctrinae poenitentialis Hermae et simul eruditorum disputationes de ejus laxismo vel rigorismo; item melior cognitio disciplinae poenitentialis Callisti et simul eruditorum controversiae de praeciso sensu et valore praefati decreti invocati a Tertulliano et de ejus attributione ipsi Callisto, aut ejus praedecessori Zephyrino, aut nulli Romano Pontifici sed Agrippino episcopo carthaginensi (cf. art. 1, tom. 1, p. 106 sq.) ac inde de connexionione inter testimonium Tertulliani et Hippolyti et inter disciplinam poenitentialem quam impugnat prior et eam quam reprobat alter.

Praeterea, quaestio novissime complicata est cum alia nec minus acri disputatione de existentia vel secus poenitentiae privatae (de qua actum est in art. 45); nam, si cum quibusdam eruditis negetur omnis modus privatae poenitentiae et simul dicatur Ecclesiam denegasse absolutionem capitalibus peccatis, quae fuerint sola materia publicae poenitentiae, sequeretur Ecclesiam per aliquod tempus nullam exercuisse potestatem clavium et totaliter concidisse institutum poenitentiale.

Praeterea, quaestio explicite ampliata ac veluti duplicata est, ita ut non tantum quaeratur utrum Ecclesia veniam unquam denegaverit ulli peccato (nominatim fornicationi, idololatriae et homicidio), sed etiam, explicite ac se junctim, utrum Ecclesia veniam denegaverit ulli peccatori (nominatim quibusdam moribundis, relapsis post publicam poenitentiam et clericis lapsis) ob aliam rationem quam ob ipsam speciem peccati; quae altera quaestio praetergreditur litem saeculi tertii.

Omnes problematis solutiones, ad duas iterum sententias reducuntur, alteram affirmantem ab Ecclesia denegatam veniam, alteram id negantem; ceterum, juxta modum quo a variis doctoribus ponderatur praesuppositum dogmaticum, ab ipsis assumptum, vel momentum historicum documentorum hucusque allegatorum, vario modo utraque sententia premitur aut emollitur, ita ut quidam eruditi catholici perveniant ad quandam sententiam mediam. Triplex igitur sententia distingui potest: quidam nempe docent Ecclesiam denegasse absolutionem quibusdam tum peccatis tum peccatoribus (Harnack, Petavius, Funk); alii ex opposito simpliciter negant Ecclesiam unquam denegasse, imo denegare potuisse, veniam ulli peccato aut peccatori (quidam theologi positivi, ut D'Alès, et dogmatici turmatim); alii distinguunt, negantes Ecclesiam de facto denegasse absolutionem ulli peccato, ratione ipsius peccati, etsi id forte potuisset, affirmantes vero absolutionem denegatam esse ob aliam rationem quibusdam peccatoribus, scilicet relapsis et quibusdam aliis, etiam moribundis (Morinus, Galtier).

PRIMA SENTENTIA, affirmans simpliciter factum denegatae ab-solutionis, est communis tum pluribus eruditis acatholicis, duce Harnack, tum quibusdam catholicis, duce olim Petavio, hodie Funk. Inter acatholicos citantur praecipue Harnack, pluresque critici ejus scholae,⁴⁶ Loisy modernista et Watkins anglicanus; inter catholicos vero Petavius, Sirmundus, Christianus Lupus, Duguet, Martène, Duchesne, Funk, Boudinhon, Vacandard, Batiffol, Rauschen, Bonaccorsi, Pohle, Tanqueray, Amann.⁴⁷ Praecipui qui hanc sententiam polemicè adornarunt, sunt Funk, Vacandard, et Batiffol. Pro eadem sententia Vacandard et Batiffol citant etiam Tixeront, sed immerito ut constat ex ipso textu (Histoire des dogmes, I, Paris, 1930, p. 365–367).

Acatolici et catholici conveniunt inter se in assertionem facti, differunt vero ac necessario in ejus dogmatica explicatione. Omnes quippe asserunt, immediate saltem ante decretum Callisti editum circa initium saec. 3, viguisse in Ecclesia praxim satis generalem denegandi absolutionem quibusdam delictis seu tribus peccatis capitali-

⁴⁶Tamen Harnackii interpretationem de innovatione poenitentiali, inducta a Callisto saec. 3, reiciunt plures insignes critici ejusdem scholae, i.e. *Loofs, Seeberg, Preuschen, Hauck, Bethune-Backer*, in operibus supra cit. (p. 281 sqq.). Ipse *Lea* valde remissus sese ostendit in hac re, fere silens de ea ac mere transeunter scribens: "It may perhaps be assumed from Tertullians' burst of indignation and arguments when Pope Zephyrinus admitted adulterers to penance that during the first two centuries the Church, or at least a portion of it, resolutely refused reconciliation for the three crimes and refused to intercede for them with God" (*A History of Auricular Confession*, v. 1, Philadelphia, 1896, p. 18).

⁴⁷Opera istorum, necnon aliorum doctorum quos dabimus pro duabus sequentibus sententiis, jam retulimus initio articuli (p. 281–284).

bus quae declarabantur irremissibilia; illud decretum fuisse initium verae innovationis et mutationis in praxi sacramentali; Callistum hanc innovationem inaugurasse, concedendo veniam peccato impudicitiae ac ita portam aperiens ulteriori indulgentiae quoad peccatum idololatriae, concessae post triginta circiter annos a Cornelio, cui non multo post, in circumstantiis nondum plene exploratis, secuta est venia pro peccato homicidii, ita absolvens rigoristicae illius disciplinae mutationem. Principale argumentum est testimonium trium praecipuorum coaevorum scriptorum, Tertulliani nempe, Hippolyti et Origenis, florentium in tribus praecipuis ac dissitis Ecclesiae partibus, Romana scilicet, Africana et Orientali.

Differunt autem in hoc quod acatholici explicant factum denegatae absolutionis *ex defectu juris*, seu ex eo quod Ecclesia non habuerit, nec adhuc sibi agnoverit vel usurpaverit, jus remittendi peccata in foro interno, ita ut innovatio inaugurata a Callisto fuerit vere *mutatio dogmatica* et non tantum disciplinaria (juxta rationalisticam explicationem evolutionis ecclesiae charismaticae in hierarchicam, de qua diximus in art. 1, tom. 1, p. 54 sq.); catholici vero, admittentes Ecclesiam jugiter habuisse et sibi agnovisse jus dimittendi omnia peccata, explicant praxim denegatae absolutionis ex ulteriori jure Ecclesiae regulandi exercitium potestatis clavium, seu restringendi vel ampliandi, juxta exigentiam ipsius spiritualis boni fidelium, concessionem veniae peccatorum, ita ut decretum Callisti fuerit mera applicatio istius juris et mera *mutatio disciplinaria*.

Ceterum hi doctores non valde concordantes et constantes sunt in determinanda sua sententia et in ponderandis historicis argumentis in quibus ipsa fundatur. Quidam dicunt praedictum rigorismum viguisse inde fere ab initio Ecclesiae, alii dicunt supervenisse circa finem saec. 2 et initium saec. 3; plures maxime insistent in testimonio Tertulliani, non magnam vim tribuentes testimonio Origenis (Vacandard), quidam in Origenis testimonio praecipue insistent (Amann); quidam loquuntur de praxi generali, alii de praxi quarundam notabilium ecclesiarum; quidam loquuntur de ipsa denegatione absolutionis a peccatis, alii potius de denegatione communionis ecclesiasticae vel eucharisticae; quidam valde asseveranter loquuntur (Funk, Vacandard, Batiffol), alii remissius (Rauschen, Bonaccorsi); quidam loquuntur de perpetua denegatione conciliationis, alii admittunt reconciliationem in articulo mortis; quidam satis constantes sunt in suis affirmationibus, alii (ut Petavius, Vacandard et Batiffol) ita eas mutant vel pro circumstantiis emolliunt, ut jam vix intelligatur quid proprie sibi velint et in quo exacte distinguantur a duabus oppositis sententiis mox recitandis.

A. HARNACK scribit:¹⁸ "Il y avait une règle qui retardait particulièrement l'acclimation de l'Eglise dans le monde et la transformation de la société des saints en institution du salut: c'était la règle excluant définitivement des communautés chrétiennes les grands pécheurs. Jusqu'à la fin du deuxième siècle, l'exclusion définitive de l'Eglise était la sanction de l'apostasie aboutissant à l'idolâtrie (à moins que l'apostat ne réparât sa faute par une confession éclatante devant le pouvoir. *Lettre des confesseurs de Lyon*, chez Eusèbe, *HE*, V, 1 sqq.), de l'adultère, de la fornication et de l'homicide; — sans préjudice du pardon divin que l'on faisait espérer aux apostats pour l'autre vie, s'ils persévéraient jusqu'au bout dans la pénitence. Cette théorie ne souffrit des exceptions — peut-être fréquentes — que du fait de l'Esprit, dont les manifestations extraordinaires (surtout chez les martyrs, confesseurs et prophètes) commandaient ou autorisaient la réintégration de certains pécheurs dans la communauté (voir Hermas). La règle devint son origine à l'antique conception présentant la chrétienté comme une communauté de saints dépourvue d'institution propre à réparer, dans l'universalité des cas, l'œuvre du baptême, et réservant à l'intervention directe de Dieu seul, le pardon des grands péchés.

"Dans l'ensemble, la pratique dut répondre à cette théorie; néanmoins au cours du second siècle, — vraisemblablement sur l'autorité d'Hermas . . . , — la coutume s'introduisit d'accorder pour le plus grand nombre des péchés une pénitence non renouvelable, après exomologèse publique. C'était là, en fait, introduire quelque chose de très semblable à un second baptême; déjà Tertullien ne craint pas de parler (*Paen.*, 12) de deux planches de salut. . . La concession d'une seconde pénitence fut une première atteinte à l'ancienne conception de la chrétienté comme communauté de saints. Néanmoins la pratique gardant force de loi, d'après laquelle l'Eglise devait refuser la réintégration aux débauchés, aux adultères et plus particulièrement aux homicides et aux idolâtres, entretenait l'idée d'une ligne de démarcation entre l'Eglise et le monde. Il en fut ainsi jusque vers l'an 220.

"La première atteinte formelle à la règle fut portée par l'édit péremptoire de l'évêque Calliste, qui — sans doute pour éviter de décimer son troupeau et d'abandonner aux hérétiques les brebis errantes — promit la réconciliation aux pécheurs coupables d'impudicité, en revendiquant ce pouvoir comme un droit appartenant aux évêques, à titre de successeurs des apôtres, comme tels dépositaires de l'Esprit et du pouvoir des clefs. Cette mesure, soigneusement motivée de par la Bible et la raison, provoqua à Rome le schisme d'Hippolyte, à Carthage le libelle amer de Tertullien, à Alexandrie l'opposition énergique d'Origène. Mais entre 220 et 250, la pratique plus bénigne à l'égard des fautes de la chair s'établit, sans toutefois être accueilli partout, et sans provoquer un schisme plus étendu (Cyprien, *Ep.* LV, 21). A l'égard de l'apostasie vers l'idolâtrie, aucun adoucissement ne s'était encore produit en 250. Il se produisit seulement à l'occasion de la persécution de Dèce, où, dans beaucoup de villes, le nombre des renégats surpassa celui des confesseurs. La majorité des évêques s'accorda, non sans répugnance de la part de plusieurs, sur de nouvelles bases. D'abord on consentit à absoudre au lit de mort les apostats pénitents, puis on distingua entre *sacrificati* et *libellatici*, traitant ces derniers avec plus de douceur; enfin on accorda à tous les apostats, sous certaines conditions rigoureuses, la possibilité d'une réhabilitation; on admit une procédure casuistique à l'égard des laïques et l'on reporta la pratique rigoureuse — non universellement toutefois — sur le clergé.

"Cette nouvelle discipline, qui devait logiquement amener la décadence progressive de la concession exceptionnelle — et en principe intenable — d'une pénitence unique après le baptême, provoqua le schisme novatien, que bientôt déchira toute l'Eglise. Cependant, là même où l'unité fut fermement maintenue,

¹⁸Harnack, *Lehrbuch der Dogmengeschichte*, t. 1, p. 439-444 (*Translatum textum referimus ex D'Alès, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 8 sq.*).

bien des communautés observèrent, jusqu'au cinquième siècle, la pratique la plus rigoureuse. . . La confusion créée après la persécution de Dèce par les confesseurs — ils soutenaient souvent le parti laxiste, et en somme la discipline pénitentielle que les évêques défendaient, eu égard aux progrès de l'esprit mondain dans les martyrs, est remarquable par sa sévérité relative —, cette confusion amena progressivement la négation de tous les droits reconnus aux personnes spirituelles, au bénéfice des seuls évêques. L'achèvement d'une constitution ecclésiastique fondée sur l'épiscopat, coïncida avec l'introduction du droit illimité de remettre les péchés.⁴⁰

O. D. WATKINS (anglicanus) inde ab initio sui operis *A History of Penance*, commentans sic dictum decretum apostolicum in concilio Hierosolymitano (Act. 15, 29) eandem evolutionem Ecclesiae in remittendis tribus peccatis capitalibus proponit (cf. infra, p. 351 sq.).

Inferius, commentans opus Tertulliani *De Pudicitia*, scribit: "The evidence which has been adduced [ex verbis Tertulliani] appears to necessitate the conclusion that at the time Tertullian wrote the *De Pudicitia*, it was the practice of the Roman church and of some other Western churches, as that of Africa, not to admit the apostate or the homicide to reconciliation on this side of the grave. The date of the treatise has been taken above as about A.D. 220, because it must be understood to have been written immediately after the announcement of Callistus that offenders in the matter of impurity might in future be reconciled after penance. It is no less clear that in the same churches for an indefinite period preceding the announcement of Callistus, offenders in the matter of impurity had also been regarded as inadmissible to reconciliation in this life. Those who are familiar with human frailty in the baptized can only marvel. . . It may not unreasonably be surmised that there was fault which never found admission; and that Callistus, who had been a slave and also a man of business in the capital, had some knowledge of a seamy side to the Christian community, and desired to bring the Church into more effective relation to the actual facts of life. However this may be, it must be held to be proved that before the announcement of Callistus adulterers and fornicators were not in the accepted order of the Church admissible to communion on this side of the grave; and that after the announcement of Callistus they were so admissible".⁴⁰

Discussis testimoniis Hippolyti, Tertulliani et Origenis, concludit: "On a general survey of the period which has been under review in this chapter, that is to say, the century from A.D. 150 to A.D. 250, the student cannot fail to be impressed by the marked agreement of the great Christian writers in favour of a severe or rigorist discipline. . . At Rome *Hippolytus* strongly condemns the new policy of Callistus, which throws open the gate of reconciliation to offenders in the matter of purity. At Carthage *Tertullian* in the *De Pudicitia* makes an onslaught on the same policy as altogether inadmissible, and it is clear from his treatise that in the church of Rome prior to the action of Callistus offenders in the matters of idolatry, bloodshed, and impurity were all alike held to stand outside the possibility of reconciliation in this life, and that the same standpoint was accepted in the African churches. At the close of the period *Origen*, who may be expected to represent the temper of the churches at once of Egypt and of Syria, is similarly severe, and writes of those who overstep the bounds of the priestly dignity in assuming to condone idolatries, and to remit adulteries and fornications. Such sins to Origen are sins incurables (*avtara*).

"Thus the principal writers of the period are agreed in an attitude of severity. Yet there had doubtless also been throughout this period a body of opinion which made for leniency or mercy. One foremost representative of the lenient temper was Dionysius of Corinth (c. A.D. 171), whose attitude may have been

⁴⁰ *A History of Penance*, vol. 1, London, 1920, p. 128 sq.

traditional in the church of Corinth, but was not characteristic of all the churches of Greece, since Pinytus of Cnossus stood on the rigorist side. But the outstanding champion of the present mercy of the Lord to the penitent offender in fleshly sins was Callistus, bishop of Rome. His courageous action in openly declaring that the reconciliation of the Church would in future be open to offenders of this class after due penance performed *proved to be one of the great turning points in the history of Penance in the Christian Church*. At Rome it found general but not universal adhesion, and a schism for a time took shape, it would seem, under the leadership of Hippolytus. And the angry accents of Tertullian came hectoring across the seas. But, notwithstanding, the clemency of Callistus held. *One by one the Churches of Christendom followed the lead which was given*. In the first half of the fourth century it is only among the separatists that the old rigorism is still practiced. And never again in the long history of the Catholic Church will the sorrowing victim of fleshly frailty find the portals of Christ's mercy barred against him"⁵⁰

PETAVIUS in tribus successivis operibus, mox citandis, de hac quaestione scripsit; primo scilicet a. 1622 in notis super Epiphanium, simpliciter docuit Ecclesiam in perpetuum veniam denegasse tribus peccatis capitalibus; subinde, anno 1633, in notis super Synesium, "re altius accuratiusque perspecta" ut ait, suam sententiam temperavit, admittens Ecclesiam omnibus moribundis, etiam relapsis, absolutionem peccatorum concessisse, etsi non perfectam reconciliationem seu eucharisticam communionem, ut "Nicaeni canonis convincit auctoritas"; tandem, a. 1644, in opere De poenitentia publica et praeparatione ad communionem, scripto adversus jansenistam A. Arnauld, hanc ultimam sententiam repetiit sed minus firmiter, nam iterum asserit quod "tria memorata delicta . . . in perpetuum a communione arcerentur", addens tamen: "Attamen viri docti existimant hanc severitatem ad finem duntaxat vitae porrectam fuisse, ad quem si pervenisse judicarentur, admittebantur ad communionem. Quod colligitur ex canone 13 concilii Nicaeni". Ad relapsos quod attinet, seu quoad illos qui, admissi ad publicam poenitentiam ob alia graviora peccata distincta a tribus supradictis, in eadem cecidissent, Petavius docet eos de lege generali exclusos fuisse tum a publica tum a privata poenitentia, veniam tamen obtinuisse in articulo mortis "praesertim post Nicaenum canonem editum".

De veteri in Ecclesia poenitentiae ratione Diatriba ad haeresim LIX, quae est Novatianorum, ex Epiphaniensis animadversionibus excerpta [1622], § 2 et 3 (Dogmata Theologica, t. 8, Parisiis, 1867, p. 178 sq. 182. 184-187):

"Nullum esse delicti, flagitiique genus, quod non eadem illa, quae ligare ac retinere potest, solvere ac remittere possit ecclesiae potestas, neque probandum hoc loco est, neque ab aliis, quam ab Evangelii, atque Ecclesiae desertoribus, in controversiam adducitur. Hujus vero potestatis usum, cum in ejusdem Ecclesiae arbitrio positus sit, varie temperatum et administratum esse non dubium est; et ad continentiam sancendamque disciplinam severioribus interdum legibus; et institutis adstrictum. Quocirca sub ipsum Christianae religionis exordium, flagrante peraeque studio pietatis, et improbitatis odio, multo et graviore in delicta poenae, et diuturniores constitutae sunt. Quae res eo usque progressum habuit, ut atrocioribus quibusdam sceleribus venia, indulgentiaque funditus denegata fuerit, numquam ut cum Ecclesia reconciliari possent. Quod ut ab hodiernis moribus et institutis abhorrens ne quis incredibile forsitan arbitretur, auctorem dabo Tertullianum, qui in libro de Pudicitia, clare id, ac diserte testatur. Scripsit autem hunc librum cum jam ex Catholico Montani factus esset assecla, adversus Zephyrini Papae decretum, qui ad aulterum post poenitentiam admittendos edixerat. . . Quod summi Pontificis edictum Tertullianus oppugnans, ex eo redarguit, quod cum tria sint gravissima scelera, idololatria, homicidium, et adulterium, exclusis et in per-

⁵⁰ Ibid., p. 141 sq.

petuum rejectis duobus reliquis, solum adulterii crimen ad veniam exceperit. . . Quae quanquam Montani jam imbutus errore scripserit, ex ipsa tamen argumentandi ratione colligitur, certis criminibus pacis, ac veniae spem per illa tempora subtractam fuisse. . . Profecto duobus illis saltem, vel tribus initio peccatis pacem nullam ab Ecclesia concessam, ex ejusdem auctoritate, ac ratiocinatione concludi non immerito potest. . .

“Liquet, procul a Novatianorum errore ac perfidia Eliberitanos Patres abuisse; nec aliud omnino nisi aut priscam Ecclesiae disciplinam, sed usu jam obliteratam, denuo revocasse; aut haerentem adhuc in Hispaniis novis legibus adstrinxisse: cum capitalium scelerum rei, praesertimque trium, Idololatriae, homicidii, et adulterii olim, ut Innocentius docet, communi consuetudine veniam nullam, et absolutionem obtinerent: non quod absolvi ab Ecclesia non possent, ut Tertullianus asserebat; sed quod *ejus, quam amplissimam a Christo susceperat, potestatis usum certis finibus circumscripsisset*. Huic tam compertae explorataeque doctrinae nullos acrius repugnatos intelligo, quam qui antiquitatis ecclesiasticae minus periti veteris Ecclesiae formam hodiernis ritibus institutisque metiuntur: quibus asperum et inhumanum videtur, homini ulli, qui commissi criminis dolorem, ac poenitentiam prae se ferat, pacem, et absolutionem denegari. Quod ipsum tamen olim certo in hominum criminumque genere servatum fuisse tot . . . testimonia demonstrant. . .

“Ad ejus, quam hucusque demonstravimus severitatis, ac negatae communionis fidem pertinet . . . publica semel poenitentia defunctis, si eadem in crimina relaberentur, omnem ad poenitentiam, ac pacem aditum majores nostros interclusisse, aut aegre admodym ac raro tribuisse. . . Ex quo perdifficilis existit quaestio; quid illis tandem hominibus factum sit, qui post priorem poenitentiam in eadem scelera rursus incurrerent; verumne sit ab Ecclesia rejectos illos penitus, nec ad privatam saltem aliquam receptum habuisse, cujus beneficio in integrum restituti ad divinorum mysteriorum communionem redirent. Qui antiquioris Ecclesiae formam ac consuetudinem ex hodiernis institutis et moribus aestimare voluerit, facile mitiorem in partem inclinabit; nec ab omni Ecclesiae, Sacramentorumque consortio repudiatos illos persuadere sibi poterit. . .

“Sed ad veterum Patrum testimonia, ac praeae illius Ecclesiae normam, et communem adeo sensum adjicienti mihi, parum commode [id explicari posse videtur]. . . Etsi graviorum delictorum conscii citra publicam illam, quam antea suscepissent, poenitentiam emergere, et ad communionem pacemque reverti alterius ac privatae beneficio potuerint; nonne melior illorum, quam caeterorum, conditio fuit, quibus sine publica poenitentia reditus in Ecclesiam non patuit? Atqui nemo tam vecors erit, qui humanius cum illis actum putet, qui in eadem saepius incurrissent, et quidem horrenda flagitia, quam cum iis, qui semel ea commisissent: quod ex illa opinione consequitur. Cujusmodi vero istud est; velut gratiae, ac beneficii loco publicam illam poenitentiam suscepisse ac difficiliter indultam? Nam si privata et occulta defungi possent, et in eodem ac caeteri loco esse; quis non tanto molestiarum ac temporis compendio mallet uti, cupidissimeque se, publica illa contempta, ad commodiorem alteram, breviorumque transferret? . . . [Dico ergo quod] post publicam illam poenitentiam, si [poenitentes] iisdem se criminibus obstrinxissent, ab Ecclesiae aditu, et a Mysteriorum communionem penitus exclusi reconciliari amplius non poterant; quod imprimis Augustinus affirmat. Quanquam fieri potest, ut in quibusdam ecclesiis poenitentiam iterare licuerit, cum id raro, adeoque nonnunquam fieri scribat Origenes. Neque vero id aut incredibile, aut adeo mirabile videri par est; si quis animo repetat, quanta in plerosque peccatores canonum austeritas, et constantia fuerit, ut quis semel duntaxat graviora flagitia commisisset, inexpiabilem noxam contraheret; aut inter poenitentes assidue degens instante demum obitu pacem perciperet. Ut homicidae in Ancyrano can. XXI. Christi negatores in Basilianis canonibus can. LXXXVI,

aliaque id genus. . . Accedit, quod extremo vitae tempore communionem donati sunt; praesertim post Nicaenum canonem editum, quo moribundis negari viaticum prohibuit; quod ubique terrarum deinceps obtinuit.”

Diatriba de Poenitentia et reconciliatione veteris Ecclesiae moribus recepta, ex notis in Synesium [a. 1633], § 4 (ibid., p. 451–453):

“Id . . . propositum fuerat, videre equid aliquando peccatorum certis generibus ab Ecclesia in totum negata communicatio sit; praesertim urgente mortis periculo, et ut factum hoc interdum esse constet, quatenus ista communicatio fuerit. Hoc est an prima illa, maximeque necessaria reconciliatio, sive sacramentalis absolutio negaretur. Quatuor sunt potissimum argumenta, quibus summa Ecclesiae illa severitas approbatur. Primum ex Tertulliano petitur. . . Secundo idem ex S. Cypriano conficitur epist. XIII. . . Tertio Eliberitanum concilium multis canonibus quibusdam peccatorum generibus ne in fine quidem dari communionem iubet. Quarto Innocentius I. epist. III, ad *Exuperium*. . . Haec sunt praecipua capita, ex quibus feralis illa consuetudo antiquioris Ecclesiae colligitur. . . At ex adverso Nicaenus can. XIII. opponitur, qui *παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον, antiquam, et canonicam legem* esse dicit, quae moribundis *necessarium viaticum* dari praecipit, hoc est peccatorum absolutionem, ut superius ostendimus.

“*Nos res alius accuratiusque perspecta*, primum asserimus nullam unquam totius ecclesiae catholicae usu vel sanctione receptam fuisse consuetudinem, quae moribundis *peccatorum absolutionem* hoc est *ἀναγκαϊότατον* illud *ἐφόδιον* negaret. Etenim neque Apostolorum tempore usitatum hoc fuisse, superius animadvertimus: neque postea, saltem tota in Ecclesia servatum esse, Nicaeni canonis convincit auctoritas. Quippe verba ea, *παλαιὸς, καὶ κανονικὸς νόμος*, non nisi de lege vel scripta, vel tacita, jam pridem, et ab Apostolis usque temporibus edita, posse accipi videntur, nec ad particularis alicujus Ecclesiae decretum ante annos 60 circiter natum restringi se patiuntur. Quo minus audiendi sunt, qui ad S. Cypriani aetatem respexisse volunt Nicaenam synodum: qua aetate remitti primum ille rigor veteris disciplinae coeperit, quae hactenus a pace reconciliationis etque graviorum criminum reos etiam moribundos excluderat. Ac Nicaena illa sanctio ad generalem totius Ecclesiae colligendam consuetudinem eo momenti plus habet, quod oecumenica synodus fuerit, in quam ex omni catholico orbe episcopi convenerunt. *Quamobrem nemini arbitror extremo vitae tempore denegatam fuisse peccatorum absolutionem ex instituto, ac ritu generali totius Ecclesiae*, sed perfectam duntaxat, ac posterioris communionis formam, qua jus oblationis, et Eucharistiae concessum fuit, quibusdam negari placuisse, quod diserte Nicaenus canon ostendit. . .

“De his [quibus, ob relapsam, secunda poenitentia denegabatur] . . . sciscitari posset quispiam, utrum in vitae finem absolutionem sacramentalem adepti sint, an ab ea penitus exclusi, quod posterius epist. LIV, indicare videtur Augustinus. . . Verum nostra haec opinio est, iis in vitae periculo sola *sacramentali absolutione* consultum: perfectam vero negatam esse communionem, quod profecto S. Augustini locus ille affirmare nos cogit, dum hominem illum, qui poenitentia functus semel, in eadem scelera relapsus est, ita loquentem introducit. ‘Aut date mihi eundem iterum poenitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit,’ etc. Haec enim ideo dicit, quod post actam poenitentiam, reliquo vitae tempore, si in eadem gravia delicta laberentur, ab spe pacis, et reconciliationis exciderent; licet instante obitu, peccatorum veniam impetrent.”

De poenitentia publica et praeparatione ad communionem [a. 1644; contra A. Arnould], l. 2, c. 2 (ibid., p. 236 sq.):

“Ex . . . verbis [Tertulliani, De Pudicitia] . . . liquet tria illa delicta sine remissione fuisse. . . Attamen viri docti existimant, hanc severitatem ad finem duntaxat vitae porrectam fuisse; ad quam si pervenisse iudicaretur, admittentur ad communionem. Quod colligitur ex canone VIII, concilii Nicaeni. . . Est

praeterea animadvertenda, in Poenitentia illa primitivae Ecclesiae, circumstantia, a qua alienissima est hodie consuetudo nostra. Nimirum nunquam, nisi semel, imponebatur, ita ut qui peccatorum causa poenitentiam publicam subierat, si forte in eadem peccata relaberetur, ad eam non amplius admitteretur; ac proinde sine remedio vitam ageret, nisi morti proximam acciperet necessarium absolutiois et communionis viaticum, ut vocatur a priscis conciliis.⁶¹

F. X. FUNK: "L'édit pénitentiel de Calliste visait seulement les impudiques, non les idolâtres et les homicides. . . La raison pour laquelle l'adoucissement de la discipline commença par le pardon des fautes de la chair, est facile à supposer. Ce fut certainement que, entre les fautes capitales, celles-là se présentaient plus fréquemment et que, avec le temps, on trouva trop dur d'exclure de l'Eglise à perpétuité un si grand nombre de personnes. La rigueur avait sans doute, d'un point de vue disciplinaire et pédagogique, une certaine signification. Elle pouvait et devait servir à donner une conscience vive de la gravité du péché et à éveiller un fort et sérieux esprit de pénitence. Mais, d'autre part, elle avait son inconvénient grave: en conséquence de leur exclusion perpétuelle de la communion ecclésiastique, bien des gens, au lieu d'embrasser la pénitence, tombaient dans l'indifférence, sinon dans l'incrédulité et le désordre. Au cours du temps et avec le progrès de l'Eglise, cet inconvénient dut apparaître de plus en plus, et cette considération fut cause que Calliste promulga son édit. Une influence extérieure dans cette réforme n'est guère probable: elle s'explique suffisamment par la situation de l'Eglise elle-même. De plus, il n'y avait entre le montanisme — à peu près la seule influence à laquelle on puisse songer — et l'Eglise, aucune différence appréciable en fait de discipline pénitentielle".⁶¹

BATIFFOL, *Etude d'histoire et de théologie positive*, première série, Paris, huitième édition, 1926 (in prima editione a. 1902, eadem prorsus doctrina refertur nec nisi pauca verba discrepant):

"Un rigorisme s'affirmait [au 2me siècle], impérieux, non moins redoutable à l'Eglise, mais dont on est surpris de constater combien fut grande la popularité qu'il conquit [p. 50]. . . Si répandue qu'ait pu être cette morale ascétique, il est incontestable qu'à côté d'elle, moins ambitieuse, moins littéraire surtout, s'affirmait une morale sensiblement différente, qui a trouvé dans le *Pasteur* d'Hermas son expression la plus autorisée [p. 54]. . . Nous pouvons préciser: l'adultère, le meurtre, l'apostasie, ces trois fautes qui plus tard constitueront de véritables cas réservés, ne sont pas exclus du bénéfice du pardon [par Hermas] [p. 61]. . .

"Le décret de Calliste, après le *Pasteur* d'Hermas, représente un second moment du développement que nous étudions [p. 69]. . . Hermas enseignait que ce pardon existe, au moins pour une fois, et nous avons vu combien ce pardon, timidement présenté, paraissait répugner à la conscience de son temps. Au moment où Tertullien publie le *De poenitentia*, il semble que cette répugnance s'est rendue [p. 72]. . . La contradiction est flagrante entre Tertullien catholique et Tertullien montaniste. Mais l'on voit aisément le point de départ de cette contradiction. La discipline catholique admettait l'exomologèse et lui attribuait une efficacité certaine; elle encourageait le pécheur à s'y soumettre, en lui assurant le gain du pardon: mais elle se refusait à prononcer elle-même l'absolution de certains pénitents. Tertullien conclut: le péché est donc irrémissible et nul autre que Dieu ne le remet. Les catholiques se contentent de dire: le péché est réservé à Dieu, et il est réservé par l'Eglise. Le refus par l'Eglise d'absoudre l'idolâtrie, l'adultère et l'homicide, constitue, en effet, trois cas réservés [p. 84]. . .

⁶¹ Zur altchristlichen Bussdisziplin, in Kirchengeschichtlichen Abhandlungen und Untersuchungen, t. 1, Paderborn, 1897, p. 158 (Translatum textum retulimus ex *D'Alès*, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 10); cf. ejusdem Funk art. Das Indulgenzedikt des Papstes Kallistus, in Theologische Quartalschrift, 1906, p. 541-568.

‘A Rome . . . immédiatement avant Calliste, on condamnait une fois pour toutes, *‘semel’*, ces trois catégories de pécheurs à la pénitence perpétuelle. Cette triple réserve faisait au chrétien failli une situation très dure. Sans doute, il pouvait espérer de Dieu la rémission de son péché; mais d’abord l’Eglise mettait à l’espoir qu’elle autorisait une condition, qui était que le pécheur se soumit à l’exomologèse publique; puis, cette exomologèse accomplie, *elle ne rendait pas au pénitent la communion*, et c’est justice, puisqu’elle professait que la rémission du péché appartenait à Dieu, et, partant, n’était connue que de lui. . . Cette pénitence publique, perpétuelle et d’une efficacité connue de Dieu seul, était pour décourager le pécheur de s’y soumettre: Tertullien catholique nous a dit combien était petit le nombre des pécheurs qui l’embrassaient C’était une première faille pour cette discipline. Il y avait aussi les pécheurs qui l’éluadaient. La rémission des péchés irrémisibles appartenant à Dieu seul, n’était-ce pas s’adresser à Dieu que de s’adresser aux martyrs? Le saint Esprit était en eux; avec eux il était entré en prison pour y terrasser le diable. Le pécheur n’avait qu’à s’adresser aux martyrs pour obtenir par eux ce que l’Eglise croyait devoir refuser. . . Et c’était une seconde faille pour cette discipline. Que de misères de conscience entraînait la première? A quels abus pouvait mener la seconde? N’était-il pas urgent que l’on coupât court à ces déficits par une mitigation de la discipline? C’est ce que le *De pudicitia* nous apprendra [p. 87-89]. . .

‘[Le décret de] Calliste . . . se trouve constituer ainsi un des documents capitaux de l’évolution pénitentielle. . . Calliste a en vue un des trois péchés réservés, le péché d’adultère ou de fornication. Tandis que pour ce péché la règle veut que le délinquant soit exclu de la *communicatio*, — ou, comme dit Tertullien (XVIII, 2), de la *communicatio ecclesiastica*, c’est-à-dire de la réunion des fidèles et de la participation aux saints mystères, — et tandis que la règle prévaut qui veut que cette exclusion soit perpétuelle, Calliste prononce contre le délinquant l’exclusion de la *communicatio ecclesiastica*, mais l’exclusion temporaire, *‘sed ad praesens’*. Et il suit de là que le pécheur, lorsqu’il aura accompli sa pénitence, sera réintégré dans la *communicatio ecclesiastica*, tandis que la règle reçue était qu’il n’y fût jamais réintégré [p. 89-91]. . . La nouveauté de Calliste consistait . . . en ce que Calliste relevait le pénitent de son état de pénitent, dans le cas d’adultère, et le restituait après exomologèse à la ‘*communicatio ecclesiastica*’ [p. 95]. . . Mais ici encore Calliste était dans la logique de la pensée catholique. Car la réserve des trois péchés soi-disant irrémisibles était une création juridique de l’Eglise, et avait été posée pour des motifs de discipline et comme une sauvegarde des moeurs. Or l’Eglise avait le pouvoir de remettre les péchés. . . Si la distinction . . . des cas réservés à Dieu et des cas non réservés, était une distinction introduite, et récemment, par l’Eglise, l’Eglise pouvait la restreindre comme elle l’avait établie. C’est la condition de tous les cas réservés. Donc l’Eglise avait le pouvoir de remettre tous les péchés, et, s’il y avait des péchés qu’elle ne remettait pas, c’était de son propre arbitre et par sa volontaire abstention [p. 96 sq.]. . .

‘L’édit du pape Calliste a fixé la doctrine et la discipline sur le pouvoir qu’a l’Eglise de remettre les péchés que l’on avait cru devoir, avant lui, réserver à Dieu. Le pape Cornelius va être amené à confirmer l’édit de Calliste et à en étendre la compréhension [p. 111]. . . [A l’occasion de la persécution de Dèce] on était mis brusquement en présence de ce fait inouï que la plus grande partie des fidèles, coupable d’un péché ‘irrémisible’, était maintenant hors de l’Eglise [p. 112]. . . Le concile [de Carthage a. 251] affirme le principe de la sévérité évangélique, ‘*censura divina*’. C’est une allusion au texte évangélique: ‘*Qui me negaverit, et ego negabo eum*’ (Luc, XII, 9). L’apostasie est donc de ce chef une faute irrémisible ou réservée à Dieu. Mais il affirme aussi que cette sévérité ne doit pas supprimer l’espoir de la réconciliation: mais dans ce cas, on pourra faire pénitence. De même que l’adultère a été remis du temps de Calliste, de même l’apostasie est maintenant remise. . . L’apostasie ou l’idolâtrie ne sera plus un

cas réservé. Le concile de Carthage rejoint ici le décret de Calliste, et, du même coup, il pose le principe contre lequel le rigorisme outrancier de Novatien va s'élever: ici proprement est le noeud de la crise novatienne [p. 128 sq.]. . . Dans la forme la plus universelle et la plus durable, le schisme novatien par son opposition contribua à mettre en valeur le droit que revendiquait l'épiscopat catholique de donner aux pécheurs coupables d'apostasie aussi bien que de fornication le *pardou, qui, un temps, avait été réservé à Dieu seul* [p. 141]. . .

"Le pouvoir des clés est aux mains des évêques, mais . . . les évêques l'administrent comme un droit de grâce, que l'on ménage, que l'on conditionne, que l'on peut même suspendre. . . Il est aux mains des évêques, comme un pouvoir souverain: l'intervention des martyrs, qui un temps avait entamé cette souveraineté, et que le pape Calliste avait pour un temps ratifiée, est depuis Cornelius exclu. Il est souverain: la réserve qui avait interdit aux adultères d'en bénéficier a été levée au temps de Calliste; la réserve qui excluait encore les 'lapsi' est, de même, en principe et en fait, levée au temps de Cornelius [p. 143 sq.]."

In art. *L'Édit de Calliste, d'après une controverse récente*, in Bulletin de Littérature ecclésiastique, 1906, p. 339-348, sic exponit controversiam eruditorum catholicorum, explicite et plene consentiens sententiae Funk contra Esser et D'Alès:

"Le décret du pape Calliste — qui se résume en ces quelques mots célèbres: 'Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto', — en exprimant le droit revendiqué par l'évêque d'un siège tel que Rome de réconcilier, après pénitence, des pécheurs coupables de fautes contre le sixième commandement, *a-t-il institué une discipline nouvelle?* En d'autres termes, ces fautes étaient-elles avant lui des fautes dont l'Eglise réservait à Dieu seul la rémission, et qu'elle refusait d'absoudre?"

"L'affirmative est le sentiment de Pétau et de Sirmond au XVII^e siècle; de nos jours, parmi les catholiques, *c'est le sentiment de M. Funk, de M. Boudinon, de M. Vacandard, de M. Tixeront, le mien*. Les controverses suscitées par le livre de Lea avaient contribué à mettre en pleine lumière les raisons historiques de ce sentiment. Nous pensions donc avoir partie gagnée, quand M. le Prof. G. Esser, de la faculté de théologie catholique de Bonn, a tenté un mouvement de réaction contre la thèse de Pétau, dans une dissertation, brève et nette: 'die Busschriften Tertullians de Paenitentia und De Pudicitia und das Indulgenzdekret des Papstes Kallistus, ein Beitrag zur Geschichte der Bussdisziplin' (Bonn, Georgi, 1905). Il y développe cette thèse que Tertullien, en devenant montaniste, a passé à un rigorisme qui lui a fait condamner l'idée même de rémission par l'Eglise: en cela Tertullien désavouait la doctrine qu'il aurait professée, avec toute l'Eglise, du temps qu'il était catholique, et qu'expose le *de Paenitentia*. L'Eglise était donc anciennement pour la rémission sans réserve et *Calliste n'a rien innové*.

"Cette thèse devait plaire aux adversaires du principe du développement des dogmes. Le R. P. *d'Alès*, par exemple, dans son volume récent 'La théologie de saint Hippolyte' (Paris, Beauchesne, 1906), déclare être heureux de se trouver 'en parfaite harmonie de vues' avec M. Esser (p. 40). *La théorie que M. Funk, M. Vacandard et moi soutenions*, serait 'la théorie pour ainsi dire classique', et nous lui aurions donné 'un dernier perfectionnement'. Mais, 'pour élégante qu'elle soit, cette construction historique semble, dans sa rigueur, bien artificielle, et bâtie sur un fondement peu solide: il est permis de s'étonner qu'elle ait tenu si longtemps contre le démenti nombreux que lui donnent les faits'.

"L'adhésion du R. P. *Lebreton* à la thèse de M. Esser m'inquiéterait davantage. 'Dans la théologie de la pénitence, écrit-il, une étude plus précise d'Hippolyte et de ses contemporains permet de rectifier sur des points importants des théories trop facilement acceptées; des historiens récents, se fondant surtout sur l'autorité de Tertullien, d'Hippolyte et d'Origène, admettaient que, pendant les deux pre-

miers siècles, l'Eglise tenait pour irrémissibles les péchés d'adultère, d'homicide et d'idolâtrie; M. d'Alès consacre une dizaine de pages à discuter les fondements de cette affirmation; une dissertation si brève ne peut évidemment épuiser un sujet si complexe; la thèse cependant me semble très juste, et la démonstration concluant: au IIe siècle, la réserve des trois cas n'apparaît pas encore, et, au IIIe, on ne peut la prouver ni par Tertullien, ni par Origène, ni par Hippolyte.

"M. Esser, s'il a déjà rallié deux Pères Jésuites, n'a pas rallié M. de Labriolle, professeur à l'Université de Fribourg (Suisse), qui vient de donner dans la collection des 'Texts et documents' publiée par MM. Hemmer et Lejay, une édition de tout point remarquable des deux opuscules étudiés par M. Esser: 'Tertullien, De paenitentia, De pudicitia, texte latin, traduction française, introduction' (Paris, Picard, 1906). M. de Labriolle voit dans le *De pudicitia*, une protestation 'contre une innovation disciplinaire du pape Calliste', et résumant en note la thèse de M. Esser, — à savoir que Calliste n'a pas introduit une pratique nouvelle, mais seulement défendu et fait triompher une pratique ancienne, laquelle n'était pas générale et suscitait des contradictions, — il qualifie cette thèse de 'contestable' (p. XVIII), et expose les faits conformément à la théorie classique. M. Funk, dont on attendait le jugement avec plus d'intérêt que celui d'aucun autre, vient de soumettre la théorie de M. Esser à une critique détaillée, sévère, dans un article intitulé 'Das Indulgenzedikt des Papstes Kallistus', publié par la 'Theologische Quartalschrift' de Tubingue (1906, IV, p. 541-568). M. Funk n'est pas homme à divorcer facilement, quand il a une fois épousé une théorie; l'on ne s'attendait donc pas à le voir se rallier à celle de M. Esser; il ne s'y rallie pas, en effet, il nous donne même des raisons décisives de faire comme lui. . .

"Je crois avoir montré, moi aussi (Etudes d'hist. et de théol., I, 61-67), que, au second siècle, le principe a été clairement posé du droit des pécheurs, de tous les pécheurs, au pardon de Dieu et à la réconciliation de l'Eglise. Mais, en fait, au cours du second siècle, on a beaucoup controversé pour et contre ce principe, et la pratique a oscillé entre le rigorisme et l'indulgence. Ainsi s'expliquent les faits allégués, mais insuffisamment discutés, par le R. P. d'Alès (p. 41). Quoiqu'il en soit, vers l'an 200, à Rome, où l'on tendait depuis longtemps à l'indulgence, on observait comme à Carthage la réserve des trois espèces, fornication, homicide, apostasie. . . Quant à la discussion instituée par le R. P. d'Alès des témoignages de Tertullien, elle ne produit aucun témoignage que n'ait produit M. Esser, et que n'ait réfuté M. Funk: la question reste au point où l'a mise M. Funk. . . [D'Alès] est, du reste, obligé de reconnaître que l'indulgence de Calliste 'fit scandale dans quelques cercles chrétiens' (p. 47). Elle était donc une nouveauté, et ce 'scandale' prouve bien que la réconciliation de la *παρρησία* par l'Eglise n'était pas acceptée dans ces 'cercles chrétiens'. Puis, qu'entendra-t-on par 'cercles chrétiens'? Le R. P. veut-il dire que *de grandes églises étaient opposées à cette réconciliation*? Si telle est sa pensée, c'est toute notre thèse qu'il nous concède, à M. Funk et à moi! . . . Il nous sera permis de conclure que la réaction essayée par M. Esser contre la théorie désormais classique, est une réaction vaine. L'apparente rigueur de son apologie ne résiste pas à l'examen. Après la forte critique que vient d'en faire M. Funk, et à laquelle je suis heureux de souscrire pleinement, la cause est entendue."

In sua praefatione ad sextam editionem praefati operis *Etudes d'histoire et de théologie positive* (Paris, 1926, p. XV-XXV), conatur nihilominus emollire suam doctrinam ac se separare a rigidiori doctrina Funk et aliorum, cui simpliciter adhaeserat et quam ceteroquin immutatam relinquit in ipso operis textu, nuper citato:

"Le problème des origines de la pénitence est le quatrième de ceux que nous avons étudiés. La signification de l'édit de Calliste est le point central de cette étude. En prononçant qu'il remettait le péché d'adultère (ou de fornication) au

pécheur pénitent, *Calliste avait-il ou n'avait-il pas innové dans la discipline?* Si son acte était une innovation, il s'ensuivrait que jusque là le péché d'adultère avait été tenu pour irrémédiable et tout autant le péché d'idolâtrie ou le péché d'homicide: l'Eglise aurait été conçue jusque là comme une société de saints, et quiconque était failli de la sainteté du baptême n'avait plus de place dans l'Eglise. *Ces conclusions ne sont pas les nôtres*, parce que nous ne croyons pas à cette prétendue évolution par laquelle l'Eglise, à l'origine société de saints, aurait accepté seulement vers l'an 200 de devenir un sanatorium de pécheurs.

“Mais nous surprenons, au IIe siècle, un courant de rigorisme, qui sous le nom d'*encratisme* circule dans l'Eglise et prétend exiger du baptisé une perfection qui va jusqu'à lui interdire le mariage. Un autre courant s'y oppose, qui professe que le baptisé, s'il tombe dans quelque faute grave, ne doit pas désespérer de son salut, puisqu'il lui reste un recours à la pénitence. La concurrence des deux courants, au IIe siècle, a dû avoir des péripéties qui nous échappent, et dont une seule est bien connue, celle que représente le 'Pasteur' d'Herma, où nous constatons que le presbyterium de l'Eglise romaine est acquis à la doctrine de l'indulgence, encore que sous réserve de restrictions fort rigoureuses. Nous croyons que d'autres faits, au IIe siècle, témoignent que la grande Eglise est fixée dans cette doctrine qu'il n'y a pas de pécheur baptisé qui ne puisse espérer son pardon de Dieu et, s'il a été rejeté de l'Eglise, sa réconciliation avec elle, par la voie de la pénitence. *Nous ne disons pas que Calliste a innové* [Contrarium affirmaverat].

“Il reste qu'il a réagi contre une discipline qui autour de lui tendait à prévaloir, et qui consistait à refuser de pardonner au baptisé le péché d'adultère ou de fornication, fut-ce après pénitence: l'adultère faisait groupe avec l'homicide et l'idolâtrie, on voulait que ces trois péchés fussent considérés comme réservés et que l'Eglise ne les remit pas. *Des critiques catholiques* [quibus ipse plenissime consenserat in loco supra cit.] *ont pu dire que l'Eglise tenait ces trois péchés pour irrémédiables et que jusqu'à l'intervention de Calliste elle n'avait pas varié dans ce sentiment: on voudra bien noter que pareille assertion n'est pas de moi. J'ai dit et je persiste à dire que Calliste a réagi contre une discipline qui était de son temps, sans être pour autant ni universelle, ni traditionnelle.*

“En principe, on ne peut nier que l'Eglise, entre les mains de qui est d'institution divine le pouvoir des clés, ait le pouvoir aussi d'en user selon qu'il paraît prudent, ou, si l'on aime mieux, opportun . . . [D'Alès, dans son Edit de Calliste] ne veut pas pour autant qu'il soit loisible d'énoncer que l'Eglise a le pouvoir de remettre les péchés et le pouvoir de ne pas user de ce pouvoir. A quoi bon un pouvoir dont on s'interdit l'usage, dit-il? *Comme si, répondrons-nous, ce pouvoir n'était pas précisément un pouvoir de remettre ou de retenir!* Note théologien ajoute que l'hypothèse de trois péchés déclarés par l'Eglise irrémédiables est une hypothèse invérifiée. *Transcat* pour cette hypothèse, mais le fait ne subsiste-t-il pas que la réconciliation ecclésiastique moyennant pénitence n'était dans l'Eglise au temps d'Herma accordée qu'une fois? L'Eglise s'interdisait de réconcilier deux fois un fornicateur: *qu'est-ce donc là sinon ne pas user du pouvoir des clés?* L'exclusive qui frappait les relaps, et qui s'est perpétuée jusqu'au Ve siècle, suffirait à établir le bien fondé du principe que j'ai invoqué, et qui est emprunté à Petau. . .

“En fait, est-il prouvé que, au moment où Calliste fulmine son édit, certains prétendaient refuser le pardon et la réconciliation aux adultères ou fornicateurs, aux apostats, aux homicides? Nous en avons pour preuve (abstraction faite de l'édit de Calliste même) le témoignage de saint Cyprien écrivant (Epist. LV, 21)... Ainsi en Afrique proconsulaire, sous des prédécesseurs directs de Cyprien, il s'est rencontré certains évêques pour estimer qu'ils devaient refuser la paix aux fornicateurs et exclure absolument les adultères de la pénitence ecclésiastique. Ces évêques ne se séparèrent pas pour autant de l'unité catholique en s'obstinant dans

leur rigorisme, et il arriva de la sorte que 'apud alios adulteris pax dabatur', et que dans d'autres Eglises on la refusait. Cyprien ne pose pas à ce propos de question de principe: il estime que refuser la paix aux adultères est une dureté; au nom de l'indulgence qu'il professe, il ne condamne pas les évêques rigoristes; il se félicite que ses prédécesseurs sur le siège de Carthage n'aient pas rompu avec eux. Cette divergence entre évêques sévères et évêques miséricordieux fut-elle particulière à l'Afrique proconsulaire? Non. L'édit de Calliste, en effet, suppose que l'évêque de Rome a eu à se prononcer sur le même cas qui s'est posé en Afrique, et qu'il s'est prononcé dans le même sens que l'évêque de Carthage. Il n'aura rompu la communion avec aucun évêque, mais il aura affirmé son sentiment fortement: 'Ego et moechiae et fornicationis delicta paenitentia functis dimitto.' Que d'autres évêques refusent la paix aux fornicateurs, moi, évêque de Rome, je la leur accorde. Or, que le parti rigoriste fût fort à Rome même au moment où Calliste se décida à le désavouer, l'auteur des *Philosophumena*, Hippolyte, le dit sans ambages. . . Tertullien témoignera à son tour. Le *De pudicitia* est un pamphlet contre l'édit de Calliste. . . Il déclare que, tous les autres péchés étant défendus, cest trois [idololatria, fornicatio et homicidium] sont irrémisibles par l'Eglise. . . Tertullien en appelle à la pratique des Eglises: elles refusent la paix aux apostats et aux homicides, donc elles doivent la refuser pareillement aux adultères.

"Nous nous garderons de dire que dans les Eglises l'usage était, soit traditionnel, soit universel, de refuser, la paix aux fornicateurs, mais nous dirons qu'il était en passe de faire violence à la miséricorde du pouvoir des clés, au moment où Calliste estima nécessaire d'intervenir par son édit. Si l'on avait toujours pris la peine de lire notre étude sans en négliger les nuances, on se serait rendu compte que les atténuations que l'on a proposées depuis à la doctrine de Funk étaient justement celles que nous avions proposées [??]. . . On ne sera pas surpris que je maintienne, contre Esser, le fait que le rigorisme excluant l'adultère, l'apostasie et l'homicide du bénéfice de la réconciliation par la pénitence, était, quand Calliste intervint, un courant menaçant à l'intérieur même de la grande Eglise.

"Le R. P. [D'Alès dans l'Edit de Calliste] . . . écrit (p. 239-241): 'Que reste-t-il, en somme, des assertions de Tertullien relatives au refus de rémission des péchés? Il reste un fait qui a laissé d'autre part quelques traces dans l'histoire, c'est l'existence, vers le début du IIe siècle,⁵² d'un courant rigoriste: plusieurs évêques de la communion catholique refusaient toute réconciliation aux impudiques, au moins jusqu'au danger de mort. . . Certains faits contemporains de saint Cyprien, et surtout la vogue durable de l'hérésie novatienne, révèlent, à l'état sporadique, la pénétration de l'esprit rigoriste. Conclure de la que cet esprit réglait cinquante ans plus tôt, et dès une date plus ancienne, la pratique de l'Eglise, serait vraiment abusif.' Ajoutons que conclure de la vigueur mise par Calliste à réagir, qu'il ne faisait qu'énoncer la règle établie et observée partout, ne serait pas moins abusif."

VACANDARD in variis locis supra citatis (p. 284). hanc quaestionem polemicae et historicae aggredditur, ex quorum comparatione vix constat quid praecise docere velit, vel potius inconstans quaedam et oscillans evolutio deprehenditur et quidem in sensu rigoristico. Constanter quidem advocat veram immutationem introductam a Callisto; constanter dicit se sentire cum Funk et Batiffol; sed a. 1899-1900 in Revue du Clergé Français in sua controversia cum Harent, distinguens triplicem veniaem denegationem, ait in quibusdam ecclesiis denegatam esse admissionem ad poenitentiam, in aliis absolutionem a peccatis, concessa tamen admissione ad poenitentiam, in aliis (et quidem in Romana) solam ecclesiasticam reconciliationem et eucharisticam communionem, concessa tamen ipsa absolutione

⁵²"Le R. P. a voulu dire du IIIe siècle."

a peccatis; subinde a. 1907–1910 in eadem Revue et in opere *Etudes de critique, hanc trinam distinctionem omittens, simpliciter sentit cum Funk et Batiffol qui absque ulla distinctione loquuntur de denegata remissione trium capitalium peccatorum et de simpliciter denegata reconciliatione relapsorum. Praeterea nonnumquam incerte procedit in ponderando ipsa historica documenta, uti valorem testimonii Hermae, rigorismum vel indulgentiam praxis Ecclesiae ante finem saec. 2 et sensum canonis 13 Conc. Nicaeni (cf. etiam infra p. 360. 366 sq. 371. 381). Superius in art. 45 (tom. 2, p. 881. 888. 895. 907. 910. 947) notavimus similes fluctationes apud hunc eruditum in quaestione de poenitentia publica et privata.*

In Revue du Clergé Français, t. 21 et 24 (1899–1900), in sua controversia cum Harent de existentia privatae poenitentiae in antiqua praxi (de qua supra in art. 45: cf. tom. 2, p. 895 sq. 909–911. 974–976), haec habet circa praesentem quaestionem:

Art. *La discipline pénitentielle dans l'Eglise primitive*, *ibid.*, t. 21 (1899), p. 29–31; 31 sq.; 35; 38–41:

“Il fut un temps où l'adultère, la fornication, l'idolâtrie et l'homicide formèrent la liste reçue des péchés pour lesquels, selon Origène et Tertullien, l'Eglise n'avait pas de pardon, 'venia'. . . Ce serait [cependant] . . . se faire une idée fautive de la situation des fidèles coupables de péchés irrémissibles, que de les croire nécessairement exposés à la damnation éternelle. Si l'Eglise n'avait pas pour eux de pardon, elle les admettait à une certaine pénitence, et reconnaissait qu'ils pouvaient obtenir de Dieu la rémission totale de leurs fautes. Elles les excitait, comme nous dirions aujourd'hui, à la contrition parfaite, qui est, de sa nature, rémissive du péché. Une telle discipline est bien faite pour surprendre les théologiens et les canonistes modernes, et on peut se demander si elle ne serait pas simplement l'oeuvre d'une minorité catholique, ou même d'une secte hérétique. Les noms de Tertullien, d'Origène, des Montanistes et des Novatiens auxquels elle se trouve liée la rendent justement suspecte. Cependant, il faut le reconnaître, un régime analogue, sinon absolument semblable, et d'une sévérité qu'aujourd'hui nous jugeons outrée, existait dans la plupart des églises sinon dans toutes, et notamment à Rome. . .

“Que se passait-il à Rome? Le témoignage de Tertullien sur ce point n'est pas à dédaigner. Le Pape Calliste innove, dit-il, quand il prétend accorder aux adultères leur pardon. Le crime d'adultère ou de fornication rentre, au même titre que l'homicide et l'idolâtrie, dans la catégorie des péchés irrémissibles. La preuve en est qu'il est rangé entre ces deux derniers dans l'énumération qu'en fait l'auteur des *Actes*. Si vous remettez l'adultère, ajoutez-t-il, pourquoi ne remettez-vous pas également l'idolâtrie et l'homicide? Les raisons que vous invoquez pour l'un, valent également pour les deux autres. Hippolyte atteste, aussi bien que Tertullien, que le pape Calliste a adouci, en faveur des adultères, le régime pénitentiel alors en vigueur à Rome. Au début du III^e siècle l'Eglise romaine n'avait donc pas de pardon, 'venia', pour les trois péchés graves que Tertullien qualifie d'irrémissibles. Et lorsque Calliste fit une exception pour les adultères, les fidèles coupables d'homicide ou d'idolâtrie restèrent soumis au régime de la sévérité. Nous pouvons en croire Tertullien, qui fût entré dans une colère bien autrement violente, si le pape eût aboli d'un seul coup, pour tous les péchés irrémissibles, la peine de l'exclusion perpétuelle. . .

“Il semble cependant que malgré ces multiples attestations l'existence d'une discipline si rigoureuse soit contredite par le concile oecuménique de Nicée (325), qui affirme que la communion doit être accordée aux pénitents en danger de mort, d'après la règle ancienne et canonique: ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νομὸς. Mais quelque respect que l'on professe pour les Pères qui ont rédigé ce canon, il faut bien reconnaître que la règle qu'ils qualifient 'ancienne' était relativement récente, et ne remontait pas au delà du III^e siècle assez avancé. . .

"Cette constatation historique ne supprime pas, elle pose plutôt, *un problème théologique de la plus haute gravité*. L'Eglise, pendant la période où elle s'interdit d'accorder ce que les écrivains du temps appelaient 'venia', 'pax', 'communio', aux fidèles coupables d'idolâtrie, d'adultère ou d'homicide, refusait-elle, par cela-même, d'exercer en leur faveur, de quelque façon que ce fût, le pouvoir des clés, autrement dit le pouvoir d'absoudre, qu'elle tenait de son divin fondateur? Disons tout de suite que, si les auteurs dont nous avons rapporté les témoignages avaient eu à répondre à cette question précise, ils auraient eu quelque peine à s'accorder entre eux. Il ne faut pas oublier que la discipline spéciale appliquée aux péchés qualifiés irrémissibles a pour point de départ les textes de saint Jean et de l'Épître aux Hébreux. Certains évêques les ont pris à la lettre: d'autres (et c'est la grande majorité) les ont entendu moins rigoureusement.

"Parlons d'abord des premiers: saint Cyprien nous les montre en Afrique, refusant d'admettre à la pénitence les fidèles coupables d'adultère ou de tout autre péché grave. C'est aussi la pratique de quelques Novatiens, parmi les plus rigoristes. Evidemment pour ceux-là il ne peut être question d'absolution, quelle qu'elle soit. Mais, hâtons-nous de le dire, ces intransigeants ne forment qu'une infime minorité dans l'Eglise, et ne sauraient être considérés comme les représentants autorisés de sa doctrine. Si nous comprenons bien les textes de saint Cyprien, du pape Calliste, de saint Innocent, etc., *l'Eglise admettait à la pénitence, mais non à la réconciliation finale*, les fidèles dont la conscience était souillée de l'un des péchés dits irrémissibles. En quoi consistait cette admission à la pénitence? Peut-on y voir une véritable absolution sacerdotale? . . . A partir du jour où les documents la décrivent, elle apparaît comme une véritable absolution, de forme dépréciative il est vrai, mais absolument semblable à celle que les évêques employaient pour la réconciliation des pécheurs au terme de la pénitence. Qu'elle eût la vertu de remettre, sinon toute la peine due au péché, du moins le 'reatus culpae', rien ne nous autorise à en douter. C'est pour caractériser son efficacité que le pape Innocent a employé les expressions 'remissio durior'. Cette 'remissio' ne dispensait pas le coupable de la pénitence, et les exercices pénitentiels avaient sûrement aussi leur vertu expiatoire. Mais, à notre avis, le mot 'remissio' doit s'entendre plus particulièrement de l'absolution sacerdotale. . .

"Tout bien considéré, ce n'est donc pas seulement une question de discipline qui sépare Tertullien et Origène des autres Pères en matière pénitentielle, c'est aussi un principe dogmatique. Si, en fait, toutes les Eglises s'accordèrent, pendant quelque temps, pour exclure à jamais de la paix et de la communion certains pénitents, *quelques-unes seulement entendaient par là leur refuser tout pardon*. Les autres, et notamment *l'Eglise romaine*, exerçaient toujours en leur faveur le pouvoir d'absoudre, et, répétons-le, la 'remissio durior' qu'elles leur accordaient n'était autre, selon toute vraisemblance, que l'absolution 'a reatu culpae'."

Art. *La discipline pénitentielle dans la primitive Eglise* (Réplique au R. P. Harent), *ibid.*, t. 24 (1900), p. 135 sq.; 246 sq.; 247 sq.; 249-251:

"Fut-il, oui ou non, un temps pendant lequel les trois péchés 'maxima' furent traités dans l'Eglise d'une façon particulièrement sévère? Je réponds encore une fois affirmativement sous le bénéfice de la distinction que j'ai proposée plus haut. Quand un fidèle se rendait coupable de l'une des fautes capitales, *certaines églises* ne l'admettaient même pas à la pénitence; *d'autres*, tout en l'admettant à la pénitence, lui refusaient l'absolution sacramentelle; *d'autres* enfin lui refusaient ce que les Pères appelaient 'venia', 'pax', 'communio', c'est-à-dire la participation aux saints mystères et notamment la participation à l'Eucharistie. Et qu'on me permette de l'ajouter, ces diverses pratiques, même les plus terribles, considérées pendant quelque temps comme simples mesures de discipline ne classaient pas ceux qui en étaient partisans parmi les hérétiques. Mais, avant d'aller plus loin et de fournir mes preuves, je m'arrête. Surtout qu'on ne me fasse pas dire *ce qui est*

très loin de ma pensée. Je n'entend pas que l'Eglise romaine ait approuvé, soit expressément, soit tacitement, toutes ces formes de la discipline pénitentielle. Je démontrerai qu'elle-même adopta la dernière; quant aux autres formes, je constate que certaines églises les appliquèrent sans que leur union avec les églises moins sévères fût pour cela rompue. . .

"On nous objecte le canon 13 du concile de Nicée ainsi conçu: 'Quant à ceux qui sont sur le point de mourir, on observera la loi ancienne et canonique, de sorte que, si quelqu'un vient à mourir, il ne soit pas privé du viatique le plus nécessaire. En général et à tout moribond, quel qu'il soit, qui demandera à participer à l'Eucharistie l'évêque, après examen, accordera l'oblation.' De quel viatique et de quelle eucharistie est-il ici question? Admettant, comme la plupart des théologiens, que ce viatique était la communion eucharistique, nous avons fait observer que le canon du concile se trouvait en opposition directe avec le texte formel de saint Innocent, et nous avons donné au mot *παλαιός* le sens d'ancienneté relative. Voilà ce que le P. Harent appelle 'traiter cavalièrement' le concile de Nicée. Il conviendra pourtant qu'il fallait essayer de concilier deux textes en apparence contradictoires. Quelle interprétation nous en offre-t-il lui-même? Il ne l'indique pas clairement, et ses lecteurs pourront rester persuadés que le viatique dont parle le concile est, comme on l'entend communément, la communion eucharistique. En ce cas le P. Petau, dont il invoque l'autorité, pourrait le déromper. Mais la solution du P. Petau n'est pas pour nous déplaire. Le viatique, l'*εφ' ὀπίσθον* de Nicée, serait tout simplement l'absolution, ou, comme parle saint Innocent, la pénitence avec exclusion de l'Eucharistie. Cette interprétation, que nous n'oserions absolument garantir, mais que nous sommes tout disposé à accepter, apporterait à notre thèse une nouvelle confirmation.

"Telle serait donc sans contredit la troisième forme du rigorisme dans la discipline pénitentielle primitive: admission à la pénitence, mais refus de ce que les contemporains appelaient 'pax', 'venia', 'communio', 'spes communicationis', c'est-à-dire notamment refus de la communion eucharistique. Sur ce point le P. Petau est pleinement d'accord avec nous. Notre accord s'étend plus loin. Comme le P. Petau, nous avons essayé d'établir que la 'pax', la 'venia', la 'communio', était le fruit de la réconciliation finale accordée aux pénitents, tandis que la pénitence dont parle le pape Innocent impliquait déjà une 'remissio durior', c'est-à-dire, selon toute vraisemblance, une absolution 'a reatu culpae'. D'où nous concluons que 'si, en fait, toutes les Eglises s'accordèrent pendant quelque temps pour exclure à jamais de la paix et de la communion certains pénitents, *quelques-unes seulement entendaient par là leur refuser tout pardon.* Les autres, et notamment l'Eglise romaine, exerçaient toujours en leur faveur le pouvoir d'absoudre. . .'

"Combien de temps dura le régime de la sévérité sous les diverses formes que nous avons définies? Selon nous, il apparaît à la fin du IIe siècle, et montra toute sa force dans la première moitié du IIIe. . . Quant à sa durée, elle varia selon les différentes formes de rigorisme. La première disparut très vite. Nous n'en connaissons guère que les cas cités par saint Cyprien. La seconde se perpétua avec le novatianisme, que combattirent ardemment tous les Pères du IIIe et du IVe siècle, notamment saint Cyprien à Carthage, saint Ambroise à Milan, saint Pacien à Barcelone. Origène, qui s'en faisait le défenseur dans son 'De oratione' vers 233, semble l'avoir abandonné plus tard; son ouvrage contre Celse composé vers 250 est incompatible avec la théorie des péchés irrémissibles. Nous avons dit ailleurs quels adoucissements les papes Calliste et Corneille apportèrent au régime de la sévérité, considérée sous sa troisième forme; ils admirent à la 'réconciliation de la communion', le premier les 'moechi', le second les 'lapsi'. De la sorte les péchés auxquels on refusa pendant quelque temps le pardon plénier, qui comprenait le droit à la communion eucharistique, rentrèrent dans la catégorie des péchés absolument rémissibles, au même titre que les 'mediocria' ou les 'leviora', et les

fidèles qui s'en rendaient coupables furent dès lors assurés de rentrer dans la paix de l'Église après avoir accompli une pénitence plus ou moins longue, déterminée par les canons."

In eadem Revue du Clergé Français, t. 50 (1907), art. *Tertullien et les trois péchés irrémissibles (à propos d'une récente controverse)*, occasion publicationis operis D'Alès "Théologie de saint Hippolyte", eandem questionem directe aggređiens, repetit rationes adductas a Funk et Batiffol contra Esser et D'Alès, eis plene consentiens (p. 113 sq.; 114; 129 sq.; 130 sq.; cf. p. 365-367):

"Au cours de sa 'Chronique théologique' dans la 'Revue pratique d'apologétique' (livraison du 15 novembre 1906), le P. Lebreton terminait ainsi son appréciation sur la 'Théologie de saint Hippolyte' publiée par le P. Adhémar d'Alès: 'Dans la théologie de la pénitence, comme dans celle de la Trinité, une étude plus précise d'Hippolyte et de ses contemporains permet de rectifier sur des points importants des théories trop facilement acceptées; des historiens récents, se fondant surtout sur l'autorité de Tertullien, d'Hippolyte et d'Origène, admettaient que, pendant les deux premiers siècles, l'Église tenait pour irrémissibles les péchés d'adultère, d'homicide et d'idolâtrie. M. d'Alès consacre une dizaine de pages à discuter les fondements de cette affirmation; une dissertation si brève ne peut évidemment épuiser un sujet si complexe; la thèse cependant me semble très juste et la démonstration concluante: au II^e siècle, la réserve des trois cas n'apparaît pas encore, et au III^e on ne peut la prouver ni par Tertullien, ni par Origène, ni par Hippolyte'.⁵³ Et le savant critique ajoute: 'En même temps que l'ouvrage de M. d'Alès, paraissait une dissertation de M. G. Esser qui aboutit aux mêmes conclusions en partant de l'étude de Tertullien: 'Die Busschriften Tertullians De paenitentia und De pudicitia und das Indulgenzedit des Papstes Kallistus', Bonn, 1905'.⁵⁴

"Les historiens récents, qu'on ne désigne pas autrement, ne sauraient être que M. Funk, M. Boudinhon, Mgr. Batiffol, M. Tixeront et sans doute moi-même. Les lecteurs de la 'Revue du Clergé français' se souviennent peut-être de la polémique déjà soulevée à ce sujet par le P. Harent. M. Funk vient de faire bonne justice de la thèse du P. Esser, et Mgr. Batiffol l'a pareillement réfutée, ainsi que celle du P. d'Alès, dans le 'Bulletin de littérature ecclésiastique' de Toulouse. Je n'aurai guère qu'à reprendre leur principaux arguments (en les fortifiant de quelques considérations particulières) pour faire voir que *notre théorie*, malgré des attaques si habiles, demeure fortement établie. . .

"La 'théorie, pour ainsi dire classique' comme parle le P. d'Alès, d'après laquelle les péchés d'impudicité, d'homicide et d'idolâtrie *auraient été pendant quelque temps exceptés des pardons de l'Église*, reste, malgré les assauts du P. Esser, du P. d'Alès lui-même, solide et inébranlée. Nous allons la résumer et la préciser par manière de conclusion. D'après Tertullien, il y a trois péchés proprement mortels que l'Église — c'est-à-dire pour lui l'Église de Rome et l'Église d'Afrique et par induction toutes les églises — refuse de remettre aux fidèles baptisés: ce sont l'impudicité, l'homicide et l'idolâtrie. Calliste est le premier pape qui ait fait une brèche à cette discipline, en proclamant qu'il était tout disposé à réconcilier les adultères, comme il en avait le droit et le pouvoir. La réalité de ce fait est attestée par saint Hippolyte, aussi bien que par Tertullien. On n'a pas de preuve que l'Église romaine ait, avant Calliste, admis les adultères à la réconciliation. Le 'Pasteur' d'Hermas vers le milieu du II^e siècle préconisait cette indulgence. Mais nous ignorons si sa voix fut entendu.

"*La sévérité de cette discipline pénitentielle forme-t-elle une tradition qui remonterait aux apôtres?* Il nous semble téméraire de l'affirmer absolument, mais

⁵³ Revue pratique d'apologétique, t. III, p. 241-242.

⁵⁴ Ibid., p. 242, note 1.

on n'a pas non plus de motif de le nier. Embrassait-elle toutes les Eglises? C'est ce qu'on ne peut dire avec certitude. Le principe posé par saint Denys de Corinthe en faveur de l'indulgence était-il une brèche déjà faite vers 170 à la discipline existante ou bien confirmait-il l'usage de son Eglise? Nous l'ignorons. 'En fait, au cours du IIe siècle, écrit Mgr. Batiffol, on a beaucoup controversé pour et contre ce principe de la sévérité et la pratique a oscillé entre le rigorisme et l'indulgence. Mais vers l'an 200 à Rome, où l'on tendait depuis longtemps à l'indulgence, on observait, comme à Carthage, la réserve des trois espèces (de péchés): fornication, homicide, apostasie.' Le P. d'Alès reconnaît 'qu'en atténuant à l'égard des impudiques la rigueur de l'antique discipline, Calliste fit scandale dans quelques cercles chrétiens.' Si par 'cercles chrétiens' il veut bien entendre l'Eglise romaine et l'Eglise d'Afrique, c'est-à-dire les principales églises occidentales, sans absolue exclusion des autres, nous tomberons tout à fait d'accord avec lui. Nous lui accorderions même que Calliste avait, dans son église, des partisans très nombreux, aussi nombreux qu'on voudra, du régime qu'il inaugurerait. Calliste remit-il les péchés d'homicide et d'apostasie, comme il faisait l'impudicité? Cela ne nous paraît pas probable. En tout cas, on n'aperçoit pas nettement de cas de réconciliation des apostats avant le pape Corneille et saint Cyprien c'est-à-dire avant les environs de 250. Un peu plus tard l'homicide fut lui-même rayé du nombre des péchés irrémissibles.⁶⁷

In posteriori opere *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, deuxième série, (Les origines de la confession sacramentelle), Paris, 1910, agens de non réiteratione confessionis, haec docet de denegata relapsorum reconciliatione (p. 101. 104. 105 sq.):

"Du IIe au Ve siècle, il paraît admis en principe par les docteurs de l'Eglise que l'exomologèse ne peut être réitérée. Quiconque, après une première absolue ou réconciliation, retombe dans un péché 'mortel', n'a plus à s'adresser à l'évêque; il n'obtient son pardon que par une pénitence privée où l'Eglise n'intervient plus avec le pouvoir des clefs.⁶⁸ Le premier témoin de cette discipline est Hermas. A propos du crime d'adultère commis par une femme, il donne un avis, qu'il appuie d'un principe. L'avis c'est qu'il faut 'pardonner à la coupable, pourvu qu'elle soit repentante, mais cela une seule fois.' Le principe, c'est que 'pour les serviteurs de Dieu, il n'y a qu'une seule pénitence'. De ce texte, il résulte clairement qu'aux yeux d'Hermas il n'y a plus de pénitence possible (*j'entends de pénitence ecclésiastique*) pour un serviteur de Dieu, autrement dit pour un chrétien qui, après une première réconciliation, serait retombé dans la même faute pénitentielle, par exemple l'adultère. . . Il est donc bien établi que les fidèles relaps, après une première réconciliation, ne purent, *durant plusieurs siècles*, compter sur une seconde exomologèse. Nous n'avons, du moins, aucun document qui permette de croire que la confession et la pénitence aient jamais été réitérées dans la primitive Eglise. . .

"Evidemment l'Eglise ne désespérait pas du salut des fidèles relaps. Elle les encourageait même à la pénitence, mais à une pénitence privée dont elle ne réglait plus officiellement les exercices, et comptait pour eux sur la miséricorde divine. Qu'est-ce à dire? Bien que l'Eglise ait reçu du Christ le pouvoir des clefs, elle ne crut jamais que le pardon des péchés dépendit d'elle exclusivement. Avant qu'elle fût instituée, Dieu remettait directement les péchés aux pécheurs contrits et repentants. Cette contrition ne perdit pas de son efficacité dans la loi nouvelle. L'Eglise ne pouvait l'ignorer. Lors donc qu'elle refusait d'admettre les relaps à une nouvelle pénitence suivie d'une nouvelle réconciliation, elle réservait son pouvoir d'absoudre par mesure disciplinaire, 'afin, comme dit saint Augustin, que le remède, étant moins déprécié, fût plus salutaire aux malades, et d'autant plus salutaire qu'il était moins exposé au mépris.' Elle laissait alors agir Dieu et

⁶⁸ Idem asserit circa idem tempus in Dict. Théol. Cath., art. Confession, col. 860.

l'âme, elle encourageait même l'âme à la pénitence privée et à la contrition intérieure gage de rémission certaine. Peut-on dire qu'en agissant ainsi, elle était infidèle à sa mission? Nul n'est meilleur juge qu'elle de ce qu'elle devait faire. Il suffit de bien examiner ses actes pour savoir comment elle a compris son devoir. Il n'y a pas de doute que la discipline pénitentielle était infiniment plus rigoureuse en ces temps qu'aujourd'hui. *Personne ne conteste que, durant une certaine période, elle ait refusé la communion aux pécheurs même repentant. En leur refusant la pénitence abusait-elle davantage de son pouvoir discrétionnaire?* Non, si elle n'entendait pas exposer, par cette mesure, les âmes à la damnation. Et sûrement ceux qui la représentaient comptaient toujours, nous le répétons, pour les relaps vraiment contrits, sur la divine miséricorde."

E. AMANN novissime (a. 1933) suffragium attulit eidem opinioni, tam late jam ab ipsis eruditibus impugnatae, quam tamen ipse appellat "*la thèse qui tend à devenir classique sur les péchés irrémissibles*", idque apud hunc doctorem mirabile est quod jam renuntiet vi testimonii Tertulliani, in quo praecedentes defensores illius theoriae praecipue fundabantur, et magnum tribuat pondus testimonio Origenis, quod aliis erat secundarium et confirmatorium, imo cui ipse Vacandard renuntiaverat. In *Dict. Théol. Cath.*, art. Pénitence (Pénitence — Sacrement, La Pénitence primitive), col. 779-783, haec scribit:

"Question des péchés irrémissibles avant le schisme de Novatien. . . Existe-t-il à l'époque considérée des fautes telles que ceux qui s'en sont rendus coupables doivent renoncer à tout espoir d'être réconciliés avec l'Eglise? Existe-t-il même des fautes tellement graves et tellement répugnantes qu'elles ne permettent pas d'accepter leurs auteurs aux exercices de la pénitence ecclésiastique? La question est d'abord une question de fait. . .

"En fait, le pardon ecclésiastique a été, à certains moments, refusé à diverses fautes. . . Cette réconciliation, en fait, a été longtemps refusée aux récidivistes. . . En dehors de ce cas très fréquent et qui soulève, on le voit, une grave question de principe, y avait-il des fautes qui étaient exclues du bénéfice d'une première et unique réconciliation? Pour montrer qu'il en a été ainsi, tout au moins dans certains milieux et à certaines dates, on a fait particulièrement état du 'De pudicitia' de Tertullien. . . Telle est, sommairement exposée, la thèse qui tend à devenir classique sur les péchés irrémissibles, et dont nous pensons qu'elle a résisté aux critiques que, pour des raisons diverses, on a dirigées contre elle.

"Nous croyons, néanmoins, que, pour la rendre tout à fait inattaquable, il faut la dégager de toutes les considérations relatives à 'l'édit de Calliste', et même ne pas la rendre solidaire de l'argumentation développée par Tertullien dans le 'De Pudicitia'. D'abord Tertullien ne prononce même pas le nom de Calliste; c'est par des considérations d'exégèse du texte et de chronologie, et encore par comparaison avec les attaques des 'Philosophoumena' contre le pape en question, que l'on a songé à celui-ci. Les critiques qui veulent voir dans l'auteur de 'l'édit' un évêque de Carthage, et particulièrement Agrippinus, un prédécesseur de Cyprien, ont donné des bonnes raisons à l'appui de leurs dires. D'autre part, l'argumentation de Tertullien est tellement passionnée que l'on peut toujours soutenir que son indignation, son désir d'avoir raison, ses méthodes de polémique lui ont fait perdre de vue des réalités évidentes pour tout autre que pour lui. Son argumentation, certes, est très claire: 'Si l'on pardonne aux adultères, que l'on ose donc pardonner aussi aux idolâtres et aux homicides.' De quoi l'on conclura que tout le monde est d'accord, à son époque, pour refuser le pardon aux deux derniers péchés, tandis que l'absolution des fautes de la chair constitue une innovation. Mais, avec ce terrible polémiste, on ne sait jamais. Laissons-le donc et, bien que son témoignage doive être cité, *renonçons à en faire la base d'une théorie*. Autrement serin et tout aussi expressif est le *témoignage d'Origène*, dans le 'De oratione'. Le texte, quand l'on prend soin de le citer dans son intégralité, est d'une clarté

qu'aucun commentaire ne réussit à obscurcir. . . *C'est l'évidence même* qu'à l'époque où Origène écrit ces lignes une tendance miséricordieuse se fait jour chez certains membres de la hiérarchie, tendance contre laquelle le docteur alexandrin proteste *au nom d'une tradition qu'il considère comme apostolique*. Or, ceci est écrit sensiblement à la même date où Tertullien et Hippolyte font entendre leurs véhémentes protestations, au nom des mêmes principes, contre une tendance analogue, pour ne pas dire identique. . .

"Une chose paraît claire, c'est qu'une discipline rigide se manifeste au cours du III^e siècle, *au moins dans certaines Eglises*, selon laquelle diverses fautes constituaient des cas réservés dont l'autorité ecclésiastique n'accordait pas la rémission (même à l'article de la mort). *Nous ne voulons pas dire que cette discipline est primitive, ni qu'elle fut absolument générale*. . . Un scrupule nous reste pourtant sur le point de savoir si la réserve était maintenue jusqu'à l'article de la mort. Les canons d'Elvire le disent expressément et il n'y a pas lieu d'épiloguer sur l'expression qu'ils emploient: 'communione non dare, non reddere,' etc., comme s'il ne s'agissait que de la privation de l'eucharistie. . . Quand on étudie les attitudes successives prises par saint Cyprien dans la réconciliation des 'lapsi', on est bien obligé de constater qu'au début de la crise la permission donnée par l'évêque de Carthage aux prêtres de réconcilier les 'lapsi' moribonds est une concession gracieuse, qui n'est pas accordée à tous, mais à ceux-là seulement qui ont reçu un 'libellus pacis' d'un martyr. C'est dire que la réconciliation d'un failli en danger de mort ne paraît pas, à l'évêque de Carthage, aller nécessairement de soi."

RAUSCHEN: "My own position in this dispute is this: A reading of the work 'De Paenitentia' creates the impression that the penance there treated of is that followed by ecclesiastical pardon. *Nor is it by any means certain that the rigorism of the early Church was so severe or so universal as Funk maintains*. Still, there is so much to indicate great rigor that one is tempted to interpret the treatise 'De Paenit.' in this sense, and in spite of all the counter arguments accumulated by Esser, this interpretation has not yet been proved to be impossible. Although there are several passages which seem to support the view of Esser, they are far from conclusive. . .

"As a general thing, in the time of Tertullian, apostasy and murder were not as yet pardoned in the Western Church. For, in several passages of his 'De Pudicitia', that writer charges Callistus with inconsistency (in forgiving impurity), since idolaters and murderers were excluded from communion in the Church. These sins, he says, are of the same nature as impurity, for they are all directed immediately against God. I fully agree with Funk, when he says that according to these passages, 'idolaters and murderers, both before and after the edict, even when admitted to penance, were forever excluded from full membership in the Church.' . . . It was only under the stress of the Decian persecution that apostates obtained pardon, first at Rome, then in Carthage, but in both places generally only at the hour of death. The epistolary correspondence between Rome and Carthage at that time, especially *St. Cyprian's* Epistle 55, makes it seem decidedly probable that the granting of communion to apostates in the hour of death was regarded as a relaxation of the practice that had previously prevailed. It was this very relaxation that co-operated in the rise of the schism at Rome; for the main charge of *Novatian* against Pope *Cornelius* was that he granted absolution to apostates. Grievous sinners were treated with the greatest severity in Spain, for the *Council of Elvira* bars 18 different categories of sinners, among them apostates and the impure, from ecclesiastical reconciliation, even on their deathbed.

"The rigor of the primitive Church in her treatment of grievous sinners appears to us to-day almost inexplicable. It is commonly said that she regarded herself as a community of saints, and therefore refused to admit the catechumens to Baptism, except after a long probation, and expelled from her communion forever

such of her members as proved themselves unworthy. She was able to do this, because during the centuries of persecution only those attached themselves to her who were fully convinced of her divine origin and firmly determined to bear the yoke of the Lord. . . . The most rigorous discipline, it appears, prevailed in the second century. The Apostolic times were much milder, as we see from the reception of the incestuous man into the Church of Corinth by *St. Paul* (2 Cor. 2, 10) and from *St. John's* treatment of the converted robber. In the third century the Roman Church exercised the most decided influence in favor of moderation and thereby paved the way for the schisms of *Hippolytus* and *Novatian*".⁵⁶

SECUNDA SENTENTIA media distinguit inter peccata et peccatores, negans Ecclesiam denegasse veniam ulli peccato, affirmans vero veniam denegasse quibusdam peccatoribus, ob rationes boni communis seu ad fovendam sanctitatem fidelium, eos deterrendo a relapsu.

Haec scilicet sententia: 1. Simpliciter reicit principale punctum primae sententiae, i.e. fuisse aliquando *proxim Ecclesiae* ut tribus peccatis capitalibus venia denegaretur (etsi id ex abusu contingere potuerit in quibusdam casibus in particularibus ecclesiis). 2. Admittit alterum punctum, i.e. fuisse aliquando, saltem ante Conc. Nicaenum a. 325, *proxim denegandi absolutionem quibusdam peccatoribus*, i.e. omnibus relapsis (saltem usque ad articulum mortis) et quibusdam moribundis, uti praedictis relapsis et iis qui studiose distulerint usque ad mortis articulum recursum ad claves Ecclesiae. 3. Utamque affirmationem aliquatenus emollit, quod attinet ad concordantiam usus potestatis clavium cum inerrabilitate Ecclesiae circa rectam cognitionem et legitimum usum suae potestatis.

In favorem enim primae sententiae docet thesim de numquam denegata ab Ecclesia venia ulli peccato probari posse summmodo a posteriori, seu ex ipsa absentia facti, non vero sufficienter erui a priori seu ex ipsa absentia juris denegandi absolutionem aut ex inerrabilitate Ecclesiae circa ea quae sunt sui juris; nam potest concipi ut Ecclesia habeat jus attemperandi exercitium suae potestatis et concessionem suae veniae juxta particulares circumstantias et motiva boni communis, vel saltem ut Ecclesia non plene inde ab initio explicitè cognoverit absolutam necessitatem actualis receptionis sacramenti ad consequendam peccatorum remissionem, eo vel magis quod ex denegato usu clavium non sequitur peccatorem relinqui absque omni medio remissionis, cum hanc consequi possit per actum contritionis. In favorem autem tertiae sententiae mox referendae, juxta quam nulli etiam peccatori Ecclesia usum clavium denegavit aut denegare potuit, docet in ipso modo agendi Ecclesiae erga peccatores, quos ab absolutione excludebat, usum potestatis clavium exerceri ac

⁵⁶ Eucharist and Penance (translation from the second German edition), St. Louis, Mo. (B. Herder), 1913, p. 161; 175-177; 177 sq.; 179 sq.

deprehendi; primo scilicet, quia ratio quare Ecclesia veniam illis denegaret, erat quia iudicabat eos non sufficienter dispositos (in quo deprehenditur ipsa potestas ligandi); secundo, quia illi peccatores non censebantur simpliciter dimitti divinae misericordiae ut ab ea remissionem obtinerent veluti independenter a potestate clavium, sed ut remissionem a Deo obtinerent per contritionem operantem ex voto sacramenti (nam non ipsi sua voluntate a sacramento recedebant, sed ab ea absolutione excludebantur quam enixe petebant, parati ad claves recurrere ubi non prohiberentur); tertio, quia ad eam ipsam contritionem, justificantem ex voto sacramenti et dependentem a potestate clavium, ipsa Ecclesia eos impellebat ac praeparabat suis orationibus et ad poenitendum exhortationibus.

Hanc sententiam magis vel minus distincte et integre tenent inter antiquiores, *Morinus, Albaspinæus, Natalis Alexander, Witasse, Card. Orsi, Arnauld* aliique *Jansenistae* (cf. Conc. Pistoriense, infra cit., p. 406); inter modernos *O'Donnell, Galtier* et, ut videtur, *Diekamp* et *Umberg*.

Quamvis haud facile sit hos doctores reducere ad unam simplicem et distinctam opinionem, ob ipsam complexitatem problematis et ob diversum modum quo varii iudicant tum de existentia et indole poenitentiae privatae in prioribus saeculis, tum de historicis testimoniis quibus exhibetur usus potestatis clavium, tum de connexionione hujus quaestionis cum dogmate fidei de necessitate sacramenti et inerrabilitate Ecclesiae, tamen duo sunt elementa in quibus haec sententia essentialiter consistit: unum nempe *historicum*, quod scilicet Ecclesia de facto quibusdam peccatoribus denegaverit absolutionem etiam in articulo mortis, etsi non ratione ipsius peccati sed ratione peccatoris, seu potius salutaris disciplinae; alterum *dogmaticum*, seu quod non repugnet praedicto dogmati fidei dicere quod Ecclesiae competat jus regulandi usum potestatis clavium, ita ut, ad finem communis boni spiritualis, possit quibusdam peccatoribus bene dispositis denegare absolutionem etiam simpliciter seu in articulo mortis, vel saltem dicere quod Ecclesia potuerit non plene et explicitè inde ab initio agnoscere absolutam necessitatem sacramenti et limites sui juris, ita ut putaverit se posse quibusdam peccatoribus veniam denegare, eos committens efficacitati solius contritionis. Hoc secundum punctum est magni momenti ad intelligentiam diversae positionis, plus minusve instabilis et indefinitae, quam assumunt varii eruditi catholici in triplici sententia hujus quaestionis; id enim constituit eorum manifestam, utut inconfessam, praeoccupationem dogmaticam, etsi quidam protestentur hanc quaestionem esse eminenter historicam et omnino abstrahere a re dogmatica.

Morinus et Galtier assumi possunt ut duo extrema hujus secundae sententiae, quam prior crude et simpliciter proponit, alter quantum potest emollit ac diluit, ita ut signet veluti pontem ad tertiam sententiam in cuius limen invenitur D'Alès, ut infra dicetur. *Morinus* haec tria distincte docet: Ecclesia habet jus ita attemperandi usum potestatis clavium, ut denegat absolutionem quibusdam peccatoribus; de facto hanc per aliquod tempus denegavit his qui non nisi in articulo mortis remedium poenitentiae petebant; item eam denegavit relapsis post actam poenitentiam publicam, et quidem simpliciter et in perpetuum. *Galtier* vero ait: Non est inconveniens dicere Ecclesiam potuisse minus explicitè cognoscere limites sui juris, ita ut propterea simpliciter denegaverit absolutionem quibusdam peccatoribus; unde non excluditur quod aliquando reapse consueverit denegare absolutionem quibusdam moribundis, ita tamen ut id fecerit ex sola praesumptione quod essent indispositi; non constat relapsis, qui excluderentur a poenitentia publica, praesto semper fuisse absolutionem privatam, datam saltem in articulo mortis, ipsi tamen non consequebantur remissionem per actum contritionis nisi dependenter a clavibus, quarum votum continetur in contritione, et praeterea probabile est nonnumquam aliquos relapsos, etiam citra mortis periculum, absolutos esse privatim ab indulgentioribus pastoribus, agentibus veluti ex propria iniciativa ultra limites contrariae praxis.

MORINUS, Commentarius historicus de disciplina in administratione Sacramenti Poenitentiae XIII primis saeculis in Ecclesia occidentali et usque nunc in orientali observata, Parisiis, 1651:

Primo, in l. 9, c. 19–27, et l. 5, c. 2, impugnat sententiam Petavii et aliorum de antiqua praxi denegandi veniam peccatis capitalibus, explicans et refutans testimonium Tertulliani:

“Inquirere iuvat, an quibusdam criminibus reconciliatio nunquam concessa fuerit. Existimarunt enim viri quidam docti tribus criminibus Idololatriae, homicidio, et Moechia, quae demonstravimus libro quinto fuisse per Poenitentiam publicam purgata, antiquissimis temporibus veniam non esse concessam; Moechia primum a Zepherino Pontifice id esse indultum; Idololatriae a Cornelio, Cypriano, aliisque eiusdem temporis Episcopis; Homicidio vero iisdem temporibus, sed qua ratione vel occasione esse incognitum. Hanc sententiam de nonnullis Ecclesiis veram esse, diffiteri, ut opinor, nemo poterit, qui antiquorum testimonia de hac re tantisper animo versaverit. Sed *Ecclesias praecipuas, aliasque frequentes, hunc morem esse amplexas, manifestissimae veritati mihi videtur plane adversum*. Primum enim nihil eiusmodi Orientalibus Ecclesiis a quoquam imponitur, nec ab iis observatum me legisse memini. Deinde Ecclesiam Romanam, Carthaginensem, aliasque per Europam frequentissimas contrarium omnino usurpasse demonstratu facile est.

“Quanquam autem haec ita se habere mihi videantur, quoddam tamen singulare crimen animadvertere est, quod antiquissimorum Patrum plerique velut natura sua, atque ex Dei decreto irremissibile dixerunt [i.e. peccatum in Spiritum Sanctum, de quo agit *Morinus* inferius, in c. 28]. Certis praeterea criminibus circumstantia temporis aliquando adiecta fuit, quae reconciliationis spem poenitenti

moribundo adimebat [i.e. dilatio recursus ad claves usque ad articulum mortis, de quo mox] (l. 9, c. 19, n. 1, *ibid.*, p. 670).

"Est . . . manifestissimum Tertulliani aevo Christianos austeræ Poenitentiae his tribus peccatis imponendæ rationem vulgo ex hoc Apostolico decreto desumpsisse, et Montanistas eo argumento pressos illud, ut dictum est, in Catholicos retorsisse. Si quis autem Tertulliani librum integrum de pudicitia diligenter consideret, facile animadvertet caput totius disputationis Catholicos inter et Montanistas de his tribus solis peccatis fuisse. *Montanistae volebant his dan Absolutionem sed tantum Poenitentiam. Catholici vero utrumque concedi volebant.* De Moechia autem potissimum disputat Tertullianus eo quod austeram illam Poenitentiam, quae proprie Poenitentia dicebatur, *Moechis plurimum Zepherinus laxaverat.* Quia autem austerâ illa et luctuosa Poenitentia his tantum tribus peccatis infligebatur: Ideo absolute dicti sunt Montanistae, ut et Novatiani, negasse Poenitentes esse recipiendos, hoc est Poenitentes proprie dictos qui horum erant criminum Rei. Nam quod atinet ad alia peccata, sive mortalia essent ex natura sua, sive venialia, ea purgabatur sine Poenitentia, sola Confessione, et correptione, ut Catholicos fecisse infra docebimus. Sed Montanistae hanc strictam Poenitentiae significationem non usurpabant, eo quod leviorum tantum criminum reconciliationem sibi vindicarent. Ideo ut legere est cap. 4. Poenitentiam duplicem constitebant, unam cui veniam homines dare poterant, aliam cui solus Deus, quae tria illa enormia peccata tantummodo complectebatur, et de quibus solis inter eos et Catholicos erat orta Controversia" (l. 5, c. 2, n. 6, *ibid.*, p. 256; testimonium ipsum Tertulliani impugnatur directe in l. 9, c. 20).

Morinus igitur sic controversiam cum Montanistis interpretatur ut illi haereticis concederent solam poenitentiam sine absolutione, Catholici vero utramque; decretum vero Callisti seu Zephyrini interpretatur de quadam faciliiori et indulgentiori concessione illius remissionis quae jam dabatur.

Secundo, in l. 5, c. 27–30, ostendit quod *relapsi* post actam publicam poenitentiam excluderentur a venia Ecclesiae et committerentur divinae misericordiae:

"Ingentium . . . criminum post actam Poenitentiam rei, tum temporis sanationis secundo amissae recuperandae causa *Dei misericordiae et voluntariae suae Poenitentiae fuerunt commissi, aliamque Poenitentiam ab Ecclesia non impetrarunt;* sed ut assidue a Deo veniam peccatorum exorarent, diligenter admoniti fuerunt, auxilium tamen Ecclesiasticum ad Dei misericordiam impetrandam plurimum efficax, *quia eo indigini censebantur, iis denegatum [est]. . .*

"Tam dictum saepius, demonstratumque est Ecclesiam ita se gessisse *non potestatis defectu* quae illi amplissima data est, sed *oeconomiae causa*, secundum quam peccatoribus foedere certo habenas modo premit, modo laxat. Aequum Ecclesiae aliquot saeculis visum non est, ut filii sui maxima matris indulgentia ter abuterentur. Illi . . . liberalissima Dei et Ecclesiae indulgentia quae per baptismum profusissime in fideles exundat, abusi sunt. . . Altero tamen, sed laboriosissimo Baptismo, Poenitentia scilicet, eos pristinae sanitati clementissime restituit. . . Bis amplissimum patrimonium prodegerunt, decoxerunt; immeritis datum, ingratis restitutum. . . His et similibus rationibus freti antiqui Patres tertiam Poenitentiam sive secundum Baptismum lachrymarum tertio gravissime peccantibus concedere quanquam possent, aequum non iudicaverunt, ne parcendi facilitas feret peccati incentivum, et cum vitis imprudenter mederi vellent, ea irritarent" (c. 29, n. 18 et c. 30, n. 1 sq., *ibid.*, p. 340 sq.).

Tertio, in l. 10, c. 1–15, explicans poenitentialem Ecclesiae disciplinam erga *moribundos*, docet antiquitus absolutionem denegatam esse his qui nonnisi in fine vitae ad Ecclesiae claves recurrerant:

"Prima [infirmorum] classis eorum est quibus iam diximus non semel libro praecedente, veniam ab Ecclesia trecentis primis annis non esse indultam. Quicunque sanus criminis sui veniam ab Ecclesia petiit, qualiscumque fuisset criminis

gravitas, eam tandem obtinebat, et celerrime, si vitae periculum imminebat. Verum si neglecta Ecclesia quam deseruerat, vel a qua eliminatus fuerat, *tum primum Poenitentiam, veniamque petebat, cum morbo stimularetur*, mihi videntur Patres eiusmodi homini evidenter veniam denegasse, licet serio quantum ab externis signis iudicare fas est, eam desideraret. Tanta fuit eo tempore clementissimum Patrum severitas, 'non desperatione indulgentiae,' ut docet S. Augustinus Epist. 50. in causa simili, 'sed rigore disciplinae'.

"Ne vero hanc tantillam severitatem exhorrescas id observatum est in Gallia ad annum usque 1396. in criminum Reos morti condemnatos. Sacramentum Poenitentiae illis denegabatur, et in hunc usque diem Sacramentum Eucharistiae illis denegatur. Primus hunc morem multorum Procerum Ecclesiasticorum, et virorum Principum precibus persuasus abrogavit Carolus VI. edicto Parisiis dato 4. Non. Februarii an. 1396. Edictum integrum refert Fontano Tom. I. Edictorum et Constitutionum Regum Francia, tit. 68. n. i. Editionis an. 1611. pag. 660. Hoc videtur ab antiquo et regnantibus secundae stirpis regibus in Gallia et Germania observatum. Concilium enim Moguntinum an. 848. celebratum nonnullis quaerentibus an eiusmodi hominibus esset Sacramentum Poenitentiae administrandum, et preces consequenter Deo pro iis offerendae, respondet, et probat id ita esse faciendum c. 27. Similiter Concilium Vormaciense c. 80. et Concil. Tribur. c. 31. . . Attamen his omnibus non obstantibus, mos ille Poenitentiae Sacramentum quibuscumque Reis ad mortem damnatis non administrandi in plerisque Galliae Provinciis ad Carolum Sextum Regem perseveravit. Quapropter nihil est quod in propositione quam nobis hoc capite probandam suscepimus, admodum averseris" (c. 1, n. 3 sq., ibid. p. 720).

O'DONNELL: "These testimonies [of Origen and Tertullian] have their weight. They indicate a strictness and severity of discipline with which we find it rather difficult, at the present day, to sympathize; a strictness and severity, too, which should put us on our guard against *any sweeping 'a priori' condemnation* of theories formulated by men who made a special study of those phases of early Christian thought. But they are hardly, after all, decisive. . .

"With regard, however, to one class of sinners, those, namely, who had spent all their lives in criminal indulgences and only asked for the sacraments at the last moment, it must be granted that the general discipline of the early Church was one of extreme severity. *Absolution, it would seem, was generally denied*, and the sinner, though taken under the care of the Church and directed as to the course he should pursue, was left to a great extent to himself to deal directly with God as best he could. Whether these rigorous measures were adopted by the Roman Church we cannot say, for the contemporary evidence is too vague to warrant a decision; but subsequent developments would seem to indicate that they were not altogether disapproved. A letter of Pope Innocent I. throws some light on the question. . .

"With the opinion, therefore, that there was about the year 200 A.D. a universal reservation of certain sins I cannot wholly agree.⁵⁷ Without venturing to question the evidence on which the opinion is based or to under-estimate the general spirit of rigour that prevailed, I am inclined to think that the Roman Church was true to the milder discipline of Christ and granted pardon to the truly penitent, no matter how serious their offenses may have been. A long time passed before the question was formally submitted to the supreme tribunal for an authoritative decision, and adherence to the stricter view was not regarded as a test of anti-Catholic opinion.⁵⁸ But when the refusal of pardon became so common as to

⁵⁷"Dr. Lea can merely assert that 'it may perhaps be assumed . . . that, during the first centuries, the Church, or at least a portion of it, resolutely refused reconciliation for the three crimes.' Vol. I, p. 18."

⁵⁸"The early Montanist doctrine that certain sins were beyond the power of the Church must have arisen from a pretty general practice of refusing absolution in

seriously threaten the unity of Catholic discipline, if not to encourage scepticism in regard to the dogma itself, the Pope intervened to voice the feeling of the Church and emphasize the gentler spirit that should characterize those who offered consolation in the name of Christ".⁵⁰

GALTIER, eandem fere sententiam profert, in forma tamen cautiore et conclusionibus potius negativis aut conditionalibus:

Primo ait totam hanc quaestionem de antiqua praxi Ecclesiae circa extensionem objecti absolutionis solvi non posse a priori seu ex principiis dogmaticis de necessitate sacramenti et inerrabilitate Ecclesiae, eo quod non sit necesse ut Ecclesia inde ab initio explicite cognoverit absolutam necessitatem sacramenti, ut limitantem suum jus suamque potestatem. Ejus verba referemus infra (p. 416 et 418) sub forma objectionis. Sic ea concludit: "Hinc est cur — salvo meliori et Ecclesiae judicio — non videatur posse solvi a priori, arguendo scilicet ex dogmate recentius definito, quaestio de doctrina explicata et praxi primitivae Ecclesiae. A posteriori potius, per documenta traditionis ecclesiasticae, controversia dirimenda videtur".⁵¹

Secundo, quoad antiquam praxim denegandi absolutionem tribus peccatis capitibus, scribit:

"Non constat Ecclesiam unquam denegasse veniam ulli delicto, ratione illius objectivae malitiae. . . Dicimus de tribus illis peccatis Ecclesiam ab initio semel saltem concessisse veniam paenitentibus rite dispositis, ita ut hoc facto excludatur tum defectus, qui supponitur, potestatis, tum innovatio sive doctrinalis simul et disciplinaria, ut volunt acatholici, sive mere disciplinaria, ut admittunt catholici quidam, quae intercesserit saeculo tertio. Quaestio . . . non est utrum nullibi unquam denegata sit venia. Constat econtra certis in ecclesiis fuisse doctores aut episcopos rigorismo indulgentes. Exemplo sint doctores, quos denuntiat *Hermas* (Mand. IV, 3, 1); episcopi africani, quos *S. Cyprianus* commemorat 'dandam pacem moechis non putasse et in totum paenitentiae locum contra adulteria clausisse' (Epist. LV, 21); canones tandem Illiberitani, initio saeculi 4i. Agitur ergo de Ecclesiis illis quarum historia maxime nota est, illius in primis, Romanae scilicet, 'ad quam necesse est omnem convenire Ecclesiam'".⁵²

Tertio, quoad moribundos ait:

"Si quando moribundis absolutio denegata est, non ideo denegata est quia absolutio putabatur non posse dari nisi post peractam paenitentiam publicam, sed quia praesumebantur indispositi. . . Inde saltem a concilio nicaeno, absolutio in plerisque Ecclesiis concedenda fuit omnibus peccatoribus tunc saltem paenitentiam petentibus. . . Utrum autem antea aliquando certis moribundis absolutio denegata fuerit controversiae subjacet. Multi negant hoc fuisse possibile de Ecclesia universalis. . . Alii econtra, putant constare rem aliquando in notissimis Ecclesiis ita fuisse".⁵³

In hanc secundam opinionem manifesto inclinare videtur, ex modo quo insisit et explicat rationes illius, etsi explicite neutri adhaereat. Ceterum in eam opinionem, connaturali pondere incidit, cum inferius, loquens de denegata venia relapsis, scribit: "Inverosimile est exclusis a paenitentia publica patuisse de jure viam absolutionis privatae. . . [Nam] si peccatoribus hujusmodi *patuisset hujusmodi saltem in morte reconciliatio*, multo felicior exstitisset conditio relapsorum quam prima vice peccantium". Ergo putat, saltem relapsis, veniam in articulo mortis verisimiliter denegatam esse.

these cases. (See Vacandard's scholarly article on 'Absolution' in the 'Dictionnaire de Théologie Catholique')."

⁵⁰ Penance in the Early Church, Dublin, 1907, p. 35. 41 sq. 44 sq.

⁵¹ De Poenitentia, Parisiis, 1931, p. 145.

⁵² Ibid., p. 146-148.

⁵³ Ibid., p. 216-218.

Quarto, quoad relapsos docet:

"Etsi non constat relapsis, ubi a paenitentia publica arcebantur, praesto semper fuisse absolutionem privatam, Ecclesia tamen eosdem nunquam de salute desperatos voluit nec docuit posse remissionem peccatorum obtinere independenter a clavibus. . . Relapsi de quibus hic agitur non sunt fideles in quaelibet peccata gravia relapsi, sed ii tantum qui, post peractam semel paenitentiam publicam, ea peccata iterum admittebant quae de se, propter gravitatem scilicet ac publicitatem, plecti omnino debuissent eadem publica paenitentia.

"Dicendo hujusmodi relapsis non praesto fuisse absolutionem privatam, significatur eam non fuisse eis de jure concessam. Non excluditur ergo aliquos episcopos eis aliquando, non obstante consuetudine, pacem concessisse; at significatur praxim non viguisse eosdem per privatam paenitentiam Deo reconciliandi, ita ut ipsi scirent fore ut ab Ecclesia, saltem in fine, absolventur. Quod dicitur non constare intelligi debet de iis Ecclesiis quarum praxis per documenta noscatur. Non affirmatur ergo quidquam de praxis illius universalitate".⁶³

"[Diximus:] Eosdem [Ecclesia] non docuit posse remissionem peccatorum obtinere independenter a clavibus. Sensus assertionis est eos relapsos, quos episcopi non solvebant a peccatis, *non independenter tamen a clavibus eam paenitentiam peregrisse, qua sibi veniam a Deo impetrari sperabant*. Ratio est quia episcopi, etsi eos, ut prima jam reconciliatione abusos, praesumebant secunda indignos, ipsi tamen eosdem in eam viam justificationis inducebant quae est per caritatem operientem multitudinem peccatorum. Ii vero, etsi manebant absolutione destituti, tamen id non sua sed aliena voluntate patiebantur. Noverant iidem paenitentiam non fore fructuosam ei qui Deo satisfacere praesumeret praeter eam Ecclesiam, penes quam et per quam solam est remissio peccatorum. Ecclesiae propterea sciebant sibi adhaerendum quantum per eam licebat; si quod exinde sibi suffragium sperabant, hoc ipsum sua docilitate mereri conabantur. Tam vere proinde remissionem consequerentur dependenter a potestate clavium quam qui sola contritione perfecta justificari docentur.

"Nec propterea episcopi, qui hujusmodi praxi indulserunt, censendi sunt defuisse suo muneri boni pastoris. *Quod enim quis ignorat officium non violat*. Jamvero non statim ab initio, teste S. Augustino, perfecte tractatum est de paenitentia, id est, non statim ab initio clare perspectum est quantum pateret aditus divinae misericordiae. Vim praeterea sacramenti praecipue in absolutione situm esse vix ante Tridentinum definitum est. Nil proinde mirum episcopos antea fuisse qui, cum putarent potiores partes esse contritionis ac toti propterea essent in ea exigenda, judicarent relapsis per inculcatam Deo satisfactionem quam tutissime subveniri. Quos enim ipsi solvere timebant, quia prior eorum paenitentia, ex reditu ad vomitus pristinos, praesumebatur caruisse veritate, spes tamen erat ut, cum se scirent nunc soli Deo judicandos, dignos tandem paenitentiae fructus facerent nec proinde manerent venia destituti, nisi coram Deo ipso sufficiente adhuc contritione carerent. . .

"[Ceterum] bene conjiciat quis episcopos, *vigente adhuc illa consuetudine*, haud raro, his principiis innixos, [quae Patres passim praedicant de Dei et Ecclesiae misericordia omnibus patente], benignius cum peccatoribus egisse. Jam enim dictum est quanta fuerit eorum potestas in paenitentia attemperanda peccatorum dispositioni ac utilitati majori. Dictum est etiam eis, saltem S. *Chrysostomo*, v. gr. (in II Cor. hom. IV. 4 M. 61. 422) et S. *Augustino* (Epist. 95. 5 M. 33. 353), prae mente fuisse exemplum S. Pauli rescindentis sententiam contra incestuosum Corinthi 'ne absorberetur majori tristitia qui ejusmodi est' aut 'ne circumveniamur a diabolo' (2 Cor. 2. 7 et 11). Hoc autem positum, non videtur dubium episcopos, pro cura quam haberent subveniendi peccatoribus, ubi adverterent, ut ait

⁶⁴ Ibid., p. 221 sq.

Chrysostomus (De sacerdotio, II. 4 M. 48. 635; et cf. item apud August. loc. cit.), 'peccatores multos in extrema deducendos esse, si par peccatis ab eis poena exposceretur', sponte a duriore ad benigniorem observationem transisse. Hinc sane non est cur negetur simpliciter praxis [denegandi absolutionem], *si demonstretur viguisse aliquando*, at via indicatur qua, paulatim etsi non ubique simul, deventum sit tum ad absolutionem privatam saepius sine poenitentia publica concedendam, tum ad omnes, etiam relapsos, etiam citra periculum mortis, absolvendos".⁶⁴

TERTIA SENTENTIA, communior inter doctores catholicos, *negat Ecclesiam unquam denegasse, aut denegare potuisse, veniam quibuslibet peccatis aut peccatoribus ostendentibus certa signa poenitentiae.*

Quod attinet ad peccata, haec sententia nihil differt a praecedenti; quod attinet vero ad peccatores, omnino opponitur illi, docens haec tria quae negantur ab illa, scilicet praxim denegationis veniae aliquibus peccatoribus opponi tum necessitati sacramenti tum Ecclesiae inerrabilitati; Ecclesiam de facto nunquam exercuisse aut de facto approbasse praxim denegandi veniam quibuslibet moribundis; nunquam ipsis relapsis, exclusis a publica poenitentia, absolutionem simpliciter denegasse sed eos commisisse privatae poenitentiae, consistenti saltem in absolutione in articulo mortis.

Ita quidam doctores qui dici possunt positivi, ut *Pignataro, Frank, Esser, Stuffer, Probst, D'Alès* et theologi dogmatici turmatim, nominatim *Palmieri, Hurter, Harent, Sasse, De San, Pesch, Pighi, Huarte, Van Noort, Lercher, Hervé, Boyer, Bellacasa, Piolanti, Cappello.*

Plures ex his doctoribus, attenta connexionione hujus quaestionis cum dogmatibus fidei, in quibus signanter insistunt, satis severe duas priores sententias judicant, etsi quidam explicite dicant se nolle inrere proprie dictam censuram (cf. De San, Harent, Pesch, Van Noort, Boyer, Bellacasa, Cappello, D'Alès, infra cit.).

Ceterum, etiam inter istos doctores notabile discrimen ac veluti *duplex extrema positio* observatur, altera rigidior in sua dogmatica defensione unde descendit ad interpretationem historicorum documentorum, altera remissior in attemperanda dogmatica veritate cum durioribus factis historicis et obscurioribus documentis. Prioris positionis specimen offerunt *De San* et *Harent*, alterius vero *Lercher* et signanter *D'Alès* qui, in sua assumptione dogmatica et in explicacione reconciliationis relapsorum, non longe distat a supradicta positione Galtier. Et circa hoc praecise vertunt, ut notatum est supra, variae theologorum opiniones, circa modum nempe quo, salva inerrabilitate, potuerit mens Ecclesiae evolvere in sua conceptione paeni-

⁶⁴ Ibid., p. 227 sq.

tentiali seu in explicita conscientia extensionis sui juris, ex qua procedit indefectibile exercitium potestatis clavium.

De San et Harent maxime insistunt in argumento dogmatico seu in neganda praedicta Ecclesiae evolutione in dogmate tam fundamentali; negant unquam Ecclesiam denegasse aut denegare potuisse absolutionem relapsis vel moribundis, sed omnibus semper praesto fuisse remedium poenitentiae privatae. *Lercher vero et D'Alès* has affirmationes emolliunt. Prior, juxta Umberg doctrinam, ait posse concedi "ut aliquo tempore certa et distincta cognitio juris divini quoad omnes particulares applicationes non adesset . . . [et] ut deinde late increbresceret rigidus usus quibusdam peccatoribus etiam poenitentibus praeccludendi tribunal poenitentiae" (n. 440 infra cit.). Alter ait imprimis quod "cette controverse n'est pas de telle nature qu'il faille se hâter de la trancher par voie d'autorité", etsi sit "dogmatique au premier chef par certains aspects" (Edit de Calliste, p. lv), addens quod controversia saec. 3 "pour l'Eglise . . . fut un bienfait, car elle en prit occasion de tirer de plus en plus au jour un principe encore enveloppé, bien que touchant au roc même de l'Evangile" (ibid., p. 404); quoad quaestionem de relapsis, quae "est bien la partie la plus obscure de l'ancienne discipline pénitentielle", admittit explicitè contra Galtier quod ipsi "pouvaient espérer une réconciliation in extremis", sed praeter hanc probabilem "réconciliation in extremis, seul espoir des relaps" (p. 452) non alium videt usum clavium erga eos, ante mortem, quam quandam Ecclesiae regulationem et vigiliantiam super eorum privatam poenitentiam, qua disponebantur ad consequendam a Deo remissionem peccatorum ex opere operantis (p. 452-454), eo fere modo quo id explicatur a Galtier; praeterea docet in Occidente serius quam in Oriente concessam esse relapsis reconciliationem in articulo mortis: "On ne voit pas que l'Eglise grecque . . . ait jamais refusé ni la réconciliation ni la communion eucharistique aux fidèles qui, en danger de mort, donnaient de vrais gages de pénitence. Au contraire, l'Eglise latine refusa quelquefois l'une et l'autre à certaines catégories de pécheurs [p. 380]. . . L'Occident, moins hardi à cautionner le pardon divin, n'était pas moins exact à le préparer" (p. 453).

DE SAN, tribus propositionibus colligens utramque controversiam de extensione reconciliationis concessae ab Ecclesia et de momento quo absolutio daretur in antiqua poenitentia (de qua egimus in art. 45), scribit:

"Propositio II. Nullo unquam tempore vigit in universali ecclesia praxis capitalium facinorum reos ab actione poenitentiae et ab absolutione sacramentali funditus excludendi. Assertio ponitur contra theologos supra nominatos, dicentes in primaeva ecclesia usque ad tempora Zephyrini papae omnes omnino capitalium facinorum reos, inde vero ab incepto pontificatu Zephyrini usque ad tempora

Cornelii, solos jam homicidas et idololatrias ab omni spe recipiendi absolutionem sacramentalem exclusos fuisse. Solummodo autem intenditur thesi negari memoratam praxim unquam sanctitam fuisse lege aut saltem consuetudine sive ecclesiae universalis, sive ecclesiae romanae. Utrum vero neque in ecclesia aliqua particulari quae sit alia ab ecclesia romana, vigerit aliquando illa praxis, thesi indecisum relinquitur. Censensus tamen propter vigilantiam quam pro supremo suo munere rectorio episcopi romani semper exercuerunt super singulas ecclesias particulares, impossibile esse ut memorata praxis, etiamsi aliquamdiu in ecclesia aliqua particulari invaluerit, ibi diu perseveraverit.

"Sententiam autem quae thesi proxime enuntiata et duabus thesibus sequentibus impugnatur, existimamus non modo omni solido fundamento destitui, sed esse periculosam in fide . . . quia videtur ex ea esse consequens ecclesiam universalem sive catholicam non esse infallibilem in re disciplinari. Quae enim ecclesia sancit praxim aliquam adversantem vel doctrinae fidei vel regulae morum, illa non est infallibilis in re disciplinari. Jam vero praxis qua de quaestio movetur, videtur adversari tum regulae fidei tum etiam regulae morum. . . Ex modo animadversis accipitur generale argumentum, quasi a priori evincens falsam esse illam quorundam eruditorum saeculi XVII opinionem quam thesi proxime enuntiata et duabus thesibus sequentibus excludere intendimus. Haud difficile tamen fuerit eam ex factis historicis et ex veterum scriptorum expressis testimoniis refellere. . ."

"Propositio III. In Ecclesia primorum saeculorum nulli umquam delinquentium generi denegata est, urgente exitu, absolutio sacramentalis. Est contra auctores asserentes canonicorum criminum reis, etiam instante jam exitu ex hac vita, denegatam esse praeae ecclesiae more absolutionem sacramentalem, si a) post actam publice paenitentiam in eadem vel alia crimina canonica incidissent, vel si b) in infirmitate dumtaxat actionem paenitentiae postulassent. . ."

"Propositio IV. Non solum nullo idoneo fundamento fulcitur, sed, spectatis testimoniis ex vetustissima antiquitate repetitis, improbabilissima est sententia asserens graviorum peccatorum reis, dumtaxat post peractam paenitentiam et impletam satisfactionem primis ecclesiae saeculis ordinaria lege concessam esse absolutionem sacramentalem. . . [Discussis historicis documentis, prosequitur] Pugnavimus hactenus argumentis positivis; hanc enim nobis legem ponunt adversarii, contententes in quaestione de facto historico nonnisi expressis veterum testimoniis decertandum esse. Non tamen silentio omittendum est eos *hac sua praescriptione mirificam prodere inscitiam in re theologica*. Quippe rationibus etiam pure theologicis maxima inest vis ad decidendam praesentem controversiam, quatenus ea supponitur cum viris catholicis agitari"⁶⁵

HARENT in sua controversia cum Vacandard:

"La première sorte de rigorisme prêtée à l'Eglise primitive, c'est l'absolution refusée à jamais, et même dès la première chute, aux pécheurs coupables d'un des trois péchés 'capitaux'. . . M. l'abbé Vacandard admet lui-même que pendant assez longtemps, au premier et au deuxième siècle, ces péchés furent pardonnés comme les autres: divers documents en font foi. . . Mais alors que devient cette prétendue époque de sévérité, où l'Eglise aurait refusé partout, ou 'un peu partout', le pardon aux trois péchés capitaux? Prenons le premier des trois, l'adultère. D'après les savants que nous combattons, l'époque de sévérité finit, pour l'impudicité, sous le pontificat de Calliste (de 217 à 222). Mais quand donc avait-elle commencé? Ce n'est pas dans la seconde moitié du deuxième siècle, alors que Denys de Corinthe pour l'Orient, et Irénée pour l'Occident, nous attestent le contraire. Prenons le second péché capital, l'idolâtrie; l'époque de sévérité, nous dit-on, finit vers 250. Mais quand donc avait-elle commencé? Ce n'est pas dans la première moitié du troisième siècle, alors qu'Origène, en son livre 'de la Prière', nous atteste que des prêtres pardonnaient même l'idolâtrie. . ."

⁶⁵ De Paenitentia, n. 211-244, Brugis, 1900, p. 201 sq. 212. 224. 232.

“Je ne dirai donc pas avec M. Vacandard : ‘Il faudrait indiquer à quelle date s’introduisit le régime de la sévérité, et combien de temps il dura : c’est un point difficile à mettre au clair.’ Mais je dirai : Si l’on entend que ce régime s’étendit à l’Eglise universelle, *c’est une chimère* qui a contre elle, d’un côté plusieurs documents positifs, de l’autre toutes les présomptions de l’histoire, puisqu’enfin, dans des églises si attachées à leurs traditions, il eût été extrêmement grave et difficile de changer partout une discipline remontant aux apôtres, et de la changer dans un sens aussi odieux, et il y aurait eu sans doute des réclamations, dont nous n’apercevons pas la trace. . .

“La troisième et dernière sorte de rigorisme concerne les ‘relaps’. Le refus d’absoudre les trois péchés capitaux dans la vie et à la mort, refus faussement attribué, comme nous l’avons vu, à l’Eglise primitive, a été restreint par quelques auteurs au cas particulier du relaps, c’est-à-dire au cas d’un pécheur ayant accompli la pénitence publique, et après sa réconciliation solennelle, ayant eu le malheur de retomber soit dans le même, soit dans un autre péché pénitentiel. Faut-il admettre au moins sous cette forme, dans l’Eglise universelle, à un moment donné, le refus de pardon à l’article de la mort, si bien disposé d’ailleurs que pût paraître le moribond? M. l’abbé Vacandard incline fort à le penser. . . Quant aux textes [des Pères] . . . sur lesquels M. Vacandard fait principalement reposer son effrayante discipline, je ferait observer d’abord, en général, qu’ils expriment tous la même idée, c’est d’affirmer après le baptême une seule pénitence. Et cette unique pénitence, sans renouvellement possible, objet de leur affirmation, c’est la pénitence publique, de l’aveu même de M. Vacandard. . . Mais, s’il en est ainsi, nous avons le droit de conclure : Donc l’affirmation principale de tous ces textes : ‘Il n’y a qu’une seule pénitence’, cette formule solennelle n’est ni pour ni contre *une seconde pénitence sacramentelle privée*. Donc elle laisse le débat ouvert et les esprits dans le doute. Donc on n’en peut nullement déduire que l’Eglise refusait aux relaps tout pardon”.⁹⁶

“Vous appellerez, sans doute, que la pénitence solennelle n’était jamais donnée deux fois dans la vie. Fort bien ; mais alors, ceux qui après cette unique pénitence retombaient dans un péché mortel quelconque, publique ou secret, quel secours le pouvoir des clefs leur donnait-il? Aucun, d’après vous. Donc, refus pur et simple d’absolution, y compris l’article de la mort. . . Vraiment, pouvions-nous attribuer à l’Eglise universelle une pareille dureté, un rigorisme aussi stupéfiant? Ce raisonnement ne suffit-il pas à juger l’hypothèse? — Non, répond M. Vacandard ; ‘ce n’est là qu’une simple induction théologique, qui n’a de valeur qu’autant qu’elle n’est pas en désaccord avec les faits et avec la discipline’. . . Mais les faits sont-ils donc si clairs, quand nous ne les connaissons que par des textes insuffisants, souvent contradictoires en apparence, par de simples allusions, des expressions vagues, qui divisent leurs propres interprètes? Et nos raisonnements théologiques, qui partent après tout du principe certain de l’infaillibilité de l’Eglise gardienne des sacrements, ne sont-ils pas un excellent fil conducteur dans le dédale des textes obscurs? *Il est raisonnable de faire céder les faits douteux à un principe théologique certain*; il est raisonnable de ne refuser aucune lumière, surtout celle qui nous vient de l’Eglise et de son infaillibilité, quand elle peut servir à éclairer ce qui a si grand besoin de clarté. . .

“Dans votre hypothèse, le pénitent qui, après sa réconciliation publique, avait le malheur de retomber dans le même péché, ou de commettre une des autres fautes capitales, n’avait plus aucune absolution à attendre de l’Eglise, même à l’article de la mort; c’était comme un cas réservé et bien plus qu’un cas réservé, puisque le Pape lui-même n’absolvait pas. Sans parler de la cruauté d’une pareille discipline, *le concile de Trente ne déclare-t-il pas nettement le contraire*

⁹⁶La discipline pénitentielle dans l’Eglise primitive, in *Etudes*, 82 (1900), p. 580-596.

au chapitre VII de sa XIVe session, lorsqu'il dit: 'La pratique de l'Eglise a été de tout temps (*semper*) qu'il n'y ait aucune réserve à l'article de la mort, et que tous les prêtres puissent absoudre toute espèce de pénitents de toute espèce de péchés et de censures?' *Il est toujours désagréable pour un catholique d'être en contradiction avec le concile de Trente, même en admettant qu'il ne s'agisse point d'une définition de foi*'.⁶⁷

PALMIERI: "Universalis Ecclesiae praxis antiqua fuit exercitium potestatis remittendi fidelibus peccata coram Deo, nullo delinquentium vel criminum genere excluso. . . Ratum sit . . . et fixum nunquam negasse Ecclesiam cuiuslibet peccatorum rite poenitenti veniam. Quocirca, si factum hoc demonstraretur negatam fuisse olim ab Ecclesia quibusdam criminibus veniam, consequens colligendum ex ea demonstratione istud unice foret: nimirum veniam et remissionem de qua agebatur, non fuisse absolutionem a culpa coram Deo, sed fuisse remissionem totius poenae, sive, quod nunc dicimus, indulgentiam plenariam, quae poenitentia praescripta functis dabatur, quae tamen pro certis criminibus negata fuisset ab Ecclesia, impetranda tantum a Deo: qua in re suo iure usa esset Ecclesia.

"Relapsis in crimina post sollemnem poenitentiam non negabatur ab Ecclesia venia. . . Profecto aliud est negare veniam, aliud negare poenitentiae sollemnis vel publicae usum, quemadmodum non erat idem veniam poenitenti dare, et poenitentiam publicam imponere, eaque peracta absolvere. Nam venia omnibus peccatis dabatur, poenitentia vero publica non nisi pro certis criminibus statuta erat; ideoque distingui poterant, et frequenter distincta erant haec duo, venia peccati et poenitentia publica: hac proinde secunda vice negata, *relapsis reliqua erat venia, quae a ceteris peccatoribus obtineri poterat sine publica poenitentia*".⁶⁸

HURTER: "Primis aerae christianae seculis nullum omnino fuit peccatum, cuius remissio lege universalis in Ecclesia catholica poenitentibus fuerit denegata. . . Ecclesiae nullatenus concedi potest jus et arbitrium denegandae veniae reis cuiuscumque tandem criminis, si rite sint dispositi. . . Provocant nonnulli theologi pro sua [contraria] sententia ad patrum doctrinam 'de unitate poenitentiae' lapsis in peccatum post baptismum permissae, ut inde inferant, relapsis saltem in gravia crimina iteratam a peccatis absolutionem fuisse denegatam. . . Verum effata haec non de quacumque poenitentia, qualis in Ecclesia agitur quaeque remissionis peccatorum beneficio donatur, sunt intelligenda, sed de publica et solenni; neque ea unitas poenitentiae est juris divini, sed tantum juris seu potius consuetudinis ecclesiasticae. . . Ex hac tamen praxi nullatenus inferre licet, causam peccatorum, qui peracta semel poenitentia solenni in eadem vel graviora inciderint peccata, fuisse plane desperatam; poterant siquidem iterum criminum suorum remissionem consequi. . . Nisi dicere velimus, peccatores in pristina peccata relapsos fuisse a praecepto agenda poenitentiae solutos, vel potestati clavium non amplius subjectos, tenendum est, ipsis, si rite essent dispositi, veniam nunquam fuisse negatam".⁶⁹

PESCH: "*Inter catholicos a priori constare debet non potuisse universalem ecclesiam ulli peccatori, dummodo vere poenitenter, absolutionem denegare, quia non solum potestatem, sed etiam obligationem absolvendi habet. Hinc denegatio absolutionis in tali casu fuisset aut inobedientia contra Christi legem aut error in fide. Utrumque autem est impossibile. . . Cum . . . ex una parte SS. Patres [cum loquuntur de deneganda poenitentia relapsis] solam poenitentiam publicam expresse nominent et ex altera parte doceant nullum omnino peccatum esse sine spe veniae, nisi velimus sine ratione dicere eos sibi ipsis contradixisse, fateri debemus absolutionem privatam nulli peccatori poenitenti negatam fuisse*".⁷⁰

⁶⁷ La Confession. Nouvelles attaques et nouvelle défense, in *Etudes*, 80 (1899), p. 584-586.

⁶⁸ De Poenitentia, thes. 9, Romae, 1879, p. 73. 94 sq.

⁶⁹ Theol. Dogm., t. 3, n. 545. 551. 556, Oeniponte, 1891, p. 428. 431. 436 sq.

⁷⁰ Prael. Dogm., t. 7, n. 48 et 54, Friburgi Br., 1920, p. 40 et 42.

VAN NOORT-VERHAAR: "Assertio ecclesiam universalem aliquando quibusdam peccatoribus, *etiam in hora mortis*, denegasse absolutionem a reatu culpa, nobis videtur *theologicè non sustineri*, neque historice probari posse. In quantum antiqua ecclesia absolutionem quibusdam peccatoribus *ad tempus* negavit, id non fecit ex persuasione quod quaedam peccata non continerentur sub clavium potestate, sed ex rationibus paedagogicis et disciplinaribus; unde questio proprie huc non pertinet. . . Concedendum vero est quosdam episcopos nimia severitate peccasse, et alicubi per aliquod tempus (in II et III saec.) absolutionem quibusdam peccatis, aut uni aut pluribus (praesertim idololatriae, moechiae, homicidio), omnino negatam esse. Sed falsum est talem praxim unquam fuisse universalem in ecclesia. . . Publica poenitentia . . . pro solis capitalibus criminibus semel tantum concedebatur atque Baptismo aequiparabatur propter plenam reconciliationem. His igitur, qui postea in pauca illa enormia peccata relapsi erant, in antiqua ecclesia plena reconciliatio, restitutio omnium bonorum ecclesiae et ss. Eucharistia per totam vitam, et etiam in articulo mortis, aliquando negabantur. At ne his quidem sacramentum Poenitentiae negabatur, *saltem non in articulo mortis*".⁷¹

BOYER: "Non constat Ecclesiam antiquam generali quadam praxi fidelibus post primam absolutionem peccantibus reiterationem sacramenti Poenitentiae unquam denegasse, ne quidem relapsis proprie dictis. . . [His assertionibus] in quantum opponuntur opinionibus catholicorum, nolumus ullam theologicam notam affigere, quamquam fatemur *aegre perspicere quomodo hae opiniones cum documentis consistent*, maxime si teneant denegatam esse remissionem ipsis moribundis. Dici forte posset, ad vim declarationis Tridentinae, in cap. 7, minuendam, non constare verbum 'semper' esse stricto sensu accipiendum, et insuper denegationem iteratae absolutionis quam Ecclesia in praxi habuisset erga paucos, ex sola praesumpta peccatoris mala dispositione ortam esse. . .

"Ecclesia nunquam, nec tempore Apostolorum, nec secundo, nec tertio saeculo, ulli peccato vere poenitentium dare veniam renuit. . . *Haereticum* esset contradicere thesi cum mente modernistica, scilicet supponendo Ecclesiam primitivam credidisse aliquid quod sit hodiernae fidei contradictorium. Si thesi contradicitur cum mente catholicorum, qui rigorem antiquum ex motivo tantum disciplinari explicant, talis opinio videtur nobis *falsa, et magnis difficultatibus obnoxia. Generale argumentum ante omnia consideretur ex certis veritatibus theologicis deductum*. Fieri nunquam potuit ut Ecclesia vel in fide erraverit, vel suo muneri salvandi animas defecerit. Sed alterutrum ex his evenisset, si Ecclesia alicui peccato veniam renuisset. Ergo Ecclesia nunquam hanc veniam denegavit. . . Propterea, etiamsi positiva probatio thesibus ex historicis documentis non perficeretur, sed solum probabilis solutio difficultatum haberi posset, thesis omnino staret".⁷²

HERVÉ: "Ex doctrina et praxi Ecclesiae antiquae certo constat Ecclesiam a Christo Auctore habere potestatem remittendi omnia peccata, et reapse nunquam, praxi universali, consuevisse veniam denegare ulli reo, neque maechis, neque homicidis, neque idololatrīs, neque apostatis, neque moribundis, neque relapsis, neque clericis in graviora crimina lapsis. . . Etsi non desunt aliqua Patrum loca difficilia, etsi fuerunt diversi modi agendi in diversis regionibus et temporibus, ex praedictis *certo concludere possumus* Ecclesiam jam a primis temporibus clare affirmasse et ostendisse se habere a Christo Fundatore potestatem vere remittendi peccata etiam in foro interno, animabus pacem internam reddendo et gratiam sanctificantem communicando, hancque potestatem jam ab initio exercuisse erga cujusvis generis peccatores".⁷³

BELLACASA: "Universalis Ecclesiae primaevae praxis nulli unquam peccato absolutionem denegavit. . . *Cens. Omnino certa*. . . Non damus censuram theolo-

⁷¹De sacramentis, II, n. 36, Hilvers, 1940, p. 23 sq.

⁷²De Poenitentia, Romae, 1942, p. 129 sq. 173 sq.

⁷³Manuale Theol. Dogm., v. 4, Westminster, Md., 1943, p. 286 et 288.

gicam quia rem in thesi spectamus mere historice. Advertimus tamen nos historiam non tractare ut solent rationalistae historici dogmatum (et qui eos in hac re imitantur, quidam catholici), qui videlicet ex his quae historia suppeditat, omittere solent ea quae praeiudicatis suis opinionibus (aut potius manifestis erroribus) non quadrant: e contra enim accurate omnia pensamus, quae ex factis historicis inseruire possunt ad plene intelligendam veritatem. *Theologicæ inspecta thesis digna esset multo graviore censura*: nam infallibilitas Ecclesiae et assistentia Spiritus Sancti in legibus ab ipsa condendis (quae aliunde perquam certissime constat historice, ut supponimus ex Fundamentali) omnino vetant ne aut ipsa ignoret necessitatem sacramenti Paenitentiae ad omnia peccata mortalia, aut talem disciplinam sanciat, quae certe vergeret in perniciem animarum⁷⁴

CAPPELLO: "Adversarii dicunt: 'Non datur ullum exemplum certum absolutionis privatae, quae sit concessa relapsis proprie dictis'.⁷⁵ Mirum profecto! Ipsi adversarii exhibere debent exemplum certum denegatae absolutionis, quia, posita doctrina catholica de potestate Ecclesiae remittendi omnia et singula post baptismum commissa peccata, atque de eius usu, onus probandi denegationem absolutionis sacramentalis ipsis incumbit. Ecclesia semper docuit remissionem peccatorum obtineri non posse independentem a potestate clavium simulque, ut patroni alterius sententiae fatentur, nunquam voluit relapsos desperatos esse de sua salute. Porro haec constans Ecclesiae doctrina de promissa venia omnibus vere poenitentibus *vix aut ne vix quidem conciliari potest* cum denegata relapsis absolutione ex lege ipsa Ecclesiae. Contrarium asserentes debent afferre documentum historicum decisivum: secus manet doctrina tradita".⁷⁶

LERCHER inter theologos dogmaticos *positionem aliorum sic emollire conatur*, quod attinet ad interpretationem obscuriorum testimoniorum in relatione ad dogma fidei de necessitate sacramenti et inerrabilitate Ecclesiae:

"Querimus num et in quantum assertiones, Ecclesiae veteri rigidam praxim paenitentiae tribuentes, salvo dogmate sustineri possint. In quantum id obtinet, disputatio de praxi observata pertinet ad historiam; in quantum assertio aliqua dogmati adversatur, theologia eam recusare debet ut fundatam vel in praemissis erroris vel in lacunosa demonstratione. Siquidem doctrina revelata est norma negativa, quam omnes scientiae respicere debent. Inter conclusiones philosophicas et historicas certo demonstratas ex una parte, et veritates revelatas ex altera parte, vera oppositio esse nequit. Idcirco assertio quaedam, quae hinc ut historice demonstrata obtenditur, inde vero alicui veritati dogmaticae indubiae contradicit, ut falsa rejicienda est.

"Veritates dogmaticae, quae in re praesenti se habent ut principia firma, sunt: primo theses supra statutae de potestate clavium, imprimis thesis de necessitate sacramenti paenitentiae; deinde dogma de infallibilitate Ecclesiae in conservandis et definiendis veritatibus revelatis; accedit doctrina saltem theologicæ certa de eius infallibilitate in decretis disciplinariis, quibus pro universa Ecclesia a suprema auctoritate certa vitae agenda ratio lege per se stabili praescribitur. Pro hac indefectibilitate fieri nequit, ut Ecclesia edat decretum, quod fidei subversivum et communi spirituali bono fidelium nocivum esset. Ergo:

"1° Ecclesia universalis non potuit versari in ignorantia vel errore de potestate clavium sibi data, neque de extensione huius potestatis ad omnes species culparum. Unde fieri non potuit, ut aliquando in universa Ecclesia crederetur, post baptismum non dari paenitentiam, vel remissionem quorundam peccatorum soli Deo esse reservatam. 2° Ecclesia docens numquam potuit ignorare, se pro missione sua jure divino teneri, ut in genere peccatoribus aperiat aditum ad tribunal paenitentiae, et ut in genere non denegat absolutionem sacramentalem manifeste paeni-

⁷⁴ De Sacramentis, t. 1, Barcelona, 1941, p. 279 et 581 in textu et in nota.

⁷⁵ Galtier, n. 308.

⁷⁶ De Sacram., v. 2 De Poenitentia, Taurini-Romae, 1944, p. 51.

tentibus. 3° Numquam potuit suprema auctoritas pro universa Ecclesia decernere (formaliter vel aequivalenter approbando praxim usitatam), ut absolutio sacramentalis semel tantum in vita peccatoribus impertiatur, vel ut sine ullo discrimine ab absoluteione sacramentali excludantur: lapsi in persecutione, apostatae, procrastinantes paenitentiam usque ad mortem, recidivi in crimina graviora.

"Ex altera parte vero salva indefectibilitate Ecclesiae in fide et disciplina plura evenire poterant, quae vel in se improbanda sunt, vel hodie valde dura apparent:

"1° In ecclesiis pluribus particularibus usus vigere potuit, quibusdam generibus peccatorum absolute denegandi sacramentalem absoluteionem. 2° Universa Ecclesia in primis saeculis multo severius quam hodie paenitentes tractare potuit quoad absoluteionem diu differendam, paenitentiam publicam exigendam, satisfactionem imponendam, eucharistiam et plenam reconciliationem (restitutionem omnium jurium ecclesiast.) denegandam. Severitas, inquam, nobis insolita adhiberi potuit, ratione habita robustae fidei fidelium eorumque pronitatis ad opera paenitentiae; quin adhiberi debuit, ubi lenitas erga peccantes populo christiano scandalo fuisset. 3° Ecclesia potuit pro danda absoluteione exigere signa bonae dispositionis multo certiora iis, quae hodie ad licitam absoluteionem sufficere censentur. Et quia contra recidivos in crimina graviora stat suspicio conversionis non seriae (cf. 2 Ptr 2, 20 ss), ab his experimenta sinceræ paenitentiae valde ardua exigi poterant. 4° Videntur etiam concedi posse, quae sequuntur: a) *non certo constat de jure divino, quo Ecclesia teneatur, ut in quibuscumque adjunctis particularibus peccatorem petentem admittat ad tribunal paenitentiae*, eique confesso et manifeste contrito absoluteionem sacramentalem impertiatur. b) Etsi de tali jure divino hodie certo constaret, tamen non pertinet ad indefectibilitatem Ecclesiae, *ut ea quovis tempore explicitè, distinctè, et cum certitudine cognoverit*, num et in quantum jus divinum pro quibusdam adjunctis particularibus obliget.

"Inde salva indefectibilitate Ecclesiae in fide et disciplina fieri potuit: a) ut aliquo tempore certa et distincta cognitio juris divini quoad omnes particulares applicationes non adesset; b) ut deinde late increbesceret rigidus usus quibusdam peccatoribus etiam paenitentibus praeccludendi tribunal paenitentiae; c) ut suprema auctoritas hunc usum interim non aboleret per decisionem definitivam. Cf. *Umberg* in *Scholastik* 1927 2 321 ss. . . Investigare, quantum reapse rigor quondam diverso loco et tempore in tractandis paenitentibus fuerit, proprie ad cultores historiae ecclesiasticae spectat. Notare tamen liceat: quo magis praxis quaedam a spiritu Salvatoris nostri abhorret, eo evidentialia argumenta merito ab iis postulantur, qui talem praxim in Ecclesia universaliter observatam contendunt".⁷⁷

D'ALÈS, in tardiori suo opere *De Paenitentia*, thes. 2 (Parisiis, 1926, p. 10 sq. 32. 36. 46. 48) haec moderate sed firmiter docet:

"A quaestione dogmatica apprime cerne historicam: num aliquando ex aliqua oeconomia ipsa Ecclesia sibi praefixerit certos quosdam limites in remissione peccatorum. Qua de re multum disputatum est cum saec. XVII, tum etiam nostra aetate. Negari non potest disciplinam veteris Ecclesiae fuisse rigidiorum. Denegatam quibusdam peccatis veniam usque ad imminentem mortem statuerat Dionysius Petavius. . . Nos longe probabilius censem *reservationem, quam dicunt, certorum peccatorum usque ad articulum mortis*, nunquam fuisse totius Ecclesiae, sed tantummodo quarundam Ecclesiarum per aliquod tempus, donec misericors Dei providentia in remissionem peccatorum, post controversias saec. II ad V, in plena luce collocata est. . .

"Omnibus perpensis [quae referuntur ad controversiam Tertulliani et Hippolyti], nihil verisimilius quam usque ad tempora Tertulliani et Hippolyti fuisse aliquam diversitatem inter Ecclesias in administratione paenitentiae, etiam quod attinet ad reservationem trium gravissimorum peccatorum, et in ipsa Ecclesia

⁷⁷ Theol. Dogm., v. 4, Oeniponte, 1935, p. 513-515.

Romana disciplinam fluctuasse, donec a Callisto aliquid accepit firmitatis. Viguisse autem antiquitus in tota Ecclesia ex lege universali reservationem trium peccatorum et a Callisto primum infractam esse illam legem, *sine causa, immo contra omnem veri speciem assereretur*. . . Non nulli volunt [tempore persecutionis Decii] . . . initium reconciliandi apostatas factum: antea enim peccatum idololatriæ habitum esse ut irremissibile ab Ecclesia. Quod quidem *censuum nimium systematicè cogitari neque efficaciter probari*. . .

"Quamquam [a tempore persecutionis Decii ad Conc. Nicaenum a 325] novatiana durities quibusdam locis perseverat per duo fere saecula, immo exoriente schismate Donati saec. IV recrudescit, inexorabilis severitas magis ac magis eliminatur ab Ecclesia. . . [Ex can. 13 Conc. Nic.] satis constat nunquam fuisse Ecclesiae catholicae voluntatem, ut quisquam vere poenitens communionem eucharistica in exitu privaretur. . . Ceterum, ante exortam Novatiani haeresim, multa manserunt incerta. Unde Augustinus, *In Ps.*, Enarr. 22, PL., 36, 643: 'Numquid perfecte de poenitentia tractatum est antequam obsisterent Novatiani?'"

In anteriori suo opere *L'édit de Calliste* (Paris, 1914, p. IV sq. 380. 383 sq. 396-402. 443 sq. 451-455) haec inter alia habet quae ad explanationem et complementum suae doctrinae pertinent:

Quoad methodum sequendam:

"Cette controverse n'est pas de telle nature qu'il faille se hâter de la trancher par voie d'autorité, surtout d'autorité privée. *Dogmatique au premier chef par certains aspects*, puisqu'il y va de l'exercice historique du pouvoir des clefs, elle est d'autre part trop mêlée aux contingences de l'histoire pour qu'on puisse espérer la résoudre complètement a priori. Il sera temps d'invoquer l'autorité de l'Eglise quand le moment viendra de conclure; jusque-là, sans perdre aucunement de vue cette autorité, nous éviterons de la faire intervenir hors de propos. En interrogeant, sur les origines de la pénitence, les documents primitifs du christianisme, nous n'aurons garde sans doute de les isoler du milieu où ils furent écrits et de l'esprit qui les dicta: un tel procédé ne serait ni chrétien ni scientifique. Mais ce serait bien mal entendre cet esprit que de vouloir imposer aux faits primitifs le canon historique des temps nouveaux. *La tradition vivante de l'Eglise permet seule de rendre une âme au passé chrétien*; or il s'y insère d'autant plus sûrement que l'enquête est plus objective; surtout elle intervient comme garde-fou opportun, pour prévenir les systématisations précaires auxquelles des faits singuliers, coupés de leurs attaches historiques, provoqueraient aisément une imagination trop active. Cela, nous ne manquerons pas de le lui demander; nous ne lui demanderons rien de plus.

"Aussi longtemps que nous nous maintiendrons sur le terrain des faits, une seule méthode est acceptable: elle consiste à mettre sous les yeux du lecteur tous les textes essentiels, à les entourer de toutes les lumières fournies par la tradition littéraire et à recueillir d'abord les conclusions qui s'imposent, puis les vraisemblances. Avouons sans détour que, sur le terrain de la pénitence, nous paraît s'être accumulée une masse énorme de contresens historiques, d'hypothèses ruineuses et de malentendus. Il y a lieu de procéder à un déblaiement?"

Judicium de sententia Harnack et Funk (citatur infra in p. 421-423; cf. La théologie de Saint Hippolyte, Paris, 1906, p. 39-49).

Quoad reconciliationem moribundorum:

"On ne voit pas que l'Eglise grecque — et moins encore l'Eglise syrienne — ait jamais refusé ni la réconciliation ni la communion eucharistique aux fidèles qui, en danger de mort, donnaient de vrais gages de pénitence. *Au contraire, l'Eglise latine refusa quelquefois l'une et l'autre à certaines catégories de pécheurs*. Ce n'est pas qu'elle les tint pour désespérés, mais elle laissait la pénitence faire son oeuvre, n'osant pas cautionner une conversion rendue plus suspecte par la gravité de la faute. Au cours du IV^e siècle, elle se relâchera progressivement de cette

régle. . . Ainsi l'Occident achevait-il d'accéder à ce qui était, depuis des siècles déjà, la pratique de l'Orient chrétien : le don de la réconciliation ecclésiastique et de la communion eucharistique à tout moribond qui la demandait en donnant des signes de vraie pénitence. Il semble d'autre part que sur un point l'Occident ait, au contraire, devancé l'Orient : c'est au sujet du traitement des pénitents qui, réconciliés 'in extremis', revenaient ensuite à la santé. On a vu plus haut que saint Cyprien et saint Denys tenaient la réconciliation pour acquise en toute hypothèse; le concile de Nicée montra moins d'indulgence et stipula qu'en cas de guérison ces pécheurs reprendraient rang parmi les pénitents. Cette diversité de discipline montre que, dans la pensée de l'Eglise, la situation canonique du pécheur ne répondait pas nécessairement à sa situation devant Dieu. On a vu que les sectes rigoristes admettaient aussi cette disjonction; mais elles y attachaient un tout autre sens. Les montanistes imposaient ici-bas la pénitence et reservaient à Dieu le pardon; l'Eglise au contraire prétendait bien être à la fois l'arbitre de la pénitence et la dispensatrice du pardon divin. Rien ne séparait plus profondément catholiques et dissidents. . .

"De tout temps, l'Eglise laissa tomber, d'urgence, les réserves ordinaires, pour assurer le bienfait de la réconciliation suprême à tout moribond qui donnait de vrais gages de pénitence. Le 13e canon de Nicée traduit bien l'esprit de cette législation clémentine. D'ailleurs elle mit, selon les contrées, plus ou moins de temps à s'établir. Comme nous l'avons indiqué plus haut, l'Orient accordait à la fois la paix et la communion eucharistique en bien des cas où l'Occident, plus rigide, les refusait. Néanmoins, dès le milieu du IIIe siècle, l'Italie et l'Afrique étaient entrées dans la voie de la clémentine. Ces divergences de détail importent moins que la constatation d'ensemble."⁷⁸

Quoad reconciliationem relapsorum :

"Le traitement des relaps, c'est-à-dire des chrétiens qui, après avoir passé par la pénitence publique, retombaient dans une faute grave, est bien la partie la plus obscure de l'ancienne discipline pénitentielle. D'un côté il est hors de doute que la pénitence publique ne leur était pas offerte une seconde fois; de l'autre, nous savons très bien que l'Eglise ne désespérait pas d'eux tant qu'ils vivaient, et, à l'heure de la mort, faisait volontiers fléchir les règles ordinaires. En d'autres termes, ils étaient exclus, leur vie durant, du bienfait de la communion des fidèles et du bienfait de la pénitence publique; ils en étaient exclus, pour en avoir abusé; mais ils pouvaient espérer une réconciliation 'in extremis'. La voie du salut s'était considérablement rétrécie devant eux; sans doute elle ne s'était pas fermée tout à fait, mais ils étaient réduits à envier le bonheur de ceux qu'une pénitence régulière pouvait encore réintégrer dans l'Eglise avant leur dernière heure. De nombreux textes de Pères prouvent que ce point de vue est le vrai : en distinguant ces deux degrés, l'admission à la pénitence et la réconciliation effective, ces Pères nous aident à comprendre le prix que les anciens fidèles attachaient à des relations renouées avec l'Eglise, fût-ce en qualité de simples pénitents.

"Mais il n'est pas douteux que la réconciliation 'in extremis', seul espoir des relaps, était, au même titre que la réconciliation normale, un effet du pouvoir de remission confié par le Christ à son Eglise. On comprend d'ailleurs aisément pourquoi les Pères n'ont pas coutume d'en parler quand ils convient les fidèles à la seconde pénitence : ce n'était pas un parti à proposer en public et à tous, que cette réconciliation si hasardeuse. Il suffisait de le proposer en particulier à ceux qui n'avaient plus d'autre ressource.

"Pour être incomparablement plus dure que celle des pénitents, la condition des relaps ne les soustrayait pas à la sollicitude de l'Eglise. Encore bien moins les soustrayait-elle à sa juridiction : c'est vers elle qu'ils ne cessaient de tourner les yeux, dans l'attente de la réconciliation suprême. Aussi avons-nous peine à com-

⁷⁸ Cf. in indice ejusdem operis ad verbum "Moribonds".

prendre cette assertion d'un auteur souvent mieux inspiré:⁷⁹ 'Quiconque, après une première absolution ou réconciliation, retombe dans un péché 'mortel', n'a plus à s'adresser à l'évêque: il n'obtient son pardon que par une pénitence privée, où l'Eglise n'intervient plus avec le pouvoir des clefs.' Non, certes! Le fait que l'Eglise se refusait à user du pouvoir des clefs envers ces malheureux avant le moment suprême, ne les dispensait pas de donner des gages publics de repentir, et beaucoup moins les dispensait-il de recourir aux ministres du pardon. Il appartenait toujours à l'évêque d'apprécier leur sincérité. Si la pénitence privée du relaps donnait satisfaction, l'Eglise intervenait à son lit de mort avec la plénitude de son pouvoir de rémission; l'Orient faisait fléchir toutes les règles ordinaires pour le munir d'un suprême viatique;⁸⁰ l'Occident, moins hardi à cautionner le pardon divin, n'était pas moins exact à le préparer.

"Un jour vint où l'Eglise crut pouvoir se relâcher, envers les relaps, de cette discipline si rigoureuse. La réconciliation postbaptismale cessa d'être, comme la réconciliation baptismale, une grâce unique dans la vie. Cette évolution se rattache, pour l'Eglise d'Orient, au nom de saint Jean Chrysostome; pour l'Eglise d'Occident, elles est postérieure à saint Augustin. Tant qu'elle ne fut pas consommée, la réconciliation des relaps échappa au cadre de la pénitence publique et officielle; mais on peut et on doit la considérer comme une manifestation — non certes la moins importante — du pouvoir de l'Eglise dans le domaine de la pénitence privée. . . Nous avons écartée l'idée factice de deux institutions parallèles, l'une publique, l'autre secrète, fonctionnant concurremment au choix des intéressés; nous n'écartons pas moins résolument l'idée d'une pénitence exclusivement publique. Ce qu'on appelle de ce nom n'est que la partie la plus apparente, la plus rigide, partant la mieux connue de l'unique pénitence chrétienne. . .

*"En réalité, il y eut toujours, de l'aveu même de l'Eglise, d'autres voies ouvertes à ceux qui, pour une raison quelconque, ne pouvaient pas s'engager dans celle de l'exomologèse publique. Dieu n'abandonne pas le pécheur contrit, et à défaut du sacrement, un cri de coeur peut procurer le salut. Mais en opérant le discernement des péchés et des pécheurs, l'Eglise ne se désintéressait pas de la conduite de ceux qu'elle n'appelait pas à l'exomologèse publique, soit comme n'ayant pas besoin de ce remède violent, soit comme en ayant déjà abusé. Elle prétendait bien les guider comme les autres; et rien, plus que cette universelle sollicitude, ne la distingue de la secte novatienne. Seulement, au terme de la voie qu'elle leur ouvrait, ne se rencontrait pas le même pardon où aboutissait la pénitence publique et qui la rendait si désirable, pardon entouré par l'Eglise d'un appareil imposant et authentiqué par ses rites les plus solennels. . . Une longue évolution devait peu à peu reléguer dans l'oubli ces formes archaïques de la pénitence et mettre en évidence l'élément privé. Cette évolution ne fut pas une création; son obscur point de départ doit être cherché dans un passé très lointain. La corrélation établie par le Christ entre le droit exclusif de l'Eglise et la rémission des péchés était, dès le principe, absolue; l'Eglise mit plus ou moins de rigueur à revendiquer ce droit, mais en aucun temps elle ne limita l'exercice du pouvoir des clefs au seul domaine de la pénitence publique".*⁸¹

CONCLUSIO

Conclusio 1. Quodlibet peccatum est remissibile per sacramentum Poenitentiae, seu per claves Ecclesiae.

⁷⁹ Vacandard, Etudes de critique et d'histoire religieuse, 2e série, p. 101, Paris, 1910; cf. DTC., t. III, 860.

⁸⁰ "Voir le canon 13 de Nicée, DB., 57, et les autres textes que nous avons apportés, . . . p. 444 sqq."

⁸¹ Cf. indicem ejusdem operis ad verbum Relaps; item, La théologie de Tertullien, Paris, 1905, p. 349-355.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA*, seu ex ipsis verbis institutionis et ex subsequenti praxi Apostolorum.

1. *Verba tum promissionis tum institutionis*, secundum se sumpta, generaliter sonant; et quidem verba institutionis sonant generaliter indeterminate, seu universaliter negative (Joan. 20, 23: "Quorum remiseritis peccata"; imo, textus originalis "Si quorum [ἄν τινων] remiseritis peccata" signantius universalitatem exprimit, nam "si quis" aequivalet "Omnis qui", ita ut sensus illorum verborum sit: "*Omnium* quorum remiseritis peccata), verba vero promissionis sonant generaliter determinate, seu universaliter positive (Matth. 18, 18: "Quaecumque solveritis"; 16, 19: "Quodcumque solveris"). Unde, quantum est ex vi ipsius textus, omnis restrictio remissionis per claves excluditur, nisi aliunde necessario exigatur vel a contextu proximo aut remoto, vel ex ipsa natura rei de qua agitur, quorum tamen neutrum restrictionem exigat, sed potius excludit.

Primo enim, ipse *contextus* excludit restrictionem. Nam Christus confert Apostolis "claves regni coelorum" (Matth. 16, 19), ut nempe coelum aperiant exclusis, omne autem peccatum excludit ab illo regno; confert ipsum Spiritum Sanctum (Joan. 20, 23: "Accipite Spiritum S."), qui est spiritus sanctificationis et causa omnis remissionis; confert signanter suam potestatem, committens Apostolis eandem salvificam missionem quam Ipse accepit a Patre et exercuit in mundo (Joan. 20, 21–23: "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. . . Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata . . ."; cf. Matth. 9, 3 et 28, 18 sq.), Ipse autem venit universaliter "salvare quod perierat" (Matth. 18, 11) et "tollere peccatum mundi" (Joan. 1, 29), ac de facto salvificam remissionem indiscriminatim exercuit quoad omnia peccata et peccatores (Matth. 11, 28: "Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos"), et peculiariter quoad ipsa peccata impudicitiae (Joan. 8, 3 sqq., "mulieri in adulterio deprehensae", ait: "Vade et jam amplius noli peccare"; Luc. 7, 37–50, "mulieri quae erat in civitate peccatrix", ait: "Remittuntur tibi peccata . . . vade in pace"), apostasiae (Luc. 22, 61 sq.: "Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini . . . : Ter me negabis. Et egressus foras flevit amare"), rapinae conjunctae homicidio (Luc. 23, 43: "Dixit illi [latroni] Jesus: Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso"). Praeterea, exclusio restrictionis commendatur ex pericope de fraterna correptione, quae pertinet ad immediatum contextum verborum promissionis et ad cuius terminum legitur: "Accedens Petrus ad eum dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei? usque septies? Dixit illi Jesus: Non dico

tibi usque septies, sed usque septuagies septies” (cf. art. 1, tom. 1, p. 72 et 75).

Objectio autem deducta ex Matth. 12, 31 sq. et loc. par. *de peccato in Spiritum S.* quod a Christo dicitur irremissibile, ad rem non est; nam illud peccatum Christus non excipit tantum a remissibilitate per claves Ecclesiae, sed simpliciter seu etiam apud Deum; unde si illud peccatum esset revera secundum se irremissibile, ex ipsa natura rei intelligeretur excipi a generali sensu verborum “Quaecumque solveritis”, cum non possit efficacia sacramenti extendi ultra efficacitatem ipsius virtutis Poenitentiae nec possit fieri remissibile per Ecclesiam quod non est remissibile per Deum. Ceterum, quo sensu *tria peccata, quae in Scriptura dicuntur irremissibilia*, i.e. peccatum in Spiritum S. (Matth. 12, 31 sq.; Marc. 3, 28 sq.; Luc. 12, 10), peccatum illuminatorum (Hebr. 6, 4–6; 10, 26) et peccatum ad mortem (1 Joan. 5, 16), talia sint, explicatum est in art. 85 (p. 33 sqq.).

Unde merito Traditio, contra Montanistas et Novatianos, ex ipsis verbis promissionis et institutionis collegit extensionem potestatis clavium ad omnia prorsus peccata. *Ambrosius* contra Novatianos: “[Vos] distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda a vobis putatis, et quae sine remedio esse arbitremini: sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit” (De poenit. 1, 3, 10, M.L. 16, 489 sq.) *Pacianus* contra eosdem: “‘Quaecumque solveritis’, inquit; omnino nihil excipit. ‘Quaecumque’, inquit: vel magna, vel modica. Attende quod ad Petrum dicat inferius id quod peccatur in hominem, septuagies et septies relaxandum” (Ep. 3, 12, M.L. 13, 1072). *Gelasius I* tandem: “‘Quaecumque solveritis. . .’ In quibuscumque omnia sunt, quantacumque sint, et qualiacumque sint” (Denz. 167).

Secundo, ipsa rei natura nequaquam restrictionem exigit, sed excludit. Natura ipsius remittendi *peccati* excludit restrictionem, tum quia omnia peccata sunt de se remissibilia; tum quia omnia peccata conveniunt in unam genericam rationem offensae Dei; tum quia unum peccatum nequit remitti sine alio et possunt quaelibet peccata simul adesse in eodem subjecto. Indoles et finis ipsius *sacramenti*, seu potestatis clavium, excludit omnem restrictionem, tum quia, ratione absolutae necessitatis sacramenti, ipsa virtus Poenitentiae jam non amplius operatur nisi dependenter a sacramento, in re vel voto suscepto, adeoque quidquid efficacitatis competit virtuti, competit necessario ipsi sacramento in cuius voto virtus ipsa operatur; tum quia finis institutionis sacramenti est adjuvare hominem ad consequendam remissionem

peccatorum, elevando imperfectum actum attritionis ad aequivalentem efficaciam proprii et specifici actus ipsius virtutis Poenitentiae, seu perfectae contritionis, adeoque universalis efficacia remissiva quae competit actui contritionis debet competere ipsi sacramento; tum quia specificus finis hujus sacramenti, prout distinguitur a Baptismo, est hominis lapsi redintegratio in pristinam valetudinem, quae aequaliter respicit omnia peccata commissa post Baptismum.

Unde nulla ratione intelligi potest quare Christus voluerit ab efficacia potestatis clavium subtrahere remissionem aliquorum peccatorum, praeter ea quae praecedunt Baptismum, quorum subtractio exigitur praecise ab ipsa distincta natura et indole utriusque sacramenti mortuorum.

2. *Doctrina et praxis Apostolorum* ostendit nulli peccato, aut peccatori veraciter poenitenti, ecclesiasticam reconciliationem denegari.

Consentaneum quippe fuit ut Apostoli, inde ab initio suae praedicationis et ministerii, collatam sibi remissivam potestatem in tota sua amplitudine, qualiter ab ipso Christo significabatur, intelligerent et applicarent. Quamvis, ob rationes adductas in art. 1 (tom. 1, p. 86), hujus applicationis nonnisi pauca ac dissita habeamus documenta, si nempe loquamur de distinctis et explicitis documentis qualia inveniuntur in posteriori aetate cum periodo apostolica per viam generationis intime connexa, ex generali tamen modo sentiendi et agendi primorum interpretum Evangelii, manifeste repellitur Rationalistarum calumnia de Ecclesia societate sanctorum, a qua excluderentur peccatores et in qua nullum exerceretur reconciliationis ministerium aut ad quaedam leviora peccata coarctaretur.

Imprimis nihil ex Apostolorum Actibus et Epistolis evidentius, extitisse inde ab initio in Ecclesia plures gravesque peccatores, et peculiariter impudicos et haereticos seu apostatas. Secundo, exercitium potestatis clavium intime contextum apparet cum toto ministerio Apostolorum, quod a Paulo definitur "ministerium reconciliationis" et "verbum reconciliationis" (2 Cor. 5, 18–20), ut ostensum est in art. 1 (tom. 1, p. 86–90). Tertio, ab hac reconciliatione quemquam excludi numquam Apostoli significant, sed e converso ad eam omnes indiscriminatim peccatores appellant, et nominatim impudicos et apostatas, seu reos illorum peccatorum quae tam ab antiquis Montanistis et Novatianis, quam a modernis Rationalistis, irremissibilia dicuntur.

S. Petrus in 2a Epistola, postquam severe invehitur contra *apostas* et *impudicos*, i.e. "magistros mendaces", quorum "multi sequuntur luxurias" (2, 1 sq., cf. 3, 3), de quibus ait quod "melius erat illis non cognoscere viam justitiae, quam post agnitionem retrorsum converti

ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato” (2, 21), generaliter et absque restrictione asserit quod Deus “patienter agit . . . nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti” (3, 9). Quod si damnat Ananiam et Saphiram, reos malitiosae fraudis (Act. 5, 1 sqq.), et reicit Simonem magum, reum non tam ipsius magiae quam sacrilegae aestimationis divini doni (Act. 8, 20–23), potestatem ligandi potiusquam solvendi in eos exercet non ratione ipsius peccati, sed ratione manifestae indispositionis peccatoris (Act. 8, 21: “Cor enim tuum non est rectum coram Deo . . . ; in obligatione iniquitatis video te esse”).

S. Paulus, in 2 *Ep. ad Cor. 12, 20 sq.*, eandem ligandi atque solvendi potestatem ostendit in varia peccata, nominatim *impudicitiae*: “Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos; et ego inveniar a vobis qualem non vultis: ne forte contentiones, aemulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrations, inflationes, seditiones sint inter vos; ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt *et non egerunt poenitentiam* super immunditia et fornicatione et impudicitia, quam gesserunt.” *Ibid. 13, 1–10* hortatur generaliter peccatores ut respiciant ne “si venero iterum, non parcam . . . [sed] durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem.” In *Ep. ad Galatas*, commemoratis et reprobatis multis delicis quae ex spiritu carnis procedunt, et nominatim impudicitia, idolorum servitute et homicidio (5, 19–21), addit: “Fratres, etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spiritualis estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis” (6, 1), significans praedicta peccata a venia non excludi. In *prima epistola ad Timotheum* ostendit quidem exercitium potestatis ligandi contra eos qui “*circa fidem naufragaverunt*, ex quibus est Hymenaeus et Alexander, quos tradidi Sathanae, ut discant non blasphemare” (1, 19 sq.), sed in *secunda epistola* simul ostendit haereticos (ut “Hymenaeum et Philetum, qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem esse jam factam et subverterunt quorundam fidem”, 2, 17 sq.) nequaquam excludi ab ecclesiastica reconciliatione, inducens pastorem “corripientem eos qui resistunt veritati, nequando [i.e. siquando, juxta graecam lectionem μήποτε] Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et respiciant” (2, 25 sq.). Haec peccatoris indispositio, non vero ipsa gravitas ullius peccati, est ratio quare in prima epistola admoneat Timotheum ne facilem concedat reconciliationem, inquires: “Manus cito nemini impositionis neque communicaveris peccatis alienis” (5, 22),⁸² unde inepte

⁸² Ut dictum est, cum Galtier, in art. 1, tom. 1, p. 89 sq. (cf. etiam *D'Alès, L'édit de Calliste*, p. 43 sq.), probabiliter haec verba exponi possunt de poenitentiali manuum impositione, etsi plures exegetae (cf. Knabenbauer in h. l.) ea exponant de impositione

Tertullianus (De pud. 18, M.L. 2, 1069) et *Novatiani* haec verba pro se invocant, ut contra istos observat Pacianus, inquiens: "Paulus Apostolus dixit: 'Manus cito nemini imponas' (I Tim. V, 21). Docet idem: vel tarde, vel post poenitentiam non negandas" (Ep. 3, 9, M.L. 13, 1076; cf. Paraen. ad poenit. 8, ibid. 1086).

Ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 87 sq.), insignis casus exercitii potestatis tum ligandi tum solvendi, et quidem quoad gravissimum *peccatum incestus*, habetur in utraque epistola ad Corinthios (1 Cor. 5, 3-5 coll. cum 2 Cor. 2, 6-11), si, juxta communiorem et probabiliorum opinionem exegetarum, in utroque loco agatur de eodem homine incestuoso, quem Apostolus in priori loco ligat et excommunicat, in altero vero a peccato et a censura absolvit; cujus interpretationis legitimitatem ostendit parallelismus utriusque loci et similis modus agendi Apostoli erga alios gravissimos peccatores, tam impudicos quam apostas, uti supradictos Hymenaeum et Alexandrum, quos S. Paulus dicit se tradidisse Satanae, sicut tradiderat incestuosum Corinthium, quosque tamen supponit ad reconciliationem reduci posse (cf. supra 1 Tim. 1, 19 sq.; 2 Tim. 2, 17 sq.). Hanc interpretationem admiserunt olim omnes Patres (uno excepto Tertulliano) et communiter posteriores exegetae, atque approbant frequentiores moderni, inter quos Cornely, Jacquier, Fillion, Belser, Prat. Aliam interpretationem, distinguentem inter duos homines et casus, dant quidam a catholici, ut Sabatier, Robertson, Sanday, Bachmann, quibus consentiunt pauci moderni catholici, uti Le Camus, Lemonnyer et Toussaint;⁸³ eamque olim traderat *Tertullianus* Montanista ut comprobaret suam thesim de deneganda venia peccato impudicitiae, scribens: "Novimus plane et hic suspensiones eorum [i.e. catholicorum]. Revera enim suspicantur apostolum Paulum, in secunda ad Corinthios (II Cor. II, 5-11), eidem fornicatori veniam dedisse, quem in prima dedendum Satanae in interitum carnis pronuntiavit (I Cor. V, 3 et seqq.) . . . [Dico] illud . . . Apostoli dictum, 'Sufficiat ejusmodi homini increpatio ista quae a multis' (II Cor. II, 6), non in fornicatoris personam convenire. Si enim dedendum Satanae pronuntiaverat in interitum carnis, utique damnaverat eum magis, quam increpaverat. Alius ergo erat, cui voluit suffi-

manuum ad conferendum ordinem sacerdotalem. In priori significatione ea verba in medium protulerunt, in hac ipsa controversia, tum Tertullianus (De Pud. 18) et Novatiani (apud Pacianum), ut inde arguerent catholicos, tum ipse Pacianus ut eos defendat.

⁸³ Exaggerat *Batifol* cum scribit: "[D'Alès] se plaît à rappeler l'incestueux de Corinthe, et, sans tenir compte de l'interprétation de Tertullien à laquelle sont revenus les exégètes critiques de nos jours, et selon laquelle le chrétien que saint Paul pardonne (II Cor. II, 5), n'est pas l'incestueux qu'il a solennellement condamné ailleurs (I Cor. V, 5), le R. P. D'Alès écrit que l'opinion la plus commune 'estime que l'incestueux a été réconcilié' par saint Paul. Non, ce n'est pas acquis" (in Bulletin de littérature ecclésiastique, 1906, p. 346).

cere increpationem; siquidem fornicator non increpationem de sententia ejus retulerat, sed damnationem . . . Etiamsi [ceteroquin] pro certo Apostolus Corinthio illi fornicationem donasset, esset aliud quod semel contra institutum suum pro ratione temporis faceret. Circumcidit Timotheum solum, et tamen abstulit circumcisionem" (De Pud., c. 13. 14. 17, M.L. 2, 1055. 1059. 1068).

Ceterum quidquid sit de hac quaestione exegetica, saltem manifestum est in 2 Cor. 2, 6-11, Apostolum condonare magnum aliquod peccatum, quodcumque sit illud peccatum et quicumque esse dicatur ille homo; nam S. Paulus loquitur de "multa tribulatione et angustia cordis . . . per multas lacrimas", qua ipse ratione illius peccati affectus fuerat, et de periculo "abundantioris tristitiae" qua ille homo affectus fuisset si a reconciliatione exclusus esset.⁸⁴

Jacobus in sua Epistola, generaliter commemoratis et reprobatis variis gravibusque peccatis, ut bellis et litibus, variis concupiscentiis (4, 1-4), errore a veritate (5, 19), absque ulla restrictione docet peccatores reconciliari posse: "Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam ejus a morte et operiet multitudinem peccatorum" (5, 19 sq.). Commemorato ipso sacerdotali ministerio in infirmos, generaliter ait: "Et si in peccatis sit, remittentur ei" (5, 15); nec refert quod in his verbis agatur de sacramento Extremae Unctionis, nam ipsa saltem ostendunt sacramentale Ecclesiae ministerium in remissionem peccatorum, nulla adjecta peccatorum designatione aut exclusione; ceterum, immediate ibidem conjungitur allusio ad ipsum sacramentum Poenitentiae: "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra et orate pro invicem, ut salvemini" (5, 16).

Joannes in Apocalypsi, commemoratis variis ecclesiarum peccatis, plus minusve gravibus, omnes peccatores invitat ad poenitentiam ("age poenitentiam": 2, 5. 16. 21. 22; 3, 3. 19). Veniam praeterea pollicetur ipsis capitalibus peccatis *impudicitiae* et *idololatriae*: "Angelo Thyatirae ecclesiae scribe: . . . Permittis mulierem Iezabel, quae se dicit prophetem, docere et seducere servos meos, fornicari et manducare de idolothytis. Et dedi illi tempus, ut poenitentiam ageret, et non vult poenitere a fornicatione sua. Ecce mittam eam in lectum, et qui moechantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi poenitentiam ab operibus suis egerint" (2, 18. 20-22). *Clemens Alexandrinus* (Quis dives salvetur, 42) refert Joannem reconciliasse latronem quandam

⁸⁴ Cf. *Cornely*, In Ep. ad Cor. altera et ad Galatas, Parisiis, 1909, p. 59-70; *D'Alt*, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 41-43; *Pesch*, De Poenitentia, n. 46.

(reum proinde variorum delictorum quae in statu latrocinii committi solent, et verisimiliter homicidii) "spondens . . . veniam se illi a Salvatore nactum esse". Textum, qui refertur etiam ab Eusebio (Hist. eccl. 3, 23), citavimus in art. 1, tom. 1, p. 96.

Obici solent, jam inde a Montanistis et Novatianis, tum verba Pauli (Hebr. 6, 4-6; 10, 26) et Joannis (1 Ep. 5, 16) *de peccato irremissibili*, sed ea verba, ut dictum est supra (p. 342), non sunt directe ad rem; tum *statutum Conc. Hierosolymitani* (Act. 15, 29), quo videntur proscribi tria peccata capitalia, i.e. idololatria ("immolata simulacrorum"), homicidium ("sanguis") et impudicitia ("fornicatio"), sed haec objectio fundatur primo in incerta, imo improbabili, textus lectione, in qua supprimitur vox "suffocatum" quae habetur in praecipuis codicibus; secundo, in magis adhuc improbabili interpretatione istius lectionis, juxta quam immolatum simulacrorum significet peccatum idololatriae vel apostasiae, et sanguis significet homicidium; tertio, in falso supposito quod, concessa hac interpretatione seu quod agatur de prohibitione trium capitalium peccatorum, sequatur inde haec peccata esse irremissibilia, cum aliud sit prohibere et aliud irremissibile declarare.

Ad quorum intelligentiam haec advertē⁸⁵ de *SIC DICTO DECRETO APOSTOLICO*, quod attentionem quorundam Liberalium peculiariter attraxit in connexionem cum praesenti quaestione.

Decretum sic refertur in *Vulgata, Act. 15, 28 sq.*: "Visum est enim Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria: ut abstineatis vos ab *immolatis simulacrorum* et *sanguine* et *suffocato* et *fornicatione*, a quibus custodientes vos bene agitis.

⁸⁵ *Knabenbauer*, Commentarius in Actus Apostolorum, Parisiis, 1928, p. 271 sq.

Coppiniers, De historia textus Actuum Apostolorum, Lovanii, 1902, p. 74-92; art. Le décret des Apôtres, in *Revue Biblique*, 1907, p. 34-58; 218-239.

G. Resch, Das Aposteldecree nach seiner ausserkanonischen Textgestaltung untersucht, Leipzig, 1905.

A. Harnack, Das Aposteldecree und die Blassische Hypothesen, in Sitzungsberichte d. k. Akad. d. Wissensch., 1899, p. 162; Die Apostelgeschichte, 1908, p. 190.

Chase, The credibility of the book of the Acts of the Apostles, London, 1902, p. 96-98.

Rose, Les Actes des Apôtres, Paris, 1904, p. 151.

Esser, Das Indulgenzdekret des Papstes Kallistus, in Theologische Quartalschrift, 1906, p. 25.

Batiffol, Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1906, p. 85 sq.

Leclercq, in Histoire des Conciles (Hefele-Leclercq) (nouvelle traduction française), t. I, deuxième partie, Appendice I, Paris, 1907, p. 1060-1068.

W. Sanday, The Apostolic Decree, Leipzig, 1908.

K. Six, Das Aposteldecree. Seine Entstehung und Geltung in den ersten vier Jahrhunderten, Innsbruck, 1912.

D'Alès, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 200-203.

O. D. Watkins, A History of Penance, vol. 1, London, 1920, p. 11-14.

E. Jacquier, Les Actes des Apôtres, Paris, 1926.

A. Lemonnyer, art. Concile de Jérusalem, in Dict. de la Bible, Supplément, col. 113-120.

Valete." Idem bis iterum occurrit in Actibus sub eadem forma, i.e. immediate antea, Act. 15, 19 sq., ubi Petrus alloquens concilii membra, ait: "Ego iudico non inquietari eos qui ex gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos ut absterneant se a contaminatione simulacrorum et fornicatione et suffocatis et sanguine", et inferius, Act. 21, 25, cum Jacobus confirmat coram Paulo praedictum decretum, inquit: "De his autem, qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus iudicantes ut absterneant se ab idolis immolato et sanguine et suffocato et fornicatione."

Hujus textus *duplex forma in fontibus invenitur*, quod attinet ad numerum rerum prohibitarum: in una referuntur 4 res, i.e. immolata simulacrorum, fornicatio, sanguis, suffocatum; in altera referuntur tantum tres priores, suppresso suffocato (et quandoque additur generale praeceptum charitatis, seu absterneendi a peccatis contra proximum; ita in Codice Bezae: "Et quae volunt non fieri sibi aliis non faciatis"; cf. Irenaeum et Cyprianum, infra cit.). Prior forma extat praeterquam in versione vulgata, in numerosioribus et principalioribus codicibus, necnon apud Patres orientales; altera extat in quibusdam manuscriptis, praecipue in Codice D (i.e. Codice Bezae, graeco-latino), et apud plures Patres latinos, i.e. Irenaeum, Tertullianum, Cyprianum, Pacianum, Pseudo-Ambrosium, Hieronymum, Augustinum et Fulgentium. Prior lectio multo majori inde gaudet auctoritate et ut originalis accipitur communiter a catholicis exegetis; altera lectio habetur ut originalis a quibusdam eruditis protestantibus, praecipue a *G. Resch* qui peculiariter de hac re inquisivit (cf. infra in textu Watkins), quem secutus est *Harnack* et benigne iudicat *Watkins*.

Ad interpretationem quod attinet, tres tantum ex praedictis Patribus legunt in illis verbis tres praescriptiones morales seu prohibitiones trium peccatorum capitalium, scilicet Tertullianus, ut inde conetur confirmare suam thesim de irremissibilitate trium illorum peccatorum, Pacianus, ut inde ostendat gravitatem illorum et difficultatem ea expiandi, Cyprianus, ut inde ostendat jugum novae legis esse leve eo quod ea tantum imponat quae aliunde oporteret necessario servare. Ceteri vero Patres vident in illis verbis praescriptiones caeremoniales, saltem quod attinet ad immolata simulacrorum et sanguinem; et quidem Pseudo-Ambrosius accipit sanguinem pro suffocato, explicite reiciens sensum homicidii et additionem suffocati, asserensque hanc additionem introductam esse a Graecis sophistis; Hieronymus explicite ait ibi agi de praescriptionibus legis mosaicae, addens in nonnullis codicibus inveniri etiam quartam praescriptionem de suffocato (quam ceteroquin lectionem ipse secutus est in sua versione Vulgata); Augustinus simi-

liter loquitur de caeremonialibus praescriptionibus, accipiens sanguinem pro suffocato, sed memorans aliquos sanguinem intelligere de homicidio; Fulgentius nullam explicationem apponit sed tantummodo citat ea verba inter varia testimonia de divinitate Spiritus S. Ceterum ipse Tertullianus, cum ait: "Interdictum enim sanguinis multo magis humani intellegemus", significat se bene nosse aliam interpretationem quae intelligit "sanguinem" non pro homicidio sed pro esu sanguinis seu suffocati, quamque et ipse alibi dederat in duplici indirecta allusione, i.e. in Apologetico, 9 (opere catholico) et De monogamia, 5 (opere montanistico); unde videtur potius Tertullianus voluntarie divertere sensum verborum ad priorem interpretationem, ut inde confirmet suam thesim de irremissibilitate trium illorum peccatorum; propterea etiam immutat ordinem illorum, nam dum omnes alii textus referunt fornicationem in ultimo loco, ipse eam collocat inter idololatriam et homicidium, ut efficax reddat suum commentum quod subicit: "Sufficit et hic servatum esse moechiae et fornicationi locum honoris sui inter idololatriam et homicidium".

Catholici exegetae vident in eo decreto meras *praescriptiones caeremoniales*, saltem quod attinet ad prohibitionem contaminationis simulacrorum, sanguinis et suffocati, quam intelligunt de prohibitione esus idolothorum (juxta 1 Cor. 8–10), esus sanguinis quem Judaei abhorrebant (Lev. 17, 11 sqq.) et esus animalium quorum sanguis per jugulationem non sit effusus; proscriptionem vero fornicationis alii intelligunt de praecepto morali prohibente impudicitiam, quae apud paganos vix pro culpa habebatur, alii vero de praecepto caeremoniali quo in lege mosaica prohibebantur matrimonia inter consanguineos et affines. Quidam vero acatholici (quorum plerique, uti Harnack, Renan et Loisy, negant ipsam decreti authenticam) vident in eo decreto tres praescriptiones morales seu prohibitionem trium capitalium peccatorum et inde originem repetunt severitatis antiquae ecclesiae denegantis veniam tribus illis peccatis; ita praecipue praedicti *Resch, Harnack et Watkins*.

IRENAEUS, Adv. haer. 3, 12, 14: "Placuit enim Sancto Spiritui, et nobis, nullum amplius vobis pondus imponere, quam haec, quae sunt necessaria: ut abstinatis ab idolothytis, et sanguine, et fornicatione; et quaecumque non vultis fieri vobis, aliis ne faciatis: a quibus custodientes vos ipsos, bene agetis, ambulantes in Spiritu Sancto" (M.L. 7A, 908 sq.).

TERTULLIANUS, De Pudicitia, 12: "Itaque isti quia alium Paracletum in apostolis et per apostolos receperunt, quem nec in Prophetis proprius agnitus, jam nec in Apostolis possident; age nunc, vel de apostolico instrumento maculas doceant carnis post baptismum respersae, poenitentia dilui posse: in apostolis quoque veteris legis formam salutamus, circa moechiae, quanta sit, demonstrationem; ne forte lenior existimetur in novitate disciplinarum, quam in vetustate. Cum primum intonuit Evangelium, et vetera concussit, ut de legis retinendae necne statu dis-

ceptaretur, primam hanc regulam de auctoritate Spiritus sancti Apostoli emittunt ad eos qui jam ex nationibus allegi coeperant: 'Visum est', inquit, 'Spiritu sancto et nobis, nullum amplius vobis adicere pondus, quam eorum a quibus necesse est abstinere, *a sacrificiis, et a fornicationibus et sanguine*, a quibus observando bene agitis' (Act. 28 et seqq.), vectante vos Spiritu sancto. Sufficit et hic servatum esse moechiae et fornicationi locum honoris sui inter idololatricam et homicidium: *interdictum enim sanguinis multo magis humani intelligemus*. Porro qualia videri volunt apostoli crimina, quae sola in observatione de lege pristina excerpunt, quae sola necessario abstinenda praescribunt? Non quod alia permittant, sed quod *haec sola proponant utique non remissibilia*, qui, ethnicorum causa, caetera legis onera remissibilia fecerunt. . . . *Hinc est quod neque idololatriae, neque sanguini, pax ab Ecclesiis redditur*. De qua finitione sua Apostolos excidisse, puto, non licet credere; aut si credere quidam possunt, debebunt probare" (M.L. 2, 1054 sq.).

CYPRIANUS, *Testim. adversus Judaeos*, l. 3, c. 119: "Item in Actibus apostolorum: 'Visum est sancto Spiritui et nobis nullam vobis imponere sarcinam quam ista quae ex necessitate sunt, abstinere vos *ab idololatriis et sanguinis effusione et fornicatione*. Et quaecumque vobis fieri non vultis, et aliis ne feceritis' (Act. XV, 8)" (M.L. 4, 810).

PACIANUS, *Paraen. ad poenit.* 4: "Cujus epistolae sententia haec fuit . . . 'Visum est enim sancto Spiritui et nobis, nullum amplius imponi vobis pondus praeter quam: Necesse est ut abstinere ab *idolothytis et sanguine, et fornicatione*: a quibus observantes, bene agitis. Valet' (Act. XV, 28, 29). Haec est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus, haec nobis capitalis periculi condicione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur: haec vero tria crimina, ut basilisci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt: non enim vitare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur; convicium satisfatione pensabitur; tristitia jucunditate; asperitas lenitate; gravitate levitas; honestate perversitas; et quaecumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placere Dominum desertor ipsius poterit; aut conservare sanguinem suum, qui fudit alienum; aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? *Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia*. Nunc audite Joannem, et confidite, an potestis: 'Si quis scit,' inquit, 'fratrem suum peccare peccatum non usque ad mortem, petat pro eo, et dabit illi vitam Dominus, si quis deliquit peccatum non ad mortem. Est autem peccatum quod ad mortem ducit: non pro eo dico, ut deprecetur' (I Joan. V, 16)" (M.L. 13, 1083 sq.).

PSEUDO-AMBROSIUS, *In ep. ad Galatas*, 2, 2: "Cum legem didissent non molestari eos, qui ex gentibus credebant: sed ut ab his tantum observarent, id est, *a sanguine et fornicatione et idololatria* (Act. XV, 29). Nunc dicant sophistae Graecorum, qui sibi peritiam vindicant, subtilitate ingenii se naturaliter vigere, quae tradita sunt gentibus observanda? Quae ignorabant, an quae sciebant? Sed quomodo fieri potest, ut aliquis ea discat, quae novit? Ergo *haec illicita esse ostensa sunt gentibus, quae putabant licere: ac per hoc non utique ab homicidio prohibiti sunt*, cum jubentur a sanguine observare. Sed hoc acceperunt, quod Noe a Deo didicerat, ut observarent se *a sanguine edendo cum carne* (Gen. IX, 4). Nam quomodo fieri poterat ut Romanis legibus imbuti, quorum tanta auctoritas in servandis mandatis est, nescirent homicidium non esse faciendum: quippe cum adulteros et homicidas, et falsos testes, et fures, et maleficos, et caeterorum malorum admissores puniant leges Romanae? Denique tria haec mandata ab apostolis et senioribus data reperiuntur, quae ignorant leges Romanae, id est, ut abstineant se ab idololatria, et sanguine, sicut Noe, et fornicatione. Quae sophistae Graecorum non intelligentes, scientes tamen a sanguine abstinendum, *adulterant*

Scripturam, quartum mandatum addentes, et a suffocato observandum: quod, puto, nunc Dei nutu intellecturi sunt, quia jam supra dictum erat, quod addiderunt" (M.L. 17, 365 sq.).

HIERONYMUS, auctor ipse Vulgatae versionis. *In ep. ad Galatas*, l. 2, c. 5: "In Actibus apostolorum narrat historia (Actor. XV, 5-20): cum quidam de circumcissione surgentes asseruissent eos qui ex gentibus crediderant, *debere circumcidi, et legem custodire Moysis*, seniores qui Hierosolymis erant, et apostolos pariter congregatos, statuissse per litteras, ne superponeretur eis jugum legis, nec amplius observarent, nisi ut custodirent se tantum *ab idololthytis, et sanguine, et fornicatione*, sive ut in nonnullis exemplaribus scriptum est, *et a suffocatis"* (M.L. 26, 422).

AUGUSTINUS, Contra Faustum, 32, 13: "In Actibus Apostolorum hoc lege praeceptum ab Apostolis, ut abstinerent Gentes tantum *a fornicatione, et ab immolatis, et a sanguine*; id est, ne quidquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt, sed a sanguine praeceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet. Hoc nunc discutere longum est, et non necessarium: quia et si hoc tunc Apostoli praeceperunt, ut ab animalium sanguine abstinerent Christiani, ne praefocatis carnis vescerentur, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem, et nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam Gentes . . . aliquid communiter observarent" (M.L. 42, 504).

In *Speculo de Scriptura Sacra*, S. Doctor refert textum secundum communem lectionem quatuor praeceptorum, illum sic commentans: "Ubi videmus Apostolos, eis qui ex Gentibus crediderunt, nulla voluisse onera veteris Legis imponere, quantum attinet ad corporalis abstinentiam voluptatis; nisi ut observarent *ab his tribus*, id est, ab eis quae idolis immolarentur, et a sanguine, et a fornicatione. Unde *nonnulli putant* tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam, et homicidium, et fornicationem . . . quasi non sint mortifera crimina quaecumque alia sunt praeter haec tria, quae a regno Dei separant, aut inaniter et fallaciter dictum sit, 'Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt' (I Cor. VI, 10)" (M.L. 34, 994; decretum ipsum bis refertur, ibid. 993 et 994).

FULGENTIUS, De fide catholica, 9: "Apostolus gentibus per Epistolam: 'Placuit,' inquit, 'Spiritui sancto, et nobis, non imponere vobis amplius quam ut abstineatis *ab idolis, a fornicatione, et sanguine*' (Act. XV, 39)" (M.L. 65, 716).

WATKINS sic exponit protestanticum commentum illius decreti: "For the purpose of the investigations of the present treatise [on a history of Penance] the Apostolic Decree becomes of great importance if the second presentation is the true one: that is to say, if the decree prohibits the three great offences of idolatry, impurity, and bloodshed. For these three offences are the capital or mortal sins of the early centuries. It will be shown farther on that at the close of the second century the Christian communities tended to regard these three sins as beyond the scope of the absolution of the Church in this present life; referring them to the Divine Judge at the last great day. It will be farther shown how one by one for each of these classes of sin the Church was led by urgent occasion to reclaim the prerogative of absolution even in this life which the Lord had committed to her exercise. First, by the decision of Callistus (c. A.D. 220) those guilty of sins of impurity, whether adultery, fornication, or other offences of the same class, were admitted to reconciliation after due penance performed. Next, after the Decian persecution (A.D. 250), the result of a long and vehement struggle was the absolution after penance of those guilty of apostasy and idolatrous practice. Last, and with no such clear note of time, the shedders of blood came within the scope of absolution. But these three great sins were to the early Christian community by eminence the capital or mortal sins. Other offences might be serious, and others again venial; but there were no offences to be placed in the same category with the three offences of idolatry, impurity, and bloodshed.

"In view of this historic development that presentation of the Apostolic Decree which shows it as prohibiting the three great capital sins becomes highly interesting. A detailed examination of all the evidence as to the original reading is not possible in the space here available, but those who wish to investigate the subject are referred to the careful and thorough monograph of Dr. *Gotthold Resch*, 'Das Aposteldecree nach seiner ausserkanonischen Textgestalt untersucht' (Leipzig, 1905). Broadly speaking, the manuscripts of the Eastern text, which include most of the Greek uncials, express the prohibition of things strangled, and thus give to the decree a form which makes it a dietary regulation, and points to the prohibition of blood, and of *εἰδωλόθωτα* in the same sense. For the other form the evidence is Western. It includes some manuscripts, as *Codex D*: while the evidence of several early writers indicates that this form was in vogue in their day and environment. Thus Irenaeus,⁸⁶ Tertullian,⁸⁷ Cyprian,⁸⁸ Pacian,⁸⁹ Augustine,⁹⁰ Jerome,⁹¹ Fulgentius,⁹² and the writer known as Ambrosiaster⁹³ all cite the decree in this form.

"The two acceptations of the decree are obviously not compatible with each other. A choice has to be made between them. In making it considerations of reasonableness may well have their weight. Why, it may be asked, should the Apostles, in the very decree which relieves the Gentile convert of the prime ceremonial requirement of circumcision, go out of their way to require a minor ceremonial observance as to food? Why, if their object was to indicate the irreducible minimum of ceremonial observance, did they add to their indication the mention of one moral offence, however great? This consideration led *Bentley* to suggest *πορκεία*, *pork*, as a more likely reading than *πορνεία*, *fornication*. Again, no one can more strongly condemn *pollutions of idols*, the idolatrous taint of what is actually forming part of an idolatrous sacrifice, than does S. Paul: yet in his judgment whatsoever is sold in the shambles may be bought without questions for the conscience' sake. The food itself, though it be an *εἰδωλόθωτον*, is not affected.

"The conclusion arrived at by Dr. Resch after an exhaustive inquiry is that the original form of the Apostolic Decree is the form which prohibits the three grave moral offences, idolatry, fornication, and bloodshed. It is interesting to know that he has persuaded Dr. *Harnack* to accept this conclusion. In his 'Apostelgeschichte' (1908) Dr. Harnack says: 'I have since come to another judgment. I may say in spite of much struggling and after long deliberation. I do not like correcting myself — and it is not the first time — but 'magis amica veritas' . . . The 'umschwung' ('volte-face') was brought about by the admirable and thorough treatment of the subject by Resch junior.'⁹⁴

"More space cannot here be given to this interesting inquiry. If the original form of the decree forbade the three great sins, which all early Christian history regarded as by eminence the capital sins, it is reasonable to conclude that the decree was largely responsible for the attitude of the Christian Church towards those sins. Certainly two at least of the Christian writers, Tertullian and Pacian, directly refer to the decree as a primary authority for this attitude of the Christian Church."⁹⁵

⁸⁶ Adv. Haereses, iii. 12, 14 (versio lat.).

⁸⁷ De Pudicitia, 12.

⁸⁸ Testimon. ad Quir., iii. 119.

⁸⁹ Paraenesis, c. 4.

⁹⁰ Contra Faustum, xxxii. 13.

⁹¹ In Gal. v, 2.

⁹² Pro fide catholica (P.L., LXV. 716).

⁹³ Com. in Gal. ii. 2.

⁹⁴ P. 190.

⁹⁵ A History of Penance, London, 1920, vol. 1, p. 11-13.

COPPIETERS sic ostendit formam orientalem textus esse formam originalem: "La question à résoudre par les presbytres de Jérusalem était celle-ci: les chrétiens sortis du paganisme, doivent-ils se faire circoncire et seront-ils obligés d'observer la loi mosaïque (Act., XV, 1, 5, 19-20, 23)? Le décret est évidemment la réponse des apôtres et de l'Eglise de Jérusalem à cette question. Par conséquent, si l'un des deux textes du décret constitue seul une réponse adaptée à la question posée, ce sera nécessairement le texte original du décret; la rédaction qui ne convient pas à la question sera interpolée. Or, le décret avec les quatre prohibitions constitue une réponse parfaite à la question à résoudre: les païens convertis ne devons pas observer la loi mosaïque, mais ils seront tenus seulement à observer quatre prohibitions ou strictement légales ou pouvant être rangées, par les intéressés, sur le même pied que les prescriptions légales. C'est là une solution parfaitement claire. "Examinons la signification du décret dans l'autre rédaction: les païens convertis ne devront pas observer la loi de Moïse, mais il s'abstiendront des pratiques idolâtriques, d'homicide, d'impureté, et ils ne feront pas à leur prochain ce qu'ils ne désirent pas qu'on leur fasse. Cette seconde partie répond-elle à la question controversée? Nous croyons qu'elle n'y répond pas. Ces décisions sont par trop évidentes. Et les païens convertis n'ont-ils rien d'autre à éviter: l'injustice, le vol, l'oisiveté, l'indiscipline et tant d'autres péchés contre lesquels saint Paul doit revenir bien souvent dans ses lettres? Il semble bien qu'à vouloir faire du décret un catéchisme moral, un résumé des principaux péchés à éviter par les chrétiens, l'on perd trop de vue l'occasion qui donna naissance au décret, la controverse entre chrétiens sur l'extension de la loi mosaïque aux païens convertis".⁹⁶

Ad haec verba Coppieters *LECLERCQ* addit: "Nous acceptons . . . comme primitive la rédaction orientale, mais alors comment justifier l'existence de la rédaction occidentale séparée de la précédente par un laps de temps si court? Dès la fin du Ier siècle et certainement dans la première moitié du IIe siècle le décret apostolique était tombé en désuétude. Les fidèles ne pouvaient dès lors concevoir que les apôtres se réunissent en concile à Jérusalem pour porter un décret devenu sitôt sans objet. On décida donc de donner à ce décret un autre sens et comme on n'y pouvait parvenir à cause de ce mot *πνικτὰ*, qui s'opposait à tout essai de spiritualisation, on se résolut à apporter quelques légers changements dans la seconde partie du décret à l'effet d'y introduire les principes fondamentaux de la morale chrétienne. L'omission des *πνικτὰ* et l'interpolation de la règle de charité suffisaient au but qu'on se proposait. Peut-être emprunta-t-on la règle de charité à la *Didaché* où elle figurait comme parole d'apôtres. Quoi qu'il en soit, on avait désormais un décret valant pour toutes les Eglises et pour tous les temps".⁹⁷

Probatur 2. *EX TRADITIONE*, seu ex sensu et praxi Ecclesiae. Haec probatio continetur in ipsa Conclusionem sequenti, qua intendimus resolvere supradictam (p. 300) quaestionem historicam de antiqua praxi Ecclesiae in reconciliatione lapsorum.

Conclusio 2. De facto nunquam universalis Ecclesia veniam simpliciter denegavit ulli peccato aut peccatori; nec probabilius denegare potuit, salva ejus inerrabilitate et indefectibilitate.

Probatur exponendo praecipua Traditionis documenta, juxta tres

⁹⁶ Revue Biblique, 1907, p. 50 sq.

⁹⁷ *Hejle-Leclercq*, Histoire des Conciles (nouvelle traduction française), t. 1, deuxième partie, Appendice I, Paris, 1907, p. 1067.

periodos quae distinctam notam in hac quaestione exhibere videntur, scilicet: I. *documenta saec. 2* (exactius a Didache ad Tertullianum), quae fluctuanti interpretationi subjacent; II. *documenta saec. 3* (exactius a Tertulliano ad initium saec. 4, seu fere ad tempus Conc. Nicaeni), quae maxime urgentur a supradictis eruditis adversariis ad ostendendam periodum denegatae veniae quibusdam peccatis; III. *documenta saec. 4-5* (a tempore Conc. Nicaeni ad Gelasium I), ex quibus illi aliique eruditi putant se ostendere posse denegatam veniam quibusdam peccatoribus, scilicet relapsis et quibusdam moribundis.

I. TRADITIO SAEC. II: A DIDACHE (90-100) AD TERTULLIANUM (160-222).

Ex textibus et factis jam allatis in art. 1 (tom. 1, p. 91-97) ad probandum ipsum exercitium potestatis clavium, haec apparent quod attinet ad praesentem quaestionem de extensione reconciliationis ab Ecclesia concessae peccatis et peccatoribus:

DIDACHE (90-100), 4, 15; 10, 6; 14, 1, exhortans fideles ad confitenda peccata ante communicationem Eucharistiae, nullam peccatorum discriminationem facit: "Confiteberis peccata tua", "Si quis non est [sanctus], poenitentiam agat".

CLEMENS R., I Ep. ad Cor. (96-98), directe aggressus grave peccatum seditionis, cognatum *apostasiae*, rebelles inducit ad poenitentiam et reconciliationem: "Vos itaque, qui seditionis fundamenta iecistis . . . correctionem suscipite in poenitentiam" (57, 1).

EPISTOLA BARNABAE (96-98), 19, 12, sicut Didache, nullam restrictionem apponit confessioni peccatorum et purificationi conscientiae malae.

IGNATIUS ANT. († 107), *Ep. ad Philad.* 3, 2; 8, 1, vitam in Christo positive promittit "quotquot poenitentia ductis redierint ad unitatem ecclesiae", addens "omnibus poenitentibus remittere Deum, si se convertant . . . ad communionem cum episcopo". Praeterea in eo regressu ad unitatem ecclesiae et conversione ad communionem cum episcopo fit manifesta referentia ad peccatum *haeresis et apostasiae*, a quo Ignatius immediate ante (2, 1 sq.) fideles avertere conatur, monens ut "fugiant divisionem et pravas doctrinas" et "multos lupos . . . [qui] perniciosius voluptatibus eos capiunt". Nec refert quod addat hos lupos "in vestra concordia non habere locum", nam ex contextu intelligitur donec "poenitentia ductos redierint ad unitatem ecclesiae".

POLYCARPUS, Ep. ad Philip. (circa 107) monet "presbyteros

[ut] sint . . . misericordes *erga cunctos* . . . non severi nimium in iudicio" (6, 1). Loquens de Valente, presbytero praevaricatore, exhortatur fideles ad vitanda peccata avaritiae, *impudicitiae* et *idololatriae*, indirecte alludens ad peccata in qua ille lapsus erat, et tandem exoptat ejus poenitentiam: "Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos. . . Moneo itaque, ut abstineatis vos ab avaritia et sitis casti et veraces. . . Si quis non se abstinerit ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur. . . Valde ergo, fratres, contristor pro illo et pro coniuge eius, quibus det dominus poenitentiam veram. Sobrii ergo estote et vos in hoc; et non sicut inimicos tales existimetis, sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate" (11, 1-4, Funk, 1, 309-311).

PSEUDO-CLEMENS ROM., II Ep. ad Cor. (circa medium saec. 2), 8, 1-3, nullum peccatum excludit a venia quamdiu in hoc mundo sumus: "Quamdiu ergo in terris fungimur, poenitentiam agamus. Lutum quippe sumus in manu artificis; quemadmodum enim figulus, si vas fecerit illudque in manibus eius distortum fuerit aut contritum, rursus illud refigit, sin vero illud in fornacem ignis mittere praefiniverit, non amplius ei succurret: ita et nos, quamdiu in hoc mundo sumus, peccatorum, quae in carne gessimus, ex toto corde poenitentiam agamus, ut a domino salvemur, dum poenitentiae tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius possumus ibi confiteri aut poenitentiam agere" (Funk, I, 193-195). Ipsa oppositio inter non remissionem in altero mundo et remissionem in praesenti, implicat hanc, sicut illam, ad quaelibet peccata sese extendere.

JUSTINUS, Dialogus cum Tryphone (circa 150-155), 47: "Qui postquam confessi fuerint et agnoverint hunc esse Christum, quacumque de causa ad legis observationem traducti negaverint hunc esse Christum, *nec poenitentiam ante mortem egerint*, nullam iis salutem fore assevero. . . Qui poenitentiam peccatorum agit, eum benignitas et humanitas Dei et immensitas divitiarum ejus, quemadmodum per Ezechielem declarat, perinde ac justum et peccato carentem habet" (M.G. 6, 578 sq.). Hic asseritur poenitentibus remitti quodlibet peccatum, et in particulari etiam apostasiam. Ex quibus patet quam inepte *Funk* (Zur altchristlichen Bussdisziplin, p. 173) negationem reconciliationis postbaptismalis deducat ex sequentibus verbis, Dial, 44: "Elaborare oportet, ut cognoscatis quam via ad remissionem peccatorum et spem haereditatis promissorum bonorum perveniat. Alia autem non est, nisi haec, ut hunc Christum agnoscentes, ac illo ad peccatorum remissionem baptismo, quem Isaias praedicavit, abluti sine peccato deinceps vivatis" (ibid., 571).

DIONYSIUS, Corinthius episcopus (medio saec. 2), teste Eusebio (Hist. eccl. 4, 23, 6), scripsit epistolam ad ecclesiam Amastris in Ponto, in qua "multa de nuptiis et castitate praecipit et eos qui ex quocumque lapsu sive delicto, sive etiam ab haeretico errore, convertantur, suscipi iubet" (M.G. 20, 286). Agitur de ecclesiastica reconciliatione concedenda omni prorsus delicto, etiam *haeresi*, et peculiariter peccatis *impudicitiae*, ut patet ex connexo sermone de praeceptis circa nuptias et castitatem. Inepte *Vacandard* opponit: "Le texte de saint Denys de Corinthe, posant en principe qu'il faut recevoir à pénitence tous les pécheurs, vaut pour son église, et il témoigne en même temps que sa règle n'était sans doute admise partout."⁹⁸ Nonne ex his quae observantur in variis ecclesiis jure merito colligitur sensus et praxis universalis Ecclesiae?

IRENAEUS, in opere *Adversus haereses* (circa 185), loquens de peccatis *impudicitiae* et *apostasiae*, docet ea esse causam damnationis his qui in eis permanent nec poenitentiam agunt: "Is qui remanserit in praedictis carnis operationibus, carnalis vere deputatus, eo quod non assumat Spiritum Dei, regnum non poterit possidere coelorum" (5, 11, 1, M.G. 7, 1150). "Ignis aeternus . . . praeparatus est ex sua voluntate abscedenti a Deo, et omnibus qui sine poenitentia perseverant in apostasia" (5, 26, 2, ibid. 1195). Generaliter docet Deum "justis . . . quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex poenitentia, vitam donare" (1, 10, 1, ibid. 551). Narrat quoque exomologesin factam Romae ab *haeretico* Cerdone (3, 4, 3) et in Gallia in regione Rhodanensi a quibusdam mulieribus "cauteratas conscientias habentibus" ob peccata apostasiae et praesertim *impudicitiae* (1, 13, 7, cit. in art. 1, tom. 1, p. 96; cf. dicta in art. 36, tom. 2, p. 393; art. 43, ibid., p. 753; art. 45, ibid., p. 969).

Hic apparent prima indicia cujusdam proprie dictae disciplinae poenitentialis, seu illius publicae poenitentiae quae, sub nomine exomologesis, regulariter observata est saec. 3. In quo constiterit poenitentia praedictarum impudicarum mulierum, et utrum reconciliationem non nisi in fine vitae consecutae fuerint, non apparet, etsi Irenaeus (1, 13, 5) testetur cujusdam diaconi uxorem, a praestigiatore Marco corruptam, subinde in lacrimis et lamentatione "per omne vitae tempus" exomologesim fecisse.

Inepte *Batiffol*, ad infirmandum testimonium Irenaei scribit: "La doctrine de saint Irénée n'était pas différente [i.e. admittebat reservationem trium capitalium peccatorum], témoin le texte qu'il lisait de Act. XV, 28-29, le même qu'a connu saint Cyprien, le même qu'a

⁹⁸ Tertullien et les trois péchés irrémisibles, in *Revue du Clergé Français*, 50 (1907), p. 128.

connu Tertullien. On ne doit pas dire, comme le R. P. d'Alès, que saint Irénée 'semble' n'avoir pas refusé la réconciliation ecclésiastique à des femmes revenues de honteux désordres, car il ne 'semble' pas que ces femmes aient été admises à autre chose qu'à faire pénitence".⁹⁹ Ex S. Doctoris interpretatione Act. Ap. 15, 28 sq., nihil sequitur, nam ea lectio et interpretatio refertur etiam a Cypriano et ab ipso Paciano (cf. supra, p. 348), qui tamen reservationem peccatorum non admittunt. Arbitrarie Batiffol fingit praefatas mulieres peccatrices fuisse admissas ad poenitentiam absque spe reconciliationis.

CLEMENS ALEXANDRINUS (circa 150–211) ad terminum hujus aetatis, quo tempore Tertullianus in haeresim labebatur (213), quorumlibet peccatorum veniam asserebat: "Charitas operit multitudinem peccatorum. . . Si quis illam in animum susceperit, quamvis peccatis obnoxius sit, quam multa illicita perpetraverit, adaucta charitate puraque adhibita poenitentia, errata sua corrigere potest" (Quis dives salvetur, 38, M.G. 9, 643). Ipse quoque Clemens nobis transmisit episodium latronis, quem Joannes Apostolus ad pacem Ecclesiae reduxit (cf. supra, p. 346 sq.).

Ad hanc periodum pertinent PLURA FACTA ecclesiasticae reconciliationis, concessae praesertim peccatis *haeresis et apostasiae*, narrata ab Irenaeo, Tertulliano et Eusebio, quae retulimus in art. 1 (tom. 1, p. 96 sq.), seu reconciliationis mulierum a Gnosticis depravatarum (Irenaeus; cf. supra, p. 356), haeretici Cerdonis (Irenaeus), haeticorum a Polycarpo conversorum (Irenaeus), Marcionis (Tertullianus), Confessorum lugdunensium (Eusebius), Natalis haeretici theodotiani (Eusebius).

Ad casum istius Natalis haeretici opponit *Batiffol* in eo non agi de reconciliatione apostatae, seu de venia concessa peccato apostasiae, sed tantum de reconciliatione haeretici: "La faute de Natalis, un confesseur, était d'être passé à la secte de Théodote et d'avoir accepté d'y être fait évêque. Il est réconcilié comme un hérétique pouvait l'être. Son cas est très différent du cas d'un apostat".¹ Cui apte respondet *Galtier*: "Natalius . . . dicitur ab ipso *Anonymo* [apud Eusebium, Hist. eccl. 5, 28] ita fuisse 'extra Ecclesiam' ut 'periturus' fuisset. . . Et, re vera, non haeticus simpliciter seu in haeresi baptizatus, sed *apostata* erat et quidem ad haeresim, quam *anonymus* dicit *ἀπρωσίθεον*, id est negantem Christum esse Deum. Jamvero haeticus apostatae, posteriori saltem aetate, quoad poenitentiam et reconciliationem, assimilabantur reis 'capitalium peccatorum', ita ut, non per solam manus impositionem sicut haeticus simplices, sed post 'humiliorem'

⁹⁹In Bulletin de littérature ecclésiastique, 1906, p. 347. ¹Ibid., p. 247, in nota.

tantummodo poenitentiam admitterentur ad communionem. Poenitentia porro, qua Natalius dicitur 'communionem' impetrasse, adeo refert imaginem humilioris illius, quam Tertullianus describit, poenitentiae ut jure dicas eum restitutum esse Ecclesiae ad modum veri apostatae"²

De reconciliatione Natalis haec *ex Anonymo refert Eusebius*, Hist. eccl. 5, 28 (conferenda cum descriptione quae de publica poenitentia exhibetur a Tertulliano, De Poen. 9, 3 sq.; 10, 6; De Pud. 13, 7): "Erat quidam Natalis nomine, confessor, qui non ita pridem, sed nostra aetate vixit. Hic forte in fraudem inductus est ab Asclepiodoto et altero quodam Theodoto argentario. . . Hi persuaserunt Natali, ut, accepto salario, *haeresis illius episcopus crearetur*, ea scilicet conditione, ut menstruos centum quinquaginta denarios ab illis acciperet. Sociatus igitur illorum partibus, saepe a Domino corripiebatur in somnis. Clementissimus enim Deus ac Dominus noster Jesus Christus, eum qui passionum suarum testis exstiterat, perire extra Ecclesiam nolebat. Sed cum nocturnas ejusmodi visiones negligeret Natalis, utpote honore primae apud illos sedis, et turpis lucri cupiditate, quae multis mortalibus exitio est, inescatus, tandem a sanctis angelis per totam noctem flagris caesus et gravissime verberatus est. Adeo ut primo diluculo consurgens, saccum induerit, et cinere conspersus confestim cum lacrymis ad pedes Zephyrini episcopi sese abjecerit, non solum cleri, verum etiam saecularium vestigiis advolutus; et Christi misericordis Ecclesiam ipsam quoque misericordem fletibus suis commoverit atque concusserit. Multisque precibus usus, ostensis etiam vibicibus plagarum quas pro Christi confessione pertulerat, vix tandem ad communionem admissus est" (M.G. 20, 514 sq.).

HERMAE DOCTRINA (circa 140–155), quae est praecipuum documentum poenitentiale saec. 2, sufficienter exposita est in art. 1 (tom. 1, p. 93–96), ubi etiam notavimus duplicem eruditorum controversiam, an Hermas revera admiserit poenitentiam postbaptismalem et quo sensu dicat hanc semel tantum concedi.³

Ad praesentem quaestionem quod attinet, recole quod ex una parte Hermas connectit poenitentiam actam coram Deo cum ipsa ecclesiastica reconciliatione⁴ et ex alia parte veniam promittit generatim omnibus poenitentibus, et nominatim *impudicis et apostatis*.

² De Poenitentia, Parisiis, 1931, p. 154 sq.

³ Si plura cupis tum de ipsa Hermae doctrina, tum de obscuris et allegoricis expressionibus quibus ipsa involvitur (*D'Alès*: "Tout est mystérieux dans ce petit livre: la personne de l'auteur, la composition et le symbolisme des images"), a deas *D'Alès*, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 52–113, quem abbreviant *D'Alès*, De Poenitentia, Parisiis, 1926, p. 17–21 et *Galtier*, De Poenitentia, n. 226–233, Parisiis, 1931, p. 155–162.

⁴ Cf. art. 1, tom. 1, p. 95 sq. Ad rem breviter *D'Alès*: "Pour nous en tenir à Hermas, nous croyons que ni le symbolisme de la tour, ni le parallélisme des deux pénitences

Sim. 8, 11, 3: “Quotquot . . . ex toto corde suo poenitentiam egerint . . . remedium peccatorum priorum a domino accipient” (Funk, 1, 575). *Vis. 2, 2, 2-4*: “Adiecerunt peccatis suis libidines et compositiones nequitiae. . . Postquam autem iis nota fecisti haec verba . . . , tunc remittuntur illis peccata omnia, quae ante peccaverunt” (ibid. 427). *Mand. 4, 1, 10*: “Potest enim in eiusmodi rebus [i.e. moechia et adulterio] paenitentia esse” (ibid. 477). *Sim. 9, 21, 3 sq.*: “Cum tribulationem audierint, ob ignaviam suam redeunt ad simulacra et erubescunt in nomine domini sui. . . Sed hi quoque, si cito paenitentiam egerint, poterunt vivere” (ibid. 617). *Sim. 9, 26, 5*: “His igitur paenitentia est, si non ex praecordiis inventi fuerint denegasse; si vero ex praecordiis inventus quis fuerit denegasse, nescio, an possit vivere” (ibid. 623).

Hanc Hermæ doctrinam alii aliter judicant; quidam enim in ea vident rigorismum, alii laxismum; quidam nullam in ea deprehendunt innovationem, alii innovationem fingunt et quidem aut in sensu rigorismi aut in sensu indulgentiae. Nec ceterum omnes constantes sunt in sua affirmatione.

TERTULLIANUS Hermam improperat ut novatorem laxistam (De Pud. 10: “Scriptura Pastoris, quae sola moechos amat”; 20: “Pastor moechorum”), ex quo etiam ostenditur catholicos, quos Tertullianus impugnat, Hermæ doctrinam ut indulgentem considerasse.

FUNK assumit Hermam ut rigoristam (imo ei affigit negationem omnis poenitentiae postbaptismalis) et initiatorum illius severae disciplinae quae initio saeculi 2 coepit infringi per decretum Callisti.

BATIFFOL scribit: “Si répandue qu’ait pu être cette morale ascétique [i.e. le courant rigoriste du deuxième siècle] il est incontestable qu’à côté d’elle . . . s’affirmait une morale sensiblement différente, qui a trouvé dans le Pasteur d’Hermas son expression la plus autorisée. . . La rapidité avec la quelle le Pasteur se répandit . . . , la persistance du crédit qu’on lui attribua, prouvent que la doctrine du Pasteur répondait à des sentiments réels et communs. . . La doctrine essentielle d’Hermas est bien de réagir contre le rigorisme en le ménageant, de conserver ses préceptes en les interprétant avec bénignité, et d’autre part d’affirmer la vertu du repentir. . . L’adultère, le meurtre, l’apostasie, ces trois fautes qui plus tard constitueront de véritables cas réservés, ne sont pas exclus du bénéfice du pardon. . . En dépit de [quelques] . . . restrictions, le principe est affirmé du droit au pardon pour le chrétien failli. Hermas l’affirme au nom du presbytère romain et de la conscience chrétienne. Mais l’encratisme est encore trop répandu . . . pour ne pas faire échec longtemps à la doctrine indulgente et pour ne l’obliger pas à des restrictions . . . et aussi à des controverses”.⁵ Nihilominus in alio loco scribit: “Quant à l’affirmation de M. Esser que l’Eglise, vers l’an 200, admettait le fornicateur et l’adultère à la réconciliation ecclésiastique, nous venons de constater qu’il n’en a jusqu’ici administré aucune preuve valable. M. Funk a pris la peine de lui rappeler que l’exception dont la fornication était frappée, frappait également

antérieure et postérieure au baptême, ni l’ensemble du livre, n’offrent un sens acceptable si l’on voit autre chose que la prédication de la pénitence sous la direction et le contrôle de l’Eglise, et si l’on ôte à l’insertion dans la tour la valeur d’une réconciliation ecclésiastique” (L’édit de Calliste, Paris, 1914, p. 108).

⁵ Etudes d’histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 54. 56. 60. 61. 66.

l'homicide et l'apostasie. *Ces trois espèces n'étaient pas séparées, jusqu'à l'édit de Calliste, dans la sévérité de l'Eglise. . . Vers l'an 200, à Rome, où l'on tendait depuis longtemps à l'indulgence, on observait comme à Carthage la réserve des trois espèces, fornication, homicide, apostasie*.⁶

VACANDARD a. 1899 scribebat: "*Au temps d'Herma l'adultère était encore un péché rémissible. Il semble qu'il soit devenu ensuite, même à Rome, un péché irrémissible, jusqu'au jour où le pape Calliste inaugura, nous dit Tertullien, une discipline nouvelle par son fameux édit. . . Cette discipline, qui était un retour à l'ancien régime, se répandit insensiblement dans les autres églises*".⁷ Nihilominus a. 1907 scribebat: "Pour Rome on invoque [pour découvrir des précédents qui expliquent l'indulgence de Calliste] divers textes du Pasteur d'Herma. Il est sûr que le Pasteur préconisait l'indulgence, même en faveur des adultères. *Mais sa théorie partait d'en bas; elle ne représente pas la pensée de l'autorité ecclésiastique; il semble même qu'elle tentait une réaction contre la discipline existante à Rome; et ainsi, au lieu de fortifier la thèse du P. D'Alès, elle l'infirmerait plutôt. . . On n'a pas de preuve que l'Eglise romaine ait, avant Calliste, admis les adultères à la réconciliation. Le Pasteur d'Herma vers le milieu du II siècle préconisait cette indulgence. Mais nous ignorons si sa voix fut entendue*".⁸ Tandem, eodem anno, obiciente D'Alès contradictionem inter utrunque locum, retractavit quod in priori dixerat: "M. D'Alès déclare qu'avant Calliste les impudiques étaient, 'par exception', réconciliés à l'Eglise. Où a-t-il vu cela? Certes, pas dans le texte d'Hippolyte, qui dit expressément le contraire. Je le soupçonne de l'avoir déduit du Pasteur d'Herma. *J'ai fait moi-même autrefois la même déduction. Mais je crains fort d'avoir été trop loin.* A coup sûr, le Pasteur exerça une réelle influence sur l'Eglise romaine, voire sur les papes. Tertullien nous apprend même que Calliste s'en est autorisé. Mais il reste à savoir s'il n'est pas le premier pontife qui ait mis en pratique la théorie d'Herma sur la réconciliation des adultères. Tertullien l'affirme; Hippolyte l'affirme; je ne vois pas de motif suffisant de rejeter leur affirmation".⁹

D'ALÈS sic apte resumit valorem et sensum testimonii Hermae: "Il reste à se demander quelle était au juste la portée du livre, et dans quelle mesure il nous apporte la vraie pensée de l'Eglise sur la pénitence. Ce n'est pas un document officiel; mais c'est un document privé de très haute valeur, parce qu'il *reflète avec une grande naïveté les préoccupations des pasteurs de l'Eglise romaine au deuxième siècle et les expédients de leur zèle.* Egalement soucieux de ne jeter aucun pécheur dans le désespoir et de n'autoriser aucune présomption, ces pasteurs ne croyaient pas trahir la doctrine en la dispensant avec mesure selon les hommes et les circonstances, et parfois pratiquaient assez hardiment la restriction mentale. Telle est la raison dernière, souvent méconnue, de certaines particularités surprenantes que présente le langage d'Herma.

"A condition de n'y voir que la simple projection allégorique d'institutions encore très primitives, on peut en tirer quelques lumières sur ces institutions. *Nous n'avons pas reconnu la trace de deux courants dogmatiques distincts sur la pénitence.* L'Eglise, en appelant tout le monde au salut, avait égard à la condition des personnes. Aux catéchumènes, on comprend qu'elle jugeât inopportun de détailler d'avance toutes les chances qu'ils pouvaient avoir de se réhabiliter s'ils venaient à pécher après le baptême. Aux chrétiens tombés après le baptême, nommément aux adultères et aux apostats (ou idolâtres), elle offrait pour une fois, moyennant pénitence, non seulement le pardon divin, mais encore — tout le livre d'Herma en témoigne — la réconciliation ecclésiastique. En même temps, elle avait soin

⁶ L'Edit de Calliste, in Bulletin de littérature ecclésiastique, 1906, p. 345 et 347.

⁷ Revue du Clergé Français, t. 21 (1899), p. 35 sq.

⁸ Ibid. t. 50 (1907), p. 128 sq. 130.

⁹ Ibid., p. 367.

de les avertir que cette grâce ne se renouvelait pas. A ceux qui, après une première réconciliation, venaient à retomber, *on ne voit pas bien ce qu'elle offrait*, mais sans aucune doute elle ne les désespérait pas. Car quelles que soient les sévérités du Pasteur pour les *διδυχοί*, *si une chose ressort clairement de ce livre, c'est que quiconque a la volonté de faire pénitence, peut rentrer en grâce avec Dieu*.¹⁰

Ex prolatis testimoniis haec constant de sensu et praxi Ecclesiae saec. 2:

1. Peccata dicuntur remissibilia vere poenitentibus, tum generaliter et indeterminate (peccata absque addito), tum etiam generaliter et determinate (omnia, quaelibet peccata).

2. Nunquam aliquod determinatum peccatum exhibetur ut irremissibile, nisi ratione indispositionis subjecti seu defectus poenitentiae. Idque patet ex ipso Herma (Sim. 9, 26, 5, supra cit., et Sim. 8, 4), qui videtur denegare remissibilitatem delicti quorundam apostatarum, peccantium ex oculata malitia; ex dubitanti enim modo quo ipse loquitur ("nescio an possit vivere") et ex ratione quam affert ("ex praecordiis denegasse"), constat ipsum cogitare de morali quadam impossibilitate seu magna difficultate conversionis quae procedit ex ipsa mala dispositione peccatoris.

3. Ipsa peccata impudicitiae et apostasiae, passim et indiscriminatim proponuntur ut objectum poenitentiae et remissionis.

4. Ne ipsi aërem verberemus, notandum est totum punctum quaestionis et difficultatis in hac re non esse in ostendenda universali remissibilitate peccatorum quomodolibet, sed per ministerium Ecclesiae, in ostendendo nempe sufficienter ex testimoniis saec. 2, mentem et praxim Ecclesiae fuisse nulli peccato aut peccatori denegandi ecclesiasticam remissionem. Jamvero in art. 1 (tom. 1, p. 90-97) ostendimus, in iisdem textibus nuper allatis, in quibus exhibetur quorumlibet peccatorum remissio, cum hac remissione connecti ministerium Ecclesiae seu exercitium potestatis clavium, quod ceterum, nisi in his textibus sufficienter implicaretur, nullo modo posset a catholicis contra Liberales probari ex antiqua Ecclesiae traditione. Praeterea, id notabile est, nunquam in praefatis testimoniis fieri aut innui distinctionem, subinde a Tertulliano invocata, inter peccata quae sint remissibilia per ipsam Ecclesiam et ea quae a solo Deo remitti possint.

5. Quid autem illis testimoniis opponunt supradicti eruditi catholici, Funk nempe, Vacandard et Batiffol? Nihil nisi fictum aliquem generalem rigorismum, quem praecipue colligunt ex variis libris apocryphis

¹⁰ L'Edit de Calliste, Paris, 1914, p. 112 sq.

vel sectis encratitis (cf. *Batiffol*, Etudes d'histoire et de théologie positive, p. 50-54), necnon negativum argumentum quo conantur destruere vim probativam allatorum testimoniorum, singillatim sumptorum. Voluntarie scilicet illorum sensum detorquent ad significandum vel divinam remissionem, abstractione facta ab ecclesiastica reconciliatione, vel ecclesiasticam reconciliationem consistentem in sola concessione poenitentiae, abstrahendo ab ipsa absolutione a peccato, vel hanc ipsam absolutionem concessam in particulari casu aut loco, ex quo argui non possit mens et praxis universalis Ecclesiae. Unicum ac positivum argumentum, quod in medium producit et ex quo tanquam ex inexpugnabili arce judicant praxim totius saec. 2, vel saltem ultimae istius saeculi partis, est posterius testimonium Tertulliani, Hippolyti et Origenis, de quo mox disputabitur in connexione cum praxi saec. 3.

Totam doctrinam et praxim hujus periodus sic summatim tradit *D'ALÈS*: "En définitive, les espèces complètes et précises, sur l'observation desquelles nous souhai terions d'asseoir une théorie détaillée de la pénitence, font défaut pour ce IIe siècle. Nous ne pouvons qu'y suppléer en colligeant un assez grand nombre de faits non dépourvus de valeur suggestive. Essayons de faire filtrer un peu de lumière à travers cette nuée de matière pulvérulente.

"L'assurance du pardon divin offert, pour tous les péchés, au vrai repentir, est répétée par toutes les voix de la tradition. Cette assurance, nous l'avons entendu notamment à Rome, à Antioche, à Corinthe, à Alexandrie. Trait d'union entre l'Orient et l'Occident, Clément d'Alexandrie donne à Hermas une adhésion intelligente, où l'on ne perçoit pas de réserve. Quelques notes gnostiques troublent seules ce concert. L'Eglise hiérarchique, groupée autour de son évêque, est la dispensatrice normale de ce pardon, et l'offre de la réconciliation ecclésiastique est la traduction concrète de l'offre du pardon divin. *Cela résulte des témoignages tout à fait formels de saint Clément de Rome, de saint Ignace d'Antioche, d'Hermas, de saint Denys de Corinthe*, ainsi que d'inductions plus ou moins décisives fondées sur le témoignage de saint Irénée et autres. *De limitation à ce pouvoir ministériel de l'Eglise, on n'entend parler nulle part*, encore que l'Eglise y apportât, sans aucun doute, quel que discernement.

"Sur les conditions du pardon, nos auteurs se font beaucoup plus discrets, et donnent l'impression d'une simple ébauche, plutôt que d'une institution complète. *On voit bien apparaître l'exomologèse officielle*, comme voie normale du pardon, du moins pour les grands péchés; mais la plupart de ses lois nous échappent encore. Cette discipline primitive était empreinte d'une réelle sévérité; mais dans quelle mesure? Les indications éparées de nos auteurs ne suffisent pas à le découvrir, et ont pu servir de point de départ à des systématisations divergentes. S'il y eut évolution et dans quel sens, c'est sur quoi l'on réussit moins encore à s'entendre. Pour retracer la marche de la discipline pénitentielle au cours du IIe siècle, nous disposons de quelques points fixes, par lesquels on peut faire passer un nombre infini d'arabesques; mais ce seront toujours des arabesques.

"Il y a pourtant une mesure législative, une seule, qu'on peut avec vraisemblance mettre au compte du IIe siècle: c'est celle qui interdit de réitérer la pénitence publique. Il semble qu'on se soit préoccupé d'empêcher le relâchement en donnant à l'institution le caractère d'une faveur unique, exact pendant du baptême. Hermas est pour nous le premier témoin de cette règle, dont l'origine ecclésiastique n'est pas douteuse, puisqu'elle n'a aucun fondement dans l'Ecriture. Introduite probable-

ment sous la pression de circonstances particulières, elle acquit force de loi universelle et ne devait être rapportée que beaucoup plus tard. Hermas, qui nous en révèle l'existence, nous en laisse ignorer l'origine, et si ce témoignage unique nous faisait défaut, nous n'hésiterions guère à conclure, de certaines affirmations de saint Irénée, que cinquante ans plus tard elle n'était pas encore en vigueur et qu'il en faut abaisser la date jusque vers le temps de Tertullien. Le silence de tout le II^e siècle, en dehors d'Hermas et de Clément d'Alexandrie commentant Hermas, sur un fait aussi capital, est la meilleure preuve des lacunes de nos connaissances et la condamnation décisive de toute conclusion prématurée".¹¹

II. TRADITIO SAEC. III: A TERTULLIANO (160–222) AD TEMPUS CONC. NICAENI (325).

Haec periodus, eminenter poenitentialis atque peculiariter connexa cum praesenti quaestione de extensione potestatis clavium, duo ostendit capitalia momenta circa quae cetera colliguntur: primum est, ad initium saec. 3, controversia *de reconciliatioe moechorum*, cum qua connectitur haeresis Montanistica, testimonium Tertulliani (cui ad-jungi solet testimonium Hippolyti et Origenis) et sic dictum decretum Callisti; alterum est, circa medium saec. 3, controversia *de reconciliatioe lapsorum* seu apostatarum in persecutione Decii, cum qua connectitur schisma Novatianum, testimonium Cypriani et decretum romano-carthaginense (Conc. Romani sub Cornelio et Conc. Carth. sub Cypriano) damnans Novatianismum.

In hac autem periodo, et in duobus ejus momentis, supradicti adversarii, tam acatholici quam catholici, praecipue fundant suam theoriam de innovatione poenitentialis disciplinae Ecclesiae, emphatice ab eis vocata "crisis poenitentialis saec. 3", juxta quam Ecclesia ex priori rigorismo, vigente saltem per aliquod tempus a fine saec. 2 ad initium saec. 3, per duos gressus recesserit, quos signant duo supradicta decreta et controversiae. Ad primum gressum probandum, invocant praesertim triplex testimonium Tertulliani. Hippolyti et Origenis, coaevorum ac praecipuorum doctorum; secundum similiter confirmant ex coaevo triplici testimonio doctrinae S. Cypriani, concordis praxis cleri romani et Cypriani in reconciliandis lapsis in persecutione Decii, et ipsius schismatis Novatianorum.

Propterea onus nobis incumbit haec omnia testimonia ordinate considerare, ut tum positive tum negative ostendatur falsitas illius opinionis et substantialiter immutata praxis et sensus Ecclesiae de remissione quorumlibet peccatorum per exercitium potestatis clavium.

¹¹ L'Edit de Calliste, Paris, 1914, p. 133–135.

A. CONTROVERSIDA DE RECONCILIATIONE MOECHORUM.

TERTULLIANUS (circa 160–240; catholicus circa 195; haereticus inde a 213).¹²

Doctrina Tertulliani, quem supra (p. 288–292) attulimus ut praecipuum adversarium remissibilitatis omnium peccatorum per claves Ecclesiae, est unum ex insignioribus testimoniis istius dogmatis in antiqua traditione. Idque dupliciter, tum nempe positive, quatenus in suo libro *De Poenitentia*, in periodo catholica exarato (a. 200–206), hoc dogma directe testatur et defendit, tum negative, quatenus in altero opere *De Pudicitia*, in periodo montanistica edito (a. 217–222), idem dogma impugnat, simul ostendens quae fuerit doctrina Ecclesiae saec. 3 et quae fuerit sua ipsius sententia retro exposita in opere *De Poenitentia*. Vim tamen istius testimonii conantur supradicti eruditi (p. 303 sqq.), nominatim catholici, dupliciter infringere, dicentes in libro *De Poenitentia* Tertullianum non docere remissibilitatem omnium peccatorum per claves Ecclesiae, in libro vero *De Pudicitia* non tantum hanc excludere sed etiam testificari praxim Ecclesiae per aliquod tempus fuisse denegandi veniam quibusdam peccatis. Quod quam inepte dicatur, apparebit ex separata consideratione doctrinae utriusque libri, quod attinet directe ad praesentem quaestionem, nam generalis sententia Tertulliani de indole et efficacia Poenitentiae sufficienter exposita est in art. 1 (tom. 1, p. 97–106).

LIBER DE POENITENTIA.

Positiva vis testimonii Tertulliani residet in hoc opere, in quo ipse catholicus duo velut connaturaliter docet, quorum alterum in posteriore opere haeretico vehementer impugnavit, scilicet remissibilitatem omnium prorsus peccatorum et influxum potestatis Ecclesiae in universalem hanc remissionem, ita ut nullum sit peccatum quod per potestatem Ecclesiae remitti non possit et nulla fiat a Deo remissio peccati nisi per ministerium Ecclesiae.

1. Objectum salutaris poenitentiae sunt *quaelibet peccata*, et nominatim duo inter capitalia, scilicet *impudicitia et apostasia*.

In c. 7 (cit. in art. 1, tom. 1, p. 99), descriptis variis peccatis in quae diabolus tenaciter homines iam baptizatos inducit, ut sunt “carnalis concupiscentia” et aversio a fide seu apostasia (“fidem formidine

¹² Cf. opera Adam, Amann, Batiffol, Chartier, Esser, Funk, Harnack, Poschmann, Preuschen, Rauschen, Rolffs, Stufler, Vacandard, relata in p. 281–284. Utilius conferentur *Galtier*, *L’Eglise et la rémission des péchés*, Paris, 1932, p. 139–168; *De Paenitentia*, Parisiis, 1931, n. 235–241; *D’Alès*, *La théologie de Tertullien*, Paris, 1905, p. 339–355; *La théologie de Saint Hippolyte*, Paris, 1906, p. 39–44; *L’Edit de Calliste*, Paris, 1914, p. 136–216; *De Paenitentia*, Parisiis, 1926, p. 23–30.

evētere aut a via certa detorquere”), ait Deum praevidentem instituisse in remedium “poenitentiam secundam”, imo nec esse desperandum “si secundae quis poenitentiae debitor fuerit”, nam “pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari”. In c. 8, commemorans explicitē stuprum et idololatriam, scribit: “Id si dubitas, evolve quae Spiritus Ecclesiis dicat (Apoc. I, II, III). Desertam dilectionem Ephesiis imputat, stuprum et idolothytorum esum Thyatirenis exprobrat. Sardos non plenum operum incusat, Pergamenos docentes perversa reprehendit; Laodiceos fidentes divitiis objurgat: et tamen omnes ad poenitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non poenitenti, si non ignosceret poenitenti” (M.L. 1, 1353). In *libro de Patientia* (inter 200 et 206), c. 12, adulterium explicitē commemorans, scribit: “Quid mirum quod [patientia] etiam poenitentiae ministrat, solitae lapsis subvenire, cum, disjuncto matrimonio, ex ea tamen causa, qua licet seu viro, seu feminae ad viduitatis perseverantiam sustineri, haec expectat, haec exoptat, haec exorat poenitentiam quandoque inituris salutem. Quantum boni utrique confert! alterum non adulterum facit, alterum emendat” (M.L. 1, 1379).

2. Ea universalis efficacitas poenitentiae est *dependens a ministerio Ecclesiae, seu ab exercitio potestatis clavium*, ita ut cujuslibet peccati remissio fiat per Ecclesiae absolutionem nec ideo detur distinctio inter duo genera peccatorum, quorum quaedam sint remissibilia per claves Ecclesiae, quaedam vero per easdem non remissibilia.

De doctrina Tertulliani catholici quoad hoc punctum, valde controversum est inter recentiores theologos positivos. Cum enim Tertullianus, non secus ac ceteri antiquiores testes doctrinae poenitentialis, maxime insistat in influxum causae divinae et in elementum subiectivae satisfactionis peccatoris in explicanda salutari efficacia Poenitentiae, quaesitum est utrum necne ipse sileat de influxu ecclesiastici ministerii, qui maxime exercetur per sacramentalem absolutionem, vel saltem illum influxum non exhibeat ut aliquid necessario et in omni casu connexum cum peccati remissione.

Funk in priori suo opere “Zur altchristlichen Bussdisziplin” a. 1897 (p. 166), supra memorato (p. 310), docuit in libro Tertulliani de Poenitentia agi exclusive de divina peccatorum remissione, absque relatione ad ecclesiasticam reconciliationem. Impugnatus ab *Esser* (Die Busschriften Tertullians De poenitentia und De Pudicitia, und das Indulgenzedikt des Papstes Kallistus, Bonn, 1904), suam affirmationem emollivit in posteriori opere “Das Indulgenzedikt des Papstes Kallistus” (in Theologische Quartalschrift, 1906, p. 542 sq.), docens conceptum ecclesiasticae reconciliationis non esse necessario et in omni

casu connexum cum conceptu "secundae poenitentiae", de qua loquitur Tertullianus in suo opere De Poenitentia. Quam sententiam secuti sunt *Vacandard* et *Batiffol* in locis supra cit. (p. 310–321), eo fine ut inde cum Funk, confirmarent suam opinionem de poenitentiali innovatione inducta a Callisto initio saec. 3, quam praecipue deducunt ex testimonio Tertulliani in libro De Pudicitia; hoc enim testimonium vim suam amittit, si contradicit praecedenti testimonio ejusdem Tertulliani in libro De Poenitentia, in quo sincere et absque aestu polemico refertur catholica praxis et doctrina. *D'Alès*, hanc quaestionem aggressus in variis operibus (*La théologie de Tertullien; La théologie de Saint Hippolyte; Art. La réserve des trois cas et l'édit de Calliste* [controversia cum *Vacandard*], in *Revue du Clergé Français*, t. 50 [1907], p. 337–365; praecipue, *L'édit de Calliste*, Paris, 1914, p. 136–171), una cum Esser aptissime impugnat utramque Funk assertionem, ostendens nullibi in libro De Poenitentia inveniri distinctionem inter peccata per ministerium Ecclesiae remissibilia et peccata per idem ministerium non remissibilia, necnon conceptum divinae remissionis independentis ab ecclesiastico ministerio.

Et revera, quod efficacia salutaris poenitentiae sit in eo libro connexa cum Ecclesiae ministerio, ostendit tum perfectus parallelismus qui exhibetur inter Baptismum et Poenitentiam (c. 4. 7. 12: "secunda spes", "poenitentia secunda", "iteratum beneficium", "secunda tabula post naufragium", "secunda subsidia"), Baptismi enim efficacia est tota alligata Ecclesiae ministerio; tum modus quo describitur exomologesis, haec enim fit publice coram Ecclesia (c. 9: "omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere") et ita ut "universus [Ecclesiae coetus] ad remedium conlaboret" (c. 10), consistit in eo quod poenitentia "non sola conscientia profertur, sed aliquo etiam actu administratur" (c. 9), qui actus praecipue est "presbyteris advolvi" (c. 9) et "palam absolvi" (c. 10). Cf. c. 9. 10. 12, cit. in art. 1, tom. 1, p. 100 sq.

Peculiariter ministerium Ecclesiae proponitur verbis: "Si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?" (c. 10). Ad hunc textum observat *D'Alès*: "La valeur expressive de cette antithèse est très grande, et à moins d'admettre contre toute vraisemblance que, dans cette forme pressante donnée à sa pensée, Tertullien a cherché un vain cliquetis de mots, on doit attribuer à chacun des termes en présence sa pleine signification, et ne pas se dérober devant les conséquences. 'Damnatum latere' suppose une condamnation qui peut échapper aux

regards des hommes — car rien n'échappe aux regards de Dieu. C'est donc la condamnation divine, la sentence qui pèse au for intérieur sur le pécheur encore chargé de sa faute. 'Palam absolvi' suppose une absolution qui éclate aux yeux des hommes, c'est donc la réconciliation ecclésiastique, gage normal au for extérieur de la paix faite avec Dieu. . . La pensée est donc fortement nouée et pleine de sens: elle met dans son plein jour cette corrélation intime de la paix divine et de la paix ecclésiastique, qui fait le fond de toute la doctrine pénitentielle de Tertullien en sa période orthodoxe".¹³

Confirmatur ex eo quod verbum "absolvere", imo antithesis "damnare-absolvere", eundem sensum exercitii ecclesiasticae potestatis habet in libro de Pudicitia, ubi de S. Paulo absolvente incestuosum Corinthium dicitur: "Utique speciali venia absolvisset, quem speciali ira damnasset"; "Aut damnaverit temere quem mox esset absoluturus; aut temere absolverit, quem non temere damnasset" (c. 13 et 14).

Vacandard opponit non posse desumi argumentum ex libro De Pudicitia ad explicandum sensum ejusdem verbi in libro De Poenitentia. Quae quidem assertio inepta et prorsus arbitraria videretur nisi ipse adduceret aliquem textum ipsius libri De Poenitentia, in quo verbum absolvere non necessario, ut ait, involvit ecclesiasticam reconciliationem. Textus est ex c. 9: "Exomologesis prosternendi et humiliificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiae illicem. . . Haec omnia Exomologesis, ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat. Cum igitur provolvit hominem, magis relevat: cum squalidum facit, magis mundatum reddit: *cum accusat, cum condemnat, absolvit*. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcat" (M.L. 1, 1354 sq.). "Voilà, inquit Vacandard,¹⁴ précisé l'office de l'exomologèse; c'est elle, et non l'évêque, qui réconcilie le pécheur à Dieu."

Respondetur in hoc textu agi de ipsa ecclesiastica reconciliatione a Tertulliano proposita sub figura rethorica, qua tota efficacitas poenitentiae tribuitur personificatae Exomologesi; sicut enim verba "provolt hominem — relevat — squalidum facit — mundatum reddit — accusat — condemnat" rethorice sonant, ita et verbum "absolvit"; omnia autem haec non nisi ad ministerium Ecclesiae proprie referri possunt. Ad rem *D'Alès*: "Il faudra n'avoir jamais lu une page de Tertullien pour ignorer que, chez lui, de telles personifications ne

¹³ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 158.

¹⁴ In Revue du Clergé Français, t. 50 (1907), p. 121.

tirent pas à conséquence. Donc la théorie de M. Vacandard doit reposer sur des fondements plus solides. Par malheur, ces fondements me paraissent tout négatifs. Pour croire à une réconciliation ecclésiastique, il demande à lire l'affirmation 'toties quoties' et sans aucune figure. C'est beaucoup exiger, pour le seul avantage de se maintenir dans la position singulièrement difficile qu'à la suite de *Funk*, M. Vacandard précise en ces termes: 'Distinguons, répond M. Funk. Oui, à coup sûr, dans l'esprit de Tertullien cette seconde pénitence est un moyen de salut valable pour tous les péchés sans exception. Mais cela est vrai, sans égard au mode par lequel le pécheur sera rétabli en grâce. La pénitence seconde n'est pas nécessairement liée à la réconciliation pour toutes les fautes. Cette réconciliation n'est pas directement dans la perspective du 'De poenitentia'. Tertullien n'a en vue que la pénitence considérée comme telle, avec ses effets infaillibles. Pas un mot n'indique qu'il fasse dépendre ces effets de la réconciliation ecclésiastique. Le pouvoir des clefs n'est pas exclu; il est impliqué, si l'on veut, mais il n'est pas exigé.'¹⁵

Peculiariter etiam ministerium Ecclesiae exhibetur in *expressione "restitutio peccatoris"*, qua significatur effectus poenitentiae; ea enim expressio aequivalet rehabilitationi peccatoris sive secundum acceptionem gratiae sive ac peculiariter secundum reconciliationem cum Ecclesia, ut constat ex parallelis expressionibus libri De Pudicitia.

In De Poenitentia enim, c. 8, dicitur: "Quod mulier drachmam perdidit et requirit, et reperit, et amicas ad gaudium invitat, nonne *restituti peccatoris* exemplum est?"; et c. 12: "Peccator restituendo sibi institutam a Deo exomologesim sciens, praeteribit illam quae Babylonium regem in regna restituit? . . . Non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque et stirpis humanae et offensae in Dominum princeps Adam *exomologesi restitutus* in paradisu suum, non tacet." In De Pudicitia vero, c. 19, dicitur: "Aut si certus es, mulierem illam [Jezabel, de qua Apoc. 2, 20-22], post fidem vivam, in haeresi postea exirasse, ut non *quasi haereticae*, sed quasi fidei peccatrici, veniam ex poenitentia vindices, sane agat poenitentiam, sed in finem moechiae, non tamen et *restitutionem* consecutura"; et c. 20: "Disciplina igitur apostolorum proprie quidem instruit ac determinat principaliter sanctitatis omnis erga templum Dei antistitem, et ubique de *Ecclesia eradicantem* omne sacrilegium pudicitiae, sine ulla *restitutionis* mentione." Arbitrarie autem *Funk* et *Vacandard* expressionem "*restitutio peccatoris*" in libro De Poenitentia accipiunt ut simpliciter aequivalentem alteri expressioni "*restituere aliquid*

¹⁵ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 163 sq.

peccatori” quae occurrit in eodem libro (c. 5. 7), renuentes eam illustrare ex locis parallelis libri De Pudicitia, ita ut vox “restituere” apud Tertullianum “signifie habituellement rétablir en grâce, rendre la grâce, ou même récupérer la grâce, mais rien de plus . . . [et donc] le ‘peccator restitutus’ . . . n’est pas . . . nécessairement un pécheur rendu à la communion de l’Eglise.”¹⁶

Si quis autem *obiciat*: quare Tertullianus, cogitans de ministerio Ecclesiae in poenitentia, non illud determinat nec inducit ipsum sacerdotem poenitentes absolventem, in quo quidem essentialiter consistit exercitium potestatis clavium, *respondetur* scopum libri De Poenitentia non esse explicare jura et officia sacerdotis, sed instruere fideles peccatores eisque viam ostendere qua pervenire possint ad remissionem peccatorum, scilicet reditum ad reconciliativum ministerium Ecclesiae per satisfactivam exomologesim.

LIBER DE PUDICITIA.

Negativa vis testimonii Tertulliani tota residet in hoc opere, quatenus, haereticus montanista, dum Ecclesiae praxim et doctrinam impugnat, ejus testis evadit, et quidem dupliciter, sive nempe scite et directe indigitando quae sit ea praxis et doctrina tempore quo scribit, sive indirecte et invite ostendendo quae fuerit antea.

Hoc tamen secundum negant supradicti eruditi, qui e converso in Tertulliani testimonio vident incusatam ab eo innovationem remittendi peccata impudicitiae, et in eo praecipue testimonio fundant suam theoriam de denegata olim venia quibusdam peccatis in Ecclesia, saltem per aliquod tempus inter finem saec. 2 et initium saec. 3.

Quod quidem ex duobus praesertim hujus libri locis deducunt:

De Pud. 1 (Decretum Callisti): “Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: ‘Ego et moechia et fornicationis delicta, poenitentia functis dimitto.’ O edictum, cui adscribi non poterit, Bonum factum! . . . Sed hoc in Ecclesia legitur, et in Ecclesia pronuntiatur” (M.L. 2, 1032 sq.). Tertullianus proinde tale edictum habere videtur ut quid eousque inauditum, adeoque novum.

Ibid. 5: “Adsistit idololatries, adsistit homicida, in medio eorum adsistit et moechus, pariter de poenitentiae officio sedent, in sacco et cinere inhorrescunt, eodem flatu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eandem invocant matrem. Quid agis, mollissima et humanissima disciplina? aut omnibus eis hoc esse debebis: ‘Beati’ enim ‘pacifici’ (Matth. V, 6); aut, si non omnibus,

¹⁶ *Vacandard*, in *Revue du Clergé Français*, t. 50 (1907), p. 119 sq.

nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis, idololatrae successorem, homicidae antecessorem, utriusque collegam?" (M.L. 2, 1040 sq.) *Ibid.* 12: "Neque idololatriae neque sanguini, pax ab Ecclesiis redditur" (M.L. 2, 1055). In hoc argumento ad hominem, Tertullianus testatur saltem duo peccata idololatriae et homicidii eousque non consuevisse remitti in ecclesiis, et nominatim in ipsa ecclesia Romana, hujusque ecclesiae praxim veniam moechis concedendi, ut pravam et inconsequentem impugnat; imo ex hac Tertulliani impugnatione indirecte sequitur ipsum peccatum impudicitiae non consuevisse antea remitti; sensus enim illius videtur esse: antea nullum ex illis tribus peccatis remittebatur, nunc autem unum ex illis absque rationabili causa excipitur a reservatione, et venia donatur.

Attamen ex praedictis textibus inepte pro ea opinione argumentum desumitur. Nam:

1. Etiam si sensus illorum esset praecise quem legunt praedicti eruditi, valor testimonii Tertulliani multipliciter infirmatur.

Primo enim, certum non est auctorem illius edicti esse Callistum aut ullum Romanum Pontificem; quidam enim eruditi, ut *Bardy* et *Galtier*, gravibus moti rationibus, illud tribuunt Agrippino, episcopo Carthaginensi (cf. art. 1, tom. 1, p. 106 sq.). Si igitur haec sententia eligitur, Tertulliani testimonium refertur ad praxim alicujus particularis ecclesiae, de qua hic non est quaestio. Propterea ipse *Amann* (supra cit. in p. 321), unus ex nostris adversariis, fere valedicit testimonio Tertulliani, inquit: "Renonçons à en faire la base d'une théorie", "Il faut . . . dégager [cette théorie classique] de toutes les considérations relatives à 'l'édit de Calliste', et même ne pas la rendre solidaire de l'argumentation développée par Tertullien dans le De Pudicitia."

Secundo, quidquid sit de hac attributione et de praxi quam impugnat Tertullianus, ejus testimonium suspectum et infirmum ostenditur tum ab extrinseco, nam ex dictis supra nulla apparet contraria praxis denegandi veniam quibusdam peccatis, sive in ecclesia africana, sive a fortiori in ecclesia Romana aut universali; tum ab intrinseco, nam, ut taceamus de mala fide aut aestu polemico quem Tertullianus ostendit in exaggerando suas accusationes in auctores reconciliationis moechorum et in flectendis textibus Scripturae ad suum sensum de irremissibilitate quorundam peccatorum (cf. *D'Alès*, *L'édit de Calliste*, p. 17 sq. 181–189, 200–205; item quae diximus supra, p. 349), ipse sibimetipsi contradiceret si revera vellet affirmare novitatem praxis ex parte catholicorum. Etenim inde ab initio libri, et quidem immediate

post improbatum praefatum edictum, explicite declarat se mutare sententiam de poenitentia quam prius docuerat apud catholicos (c. 1: "Erit igitur et hic adversus Psychicos [i.e. carnales catholicos] titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent"); unde si in supradictis verbis Tertullianus vellet improbare novitatem apud catholicos, sibi-metipsi contradiceret, cum simul agnoscat novitatem esse in sua positione et doctrina.

Ad hanc contradictionem levandam, *Funk*, *Batiffol*, et *Vacandard*, dicunt Tertullianum declarare quidem se mutare sententiam poenitentialem prius admissam, sed non asserere se eam mutare in hoc praecise puncto de irremissibilitate trium peccatorum per Ecclesiam, adeoque consistere valorem ejus testimonii de inducta a Callisto novitate.¹⁷ Hujus tamen interpretationis falsitatem ostendunt totius libri scopus, objectum et doctrina, quae in hoc collimant ut ostendatur, contra sententiam et praxim catholicorum, irremissibilitas quorundam peccatorum. Denuntiata enim hac sententia et praxi in citatione decreti Callisti, Tertullianus immediate declarat se scribere librum de Pudicitia adversus illam et "adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem".

Praeterea, sibi obiciens inferius doctrinam seu principium ex quo catholici eam sententiam et praxim deducebant, scilicet necessitatem poenitentiae de omnibus peccatis quae frustra de aliquo peccato ageretur si pro eo venia denegaretur, Tertullianus non reicit eam ut novam sed potius declarat sibi ab adversariis "merito opponi", et ad solvendam objectionem solummodo negat suppositum, quod nempe ipsi Ecclesiae et non soli Deo competat potestas remittendi quaelibet peccata absque distinctione. Ad rem ipse: "Sed prius decidam intercedentem ex diverso responsionem ad eam poenitentiae speciem, quam cummaxime difinimus venia carere. Si enim, inquirunt, aliqua poenitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim agendum est frustra. Porro frustra agetur poenitentia, si caret venia. Omnis autem poenitentia agenda est. Ergo omnis veniam consequatur, ne frustra agatur; quia non erit agenda, si frustra agitur. Porro, frustra agetur, si venia carebit. Merito utique ita opponunt, quoniam hujus quoque poenitentiae fructum, id est veniam, in sua potestate usurpaverunt. Quantum enim ad illos a quibus pacem humanam consequitur; quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus

¹⁷Ad rem breviter *Batiffol*: "La vraie question n'est pas d'établir que Tertullien a passé de l'indulgence au rigorisme, mais d'établir que son indulgence première, celle qu'il avait professée en tant que catholique, allait jusqu'à absoudre les adultères et les fornicateurs, comme il reproche à Calliste de les absoudre" (in *Bulletin de littérature ecclésiastique*, 1906, p. 314).

delicta concedere et utique mortalia, non frustra agetur” (M.L. 2, 1037).

Praeterea, tum doctrina de tribus peccatis irremissibilibus, tum principium ex quo eam deducit (Ecclesiam nempe charismaticam, non vero hierarchicam, habere potestatem remittendi omnia peccata), affertur a Tertulliano ut quid proprium novis prophetis seu Montanistis, non vero ut quid a catholicis olim habitum et nuper ab eis derelictum. “Habemus quidem et nos ejusdem vetustatis exempla [i.e. in A. T.]” (c. 6), “Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono, qui ipsum Paraclatum in prophetis novis habeo dicentem: Potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant” (c. 21).

Praeterea, in hoc libro Tertullianus discutit ac destruit, unum post aliud, omnia argumenta quae ipse attulerat in priori libro De Poenitentia ad demonstrandam efficaciam Poenitentiae.

Ad rem *D'ALÈS*: “La position prise par Tertullien [inde ab initio sui operis, c. 3, nuper recitato] . . . est maintenue par lui avec beaucoup de rigueur dans toute l'étendue du traité 'De pudicitia'. D'un bout à l'autre, il suppose que les principes directeurs du catholicisme sont aujourd'hui ce qu'ils étaient hier et que, s'il y a quelque nouveauté dans l'application, il est impossible de condamner l'application sans remonter jusqu'au principe même. C'est ce qu'il n'hésite pas à faire. . . Retenons donc que, d'après sa déclaration expresse, l'idée d'un pardon divin réservé en fait et en droit à Dieu, est présentée comme une idée spécifiquement montaniste, sans aucune attache avec la doctrine catholique. . . [Tertullien] nous montre avec une pleine évidence que cette doctrine, contre laquelle il s'inscrit en faux, est celle même qu'il a exposée dans le 'De paenitentia'. L'indignation qui éclate au commencement de son nouveau libelle est dirigée contre les catholiques en général et contre lui-même en particulier, en tant qu'attaché précédemment aux doctrines des catholiques. On ne peut pourtant pas, en dépit de ses propres déclarations, le faire montaniste avant la lettre [ut faciunt Funk, Batiffol et Vacandard], et attribuer à une robuste constance ce que lui-même impute expressément à sa propre inconstance.

“Tertullien affirme — et on peut l'en croire — que du temps où il était catholique, il pensait comme les catholiques. Il ajoute que les catholiques ignorent la doctrine des péchés irrémisibles. Serait-ce qu'ils viennent de l'oublier? Avant de recourir à une telle supposition, il faudrait arracher les premières pages du 'De pudicitia'. Mais le corps même de l'ouvrage n'est pas moins contraire à l'hypothèse qui veut supprimer l'évolution survenue dans l'esprit de Tertullien. Assurément, si jamais homme fut qualifié pour nous dire ce qu'il y a au fond du 'De paenitentia', c'est Tertullien lui-même. Or il nous le dit avec toute la clarté possible, non seulement par des paroles qui, dans l'espèce, ne doivent pas être suspectes, mais par des actes encore plus décisifs que les paroles. En effet, la position nouvelle qu'il adoptait dans la question de la pénitence l'obligeait ou bien d'expliquer le 'De paenitentia', ou bien de le désavouer. Il prit le parti de le désavouer. Dans le 'De pudicitia', il en démolit successivement toutes les assertions, dans l'ordre même où elles se présentent. Que veut-on de plus?”¹⁸

2. Quod autem attinet ad ipsum sensum verborum Tertulliani, ex

¹⁸ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 177-180.

nuper dictis satis constat eum non improbare, ut novam praxim, ipsum factum reconciliationis moechorum, nisi admittatur in eo manifesta calumnia et evidens contradictio cum semetipso. Restat ergo ut aliter explicetur novitas, si quae sit, quam videtur testari et impugnare Tertullianus.

In priori textu non dicitur edictum Callisti continere aliquid novi aut novam condere praxim, imo nec constat in eo agi de vero et proprie dicto decreto. Totum quod Tertullianus explicite dicit, est se audire talem a pontifice prolatam peremptoriam sententiam qua venia moechis exhibeatur. Novitas autem, quam videtur supponere ipsa ejus admiratio (Audio . . . O edictum), nisi agatur de rethorica quadam et polemica introductione libelli, intelligi potest de quodam indulgentiori modo reconciliandi moechos (prae aliis gravioribus peccatoribus, uti apostatis et homicidis) quod attinet poenitentiae opera vel durationem ante concessionem reconciliationis.

Ceterum, si quis sentiat edictum illud esse non alicujus Romani Pontificis sed episcopi Carthaginensis, res facile explicatur cum *Galtier* sequenti modo: " 'Edictum' . . . quod dicitur, non tam videtur esse lex generalis quam responsum particulare ad controversiam localem dirimendam. Scitur enim per *S. Cyprianum* (Epist. LV. 21) fuisse tunc temporis in Africa 'quosdam de episcopis [qui] dandam pacem moechis non putarent et in totum paenitentiae locum contra adulteria clauderent'. Pauci igitur illi proni videbantur ad Montanistis circa hoc assentiendum. Quod sane non fecerunt, siquidem *S. Cyprianus* testatur dissidium non esse exinde ortum in Ecclesia. Jure igitur censetur aliquem intercessisse qui, etsi non ullo suo praecepto, tamen sua ipsius declaratione et exemplo eos a suo proposito dimoverit. Is autem bene intelligitur fuisse episcopus ipse Carthaginensis, qui, quin quidquam proprie edixerit, suam tamen sententiam et praxim protulerit: 'Ego . . . dimitto'. Quod, data illius apud suos auctoritate, facile intellegitur extinxisse tum paucorum illorum propensionem ad montanismi placita tum simul spem Tertulliano ortam ut sibi adhaererent. Hoc autem nemo non videt satis esse potuisse ut vir ille contra 'episcopum' excandesceret, quasi 'proposuisset edictum peremptorium' et egisset 'pontificem maximum' et 'episcopum episcoporum'. Sic melius explicatur origo libelli illius ab irato conscripti contra 'edictum', quod ex dictis constat non esse episcopi ullius romani".¹⁹

Neque in altero textu Tertullianus loquitur de innovatione, sed tantum testatur et improbat factum concessae moechis reconciliationis, denegatae vero apostatis et homicidis. Fundamentum autem hujus

¹⁹De Paenitentia, Parisiis, 1931, p. 168.

testimonii de denegata venia apostatis et homicidis, quod Tertullianus subinde aggravat generalioribus verbis "Neque idololatriae, neque sanguini, pax ab Ecclesiis redditur", multiplex esse potest; scilicet, primo exaggeratio polemistae, appellantis denegationem veniae id quod fuerit tantum severior erga illos peccatores disciplina; secundo, absentia mentionis illorum peccatorum in edicto, quod de sola moechia decernebat, utpote frequentiori peccato cui medendum esset (e converso tempore Cypriani edictum conciliare decrevit de sola apostasia, quae frequenter occurrit in Decii persecutione); tertio, rigorismus quorundam pastorum in lapsos impudicos, qualis contigit in Africa, teste Cypriano nuper relato. Ceterum, manifesta exaggeratio illorum verborum "Pax ab Ecclesiis non redditur" patet tum ex defectu documentorum talis generalis reservationis, tum ex contraria sententia Tertulliani in libro De Poenitentia quam retractat in De Pudicitia, tum ex levi ac transeunti modo quo Tertullianus hanc affirmationem in medium profert, nullo confortatam documento aut commento, quasi vereatur in ea insistere aut eam explicare. Nisi velis dicere ipsum se referre ad solas ecclesias montanistas, nil jam curans quid sentiat Ecclesia catholica;²⁰ in quo casu verum est testimonium ejus, sed non videtur quadrare cum efficacia suae argumentationis quam agit contra catholicos.

HIPPOLYTUS (circa 170–235).²¹

Quo tempore in Africa Tertullianus impugnabat sic dictum decretum Callisti in suo libro De Pudicitia (217–222), Romae Hippolytus a Papa Callisto recenter electo (218) schismatice discedebat, ac subinde, mortuo Callisto (222), in suo opere *Philosophumena* (cui proprie titulus: κατὰ πασῶν αἰρέσεων ἔλεγχος = recensio omnium haeresum) de

²⁰ Ad rem *D'Alès*: "Tertullien . . . afin d'appuyer son dire, fait appel à la pratique des Eglises, qu'il rattache expressément au précepte apostolique. De quelles Eglises parle-t-il? Des Eglises de la communion catholique ou de celles de la communion montaniste? Ce point méritait d'être éclairci. Tout à l'heure, pour décliner l'autorité du 'Pasteur' en tant qu'Ecriture canonique, il faisait appel au sentiment commun des Eglises, en spécifiant qu'il entendait même celles de la communion catholique: 'ab omni concilio Episcoporum, etiam vestrarum' [De Pud. 10]. Cette fois l'expression est beaucoup plus vague: 'ab Ecclesiis'. N'est-ce pas la meilleur preuve que Tertullien ne se sentait pas sur un terrain aussi sûr et ne pouvait prétendre invoquer l'unanimité des Eglises, quant au point capital de la thèse? A dessein il laisse planer une incertitude sur cette question, où il ne peut se flatter d'écraser l'adversaire sous l'autorité des Eglises de sa communion" (L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 235).

²¹ *I. Döllinger*, Hippolytus und Kallistus, Regensburg, 1853, p. 115–196.

J. B. Rossi,esame archeologico e critico della storia di S. Callisto narrata nel libro nono dei Filosofumena, in Bollettino di archeologia cristiana, t. 4 (1866), p. 1–14. 17–33. *D'Alès*, La théologie de Sain Hippolyte, Paris, 1906, p. 35–49; L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 217–227.

Gallier, L'Eglise et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 168–183.

illius Pontificis fama gravissime detrahebat, reprehendens eum quod induxerit laxistam disciplinam et consequenter morum relaxationem in Ecclesia.

Ut constat ex textu citato in art. 1 (tom. 1, p. 108), ad haec breviter reducitur Hippolyti diatriba: Callistus, fraudulenter et ambitiose, *novam* induxit in Ecclesiam disciplinam, qua, omnibus peccatoribus facile et sine discrimine reconciliationem concedens, licentiam fecit peccandi; peccata quibus venia conceditur, et quorum fit indirecta licentia, sunt indistincte *omnia peccata*, nominatim *impudicitiae* seu adulteria, *homicidium* seu infanticidium, consequens ex permissis a Callisto matrimoniis morganaticis, et *schisma* vel, si placet, peccata eorum qui a variis sectis petunt communionem Ecclesiae. En praecipua verba: "Talia conatus praestigiator ille scholam constituit *adversus Ecclesiam* ita docendo, et *primus ea*, quae ad voluptatem faciunt, hominibus concedere ausus est, *dicens omnibus a semet dimitti peccata*. . . Cuius definitionem amplectentes multi, conscientia morsu simulque etiam *a multis sectis reiecti* . . . eius scholam repleverunt. . . Contempto [Christi praecepto] *nullum peccatum prohibent*, dictitantes eum ignoscere volentibus. . . Videte, quoad impietatis processerit improbus ille *adulterium caedemque* simul edocendo. . . Haec . . . Callistus condidit, cuius schola permanet custodiens mores traditionemque, non discernens, quibuscum oporteat communicare, sed *omnibus sine discrimine communionem afferens*" (Kirch, Enchir. hist. eccl., 231-233).

Supradicti eruditi catholici hoc Hippolyti testimonium invocant in confirmationem ipsius testimonii Tertulliani, ut ex duabus dissitis vocibus, africana et romana, convergentibus in idem iudicium circa eandem Callisti disciplinam, confirmet suam theoriam de innovata tunc temporis poenitentiali Ecclesiae disciplina. Attamen hoc etiam conamen frustraneum est, quinimo nocet positioni illorum theologorum, quia ex attento examine verborum Hippolyti infirmatur vis testimonii Tertulliani, vel potius confirmatur id quod ex ipso Tertulliani testimonio deduximus, scilicet nullam tunc temporis factam esse mutationem in poenitentiali Ecclesiae disciplina.

Et imprimis, stando soli Hippolyti testimonio, unum tantum ex eo deducitur, Callisti nempe innovationem constitisse non in ipsa veniae concessione, sed in tali facili et indiscriminato concessionis modo, quo relaxatio morum et indirecta licentia peccandi induceretur, ratione ipsius fiduciae in facilem veniam. Unde, quidquid sit de veritate hujus testimonii, praecipue quoad calumniosum et parum logicum

modum quo Hippolytus actus Callisti interpretatur, inepte invocatur ad probandum quod ante Callistum peccatum impudicitiae non remitteretur in Ecclesia.

Comparando autem utrumque Tertulliani et Hippolyti testimonium, haec observantur quibus unum ab altero confirmatur vel infirmatur:

Utrumque prolatum est eodem fere tempore, testimonium tamen Tertulliani, vivente adhuc Callisto, testimonium vero Hippolyti, jam mortuo Pontifice. Hippolytum agere contra Callistum certum est, quemnam vero episcopum impugnet Tertullianus valde incertum est. Si igitur dicatur cum quibusdam ipsum agere contra episcopum Carthaginensem, nulla confirmatio ejus testimonio affertur ex testimonio Hippolyti. Inferri tantum potest, quod in duplici dissito loco, Romae scilicet et Carthagine, modus aliquis indulgentioris disciplinae eodem tempore ab auctoritate ecclesiastica dicatur inaugurari et a dissidentibus rigoristis, ad fulciendum suum schisma, in malas partes exaggeretur et vehementer impugnetur.

Tertullianus in sua impugnatione se ostendit potius reformista, nec decreti auctorem incusat novitatis; Hippolytus vero sese ostendit traditionalista et novitatis Callistum incusat.

Tertullianus denegat Ecclesiae potestatem remittendi peccata capitalia; id non denegat Hippolytus, qui tantum insudat in denunciando abusu facilis remissionis. Uterque tamen vehementer repellit auctoritativa verba pontificis, emphatice ab utroque relata, declarantis se remittere peccata; Tertullianus: "Pontifex . . . edicit: 'Ego et moechia et fornicationis delicta, poenitentia functis dimitto'"; Hippolytus: "Dicens omnibus a semet dimitti peccata".

Tertullianus refert pontificem remittere peccata impudicitiae et simul, arguens ad hominem, testatur catholicos non remittere alia duo peccata capitalia, scilicet idololatriam et homicidium; Hippolytus vero testatur Callistum "dicere omnibus a semet dimitti peccata" et sequaces Callisti "nullum peccatum prohibere" et "omnibus sine discrimine communionem afferre", exhibetque nominatim impudicitiae, infanticidii et haeresis remissionem.

Hinc patet duo testimonia esse discordantia quoad praecipuum punctum huc spectans, scilicet tum quoad rationem novitatis, tum quoad rationem reservationis; Tertullianus enim tacet novitatem, ostendit reservationem, Hippolytus econtra clamat novitatem, negat reservationem. Cuiam credendum est? Si, juxta quorundam sententiam (uti Galtier), ipsi non agunt de eodem pontifice et decreto, utrique credi potest, demptis utriusque exaggerationibus et calumniis; si vero, juxta aliorum sententiam (uti D'Alès), ipsi invehunt contra

eundem Callistum, potius Hippolyto credendum est qui quoad rationem observatae disciplinae in reconciliatione lapsorum "non potuit tam audacter mentiri Romae et in scripto historico quam Tertullianus Carthagine et in libello polemico".²² In utroque casu ex testimonio Hippolyti nihil confirmationis provenit testimonio Tertulliani in sensu quo hoc intelligitur ab adversariis; innovatio Callisti, quam improbat Hippolytus, non implicat abolitionem reservationis ullius peccati et a fortiori tota praxis Callisti nullam ostendit peccatorum reservationem; si quae fuit innovatio, quae potuit calumniis et exaggerationibus Hippolyti facilem ansam praebere, tota reponenda est in quadam indulgenti relaxatione severioris disciplinae, praecipue erga frequentiora peccata carnis, quibus oportuit aptius remedium per moderatiorem poenitentiam praebere.

Inde non mirum est ipsum *Funk* tandem aliquando testimonio Hippolyti fere valedixisse. Ad rem *D'Alès*: "Dans une récénsion . . . de la 'Théologie de saint Hippolyte', parue quelques semaines après sa mort dans la 'Literarische Rundschau für das katholische Deutschland', ler juin 1907, col. 250, le regretté savant faisait ses réserves sur les pages où je l'avais combattu, mais déclarait pouvoir en somme souscrire à ma conclusion final. . . Voici cette conclusion, à laquelle Funk, dans ces lignes écrites peu de jours avant sa mort, déclarait s'associer, quant à la substance: 'Moins encore que Tertullien, Hippolyte peut être cité comme témoin pour établir qu'avant Calliste l'Eglise romaine tenait comme absolument irrémisibles, en fait et en droit, les trois péchés d'impudicité, de meurtre et d'idolâtrie.'"²³

ORIGENES (circa 185–254).²⁴

Duplici Tertulliani et Hippolyti testimonio, tertium ex coaetaneo

²² *D'Alès*, De Poenitentia, Parisiis, 1926, p. 31.

²³ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 227, in nota.

²⁴ *I. Döllinger*, Hippolytus und Kallistus, Regensburg, 1853, p. 254–266.

C. Bigg, The Christian Platonist of Alexandria, Oxford, 1886, p. 217 sqq.

Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, t. 1, p. 439–444.

P. A. Kirsch, Die Behandlung der crimina capitalia in der morgenländischen Kirche im Unterschied zur abendländischen, in Archiv für katholisches Kirchenrecht, t. 84 (1904), p. 269 sq.

J. Stuffer, Die Sündenvergebung bei Origenes, in Zeitschrift für katholische Theologie, t. 31 (1907), p. 193–228.

H. Windsch, Taufe und Sünde im ältesten Christentum bis auf Origenes, Tübingen, 1908, p. 485 sq.

B. Poschmann, Die Sündenvergebung bei Origenes, Braunsberg, 1912.

D'Alès, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 252–296; La théologie de Saint Hippolyte, Paris, 1906, p. 44 sq.

Gallier, L'Eglise et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 185–213; Les péchés "incurables" d'Origène, in Gregorianum, t. 10 (1929), p. 177–209.

E. Latko, Origen's Concept of Penance, Quebec, 1949.

K. Rahner, La doctrine d'Origène sur la Pénitence, in Recherches de science religieuse, v. 37 (1950), p. 47–97. 252–286. 422–457.

Origene addunt supradicti protestantes et catholici eruditi, ut ex tribus dissitis ac potioribus ecclesiis, romana scilicet, africana et alexandrina, concordem colligant vocem, quae reprobet mutationem disciplinae inductam tempore Callisti et indirecte testetur prioris aetatis reservationem quoad tria peccata capitalia.

Hanc trinam concordantiam maxime inculcavit ac veluti in systema erexit *Döllinger*, quem inter protestantes secuti sunt praecipue *Harnack* et *Bigg*, inter catholicos vero, magis vel minus asseveranter et constanter, *Funk*, *Rauschen*, *Batiffol*, *Vacandard* et *Amann* (cf. infra, p. 381 sq.).

Praecipuum fundamentum theoriae est textus *De oratione*, 28, 8–10, de tribus peccatis capitalibus irremissibilibus (cui quidam addunt In Matth., serm. 114, ubi de negatione Petri, et In Joan., l. 18, 13, ubi de blasphemia in Spiritum S.). Observat etiam *Döllinger* Origenem Romae occurrisse Hippolyto (testatur enim Hienonymus, Lib. de viris illustribus, 61, M.L. 23, 707, Hippolytum composuisse “προσομίαν de laude Domini Salvatoris, in qua praesente Origene, se loqui in ecclesia significat”) et, sicut Hippolytum, docuisse errorem Subordinationismis. Cum tamen manifestum sit Origenem in pluribus locis docere remissibilitatem omnium peccatorum, quidam ut *Döllinger*, *Bigg* et *Vacandard* (quibus in hac re consentiunt *K. Holl*, *Kirsch*, *Windisch*, *Tixeront*) suam sententiam emolliunt, dicentes Origenem paulatim ex strictiori sententia, expressa in libro *De Oratione* (232–235) transisse ad benignam et communem sententiam, expressam in opere *Contra Celsum* (246–248).

Integrum textum *De Oratione* 28, 8–10, citavimus in art. 1 (tom. 1, p. 111 sq.); verba autem incriminata sic sonant: “Sunt nonnulli qui nescio quomodo sibi arrogent ea quae sacerdotalem superant dignitatem, forte etiam rudes sacerdotalis disciplinae, glorianturque quasi possint etiam idololatriam condonare, adulteriaque et fornicationes remittere: quasi, modo pro iis oraverint qui eiusmodi facinora perpetrarunt, solvendum sit etiam, quod ad mortem est, peccatum. Non enim illud legunt: ‘Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis’” (M.G. 11, 530).

Si verba huius loci per se sola accipiantur, separata nempe ab ipso immediato contextu, manifeste expriment remissionem idololatriae et moechiae superare sacerdotalem potestatem; si vero accipiuntur, ut oportet, in sua logica connexionem tum cum immediato contextu, tum cum remotiori contextu totius loci, tum a fortiori cum tota doctrina Originis, expressa in aliis ejus operibus, significant tantum sacerdotes

non posse remittere graviora peccata ubi desit dispositio in subjecto, seu ea peccata quae, concurrente subjecti indispositione cum gravitate malitiae, constituunt insanabile "peccatum ad mortem".

Primo, hoc ostendit *immediatus contextus*. Nam primum membrum "Sibi arrogant ea quae sacerdotalem superant dignitatem . . . glorianturque quasi possint etiam idololatriam condonare, adulteriaque et fornicationes remittere" explicatur immediate per secundum membrum aequivalens "*Quasi, modo pro iis oraverint* qui ejusmodi facinora perpetrarunt, solvendum sit etiam, quod ad mortem est, peccatum"; ergo Origenes suam negationem potestatis sacerdotis determinat tantum ad hoc, ut nempe peccata remittantur per hoc solum quod sacerdos ea absolvat, etiam si sint peccata ad mortem, i.e. si sint talia quibus coniungatur indispositio subjecti, seu defectus poenitentiae contentus in oculata et obdurata malitia (haec enim notio peccati ad mortem colligitur ex variis locis Origenis ad invicem comparatis, uti In Matth., serm. 114, In Joan., l. 2, 11; l. 28, 15). Confirmatur ex fine quem manifesto Origenes prosequitur in hac pericope, redarguendi nempe abusum quorundam sacerdotum qui, ex arrogantia ("sibi arrogant"), ignorantia ("rudes sacerdotalis disciplinae") et praesumptione ("gloriantur"), facilem veniam concedebant, quasi sufficeret ad remissionem peccatorum quod ipsi verba absolutionis pronuntiarent, nulla habita ratione gravitatis peccati et proportionatae subjecti dispositionis. Non igitur negat Origenes peccata capitalia posse remitti a sacerdotibus, sed vult ea absolvi non debere nisi post congruentem probationem dispositionis subjecti, seu post longam et publicam poenitentiam, qualem exigebat disciplina illius aetatis. Nec aliter locutus est paulo posterius ipse *Cyprianus*, concessor veniae et moechis et apostatis, increpans modum agendi quorundam sacerdotum qui contra "divina praecepta" facilem communionem concedebant "ante actam poenitentiam, ante exomologesim, gravissimi, atque extremi delicti factam" (Ep. 10, 1 sq.; cf. Ep. 9, 2; De lapsis, 17). *Galtier* suggerit ulteriorem determinationem verborum Origenis, juxta quam textus De Oratione contineret testimonium poenitentiae privatae, quae tunc temporis concederetur pro culpis minoribus, quaque abutebantur sacerdotes ab Origene reprehensi, eam concedentes etiam reis trium peccatorum capitalium, quae juxta communem disciplinam reservabantur publicae poenitentiae.²⁵

Secundo, id ostendit *contextus totius loci*. Origenes enim ex verbis institutionis "Quorum remisistis peccata" explicite deducit quod

²⁵ Cf. Les péchés incurables d'Origène, in Gregorianum, t. 10 (1929), p. 209; L'église et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 203-205. 213.

sacerdos “*dimittit quae dimitteret Deus et insanabilia peccata retinet*”, ergo non negat peccata idololatriae et impudicitiae posse remitti a sacerdote, nisi neget ea posse remitti a Deo, vel potius eo modo intelligit non posse remitti a sacerdote quo non remittuntur a Deo, i.e. in sensu composito cum indispositione subjecti, qua evadunt peccatum ad mortem. Propterea, sibi obiciens quod, si Christus per verba institutionis dedit Apostolis potestatem remittendi omnia peccata, “accusandi videbuntur apostoli, quod non omnibus remittant . . . sed quorundam retineant peccata”, respondet quod apostoli et sacerdotes “disciplina divini cultus instructi et a Spiritu edocti, *sciunt pro quibus peccatis, et quando et quomodo offerre sacrificium oporteat, et pro quibus non oporteat etiam norunt*”; ubi patet non agi de negatione aut restrictione potestatis, sed de ejus exercitio attemperando copulatae rationi gravitatis peccati et dispositionis subjecti.

Tertio, id constat ex generali ac constanti Origenis doctrina, distributa per tot variaequae indolis opera, qua asserit omne poenitentiae ministerium commissum a Deo esse in manibus Ecclesiae: In Num., hom. 10, 1; In Psal. 37, hom. 1, 1 et 2, 1; In Lev., hom. 3, 4; 8, 10; In Ezech., hom. 10, 1; In Joan., l. 28, 5 sq.; omnia peccata esse per Ecclesiam remissibilia: In Exod., hom. 6, 6; In Psalm. 37, hom. 1, 1; In Ezech., hom. 3, 8; In Jerem., hom. 19, 9; In Joan., l. 28, 6; C. Celsum, 3, 51; difficultatem obtinendi quorundam peccatorum remissionem provenire ex ipsius subjecti malitia vel indispositione, ratione cujus exigitur major probatio ac satisfactio et validior intercessio: In Joan., l. 2, 6; 28, 13; Ep. 4, ad Serapionem, 10 (fragmentum apud Athanasium); In Jerem., hom. 15, 5; C. Celsum, 3, 51; In Psal. 37, hom. 2, 6; In Luc., hom. 17; In Matth., t. 13, 30; De Orat. 14, 2, 6.

Insignis inter alios est locus *C. Celsum, 3, 51*: “*Ea . . . est agendi ratio in eos qui peccant et maxime qui libidini se dedunt, ut illos a suo coetu prohibeant [christiani]. . . Ut perditos et Deo mortuos ludent eos qui libidine aut quovis alio crimine dejecti sunt; eosdem vero quasi e mortuis excitatos ducunt, si eam morum mutationem fecerint, cujus ratio haberi debeat; tardius tamen admittuntur quam qui primo recipiuntur: et quia post professam religionem lapsi sunt, ab omni post hac dignitate et praefectura in Ecclesia Dei arcentur*” (M.G. 11, 987).

Quod autem supradicti eruditi aiunt de evolutione doctrinae Origenis ex severiori sententia in mitiorem, nullum habet fundamentum in ejus operibus, eo vel magis quod eadem doctrina quam exprimit locus *C. Celsum* (a. 246–248) continetur etiam in operibus exaratis eodem fere tempore ac liber *De Oratione* (a. 232–235), scilicet in *Periarchon* (a. 230) et *Ad martyrium exhortatione* (a. 235).

Quod tandem addunt de connexione testimonii Origenis cum decreto Callisti ejusque concurrentia cum testimonio Tertulliani et Hippolyti, voluntarium est. Nam praefatus textus De Oratione, qui assumitur ut fundamentum hujus assertionis, diversum imprimis habet sensum ab impugnatione Tertulliani, ut dictum est; secundo, nullam continet allusionem ad acta Callisti, vel ad aliquod decretum seu generalem et determinatam decisionem ecclesiasticae auctoritatis in materia poenitentiali; tertio, nullam habet relationem sive loci sive temporis cum actis Callisti, liber enim De Oratione editus est Alexandriae a. 232–235, saltem post decem annos a morte Callisti (a. 222) sub istius secundo vel quarto successore: quomodo ergo potuit Origenes dicere de praxi Callisti: “Sunt nonnulli qui nescio quomodo sibi arrogant ea quae sacerdotalem superant dignitatem?”

Inde non mirum est ipsos *Batiffol, Vacandard et Tixeront* suam sententiam reformasse et testimonio Origenis fere valedixisse.

BATIFFOL in prioribus editionibus sui operis *Etudes d'histoire et de théologie positive*, première série, Paris, 1904, p. 109, scripserat: “Ce passage d'Origène nous révèle d'abord le sentiment même d'Origène, et sans doute aussi celui de l'Eglise de Césarée: l'évêque a le pouvoir de remettre les fautes involontaires, même les fautes formelles, mais de ce pouvoir on exclut l'adultère, l'homicide et l'idolâtrie. C'est la discipline des Eglises dissidentes signalées par saint Cyprien, c'est la discipline défendue par Tertullien et les Philosophoumena.” In sexta vero éditione, sic emendabat: “Le texte [De Oratione] suffirait à ranger Origène à côté de Tertullien si ce texte était unique dans l'oeuvre d'Origène: mais . . . il s'en trouve nombre d'autres qui prononcent la rémissibilité des 'graviora crimina'. . . Je ne crois plus qu'on puisse dire qu'Origène est un témoin de la tendance contraire à celle de Calliste et de saint Cyprien” (p. 109 sq.); “J'ai lu [L'édit de Calliste par D'Alès] . . . avec soin; en ce qui concerne Origène, il m'a paru avoir tiré au clair le sens d'un texte du 'De Oratione' qui faisait jusqu'ici difficulté, et on verra que j'ai accepté l'interprétation du R. P.” (Avant-propos de la sixième édition, p. XXIV).

VACANDARD minus decise et quasi invitus: “Quand nous laisserions de côté . . . [le témoignage] d'Origène, qui a été évidemment altéré par les manipulateurs du bas moyen âge (nous n'avons pas l'original grec), il nous en resterait encore quatre ou cinq autres, notamment ceux de Clément d'Alexandrie, de Tertullien et de saint Augustin”;²⁶ “On sait qu'Origène (De Oratione, 28, Patr. gr., t. XI, col. 529) témoigne aussi en faveur du rigorisme de la discipline pénitentielle pour les péchés mortels. Cf. *Tixeront*, Histoire des dogmes, t. I, p. 301. Pour une interprétation bénigne de ce texte, cf. *D'Alès* [La théologie de saint Hippolyte, p. 44–46] . . . dont nous ne saurions admettre les conclusions”;²⁷ “Au troisième siècle, nous retrouvons à Alexandrie la même doctrine sous la plume d'Origène. Celui-ci a varié sur le traitement à appliquer aux péchés graves. Après les avoir déclarés irrémisibles [De Oratione, 28], il semble les avoir considérés rémissibles, au moins pour une fois.”²⁸

TIXERONT in sua *Histoire des dogmes*, t. 1, emollivit suam interpretationem

²⁶ In *Revue du Clergé Français*, t. 21 (1899), p. 48.

²⁷ *Ibid.*, t. 50 (1907), p. 130, in nota.

²⁸ *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, deuxième série, Paris, 1910, p. 102.

textus Origenis De Oratione. In prima editione (1905, p. 301) scribebat: "Si l'on remarque que la contradiction existe surtout entre un ouvrage dont nous avons le texte grec — le 'De oratione' — et des ouvrages dont nous ne possédons plus que la traduction latine, l'explication la plus vraisemblable est que le traducteur latin du IV^e siècle a retouché dans sa traduction la doctrine des textes originaux, pour la mettre en harmonie avec la discipline de son temps". In quinta editione vero: "Origène a modifié sur ce sujet sa manière de voir et l'a mise en harmonie avec la discipline qui prévalait vers la fin de sa vie". In septima tandem editione (1914): "Un seul texte, à vrai dire, celui du 'De oratione', 28, ne paraît pas avoir reçu jusqu'ici d'explication directe pleinement satisfaisante; mais en supposant même qu'il traduise, dans sa signification obvie, la pensée d'Origène, ce texte, écrit en 232-235, ne traduirait pas sa pensée définitive, puisque tous les autres — sauf peut-être In Joan., XXVIII, 6 — lui sont postérieurs en date" (p. 322).

Post haec, mirabilis admodum apparet perseverantia quam AMANN, fere derelicto ipso testimonio Tertulliani, adhuc tenaciter suspendit theoriam illam de poenitentiali innovatione facta initio saec. 3, fragili testimonio Origenis, scribens: "Laissons-le donc [Tertullien] et, bien que son témoignage doive être cité, renonçons à en faire la base d'une théorie. Autrement serein et tout aussi expressif est le témoignage d'Origène, dans le 'De oratione'. Le texte, quand l'on prend soin de le citer dans son intégralité, est d'une clarté qu'aucun commentaire ne réussit à obscurcir. . . C'est l'évidence même qu'à l'époque où Origène écrit ces lignes une tendance miséricordieuse se fait jour chez certains membres de la hiérarchie. tendance contre laquelle le docteur alexandrin proteste au nom d'une tradition qu'il considère comme apostolique. Or, ceci est écrit sensiblement à la même date où Tertullien et Hippolyte font entendre leurs véhémentes protestations, au nom des mêmes principes, contre une tendance analogue, pour ne pas dire identique".²⁹

Ex dictis de copulato testimonio Tertulliani, Hippolyti et Origenis, patet quam facile suo ipso pondere ruat speciosum illud aedificium de Callistiana innovatione poenitentialis disciplinae, a modernis eruditis in tribus fragilibus columnis tam laboriose elevatum. Jam a. 1906 D'Alès scribebat: "Pour élégante qu'elle soit, cette construction historique nous semble, dans sa rigueur, bien artificielle, et bâtie sur un fondement peu solide: il est permis de s'étonner qu'elle ait tenu si longtemps contre les démentis nombreux que lui donnent les faits";³⁰ et a. 1914 hoc iudicium confirmabat, scribens: "Même restreint aux trois péchés capitaux, un tel refus [de réconciliation] ne répond à aucune réalité historiquement constatée au sein de la vraie Eglise".³¹

B. CONTROVERSIA DE RECONCILIATIONE APOSTATARUM.³²

²⁹ In Dict. Théol. Cath., art. Pénitence, col. 781.

³⁰ La théologie de Saint Hippolyte, Paris, 1906, p. 40.

³¹ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 238. Ibidem, p. 238-240, citantur verba plurium historicorum, qui in hanc conclusionem per varias vias convenerunt, scilicet inter catholicos: Esser, Stuffer, Lebreton, Monceaux, Diekamp, Bardenhewer, Adam, Aitzberger; inter ipsos vero protestantes: Preuschen, Hauck, Bethune-Baker, Loojs, Seeberg.

³² Chaballier, Les Lapsi dans l'Eglise d'Afrique au temps de saint Cyprien, Lyon, 1904. Stuffer, Die Behandlung der Gefallenen zur Zeit der decischen Verfolgung, in Zeitschrift für katholische Theologie, t. 31 (1907), p. 577-618; Einige Bemerkungen zur Busslehre Cyprians, ibid., t. 33 (1909), p. 232-247.

Ut notatum est supra (p. 363), alterum assertum modernae theoriae de evolutione poenitentialis disciplinae, nonnisi nempe circa medium saec. 3 sublatam esse ab Ecclesia reservationem quoad peccatum apostasiae, fundatur in *triplici testimonio*, connexo cum sic dicta Controversia de Lapsis, i.e. in *doctrina Cypriani*, in *praxi romano-carthaginiensi* de reconciliatione lapsorum in persecutione Decii, et in *schismate Novatianorum*. Jamvero haec tria potius contrarium ostendunt, scilicet immutatam Ecclesiae praxim concedendi veniam quibuslibet peccatis.

DOCTRINA CYPRIANI (200–258; episcopatus 249–258).

Hujus Patris doctrina apparet intime conserta cum ejus praxi, mox exhibenda, atque ab ea maxime illustratur. Ex ejus scriptis, praecipue ex Epistolis et libello De lapsis, facile est colligere sententias in quibus ostenditur traditionalis fides et sensus Ecclesiae de remissibilitate quorumlibet peccatorum et inculcatur officium pastorum omnibus poenitentibus reconciliationem exhibendi. Ex ipsis paucis locis, quos citavimus in art. 1 (tom. 1, p. 113 sq.), haec habes.

Omnes peccatores indiscriminatim invitantur ad ecclesiasticam reconciliationem per poenitentiam: “Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est” (De lapsis, 29, M.L. 4, 504).

Omnibus lapsis, etiam reis “gravissimi atque extremi delicti”, et nominatim apertae *apostasiae*, venia potest concedi, etsi post congruam poenitentiam: “Lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus vivificari properet? quis non ad salutem suam venire festinet?” (Epist. 10, 2, M.L. 4, 260.)

Ab agenda poenitentia *nemo prohiberi* et toto corde poenitentibus pax a sacerdote concedi debet: “Praecludere est atque abscindere iter doloris ac poenitendi viam, ut cum in Scripturis omnibus Dominus Deus revertentibus ad se et poenitentibus blandiatur, nostra duritia et crudelitate, dum fructus poenitentiae intercipitur, poenitentia ipsa tollatur. Quod si invenimus a poenitentia agenda neminem debere prohi-

Poschmann, Zur Bussfrage in der cyprianischen Zeit, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, t. 37 (1913), p. 25–54; 244–265.

Tixeront, Histoire des dogmes, vol. 1, Paris, 1930, p. 369–377; *Mélanges de patrologie et d'histoire des dogmes*, chap. 7–8 (Saint Cyprien), Paris, 1921, p. 153–209.

Batifol, Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 111–144. *C. H. Turner*, St. Cyprian's correspondence, in *Studies in early Church history*, Oxford, 1912, p. 97–131.

D'Allès, L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 297–349; *La théologie de Saint Cyprien*, Paris, 1922, p. 272–288; *Novatien*, Paris, 1925, p. 138–169.

Harnack, Art. Lapsi, et art. Novatian, in *Real Encyclopädie für prot. Theologie und Kirche* (Herzog-Hauck).

beri, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, per sacerdotes ejus pacem posse concedi, admittendus est plangentium gemitus, et poenitentiae fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde poenituerint et roga-verint in Ecclesiam debent interius suscipi” (Ep. 52, ad Antonianum, 29, M.L. 3, 819).

De *moechis* ait: “Nam et moechis a nobis poenitentiae tempus conceditur et pax datur” (Epist. 52, 20, M.L. 3, 810).

Dummodo adsit vera poenitentia, valet apud Deum quidquid in remissionem conceditur a sacerdotibus: “Si precem toto corde quis faciat, si veris poenitentiae lamentationibus et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat, misereri talium potest qui et misericordiam suam protulit. . . Potest ille indulgentiam dare, sententiam suam potest ille deflectere. Poenitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere, potest in acceptum referre quidquid pro talibus et petierint martyres et fecerint sacerdotes” (De lapsis, 36, M.L. 4, 508).

Contra Evangelium agunt qui veniam poenitentibus denegant: “Miror autem quosdam sic obstinatos esse ut dandam non putent lapsis poenitentiam, aut poenitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: ‘Memento unde cecideris, et age poenitentiam, et fac priora opera’ (Apoc. II, 5). . . Quos utique ad poenitentiam Dominus non hortaretur, nisi quia poenitentibus indulgentiam pollicetur” (Epist. 52, 22, M.L. 3, 812).

Obiciunt quaedam verba Cypriani de peccato irremissibili. Operis scilicet *Testimoniorum adversus Judaeos ad Quirinum*, libri tertii, caput 28 sic inscribitur: “*Non posse in Ecclesia remitti ei qui in Deum deliquerit*”; ad quod assertum probandum, Cyprianus nihil aliud facit quam citare, absque ullo commento aut explicatione, geminum textum Matth. 12, 32 et Marc. 3, 29, de irremissibili peccato in Spiritum S., et verba 1 Reg. 2, 25: “Si delinquendo peccet vir adversus virum, orabunt pro eo Dominum. Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo?” (M.L. 4, 781 sq.)

Attamen, inepte deducitur irremissibilitas peccati idololatriae ex brevi illa ac veluti transeunti sententia, excerpta ex parvo illo compendio christianae doctrinae ad praedicatorum usum, quae nihil aliud in ore Cypriani significare potest quam gravitatem quorundam peccatorum et consequentem difficultatem, seu relativam impossibilitatem, assequendi eorundem remissionem. Eundem quippe sensum irremissibilitas peccati in Spiritum S. habet in ore Christi, S. Pauli et S. Joan-

nis, necnon in communi Patrum Traditione, ut vidimus in art. 85.

Ceterum, ipse Cyprianus satis clare semetipsum explicat, ut omne prorsus vel apparens dubium circa sensum illius asserti expellatur. Et imprimis, tota ejus doctrina et tota ejus praxis in hoc collimat ut nulli peccato, et signanter apostasiae quae peculiariter est peccatum contra Deum, venia denegetur. Praeterea, peccatum in Deum Cyprianus vocat non tantum idololatriam sed etiam impudicitiam et adulterium, quo templum Dei violatur (Ep. 52, 27: "Quisquis adulterio templum Dei violat, Deum violat"). Praeterea, praedictum textum Marc. 3, 29 de peccato irremissibili Cyprianus adducit etiam in Epist. 9, 2, ad inculcandam gravitatem "summi delicti" in Deum commisi a lapsis, quibus tamen veniam pollicetur; item praefatum textum 1 Reg. 2, 25, adducit etiam in libro De exhortatione martyrii, ad Fortunatum, 4, ad probandam tantum difficultatem assequendi veniam pro peccato idololatriae, i.e. "non facile ignoscere Deum idololatri" (M.L. 4, 684). Praeterea, in De lapsis, 17, alium sensum substernit illi sententiae "Solutus Deus potest remittere peccata in ipsum commissa", scilicet sacerdotem non propria potestate agere in opere remissionis, sed hoc totum reduci ad Dei potestatem et indulgentiam: "Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solutus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quae in ipsum commissa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major; nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest, quod in Dominum delicto graviore commissum est, ne adhuc lapsus et hoc accedat ad crimen si nesciat esse praedictum: 'Maledictus homo qui spem habet in homine' (Jerem., XVII, 5)" (M.L. 4, 494 sq.).

PRAXIS ROMANA ET CARTHAGINENSIS quoad reconciliationem lapsorum in persecutione Decii (249-252).

Haec concors et copulata praxis utriusque Ecclesiae, ducibus hinc inde Cornelio et Cypriano, ad duo momenta reduci potest:

Sede vacante a morte Fabiani ad electionem Cornelii (a mense januarii 249 ad mensem martii 251), Cyprianus, approbante presbyterio romano in duplici praecipue epistola ad eum missa (Epist. 2 et 31;³³ epistolam 31 scripsit ipse Novatianus), conatur suppressere abusum reconciliandi lapsos, seu apostatas, absque congrua poenitentia et praeter ordinem ecclesiasticae disciplinae; qui abusus sequebatur tum ex facili concessione libellorum pacis ex parte martyrum, tum ex laxa seu exaggerata indulgentia quorumdam sacerdotum et male intellecta

³³In numerandis epistolis Cypriani sequimur, ut de more, ordinem Patrologiae Migne (t. 4), utpote facilioris consultationis.

indole ac limite propriae potestatis. Affirmato jugiter principio divinae ac ecclesiasticae veniae omnibus paratae, Cyprianus jubet ne iudicetur de lapsis aut ecclesiastica pax eis concedatur, donec, cessata persecutione, de illorum causa decerni possit conciliariter ab episcopatu; excipit tamen lapsos in periculo mortis constitutos, quos jubet immediate reconciliari. Haec acta referuntur in Epistolis Cypriani, praecipue epist. 2. 3. 9. 10. 11. 12. 13. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54, inter quas 2. 30. 31 sunt ipsius cleri romani ad Cyprianum; ad rem faciunt etiam duo opera Cypriani De lapsis et De catholicae Ecclesiae unitate.

Electo Cornelio (251–253) ac sopita persecutione (251), Concilium Carthaginense a. 251 sub Cypriano causam lapsorum discussit ac sequentibus tribus decisionibus regulavit, quas refert Cyprianus in sua Epistola ad Antonianum, episcopum in Numidia (Epist. 52, 17 et 23): lapsis libellaticis (qui nempe tantummodo simulaverant se sacrificasse, procurantes sibi libellum seu documentum sacrificii) venia immediate concedenda est; sacrificatis vero (qui nempe reapse sacrificaverant) danda est poenitentia sed venia differenda est usque ad articulum mortis; his vero qui poenitentiam et reconciliationem non petunt nisi in articulo mortis, venia deneganda est, quia hac agendi ratione ipsi ostendunt se indispositos, seu non moveri vera poenitentia sed timore periculi. Attamen, subsequens Concilium Carthaginense a. 252, ratione novae persecutionis quae imminere putabatur, praedictam dispositionem de sacrificatis mitigavit, decernens ut et ipsis venia immediate concederetur, eo fine ut paratiores invenirentur ad fidem Christi confitentem. Hanc decisionem refert et excusat Cyprianus in Epistola synodica ad Cornelium P. (Epist. 54, 1).

Romae interim, post Cornelii electionem, Novatiani schismate exorto, Concilium Romanum sub eodem Pontifice a. 251 Novatianam factionem condemnat et simul Carthaginenses de lapsis decisiones approbat, ut testatur Cyprianus, Epist. 52, 6: “Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum: qui et Ipse cum plurimis coepiscopis habito concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit” (M.L. 3, 792). Paulo post, Maximo, Urbano et Sidonio cum suis sequacibus ex schismate Novatiani ad Ecclesiam redeuntibus, Cornelius immediatam reconciliationem concedit, ut ipse exponit in sua Epistola ad Cyprianum (Epist. 46, inter epp. Cypriani).

En praecipua verba quae huc peculiariter faciunt:

EX ACTIS ROMANIS:

Clerus Romanus in prima epistola de lapsis scripta ad Cyprianum (Epist. 2,

inter Cypr., 2 sq.), manifestat sollicitudinem subveniendi apostatis: "Ecclesia stat in fide, licet quidam terrore ipso compulsi, sive quod essent insignes personae, sive apprehensi, timore hominum vererentur: quos quidem separatos a nobis non derelinquimus, sed *ipso cohortati sumus et hortamur agere poenitentiam*, si quo modo indulgentiam poterunt recipere ab eo qui potest praestare, ne, si relicti fuerint a nobis, peiores efficiantur. Videtis, ergo, fratres, quoniam et vos hoc facere debetis, ut etiam illi qui ceciderunt hortatu vestro corrigentes, animos eorum, si apprehensi fuerint iterato, confiteantur, ut possint priorem errorem corrigere, et alia quae incumbunt vobis; quae etiam et ipsa subdidimus, ut si qui in hanc tentationem inciderunt, coeperint apprehendi infirmitate, et agant poenitentiam facti sui et desiderent communionem, *utique subveniri eis debet*" (M.L. 4, 232).

In *secunda epistola* ad eundem (Epist. 30, infra cit. in art. 98, p. 674), Romanum Presbyterium consentit Cypriano reprobanti eos, qui ob acceptum a martyribus bellum pacis, sibi vindicabant jus pacis seu reconciliationis cum Ecclesia.

In *tertia epistola* ad eundem (Epist. 31, 3. 8), ab ipso Novatiano exarata, idem Romanum Presbyterium approbat Cypriani modum agendi erga lapsos, commendans necessarium temperamentum inter rigorem disciplinae et sollicitudinem subveniendi lapsis, ita ut concedatur eis venia in periculo mortis: "Absit . . . ab Ecclesia Romana vigorem suum *tam profana facilitate dimittere* et nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut, cum adhuc non tantum jaceant, sed et cadant eversorum fratrum ruinae, properata nimis remedia communicationem utique non profutura praestentur, et nova per misericordiam falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur et poenitentia! Ubi enim poterit indulgentiae medicina proficere, si etiam ipse medicus *intercepta poenitentia indulget periculis?* si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere . . . Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quaerentes diu, et quidem multi, et quidem cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positus persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credimus; ut interim, dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, *in suspensio eorum qui moras possunt dilationis, sustinere causa teneatur, eorum autem quorum vitae suae finem urgens exitus dilationem non potest ferre*, acta poenitentia et professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere poenitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substitit, ita demum *caute et sollicite subveniri*, Deo ipso sciente quid de talibus faciat et qualiter iudicii sui examinet pondera, nobis tamen anxie curantibus ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere poenitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem" (M.L. 4, 318. 322 sq.).

Cornelius in sua epistola ad Cyprianum (Epist. 46, inter epp. Cypriani), referens reconciliationem ab ipso una cum presbyterio romano concessam Maximo, Urbano, Sidonio aliisque multis qui schismati Novatiani adhaeserant, scribit: "Ista eorum professione [fidei et oboedientiae] non moveremur; ut quod apud potestatem saeculi erant confessi, in Ecclesia constituti comprobarent? Quapropter Maximum presbyterum locum suum agnoscere jussimus: caeteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata" (M.L. 3, 746).

EX ACTIS CARTHAGINENSIBUS:

Cypriani praxis durante persecutione.

Epist. 9, 2: "Haec qui subtrahit fratribus nostris, decipit miseros; ut qui possunt, agentes poenitentiam veram, Deoque Patri et misericordii precibus et operibus suis

satisfacere, seducantur ut magis pereant, et qui erigere se possent, plus cadant. Nam, cum in minoribus peccatis agant peccatores poenitentiam justo tempore, et, secundum disciplinae ordinem, ad exomologesim veniant, et per manus impositionem episcopi et cleri jus communicationis accipiant, nunc crudo tempore, persecutione adhuc perseverante, nondum restituta Ecclesiae ipsius pace, ad communicationem admittuntur et offertur nomen eorum, et, nondum poenitentia acta, nondum exomologesi facta, nondum manu eis ab episcopo et clero imposita. Eucharistia illis datur" (M.L. 4, 257 sq.).

Epist. 10, 1 sq.: Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco non tantum illic vobis non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri, ut ea quae a vobis ipsis et circa Deum caute et circa sacerdotem Dei honorifice fiunt, a quibusdam presbyteris resolvantur, qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes... ante actam poenitentiam, ante exomologesim, gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam, offerre pro illis et Eucharistiam dari, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit: 'Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini' (1 Cor., XI, 27). Et lapsis quidem potest in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus vivificari properet? quis non ad salutem suam venire festinet? Sed praepositorum est praeceptum tenere, et vel properantes vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent lanii fiant" (M.L. 4, 260).

Epist. 12, 1: "Quoniam . . . video facultatem veniendi ad vos nondum esse et jam aetatem coepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur. occurrendum puto fratribus nostris ut qui libellos a martyribus acceperunt, et praerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata praesentia nostra apud presbyterum quemcumque praesentem, vel, si presbyter repertus non fuerit, ut urgere exitum coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt" (M.L. 4, 265).

Conc. Carthaginensis decisiones.

Epist. 52 (Cypriani ad Antonianum), 6: "Secundum quod . . . ante fuerat destinatum, persecutione sopita, cum data esset facultas conveniendi, copiosus episcoporum numerus, quos integros et incolumes fides sua et Domini tutela protexit, in unum convenimus, et Scripturis diu ex utraque parte prolati, temperamentum salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis et pacis lapsis denegaretur; ne plus desperatione deficerent, et eo quod sibi Ecclesia cluderetur, secuti saeculum gentiliter viverent; nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent; sed traheretur iud poenitentia, et rogaretur dolenter paterna clementia, et examinarentur causae et voluntates et necessitates singulorum, secundum quod libello continetur, quem ad te pervenisse confido, ubi singula placitorum capita conscripta sunt. Ac si minus sufficiens episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum: qui et ipse cum plurimis coepiscopis habito concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate et salubri moderatione consensit" (M.L. 3, 791).

Ibid. 17: "Placuit . . . examinatis causis singulorum, libellaticos interim admitti, sacrificatis in exitu subveniri: qua Exomologesis apud inferos non est, nec ad poenitentiam quis a nobis compelli potest, si fructus poenitentiae subtrahatur. Si praelium prius venerit, corroboratus a nobis invenitur armatus ad praelium. Si vero ante praelium infirmitas urserit, cum solatio pacis et communicationis abscedit" (M.L. 3, 808).

Ibid. 23: "Poenitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censui-

mus a spe communicationis et pacis, si in infirmitate atque in periculo coeperint deprecari; quia rogare illos *non delicti poenitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit*, nec dignus est in morte accipere solatium qui se non cogitavit esse moriturum" (M.L. 3, 814).

Epist. 54 (epistola synodica ad Cornelium P.), 1: "Statueremus quidem pridem, frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutionis infestatione supplantati ab adversario et lapsi fuissent, et sacrificiis se illicitis maculassent, agerent diu poenitentiam plenam, et si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent. Nec enim fas erat aut permittebat paterna pietas et divina clementia, Ecclesiam pulsantibus claudi, et dolentibus ac deprecantibus spei salutaris subsidium denegari, ut de saeculo recedentes sine communicatione et pace ad Dominum dimitterentur; quando permisit ipse et legem dederit (Matth. XVI, 19), ut ligata in terris, et in coelis ligata essent, solvi autem possent illic, quae prius in Ecclesia solverentur. Sed enim cum videamus diem rursus alterius infestationis appropinquare coepisse, et crebris atque assiduis ostensionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hostis indicit, armati et parati simus; plebem etiam nobis de divina dignatione commissam exhortationibus nostris paremus, et omnes omnino milites Christi, qui arma desiderant, et praelium flagitant, intra castra Dominica colligamus: necessitate cogente censuimus, eis qui de Ecclesia Domini non recesserunt, et poenitentiam agere et lamentari ac Dominum deprecari a primo lapsus sui die non destiterunt, *pacem dandam esse*; et eos ad praelium, quod imminet, armari et instrui oportere" (M.L. 3, 880-882).

Severitas quorundam episcoporum a Cypriano iudicatur.

Epist. 52, 21: "Et quidem apud antecessores nostros quidam de episcopis istis in provincia nostra dandam *pacem moechis non putaverunt* et in totum poenitentiae locum contra adulteria clauserunt. Non tamen a coepiscoporum suorum collegio recesserunt, aut catholicae Ecclesiae unitatem vel duritiae vel censurae suae obstinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat de Ecclesia separaretur. Manente concordiae vinculo et perseverante catholicae Ecclesiae individuo sacramento, actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus rationem propositi sui Domino redditurus.

"*Miror autem quosdam sic obstinatos esse ut dandam non putent lapsis poenitentiam*, aut poenitentibus existiment veniam denegandam, cum scriptum sit: 'Memento unde cecideris, et age poenitentiam, et fac priora opera' (Apoc. II, 5). Quod utique ei dicitur quem constat cecidisse et quem Dominus hortatur per opera rursus exurgere . . . et non utique ab illa morte quam semel Christi sanguis exstinxit, et a qua nos salutaris Baptismi et Redemptoris nostri gratia liberavit, sed et ab ea quae per delicta postmodum serpit . . . Quos utique ad poenitentiam Dominus non hortaretur, nisi quia poenitentibus indulgentiam pollicetur" (M.L. 3, 811-813).

Epist. 54, 5: "Si de collegis aliqui exstiterit, qui urgente certamine, pacem fratribus et sororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die iudicii Domino vel importunae censurae, vel inhumanae duritiae suae" (M.L. 3, 888).

Inepte autem ex his dictis et factis moderni illi eruditi deducunt factam tunc esse in Ecclesia innovationem concedendi veniam peccato apostasiae, cui antea remissio denegaretur.

Id enim excluditur *primo* ex supradicta doctrina Cypriani de venia omnibus parata et omnibus vere poenitentibus concedenda; qua doctrina, tamquam evangelico et traditionali principio, informatur tota illa praxis et legislatio de reconciliatione lapsorum.

Secundo, ex absoluto documentorum silentio de aliqua antiquiori

praxi denegandi apostatis communionem; quod quidem argumentum roboratur ex ipso silentio Novatiani qui ad hujusmodi severiorem praxim certe contra catholicos appellasset, si ea unquam extitisset.

Tertio, ex positivis documentis anterioris aetatis, ab Ignatio ad Callistum, supra expositis, ex quibus apparet Ecclesiam consuevisse veniam concedere etiam haereticis, seditiosis et apostatis, et peculiari-ter ex testimonio Hippolyti incusantis Callistum quod omnibus indiscriminatim peccatoribus, etiam "a multis sectis reiectis", veniam offerret.

Quarto, ex tam communi et spontaneo recurso lapsorum ad exquirendum a martyribus "libellum pacis", et tam facili istius concessionem ex parte martyrum, quae vix explicari possent si immediate antea per aliquod tempus invaluerit praxis veniam apostatis denegandi.

Quinto, ex attento examine hujus controversiae de lapsis, in qua non agebatur de innovando vel non innovando quoad ipsum factum reconciliationis concedendae, nec de danda vel non danda venia peccatorum, sed de innovando modo reconciliationis, seu de regulanda concessionem pacis et recurso ad claves Ecclesiae, ita ut ex una parte servaretur statuta disciplina poenitentialis, juxta quam non sine onere durioris satisfactionis venia gravioribus delictis concedebatur, et ex alia parte ea disciplina aliquatenus mitigaretur, ratione multitudinis apostatarum, quam dira Decii persecutio induxit, necnon diversae indolis et diversi gradus culpabilitatis quem peccatum apostasiae assumpsit apud varios christianos, uti libellaticos et sacrificatos; numquam enim anteriori aetate, vel ipso tempore praecedentium persecutionum, tam grave auctoritati ecclesiasticae occurrerat solvendum problema aut disciplina regulanda. Ex quo intelligitur quam sagaci cautela et prudentia tum Ecclesia Romana, tum ac signanter ecclesia Carthaginensis sub ductu Cypriani, usum potestatis clavium conata est juste moderari, illum attemperando supremis exigentiis utriusque satisfactivi ac reconciliativi finis hujus sacramenti.

Supradicti eruditi obiciunt fuisse paulo ante quosdam episcopos qui veniam moechis denegarent, quin tamen ab Ecclesiae communiione descenderent, ut testatur ipse Cyprianus. *Attamen*, omisso quod non agatur de apostatis sed de moechis, quos supradicti eruditi concedunt jam a tempore Callisti Ecclesiam reconciliasse, idem Cyprianus (Epist. 52 et 54, supra cit.) illos episcopos exhibet ut paucos ("quidam de episcopis istic in provincia nostra"), et ut dissidentes a communi sensu ceterorum, etsi "a coepiscoporum suorum collegio non recesserint" et nullo schismate "catholicae Ecclesiae unitatem ruperint", eorumque praxim duritiae et obstinationis incusat ("Duritiae vel censurae suae obstinatione", "Miror quosdam sic obstinatos esse ut dandam non

putent lapsis poenitentiam”), et illorum imitatores in causa apostatarum non minus graviter insectatur (“Reddet ille rationem in die iudicii Domino vel importunae censurae, vel inhumanae duritiae suae”).

Obiciunt praeterea veniam sacrificatis dilatam esse usque ad articulum mortis, saltem extra tempus persecutionis. *Attamen*, omissa quod hoc non juvat eorum thesim de simpliciter denegata venia, eam severitatem potuit justificare tum copulata ratio gravitatis illius peccati et necessitatis obtinendi sufficientia signa poenitentiae et congruos fructus satisfactionis, tum statuta disciplina publicae poenitentiae et reconciliationis, quae longam exigebat concedendae pacis dilationem juxta peccatorum gravitatem, eo vel magis quod, ut dictum est in art. 45, nunquam defuit in Ecclesia secundarius aliquis modus subveniendi omnibus lapsis per privatam poenitentiam, juxta variorum pastorum individuum discretionem et iniciativam.

Obiciunt tandem ipsum Cyprianum cum Conc. Carthaginensi decrevisse denegandam veniam in ipso articulo mortis his qui eousque petitionem reconciliationis differrent. *Attamen*, id non ob aliam rationem factum est quam ob gravem praesumptionem defectus sufficientis dispositionis seu verae poenitentiae, quia nempe, ut ipse Cyprianus explicite significat, “illos non delicti poenitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit”. Quam quidem severitatem, utut modernis Ecclesiae moribus suaviorique disciplinae minus consonantem, congruentem tamen effecerunt tum severiorum ac sanctorum temporum conditio, tum simultaneus usus supradictae poenitentiae privatae quo, juxta discretam pastorum sollicitudinem, poterat quibuslibet morientibus subveniri.

SCHISMA NOVATIANORUM.

Hoc schisma, cujus acta descripsimus supra (p. 292–299), nullum exhibet testimonium in favorem praedictae theoriae modernorum. Nam:

1. Origo schismatis non fuit ex causis dogmaticis sed politicis, et praesertim ex frustrata electione Novatiani ad pontificatum.

2. Novatianus, etsi ante schisma affectaret quendam moralem rigorismum et fortasse in ipsum poenitentialem rigorismum mente et corde inclinaret, hanc tamen personalem tendentiam nunquam publice manifestavit, imo ipse auctor fuit principalis epistolae presbyterii romani ad Cyprianum, in qua, salvis quidem juribus constitutae disciplinae, plene approbatur doctrina et praxis Cypriani “caute et sollicitate subveniendi” lapsis, eisque saltem in articulo mortis pacem concedendi.

3. Post schisma, cum rigorismum poenitentialem sustinere coeperunt, Novatianus ejusque asseclae nunquam appellarunt in suum favorem ad antiquiorem Ecclesiae praxim et traditionem. Quo ceterum jure id facere potuissent?, ipse enim Novatianus prius aliter sentierat et ipse ejus satellites Novatus excitaverat schisma Felicissimi, laxissimum foventis et pacem lapsis, omissa omni poenitentia, concedentis. Ad rem Anonymus auctor³⁴ operis *Adversus Novatianum*, 14: “O te impium scelestumque, haeretice Novatiane, qui post tot et tanta in Ecclesia, a quibusdam retro voluntarie commissa crimina, quae et tu ipse in domo Dei priusquam apostata esse cognoveras; et haec posse aboleri de memoria, succedente bono, utique docueras, secundum fidem Scripturae. . . Tu hodie retractas, an debeant lapsorum curari vulnera, qui nudati a diabolo ceciderunt” (M.L. 3, 1264). Item *Cyprianus*, Epist. 52, ad Antonianum, 5: “Additum est [in epistola presbyterii romani ad me missa] etiam Novatiano tunc scribente . . . ut lapsis infirmis et in exitu constitutis pax daretur” (M.L. 3, 791); Epist. 7, ad Cornelium, 2: “Ipse [Novatus] est, qui Felicissimum satellitem suum diaconum, nec permittente me, nec sciente, sua factione et ambitione constituit. . . Et damnare nunc audet sacrificantium manus” (ibid. 751–753).

Novitatem Novatianismi, quam jam uno verbo pingebat et insectabatur Anonymus ille auctor operis *Adversus Novatianum* (n. 1), eam, appellans “novam crudelitatem”, peculiariter saeculo sequenti reprehendebat *Pacianus* († circa 390) in sua Epist. 3 contra Sympronianum novatianum, scribens: “Quid ad te? inquires; Novatianus hoc docuit. At vel quando, frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? post Decii principatum, id est, post trecentos annos dominicae passionis. Quid ergo tunc? . . . Linguis locutus est? Prophetavit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat, ut *evangelium novi juris* induceret. . . Ais . . . quia nos Domini mandata rescindimus. Nos unum apicem Legis inflectimus; an potius Novatiani, qui tota Ecclesiae, tota concordiae jura violarunt, qui *post tot pacis annos*, tot foedera sanctitatis, novas sibi leges, nova instituta, novos ritus pepererunt, arcanum justitiae inexorabili fronte. simulantes?” (1 et 19, M.L. 13, 1064 et 1076.)

4. Argumento deducto ex ortu schismatis rigoristarum Novatianorum ad ostendendum priorem Ecclesiae rigorismum, jure opponi potest ortus schismatis laxistae Felicissimi; non enim hoc facile oriri potuisset

³⁴ Hic auctor est coaevus Novatiani, quem ipse ut viventem, imo et sibi praesentem, adversarium insectatur. Probabiliter est Summus Pontifex, scilicet vel Lucius († 254), vel Stephanus († 257), vel Sixtus II († 258). *Harnack* opus tribuit *Sixto II*, hancque attributionem verisimilem judicat *D'Alès*, in *Novatien*, Paris, 1925, p. 26–30.

si antea in Ecclesia regnasset rigorismus. Si vero ponatur, quod veritas est, priorem Ecclesiam sic severitatem constitutae disciplinae jugiter servasse ut simul vere poenitentibus veniam nunquam denegaverit, facile intelligitur ortus utriusque oppositi schismatis ex exaggerata et exclusiva assumptione alterutrius ex duobus illis principiis quae in doctrina et praxi Ecclesiae attemperabantur.

5. Rapidus successus et propagatio Novatianismi nequaquam ostendit ejus concordantiam cum anteriori praxi et doctrina Ecclesiae. Nam tam facilis eventus causa fuit tum magna perturbatio inducta in plebem christianam per Decii persecutionem, tum connubium novae sectae cum reliquiis Montanismi, quarum plures, saltem in Oriente, in Novatianismum confluerunt.

Ad priorem causam pertinet, *primo* ignorantia plurium fidelium, a novis pastoribus callide circumventorum, ut patet ex epistolis Cornelii, nam "Maximus, Urbanus, Sidonius et plerique fratres qui eis adjunxerant" in schismate Novatiani, redeuntes ad Cornelium confitentur: "Etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico et haeretico homine habuisse; sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit" (Epist. 46, ad Cyprianum, 2, inter epp. Cypriani, M.L. 3, 742-745), item Cornelius P. testatur Novatianum "nudatum ac desertum esse, fratribus eum quotidie derelinquentibus, et ad Ecclesiam redeuntibus" (Epistola ad Fabium Antiochenum, 8, M.L. 3, 782), et Cyprianus loquitur de "Novatiano nuper retuso et refutato, et per totum orbem, a sacerdotibus Dei abstento" (Epist. 67, ad Stephanum, 2, M.L. 3, 1028); *secundo*, reactio christianae plebis contra arrogantiam apostatarum sive in exigenda facili et immediata reconciliatione, jure libellorum pacis a martyribus sibi concessorum, sive in modo se gerendi in Ecclesia post acceptam reconciliationem.

Huc faciunt sequentes querelae ipsius *Cypriani*, *Epist. 27, 1*: "Miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse, ut Ecclesiae nomine litteras facerent, 'quando Ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta.' Absit enim nec Domini misericordia et potestas ejus invicta patiat ut Ecclesia esse dicatur lapsorum numerus, cum scriptum sit: 'Deus non est mortuorum, sed vivorum' (Matth. XXII, 32). Omnes quidem vivificari optamus, et ut in statum pristinum restituantur precibus nostris et gemitibus oramus. Si autem quidam lapsi Ecclesiam se volunt esse, et si apud illos atque in illis est Ecclesia, quid superest, quam ut ipsi rogentur a nobis ut nos ad Ecclesiam dignentur admittere? Summissos ergo et quietos et verecundos esse oportet eos qui delicti sui memores satisfacere Deo debent, nec Ecclesiae nomine litteras facere, cum se magis sciant Ecclesiae scribere"

(M.L. 4, 306). *Epist. 55*, ad Cornelium, 15: "O si posses, frater charissime, istic interesse nobiscum, cum pravi isti et perversi de schismate revertuntur! videres quis mihi labor sit persuadere patientiam fratribus nostris, ut, animi dolore sopito, recipiendis malis curandisque consentiant. Namque ut gaudent et laetantur cum tolerabiles et minus culpabiles redeunt, ita contra fremunt et reluctantur, quoties inemendabiles et protervi, et vel adulteriis vel sacrificiis contaminati, et post haec adhuc insuper et superbi, sic ad Ecclesiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi persuadeo, imo extorqueo, ut tales patientur admitti: et justior factus est fraternitatis dolor ex eo, quod unus atque alius, obnitente plebe et contradicente, mea tamen facilitate suscepti peiores exstiterunt quam prius fuerant, nec fidem poenitentiae servare potuerunt, quia nec cum vera poenitentia venerant" (M.L. 3, 849 sq.).

III. TRADITIO SAEC. IV ET V: A TEMPORE CONC. NICAENI (a. 325) AD GELASIVM I († 496).

Concedunt adversarii, jam inde a medio saec. 3 post decisiones romano-carthaginenses extinctam esse reservationem peccatorum in praecipuis ecclesiis ac paulatim saltem ubique eandem praxim praevailsse. Tamen etiam in posterioribus documentis putant se invenire reliquias aut confirmationes praecedentis rigorismi, non amplius sub forma reservationis ipsorum criminum sed potius sub forma excommunicationis seu denegationis veniae quibusdam peccatoribus, nominatim relapsis et quibusdam moribundis.

Praepositis paucis tantum Patrum testimoniis, in quibus, absque ulla peccatorum restrictione aut distinctione, venia omnibus exhibetur, afferemus et discutiemus documenta Conciliorum et Romanorum Pontificum, quae praxim Ecclesiae testantur et ex quibus desumi solent difficultates.

Aphraates, Demonstratio 7, 25: "Aliqui autem e nobis . . . ad poenitentiam accedere nolunt, et prave prudentes intereunt morte secunda, illius non recordantes qui conscientias scrutatur. Aliquibus vero delictum contentibus poenitentia non conceditur. O dispensator domus Christi! Sodali tuo poenitentiam concede, et memento Dominum tuum non respuere poenitentes" (Patrologia Syriaca, ed. Graffin, t. 1, col. 355).

Ambrosius, De Poenit. 1, 3, 10: "[Vos, o Novatiani] distinctionem peccatorum facitis, quae solvenda a vobis putetis, et quae sine remedio esse arbitremini: sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla exceptione concessit" (M.L. 16, 489). Ibid. 2, 3, 19, sic ex Scrip-

tura concludit contra Novatianos: "Ergo evidentissime Domini praedicatione mandatum est etiam gravissimi criminis reis, si ex toto corde, et manifesta confessione peccati poenitentiam gerant, sacramenti coelestis refundendam gratiam. Unde nihil vobis ad excusationem resedisse certum est" (M.L. 16, 522).

Hieronimus, In Jeremiam, prologus, sic increpat haereticum Pelagium, "indoctum calumniatorem" sui Commentarii in Ephesios: "Nec recordatur stolidissimus, et Scotorum pultibus praegravatus, nos in ipso dixisse opere: 'Non damno digamos, imo nec trigamos, et si fieri potest octogamos: plus aliquid inferam, etiam scortatorem recipio poenitentem: quidquid aequaliter licet, aequali lance pensandum est'" (M.L. 24, 682).

Augustinus, De agone christiano, 31, 33: "Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere" (M.L. 40, 308). Sermo 352, 3, 9: "Fuerunt . . . qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam poenitentiam; et exclusi sunt de Ecclesia, et haeretici facti sunt. In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia" (M.L. 39, 1559).

Chrysostomi indulgentiam erga ipsos relapsos ostendit ipsa accusatio quam in conciliabulo ad Quercum a. 403 quidam ejus inimicus in eum direxit, testificans "quod licentiam peccantibus praebeat sic dicens: Si iterum peccasti, veni ad me, ego te sanabo".³⁵ *Diekamp* tamen nullum fere fundamentum veritatis concedit tali testimonio, scribens: "Quae accusatio, si ad remissionem criminum capitalium refertur, in operibus S. Doctoris nullum fundamentum habet, ac praeterea ab omnibus istius temporis scriptoribus, qui Synodi ad quercum historiam enarrant, ut calumnia rejicitur."³⁶

CONC. ILLIBERITANUM (Elvirae in Hispania).

Circa hoc Concilium plura ab eruditis disputata sunt. Quidam, ut Berardi³⁷ et Molkenbuhr,³⁸ dubitarunt de ipsa authenticitate decretorum hujus concilii. Ad tempus quod attinet, Morinus,³⁹ considerans severitatem canonum, opinatus est Concilium celebratum esse circa 250, ante ortum Novatianismi, sed haec opinio excluditur ab ipsa praesentia Osii episcopi Cordubensis inter patres conciliares, qui etiam adfuit Concilio Nicaeno (325). Communior et probabilior eruditorum opinio vult Concilium celebratum esse inter 300 et 306, ad finem persecutionis Diocletiani (303-305), ut decerneretur peculiariter de recon-

³⁵ Apud *Photium*, Bibl. Cod. 59, M.G. 103, 111; idem refert *Socrates*, Hist. eccl. 6, 21.

³⁶ Theol. Dogm. (ed. A. Hoffmann), v. 4, Parisii-Romae, 1946, p. 296.

³⁷ Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti, 1752, t. 1, p. 24.

³⁸ Dissertatio critica de concilio Trullano, Eliberitano, etc., Monasterii, 1791.

³⁹ Comm. historicus de sacr. Poenit., 9, 19.

ciliatione tum apostatarum in persecutione tum aliorum graviorum peccatorum.

Ex 81 canonibus, a Concilio conditis, 20 prohibent concedere "communione" quibusdam peccatoribus etiam in articulo mortis ("nec in fine communionem accipere", "nec in fine habere communionem", "nec in fine impertiendam esse communionem"), scilicet can. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 12. 13. 17. 18. 47. 63. 64. 65. 66. 70. 71. 72. 73. 75 (ceteri canones, exceptis 30. 31. 32. 33 qui privant clericos peccatores usu sui ordinis, denegant communionem ad tempus); in illis omnibus agitur de aliquo ex tribus peccatis capitalibus, i.e. idololatria, moechia et homicidio. Sufficiat referre tres priores canones, ex quibus intelligitur indoles ceterorum; in primo, idololatria vocatur "crimen capitale", in secundo, citantur tria simul capitalia peccata, in tertio denegatur communicio in fine vitae etiam relapsis post publicam poenitentiam et assignatur ratio hujus denegationis:

Can. 1: "Placuit inter eos [leg. nos]. Qui post fidem baptismi salutaria, adulta aetate, ad templum idololatraturus accesserit, et fecerit, quod est crimen principale (quia est summum scelus) placuit, nec in fine eum communionem accipere" (Mansi, 2, 5 sq.).

Can. 2: "Flamines⁴⁰ qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverunt; eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio; vel triplicaverint facinus, cohaerente moechia, placuit eos nec in fine accipere communionem" (ibid., 6).

Can. 3: "Item flamines, qui non immolaverint, sed munus tantum dederint; eo quod se a funestis abstinuerunt sacrificiis, placuit, in fine eis praestari communionem, acta tamen legitima poenitentia. Item ipsi, si post poenitentiam fuerint moechati, placuit, ulterius his non esse dandam communionem, ne lusisse de dominica communione videantur" (ibid.).

Quid Concilium intelligat per denegationem "communiois", utrum nempe solius communionis Eucharisticae et plenae reconciliationis cum Ecclesia, an etiam sacramentalis absolutionis, non clare constat et controvertitur inter doctores. Quamvis eadem difficultas involvatur in mox citandis documentis Conc. Arelatenis, Conc. Nicaeni, Siricii, Innocentii I, Caelestini I et Leonis I, utilius videtur se junctim exponere quid dicant eruditi de sensu uniuscujusque istorum documentorum.

Difficultatem facit vox "communio" et consequenter expressio "communione denegare". Ea voce in Traditione designatur effectus poenitentiae prout reconciliat peccatorem Ecclesiae. Saec. 3 adhibetur vox "communicatio" (cum cognatis expressionibus "pax" et "venia"), ita

⁴⁰ Flamen dicebatur qui ex officio curabat sacrificia idolorum et ludos publicos.

apud Tertullianum (De Pud. 3. 6. 7. 9. 13. 15. 16. 18) et Cyprianum (De lapsis, 15. 16. 33; Epist. 52 et 54, supra cit. in p. 389); saec. 4 adhibetur ipsa vox "communio" (quandoque "communio dominica"), ita in Conc. Illib. et Arel.; saec. 5 adhibetur etiam vox "reconciliatio" (communio, communio sacramentorum, reconciliatio, reconciliatio communionis), ita apud Siricium, Innocentium I, Coelestinum I, Leonem M. Confer documenta mox citanda.

Porro effectus Poenitentiae prout reconciliat cum Ecclesia, et in sua plenitudine, tria importat: sacramentalem absolutionem a peccatis, concessionem Eucharistiae et plenam redintegrationem in communitatem ecclesiasticam vel, si placet, canonicam absolutionem a peccatis; haec duo ultima ad modum unius accipiuntur, quatenus secundum est sigillum tertii; unde, brevius, duo effectus considerari possunt: pax divina (remissio peccati) et pax ecclesiastica, sigillata in concessione Eucharisticae communionis. Ceterum cum pax divina fiat per ministerium Ecclesiae, ea omnia ad modum unius considerabantur, ac ideo vox "communio" potuit significare vel integrum effectum vel partem ejus. Hinc difficultas intelligendi quid significet "denegatio communionis" in praedictis canonibus Concilii Illiberitani; utrum nempe solam denegationem Eucharistiae (vel, si placet, ecclesiasticae pacis), an etiam denegationem sacramentalis absolutionis.

Quidam (praecipue inter theologos historicos vel positivos), uti *Herbst*,⁴¹ *Binterim*,⁴² *Bareille*,⁴³ *Leclercq*,⁴⁴ *Galtier*,⁴⁵ *D'Alès*⁴⁶ docent in illis canonibus agi etiam de denegatione ipsius absolutionis sacramentalis. Alii e contra (praecipue inter dogmaticos), uti *Petavius*, *Hefele*, *Frank*, *Schmitz*, *Palmieri*, *Hurter*, *De San*, *Huarte*, *Bellacasa*, dicunt agi de denegatione solius Eucharisticae communionis.

Ad rem *Hefele*: "Plusieurs interprètes . . . entre autres le Dr. Herbst, qui a expliqué les canons d'Elvire ont cru à tort qu'il fallait entendre ici [can. 1] et dans beaucoup d'autres des canons suivants par 'communio' non pas la communion eucharistique, mais seulement la communauté avec l'Eglise, ou l'absolution sacramentelle. Nous avons déjà dit qu'il est hors de doute que par le mot 'communio' employé ici et dans cent autres passages, on doit regarder la communion eucharistique surtout comme le viatique, destiné aux mourants et les recherches faites par Frank ne font que fortifier notre opinion. On doit donc distinguer, a) l'absolution sacramentelle, b) la communion eucharis-

⁴¹ Synode von Elvira, in Theol. Quartalschrift, t. 3 (1821).

⁴² In Der Katholik, t. 2 (1821), p. 417-444.

⁴³ Art. Elvire, in Dict. Théol. Cath., col. 2381.

⁴⁴ In nota ad Hefele, infra cit.

⁴⁵ De Poenit., n. 302.

⁴⁶ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 380 et 383.

tique et c) l'absolution canonique (pour la rémission des péchés). Cette dernière était intimement liée à la réconciliation solennelle des pécheurs, tandis que l'absolution sacramentelle (pour les péchés) n'était refusée à aucun pécheur et était accordée avant l'absolution canonique. Le premier canon déclare donc: 'Que pour les pécheurs dont il s'agit on ne peut leur accorder la sainte communion même à leur lit de mort', mais il ne dit nullement qu'on doit aussi leur refuser l'absolution sacramentelle."⁴⁷

Quaestio dirimi nequit ex ipso nomine "communio", quod, ut dictum est, plures sensus habere potest; ipsum tamen Conc. Illiberitanum videtur alludere ad Eucharistiam, cum pro communione ponit "dominica communione" (can. 3 et 78), cum jubet quosdam debere abstinere a communione (can. 50 et 61), alios ab ea arceri (can. 30. 40. 67. 78), et cum disponit diaconum dare posse communionem (can. 32). Ceterum, res non leviter pendet a sensu qui tribuitur textibus Conc. Nicaeni et Innocentii I, mox citandis, in quibus sermo est de praxi Ecclesiae ante Conc. Nicaenum. Denegatio ipsius absolutionis sacramentalis in articulo mortis non facile concipitur immediate ante Conc. Nicaenum, eo vel magis quod eadem communionis denegatio decernitur etiam in Conc. Arelatense (can. 22, mox cit.), quod, secus ac locale Conc. Illiberitanum, considerari potest ut generale quoddam Concilium Occidentis, etsi non sit oecumenicum ob absentiam orientalium ecclesiarum. Praeterea, non facile concipitur tanta severitas, post decisiones Carthaginenses latas sub Cypriano saeculo praecedente, iuxta quas reconciliatio concedebatur omnibus moribundis, exceptis his qui nonnisi in fine vitae poenitentiam petissent, quique censebantur indispositi (idem prorsus decernit Conc. Arelatense, can. 22), dum Conc. Illiberitanum denegat simpliciter communionem pluribus peccatoribus, nec tantum his qui solum in fine vitae reconciliationem petunt. Ceterum, si eligatur prima sententia, dicendum est imprimis Conc. Illiberitanum esse concilium particulare, ejusque decisiones abrogatas esse immediate postea per canonem 13 Conc. Nicaeni; praeterea, eas decisiones justificari vel explicari posse (sicut supradicta decisio Cypriani) ex praesumptione indispositionis, fundata in ipsa gravitate quorundam peccatorum, ut videtur innuere ipsum Concilium in can. 3, cum, reddens rationem quare sit deneganda communio relapsis, ait: "Ne illuisse de dominica communione videantur".

CONC. ARELATENSE I (Arles in Gallia) a. 314, congregatum est ex omni parte Ecclesiae Occidentalis,⁴⁸ praecipue ad damnandum

⁴⁷ Histoire des Conciles (Hefele-Leclercq), t. 1, première partie, Paris, 1907, p. 221 sq.

⁴⁸ De momento et auctoritate hujus Concilii scribit *Hefele-Leclercq*: "La plus grande

Donatismum. Ex 22 authenticis canonibus, duo denegant communionem in articulo mortis (i.e. can. 14, de crimine falsae accusationis, et can. 22, de apostatis differentibus poenitentiam usque ad finem vitae; attamen sensus can. 14 non est clarus), quinque denegant communionem ad tempus (i.e. can. 3. 4. 5. 11. 12), sed in his agitur de inflictione excommunicationis pro aliquo peccato, potiusquam de denegatione communionis poenitentibus.

Can. 14: "De his qui falso accusant fratres suos placuit eos usque ad exitum non communicare" (Mansi, 2, 473). Non dicitur, sicut in Conc. Illiberitano, "nec in fine communionem accipere"; unde quidam intelligunt: "usque ad exitum exclusive, ita ut possint reconciliari in fine vitae".

Can. 22: "De his qui apostatant, et nunquam se ad Ecclesiam repraesentant ne quidem poenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate arrepti petunt communionem: placuit eis non dandam communionem nisi revaluerint, et egerint dignos fructus poenitentiae" (ibid).

Sensus hujus canonis eodem modo explicatur a variis doctoribus ac sensus canonum Conc. Illiberitani; ceterum Conc. Arelatense multo minorem ostendit severitatem, cum nonnisi uno hoc canone excludat moribundos a communione, et quidem eos tantum moribundos qui reconciliationem non petunt nisi in articulo mortis; unde videtur referre eandem decisionem latam a Cypriano in Conc. Carthaginensi; quam de cetero quidam auctores intelligunt de denegatione solius communionis Eucharisticae.

partie de la chrétienté occidentale était représentée à Arles, et l'empereur Constantin pouvait dire avec raison: 'J'ai convoqué un nombre presque infini d'évêques de l'empire' [Eusèbe, Hist. eccles., l. X, c. V, M.G. 20, 889]. Nous pouvons considérer l'assemblée d'Arles comme un concile général de l'Occident (ou du patriarcat romain); il ne peut cependant passer pour un concile oecuménique, par ce seul motif que les autres patriarchats n'y prirent point part, n'y furent pas invités, et que notamment l'Orient, comme le dit saint Augustin [Contra Cresconium, l. IV, n. 25, M.L. 43, 565], ignora à peu près complètement la controverse donatiste.

"Mais saint Augustin n'a-t-il pas lui-même déclaré ce concile oecuménique? Pour répondre affirmativement à cette question, on en a appelé au second livre de son écrit 'De baptismo contra donatistas' où il dit: 'La question relative au second baptême a été décidée contre Cyprien dans un concile plénier, de toute l'Eglise, 'plenarium concilium', dans un 'concilium universae Ecclesiae' [M.L. 43, 135]. Mais on ne sait si saint Augustin entend par là le concile d'Arles, ou s'il n'a pas plutôt en vue celui de Nicée, comme le pense Pagi [Crit. Baronii, ad ann. 314, n. 18]. On ne peut cependant pas nier que saint Augustin, dans sa 43e lettre, parle du concile d'Arles, et le nomme 'plenarium Ecclesiae universae concilium' [Epist., XLIII, c. VII, n. 19, M.L. 33, 169]. Seulement il ne faut pas oublier que l'expression 'concilium plenarium' ou 'universale' est souvent employée surtout en Afrique en parlant d'un concile national [Pagi, op. cit., n. 19; Hefele, Controversen in betr. der Synode von Sardika, dans Theol. Quartals., 1852, t. XXXIV, p. 406], et que dans le passage cité, saint Augustin a en vue 'Ecclesia universa occidentalis', et non l'Eglise 'universalis', dans le sens le plus absolu" (Histoire des Conciles, t. 1, première partie, Paris, 1907, p. 277 sq.).

CONCILIUM ANCYRANUM (Ancyrae in Galatia), a. 314, condidit 25 canones, ex quibus fere omnes (exceptis nempe can. 10. 11. 12. 13. 14. 18) agunt de fidelibus lapsis in tria peccata capitalia, i.e. impudicitiam, homicidium et idololatriam, seu superstitionem (de ipsis proprie dictis lapsis, seu apostatis in persecutione, agitur in can. 1-9 et 12). Nulli peccato denegatur communio in fine vitae; paucis, i.e. bestialitati (quorundam hominum) et voluntario homicidio, denegatur communio usque ad finem vitae exclusive; in can. 6 directe statuitur ut si periculum mortis supervenerit ante completum tempus poenitentiae pro peccato apostasiae, communio illico concedatur.

Can. 6: "Sed si periculum, mortisque expectatio ex morbo, vel aliqua alia occasione evenerit, ii [i.e. apostatae] sub definitione recipiantur" (Mansi, 2, 515).

Can. 9: "Quicumque autem non solum desciverunt, sed etiam insurrexerunt, et fratres suos coegerunt, et causae fuerunt ut cogentur, ii annis quidem tribus auditionis locum suscipiant, sex substrationis, alio autem anno sine oblatione communicent, ut decennio expleto, ejus quod est perfectum, sint participes. Eorum autem in eo quoque tempore vitam examinare oportet" (ibid., 518).

Can. 22: "De voluntariis caedibus [i.e. voluntarie homicidae], supplices quidem substernantur: eo autem quod perfectum est, in fine vitae digni habeantur" (ibid., 519).

CONC. NEOCAESAREENSE (Neocaesareae in Cappadocia; inter 314 et 325, ante Conc. Nicaenum) 15 edidit canones, ex quibus 1. 2. et 3 agunt de poenitentibus; nulli denegatur poenitentia. In hoc Concilio non est amplius sermo de lapsis in apostasiam.

CONC. NICAENUM I (a. 325), 20 edidit canones, ex quibus 5 referuntur ad poenitentiam, i.e. can. 8, quo sacerdotes redeuntes ex Novatianismo recipiuntur ad communionem, imo redintegrantur in suum ordinem per solam manuum impositionem, sed obligantur ad reiciendum suum dogma de non communicanda pace lapsis in persecutione; can. 10, quo lapsi in persecutione Licinii, qui fuerint subinde scienter vel ignoranter ordinati, arcentur a suo ordine; can. 11, quo conceditur benignior poenitentia et reconciliatio lapsis in eadem persecutione; can. 12, quo assignatur tempus poenitentiae his qui post amplexam fidem reversi sunt ad militiam; can. 13, quo prohibetur denegatio communionis quibuslibet moribundis.

Can. 8, cit. supra in p. 295.

Can. 11: "De iis, qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine ullo periculo, vel aliquo ejusmodi, transgressi sunt, quod sub Licinii tyrannide factum est, synodo visum est, et si humani-

tate indigni sunt, clementia tamen et benignitate in eos uti. Quicumque ergo germane et vere poenitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut fideles, et septem annis prosternentur supplices: duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes” (Mansi, 2, 674).

Can. 13: “De iis qui excedunt, antiqua et canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vita excidat, ultimo et maxime necessario viatico ne privetur. Si autem deploratus et communionem assecutus rursus in vivos relatus sit cum iis qui orationum sunt tantum communionis participes. In summa autem, de quolibet excedente et eucharistiae participationem petente, eum examinatione [μετὰ δοκιμασίας, i.e. post probationem seu examen bonae dispositionis] oblationem impertiat” (ibid.; cf. Denz. 57).

In hoc ultimo canone duae sunt partes: prior respicit moribundos qui jam agebant poenitentiam (de quibus in can. 12) quique iubentur communicare, ita tamen ut, si convaluerint, resumant locum suum in ordine poenitentium. Altera respicit generaliter quoslibet moribundos, quibus conceditur communio, praemissa probatione seu examine. Priori parti additur testificatio “Antiqua et canonica lex”. In priori parte agitur de datione “viatici”, in altera de datione “Eucharistiae”. Quidam doctores, ut Petavius, “viaticum” intelligunt de sola absolutione a peccatis; alii vero, ut Tillemont et Hefele, de ipsa communionem Eucharistica, de qua manifeste agitur in altera parte textus. Generalis sensus canonis, ejusque connexio cum Conc. Illiberitano, diversimode explicatur. Juxta quosdam, sensus est: Secundum antiquam legem oportet in articulo mortis reconciliare eos qui jam incoeperunt suam poenitentiam, secundum vero novam legem haec concessio extenditur omnibus moribundis; inde in ipso Conc. Illiberitano vel denegata est moribundis sola communio eucharistica, concessa absolutione, vel denegata est ipsa absolutio, iis tamen qui nondum incoeperunt suam poenitentiam. Juxta alios, sensus est: secundum antiquam legem oportet omnibus moribundis dare absolutionem a peccatis (quod observatum est in ipso Conc. Illib.), secundum novam legem oportet etiam concedere communionem Eucharisticam (quam Conc. Illib. quibusdam denegaverat).

Ad rem *Petavii*: “Venio nunc ad Nicaeni concilii canonem XIII, in quo genus utrumque reconciliationis, quod hactenus exposui, disertis verbis asseritur. . . In prima canonis parte praescribit, uti moribundis ‘ultimum maximeque necessarium viaticum’ non negetur. In posteriori, ut oblationem non temere, neque sine probatione, cuius etiam morituro concedat. Est igitur diversa illa communio, et reconciliatio, quae pro-

miscue, ac citra majorem delectum indulgetur omnibus, ab altera, cui tanta cautio, animadversioque praefinitur. Nimirum prior solam peccati remissionem, et absolute necessarium moribundis viaticum ostendit: posterior, oblationis jus, et Eucharistiae. Unde colligas, quod hactenus contendimus, *solam nonnunquam absolutionem peccatorum morituris etiam fuisse concessam, Eucharistiam vero denegatam*".⁴⁰

SIRICIUS P., Epist. 1, ad Himerium episc. tarraconensem, c. 3 et 5 (n. 4 et 6), a. 385, haec duo profert testimonia de reconciliandis in articulo mortis tum apostatis, tum relapsis post actam poenitentiam publicam:

"Adjectum est etiam, quosdam Christianos ad apostasiam, quod dici nefas est, transeuntes, et idolorum cultu ac sacrificiorum contaminatione profanatos. Quos a Christi corpore et sanguine, quo dudum redepti fuerant renascendo, jubemus abscidi. Et si respicientes forte aliquando fuerint ad lamenta conversi, his, quam diu vivunt, agenda poenitentia est, et in ultimo fine suo reconciliationis gratia tribuenda: quia, docente Domino, nolumus mortem peccatoris, tantum ut convertatur, et vivat (Ezech. XVIII, 23). . .

"De his vero non incongrue dilectio tua apostolicam sedem creditit consulendam, qui acta poenitentia, tamquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes, et militiae cingulum, et ludicras voluptates, et nova conjugia, et inhibitos denuo appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia jam suffugium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra ecclesiam fidelibus oratione jungantur, sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint; a Dominicae autem mensae convivio segregentur; ut hac saltem districtione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscenis cupiditatibus retrahantur. Quos tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum coeperint proficisci, per communionis gratiam volumus sublevari. Quam formam et circa mulieres, quae se post poenitentiam talibus pollutionibus devinxerunt servandam esse censemus" (M.L. 13, 1136 sq.).

Hic similiter oppositio fit inter "segregationem a Dominicae mensae convivio" et concessionem "viatici muneris . . . per communionis gratiam"; unde iterum suadetur denegationem communionis non necessario importasse denegationem absolutionis a peccatis, sed solius Eucharistiae. Quidquid sit, saltem in fine vitae reconciliatio conceditur.

⁴⁰ Diatriba de Poenitentia et Reconciliatione, c. 2, Dogmata Theologica, t. 8, Parisiis, 1867, p. 448 sq.

In hoc textu habemus etiam exemplum *reconciliationis relapsorum*, i.e. lapsorum post actam semel publicam poenitentiam; reconcilianur nempe in fine vitae. Opponit *Galtier* hic non agi de relapsis proprie dictis (i.e. de iis qui post publicam poenitentiam iterum committebant aliquod peccatum quod de se plectebatur publica poenitentia), sed de his qui, acta publica poenitentia, non servabant obligationes ex ea subsecutas, scilicet non abstinebant a militia, a publicis ludibus, a matrimonio ineundo vel ab ejus usu. Attamen, quidquid sit de definitione relapsorum, eadem videtur esse causa omnium iterum peccantium post actam poenitentiam et omnibus conveniunt rationes quas invocat *Siricius*: "Qui, acta poenitentia, tanquam canes ac sues ad vomitus pristinos et volutabra redeuntes", "Quia jam suffugium non habent poenitendi", "Quos tamen, quia carnali fragilitate ceciderunt".

INNOCENTIUS I, Epist. 25, ad Decentium episc. eugubinum, 7, 10, a. 416, jubet reconciliari poenitentes, ante expletum tempus poenitentiae, si supervenerit periculum mortis: "De poenitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanae Ecclesiae consuetudo demonstrat. Caeterum de pondere aestimando delictorum, sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, et ad fletus et lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis aegritudinem incurrerit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus Pasche relaxandum, ne de saeculo absque communionis discedat" (M.L. 20, 559).

Epist. 6, ad Exuperium episc. tolosanum, 2, 5 sq., a. 405, jubet reconciliari quoslibet moribundos, etiam eos qui nonnisi in fine vitae reconciliationem petunt: "Quaesitum est, quid de his observari oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae voluptatibus dediti, in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. . . De his observatio prior durior, posterior interveniente misericordia inclinatio. Nam consuetudo prior tenuit, ut concederetur poenitentia, sed communicatio negaretur. Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, merito negata communicatio est, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur: et duriores remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore communionem dari abeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, et ne Novatiani haeretici negantis veniam asperitatem et durtiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum

poenitentia extrema communio: ut homines huiusmodi vel in extremis suis permittente Salvatore nostro a perpetuo exitio vindicentur" (Denz. 95).

De sensu hujus textus, in quo S. Pontifex competenter explicat et iudicat anteriorem praxim Ecclesiae, *disputatur inter eruditos*, et merito quidem, nam ex eo pendet interpretatio danda supra relatis documentis Conc. Illiberitani, Arelatensis et Nicaeni. Agitur de his qui non nisi in fine vitae reconciliationem petunt. Pontifex distinguit inter poenitentiam et communionem, et ait tempore persecutionum poenitentiam illis concessam esse, communionem vero denegatam, postea vero (seu inde a Conc. Nicaeno) utrumque concessum esse.

Quidam, ut *Bellarminus*, *Galtier*, *D'Alès*, sub voce "communio" intelligunt absolutionem a peccatis simul et communionem eucharisticam, sub voce vero "poenitentia" intelligunt concessionem poenitendi, sejunctam ab absolutione peccatorum. Ex quo sequitur juxta Innocentium praxim anteriorem Ecclesiae fuisse illis peccatoribus concedere poenitentiam (ex qua concessione non parum juvabatur peccator, factus particeps orationum et satisfactionum Ecclesiae) sed denegare ipsam absolutionem peccati. Haec interpretatio fundatur primo in distinctione quae ibi fit inter poenitentiam et reconciliationem; secundo, in ratione quare dicatur concedenda communio, scilicet "Ne Novatiani haeretici negantis veniam asperitatem et duritiam sequi videamur"; tertio, in effectu qui communioni tribuitur, scilicet "ut homines a perpetuo exitio vindicentur".

Ad rem *Bellarminus*: "Cujus [Innocentii] verbis illud expendendum videtur, non dixisse Innocentium, concessam fuisse aliquando lapsis reconciliationem, negatam communionem, sed concessam poenitentiam, negatam communionem. Concedebatur enim lapsis primo poenitentia, id est injungebatur actio poenitentiae, deinde, alio tempore, reconciliatio tribuebatur. . . Porro apud Innocentium, nomine poenitentiae non reconciliationem sed poenitentiae actionem esse intelligendam, perspicuum est ex eo quod ipse dicit petentibus poenitentiam et reconciliationem communionis concessam fuisse poenitentiam, ne totum negaretur, et negatam communionem, ne homines de reconciliatione securi non revocarentur a lapsu, et quia remissionem duriorum fecit temporis ratio. Ubi vides apud Innocentium id esse negari communionem, quod negari reconciliationem et remissionem. Quod clarius adhuc perspicitur in verbis sequentibus, ubi dicitur posteriorem tempore concessam fuisse communionem, ne videretur Ecclesia imitari Novatiani asperi-

tatem et duritiam, qui veniam negabat. Ex sententia igitur Innocentii negare communionem est negare veniam.”⁵⁰

Alii, ut *Petavius, Palmieri, De San, Huarte, Bellacasa, Boyer* ceterique auctores dogmatici passim, sub voce “communio” rectius intelligunt solam Eucharisticam communionem, sub voce vero “poenitentiae” ipsam absolutionem peccatorum, adeoque dicunt, juxta Innocentium, antiquam praxim fuisse concedendi praedictis peccatoribus solam absolutionem et denegandi Eucharistiam. Haec interpretatio fundatur tum in verbis “Duriorem remissionem fecit temporis ratio”, quae supponunt concessionem ipsius poenitentiae fuisse veram remissionem, etsi duriorem, ob denegatam nempe Eucharistiam, tum, ac praecipue, in contextu subsequentium documentorum Coelestini, et Leonis M.⁵¹

Ad rem *Petavius*: “Superest Innocentii Papae locus, qui ad interpretandum ideo reliquis difficilior videtur, quod eam communionem pacatis Ecclesiae temporibus in morte redditam asseverat, quam Novatiani denegabant: hi porro peccatorum remissionem potissimum negabant; deinde quod extremam ‘vel in supremis’ tribuendam idcirco moribundis, ait, ‘ut’ communionem ‘suis a perpetuo exitio vindicentur’; quod in sacramentalem absolutionem maxime convenit. Nihilominus existimo ‘communio’ ab Innocentio majorem illam, ac plenam intelligi, quam ‘reconciliationem communionis’ appellat. Eam vero dicit in morte iis ademptam, qui poenitentiam in id usque tempus differrent. Postea pace Ecclesiae constituta eandem dari omnibus morituris placuit; quod nisi facerent, Novatianam crudelitatem imitarentur, non quod idem prorsus, quod haeretici isti, agerent; sed quod eorum instituta quodammodo sequerentur, dum absolutam, integramque communionem nullo unquam tempore permetterent; quae res plerosque in desperationem impellere potuisset, praesertim si sine viatico Eucharistiae decederent; sine quo vitam haberi non posse Christus ipse Joan. VI capite pronuntiat. Itaque ‘poenitentiae’ nomen apud Innocentium absolutionem una cum dolore, ac peccati detestatione significat, sed non perfectam, et oblationis, atque Eucharistiae conciliatricem, de qua ‘poenitentiae’ notione supra disputavimus. Ex iis omnibus haec demum summa conficitur; nullum satis expressum videri testimonium antiquorum Patrum, vel canonum, quod moribundis negatam aliquando sacramentalem absolutionem demonstret, non solum in universa, sed ne particulari quidem in Ecclesia”.⁵²

⁵⁰ De reliquiis et imaginibus sanctorum, c. 9.

⁵¹ Cf. dicta in art. 45, tom. 2, p. 928. 943–945.

⁵² Diatriba de Poenitentia et Reconciliatione, c. 4, Dogmata Theologica, t. 8. Parisiis, 1867, p. 453.

Non inepte quidam in confirmationem hujus secundae sententiae afferunt duo posteriora documenta *Conc. Trid. et Pii VI.*

Conc. Trid., sess. 14, cap. 7: "Hanc . . . delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt" (Denz. 903). Opponunt tamen alii, ut *Galtier*, non esse idem objectum de quo loquuntur *Conc. Trid.* et *Innocentius*; Concilium enim negat fuisse unquam reservationem casuum relate ad ministrum, i.e. quod quaedam peccata non possent absolvi nisi a superioribus vel determinatis ministris, etiam in articulo mortis; *Innocentius* vero affirmat fuisse reservationem eorum relate ad subjectum, i.e. denegationem reconciliationis.

Pius VI contra *Conc. Pistoriense* statuit: "Doctrina, qua postquam synodus professsa est, 'se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae (ut ait) ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam,' subiungit, 'per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent': contraria can. 13 Concilii Nicaeni I, *decretali Innocentii I* ad Exuperium Tolos., tum et decretali *Coelestini I* ad episcopos Vienn. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret" (Denz. 1538). Opponit tamen *Galtier* in his verbis non denegari veritatem asserti historici (seu non concessae olim veniae in articulo mortis) sed condemnari tantum "conclusionem theoreticam et practicam exinde eruendam de utilitate iterum instaurandi exclusionem a 'communione' et 'pace' etiam in articulo mortis" (De Paenit., n. 303).

CAELESTINUS I, Epist. 4, ad episcopos viennensem et narbonensem, 2 (a. 428), jubet reconciliari quoslibet morientes, acriter reprobandos, ut horrendam impietatem, contrariam praxim quorundam. Fatendum est verba Pontificis inexplicabilem exaggerationem redolere si anterior praxis Ecclesiae fuisset absolutionem quibusdam moribundis denegandi idque significasset paulo ante ipse *Innocentius I*. Notetur praeterea *Coelestinum*, nulla facta distinctione inter poenitentiam et communionem, loqui de sola denegatione Poenitentiae et quidem tanquam de denegatione absolutionis a peccatis et spirituali animi occisione.

“Agnovimus poenitentiam morientibus denegari nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri. Horremus, fateor, tantae impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere et periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad poenitentiam sic promittat: ‘Peccator’, inquit, ‘quacumque die conversus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei’ [cf. Ez 33, 16]. . . Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti. . .” (Denz. 111).

LEO M., Epist. 108, ad Theodorum, episc. foroiuliensem, 2 et 5, a. 452, jubet reconciliari moribundos etiam sensibus destitutos.

“[Christus] hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. . . Oportet unumquemque Christianum conscientiae suae habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, et illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio poenitentis vel reconciliatio sacerdotis. Verum, ut dixi, etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut et actio illis poenitentiae et communionis gratia, si eam etiam amisso vocis officio per indicia integri sensus postulant, non negetur. At si aliqua vi aegritudinis ita fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur; servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccaverunt” (Denz. 146 sq.; cf. alios textus ejusdem Leonis, cit. in art. 36, tom. 2, p. 363 sq.).

Hic etiam, sicut in documento Innocentii I, fit explicita distinctio inter poenitentiam et communionem, et utraque moribundis concedi jubetur. Nemo negabit eam distinctionem habere eundem sensum ac in textu Innocentii I. Nobis autem videtur standum esse secundae doctorum interpretationi, allatae circa textum Innocentii, juxta quam “poenitentia” involvit absolutionem a peccatis, ut jam explicatum est in art. 45 (tom. 2, p. 928. 943–945).

GELASIUS I, Tom. “Ne forte” de anathematis vinculo, ad finem ejusdem saec. 5 (circa a. 495), summam traditionalis doctrinae ac praxis Ecclesiae, his verbis exhibet: “*Nullum est quippe peccatum,*

pro quo aut non oret Ecclesia remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel poenitentibus relaxare, cui dicitur: 'Quaecumque dimiseritis super terram . . .' [cf. Io 20, 23]; 'quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo' [Mt 18, 18]. In 'quibuscumque' omnia sunt, quantacunque sint, et qualiacunque sint, veraci nihilominus eorum manente sententia, qua nunquam solvendus esse denuntiatur in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens" (Denz. 167).

EX ALLATIS TESTIMONIIS IN TRIPLICI TRADITIONIS PERIODO, I.E. SAEC. II, SAEC. III, ET SAEC. IV-V, HAEC CONSTANT:

1. Ecclesia modo generali remissionem obtulit omnibus peccatis et peccatoribus, absque peculiari et distincta casuum reservatione.

2. Peculiaris gravitas quorundam criminum, nominatim trium peccatorum capitalium, vigilantiores vel severiores modum agendi in concedenda venia connaturaliter induxit, imo quemdam exaggeratum rigorismum apud aliquos provocavit. Nihil amplius deduci potest ex testimoniis Tertulliani, Hippolyti et Origenis, seu ex tota controversia de reconciliatione moechorum initio saec. 3, si revera controversia fuit, aut ex tota innovatione Callisti, si revera innovatio fuit. Ceterum, rigorismus eo tempore apparet evidenter conjunctus cum haeresi vel schismate, i.e. cum montanistica doctrina Tertulliani et cum Hippolyti recriminatione.

Documenta supra invocata, in hac quaestione de praesumpta innovatione disciplinae Ecclesiae, respiciunt praecipue duo peccata *idololatriae* et *moechiae*. De tertio peccato capitali, seu *homicidio*, rariora sunt documenta, sicut rarior fuit lapsus fidelium vel saltem rarior occasio de eo crimine peculiariter disputandi aut canonice decernendi. Supradicti moderni eruditi, ad fulciendam suam theoriam de innovatione introducta etiam quoad absolutionem homicidii, afferunt ex una parte verba *Tertulliani*: "Idololatram quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis" (De Pud. 5) et ex alia parte canones 21. 22. 23 *Conc. Ancyranum* (a. 314) in quibus dicitur disciplina mitigari quoad absolutionem homicidii. Sed de valore testimonii Tertulliani jam sufficienter dictum est; canones vero Ancyranum nullibi dicunt homicidas non fuisse antea absolutos, sed tantum severiorem poenitentiam mitigant. Certum est in ipso *Conc. Iliberitano* (a. 306) quibusdam homicidis "communionem" etiam in fine vitae denegatam esse (can. 2. 3. 6. 63. 73); sed valor hujus testimonii pendet tum a sensu vocis "communio", tum ab auctoritate Concilii ejusque canonum, ut dictum est supra. Ceterum homicidas,

non secus ac alios peccatores, inde ab initio Ecclesiae veniam obtinuisse constat ex latrone a Joanne Apostolo converso, juxta *Clementem Alex.* (cf. supra, p. 346), ex filii *Hermae*, parentum proditoribus, quibus remissio promittitur (Vis. 2, 2, 2 et 4: "Semen tuum, Herma, . . . prodiderunt parentes suos. . . Postquam autem iis nota fecisti haec verba . . . tunc remittuntur illis peccata omnia"), ex testimoniis *Hippolyti* incusantis Callistum quod reconciliaret mulieres infanticidii reas (cf. supra, p. 375, et art. 1, tom. 1, p. 108).

3. Peculiaris etiam conditio quorundam lapsorum severiorem, seu potius prudentiorem, agendi modum postulavit, nec ceteroquin uniformem in variis particularibus ecclesiis. Reconciliatio lapsorum in persecutione, seu apostatarum, fuit praecipuum problema quod ecclesiasticae auctoritati occurrit per totum saec. 3 et fere usque ad Conc. Nicaenum (a. 325). Etsi in uno vel altero particulari casu praevaluerit quorundam rigorismus, ut testatur Cyprianus de quibusdam paucis episcopis africanis, generalis tamen praxis Ecclesiae, quae maxime apparet in copulata actione Ecclesiae Romanae et Ecclesiae Carthaginensis, fuit prudens regulatio illius reconciliationis quae omnibus generaliter offerebatur. Severior pars hujus praxis deprehenditur in denegatione reconciliationis in articulo mortis iis tantum qui non nisi in eo articulo remedium poenitentiae postulassent; cujus ceterum dispositionis ratio fuit positiva praesumptio defectus dispositionis seu poenitentiae, ut ipse significat Cyprianus.

4. *De causa clericorum*, seu quomodo clerici lapsi reconciliarentur in antiqua Ecclesia, dictum est in art. 36, tom. 2, p. 427-432.

5. *Causa moribundorum*, jam decisa a Cypriano cum Conc. Carthaginensi in favorem concessionis reconciliationis omnibus, salva praedicta exceptione poenitentium procrastinantium, deciditur in eodem fere sensu a Conc. Arelatensi I (can. 22) et Nicaeno I (can. 13). Conc. Nicaenum concedit omnibus morientibus reconciliationem, simul tamen injungens probationem seu examen requisitae dispositionis, ab episcopo faciendum. Unica nota discordans in hac re, nec certe levioris difficultatis, est Conc. Illiberitanum, extendens ad plures peccatores denegationem communionis in articulo mortis.

Attamen, primo, Conc. Illiberitanum refert leges unius particularis ecclesiae, quae ceteroquin, etsi sint authenticae (nam quidam de ipsa earum authentia dubitarunt), vix in praxim deduci potuerunt, contradicente paulo post decisione oecumenici Concilii Nicaeni; secundo, certum non est in canonibus illius Concilii denegationem communionis accipiendam esse pro ipsa denegatione absolutionis et non tantum pro denegatione Eucharistiae; tertio, data priori illa interpretatione, dene-

gatio absolutionis potuit in mente concilii fundari in severiori ut exaggravato iudicio de defectu dispositionis in reis gravissimorum criminum, quod quidem videtur innui in littera aliquorum canonum (ita can. 2: "Eo quod geminauerint scelera, vel triplicaverint facinus"; can. 3: "Ne illuisse de dominica communione videantur"; can. 13: "Si libidini servierint, non intelligentes quid admiserint").

6. *CAUSA RELAPSORUM* (seu lapsorum, post actam semel publicam poenitentiam, in aliquod peccatum grave; vel, ut alii strictius intelligunt, in aliquod ex illis peccatis quae subiciebantur publicae poenitentiae) *difficilioris est solutionis*, si attendatur sola documenta.

ET PRIMO QUIDEM, CAUSA RELAPSORUM QUOAD ARTICULUM MORTIS reïncidit in generalem causam moribundorum, de qua supra. Constat scilicet Conc. Illiberitanum denegasse communionem quibusdam relapsis (can. 3 et 7), quomolibet explicetur vox "communio" et mens hujus concilii. Constat vero, saltem inde a Concilio Nicaeno, nullos moribundos, utut relapsos, exclusos fuisse a reconciliatione in articulo mortis; idque confirmatur ex explicita legis nicaenae applicatione, ad aliquod saltem genus relapsorum, facta a *Siricio* circa finem eiusdem saeculi, ut dictum est supra (p. 402 sq.).

Opponit Galtier: "Ante S. Siricium non datur ullum exemplum certum absolutionis privatae [Sic vocat etiam quamlibet absolutionem in articulo mortis], quae sit concessa relapsis proprie dictis" (n. 307).

Respondetur. Cum tota doctrina et praxis Ecclesiae ante Siricium in hoc collimet ut generaliter omnibus bene dispositis, saltem in articulo mortis, absolutio concederetur, incumbit obicenti onus probandi ex documentis relapsos fuisse exceptos ab ea extrema absolutione. Quae autem Galtier affert argumenta ad id suadendum, valde debilia sunt ad tantam conclusionem inferendam, ut mox ostendatur. Interim, observa quam eleganter Galtier removeat documenta quae suae conclusioni adversantur.

Ad *Sozomeni* enim testimonium (Hist. Eccl. 7, 16), dicentis poenitentiam esse institutam ad subveniendum infirmitati humanae et a Deo praecipui ut venia poenitentibus concedatur "etiamsi saepius deliquerint", respondet Galtier "ex Sozomeni dictis sequi poenitentiam etiam publicam iterandam fuisse: loquitur enim de illa. Quod, forte de Oriente verum, non tangit tamen quaestionem pro iis Ecclesiis ubi relapsi certo non admittebantur ad secundam publicam".⁵³

⁵³ De Paenitentia, n. 307, Parisiis, 1931, p. 224.

Ad testimonium *Conc. Nicaeni* (can. 13), lege generali concedentis absolutionem omnibus indiscriminatim moribundis, imo probabiliter testantis hanc esse "legem antiquam" Ecclesiae (certum enim non est hoc incisum referri tantum ad reconciliationem eorum qui periculo mortis praeveniebantur, dum agerent publicam poenitentiam), respondet Galtier "concilio Nicaeno assertum quidem esse principium, vi cuius paulatim deveniendum erat ad concedendam omnibus omnino communionem. Non exinde tamen sequitur ita prius pro relapsis proprie dictis, in Occidente saltem, esse factum."⁵⁴ Attamen, nonne hoc saltem est factum certum, sexaginta nempe annis ante ipsum Siricii decretum (385), lege universali Ecclesiae statutum esse ut omnibus morituris, adeoque etiam relapsis, venia esset concedenda?

Ad ipsum testimonium *Siricii*, respondet illud non respicere relapsos proprie dictos (cf. supra, p. 403 sq.); cui ceteroquin responsioni non valde fidens, addit: "Dato tamen ea quae iussa sunt a S. Siricio mox, ut natura rei ferebat, applicata esse relapsis proprie dictis, quaestio manet integra de praxi antea et alibi vigente".⁵⁵ Attamen, nonne Siricii decretum apparet ut mera applicatio antiquae Ecclesiae consuetudinis reconciliandi moribundos, vel saltem ipsius legis nicaenae et antea et alibi vigentis?

Tria autem argumenta affert Galtier in favorem suae sententiae.

Primo, Conc. Illiberitanum (can. 3 et 7) explicite denegat veniam in articulo mortis relapsis post publicam poenitentiam.

Attamen, hoc argumentum labile est, tum quia disputatur de ipsa mente Concilii, tum quia agitur de concilio particulari, cui ceteroquin vix post viginti annos successit Oecumenicum Concilium Nicaenum, ex quo irritum factum est quidquid in contrarium intelligatur contineri in canonibus illiberitanis.

Secundo, Augustinus, Epist. 152, ad Macedonium, 1, 1 sq.; 3, 7, obicienti iudici Macedonio sibi videri illogice episcopos intercedere pro reis apud magistratus, cum ipsa Ecclesia repellat relapsos ab agenda poenitentia, respondet id non illogice fieri, quia, etsi Ecclesia deneget illis secundam poenitentiam, tamen apud Deum semper praesto est locus veniae et misericordiae. Ex quo sequitur Augustinum implicite fateri nullam amplius relapsis superesse ecclesiasticam reconciliationem; si enim ei praesto fuisset privata poenitentia seu absolutio, saltem in articulo mortis, ratio discursus tulisset Augustinum ad hoc explicite asserendum, ut ita funditus evacuaret Macedonii objec-

⁵⁴ Loc. cit.

⁵⁵ Ibid., n. 306, p. 223.

tionem; obicienti scilicet: illogice episcopus petit a iudice veniam quam ipse relapsis non concedit, respondere debuisset episcopum non concedere quidem poenitentiam publicam sed utique concedere privatam, saltem in articulo mortis.

En verba Augustini: "Quaeris a me cur officii sacerdotii nostri esse dicamus intervenire pro reis, et nisi obtineamus, offendi quasi quod erat officii nostri minime reportemus. Ubi vehementer te dicis ambigere utrum istud ex religione descendat. Deinde adjungis qua ratione ita movearis. Nam si a Domino peccata, inquis, adeo prohibentur, *ut nec poenitendi quidem copia post primam tribuatur*; quemadmodum nos possumus ex religione contendere ut quaecumque illud crimen fuerit, dimittatur? . . . [Respondeo:] Ideo . . . quantum facultas datur, pro peccatis omnibus intercedimus, quia omnia peccata videntur veniabiliora, cum is qui reus est correctionem promittit. . .

"In tantum autem hominum aliquando iniquitas progreditur, ut *etiam post actam poenitentiam*, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora committant: et tamen Deus facit etiam super tales oriri solem suum; nec minus tribuit quam ante tribuerat largissima munera vitae ac salutis. *Et quamvis eis in Ecclesia locus humillimae poenitentiae non concedatur*; Deus tamen super eos suae patientiae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis dicat, Aut date mihi eundem iterum poenitendi locum, aut desperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, et humanis legibus non prohibeor, in scortis, omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, sed apud homines plerosque etiam laudabili: aut si me ab hac nequitia revocatis, dicite utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero, si libidinum incitamenta frenavero, si ad castigandum corpus meum multa mihi etiam licita et concessa subtraxero, si me poenitendo vehementius quam prius excruciavero, si miserabilius ingemuero; si fievero uberius, si vixero melius, si pauperes sustentavero largius, si charitate, quae operit multitudinem peccatorum (I Petr. viii, 4), flagravero ardentius; quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat, Nihil tibi ista proderunt in posterum; vade, saltem vitae hujus suavitate perfruire? Avertat Deus tam immanem sacrilegamque dementiam!

"*Quamvis ergo caute salubriterque provisum sit ut locus illius humillimae poenitentiae semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis*, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat dicere Deo: Quare huic homini, qui post primam poenitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis? Quis audeat dicere erga istos non agi quod Apostolus ait, 'Ignoras quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?' aut istis exceptis esse definitum quod scriptum est, 'Beati omnes qui confidunt in eum' (Psalm. ii, 13)? aut ad istos non pertinere quod dicitur, 'Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Dominum' (Psalm. xxx, 25)?" (M.L. 33, 653-656.)

Attamen, quamvis haec verba videantur favere sententiae Galtier, nihil in se habent quod hanc necessario inferant. Augustinus enim nihil aliud directe asserit quam relapsos, quibus Ecclesia denegabat secundam poenitentiam publicam, adhuc potuisse consequi veniam a Deo. Hanc autem eos consequi potuisse a Deo immediate et independenter ab Ecclesiae ministerio, non dicit, imo hoc aliunde excludit tum ejus generalis doctrina extra Ecclesiae ministerium nullum peccatum dimitti (Enchir. 65: "In qua remittuntur ipsa peccata;

extra eam quippe non remittuntur"; Serm. 295, 3: "Praeter hanc Ecclesiam nihil solvitur"; hos textus integre citavimus in art. 1, tom. I, p. 120 sq.); tum ejus doctrina de existentia privatae poenitentiae, quam recte deprehendit ipse Galtier in hac ipsa eadem epistola ad Macedonium, ubi S. Doctor ait: "Agimus [cum poenitentibus] quantum episcopalis facultas datur. . . Arguimus, increpamus, et de-testamur; quosdam clam, quosdam palam, sicut diversitas personarum diversam videtur posse recipere medicinam. . . Aliquando etiam, si res magis curanda non impedit, sancti altaris communione privamus" (6, 21, M.L. 33, 663), sine sufficienti enim ratione quis diceret haec referri ad omnes peccatores, exceptis tamen relapsis; tum denique ipse jam fere centenarius canon Conc. Nicaeni, praescribens omnibus moribundis veniam concedi, cui vix credibile est doctrinam et praxim Augustini non conformari.

Quod autem Augustinus peculiare hoc remedium privatae poenitentiae pro relapsis, explicite non aperit in responsione ad Macedonium, ratio esse potest quia ex una parte id necesse non fuit ad sufficienter respondendum objectioni illius judicis et ex alia parte minus prudens videretur tam arduum remedium publice vel absque peculiari necessitate proponere. Ad rem *D'Alès*: "Il n'est pas douteux que la réconciliation 'in extremis', seul espoir des relaps, était, au même titre que la réconciliation normale, un effet de pouvoir de rémission confié par le Christ à son Eglise. On comprend d'ailleurs aisément pourquoi les Pères n'ont pas coutume d'en parler quand ils convient les fidèles à la seconde pénitence: ce n'était pas un parti à proposer en public et à tous, que cette réconciliation si hasardeuse. Il suffisait de le proposer en particulier à ceux qui n'avaient plus d'autre ressource."⁵⁶

Tertio, ait Galtier: "Inverosimile est exclusis a poenitentia publica patuisse de jure viam absolutionis privatae. Nam, ut argumento liceat uti, quod, inde a Petavio (De poenitentiae ritu in vet. Eccl. III), non evacuatum manet, si peccatoribus hujusmodi patuisset hujusmodi saltem in morte reconciliatio, multo felicior extitisset conditio relapsorum quam prima vice peccantium, quibus non concedebatur absolutio nisi peracta poenitentia publica. Poena proinde, quae censetur, pro favore apud plerosque valuisset. Notum siquidem est peccatores pertinacissimos quosque a poenitentia peragenda summopere abhorruisse nec quidquam magis in votis habuisse quam absolutionem in fine vitae adeptam, sine praemissa actione poenitentiae. Pessimam hanc socordiam dolent episcopi et acerbissime carpunt; queruntur nimis multos

⁵⁶ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 452.

esse qui ex industria poenitentiam petere aut petitam et acceptam adimplere omittant, ut tandem, urgente periculo mortis, non peracta poenitentia, absolvantur. Quod ergo peccatores ultro appetebant, hoc ipsum relapsis per modum poenae indictum esse difficile quis sibi persuadeat.”⁸⁷

Attamen, hoc argumentum tanti non esse ponderis vel ex eo patet quod ipse Petavius, “re altius accuratiusque perspecta”, mutaverit suam sententiam in hoc argumento fundatam, juxta quam Ecclesia aliquando denegasset veniam quibusdam moribundis (cf. supra, p. 309). Vis enim vel debilitas hujus argumenti tota pendet a quaestione, utrum necne concessio publicae poenitentiae esset aliquod beneficium et ut tale a recte sentientibus consideraretur. Jamvero magnum beneficium fuit, et ut tale consideratum est. Importabat enim aequivalentem indulgentiam poenarum temporalium, conlorationem totius Ecclesiae in opus poenitentiae, plenam redintegrationem in spiritualem communionem fidelium, admissionem ad Eucharistiam; a quibus omnibus excludebantur relapsi usque ad finem vitae; quod si dicatur eos exclusos fuisse etiam ab ipsa absolutione a peccatis per totam vitam, jam amplius patet a quanto beneficio excluderentur et quanto infelicioer fuerit eorum conditio quam conditio prima vice peccantium, quamvis aliunde eis servaretur absolutionis beneficium in articulo mortis.

Unde ipse *D'Alès*, qui aliquatenus accedit ad Galtier in hac quaestione de relapsis, scribit: “Si l'on veut remettre dans son vrai jour l'institution de la pénitence publique, il faut tenir compte, non pas seulement de son caractère pénal et humiliant, qui pouvait rebuter des volontés chancelantes, mais encore et surtout de son caractère libérateur, qui la rendait désirable comme un second baptême. Parvenir, par la voie de l'exomologèse publique, à la réconciliation avec Dieu, était l'espoir du chrétien tombé; se voir officiellement admis à cette exomologèse, était déjà, pour la conscience engeissée, un apaisement, et comme un premier pas vers la réhabilitation effective. D'ou le prix attaché à cette faveur.”⁸⁸

QUOAD EORUMDEM RELAPSORUM CAUSAM IN IPSO VITAE DECURSU, res adhuc difficilior est, ob incerta documenta quae non uni patent interpretationi. Res potius connectenda est cum quaestione de existentia privatae poenitentiae, et absolutio relapsorum, sicut et ceterorum quibus poenitentia publica denegabatur, deducenda est tum a paritate vel similitudine cum aliis casibus privatae poenitentiae, tum ex argumento dogmatico de inerrabilitate Ecclesiae circa

⁸⁷ De Poenitentia, n. 308, Paris, 1931, p. 224.

⁸⁸ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 454.

necessitatem sacramenti Poenitentiae et circa limites quos haec necessitas imponit juribus Ecclesiae in exercitio potestatis clavium (cf. supra, art. 45, tom. 2, p. 970 sqq.).

Jam igitur aliquid dicendum est de hoc DOGMATICO ARGUMENTO, quo legitime oportet complere vel roborare ea quae non satis firmiter quandoque nobis exprimunt antiqua documenta tum in praedicta quaestione de existentia privatae poenitentiae, tum in praesenti argumento de numquam ab Ecclesia denegata venia quibuslibet peccatis vel peccatoribus.

Et imprimis hanc rem esse non tantum historicam, ut quidam volunt, sed etiam ac praesertim dogmaticam, patet ex intima ejus connexionem cum ipso copulato dogmate de universali extensione potestatis clavium et de absoluta necessitate recursus ad potestatem clavium ad obtinendam remissionem peccatorum; unde ipse *D'Alès* qui, ut morem gerat modernis eruditibus, rem nonnisi historice considerare praefert, fatetur: “[Cette question est] dogmatique au premier chef par certains aspects, puisqu'il y va de l'exercice historique du pouvoir des clefs”,⁵⁰ “[il s'agit d'] un principe . . . touchant au roc même de l'Evangile”.⁵⁰ Jure ergo auctores dogmatici ad hoc argumentum appellant, et quidem generatim inde ab initio suae probationis ex praxi Ecclesiae, seu ante omne argumentum historicum; quod nos ideo non fecimus, ne quibusdam videremur praejudicio dogmatico praeoccupari.

Praeterea, hanc quaestionem posse dogmatice, seu ut aiunt, a priori, sufficienter resolvi, saltem in hoc essentiali sensu quod numquam ipsa universalis Ecclesia simpliciter denegaverit veniam ulli peccato aut peccatori, affirmandum est ita ut “etiamsi positiva probatio thesis ex historicis documentis non perficeretur, sed solum probabilis solutio difficultatum haberi posset, thesis omnino staret.”⁵¹

Profecto, ratio quare Ecclesia veniam denegavisset alicui peccato vel peccatori, esse posset vel quia ignoraverit, seu nondum plene noverit, extensionem suae potestatis in remissionem quorumlibet peccatorum, vel quia ignoraverit, seu non plene noverit, absolutam necessitatem sacramenti ex parte hominum peccatorum et correspondentem obligationem ipsorum pastorum sacramentum illis ministrandi, ita ut in quibusdam casibus, ob rationem ipsius boni spiritualis communitatis, Ecclesia elegerit non uti sua potestate relate ad aliquos peccatores et putaverit se legitime id agere posse. Jamvero utrumque

⁵⁰ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. iv.

⁵¹ Ibid., p. 404.

⁵² Boyer, De Poenitentia, Romae, 1942, p. 174.

vix cogitabile est, salva inerrabilitate et indefectibilitate Ecclesiae. Nam exinde sequeretur *primo*, Ecclesiam ignorasse aliquid quod est essentialiter et immediate connexum cum institutione potestatis clavium, scilicet extensionem illius potestatis et necessitatem suscipiendi sacramentum; *secundo*, Ecclesiam non solum ignorasse, sed inde errasse in fide circa alterutrum illorum, nam, ut scite notat Palmieri, "ad hanc praxim negandae absolutionis, si serio fiebat, aliquid iudicium mentis praevertere oportebat, quod eam regeret; hinc dici nequit quod extiterit solum defectus iudicii huius: 'exercitium scilicet huius potestatis est necessarium', sed oportuit esse iudicium positivum, quod solum poterat esse ratio huius continuatae negationis seu ratio cur censeret Ecclesia se bene agere in tali administratione Sacramenti, quod iudicium debebat esse hoc: 'exercitium meae potestatis non est necessarium', quod haereticum est";⁶² *tertio*, Ecclesiam ob eam ignorantiam vel errorem defecisse, utut inculpabiliter, in suo munere sanctificandi homines per necessaria media salutis, relate nempe ad eos quibus sacramentalem veniam denegasset.

OBICIES 1. Hoc dogmaticum argumentum totum fundatur in supposito nondum probato, quod nempe olim sicut hodie "Ecclesia . . . dogma de absoluta necessitate remissionis per sacramentum jam professa sit explicite. Jamvero inter catholicos quaestio praecise esse potest utrum Ecclesia ab initio jam ita explicite professa sit dogma quod contra haereticos postea definivit; utrum scilicet illud ab initio cum tanta claritate perceperit, ut quidquid ab illo nunc fluere videmus illa jam tunc ad praxim deduxerit, quidquid autem ei nunc patet contrarie illa jam tunc vitare conata sit. Hoc in nullo fere dogmate admitti potest; a fortiori non debet assumi per modum principii in eo quod a *S. Augustino* recensetur inter ea de quibus non est 'perfecte tractatum antequam haeretici quaestionibus agitent Ecclesiam Dei'.⁶³

RESP. Concedimus non omnia quae nunc sunt clare cognita et explicite definita de aliquo dogmate, et nominatim etiam de ipsa potestate clavium, fuisse eodem modo cognita inde ab initio; negamus nihilominus Ecclesiam olim ita diminute de extensione potestatis clavium aut de necessitate sacramenti sentire potuisse, ut inde induceretur ad negandam veniam ulli peccato aut peccatori; eae enim veritates sunt nimis immediate connexae cum ipsa essentia sacramenti et cum ipso ejus necessario et continuo exercitio, ut potuerint taliter ignorari, salva inerrabilitate et indefectibilitate Ecclesiae.

⁶² De Poenitentia, Romae, 1879, p. 94.

⁶³ Ita *Galtier*, De Paenitentia, n. 213, Parisiis, 1931, p. 144.

OBICIES 2. "Per ipsam recentioris Ecclesiae praxim, constat, propter motiva particularia, v.gr. majoris boni communis, sacramentum cognitum ut absolute necessarium posse denegari alicui legitime petenti. Hoc enim supponit *S. C. S. Officii*, ubi edicit infidelium infantibus 'baptismum non posse conferri in articulo mortis, nisi id fiat sine scandalo' (*Coll. S.C. de prop. fide*, edita anno 1907, t. I, n. 90), seu, ut explicat *S.C. de Propag. fide* in instructione de eadem re, ita ut 'non majus quoddam infidelium odium in christianam religionem atque in christianos saevitia excitetur' (*ibid.*, n. 522, VI, p. 321-322). Pariter igitur, imo a fortiori, potuerit Ecclesia aliquando, propter majus fidelium in genere bonum, denegare absolutionem certis peccatoribus, quos aliunde ipsa novisset et docuisset posse sibi per contritionem subvenire.—De his plura apud *Umberg: Absolutionspflicht und altchristl. Bussdisziplin*, apud *Scholastik*, 11 (1927), p. 321 sqq."⁶⁴

RESP. Negatur paritas inter prohibitionem baptizandi parvulos infidelium, invitis parentibus, et denegationem absolutionis peccatori disposito ac petenti. Nam in priori casu non est denegatio, quia non est petitio in carente usu rationis; nec agitur de subdito Ecclesiae, cui qua tali teneatur Ecclesia reddere jus; relate ad infantes infidelium Ecclesia non habet expeditum jus et officium baptizandi, sed ligatum naturali jure parentum, ut explicatum est in tractatu *De Baptismo* (art. 12).

OBICIES 3. "Ut . . . S. Augustini . . . exemplo utamur, sicut Ecclesia potuit diu tolerare rebaptizantes, ita non apparet a priori cur non potuerit praedictum rigorismum permittere. Aliud enim est jubere positive praxim quae certo dogmati aperte repugnet, aliud eandem, dogmate praesertim nondum explicato, non prohibere."⁶⁵

RESP. Ut constat ex dictis in tractatibus *De sacr. in gen.* (art. 39) et *De Baptismo* (art. 8), nequaquam Ecclesia diu toleravit rebaptizantes, sed inde ab initio damnavit ut constat vel ex ipsa controversia Stephani P. cum Cypriano, non enim ex parte Cypriani sed ex parte Stephani erat Ecclesia. Ceterum, in praesenti quaestione de denegatione veniae quibusdam peccatis, non ageretur de mera tolerantia, sed de praxi ipsius Ecclesiae, quantumvis temporanea, ut sustinent adversarii. Praeterea, dum dogma de perfecta independentia validitatis sacramenti a fide et probitate ministri, potuit non explicite et determinate omnibus inde ab initio apparere, ita ut inde explicetur

⁶⁴ Ita *Galtier*, *ibid.*, n. 213, p. 144, in nota.

⁶⁵ Ita *Galtier*, *ibid.*, n. 213, p. 144 sq.

persistentia usque ad medium aevum alicujus dubii de absoluto valore illius dogmatis et alicujus praxis iterandi quaedam sacramenta (scilicet Baptismum et Ordinationem), dogma de absoluta necessitate sacramenti Poenitentiae est tam intime connexum cum indole et existentia potestatis clavium ut non potuerit non explicite cognosci ab ipsa Ecclesia primaeva, ut ceteroquin docetur ab ipso *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 5: "Ex institutione sacramenti poenitentiae . . . universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam existere" (Denz. 899).

OBICIENS 4. Sacramentum Poenitentiae non est absolute necessarium necessitate medii in re, sed tantum necessitate medii in re vel voto, nam peccator potest justificari per actum contritionis vel martyrium. Unde non repugnat quod Ecclesia putaverit se posse denegare veniam quibusdam peccatoribus, relinquens eos soli auxilio actus contritionis vel martyrii.⁶⁶ "Nec magis apparet cur Ecclesia, in hac hypothesi, defuisset suo muneri sanctificandi homines: Nam . . . sacramentum, quantacumque sit ejus necessitas, tamen potest deficere, aut bona fide ignorari vel omitti, quin eo ipso peccator adultus maneat omni remissionis modo destitutus. Etiam nunc, ubi explicite docetur peccati remissionem pendere ab absolute sacerdotis tamquam a propria causa instrumentali de se semper adhibenda, tamen fieri potest, ex variis circumstantiis, ut, ea non adhibita imo nec cognita, peccatoris saluti provideatur sufficienter per contritionem; a fortiori idem admitti potuerit ea aetate ubi doctrina de causalitate absolute remissionis propria manebat obscuritatibus adeo obvoluta."⁶⁷

RESP. Ex hoc ipso quod sacramentum Poenitentiae est necessarium saltem in voto, ita nempe quod actus contritionis nequeat justificare nisi ex voto sacramenti, sequitur quod Ecclesia non possit denegare veniam, nec possit putare se habere jus denegandi veniam, nisi errando in fide et deficiendo in suo munere salutis; denegatio enim veniae et exercitii clavium ex parte Ecclesiae, extingueret rationem voti sacramenti in actu contritionis, cum ad impossibile non sit voluntas; quomodo enim potest quis velle subicere sua peccata clavibus Ecclesiae, quarum usum scit sibi denegari?

⁶⁶ Ita *Batiffol*, scribens: "Investie par Notre-Seigneur du pouvoir des clés, qui est par définition pouvoir de délier et aussi de lier, l'Eglise est l'économe de ce pouvoir sacramentel, et, pour des raisons dont elle reste seule juge, elle peut le réserver ou le prodiguer. . . Si elle le réserve, ce ne peut être pour s'opposer au salut des pécheurs. La satisfaction unie à la contrition a donc pu, dans la pensée de l'Eglise et jusqu'à un date relativement récente, suppléer la rémission par le pouvoir des clés, dans les cas où l'Eglise entendait réserver le pouvoir des clés" (Etude d'histoire et de théologie positive, 3me édition, Paris, 1904, p. 221).

⁶⁷ Ita *Galtier*, op. cit., n. 214, p. 145.

Ceterum, in tota hac quaestione de cognitione et interpretatione potestatis clavium in antiqua Ecclesia, deque ejus deductione in praxim, concedi potest et debet aliquis severior modus interpretandi et applicandi exercitium illius potestatis, peculiariter relate ad graviora peccata. Haec severitas fundabatur in ipsa sanctiori aestimatione vitae christianae apud priores fideles (in ferventiori enim communitate culpa gravius judicatur) necnon in connexa illorum pronitate ad opera poenitentiae. Consistebat autem non in denegatione veniae peccatoribus bene dispositis, utut ex fine deterrendi fideles a relapsu (non enim finis justificat media, nec sunt facienda mala ut eveniant bona), sed potius *in judicando de ipsis dispositionibus seu in exigendo certiora signa necessariae dispositionis*.

In quo quidem potest variare praxis Ecclesiae atque oscillare inter severitatem et indulgentiam, cum iudicium et certitudo moralis de dispositionibus poenitentis dependeant a pluribus elementis moralis ac indefinitae indolis, nec aliunde tenetur Ecclesia exercitium potestatis clavium in indulgentiorem partem semper inclinare, praecipue cum circumstantiae suadent ex severiori disciplina certiores colligi posse fructus poenitentiae. Praeterea, haec legitima et proportionata Ecclesiae severitas potuit false interpretari et indebite aggravari, in pluribus casibus vel locis, ex inepto zelo et rigoristica mentalitate particularium pastorum, imo pro aliquo tempore tam late propagari et cum insurgentibus quibusdam sectis tam intime connecti, ut potuerit producere in mente quorundam historicorum hallucinationem cujusdam veri rigorismi qui infecerit ipsa viscera matris Ecclesiae. Etiam in hodierno tempore, quanta observatur varietas apud libros morales et apud exercentes confessarios, in judicando de dispositionibus poenitentis, et in concedenda vel deneganda vel postponenda absolutione; quot sunt qui, caeco informati zelo vel spirituali affecti myopia, sacramentalem rigorismum profitentur.

Ad terminum hujus quaestionis, liceat jam iterum oculos convertere ad modernam illam theoriam quorundam catholicorum eruditorum de reservatione capitalium peccatorum in antiqua Ecclesia, qua, una cum altera eorum sententia de existentia solius poenitentiae publicae (de qua diximus in art. 45), complent modernum systema explicativum antiquae disciplinae poenitentialis.

Speciosum illud aedificium, omni opere et arte theologiae, quam vocant positivam, laboriose elevatum ac historicis lapidibus firmatum, jam proprio pondere dilabitur, historica ipsa evidentia desertum; dogmatica omni consistentia denudatum, signantissime demonstrans infelicem exitum qui obtingit praedictae theologiae positivae, quoties, proprio impulsui historico-critico immodice se committit, fere relicto

adjutorio illius dogmaticae disciplinae a qua sola participat nomen ipsum theologiae.

Facta historica, super quae Funk, Batiffol, Vacandard, alique eruditi catholici, Harnackio aliisque rationalistis concinentes, conati sunt suam theoriam stabilire, pauca omnino sunt, nec firma, nec concordantia; testimonium Hermae ab ipsis in oppositos sensus accipitur, ita ut pro quibusdam sit initium rigorismi in Ecclesia, pro aliis initium indulgentiae, Tria praecipua testimonia, Tertulliani scilicet, Hippolyti et Origenis, diversimode aestimantur et premuntur; famosum Callisti edictum, in quod dicunt tria illa testimonia convergere, jam suum amisit capitale momentum, cum solide controvertatur (et a non paucis modernioribus negetur) an tribui possit alicui Romano Pontifici illud ipsum decretum quod impugnat Tertullianus. Exinde patet quam parum historice et critice illi eruditi suam historico-criticam theoriam construxerunt super pauca facta, male observata, ab ipso historico contextu separata, secundum solos canones modernae historiae interpretata, a viventi et antiqua Ecclesiae traditione divulsa, praeconceptae et antihistoricae cuidam systematizationi subiugata.

Hos defectus se inde ab initio detexisse fatetur *D'Alès*, cum illum theoriam, cui et ipse adhaeserat, crisi subiecit, mox decisive deserturus ac valide impugnaturus: "J'avais . . . adhéré quelque temps à la première solution. . . Quant à la cause de mon évolution la voici. Ayant éprouvé, l'un après l'autre, les trois témoignages sur les quels repose tout entière cette première solution, je les vis, à ma grande surprise, fondre successivement dans mes mains. Ni Tertullien, ni Hippolyte, ni Origène, ne me parut offrir une garantie sérieuse à cette rigueur de l'antique discipline, qui, de l'aveu de tous, ne se prouve pas par les documents du second siècle. Dès lors il fallait évacuer mes premières positions".⁶⁸ "Un commerce prolongé avec la littérature primitive de la pénitence m'a donné le sentiment de plus en plus vif d'une institution vraiment identique à elle-même, dont la description comporte de multiples vérifications, dont les vestiges se raccordent à mesure qu'on les connaît mieux; institution qu'on ne peut comprendre si l'on se borne à l'étudier par le dehors et si l'on fait abstraction de la pensée opérante du Christ qui, depuis les origines, en porte le développement et en explique les métamorphoses."⁶⁹

Complicationes dogmaticae, quae latent sub historica constructione illius theoriae, nequeunt facile dissimulari.

Et imprimis, ut observatum est cum *D'Alès* et *Harent* in art. 45

⁶⁸ In *Revue du Clergé Français*, t. 50 (1907), p. 363.

⁶⁹ *L'édit de Calliste*, Paris, 1914, p. V sq.

(tom. 2, p. 908. 950. 971 in nota), ex hac theoria, asserente reservationem trium capitalium peccatorum, copolata cum alia opinione aliquorum saltem ex iisdem doctoribus, nominatim Funk, iuxta quam in primitiva ecclesia existebat sola poenitentia publica cui subiciebantur tantum tria peccata capitalia, sequitur Ecclesiam per aliquod tempus, usque ad Callistum, abstinuisse ab omni prorsus exercitio potestatis clavium, seu nullum prorsus peccatum sacramentaliter absolvisse. Quod quidem quomodo congruat dogmati fidei de Ecclesiae indefectibilitate, judicet qui velit.

Praeterea, ea theoria, prout sustinetur a Funk aliisque catholicis, fundatur in quodam inadaequato conceptu connexionis et dependentiae remissionis peccatorum a ministerio Ecclesiae, quemadmodum eadem theoria, prout sustinetur ab Harnack aliisque rationalistis, fundatur in haeretico conceptu Ecclesiae quae fuerit societas solorum sanctorum.

Ad rem apte *D'ALÈS*: "Dans la synthèse ébauchée il y a trois siècles [par *Petau*] et qui a reçu de nos jours un couronnement imprévu grâce à l'*Histoire des dogmes de M. Harnack*, on a cru nécessaire d'attribuer à ces faits saillants [Édit de Calliste et décision du Pape Corneille] la valeur de véritables coups d'état. Comme d'ailleurs il apparaissait qu'une construction aussi systématique se heurte à un grand nombre de faits; comme de plus elle est, dans sa pleine rigueur, difficile à accommoder avec la doctrine catholique, on a essayé divers amendements. C'a été une des idées directrices de *Funk* et de son école de détendre les liens qui rattachent la doctrine primitive de la pénitence à l'ecclésiologie primitive, et d'imaginer une réconciliation avec Dieu, indépendante de la réconciliation ecclésiastique. On a cru par là tout sauver, et la synthèse préconçue et les exigences de l'histoire et celles de la foi. Le succès a-t-il répondu à l'effort? Il est permis d'en douter, car ce que réclame l'histoire, et la foi avec elle, c'est une synthèse où l'idée d'Eglise tiennne la place qui lui est due, au coeur même de la doctrine pénitentielle. Il nous reste à exposer cette dernière considération, pour justifier notre réserve soit à l'égard de la synthèse de Harnack soit à l'égard de celle de Funk.

"Tout d'abord les faits saillants de l'histoire du IIIe siècle, qui forment l'armature de la synthèse de Harnack, ne semblent pas avoir eu dans la réalité l'importance qu'on a pu être tenté de leur attribuer, dans le recul de l'histoire. On n'aurait pas eu cette tentation si notre ignorance de la vie primitive des Eglises était moins profonde. Avouons cette ignorance. Néanmoins assez de traits de lumière sillonnent la nuit pour nous avertir de veiller et nous mettre en défiance contre les systématisations hâtives. Puis, l'histoire des deux premiers siècles, interrogée loyalement, invite non pas à atténuer, mais au contraire à souligner avec beaucoup d'énergie cette solidarité de l'ecclésiologie et de la discipline pénitentielle, qui ne fut en aucun temps plus étroite, encore qu'elle se présente alors sous un aspect qui n'est pas celui des temps ultérieurs. Aussi les travailleurs qui, moins épris des constructions élégantes, se sont contentés d'enregistrer les faits, de les classer sans hâte, se souvenant d'ailleurs que la pensée vivante de l'Eglise plonge ses racines dans le passé, et jugeant que les écrits des Pères du IVe siècle peuvent encore fournir de bonnes indications pour restituer l'oeuvre doctrinale du IIIe, nous paraissent avoir fait meilleure et plus durable besogne . . .

"Sur quoi repose la synthèse de Harnack? D'abord sur la conception artificielle de l'Eglise primitive des saints, puis sur trois faits mal observés.

“*La conception de l’Eglise primitive des saints nous paraît artificielle, car si les écrits du Nouveau Testament et les premiers Pères présentent à maintes reprises l’idéal d’une Eglise sans tache, ils présentent aussi, à côté de cet idéal, la réalité très actuelle d’une Eglise en travail perpétuel de réforme intérieure, de purification individuelle et de laborieux enfantement des saints. Qu’il suffise de rappeler, après les évangiles, les épîtres aux Corinthiens, l’épître aux Hébreux, la première épître de saint Jean, l’Apocalypse, la lettre de saint Clément de Rome, les paraboles d’Hermas, Denys de Corinthe.*”

“*Les faits mal observés* — il ne faut pas hésiter à leur donner ce nom-sont: l’initiative du pape Calliste relative à l’impudicité, l’initiative du clergé contemporain de Corneille relative à l’idolâtrie, enfin l’initiative prise, on ne sait quand, par on ne sait qui, en faveur de l’homicide. Sur l’initiative de Calliste, nous avons entendu deux témoins passionnés et discordants: si l’on doit admettre sur la foi de Tertullien et d’Hippolyte qu’il y eut une intervention de Calliste en faveur des impudiques, les mêmes témoins ne doivent être accueillis qu’avec une extrême défiance quant aux caractères de cette intervention. L’autorité d’Origène doit être écartée, soit comme étrangère à l’histoire de Calliste, soit comme ne signifiant pas ce qu’on lui fait parfois signifier. L’initiative des contemporains de Corneille en faveur des apostats est réelle, mais moins profonde qu’on ne l’a dit souvent: Rome, Carthage, Alexandrie, ne firent qu’appliquer aux besoins présents des principes anciens, sans avoir à les découvrir et sans que rien autorise à regarder cette application comme inédite. L’initiative en faveur des homicides, introduite surtout par besoin de symétrie, est beaucoup plus insaisissable, puisqu’on n’en peut assigner ni la date ni l’auteur; d’ailleurs elle cadre mal avec plusieurs faits certains.

“*Pour appuyer son système, M. Harnack montrait le pape Calliste déchainant par son fameux édit, une coalition des meilleurs théologiens: à Rome le schisme d’Hippolyte, à Carthage la protestation violente de Tertullien, à Alexandrie l’opposition énergique d’Origène. Que reste-t-il de cette construction hardie? Hippolyte n’avait pas attendu l’édit de Calliste pour faire schisme. Nous savons, par son propre témoignage, que son schisme remontait au début de ce pontificat et qu’il avait eu pour origine un conflit d’influence. . . Tertullien, entré depuis nombre d’années dans les voies de l’hérésie montaniste, avait déjà notifié sa rupture avec l’Eglise, en mainte occasion. . . Origène, attaché à l’Eglise par le fond de son âme, et très énergique à revendiquer le droit de la hiérarchie pour la rémission de tous les péchés, se vit amené, au plus tôt sous le deuxième successeur de Calliste, à blâmer la légèreté de certains prêtres qui, sans avoir égard à la gravité des péchés, réconciliaient inconsidérément toute sorte de pécheurs, au grand détriment du sérieux de la pénitence. . . En somme, de ces trois théologiens, les deux premiers, séparés antérieurement de l’Eglise pour des raisons étrangères à la question de la pénitence, trouvèrent seulement dans l’acte de Calliste un nouveau sujet d’opposition. Tertullien protesta sur-le-champ, Hippolyte après des années. Origène ne semble pas s’en être occupé jamais. . .*”

“*D’où procède la synthèse de Funk? D’une conception particulière et, à notre avis, inadéquate de la rémission des péchés, dans ses relations avec le ministère sacerdotal. Cette rémission peut en effet se manifester sous deux formes: ou sous forme d’absolution actuellement prononcée par le prêtre, ou sous forme de communion ecclésiastique restituée au pénitent. Brièvement, on pourrait dire l’aspect judiciaire et l’aspect social de la réconciliation. L’un et l’autre aspect est marqué dans le Nouveau Testament; ils sont solidaires l’un de l’autre, mais la description peut faire abstraction de l’un pour s’attacher à l’autre. C’est ce qu’on observe au cours des deux premiers siècles: les Pères apostoliques et leurs successeurs immédiats ne s’arrêtent pas au ministère du prêtre; à peine font-ils quelques allusions lointaines au pouvoir des clefs. Mais la communion avec l’Eglise les occupe au contraire beaucoup; ils y voient le signe sensible de l’union à Dieu et à son Christ;*”

la restitution de la communion ecclésiastique implique la paix faite avec Dieu. Qu'il suffise de rappeler saint Clément de Rome, saint Ignace d'Antioche, Hermas. À ce stade primitif, *Funk* a très justement remarqué l'effacement de la sentence sacerdotale; il en a trop vite conclu à l'abstention du ministère ecclésiastique. C'est à notre avis, une grave erreur; la signification attachée par ces mêmes Pères à la communion ecclésiastique, jointe à leurs affirmations très nettes sur la hiérarchie, suppose une intervention très effective de la hiérarchie dans l'administration de la pénitence.

"Cette conception inadéquate de la rémission des péchés devait engendrer la théorie d'une réconciliation avec Dieu normalement indépendante du ministère de l'Eglise, théorie qui n'a pas le moindre fondement dans l'Écriture et qui va directement à l'encontre de la doctrine catholique sur le pouvoir des clefs. Car si le recours immédiat à Dieu demeure toujours ouvert au pécheur pénitent, ce recours est soumis à certaines lois, dont la première est l'acceptation de la volonté du Christ, instituant son Eglise dispensatrice du pardon. Pour achever une telle théorie, deux voies seulement étaient ouvertes. Ou bien admettre le fonctionnement normal du ministère de la réconciliation en dehors de tout contrôle ou concession de l'Eglise. C'était manifestement trop antihistorique, non moins qu'anticatholique. Ou bien fonder la légitimité de ce fonctionnement sur une renonciation spontanée de l'Eglise à l'exercice de sa propre juridiction, ce qui veut être plus catholique, mais n'est pas plus historique.

"Voici, je crois, la forme la plus précise qui ait été donnée à l'idée d'une restriction librement posée par l'Eglise à l'exercice de sa propre juridiction. J'en emprunte l'expression à Mgr Batiffol.⁷⁰ "Il nous importe seulement que le principe soit reconnu par les montanistes et les catholiques, que l'Eglise a le pouvoir de remettre les péchés, quitte à n'en pas user." Nous avons fait plus haut nos réserves sur cette assertion, en tant qu'elle croit traduire la pensée de Tertullien. Il faut maintenant la considérer en elle-même, comme un effort de conciliation entre un principe dogmatique certain — le pouvoir universel d'absoudre, revendiqué par l'Eglise — et une hypothèse historique — l'abstention régulière de l'Eglise à l'égard des trois cas dits réservés. — Il me semble que l'effort de conciliation échoue doublement, parce que le principe dogmatique demeure peu satisfait et parce que l'hypothèse historique demeure à l'état d'hypothèse. Le principe dogmatique demeure mal satisfait; en effet à quoi bon un pouvoir enchaîné, ou un droit dont on s'interdit l'usage? L'hypothèse historique demeure à l'état d'hypothèse, car des preuves dont on a voulu l'étayer, il n'en est aucune qui résiste à l'examen. Cette hypothèse a bien été élevée à la hauteur d'un fait, par Tertullien, mais seulement pour l'Eglise du Paraclet, car c'est l'Eglise du Paraclet qui chez lui s'exprime ainsi: 'Potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant'. On n'en saurait rien conclure quant à l'Eglise catholique. L'échec de ses diverses tentatives paraît la décisive condamnation de l'hypothèse initiale."⁷¹

ART. 93. *Utrum Peccata Venialia Tollantur Per Solam Poenitentiam, Saltem Virtualem* (q. 87; In 4 Sent., dist. 16, q. 2; De Malo, q. 7, a. 1. 2. 10. 11. 12).

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et duobus sequentibus articulis agitur de *SECUNDARIO EFFECTU POENITENTIAE*, tam ut virtutis (art. 93-94) quam

⁷⁰ BLE. [Bulletin de Littérature Ecclésiastique], 1906, p. 342.

⁷¹ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 396-402.

ut sacramenti (art. 95), seu de remissione peccatorum venialium, ad complementum eorum quae de his peccatis jam per transennam vel occasionaliter dicta sunt in variis locis hujus tractatus.⁷²

Ad *Poenitentiae virtutem* quod attinet, peccata venialia vere per ejus actum remitti, a nullo auctore ambigitur nec ulla indiget discussione; palam enim id sequitur ex ipsa ejus efficacitate in remissione mortalium, cum facilius expellat minus, quod potest expellere majus.

Ex ceteris autem quaestionibus, supra agitatis quoad remissionem mortalium pro virtutem Poenitentiae, *duo hic speciali consideratione indigent*, ab ipso S. Thoma distinctis articulis persoluta (q. 87, art. 1 et 2), quorum *prius, quod est objectum hujus articuli*, respicit ipsam causam remissivam ejusque indolem, seu actum Poenitentiae, *alterum vero, quod est objectum articuli sequentis*, respicit ipsum modum remissionis seu ejus connexionem cum gratia sanctificanti, scilicet:

1. Utrum peccata venialia remittantur per solam Poenitentiam, sicut mortalia, ita tamen ut sufficiat per se Poenitentia virtualis, quae continetur in actu charitatis, secus ac in remissione mortalium, quae per se requirit Poenitentiam formalem et non nisi per accidens admittit virtualem.

2. Utrum remissio venialium ex una parte praerequirat statum gratiae, et ex alia parte non fiat ab actu Poenitentiae mediante aliqua infusione gratiae, quorum oppositum contingit in remissione mortalium.

Utramque quaestionem jam tetigimus ac resolvimus, etsi partialiter

⁷² Sermo de peccatis venialibus in his praesertim locis occurrit:

Art. 1 (tom. 1, p. 91; cf. art. 36 et 37, tom. 2, p. 423 sq. et 508). Praxis confitendi venialia in primitiva Ecclesia.

Art. 7 (tom. 1, p. 225-229). Peccata venialia sunt materia sacramenti Poenitentiae, secundaria, non necessaria, sufficiens.

Art. 25 (tom. 2, p. 96-107). De qualitatibus requisitis in contritione de venialibus. Quod non debeat esse formalis (nisi in sacramento) neque universalis.

Art. 26 (tom. 2, p. 108, 111). Quod non sufficiat intentio sacramenti, sine contritione, ad sacramentalem remissionem venialium.

Art. 37 (tom. 2, p. 505-508, 514-517, 530-535). Varias quaestiones de confessione venialium in relatione ad praeceptum Ecclesiae: quod nempe non teneatur ad confitendum qui habet sola venialia; quod confessio venialium probabiliter sufficiat ad implendum praeceptum Ecclesiae; quod Ecclesia non possit directe praecipere confessionem venialium.

Art. 39 (tom. 2, p. 646-656). Generica confessio venialium probabiliter sufficit ad valorem et fructum sacramenti.

Art. 52 (tom. 3, p. 127-142). Justus potest de condigno satisfacere pro peccato veniali.

Art. 73 (tom. 3, p. 407 sq.). Sacerdos obligatur tantum sub levi ad imponendam sacramentalem satisfactionem pro peccatis venialibus.

Art. 74 (tom. 3, p. 440 sq.). An poenitens teneatur sub gravi ad implendam sacramentalem satisfactionem impositam pro peccatis venialibus.

Art. 88 (hic, p. 132). An per subsequentem relapsum redeant remissa peccata venialia, ea quidem impropria ratione qua et mortalia redire dicuntur. De reviviscentia vero meritum cum remittitur peccatum veniale, nulla esse potest quaestio, cum per peccata venialia opera viva nullo modo mortificentur eo quod charitas non auferatur.

tantum, in art. 25, Concl. 10 (tom. 2, p. 96–107), ubi egimus de proprietatibus contritionis relate ad remissionem venialium, ac statuimus salutarem contritionem de venialibus non necessario debere esse formalem et universalem.

Quarum quaestionum solutioni, in quibus involvitur convenientia et discrepantia inter remissionem venialium et mortalium, juverit cum *S. Thoma* (praecipue 1–2, q. 88–89; 2–2, q. 24, a. 10; 3 p., q. 87, a. 1 et 2; In 4 Sent., dist. 16, q. 2; De malo, q. 7, a. 1. 2. 10. 11. 12) breviter recolere convenientiam et discrepantiam peccati venialis a mortali, in qua quidem indoles ipsius remissionis fundatur.

1. DEFINITIO PECCATI VENIALIS.

Ad nomen quod attinet, sicut peccatum mortale dicitur ex eo quod producit mortem animae, excludens ab ea principium vitae spiritualis seu gratiam, ita peccatum veniale proprie dicitur ex eo quod de se et ab intrinseco relinquit locum veniae, non excludens nempe veniae principium quod est ipsa gratia sanctificans (cf. 1–2, q. 88, a. 1 et 2; De Malo, q. 7, a. 1). Sed haec nominis ratio non reddit totam neque praecipuam rationem utriusque peccati eorumque discriminis. Triplex enim habetur discrimen, ostendens realem definitionem utriusque, quorum tertium continet ipsam eorumdem formalem definitionem.

Primum ac secundarium discrimen inter utrumque peccatum accipitur ex effectu, et quidem morali vel remotiori, seu reatu poenae. “Nam peccatum mortale meretur poenam aeternam, peccatum vero veniale poenam temporalem. Sed ista differentia consequitur rationem peccati mortalis et venialis; non autem constituit ipsam. Non enim ex hoc est tale peccatum, quia talis poena ei debetur; sed potius e converso, quia peccatum est tale, ideo talis poena ei debetur” (*De malo*, q. 7, a. 1).

Secundum ac secundarium etiam discrimen accipitur ex effectu, nempe physico et immediato. “Nam peccatum mortale privat gratia, veniale vero non. Sed nec ista est [primaria et formalis] differentia quam quaerimus: quia ista differentia consequitur ad rationem peccati: ex eo enim quod peccatum est tale, talem effectum habet, et non e converso” (*ibid.*). Ex hoc tamen discrimine desumpta est ratio vocis mortalis vel venialis, ut supra dictum est.

Tertium et formale discrimen accipitur ex indole ipsius actus, atque solet quadrupliciter exprimi, secundum quod actus consideratur relate ad voluntatem, ad legem, ad finem, ad Deum. Primo nempe, peccatum mortale est deordinatio voluntatis usque ad perversionem ordinis ejus ad finem; veniale vero est deordinatio voluntatis, *salvo ordine ad*

finem. Secundo, peccatum mortale est proprie contra legem; veniale vero est tantum *praeter legem*. Tertio, peccatum mortale est circa finem; veniale vero *circa media*; vel, si placet, mortale est aversio a fine ultimo seu conversio ad objectum repugnans cum fine ultimo, veniale vero est aversio ab aliquo medio seu indebita conversio ad aliquod objectum non repugnans cum fine ultimo. Quarto, peccatum mortale est aversio a Deo; veniale vero est *mera conversio ad creaturam*; vel, si placet, prius est conversio ad creaturam cum aversione a Deo, alterum vero indebita conversio ad creaturam sine aversione a Deo.

Ex quibus sequitur peccatum non esse rationem genericam, sed analogicam, quae convenit perfecte et simpliciter peccato mortali, tanquam principali analogato, peccato vero veniali imperfecte et secundum quid, sicut ratio entis convenit substantiae et accidenti.

Ad rem S. THOMAS, 1-2, q. 88, a. 1, ad 1. 2. 3. 4:

"Divisio peccati in veniale et mortale non est divisio generis in species quae aequaliter participant rationem generis, sed *analogi* in ea de quibus praedicatur secundum prius et posterius; et ideo perfecta ratio peccati, quam Augustinus [C. Faustum, 2, 27] ponit, convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundum rationem imperfectam et in ordine ad peccatum mortale; sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam, secundum imperfectam rationem entis; *non enim est contra legem*, quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet, nec praetermittit id ad quod lex per praecceptum obligat; sed facit praeter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit [Cf. 2-2, q. 105, a. 1, ad 1; De malo, q. 7, a. 1, ad 1; In 2 Sent., dist. 42, q. 1, a. 4, ad 3 et 4] . . .

"Sufficit . . . quod aliquis habitualiter referat se et omnia sua in Deum, ad hoc quod non semper mortaliter peccet, cum aliquem actum, non refert in gloriam Dei actualiter. Veniale autem peccatum *non excludit habitualem ordinationem* actus humani in gloriam Dei, sed solum actualem; quia non excludit charitatem, quae habitualiter ordinat in Deum. Unde non sequitur quod ille qui peccat venialiter, peccet mortaliter. . .

"Ille qui peccat venialiter, inhaeret bono temporali non ut fruens, quia *non constituit in eo finem*, sed ut utens, referens in Deum non actu, sed habitu. . .

"Bonum commutabile non accipitur ut terminus contrapositus incommutabili bono, nisi quando constituitur in eo finis. Quod enim est ad finem, non habet rationem termini."

Ibid., q. 89, a. 1, ad 3: "In peccato mortali anima per amorem contingit rem temporalem quasi finem, et per hoc totaliter impeditur influxus splendoris gratiae, qui provenit in eos qui Deo adhaerent ut ultimo fini per charitatem. Sed in peccato veniali *non adhaeret homo creaturae tanquam fini ultimo*. Unde non est simile."

2-2, q. 24, a. 10: "Nec per peccatum veniale charitas diminui potest, neque effective, neque meritorie. Effective quidem non, quia ad ipsam charitatem non attingit; charitas enim est circa finem ultimum; veniale autem peccatum est *quaedam inordinatio circa ea quae sunt ad finem*; non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quae sunt ad finem; sicut aliquando contingit quod aliqui infirmi multum amantes sanitatem, inordinate tamen se habent circa diaetae observationem; sicut etiam in speculativis scientiis falsae opiniones circa ea quae deducuntur ex principiis non diminuunt principiorum

certitudinem. Similiter etiam veniale peccatum non meretur diminutionem charitatis; cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Deus enim non plus se avertit ab homine quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet circa ea quae sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad ultimum finem."

3 p., q. 87, a. 1: "[A Deo] aliquo modo separatur culpa. Sed haec separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale; nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum autem veniale *retardatur affectus hominis*, ne prompte in Deum feratur."

Qu. Disp. De Malo, q. 7, a. 1, ad. 1. 2. 3. 4; a. 2, corp., ad 1 et 10:

"Duplex est divisio: una qua dividitur genus univocum in suas species, quae ex aequo participant genus, sicut animal in bovem et equum; alia est *divisio communis analogi* in ea de quibus dicitur secundum prius et posterius, sicut ens dividitur per substantiam et accidens, et per potentiam et actum; et in talibus ratio communis perfecte salvatur in uno; in aliis autem secundum quid et per posterius; et talis est divisio peccati per veniale et mortale. Unde praedicta definitio peccati perfecte quidem convenit peccato mortali, imperfecte autem et *secundum quid* peccato veniali; unde convenienter dicitur quod peccatum veniale *non est contra legem, sed praeter legem*: quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quae est 'plenitudo legis', ut dicitur Rom. xii. . .

"Veniale est *differentia diminuens* de ratione peccati; et talis differentia invenitur in omnibus quae participant aliquid commune imperfecte et secundum quid. . .

"Finis habet rationem termini, non autem id quod est ad finem, Veniale autem non convertitur ad bonum commutabile *ut ad finem*; et ideo non convertitur ad ipsum ut ad alium terminum a Deo, ut propter hoc sit necessarium a Deo averti. . .

"Ille qui peccat venialiter *non fruatur creatura, sed utitur ea; refert enim eam habitu in Deum, licet non actu*. Nec in hoc contra praeceptum facit, quia non tenetur semper actu referre in Deum. . .

"Qui . . . peccat venialiter, *non sic inclinatur ad creaturam ut avertatur a Deo* aliquo modo: non enim convertitur ad creaturam sicut ad finem, sed sicut ad id quod est ad finem. Qui autem inordinate se habet circa id quod est ad finem, non propter hoc minoratur ejus affectus circa finem: sicut si aliquis inordinate se habeat in sumendo medicinam, non propter hoc minoratur desiderium ejus ad sanitatem. . .

"Iste qui peccat venialiter, amat aliquid cum Deo, quod etsi non actu, tamen habitu propter Deum amat. . .

"Peccatum veniale, *cum non importet aversionem, proprie loquendo, non habet rationem offensae*."

2. HABITUDO PECCATI VENIALIS AD CHARITATEM.

Peccatum veniale non opponitur directe ipsi charitati, neque secundum ejus corruptionem seu expulsionem quae per solum peccatum mortale inducitur, neque secundum ejus diminutionem, quae proprie ex nulla causa induci potest. *Opponitur tamen ei indirecte*, tum in ordine ad ejus corruptionem, quatenus disponit ad mortale, tum in ordine ad ejus diminutionem, quatenus est causa cur in principio minor charitas infundatur et postmodum charitas non augeatur.

Ad rem S. THOMAS, 1-2, q. 88, a. 3: "Disponens est quodammodo causa: unde secundum duplicem modum causae est duplex dispositionis modus. Est enim causa quaedam movens directe ad effectum, sicut calidum calefacit; est etiam causa

indirecte movens, removendo prohibens, sicut removens columnam dicitur removere lapidem superpositum. Et secundum hoc actus peccati dupliciter ad aliquid disponit: uno quidem modo directe, et sic disponit ad actum similem secundum speciem: et hoc modo primo et per se peccatum veniale ex genere non disponit ad mortale ex genere, cum differant specie; sed per hunc modum peccatum veniale potest disponere per quamdam consequentiam ad peccatum quod est mortale ex parte agentis. Augmentata enim dispositione vel habitu per actus peccatorum venialium, intantum potest libido peccandi crescere, quod ille qui peccat, finem suum constituet in peccato veniali. Nam unicuique habenti habitum, inquantum huiusmodi, finis est operatio secundum habitum; et sic *multoties peccando venialiter, disponetur ad peccatum mortale*. Alio modo actus humanus disponit ad aliquid, removendo prohibens; et hoc modo peccatum veniale ex genere potest disponere ad mortale peccatum ex genere. Qui enim peccat venialiter ex genere, praetermittit aliquem ordinem; et *ex hoc quod consuescit voluntatem suam in minoribus debito ordini non subicere*, disponitur ad hoc quod etiam voluntatem suam non subiciat ordini ultimi finis, eligendo id quod est peccatum mortale ex genere."

De Malo, q. 7, a. 2, ad 4: "Quod aliquis habitus fiat de facili mobilis, potest contingere dupliciter: uno quidem modo per se, quia scilicet non habet ita perfectum esse in subjecto: et sic quidquid diminueret hoc quod est difficile mobile circa habitum, diminueret ipsum habitum. Alio modo per accidens, ex eo scilicet quod *inducitur dispositio ad contrarium*; ut si dicamus quod forma aquae per susceptionem caloris fiat minus de difficili mobilis; et tamen constat quod forma substantialis non diminuitur: et per hunc modum veniale diminuit hoc quod est difficile mobile circa caritatem: et per hunc modum etiam est intelligendum quod quidam dicunt quod veniale diminuit caritatem quantum ad radicacionem in subjecto, non quidem per se, sed per accidens, ut dictum est."

2-2, q. 24, a. 10, nuper cit. Post ea verba S. Doctor ait: "Unde consequens est quod charitas nullo modo diminui possit, directe loquendo; potest tamen indirecte dici diminutio charitatis *dispositio ad corruptionem ipsius*; quae fit vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis." *Ibid., ad 3*: "In infusione charitatis requiritur motus liberi arbitrii, sicut supra dictum est (1-2, q. cxiii, art. 3). Et ideo illud quod diminuit intensionem liberi arbitrii, dispositive operatur *ad hoc quod charitas infundenda sit minor*."

De Malo, q. 7, a. 2: "Veniale . . . peccatum non habet contrarietatem ad caritatem, quia non respiciunt idem objectum secundum rationem; non enim veniale est inordinatio circa ultimum finem, qui est objectum caritatis. Et ideo peccatum veniale nullo modo caritatem habitam diminuit. Potest tamen peccatum veniale esse aliqua causa *ut a principio minor caritas infundatur*, inquantum scilicet impedit actum liberi arbitrii, quo homo ad gratiam suscipiendam disponitur; et per hunc etiam modum potest impedire ne caritas habitata crescat, impediendo scilicet actum meritorium quo quis caritatis augmentum meretur."

Directe vero peccatum veniale *opponitur fervori charitatis*, non quidem ipsi fervori intrinseco qui competit charitati inquantum est habitus, ac si induceret carentiam alicujus gradus intensionis in charitate, sed fervori, ut ita dicatur, extrinseco qui competit charitati *ex parte sui actus*, quatenus nempe ob peccatum veniale "impeditur actus charitatis", "retardatur affectus hominis ne prompte feratur in Deum", impeditur "redundantia dilectionis etiam in inferiores vires, ut quodammodo non solum cor, sed etiam caro exultet in Deum". Quod quidem declarat S. Thomas duplici exemplo: scilicet corporis

gravis, cui nihil intrinsecae gravitatis aufertur per hoc quod apponitur impedimentum ejus effectui, ne scilicet perveniat deorsum (De Malo, q. 7, a. 11); et corporis nitidi, vel pulchrae faciei, cujus intrinseco nitori, vel pulchritudini, nihil subtrahitur per hoc quod ratione pulveris et foeditatis impediatur ne exterius se prodat et ostendatur (1-2, q. 89, a. 1; In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 1, ad 1).

3 p., q. 87, a. 1, nuper cit., p. 427.

De Malo, q. 7, a. 2, ad 8: "Inordinatio simpliciter tollit ordinationem caritatis simpliciter, quia attingit animam secundum superiorem partem; et inordinatio secundum quid tollit secundum ordinationem caritatis in aliquo actu, prout ordo caritatis a superiori parte animae *ad inferiores derivatur*; sed de ipsa caritate, secundum quod est in suprema parte, nihil diminuit; sicut nigredo quae est in pede, nihil diminuit de albedine quae est in capite."

Ibid., ad 16: "Actus potest diminui dupliciter. Uno modo quantum ad facilitatem agendi, ut scilicet homo non possit tantum agere; sed sic quod diminuit actum diminuit principium actus quod est forma. Alio modo quantum ad executionem actus; et sic non oportet quod id quod diminuit actum diminuat formam; *non enim diminuit gravitatem lapidis columna quae retinet ipsum ne cadat deorsum*, nec diminuit virtutem gressivam hominis qui ligat ipsum. Et per hunc modum veniale diminuit actum caritatis, non autem primo modo."

Ibid., ad 17: "Fervor potest accipi dupliciter. Uno modo secundum quod importat intensiorem inclinationis amantis in amatum: et talis fervor est essentialis caritati, et non diminuitur per veniale peccatum. Alio modo dicitur *fervor caritatis secundum quod redumat motus dilectionis etiam in inferiores vires*, ut quodammodo non solum cor, sed etiam caro exultat in Deum; et talis fervor diminuitur per veniale peccatum absque diminutione caritatis."

In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 1, ad 2: "Veniale peccatum non consistit in hoc quod homo minus amet Deum in habitu; quia veniale non diminuit caritatem; alias eam quandoque totaliter tolleret: sed in hoc quod amor Dei non ostenditur in omnibus actibus hominis, aliqua deordinatione in eis existente."

Ibid., q. 2, a. 1, q. 2, ad 3: "Peccatum mortale ita Deo displicet, quod etiam facit ipsum peccantem Deo displicentem, inquantum pulchritudinem gratiae, quam Deus in ipso amat, aufert. Sed peccatum veniale quamvis Deo displiceat, quia inordinatum est, non tamen facit peccantem Deo displicentem quia non aufertur gratiae caritas, sed *quodammodo obnubilatur, inquantum ejus processus ad exteriora impeditur*; et ideo Gregorius dicit, quod peccatum veniale obscurat, sed mortale obtenebrat: et propter hoc, unum peccatum veniale non impedit quin aliud remitti possit, quamvis mortale unum impediatur dimissionem alterius."

De Malo, q. 7, a. 11: "In peccato mortali patitur homo bonitatis minorationem per privationem principii ducentis ad finem, scilicet per privationem caritatis; sed in peccato veniali patitur homo minorationem et impedimentum per quamdam indecentiam actus, quasi impedimento existente in ipso actu quo pergendum erat in finem, salvo tamen principio inclinante. *Sicut etiam grave potest impedi non perveniat deorsum* vel propter corruptionem gravitatis in ipso, vel propter aliquod impedimentum occurrens, quo impeditur motus ejus ne ad finem naturalem perveniat."

1-2, q. 89, a. 1: "Sicut ex dictis patet (qu. lxxxvi, art. 1), macula importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu, sicut in corporalibus patet, ex quibus per similitudinem nomen maculae ad animam transfertur. Sicut autem in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum et coloris; alius autem ex exteriori claritate superveniente: ita etiam in anima est duplex nitor; unus quidem habitualis, quasi intrinsecus; alius autem actualis, quasi exterior fulgor."

Peccatum autem veniale *impedit quidem nitorem actualem, non tamen habitalem*; quia non excludit neque diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum, ut infra patebit (2-2, qu. xxiv, art. 10), sed solum impedit earum actum. Macula autem importat aliquid manens in re maculata; unde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris quam actualis. Unde, *proprie loquendo, peccatum veniale non causat maculam in anima*. Et si alicubi dicitur maculam inducere, hoc est secundum quid, inquantum impedit nitorem qui est ex actibus virtutum."

In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 1, ad 1: "Macula potest esse dupliciter. Uno modo per privationem pulchritudinis; et sic in veniali non manet aliqua macula, quia gratiam non tollit, quae est animae decor. Alio modo per hoc quod pulchritudo quae est gratiae, impeditur ne exterius appareat, *sicut per pulverem pulchritudo faciei foedatur*; et talis macula est in veniali, quia impeditur decor gratiae ne in actibus exterius ostendatur: unde non oportet quod talis macula per infusionem gratiae tollatur, sed per actum qui gratiae impedimentum tollat."

3 p., q. 87, a. 2, ad 3: "Sicut in corpore contingit esse maculam dupliciter, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta debiti coloris aut debitaee proportionis membrorum, alio modo *per superinductionem alicujus impediendae decorem, puta luti aut pulveris*; ita etiam animae inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale, alio modo per inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae, sed ad tollendam maculam peccati venialis requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quem removeatur inordinata adhaesio ad rem temporalem."

3. MACULA PECCATI VENIALIS, quae praecise auferenda est per contrarium aliquam formam in remissione illius peccati.

Sicut ex actu peccati mortalis relinquitur in anima quaedam macula, quae est ipsum peccatum habituale ex quo homo denominatur vere peccator etiam postquam cessavit ab ipso actu peccati, ita proportionaliter oportet admittere aliquam maculam relictam ex peccato veniali, quae est peccatum veniale habituale; nam, transacto peccato veniali, homo vere denominatur peccator.

Macula peccati mortalis consistit formaliter non in ipsa positiva adhaesione seu conversione voluntatis ad bonum creatum relicta ex actu peccati, nec in ipsa relatione rationis ad praeteritum actum peccati, sed in privatione rectitudinis et nitoris animae quae, una cum adhaesione ad bonum creatum, inducta est per actum peccati, et dicit relationem ad praeteritum actum peccati, tanquam ad causam. Sola enim haec privatio est directe ac contrarie opposita formae gratiae sanctificantis; formae enim opponitur ejus privatio. Unde macula consistit proprie et formaliter in privatione gratiae sanctificantis et dicitur macula ex ipsa eadem metaphora qua gratia dicitur nitor; privatio enim nitoris macula est.

Proportionaliter igitur ratiocinandum est de macula peccati venialis. Hoc enim peccatum, ut supra dictum est, consistit in quadam imperfecta adhaesione ad bonum creatum, ex qua non expellitur gratia ejusque intrinsecus nitor, sed aufertur quasi ab extrinseco et ex parte

actus, fervor charitatis, qui veluti ligatur et impeditur in elicentia priorum actuum et imperio ceterarum virtutum. Unde macula peccati venialis consistit formaliter non in ipsa positiva adhaesione ad creaturam, relicta per actum peccati, nec in ipsa relatione rationis ad praeteritum actum peccati, sed in privatione illius secundariae rectitudinis et nitoris animae (consistentis in fervore charitatis expedito in ordine ad suos actus), quae inducta est per peccatum una cum praedicta habituali adhaesione ad bonum creatum, et dicit relationem ad actum peccati, tanquam ad causam. Unde consistit formaliter in privatione expediti ac prompti fervoris charitatis, et dicitur macula ex eadem metaphora qua illa promptitudo assimilatur cuidam accidentali nitori charitatis.

Sicut autem ille fervor et promptitudo est quaedam rectitudo ac nitor tantum secundum quid, relate ad gratiam sanctificantem et charitatem in quibus rectitudo simpliciter consistit, ita etiam macula peccati venialis est quaedam macula secundum quid et minus proprie dicta, relate ad maculam peccati mortalis, quae simpliciter macula peccati nuncupatur, non secus ac ipsa ratio peccati non nisi secundum quid convenit veniali, simpliciter vero mortali.

Quae omnia dicuntur vel innuuntur ab ipso *S. Thoma* in tribus locis ultimo citatis, scilicet 1-2, q. 89, a. 1; In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 1, ad 1; 3 p., q. 87, a. 2, ad 3.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Quoad primam ex supradictis quaestionibus (cf. in p. 424), quae est objectum hujus articuli, scilicet de connexionemissionis peccati venialis cum virtute Poenitentiae (an nempe peccata venialia remittantur per solam Poenitentiam, ita tamen ut sufficiat Poenitentia virtualis), tres dantur principales sententiae, duae extremae ac negatae, quarum una peccat per defectum negans requiri actum Poenitentiae, altera peccat per excessum, requirens ipsam formalem Poenitentiam, tertia vero media et affirmativa docens requiri Poenitentiam sed sufficere virtualementem, in cujus etiam explicatione non conveniunt doctores.

PRIMA SENTENTIA, peccans per defectum, docet ad remissionem peccati venialis *non esse necessarium actum Poenitentiae, neque virtualementem et implicitum*, sed sufficere alium actum bonum hominis, saltem existentis in statu gratiae. Ita *Scotus* (infra cit.), *Biel* (In 4 Sent., dist. 16, q. 5, a. 2 et 3), *Medina* (tract. 1 De Poent., q. 3), *Scolistae* communiter, inter quos *Hyquaeus*, *Frassen*, *Montefortino*, *Minges*.

Dicimus “saltem existentis in statu gratiae”, quia ulterius Scotistae docent sufficere actum bonum etiam non existentis in statu gratiae, puta actum elicatum sub solo auxilio gratiae actualis; imo quidam doctores cum Durando docent sufficere actum mere naturalem, contrariam peccato veniali quod dicunt esse naturalem quandam deordinationem. Sed hae sententiae, discutiendae in articulo sequenti (ubi de necessitate status gratiae vel, si placet, supernaturalitatis actus Poenitentiae, ad venialium remissionem), hic directe non considerantur, cum agatur formaliter de sola necessitate actus Poenitentiae prae aliis virtutibus, etsi aliunde jam ex dictis in art. 16 supponamus Poenitentiam esse supernaturalem virtutem ac proprietatem ipsius gratiae sanctificantis; unde idem Durandus qui ex una parte admittit sufficientiam actus naturalis, ex alia parte requirit formalem actum Poenitentiae, adeoque docet requiri ac sufficere formalem actum cujusdam Poenitentiae naturalis.

Communes illorum doctorum rationes sunt quia ex una parte per actum Poenitentiae non necessario delentur venialia, nam haec sunt compossibilia tum cum actu charitatis et contritionis tum cum poenitentia sacramentali, et ex alia parte remissio venialis fit per compensationem Deo oblatam, quae bene fieri potest per alios actus bonos, citra poenitentiam, quibus aliquid Deo offertur aequivalens vel magis ipsi placens quam displiceat peccatum veniale. Et confirmatur ex doctrina tum Conc. Trid. (sess. 14, cap. 5), asseverantis peccata venialia “multis aliis remediis [citra sacramentum Poenitentiae] expiari posse”, tum Patrum aliorumque antiquorum doctorum ea remedia determinantium ac docentium venialia remitti tum ex opere operato per varia sacramenta, tum ex quasi opere operato per sacramentalia, tum ex opere operantis per fidem, eleemosynam, orationem, jejunium, etc.

Est autem quaedam differentia inter hos doctores in assignando opere per quod venialia remittantur. Nam *Biel* et *Medina* videntur requirere actum oppositae virtutis, per quem auferatur deordinatio voluntatis inducta per peccatum veniale; *Scotus* vero et *Scotistae* dicunt sufficere quemlibet actum bonum, Deo magis placentem quam displiceat peccatum veniale, eo quod concipiant remissionem ad modum cujusdam poenalis satisfactionis et compensationis, imo ipsis non displicet, et praecipue Scoto, doctrina quae ait meram poenae solutionem remittere peccatum veniale, eo quod, juxta principia doctoris subtilis, reatus peccati, permanens post actum peccati, nihil aliud sit quam debitum luendi poenam. Addunt autem Scotistae praedictum bonum actum vel poenae solutionem debere in finem satisfactionis

seu compensationis explicite ordinari, ab ipso peccatore vel saltem a Deo, ut possit esse peccati remissio; quam conditionem Biel et Medina non videntur exigere in sua sententia.

SCOTUS, Opus Oxoniense, In 4 Sent., dist. 21, q. 1 (Opera Omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 708 et 715 sq.): "De secunda conclusione [an scilicet aliquod peccatum remittatur in altera vita] *potest dici dupliciter: Uno modo* sic quod nihil aliud est culpae venialis remissio, quam solutio poenae temporalis debitae pro ea. Probatur, quia post actum transeuntem, culpa, quae manet, nihil aliud est nisi reatus ad poenam debitam; iste autem reatus venialis non est nisi ad poenam temporalem, et per consequens soluta poena temporali in purgatorio pro isto veniali, ex hoc ipso ipsa culpa venialis remissa est. Non sic autem de mortali, quia poena debita ei non potest esse totaliter soluta, nisi primo sit aeterna commutata in temporalem; et ista commutatio vocatur remissio culpae mortalis. Haec autem remissio non fit, nisi per voluntariam displicentiam ordinatam, qualis non habetur post mortem. Sic patet unus modus, quomodo post mortem non potest dimitti mortale, sed tantum poena debita mortali prius dimisso; potest autem post mortem dimitti veniale prius non dimissum, quia potest solvi poena totalis sibi debita, et in hoc ipsum remitteretur.

"Si iste modus non placet, quia videntur Sancti distinguere inter remissionem culpae cuiuscumque, et poenae, et maxime inter remissionem culpae, et solutionem poenae debitae illi culpae; *potest dici alio modo,* quod peccatum veniale in ista vita remitti potest, non tantum per poenam interioriorem vel exteriorem, quia illi non est necessaria ad hoc, sed *per aliquem actum Deo magis acceptum, quam peccatum veniale displiceat;* et hoc vel relatum ab ipso operante ad hoc peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipso, sed a Deo acceptante in ordine ad illud.

"Ad propositum, opera istius, qui moritur in charitate, etsi post mortem non referantur ab ipso ad veniale, in quo moritur, dimittendum, nec etiam ipse habeat aliquem actum novum meritorium, per quem deleatur veniale; tamen illa opera prius facta possunt esse a Deo relata ad remissionem istius venialis post mortem. Et hoc, isto modo, quia causa impeditibilis, dum est impedita, non ponit effectum, dum vero est non impedita, ponit; sed merita istius morientis in charitate essent causa sufficiens deletionis venialium istius, vel relata ab ipso, vel a Deo acceptante illa in ordine ad istud; sunt autem impedita dum iste vivit, si semper actu manet in peccato veniali; post mortem vero non sunt impedita, quia tunc non contrahit actum peccati venialis; igitur per illa debentur venialia post hanc vitam. Ex hoc sequuntur duo: Primum, quod in instanti mortis remittuntur venialia, quia tunc non manet actus peccati venialis, et per consequens tunc cessat impedimentum. Aliud, quod omne peccatum veniale morientis in charitate remittitur in hac vita, nisi ille continet actum peccati venialis usque ad mortem, vel ad instans mortis. Hoc secundum videtur probabile. nisi dicas Deum hoc ordinasse, quod bona merita istius reserventur in divina acceptance usque ad instans mortis, quando scilicet desinit viator esse, et per consequens tunc retribuatur bonum correspondens istis meritis; non sic autem pro aliquo instanti priori, pro quo fuit viator. . .

"Si neuter modorum istorum placet, nec primus, scilicet quod idem est veniale remitti, et poenam solvi debitam illi; nec secundus, scilicet quod per merita in vita habita, et reservata in divina acceptance, deleantur in instanti mortis, quaeratur alius, quem est difficile invenire; nam motum aliquem bonum, per quem tamquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel condigno, deleatur veniale, ponere in anima post mortem, non videtur doctrinae Theologicae consonum, quae ponit statum illum ab istis immunem."

Reportata Parisiensia, In 4 Sent., dist. 21, q. 1 (ibid., t. 24, p. 319): “Ego autem non video qualiter secundum illam viam melius posset dici, quam illo modo, quod peccatum veniale non tantum remittitur per actum poenitentiae vel per sacramentalem absolutionem, sicut peccatum mortale, quia de illo, ut de illo, non est necessaria confessio, vel poenitentia, cum non faciat naufragium, sicut mortale, quia potest stare cum charitate; sed remittitur alio modo per aliquod opus bonum et meritorium, et aliquem actum Deo gratum oblatum sibi in obsequium, quo magis placatur, quam pro illo peccato ostendatur [lege: offendatur].

“Dico igitur quod in instanti mortis, remittantur venialia, quia causa, quae potest habere impedimentum, et non potest habere impedimentum, non causat effectum suum pro illo tempore pro quo impeditur, sed pro alio tempore, in quo non impeditur. Merita autem nostra, et bona, quibus placatur Deus, nata sunt causare gratiam, vel eam augmentare, quantum esset in eis, nisi impedirentur usque ad instans illud quo homo moritur, quia est viator, et potest mereri usque tunc, et per consequens potest ei gratia infundi, et culpa remitti, quia sunt una realis mutatio, ut prius patuit. Impediuntur autem illa merita justa, et bona habere suum effectum, usque ad illud instans quo moritur, quia semper concomitatur illa aliqua culpa venialis, usque ad illud instans, quia omnem culpam venialem non potest viator eflugere, licet illam et illam, et quamlibet divisim; quia igitur veniale semper usque ad instans mortis concomitatur talia opera bona, usque ad instans quo est impeditus effectus infusionis gratiae et remissionis culpae, quia tunc primo cessat tale impedimentum. Si enim illud impedimentum non praefuisset in vita, potuissent illa opera causasse istum suum effectum; et ideo tunc virtute omnium operum praecedentium deletur culpa venialis, et dolor mortis suae potest ei imponi pro poena, et ita secundum istam opinionem distinguitur remissio culpae venialis peccati a remissione poenae, et non tamen secundum aliam opinionem.”

HYQUAEUS: “Ultima tandem sententia est Doctoris hic asserentis remitti veniale per quemcumque actum bonum magis acceptum Deo, quam fuerit inuito peccatum veniale, modo actus ille ab operante referatur in finem remissionis peccati, hoc est dicere, per satisfactionem oblatam Deo remitti veniale; quae satisfactio potest in quocumque actu bono aequivalenter reperiri, modo in eum finem eliciatur.”⁷³

FRASSEN: “Peccatum veniale remittitur in hac vita quantum ad reatum culpae et poenae, non solum per actum Poenitentiae formalis aut virtualis, sed etiam per receptionem sacramentorum, et quodlibet opus meritorium, ac subinde etiam per sacramentalia. . .

“Quod peccatum veniale remitti possit per quodlibet opus meritorium, traditur a Doctore [Scoto] n. 8. . . Quae utique Doctoris sententia probatur *primo*, quia si ad id quodlibet opus bonum non sufficeret, maxime quia ad id requireretur actus Poenitentiae actualis aut virtualis; sed ita non est. *Probat*ur: si Poenitentia actualis aut virtualis ita necessario praeretur ad remissionem peccati venialis, sequeretur inde, quod veniale peccatum non majori facilitate solveretur, quam mortale; siquidem mortale peccatum potest tolli, et condonari per actum charitatis, necnon et per martyrium, absque ulla formali detestatione praevia; quidni igitur pari ratione per quodlibet opus meritorium procedens ab eximia charitate, possit expiari?

“*Deinde*, peccatum veniale non [necessario] deletur per Contritionem actualem, aut habitualem: igitur ad illius expiationem non requiritur Poenitentia formalis aut virtualis. *Consequentia patet. Antecedens probatur*: peccatum illud non remittitur per contritionem, quod cum illa potest subsistere: sed veniale peccatum subsistere potest cum actu contritionis: ergo. . . *Minor* . . . *probat*ur: peccatum

⁷³ Comm. in cit. locum Scoti ex Opere Oxoniense, in eadem editione, p. 722.

tamdiu non deletur quamdiu peccator in ipso complacet: at qui elicit actum contritionis, per quem obtinet remissionem peccati mortalis, potest revocare in memoriam aliquod peccatum veniale sine proposito emendationis; ac subinde peccatum veniale subsistere potest cum actu contritionis: igitur, etc.

"Denique, quicquid confert Contritio extra Sacramentum, conferre potest attritio juncta Sacramento Poenitentiae: sed omnia peccata venialia per attritionem cum peccato non semper delentur, ut docet Conc. Trid., Sess. 14. c. 5 . . . ubi significat peccata venialia in Confessione taceri posse citra culpam, 'multisque aliis remediis expiari posse': haec autem remedia distincta a Confessione et Poenitentia debent habere efficaciam delendi ipsa, non aliter quam per satisfactionem, et consequenter per exhibitionem alicujus operis aequivalentis in finem remissionis ipsorum: sed opus aequivalens potest esse in materia cujuscumque virtutis, v.g. fidei, eleemosynae, orationis, jejunii, quia haec opera sunt satisfactoria, ut ex Scriptura constat; jejunium autem, eleemosyna, et oratio numerantur a Patribus, et Doctoribus inter partes satisfactionis; imo et quodcumque opus bonum potest hunc effectum habere: ergo maxime pro peccatis levibus.

"Porro ut quicumque actus meritorius habeat efficaciam ad delenda peccata venialia, *opus est quod per modum satisfactionis et compensationis eliciatur et offeratur in eum finem*; si enim actus Poenitentiae et contritionis, necnon et dilectionis Dei, non sit sufficiens ad deletionem peccati venialis, quando ad illud implicite vel explicito non dirigitur, ut mox dictum est, multo minus eam efficaciam obtinebit quilibet alius actus bonus minoris ordinis et dignitatis. *Adde quod* si ad exhibendam satisfactionem pro peccato proprio debitam per jejunium, necesse sit, ut jejunium istud, quod varios ob fines posset fieri, dirigatur ad ejusmodi satisfactionem intendendam; sic etiam ut opus satisfactorium valeat pro dimittendis peccatis venialibus, requiritur, ut fiat ea intentione, quae non tribuit quidem operi bono valorem sed applicationem."⁷⁴

MONTEFORTINO: "Respondeo dicendum, [Oxon. 4. d. 27. q. 1. n. 8.] peccatum veniale remitti posse in hac vita, non solum per poenitentiam interiorem, vel exteriorem, verum etiam per aliquem actum Deo magis acceptum, quam fuerit invisum veniale peccatum, si ad eum finem ab operante dirigatur, vel si a Deo pro tali remissione acceptetur, etiamsi de ea remissione ab operante non cogitur. . .

"Probatur [Report. 4. d. 21. q. 1. n. 8-9.] . . . Veniale enim ex sui natura est talis offensio, ut sufficienter puniatur per temporalem poenam; siquidem non est necessarium pro tali Dei offensio confugere ad poenitentiam, ut ad secundam tabulam [nulla enim Ecclesiae lex obligat ad poenitendum de venialibus] . . . : sed in poenitentia commutatur poena aeterna in temporalem; igitur veniali ex natura sui correspondet praecise poena temporalis. Sed adipiscimur mortalium remissionem per contritionem, vel attritionem cum Sacramento; igitur venialia dimittuntur citra contritionem, et Sacramentum Poenitentiae, alioquin eadem satisfactio exigeretur pro culpa gravi, et levi, quod non est probabile."⁷⁵

MINGES: "Ad deletionem venialis . . . non requiritur actus poenitentiae proprie dictae, sed sufficere potest actus alius bonus Deo magis placens quam veniale displicet, velut actus charitatis ferventis, sive is actus ab ipso peccatore refertur ad deletionem venialis sive sine eiusmodi intentione hominis a Deo ad hunc finem ordinatur. Eatenus non necessarium est 'opus speciale', id est opus poenitentiae, 'quia venialia delentur totaliter quantum ad culpam et poenam quandoque sine alio opere speciali sicut per actum ferventem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta consumitur a flamma vehementi'.⁷⁶ Falsum est ergo dictum, secun-

⁷⁴ Scotus Academicus, t. 10, De Poenit., a. 1, sect. 3, q. 2, Parisiis, 1902, p. 222-224.

⁷⁵ Joannis Duns Scoti Summa Theologica, t. 6, 3 p., q. 87, a. 1, Romae, 1903, p. 66.

⁷⁶ Scotus, Ox. 1. 4, dist. 17, n. 25 (tom. 18, 557 b.).

dum Scotum venialia interdum etiam sine ulla cooperatione hominis evanescere.

"Sed nullum veniale hominis etiam in charitate constituti remittitur in hac vita, quamdiu actu manet in peccato veniali; quare ne in instanti mortis quidem condonatur veniale, si homo usque adhuc continuat actum peccandi venialiter: 'Omne peccatum morientis in charitate remittitur in hac vita, nisi ille continuet actum peccati venialis usque ad mortem vel ad instans mortis'.⁷⁷

"In illo instanti mortis, in quo homo non iam venialiter, nedum mortaliter, peccare potest, sive sit ultimum instans viae, sive primum instans termini, remittuntur venialia idque vi meritorum praeteritorum minus intensorum, sed magis remissorum."⁷⁸

SECUNDA SENTENTIA, peccans per excessum, docet ad remissionem peccati venialis *requiri poenitentiam formalem* (seu expressam contritionem vel attritionem), non secus ac ad remissionem peccati mortalis.

Pro hac sententia citantur *Alex. Halensis* (Summa, 4 p., q. 15 [alias 65], m. 4, a. 4; q. 27 [alias 69], m. 3, a. 5), *Durandus* (In 4 Sent., dist. 16, q. 2; dist. 21, q. 1 et 2), *Paludanus* (In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 2), *Richardus* (In 4 Sent., dist. 16, a. 5, q. 1; dist. 21, a. 3, q. 1), *Argentina* (In 4 Sent., dist. 16, a. 4; dist. 21, a. 4, ad 1). Attamen, istorum mens minime clara est, ac facile reduci potest ad sensum tertiae sententiae docentis sufficientiam poenitentiae virtualis, si tamen excipiantur Durandus et Argentina qui videntur omnino ipsam formalem Poenitentiam requirere.⁷⁹

Quidquid sit, pro tali sententia haec ratio invocari potest, quia nempe unum contrarium non nisi per aliud contrarium tolli potest; jamvero peccatum veniale consistit in quadam indebita adhaesione voluntatis ad bonum creatum; ergo nequit tolli nisi per contrarium actum voluntatis quo talis adhaesio revocetur, quod quidem fit per solum formalem actum Poenitentiae.

TERTIA SENTENTIA media docet peccatum veniale tolli per solum actum Poenitentiae, attamen ad id *sufficere virtutem poenitentiam*, implicite contentam in actibus aliarum virtutum.

Ita frequentiores doctores post S. Thomam, tam intra ejus scholam quam extra; inter alios: *Bonaventura* (In 4 Sent., dist. 21, a. 1, q. 2), *Cajetanus* (In 3 p., q. 87, a. 1), *Suarez* (Disp. 11, sect. 3), *Vasquez* (In 3 p., q. 87, a. 1), *Nugnus* (In 3 p., q. 87, a. 1), *Joannes a S. Thoma* (Disp. 35, a. 2), *Gonet* (Disp. 4, a. 1, § 3, n. 21), *Lugo* (Disp. 9, sect. 2, n. 23-27), *Salmanticenses* (Comm. in 3 p., q. 87, a. 1; praecipue in tract. De justificatione, disp. 2, dub. 8, n. 332), *Billuart* (Diss. 3, a. 2,

⁷⁷ Scotus, Ox. 1. 4, dist. 21, n. 9, 715 b.

⁷⁸ Joannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica, t. 2, Ad Claras Aquas, 1930, p. 490 sq.

⁷⁹ Objectiones Durandi, arguentis contra doctrinam S. Thomae, exponunt ac refellunt *Cajetanus* (In 3, q. 87, a. 1) et *Soto* (In 4 Sent., dist. 15, a. 1).

§ 1), *De Augustinis, Hugon, Billot, Lépiciér, Garrigou-Lagrange, Boyer, Piolanti, Heylen, Van Noort-Verhaar*, aliique gregatim moderni, tam dogmatici quam morales.

Horum communis ratio est quia ex una parte contrarium per contrarium tollitur, adeoque requiritur poenitentia, et ex alia parte poenitentia virtualis sufficienter contrariatur per se peccato veniali, ob peculiarem istius indolem levis inordinationis, quod nequit dici de peccato mortali, nisi per accidens. Unde ad remissionem peccati venialis per se sufficit poenitentia virtualis, ad remissionem vero mortalis per se requiritur poenitentia formalis et nonnisi per accidens sufficit virtualis.

In determinando autem quinam sint aliarum virtutum actus, in quibus contineatur ea virtualis poenitentia sufficiens ad deletionem peccati venialis, discrepant isti doctores in hoc quod quidam requirunt actum ipsius contritionis et charitatis, alii vero dicunt sufficere actum aliarum virtutum inferiorum; in cuius determinatione iterum non parva observatur varietas, ex qua quidem ostenditur ipsa interna difficultas explicandi modum remissionis peccati venialis, proveniens ceteroquin ex ipsa difficultate intelligendi naturam hujus peccati.

QUIDAM igitur docent virtutalem poenitentiam exhiberi, et peccata venialia deleri, non per solam contritionem vel charitatem, sed etiam per actus aliarum virtutum.

In quorum determinatione iterum discrepant; nam alii loquuntur simpliciter et indeterminate de quolibet actu virtuoso; alii, ut *Suarez*, de quolibet actu virtuoso “relato ab operante ad hunc effectum obtinendi a Deo remissionem peccati venialis”; alii, ut *Joannes a S. Thoma*, de “omni motu supernaturali in voluntate qui de se ordinatur ad justificationem, id est ad Deum, vel res divinas . . . quod etiam fit per motum aliquem religionis circa ea quae ad cultum Dei spectant, ut oratio dominica, tunsio pectoris, et alia sacramentalia”; alii, ut *Gonet*, de “omni motu quo quis ita fertur in res divinas, ut venialia displiceant, si memoriae occurrerent”; alii, ut *Lugo, Galtier, Diekamp, Heylen*, praecipue de attritione, in quam refundere videntur efficaciam actuum aliarum virtutum.

Item, plures suam sententiam coguntur emollire, concedendo aliquem influxum contritionis vel charitatis in actus aliarum virtutum quibus dicunt remitti venialia, ac ita efformando *aliquam sententiam mediam*. Et quidem alii, ut *Suarez*, dicunt “gratiam, quae in persona supponitur, dare magnum valorem his actibus” et ipsos habere ut deleant venialia “non ex se solis, sed ex conjunctione ad gratiam sanctificantem”; alii, ut *Soto et Joannes a S. Thoma*, dicunt eos actus vim

suam habere quia fiunt “ab homine justo ex imperio charitatis” (Joannes a S. Thoma), imo “non quidem ex parte obiecti . . . , sed ab extrinseco, quia procedunt ex gratia, et imperantur a charitate”, nam “quantum est ex objecto . . . [unusquisque illorum, puta eleemosyna, oratio, jejunium] non videtur repugnantiam habere ad peccata venialia, sed tamen quantum ad actum dilectionis interiorem, ex quo procedunt, possunt sufficere” (Soto).

Hanc opinionem tenent *Soto, Suarez, Nugnus, Joannes a S. Thoma, Gonet, Lugo, Pesch, De Augustinis, Lépicier, Billot* (re, etsi non verbis⁸⁰), *Diekamp, Galtier, Heylen*.

SUAZES: “Probabile est venialia peccata tolli *per solam attritionem*, imo et per *contrarium propositum*, vel per *actum virtutis repugnantem aliquo modo veniali peccato*, et excludentem complacentiam illius. Ita interpretor sententiam D. Thomae. . . Ratio vero est saepe tacta, quia haec venialia sunt leves offensiones, et saepe sunt imperfecte voluntariae; et *aliunde gratia, quae in persona supponitur, dat magnum valorem his defectibus, qui etiam aliquo modo mutant voluntatem*, et avertunt illam a priori defectu; ergo verisimile est hoc satis esse ad consequendam hujusmodi remissionem. . .

“Unde in particulari, *attritio* in hoc excedit, quod est formalis dolor, et aversio a priori culpa; et quamvis non sit ex supremo motivo, *tamen gratia id supplet*. Unde dicere solent Theologi, hominem fieri de attrito contritum, cum attritionis gratia coniungitur. . . Et ideo nullum inconveniens est, quod per dispositionem [attritionis] supponantur ablata [venialia ante ipsam absolutionem]; maxime cum illa dispositio hoc non habeat ex se sola, sed ex conjunctione ad gratiam sanctificantem, quae illi accidentaria est. . .

“Superest, ut dicamus in particulari de *aliis actibus bonis* et meritoriis. Et imprimis de *actu orationis*, quo quis petit veniam de venialibus peccatis ex affectu illis carendi, est probabile sufficere (ut Vega dicebat de mortalibus), quia hic minor dispositio sufficit, et non est tanta necessitas poenitentiae, et illa oratio indicat sufficientem mutationem voluntatis. Praeterea idem censeo de *formali proposito* absoluto non committendi tale peccatum, verbi gratia, mendacium, propter easdem rationes. Ac denique idem sub eadem probabilitate censeo de *actu virtutis opposito priori peccato*, et ex affectu ad virtutem illi oppositam, quia ibi etiam est repugnantia, et meritum, et aliae rationes supra positae locum habent. . .

“Quod vero actus cujuscumque virtutis sit sufficiens ad tollendum quodcumque veniale omnino disparatum, et cui nihil repugnat, non censeo probabiliter dici, quia illa nullo modo est proportionata dispositio; quod in hujusmodi effectu praecipue requiritur. . .

“Imo addendum censeo, in omnibus predictis actibus *requiri, ut aliquo modo supernaturales sint*, quia debent disponere ad effectum supernaturalem, ut supra dixi, et quia peccatum veniale aliquo modo laedit supernaturalem amicitiam. Quanta vera esse debeat haec perfectio supernaturalis, non constat. Existimo tamen quantumcumque sufficere, quae constituat actum in supernaturali ordine, et relatum aliquo modo ad finem supernaturalem; nam, si hoc habeat cum aliis conditionibus supra positis, satis esse videtur ad proportionatam dispositionem. Unde etiam intelligitur, non omnem actum meritorium vitae aeternae semper mereri remissionem peccati venialis, ut, verbi gratia, quando neque ex se habet proportionem aliquam ad illum effectum, neque ab operante ad illum refertur. Nec recte colligitur, si ille actus

⁸⁰ Cf. infra, p. 440 in nota.

habet valorem ad merendum aliquid majus, scilicet vitam aeternam, habere etiam ad id quod est minus, scilicet remissionem venialis peccati; tum quia simpliciter majus est mereri simul vitam aeternam, et remissionem venialis peccati, quam solam vitam aeternam; tum etiam quia in his, quae sunt diversarum rationum, non est bona illa collectio; nam potest esse causa, vel actio proportionata ad meliorem effectum, et non ad inferiorem. . .

*"Probabile autem est, quod Scotus dixit, quemlibet actum meritorium relatum ab operante ad hunc effectum obtinendi a Deo remissionem venialis peccati, mereri, et obtinere illam; quia ille actus sub illa intentione factus includit virtutalem displicentiam venialis peccati; et alias, qui sic operatur, vere meretur apud Deum de condigno; ergo verisimile est obtinere illum effectum. Quod specialiter dixit Marianus Vict., loco supra citato, de quolibet actu religionis facto ad placandum Deum, quia illa opera sunt magis proportionata ad tollendam illam Dei offensionem, quam veniale peccatum includit. Et Bonav. specialiter hoc dixit de operibus factis ex quadam animi subjectione ad Deum, qua homo se agnoscat peccatorem, et Deo subicitur, ut ab eo sanetur. August. vero generalius loquitur de operibus pietatis et misericordiae ad hunc finem relatis; et non videtur loqui de sola remissione poenae, nam etiam hoc modo ad remissionem mortalium valent illa opera; ipse autem discrimen in hoc constituit inter veniale et mortale peccatum. Imo ad satisfaciendum pro sola poena post remissam culpam, non oportet ut actus ex speciali intentione operantis ad illum finem referatur, sed ex se est proportionatus ad satisfaciendum pro poena; cum ergo postulatur, ut speciali intentione ad hanc remissionem ordinetur, sermo est de remissione quoad levem culpam."*⁸¹

SOTO: "Primum [dubium] est. Utrum attritio sufficeret ad delendum veniale peccatum. Et apparet non sufficere: cum enim non sit dolor de offensa Dei, et venialis culpa sit aliqualis offensa, non est ei contraria. Nihilominus respondetur, quod attritio venialium illius, qui est in gratia et charitate, potest sufficere ad deletionem aliorum venialium; non quidem ex parte objecti: quia est timor inferni, sed ab extrinseco, quia procedit ex gratia et imperatur a charitate, qua ratione ille actus sufficeret delere veniale, si tunc memoriae occurreret. Secundo quaeritur utrum per alia opera exteriora, ut per eleemosynas, per orationes et ieiunia remittantur venialia. Nam, ut secundum Scotum dicebamus, unumquodque sufficeret. Respondetur, quod quantum est ex objecto exteriori non videtur repugnantiam habere ad peccata venialia, sed tamen quantum ad actum dilectionis interiore, ex quo procedunt, possunt sufficere, ut modo dictum est."⁸²

JOANNES A S. THOMA: "Respondetur S. Thomam nomine virtualis poenitentiae intelligere affectum aliquem in Deum, vel res divinas tali modo, quod quidquid occurreret ei, quod eum a tali motivo retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse. . . Oportet autem istum affectum saltem virtualem habere, quia ille affectus retardativus in peccato veniali, voluntarius fuit, et oportet ad illum tollendum intervenire affectum contrarium, etiam voluntarie, ut voluntarie peccatum illud, et ejus macula expellatur: ideoque aliqua poenitentia necessaria est, et non sufficit quilibet bonus affectus, ut aliqui dixerunt, vel cessatio ab illo peccato, quia requiritur ad ejus expulsionem aliquid contrarietatis et oppositionis, quae non invenitur in quolibet actu bono, praesertim si solum sit ordinis naturalis, vel si non sit affectus bonus voluntatis, sed solius intellectus: sed tamen omnis motus supernaturalis in voluntate qui de se ordinatur ad justificationem, id est, ad Deum, vel res divinas, videtur habere oppositionem (saltem virtutalem) cum peccato veniali, et ad illud expellendum sufficere. . .

"Nominem [igitur] poenitentiae virtualis intelligitur non solum actus charitatis,

⁸¹ De Poenitentia, disp. 11, sect. 3, n. 11. 12. 18. 19-21, Opera omnia. t. 22, Parisiis, 1866, p. 213 sq., 216 sq.

⁸² In 4 Sent., dist. 15, q. 2, a. 1, Venetiis, 1575, t. 1, p. 732.

quo movemur in Deum, sed etiam affectus, quo movemur in res divinas, ut S. Thomas docet in hac quaestione lxxxvii, articulo i et iii. Unde non . . . requiritur actus altioris virtutis quam poenitentiae (scilicet actus charitatis) sed sufficit excitatio, aut motus ipsius affectus in Deum, qui virtualiter tollit adhaesionem ad res temporales, quae per peccatum veniale erat contracta. *Unde nec S. Thomas citatus dixit requiri motum charitatis in Deum ad tollenda venialia*, sed sufficere affectum, quo movemur in res divinas, quod etiam fit per motum aliquem religionis circa ea quae ad cultum Dei spectant, ut oratio dominica, tunsio pectoris, et alia sacramentalia. . . .

“Opera bona, quae fiunt ab infideli, vel existente in peccato mortali, possunt esse actus boni morales, verbi gratia eleemosyna ex naturali misericordia, aut exercitium iustitiae ex motivo naturali: tales actus non tollunt peccatum veniale, quia subiectum est in mortali peccato, et tamen sunt actus moraliter boni; si tamen illi actus fierent ab homine justo *ex imperio charitatis*, illi sufficerent ad talem remissionem peccati.”⁸³

GONET: “Sacramentalia aliqua cum devotione suscepta, habent vim ad remittendum peccata venialia, ut infra dicemus: ergo a fortiori remittuntur peccata venialia per actum charitatis vel devotionem ad res divinas. Patet consequentia, actus enim charitatis magis opponitur venialibus peccatis, quam sacramentalia. Dixi ‘Per actum charitatis, vel devotionem ad res divinas,’ *quia nomine poenitentiae virtualis, intelligitur non solum actus charitatis quo movemur in Deum, sed etiam omnis motus quo quis ita fertur in res divinas, ut venialia displicerent, si memoriae occurrerent*; talis enim motus potest dici poenitentia virtualiter aut aequalenter, totque remitteret peccata venialia, quot formaliter aut virtualiter displicebunt, et omnia, si omnia displiceant sub aliqua ratione communi omnibus, puta sub ratione divinae offensae.”⁸⁴

ALII, formaliter adhaerentes propriae indoli peccati venialis et prementes ad litteram verba S. Thomae, docent nonnisi in actu charitatis vel contritionis, contineri virtuales poenitentiam de venialibus, adeoque haec nonnisi per actum charitatis aut contritionis deleri, et quidem non per omnem actum charitatis aut contritionis, sed tantum per eum qui sit talis gradus vel modi, ut implicet virtuales contrarietatem cum peccato veniali, sive cum hoc vel illo, sive a fortiori cum omnibus.

Hoc, quamvis non in propriis terminis, videntur decere *Cajetanus* (In 3 p., q. 87, a. 1), *Vasquez* (ibid.), *Lorca, Arauxo, Pègues, Hugon, Garrigou-Lagrange, Billot*.⁸⁵ Idem explicite ac signanter doceri ab

⁸³ De Poenitentia, disp. 35, a. 2, n. 12–15, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1886, p. 679 sq.

⁸⁴ De Poenitentia, disp. 4, a. 1, § 1, n. 9, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 555.

⁸⁵ Notanda tamen est peculiaris doctrina huius auctoris (De sacram. t. 2, Romae, 1930, p. 97 et 145 sq.), qua vult omnem dolorem de peccato in justo, etiam si sit ex motivo inferioris ordinis quam charitas, seu, ut ait, ex motivo cujuslibet alterius virtutis, esse perfectam contritionem, *ut pote informatum charitate et ab ea imperatum*; et hoc sensu attritionem non dari in justo, nam attritio, ait, “est dolor informis de peccato commisso”. Quae doctrina procedit a falso huius doctoris conceptu de contritione et virtute Poenitentiae, explicato supra in art. 13 (tom. 1, p. 336 sq.). Peculiaritas illius doctrinae est in eo quod *simul asserat* in justo posse esse dolorem ex motivo inferiori charitate, et quod talis dolor sit perfecta contritio; e contra nos dicimus in justo non posse dari talem dolorem (et hoc sensu negamus attritionem in justo), alii vero doctores admittunt talem dolorem, sed dicunt illum esse non perfectam contritionem sed meram attritionem. Unde Billot nonnisi verbaliter est inter patronos huius sententiae; reapse reducendus est ad praecedentem opinionem Suaresii, Joannis a S. Thoma et aliorum.

aliquo Thomista, quem juniorem vocant, asserunt *Salmanticenses*, qui, quamvis in eandem doctrinam inclinent, utpote "accedentem ad propriam D. Thomae sententiam", eam tamen simpliciter amplecti renuunt sed aliquatenus emolliunt, concedentes, etiam et soli, actui attritionis elicitu ab homine justo, vim delendi peccata venialia, ita ut doceant hanc remissionem non fieri nisi vel per Poenitentiam formalem (seu contritionem), vel per charitatem formalem, vel per charitatem virtuales (seu attritionem justi). Salva hac restrictione quam infra refellemus, *Salmanticenses* omnino reponendi sunt in hac sententia quam apte explicant et signanter defendunt. Ceterum, si quis vellet stricte et formaliter opiniones discernere, posset colligere quamdam sententiam mediam, includens in ipsa ex una parte supradictas concessionem Suaresii, Joannis a S. Thoma et Soto, ut propinquissimas primae sententiae, et ex alia parte concessionem *Salmanticensium*, ut propinquissimam tertiae huic sententiae.

CAJETANUS: "In responsione ad tertium, circa materiam sacramenti, scilicet peccatum veniale opponi fervori caritatis, Durandus in IV Sent., dist. xvi, qu. 1, art. 2, occurrit, dicens hoc esse falsum . . . quia caritatis fervor non delet veniale sine displicentia. Sola autem displicentia, sine tali fervore, illud delet. . . [Respondetur] quod non est ex insufficientia fervoris caritatis quod mediante displicentia delet veniale: sed hoc est ex ordine causarum et effectuum. Sicut non est ex insufficientia caritatis quod mediante poenitentia delet mortale. Quod autem dicitur quod sola displicentia sine tali fervore delet veniale, potest bene et male intelligi. Si enim intelligatur sine fervore actus elicitu a caritate, tunc quodammodo est verum et quodammodo falsum. Verum quidem quoad hoc, quia sine tali fervore causante displicentia a caritate imperata delet veniale. Falsum autem quoad hoc, quod hujusmodi displicentia omnino sit absoluta a tali fervore: quoniam disponit seu parat affectum promptiorem ad talem caritatis fervorem, sicut veniale retardabat ab hujusmodi fervore. — Si vero intelligatur per fervorem talem fervor cuiuscumque actus a caritate quomodolibet procedentis, sic male intelligitur; quia displicentia non nisi caritate informata delet veniale, ut inferius articulo quarto patet. Huiusmodi enim displicentia, qua deletur veniale, quidam caritatis fervor est: fervet enim per eum caritas ad consumptionem venialium impedimentum seu retardantium affectum a motu erga ea quae Dei sunt" (In 3 p., q. 87, a. 1, ed. leonina, n. 7 et 8).

"Exigitur . . . ad remissionem venialium ex parte causae, et quod homo sit in gratia, et quod actualiter utatur illa. Et primum quidem habes ab Auctore in articulo ultimo huius quaestionis: quia sola gratia Dei est remissiva peccati. Secundum autem habetur in articulo praecedenti, et pluries repetitur in hac quaestione. Et quoniam primum potest esse sine secundo, ideo gratia compatitur secum peccata venialia. Secundum autem, quod non potest esse sine primo, non sic accipiendum est quasi quilibet actus caritatis delet venialia: quoniam hoc esse falsum ex eo probatur quod sequeretur peccata venialia regulariter deleri sine displicentia tam actuali quam virtuali; multi enim sunt actus caritatis neutram displicentiam annexam habentes, quales sunt actus non ferventes religionis, etc., ab habente caritatem elicitu. Intelligendum est ergo quod ad deletionem venialium, ultra habitum gratiae, *requiritur actus caritatis virtualiter vel formaliter inferens displicentiam venialium*" (ibid., a. 2, n. 3).

HUGON: "Peccatum veniale nequit remitti per solas naturae vires neque per

solam gratiam actualem in eo qui nondum est justificatus; at in justo potest absque nova infusione remitti, per motum gratiae vel charitatis qui sit displicentia virtualis. . . Prob. ultima pars. — Peccatum veniale, quum non sit privatio gratiae. non indiget nova infusione gratiae, sed, quum importet inclinationem affectus inordinatam ad aliquid temporale, remittitur per id quo tollitur illa inclinatio. Porro id quod inclinationem inordinatam tollit est motus charitatis vel poenitentiae sensu jam explicato; qui motus fit per gratiam actualem. Ergo in justo sufficit cum gratia habituali praexistenti gratia quaedam actualis.”⁸⁰

GARRIGOU-LAGRANGE: “Ad hoc quod peccatum veniale tollatur in justo, non requiritur quod infundatur gratia habitualis, quia jam in eo est gratia habitualis, sufficit motus caritatis in Deum. . . Ad tollendam maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae; sed ad tollendam maculam peccati venialis sufficit aliquis actus caritatis erga Deum, per quem removetur inordinata adhaesio ad rem temporalem.”⁸⁷

SALMANTICENSES, in tractatu *De justificatione* scribunt: “Accedamus jam ad praecipuum hujus controversiae punctum. Et quia propriam sedem habet 3 part. in tract. de poenitentia, ad eum locum remittimus ultimum in hac difficultate iudicium, et hic tantum subjicimus modum dicendi cuiusdam Junioris Thomistae, qui videtur accedere ad propriam D. Thomae sententiam. Sed quia illum non reperimus adeo tritum apud auctores, et aliquibus durum fore existimamus, eum non approbamus, sed prudentis lectoris iudicio, et electioni submittimus. Docet ergo praedictus dicendi modus, nullam mutationem sufficere ad remissionem peccatorum venialium hujus status, nisi illam, quae sit per actum supernaturalem contritionis, vel charitatis. Hanc sententiam, loquendo de remissione venialium extra sacramentum, tuentur omnes fere Doctores num. 307 relati, quibus addendi sunt Palacios in 4, dist. 4, disp. 2, concl. 7, Kellisonius 3 part. quaest. 87, art. 1. dub. 1, concl. 1, Layman. lib. 5, trct. 6, cap. 4, num. 14, Bonac. disp. 5, quaest. 6, sect. 2, punct. 3, et alii apud ipsos. Sed loquendo de remissione venialium intra sacramentum, quidam eorum illam limitant, existimantes attritionem sacramento conjunctam sufficere ad praedictum effectum. In quo non satis consequenter ad sua principia procedunt, ut ex dicendis constabit.”⁸⁸

Explicata sententia praedicti thomistae, concludunt: “Verum enimvero, quia veremur ne modus dicendi hactenus propositus aliquibus nimis durus, aut etiam minus probabilis appareat, illumque in ea praesertim parte, quae sacramenta concernit, ut singularem criminetur; placuit breviter insinuare modum alium suaviorem, juxta quem quarta sententia probabiliter, facile et ad mentem D. Thom. defendi queat. Fundatur autem in his, quae dicemus tract. seq. disp. 4, dub. 5. ubi ex professo ostendimus, omnem actum honestum elicium ab homine justo, esse meritorium vitae aeternae de condigno. Quod habet, quia per modum quandam intrinsicum de linea charitatis refertur in Deum ultimum finem supernaturalem super omnia dilectum. Unde tendit non solum in proprium, et sibi speciale objectum, atque ex proprio motivo; sed etiam in objectum proprium charitatis, et ex motivo illius; potestque hac ratione dici actus charitatis virtualiter, ut ibidem fuisse exponemus. Hinc fit, quod attritio ab homine justo elicita non sit praecise attritio, sed etiam virtualiter contritio, sive charitatis dilectio, ob eum scilicet modum, quem a charitate participat, et per quem actualiter virtualiter refertur in Deum finem ultimum.”⁸⁹

In tractatu De Sac. in genere, ubi de Sacramentalibus, scribunt: “In assignando

⁸⁰ Tract. dogm., v. 3, Parisiis, 1948, p. 548 sq.

⁸⁷ De Eucharistia, Accedunt De Poenitentia quaestiones dogmaticae, Torino, (1943), p. 394.

⁸⁸ De justificatione impii, disp. 2, dub. 8, § 3, n. 312, *Cursus Theol.*, t. 10, Parisiis, 1879, p. 518.

⁸⁹ *Ibid.*, § 5, n. 332, p. 534.

... hujusmodi actum [per quem venialia expelluntur] satis variant [auctores], ut constat ex sententiis . . . relatis [in tractatu de Justificatione]. . . Quae autem nobis magis arrisit, et modo magis probatur, est actum inducentem formaliter remissionem peccatorum venialium debere esse *contritionem, vel amorem charitatis formaliter, aut virtualiter*. Et addimus hoc ultimum: nam si reperiantur alii actus doloris, contritione in specie inferiores (ut de attritione dicitur), qui participant charitatis modum, et referantur in Deum super omnia dilectum; *satis probabile est* tales actus et esse venialibus, quae detestantur incompossibiles, et illa formaliter excludere, ut ibidem insinuavimus num. 332. Requiritur autem actum proxime assignatum probatur primo ex D. Thom. infra quaest. 87, art. 4, in corp. ibi: 'Peccata venialia non possunt remitti absque poenitentia formali, vel virtuali.' Et ad 2: 'Licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae; requiritur tamen aliquis actus gratiae, qui non potest esse in eo, qui subjacet peccato mortali.' Alii autem actus, qui non sunt vel contritio, vel amor charitatis formalis, aut virtualis, possunt esse in eo, qui existit in peccato mortali. Probatur secundo: quia ad remissionem peccati venialis requiritur aliquis actus eidem incompossibilis: nullus autem assignabitur hujusmodi, nisi *vel contritio, vel amor charitatis*: reliqui namque sicut cohaerent cum mortali, sic etiam cum venialibus. Haec vero, quae nunc quasi per compendium non tam docemus, quam insinuamus, reperiet lector fuse, et nervose tradita loco citato quem omnino consulere debet."¹⁰⁰

Tandem in tractatu De Poenitentia, in Commento ad 3 p. q. 87, a. 1. scribunt: "Conclusio: Requiritur, et sufficit [ad deletionem venialium] displicentia vel formalis Poenitentiae, vel virtualis charitatis. . . Assertionem [hanc] . . . absolute sumptam, et praecedentem a modo remittendi venialia intra Sacramenta, quam statuimus loco citato de Justificat. § 3, docent communiter discipuli D. Thomae. ibi relati, et plures alii. . . Certum est extra sacramentum nullius venialis fieri remissionem per actum alterius virtutis, quam charitatis, aut Poenitentiae, seu quod idem est, per formalem, aut virtualem Poenitentiam, inclusam in ipso formali actu charitatis. Unumquodque enim tollitur per suum oppositum vel formaliter, vel virtualiter ut docet D. Thomas art. 2, et est per se notum: sed solus actus vel charitatis, vel Poenitentiae est oppositus aut formaliter, aut virtualiter peccato veniali: ergo dumtaxat alterutro horum actuum destrui potest peccatum veniale. Et si enim peccata venialia ex parte objecti plurima sint, et contra plures, imo omnes virtutes exerceri valeant, et ex hoc capite, per eas viderentur destruenda; ex parte tamen effectus retardandi animam, ne prompte, ac fervide feratur in Deum ipsum anteposendo, ac super omnia diligendo actualiter, omnia impediunt charitatem, et eundem effectum praestant: et ex hoc capite ad solam charitatem, et Poenitentiam illi annexam pertinet specialiter adversari culpis venialibus. . .

"Nec refert si objicias D. Thomam nedum assignasse actum charitatis, aut Poenitentiae ad remittenda venialia, sed etiam actum quo 'homo afficiatur ad res divinas', ut constat ex hoc eodem articulo. Sed hic actus est diversus ab actibus charitatis, et Poenitentiae, et pertinet ad religionem, vel alias virtutes. Ergo juxta D. Thomam quolibet actu alterius virtutis possunt remitti peccata venialia, et non est necessarium recurrere ad actus vel charitatis, vel Poenitentiae. *Propter hanc propositionem D. Thomae aliqui ejus discipuli ut Joann. a S. Thoma, Nuno, et Gonetius* in ea sunt sententia, quasi ea sit expressa S. Doctoris. Falluntur tamen manifeste; nam ille actus est proprie, et formaliter actus charitatis, si quidem est actus, quo homo fertur affective in Deum et in res divinas, ut expresse affirmat S. Doctor: sed actus quo quis afficitur ad Deum et res divinas est actus charitatis: Ergo dum S. Thomas ita asseruit, expresse locutus fuit de actu charitatis talis conditionis, quo displiceret homini, quidquid ex adverso impedit, aut retardaret, ne expeditissime ita feratur in Deum. Et haec est virtualis

¹⁰⁰ De sacr. in gen., disp. 10, dub. 2, § 1, n. 11, Cursus Theol., t. 17, Parisiis, 1881, p. 651.

displicentia venialium, quae requiritur ad eorum extinctionem, ut fiet perspicuum consideranti textum D. Thomae. . .

“[Quod autem ad delenda venialia *sufficiat, praeter formalem charitatem, attritio, eaque sola*, facile arguitur] ob specialem rationem, quam ostendimus . . . militare in attritione prae omnibus aliis actibus; haec enim sola importat expressam detestationem peccati, ut supponitur, et insuper ut pars Sacramenti elevatur ad producendam gratiam remissivam peccati mortalis in Poenitentia, quod non convenit aliis actibus, quicumque illi sint. . . Ut affirmat S. Thomas, in habente gratiam nulla est attritio, quae non etiam sit contritio, saltem virtualiter et quia imperatur a Charitate, et quia participat modum quemdam elevationis, quasi habitualis, ab eademmet gratia, et Charitate, quibus conjungitur, quo nequit non in Charitatis finem collimare. Unde stat latum discrimen attritionis secundum sibi propria, quo pacto de illa supra loquebamur, a se ipsa ut subditur Charitati; ratione cujus in secunda consideratione potest expellere peccata venialia ob impossibilitatem cum illis: quod tamen nequit praestare vel secundum se, vel conjuncta Sacramento, secluso influxu gratiae in ipsomet instanti justificationis.

“Nec inde inferas, hac etiam ratione quolibet aliarum virtutum actu similiter posse venialia dimitti; siquidem nullus est, qui simile imperium, et consimilem non etiam a Charitate accipiat elevationis modum: ergo si qua est ratio hoc tribuendi attritioni ita elevatae, aequae militare debet in aliis virtutum actibus simili gaudentibus elevatione. Non, inquam, inde id inferatur: quia nullus illorum est aut formalis, aut virtualis poenitentia, ut patet; cum tamen attritio illo modo accepta poenitentia sit, et *proxime accedat ad contritionem formalem, si jam non est vera contritio*, quae est dolor peccati propter Deum summe dilectum, in quem collimare necesse est attritionem hominis justis; licet formalius, et expressius motivum sit inferius, sed non sistitur in eo. . .

“*Forma vel quasi forma formaliter venialia excludens*, non tam est ipse actus, quam gratia ut erumpens in actum. Et ratio est: quia peccatum veniale inducit teporem, seu carentiam fervoris in Charitate, quapropter *ipsamet Charitas demo assurgens in fervorem* est, qua formaliter carentia illa nitoris excluditur. Vel si mavis, per ipsummet actum ut connotantem expeditionem habitus fit talis condonatio: alterutro quippe horum modorum explicetur, sufficienter declaratur, quod intenditur, sed magis arridet primus, utpote formalius explicans formam habitualem formaliter impossibilem cum macula habituali peccati venialis: secundum vero docet Prado in praesenti, in quo non est momenti dissidium. Semper enim recurri debet ad actum, ut omnino necessarium pro illorum destructione”.⁹¹

CONCLUSIO

Conclusio 1. Ad remissionem peccati venialis requiritur actus poenitentiae, nec sufficit actus cujuslibet alterius virtutis.

Probat.

Nulla forma a subjecto expellitur nisi per suum contrarium. Atqui solus actus virtutis Poenitentiae est contrarius peccato veniali. Ergo per solum actum Poenitentiae peccatum veniale connaturaliter expellitur seu remittitur.

⁹¹ De Poenitentia, Comm. in 3 p., q. 87, a. 1, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 803-810.

Ad minorem. Nam peccatum veniale consistit in quodam deordinato amore seu adhaesione voluntatis ad bonum creatum ejusque complacentia in bono commutabili. Atqui huic adhaesioni et complacentiae non opponitur nisi reconversio seu separatio voluntatis a bono creato et ab istius complacentia, quae fit per actum detestationis et doloris, in quibus actus Poenitentiae formaliter consistit. Ergo solus actus virtutis Poenitentiae opponitur peccato veniali; et consequenter per solum actum Poenitentiae veniale dimitti potest.

Ad rem S. Thomas, q. 87, a. 1: "Remissio culpae, sicut dictum est (quaest. praec., art. 2), fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliquantulum separat culpa. Sed haec separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per poenitentiam quidem remittitur; quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa, manet effectus".

Confirmatur cum S. Thoma (ibid.), ex ipsa analogia cum remissione peccati mortalis, seu ex communi, etsi analogica tantum, ratione utriusque peccati. Utrumque enim est quaedam inordinata adhaesio seu conversio ad bonum creatum, etsi peccatum mortale addat aversionem a bono increato; unde utraque conversio per eundem actum reconversionis et separationis, in qua Poenitentia consistit, auferri debet, etsi ratio aversionis a Deo, quae est in peccato mortali, exigat ut illa reconversio fiat per infusionem gratiae sanctificantis, quae sola valet hominem conjungere Deo, necnon per formalem et universalem poenitentiam. Unde recte concluditur cum S. Thoma quod "utrumque peccatum per poenitentiam remittitur" et absolute dicendum est nullum personale ac proprie dictum peccatum remitti posse nisi per Poenitentiam, imo per actum proprie dictae virtutis Poenitentiae, seu per perfectam contritionem, ut patet ex dicendis in seqq. Concl. et in art. seq., ubi plenius explicabitur quoque convenientia et differentia peccati mortalis et venialis quantum ad utriusque remissionem per actum Poenitentiae.

Ex allata ratione patet quare ad remissionem peccati venialis nullus alius actus vel dispositio, praeter Poenitentiam, sufficiat. Omnes enim aliae causae ad quinque revocari possunt, quarum ultima de facto hic invocatur ab adversariis, scilicet meram cessationem a peccato; actum mere naturalem; actum supernaturalem extra statum gratiae; ipsum

statum gratiae; actum aliarum virtutum (praecipue earum quae versantur circa eandem materiam circa quam committitur peccatum veniale). Nullum autem istorum directe adversatur peccato veniali; nec ideo valet illud delere.

PRIMO, mera cessatio ab actu peccati, vel non commissio novi peccati, non opponitur contrarie peccato veniali quod jam commissum est et remanet habitu in anima sub forma privationis rectitudinis, seu reatus et maculae, sed est quid mere negativum et adjacens, ac ideo formaliter impertinens. Cum igitur illa privatio rectitudinis sit aliquid reale in anima, nequit esse opposita nisi alicui formae reali et nequit auferri nisi per aliquam intrinsecam mutationem subjecti, ei oppositam.

SECUNDO, actus bonus mere naturalis, quantumvis versetur circa eandem materiam circa quam quis peccavit venialiter (v.g. propositum non mentiendi in eo qui dixit mendacium), non opponitur contrarie peccato veniali; nam peccatum veniale est recessus a supernaturali rectitudine, seu impedimentum fervori charitatis, ac ideo ejus contrarium est accessus ad eandem rectitudinem et redintegratio fervoris charitatis, quae nonnisi per actum supernaturalem fieri possunt. Ad de hoc fusius in art. seq., ubi refelletur haec *Durandi* sententia, agendo de necessitate status gratiae ad remissionem peccati venialis.

TERTIO, actus supernaturalis extra statum gratiae, elicitus sub auxilio gratiae actualis (puta actus fidei, spei, timoris, initialis dilectionis, pia quaelibet voluntas solvendi poenam debitam pro peccato veniali, imo propositum non committendi iterum hoc peccatum, imo ipsa attritio seu detestatio et dolor de peccato veniali), non est contrarius peccato veniali qua tali, quia, quidquid sit de ejus bonitate et supernaturalitate, non importat reconversionem seu revocationem voluntatis ab ea adhaesione ad bonum creatum, in qua peccatum veniale consistit.

Idque per se patet de quibusdam ex enumeratis actibus. Ceterum, ipsum propositum non amplius committendi peccatum, secundum se solum, est aliquid mere negativum ac respiciens futurum peccatum. Ipsa denique attritio, est quidem revocativa voluntatis a praedicta adhaesione, at non simpliciter et formaliter, quia non revocat ab ea quatenus est formaliter alligativa charitatis et extinctiva fervoris charitatis, cum procedat ex motivo inferiori motivo charitatis, nec restauratio alicujus pertinentis ad lineam charitatis fieri potest nisi per aliquod pertinens ad eandem lineam, adeoque vel per ipsum actum charitatis vel per actum proprie dictae virtutis Poenitentiae, seu perfectam contritionem, quae ab ipsa charitate procedit. Attritio vero, ut non semel

in superioribus dictum est, non est actus virtutis Poenitentiae, sicut perfecta contritio, sed tantum actus imperfecte contrarius peccato, adeoque imperfectus actus in linea quidem Poenitentiae, sed infra ordinem ipsius virtutis. Ob quam causam, ut infra dicetur in Concl. 3 contra Salmanticenses, ipsa etiam attritio hominis existentis in statu gratiae et charitatis non habet sufficientem formalem contrarietatem cum peccato veniali nec valet illud expellere sicut perfecta contritio.

QUARTO, status gratiae et charitatis non est contrarius peccato veniali, sicut mortali.

Nam peccatum veniale consistit in indebita conversione ad creaturam, salva tamen conversione ad Deum; status gratiae vero consistit in habituali conversione ad Deum; unde non opponuntur. Item, peccatum veniale consistit in alligatione vel quadam diminutione fervoris charitatis; unde id quod ei opponitur non est proprie charitas sed specialis fervor charitatis. Item, peccatum veniale consistit in impedimento apposito exercitio charitatis; unde id quod ei opponitur non se habet ex parte habitus charitatis, sed ex parte actus ejus. Unde ad remissionem peccati venialis non sufficit habitus gratiae, sed requiritur aliquis actus a gratia procedens qui habeat formalem contrarietatem cum forma in qua peccatum veniale habituale consistit; qui quidem nequit esse nisi actus virtutis Poenitentiae, saltem implicitus, ut infra explicabitur.

Ad rem S. Thomas, 3 p., q. 87, a. 2, ad 1: "Remissio peccatorum venialium est effectus gratiae, per actum scilicet quem de novo elicit"; *ibid., ad 3:* "Ad tollendam maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhaesio ad rem temporalem"; *a. 3, ad 1:* "Omnia ista [sacramentalia] causant remissionem peccatorum venialium inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicate, vel explicite"; *ibid., ad 3:* "Per praedicta tolluntur . . . peccata venalia quantum ad culpam . . . virtute charitatis, cujus motus per praedicta excitatur"; *a. 4, ad 2:* "Licet ad remissionem peccati venialis non requiratur nova infusio habitualis gratiae, requiritur tamen aliquis gratiae actus". *De Malo, q. 7, a. 11, ad 4:* "Habitualis displicentia [seu status gratiae] non sufficit ad remissionem venialis sed requiritur actualis"; *iterum 3 p., q. 87, a. 1:* "Ad remissionem venialium peccatorum . . . non . . . sufficit habitualis displicentia, quae habetur per habitum charitatis vel poenitentiae virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum."

Ceterum, ut arguit S. Thomas in hoc ultimo textu, res patet ex ipso facto; nam justī multoties et multipliciter peccant venialiter, ergo

status gratiae non opponitur veniali peccato, secus justus, in sensu composito cum justitia, nequiret venialiter peccare, sicut non potest mortaliter.

Dices. Potest gratia habitualis concipi cum aliquo speciali gradu vel modo, ratione cujus opponatur peccato veniali, quin necessario recurrendum sit ad ejus actum seu exercitium; et de facto ita contingere videtur in gratia sacramentali, quae de se remittit venialia.

Resp. Gratia habitualis, quomodolibet augeatur vel modificetur, nequit secundum se excedere limites suae indolis et rationem suae speciei, nec induere rationem contrarietatis ad peccatum veniale quae, ut dictum est, est propria ipsius actus ex gratia procedentis. Quo autem modo gratia sacramentalis remittat venialia dicitur suo loco (art. 95). Ceterum, constat peccatum veniale stare cum gratia sacramentali jam obtenta, unde non ab ea formaliter contradicitur. A fortiori augmentum gratiae habitualis nihil directe et formaliter confert ad deletionem venialium, quae inveniuntur etiam in viris sanctissimis. Unicum augmentum et unica modificatio gratiae, quae directe contrariatur et expellit peccatum veniale, est expansio gratiae in suos actus et expedita activitas fervoris charitatis.

Instes. *Donum confirmationis in bono*, quale collatum est B. Virgini et participatur ab animabus in Purgatorio, est aliquid habituale seu, si placet, modus aliquis gratiae sanctificantis, excludens omne peccatum; similiter *lumen gloriae* est quaedam plenitudo gratiae habitualis, reddens beatum impeccabilem; a fortiori *unio hypostatica*, consistens non in actu sed in re, est impossibilis cum omni peccato. Ergo peccatum veniale potest auferri non solum per actum gratiae, sed etiam per ipsam gratiam, acceptam cum quadam speciali indole vel plenitudine, saltem per gratiam viae confirmatam, per gratiam termini et per gratiam unionis.

Resp. Tres illae gratiae, eisque conjuncta impeccabilitas, nec falsitatem arguunt traditae doctrinae nec ullam ei apponunt exceptionem.

Ad *donum confirmationis* quod attinet, imprimis non necessario importat impossibilitatem peccandi venialiter, nisi detur in gradu excelsiori, ut B. Virgini, aut jungatur peculiari statui animae, ut accidit in animabus Purgatorii; in aliis vero sanctis quibus exceptionaliter collatum est, uti Apostolis, excludebat tantummodo possibilitatem peccandi mortaliter. Praeterea, donum confirmationis potest quidem excludere possibilitatem peccati venialis futuri, ligando nempe potentiam peccandi, non vero tollere seu remittere peccatum veniale praeteritum, de quo hic agitur, nisi mediante actu gratiae et excitatione

fervoris charitatis; propterea in B. Virgine, in qua nunquam praecessit peccatum veniale, nullum ablatum est per donum integritatis, in animabus vero Purgatorii donum integritatis impedit tantum peccatum veniale futurum, sed praeteritum in eis non aufertur nisi eodem modo ac in via, seu per fervorem actus charitatis.

Idem dicendum est de *lumine gloriae*, quod est quaedam plenissima et intrinseca confirmatio gratiae; excludit nempe peccatum veniale futurum, non vero praeteritum, quod plene exclusum supponit saltem in Purgatorio; si tamen per impossibile quis admitteretur in coelum nondum a veniali purgatus, aut si alicui viatori daretur (puta transeunter, ut solet dici de B. Virgine, Moyse et S. Paulo) visio beatifica, haec non deleret peccata venialia, nisi mediante actu ferventissimae charitatis qui subsequeretur.

Unio hypostatica alicujus humanitatis, quae prius fuisset sub aliquo supposito peccante venialiter, non dimitteret nec proprie deleret a suo subjecto peccata venialia, sed ea tantum destrueret, una cum ipso supposito cui soli peccata imputari vel dimitti possunt, nam actiones sunt suppositorum. Unde in tali hypothesi egredimur extra quaestionem, quae non est de annihilatione aut qualibet destructione peccatorum venialium, sed de eorum expulsionem a proprio subjecto, ipso subjecto manente, a quo dicuntur expelli et cui dicuntur remitti; in casu vero, peccata manerent subjecto indivisibiliter conjuncta, tum in esse tum in non esse in quod simul abirent. Nec refert quod ea peccata fuissent etiam in ipsa humana natura et voluntate, tanquam in subjecto-quo; nam non sic fuissent in ea nisi ratione suppositi, seu subjecti-quo, ex quo subjectum-quo totam suam indolem derivat; mutato autem supposito, ea natura aliam indolem assumeret in ipsa ratione subjecti-quo actionum et passionum, nec de ea proprie praedicaretur quod fuerit alinquando peccatrix aut quod peccata venialia ei deleta ac remissa fuerint; unde per hypostaticam unionem ipsa substantialiter sanctificaretur non per conversionem ab humana malitia, sed per puram conjunctionem infinitae bonitati.

QUINTO, actus aliarum virtutum, etiam illi qui versantur circa eandem materiam circa quam commissum est peccatum veniale, non sunt contrarii peccato veniali, nec ideo valent illud expellere, nisi et quatenus includant implicite poenitentiam, seu sint virtualis poenitentia.

Abstrahendo enim ab hac virtuali poenitentia, actus bonus aliarum virtutum non habet oppositionem cum peccato veniali: Neque ex hoc quod est *meritorius*, nam sic directe ordinatur tantum ad augmentum gratiae habitualis, quae non est impossibilis cum peccato veniali.

Neque ex hoc quod est *aliquid magis placens Deo* quam displiceat peccatum veniale; nam actus charitatis placet Deo plusquam actus ceterarum virtutum, et tamen non est impossibilis aut contrarius peccato veniali. Neque ex hoc quod *continet aliquam temporalem poenalitatem*, compensativam poenae quae debetur pro peccato veniali; nam sic opponitur peccato veniali ut dicit reatum poenae, non vero ut est reatus culpae; nec dicas, juxta Scoti principia, peccatum veniale habituale non esse nisi reatum poenae seu debitum luendi poenam temporalem, nam non a poena homo denominatur peccator, sed a culpa, et saepe peccatum veniale dimittitur quin remittatur poena in Purgatorio luenda, sicut e converso in inferno solvitur poena venialium quin dimittatur culpa, ac propterea nec ipsi Scotistae, imo nec Scotus, audent ex suis principiis firmiter ad legitimas conclusiones descendere et conantur assignare aliquam moralem maculam, a debito poenae distinctam, in quo habituale peccatum consistat. Neque ex hoc quod *ordinatur per intentionem hominis* ad venialis remissionem; nam haec extrinseca ordinatio non valet inducere contrarietatem in actu qui contrarius non est; quod si dicas cum Suarez (Disp. 11, sect. 3, n. 22 sq.), in favorem Scoti, eam intentionem includere virtualementer displicentiam seu poenitentiam, jam sumus extra quaestionem, quae est de mero actu aliarum virtutum, non includente virtualementer poenitentiam, et ceteroquin Suarez gratis supponit simplicem illam intentionem referentiae, qua talem, includere virtualementer displicentiam; potest enim quis adhuc complacere in suo peccato et tamen velle illud sibi remitti. Neque ex hoc quod *a solo Deo ordinetur* et acceptetur in remissionem venialium; nam talis ordinatio esset magis adhuc extrinseca, cum sit independens ab ipso subjecto poenitente, et ceteroquin omnino gratis fingitur: undenam enim scis Deum velle ut omnis, vel aliquis, actus bonus, de se non repugnans peccato veniali, assumat causativam quandam repugnantiam ad illud, ita ut fiat expulsivus omnis, vel hujus aut illius, peccati venialis? quin potius haec fictio ex ipso modo agendi Divinae Providentiae quae aptat effectibus causas proportionatas, contraria per contraria expellens, ac ideo, non gratis aut per voluntariam quandam et extrinsecam ordinationem improporionatae causae, sed per contrariam poenitentiam, peccata dimittens.

Idipsum patet *ab inconvenientibus*. Nam si quilibet actus bonus haberet contrarietatem cum peccato veniali ac illud expelleret, *primo* sequeretur per quemlibet actum quodlibet veniale indifferenter dimitti, imo per quemlibet omnia; nam quilibet actus, in quantum bonus, aut meritorius, aut placens Deo, non majorem habet oppositionem cum uno quam cum alio peccato aut cum omnibus; gratis autem cum Sua-

resio in favorem Scoti recurreretur ad divinum arbitrium, distribuens aut limitans influxum diversorum actuum bonorum relate ad peccata remittenda. *Secundo*, sequeretur quod dum aliquis adhaeret peccato veniali nullum actum bonum elicere posset, et e converso dum elicit aliquem actum bonum nullum peccatum veniale retineret; si enim ea sunt contraria, mutuo influxu se expellunt.

Sic manet convulsa *Scotistarum sententia*. Majorem tamen speciositatem seu apparentem veritatem habet *sententia Biel et Medinae*, qui limitant influxum remissivum in peccata venialia ad actus illarum tantum virtutum quae versantur circa eandem materiam circa quam venialia peccata commissa sunt. Illi enim actus videntur sufficientem contrarietatem habere cum peccato veniali, ut si quis postquam peccaverit gula, mortificet gulam.

Nihilominus nec ista restrictio prodest, quoniam ea contrarietas est tantummodo materialis et adjacens, non vero formalis et influens; vel, si placet, est potius inter materias et objecta actuum (puta inter immoderatum cibum in actu gulae et moderatum cibum in actu mortificationis) quam inter ipsos actus; vel est inter ipsos actus, sed non inter influxus eorumdem, nam unus non influit in destructionem alterius qui jam pertransivit; vel, formaliter, est quomodolibet inter actum et actum, sed non inter actum et habitum, seu non inter bonum actum virtutis et maculam habitualement relictam in voluntate, in qua formaliter consistit veniale peccatum habituale, quae denominat hominem peccatorem et quae est delenda seu remittenda; vel, melius, est contrarietas actus boni cum materiali peccati venialis, non vero cum ejus formali, nam quicumque actus bonus, praeter poenitentiam, non habet pro formali objecto ipsam reordinationem voluntatis quae directe opponitur huic in quo peccatum veniale formaliter consistit, scilicet ejusdem voluntatis deordinationi; ob eandem rationem, nullus actus bonus, praeter contritionem, valet auferre peccatum mortale, quia sola contritio habet pro formali objecto reconversionem voluntatis ad Deum, quae directe opponitur huic in quo peccatum mortale consistit, scilicet aversioni voluntatis a Deo.

Nec refert si dicatur actum bonum adjuvare fervorem charitatis eamque expeditiorem reddere, adeoque contrariari peccato veniali quod, ut diximus, consistit in quodam alligamento charitatis. Nam aliud est non alligare et aliud solvere alligamentum. Ille quidem actus non alligat fervorem charitatis, imo adjuvat ne magis alligetur, imo positive, etsi indirecte, fovet promptitudinem actus charitatis, sed non solvit alligamentum jam contractum per praecedens peccatum veniale,

quia non se habet ad ipsum contrarie ac privative, sed mere dispartate ac positive. Solus actus poenitentiae, seu detestationis et doloris de actu praeterito, valet auferre habituale alligamentum, a peccato praeterito relictum in fervore charitatis, inducendo nempe habituales quamdam formas seu modum illi contrarium, de quo infra dicitur (p. 476 sq.); et ratio est quia solus actus poenitentiae influit ad disponendum subiectum, non quomodolibet seu inducendo quamlibet bonam dispositionem, sed tali modo, i.e. positive et formaliter contrariando illi ipsi actui peccati venialis jam commisso, prout habitualiter remanet in suo effectu.

Ex dictis patet solutio variarum rationum quae afferuntur ab adversariis, scilicet: 1. Bonus actus hominis justus magis placet Deo quam displicet peccatum veniale. 2. Per omnem actum bonum homo meretur augmentum gratiae et vitam aeternam; ergo a fortiori remissionem venialium, quae est quid inferius. 3. Per actum Poenitentiae, imo et perfectae contritionis, non necessario delentur venialia; ergo recurrendum est ad aliam causam remissionis. 4. Venialia remittuntur per multa remedia, juxta Conc. Trid. et Patres, i.e. per sacramenta, sacramentalia, Baptismum, martyrium, actus fidei, orationis, jejunii, elemosynae. 5. In interno et Purgatorio remittuntur venialia, et tamen ibi non datur influxus virtutis Poenitentiae, quia non datur meritum.

S. Thomas praeterea sibi obicit hanc speciosam rationem: sine proposito non peccandi non datur Poenitentia; sed sine tali proposito datur remissio venialium, cum homo non possit vitare venialia, nec ideo proponere ea vitare; ergo sine Poenitentia datur remissio venialium.

Respondetur. 1. Ex hoc quod actus bonus magis placeat Deo quam displiceat veniale, non sequitur istius remissio, secus quilibet actus charitatis remitteret omnia venialia. 2. Aliud est mereri, aliud expiare seu satisfacere; meritum ordinatur ad augmentum gratiae, satisfactio ad remissionem reatus; ceterum, facilius est mereri quam satisfacere, ut dictum est in art. 61 (tom. 3, p. 299 sq.). 3. Quamvis non omnis actus Poenitentiae remittat omnia peccata venialia, ut contingit in mortalibus, tamen non nisi per aliquem actum Poenitentiae unumquodque veniale remittitur, ut infra explicabitur. 4. Quodcumque aliud remedium non remittit veniale, nisi prout continet implicite et virtualiter actum Poenitentiae, vel prout inducit ad actum in quo Poenitentia continetur, ut explicabitur infra. 5. In inferno veniale non remittitur, sed manet in aeternum ut reatus culpae et poenae, quamvis id contingat non ex propria vi, sed per accidens ob suam conjunctionem cum peccato mortali. In Purgatorio vero peccatum remittitur eodem modo ac in via, per actum contritionis vel charitatis, qui, quamvis tunc non habeat vim

meriti, retinet tamen vim expiationis et satisfactionis. At de his fusius dicitur in art. seq. (p. 522–529).

Additae objectioni de proposito, ipse *S. Thomas* aptissime respondet: "Homo in gratia constitutus potest vitare omnia peccata mortalia et singula; potest etiam vitare singula peccata venialia, sed non omnia, ut patet ex his quae in secunda parte dicta sunt (1–2, qu. LXXIV, art. 3 ad 2, et qu. CIX, art. 8). Et ideo poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus; sed ad poenitentiam peccatorum venialium requiritur quod homo proponat abstinere a singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas hujus vitae non patitur; debet tamen habere propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cum desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectus, quae sunt peccata venialia" (3 p., q. 87, a. 1, ad 1; cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 2, ad 2; cf. praeterea dicta in art. 25, tom. 2, p. 101 sq.).

Conclusio 2. Ad remissionem peccati venialis non requiritur Poenitentia formalis, seu expressa attritio vel contritio, sicut requiritur per se ad remissionem peccati mortalis.

Probat.

Generalis ratio quae affertur ab auctoribus est quia peccatum veniale est offensa levis, et ideo minus perfectam exigit poenitentiam quam peccatum mortale. Cum autem hanc rationem determinare aut confortare conantur, in varias abeunt explicationes, quae potius constituentur argumenta a signo, aut magis vel minus solidas confirmationes.

Unde primo ac praecipue insistendum est in ipsa ratione *imperfectio- nis offensae venialis* relate ad offensam mortalem, in qua quidem proprie ac directe fundatur imperfectior modus poenitentiae qui exigitur in ipsa remissione venialis relate ad remissionem mortalis. *S. Thomas*, q. 87, a. 1 (cit. in p. 445 et 458 sq.) totum argumentum sic breviter complectitur: "Utrumque peccatum per poenitentiam quidem remittitur; quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immo- deratam conversionem ad bonum creatum"; attamen "haec separatio [a Deo per conversionem ad creaturam] perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur"; unde "exigitur . . . ad remissionem peccati mortalis *perfectior poenitentia*, ut scilicet homo *actualiter* peccatum

mortale commissum detestetur, quantum in ipso est [i.e. *per se*], ut scilicet diligentiam adhibeat ad memorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum”.

Ad remissionem igitur peccati venialis non requiri poenitentiam formalem, sed sufficere imperfectiorem poenitentiam (scilicet virtuosam, de qua in Concl. seq.), sequitur ex consideratione *trium elementorum in quibus essentia peccati venialis consistit*, scilicet adhaesionis ad bonum creatum; complacentiae in ipso; et reatus seu maculae subsecutae, consistentis in alligamento fervoris charitatis; quorum duo priora respiciunt peccatum actuale, tertium vero habituale, quod est directum et formale objectum remissionis.

PRIMO, peccatum veniale consistit in quadam inordinata *adhaesione vel conversione voluntatis* ad bonum creatum, manente conversione ad Deum; adeoque non est, proprie et simpliciter, explicita et formalis conversio ad creaturam, secus esset simul aversio a Deo et peccatum mortale. Ergo ex hac parte non est necessaria explicita et formalis separatio et reversio a creatura ad Deum, seu formalis poenitentia.

Et confirmatur ex consideratione diversae habitudinis, quam mortale et veniale dicunt ad finem ultimum. Mortale enim avertit a fine ultimo et ejus remissio ad illum convertit, importans veluti initium motus ad finem ultimum; id autem nequit fieri nisi per poenitentiam formalem, quia nihil est magis formaliter volitum quam finis ultimus, qui est ratio volitionis ceterorum, et nihil exigit magis explicitam cognitionem et volitionem quam initium motus, a quo pendet directio et ordinatio ceterorum. E converso peccatum veniale est mera inordinatio circa media, retenta ordinatione ad finem ultimum, et mera retardatio motus jugiter ad finem progredientis, ejusque remissio fit per reordinationem mediorum et accelerationem motus ad finem; ad id autem sufficit poenitentia virtualis, contenta saltem in actu charitatis quo homo tendit ad finem ultimum, quia in intentione finis potest sufficienter contineri intentio mediorum, et acceleratio motus potest virtualiter contineri et connaturaliter evolvi ex ipsa vi unde motus inceptit.

SECUNDO, peccatum veniale consistit etiam in *quadam complacentia* in bono creato, quae subsequitur ipsam adhaesionem ad illud, veluti quaedam quies voluntatis in suo objecto, quaeque est auferenda per dolorem, sicut adhaesio tollitur per detestationem; in detestatione enim et dolore, imo in ipso dolore compensativo, actus poenitentiae formaliter consistit, ut diximus in art. 13 et 14, agentes de virtute

Poenitentiae. Hoc autem interest inter complacentiam peccati mortalis et complacentiam venialis, quod illa est vera fruitio, seu complacentia finis, qua homo complacet in creatura tanquam in fine, haec vero non est fruitio sed usus, seu complacentia in creatura tanquam in medio; ut enim ait *S. Thomas*, "ille qui peccat venialiter non fruitur creatura, sed utitur ea; refert enim eam habitu in Deum, licet non actu" (*De Malo, q. 7, a. 1, ad 4*). Jamvero, ad revocandam fruitionem seu complacentiam in creatura tanquam in fine, requiritur per se poenitentia formalis seu dolor explicitus, quia nihil magis placet viresque voluntatis expandit quam fruitio finis ultimi, ac ideo nihil magis explicitum esse debet quam dolor quo talis fruitio extinguitur; ad revocandum vero inordinatum usum seu complacentiam in creatura tanquam in medio, sufficit poenitentia virtualis, quia in ipsa non interrupta fruitione Dei tanquam finis ultimi, implicite contineri potest voluntas recti usus mediorum ad illum finem.

TERTIO, macula peccati venialis, seu ipsum peccatum habituale, quod est directum objectum remissionis, consistit, ut dictum est supra (p. 430 sq.), tantummodo in privatione alicujus accidentalitatis, seu promptitudinis ad actus, proveniente veluti ab extrinseco quodam alligamento. Ad remotionem autem hujusmodi alligamenti, in qua deletio peccati venialis consistit, parum refert quod explicite aut implicite intendatur, dummodo ipsum impedimentum auferatur; per peccatum enim veniale nihil intrinsecum aufertur de charitate aut de ejus fervore, seu de respicientibus finem ultimum, qui, ut dictum est, formalem exigit volitionem.

CONFIRMATUR argumentum.

1. *Ex ulteriori comparatione cum peccato mortali ejusque remissione.*

Et primo ex generali comparatione. Nam non minus, imo plus, requiritur ad remissionem mortalis quam venialis, nam majus impedimentum exigit majorem causam removens. Atqui ad remissionem peccati mortalis sufficit, etsi *per accidens*, poenitentia virtualis. Ergo haec sufficit a fortiori ad remissionem peccati venialis, imo haec sufficit etiam *per se*.

Secundo, ex consideratione particularis indolis quorumdam peccatorum venialium. Dum enim nullum peccatum mortale committitur nisi cum plena deliberatione et explicita complacentia in bono creato, multa sunt peccata venialia quibus deest plena ratio voluntarii, seu plena deliberatio et explicita advertentia et complacentia. Ex quo ostenditur explicitam adhaesionem et complacentiam esse accidentariam rationi

peccati venialis, et consequenter explicitam separationem a bono creato et explicitum dolorem, seu formalem Poenitentiam, esse accidentariam seu non necessariam ad ejus remissionem.

Pucis: Peccata venalia facilius committuntur quam mortalia; ergo facilius etiam remittuntur per Poenitentiam.

2. *A paritate cum confessione.*

Nam peccata venalia non sunt de necessitate explicitae et determinatae confessionis (imo nec de necessitate cujuslibet confessionis); ergo neque sunt de necessitate explicitae seu formalis contritionis, etsi sint de necessitate alicujus contritionis seu Poenitentiae, quatenus nonnisi per Poenitentiam auferri possint, ut probatum est in Concl. praec. Hic non arguimus positive et absolute a paritate inter confessionem et contritionem venialium, nam confessio venialium nullo modo est necessaria, dum contritio est necessaria uno modo, i.e. saltem virtualiter; sed negative et relative, i.e. a paritate inter confessionem explicitam ac determinatam et contritionem explicitam et formalem, quorum utrumque requiritur quoad mortalia, non vero quoad venalia. Unde argumentum sub hac forma poni potest: Confessio de venialibus (quae aliunde est libera), si fit, non debet esse explicita et determinata; ergo nec contritio (quae tamen aliunde est necessaria) debet esse explicita et determinata. Paritas fundatur in communitate objecti, seu peccati, et finis, seu remissionis, quae competit tum confessioni tum contritioni.

3. *A signo, seu ex causalitate sacramentalium.*

Haec enim causant remissionem peccatorum venialium, quin necessario implicent vel excitent formalem actum Poenitentiae.

Haec tamen ratio non multum valet nisi in sententia eorum qui docent sacramentalia causare remissionem venialium ex opere operato et immediate, qui proinde logice sic arguunt cum *Gonet*: "Sacramentalia aliqua cum devotione suscepta, habent vim ad remittendum peccata venalia . . . ; ergo a fortiori remittuntur peccata venalia per actum charitatis vel devotionem ad res divinas. Patet consequentia, actus enim charitatis magis opponitur venialibus peccatis quam sacramentalia."⁹² Cui addit *Soto*: "Neque oscultatu digna est illa responsio, quod sacramentalia illa sufficiunt habenti displicentiam venialium: nam tunc profecto sacramentalia non essent necessaria, nam displicentia per se sufficeret."⁹³ In vera autem sententia, quae docet sacramentalia remittere peccata venalia mediate tantum, seu excitando actum poeni-

⁹² De Poenit., disp. 4, a. 1, § 1, n. 9, Clypeus, t. 6, Parisiis, 1876, p. 555.

⁹³ In 4 Sent., dist. 15, q. 1, a. 1, Venetiis, 1575, t. 1, p. 730.

tentiae quo immediate ea remittuntur (cf. De Sacr. in gen., art. 45, p. 551 et hic infra, art. 95, p. 548–557), illa ratio continet petitionem principii, nam praecise adhuc determinandum manet utrum sacramentalia remittant venialia medio actu Poenitentiae formalis vel tantum virtualis. Potest tamen compleri ac corroborari illa ratio, si dicatur quod, considerata ex una parte natura quorumdam sacramentalium (uti benedictionis, consecrationis, esus cibi benedicti, orationis) et ex alia parte utentium experientia, improbable est sacramentalia ordinari necessario ad excitandum ipsum actum formalis Poenitentiae, potiusquam actum charitatis seu pium affectum erga res divinas, in quo poenitentia tantummodo virtualiter continetur.

4. *A signo, seu ex humana consuetudine.*

Etiam quippe inter homines de solis culpis gravioribus, quae amicitiam abrumpunt, explicita exigitur reparatio et excusatio; leviores vero offensiones vel displicentiae, quae in vita quotidiana occurrunt inter amicos, connaturaliter extinguuntur per generalem illam reparationem et excusationem, quae virtualiter continetur in variis signis et operibus amicitiae; nec explicita illa ac multiplicata signa frigidae displicentiae, quae effundi solent in moderna urbanitate quaeque inepte et ad satietatem repetuntur inter ipsos amicos, majorem ullatenus poenitentiam continent quam quae ostenditur in ipsa consuetudine exercitae benevolentiae.

Ex dictis patet quid dicendum sit ad rationes adversariorum.

Primo enim ac praecipue arguunt contrarium nonnisi per contrarium tolli, adeoque nonnisi per formalem poenitentiam venialia reparari. Sed *respondetur* etiam virtualement poenitentiam habere sufficientem contrarietatem cum peccato veniali, ut explicatum est, imo per accidens etiam cum peccato mortali.

Secundo subdunt quod si aliquis actus, praeter formalem poenitentiam, sufficeret, hic maxime esset actus charitatis, et tamen constat hunc actum non necessario tollere venialia. Sed *respondetur* non quemlibet actum charitatis auferre venialia, sed illum qui talis est modi aut intensitatis ut contineat virtualement Poenitentiam, ut explicabitur in Concl. seq.; non enim dicimus venialia auferri per charitatem, sed per virtualement poenitentiam quae et quando continetur in actu charitatis.

Tertio posset quis addere in eorum favorem Scripturam constanter poenitentiam proponere ut peccatorum remedium, nec nisi temere vel arbitrarie quempiam excipere peccata venialia aut distinguere inter necessitatem poenitentiae formalis et virtualis. Sed *respondetur* in ipsa Scriptura, et a fortiori apud Patres, plura remedia assignari remissioni

peccatorum, ac praecipue venialium, uti orationem, eleemosynam quae dicuntur redimi peccata, et maxime charitatem quae dicitur operire multitudinem peccatorum, etiam mortalium.

Conclusio 3. Ad remissionem peccati venialis requiritur et sufficit Poenitentia virtualis, seu quae implicite continetur etiam in actu alius virtutis. Ipsa autem continetur non in actu cujuslibet virtutis, puta religionis vel pietatis, utut a charitate informatae, neque etiam in ipso actu attritionis qui eliceretur a justo et informaretur a charitate, sed tantum in actu charitatis aut in quolibet actu contritionis, qui non sit ipsa Poenitentia formalis relate ad aliquod determinatum peccatum. Hic autem actus charitatis vel contritionis non semper nec quomodolibet continet virtualem poenitentiam et delet venialia, sed tantum cum talis est intensitatis vel modi ut reapse assumat indolem implicitae contrarrietatis cum peccato veniali, sive cum hoc vel illo, sive a fortiori cum omnibus.

Conclusio tres continet partes, quarum prima, asserens necessitatem et sufficientiam virtualis poenitentiae, statuit communem doctrinam tertiae sententiae supra relatae; secunda, asserens necessitatem actus charitatis, est exclusiva duarum praecipuarum explicationum vel restrictionum allatarum a quibusdam theologis, uti Joanne a S. Thoma et Salmanticensibus; tertia est explicativa modi quo charitas vel contritio delet peccata venialia.

1A PARS. Ad remissionem peccati venialis requiritur et sufficit Poenitentia virtualis.

Probatur. Veritas hujus asserti est simplex corollarium praecedentium conclusionum. Nam poenitentia triplex esse potest, habitualis nempe, virtualis et formalis. Jamvero in Concl. 1 probatum est requiri actum ipsum poenitentiae, seu non sufficere poenitentiam habitualem, in statu gratiae et habitu charitatis contentam; in Concl. 2 probatum est non requiri poenitentiam formalem; ergo requiritur et sufficit poenitentia virtualis, quae nempe continetur in actu alius virtutis. Consequenter objectiones etiam, quae contra hanc conclusionem fieri possunt, jam resolutae sunt in praecedentibus. Quo autem modo haec virtualis continentia poenitentiae in actu alius vitutis ejusque influxus explicandus sit, dicetur in 3a Parte.

Ad rem *S. Thomas, 3 p., q. 87, a. 1*: “Exigitur . . . ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut scilicet homo *actualiter* peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad memorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium

peccatorum; non tamen sufficit *habitualis displicentia*, quae habetur per habitum charitatis vel poenitentiae virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur *quaedam virtualis displicentia*, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret: quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.”

In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2: “Peccatum veniale non dimittitur, ut dictum est, quamdiu voluntas manet in illo. Ipsam autem recedere voluntatem ab eo quod quis prius volebat, est displicere ei quod voluit. Talis autem displicentia dolor contritionis dicitur, quando est gratia informata; et ideo peccatum veniale sine contritione non dimittitur. Sed sciendum, quod *contritio potest accipi tripliciter*: vel actu, vel habitu, vel medio modo. *Habitu* quidem contritio existens non sufficit ad peccati venialis dimissionem: quia tunc quicumque haberet poenitentiae virtutis habitum, cuius actus est quaelibet contritio, consecutus esset peccati venialis dimissionem; et sic peccatum veniale cum gratia esse non posset. Nec iterum requiritur quod semper sit *actualis* contritio: quia sequeretur quod peccatum quod quis in memoria vel in cognitione non habet, remitti non posset. Et ideo dicendum, quod requiritur *contritio medio modo*, quia scilicet, etsi actu peccatum non displiceat explicite, displicet tamen implicite: quia ex virtute actus quem agit, sequeretur displicentia explicita peccati venialis, si cogitatio ad illud ferretur.”

2A PARS. Poenitentia virtualis continetur in solo actu charitatis vel contritionis, non vero in actibus aliarum virtutum vel in attritione.

Probatur 1. *EX INDOLE PECCATI VENIALIS.*

Peccatum veniale est quaedam, etsi imperfecta, revocatio a fine ultimo, seu retardatio motus ad finem ultimum; est quaedam, etsi imperfecta, offensa Dei, considerati simpliciter et non tantum secundum quid, puta ut iudicis aut benefactoris, nam per omnem offensam ipse Deus offenditur, consistit enim peccatum in aliqua negatione et privatione honoris et juris divini et nihil est magis universalis quam negatio; est quaedam ruga qua afficitur amicitia divina; est quaedam alligatio et impedimentum fervoris charitatis; est quaedam exterior macula vel pulvis qua foedatur vel offuscatur nitor charitatis.

Jamvero haec omnia sunt de ordine virtutis charitatis. Ergo per solum actum charitatis expelli possunt, seu aut per actum perfectae

contritionis a charitate generatum, aut per ipsum actum charitatis prout est generativus contritionis ac continet virtualement Poenitentiam. Ergo virtualis Poenitentia non nisi in actu charitatis continetur.

Nec alia quaelibet virtus charitate inferior, praeter formalem actum contritionis ab ipsa charitate generatum, potest quidquam circa ea quae sunt de superiori linea charitatis; sed ipsa charitas, sive per suum veluti connaturale instrumentum virtutis Poenitentiae sive immediate per se ipsam, quasi ex intrinseca vi prorumpere debet in talem actum quo restaurentur quaecumque respiciunt finem ultimum, quo nempe acceleretur motus ad finem, vivificetur amicitia divina, abrumpatur alligamentum fervoris, sublevetur pondus impedimenti, abstergatur macula et excutiat pulvis proprii nitoris.

Probatur 2. EX INDOLE POENITENTIAE, comparata cum indolentia charitatis tum ceterarum virtutum.

Ad hoc ut aliqua virtus contineat virtualement Poenitentiam, oportet ut habeat in se non quidem ipsam directam et formalem contrarietatem cum peccato, secus esset ipsa formalis Poenitentia, sed aliquod saltem principium formalis contrarietatis cum peccato; imo oportet ut sit in directa connexionem cum ipsa formali virtute Poenitentiae, ita ut haec ab ipsa intrinsece dependeat, nam Poenitentia formalis et Poenitentia virtualis sunt ejusdem naturae, cum una sit germen ac veluti actus primus alterius, unde a quo pendet una pendet et altera.

Jamvero sola charitas utrumque hoc requisitum verificat. Ipsa enim imprimis habet in se formale aliquod ac fontale principium contrarietatis cum peccato, etiam veniali, quia est ab intrinseco et essentialiter amor, adhaerentia et tendentia in ultimum finem, a quo quodcumque peccatum aliquo modo revocat, vel per aversionem vel per retardationem. Ab ipsa praeterea, virtus Poenitentiae essentialiter dependet quoad suum formale motivum et objectum specificativum, ita ut sit verum principium a quo haec virtus generatur et in quo, tanquam in utero, germen et foetus Poenitentiae continetur, ut fusius explicatum est in art. 30 (tom. 2, p. 217 sq.).

Ceterae vero virtutes non solum non generant virtutem Poenitentiae aut quidquam de praedicta intrinseca connexionem cum ea habent, cum non influant in ejus formale motivum et objectum, sed nullum praeterea in se continent principium contrarietatis cum peccato, ex quo possint dici virtualis aut quomodolibet aequivalens Poenitentia. Talis enim contrarietas in earum actibus ex nullo capite provenire potest, ut jam ostensum est in Concl. 1 contra *Scotum*: scilicet, neque ex eo quod sint actus meritorii, quod ceterum emendicant ex virtute charita-

tis; neque ex eo quod sint actus magis Deo placentes quam displiceat peccatum veniale; neque ex eo quod sint satisfactorii pro poena temporali; neque ex eo quod per hominis aut Dei intentionem ordinentur ad remissionem peccati ac ita vestiuntur quadam extrinseca et arbitraria contrarietate cum ipso; neque tandem ex hoc quod actus quorundam saltem virtutum versentur contrario modo circa eandem materiam circa quam peccata venialia commissa sunt, nam, ut explicatum est in Concl. 1 contra *Biel* et *Medina*, talis contrarietas est tota materialis, adjacens atque impertinens.

Nec aliunde dici potest, *juxta strictiorem quorundam adversariorum explicationem*, eam virtualement contrarietatem communicari actibus aliarum virtutum ab ipsa virtute charitatis, quatenus ab ipsa informantur et imperantur, seu quatenus charitas et "gratia, quae in persona supponitur, dat magnum valorem his actibus" (ut ait *Suarez*), vel quatenus ipsi fiunt "ab homine justo ex imperio charitatis" (ut ait *Joannes a S. Thoma*), vel quatenus "ab actu dilectionis interioris procedunt" (ut ait *Soto*). Nam sic dicta informatio et imperium charitatis non immutat indolem illorum actuum, nec ideo praebet eis contrarietatem cum peccato, quam de se non habent, nec quidem praebet eis de intestina sua indole, quemadmodum virtuti Poenitentiae quam solam veluti ab intrinseco generat, sed eos tantummodo ab extrinseco bonificat et dignificat, communicando moralem efficacitatem meriti et satisfactionis pro poena, quae de se non importat contrarietatem cum peccato, et simul eos ordinando ad finem ultimum, relatione quadam transcendentali, quae, utpote ab extrinseco proveniens, nequit esse sufficiens fundamentum intrinsecae ac formalis contrarietatis cum peccato, ut fusius mox explicabitur, agendo de actu ipsius attritionis.

Unde haec *speciosa explicatio* per recursum ad imperium charitatis, nihil prodest nec quidquam peculiariter addit communi sententiae adversariorum, qua docetur omnem actum virtuosum continere virtualement Poenitentiam, et haec pariter sententia nihil essentialiter differt ab opinione Scoti et Scotistarum, docentium ad remissionem venialium non requiri actum Poenitentiae sed sufficere actum cujuslibet virtutis, saltem in homine existente in statu gratiae. Tota differentia istarum opinionum est potius in modo dicendi aut concipiendi eandem rem, vel in hoc quod quidam explicite asserunt quod alii implicite supponunt, etsi fortasse verbis denegare videantur. Qui enim dicunt omnem bonum actum continere virtualement Poenitentiam, non negant sed supponunt illum actum poenitentialem ac remissivam rationem derivare quodammodo ex sua conjunctione cum gratia et charitate, sine qua impossibile est placere Deo et veniam consequi peccatorum; et

similiter, qui dicunt ad remissionem non requiri actum Poenitentiae sed sufficere quemlibet bonum actum, supponunt hunc actum esse quamdam aequivalentem poenitentiam, seu satisfactionem et compensationem pro peccato, ut apparet vel ex ipsis verbis Scotistarum supra relatis (p. 433–436).

Unde mirum non est *Suaresium* hanc essentialem cognationem vel identitatem suae doctrinae cum sententia Scoti logice ac candide fateri, cum, relatis tribus theologorum sentiitiis (i.e. Scoti: omnis actus bonus sufficit; Durandi: requiritur poenitentia formalis; S. Thomae: sufficit et requiritur poenitentia virtualis), atque declarans: “Haec [tertia] opinio mihi placet; vellem tamen illam aliquantulum declarare et ampliare”, hanc tandem opinionem ita ampliat et extendit ut et ipse reincidentat in sententiam Scoti, concludens: “Probabile autem est, quod Scotus dixit, quemlibet actum meritorium relatam ab operante ad hunc effectum obtinendi a Deo remissionem venialis peccati, mereri, et obtinere illam; *quia ille actus sub illa intentione factus includit virtualem displicentiam venialis peccati*; et alias, qui sic operatur, vere meretur apud Deum de condigno”;⁹⁴ quibus verbis vix ullus Scotistarum refragabitur.

Speciosior autem ac magis ingeniosa apparet explicatio vel quasi media sententia adducta a Salmanticensibus, juxta quam nonnisi uni actui, praeter charitatem aut contritionem, conceditur remissio venialium, scilicet *actui attritionis eliciti ab homine justo*, idque ratione copulatarum virium tum ipsius attritionis, quae ex se habet veram contrarietatem cum peccato, quam non habent ceteri actus boni, tum ipsius charitatis, quae, per suum imperium vel potius per suam informationem, communicat attritioni (sicut ceteroquin et aliis actibus) quandam modum elevationis quo refertur ad finem ultimum seu ad proprium objectum charitatis et procedit ex proprio ejus motivo; quo sensu *attritio dici potest virtualis charitas et virtualis contritio* (cf. verba ipsa Salmanticensium, supra cit., in p. 442–444).

Apparens verisimilitas hujus sententiae in duobus principiis fundatur: primo nempe, in eo quod attritio habet veram contrarietatem cum peccato veniali, quod nulli alii actui competit, praeter contritionem et charitatem; secundo, in eo quod attritio, ex sua conjunctione cum charitate, participat praedictum modum elevationis et trahitur ad ordinem charitatis, ubi est ipsa contritio, ac ita evadit charitas virtualis et contritio virtualis, quod quidem competit partialiter ceteris etiam actibus, quatenus per elevationem fiunt charitas virtualis, etsi non contritio virtualis. Falsitas autem hujus sententiae, quam suspicantur ipsi

⁹⁴ Disp. 11, sect. 4, n. 21, supra ex integro cit., in p. 439.

Salmanticenses eo quod suam opinionem non nisi haesitanter proponant et in nostram sententiam non leviter inclinent, apparet ex duobus, scilicet tum ex attenta consideratione duorum illorum principiorum, tum ex debilitate ipsius suppositi seu ex improbabilitate existentiae actus attritionis in homine justo.

Primo enim, incipiendo ab hoc supposito, jam illud negavimus supra (art. 24, tom. 2, p. 34 sq.), ubi asseruimus non dari attritionem in homine justo, sed omnem verum dolorem et poenitentiam de peccato in habente gratiam et charitatem, concipi ex ipsa charitate et esse perfectam contritionem, quantumvis remissam, juxta illud *S. Thomae*: "Omnis dolor de peccato in habente gratiam est contritio. . . Actus fidei informis et attritio . . . tempore praecedunt gratiae infusionem" (*De veritate*, q. 28, a. 8). Voluntarie autem Salmanticenses hunc textum sic glossant: "Ut affirmat D. Thomas, in habente gratiam nulla est attritio, quae non etiam sit contritio, saltem virtualiter et quia imperatur a Charitate, et quia participat modum quemdam elevationis, quasi habitualis, ab eademmet gratia, et Charitate, quibus conjungitur, quo nequit non in Charitatis finem collimare."⁸⁵

Secundo, data ceteroquin et non concessa existentia attritionis in homine justo, haec attritio, quantumvis de se contrarians peccatum veniale et quantumvis simul elevata et immutata per charitatem, non valet illud expellere, quia ex una parte ea contrarietas non est sufficiens, utpote secundum se non simplex nec absoluta, et ex alia parte elevatio charitatis non valet talem contrarietatem reddere sufficientem, seu simplicem et absolutam, quia est elevatio materialis, adjacens et imperitins ad finem contrarietatis et remissionis, eamque contrarietatem tunc tantum charitas formaliter complere posset, si per suam elevationem posset attritionem convertere in contritionem; in quo casu, aliunde impossibili, versaremur extra praesentem quaestionem quae est de sufficientia ipsius attritionis.

Attritio quippe secundum se non contrariatur peccato veniali simpliciter et absolute, quia non fertur in peccatum simpliciter acceptum, seu prout est contra Deum simpliciter consideratum (omne autem peccatum adversatur Deo simpliciter considerato, etsi peccatum veniale id faciat modo imperfecto, seu non per aversionem a Deo sed per retardationem motus in Deum), sed fertur in peccatum secundum quid tantum acceptum, seu prout est contra Deum consideratum sub aliquo particulari aspectu, puta prout est relate ad nos fons justitiae aut misericordiae, ut explicatum est supra (art. 23, tom. 2, p. 13 sqq.).

⁸⁵ De Poenitentia, Comm. in 3 p., q. 87, a. 1, n. 17, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 809 sq.

Cum igitur attritio non simpliciter contrarietur peccato, nullo modo potest illud expellere neque secundum quid aut partialiter, cum peccatum sit simplex et indivisible.

Nec ceteroquin ea contrarietas compleri potest per imperium aut informationem charitatis, quia, quomodolibet explicetur aut exaggetur physica realitas effectus talis informationis, salva jugiter manet propria essentia attritionis, et consequenter propria indoles contrarietatis ejus cum peccato veniali, quae ex essentia procedit et ab essentia mensuratur; si enim haec contrarietas mutaretur, ex imperfecta nempe et secundum quid in eam perfectam et simplicem quae est propria perfectae contritionis, jam ipsa essentia attritionis mutaretur et evanesceret, cedens locum ipsi perfectae contritioni, cum, mutatis essentialibus proprietatibus, mutentur essentiae et dissolvatur esse.

Ceterum, imperium et informatio charitatis nihil attritioni communitat quod habeat indolem formalis et immediatae contrarietatis cum peccato; totum enim quod charitas aliis virtutibus praestat, est ratio meriti, ratio satisfactionis et ordinatio ad ultimum finem.

Jamvero *ratio meriti* non dicit de se contrarietatem ad peccatum, sed ordinem ad praemium quod est gratiae augmentum; unde potest subsistere et de facto subsistit in eodem subjecto cum peccato veniali habituali; quod autem in eodem subjecto sit impossibilis cum mortali, provenit ex ratione gratiae in qua meritum fundatur quaeque expellit mortale, et similiter quod in eodem actu non possit consistere cum ipso peccato veniali actuali, provenit ex ratione bonitatis actus quae est necessarium fundamentum meriti.

Ratio autem elevationis et ordinationis ad ultimum finem, quomodolibet explicetur (seu etiam per intrinsecum aliquem modum de linea charitatis, fundantem relationem transcendentalem ad ultimum finem, quo actus aliarum virtutum ita supra suum ordinem ad ordinem charitatis evehantur, ut non solum in proprium objectum et ex proprio motivo procedant, sed etiam actualiter-virtualiter in proprium objectum et ex proprio motivo charitatis, ita ut dici possint charitas virtualis), non inducit de se ac directe contrarietatem cum peccato veniali, ut patet vel ex eo quod peccata venialia sint compossibilia cum ipsa charitate, nec etiam conditionat exurgentiam majoris ac sufficientis contrarietatis in attritione, ut facit in ipso actu contritionis vel charitatis, quia conditio supponit causam et virtutem, attritio autem de se non habet talem virtutem ut prorumpat in sufficientem contrarietatem ad delendum peccatum nec immutari potest in sua essentia per elevationem et ordinationem ad finem ultimum.

Nec valet fingere attritionem majorem hanc et sufficientem contritionem tunc saltem obtinere cum cadit sub imperio et informatione non cujuslibet charitatis sed illius ferventis charitatis quae sit talis gradus vel modi ut de facto valeat expellere venialia, eo quod tunc illa ordinatio ad finem ultimum non quomodolibet attritioni communicetur, sed eo excellentiori modo quem habet in ipsa charitate. Nam, ordinationem ad finem ultimum charitas aliis actibus communicat solummodo generali quodam modo, juxta quem non repugnat peccato veniali, non vero secundum proprium modum quo ipsa charitas illam ordinationem possidet, scilicet ut proprium ejus constitutum et ut vim habentem ab intrinseco; secus charitas ceteras virtutes vel attritionem converteret in seipsam, et sic eas destrueret, aut saltem eas veluti immediate generaret ac specificaret, ut contingit soli virtuti Poenitentiae. Ceterum, si ad hoc ut attritio habeat vim destruendi venialia expectaretur specialis fervor charitatis, qui de se est illorum destructivus, numquam venialia destruerentur per attritionem, cum prius delerentur per ipsam ferventem charitatem sive contritionem.

Ratio quidem satisfactionis directe ac plene contrariatur peccato, sed hanc rationem charitas simpliciter et formaliter communicat soli virtuti Poenitentiae eiusque primario actui perfectae contritionis, eam ex propriis visceribus generando eiusque formale objectum quodammodo constituendo, ut explicatum est in art. 30 (tom. 2, p. 217–219); actibus vero aliarum virtutum rationem satisfactionis charitas solummodo partialiter et indirecte communicat, scilicet non relate ad dimissionem ipsius culpa sed solius poenae, et quidem non immediate, sed eos conjungendo, ratione status gratiae, ipsi virtuti Poenitentiae, cujus proprium est satisfacere pro peccato eiusque poena; nam, ut dictum est in art. 47 (tom. 3, p. 26 sq.), omnis actus satisfactorius est actus virtutis Poenitentiae, quae pro culpa satisfacit per solum actum perfectae contritionis a se elicitem, pro poena vero satisfacit per actum tam a se elicitem, qui satisfactio vocari solet, quam a se imperatum qui nempe elicitem ab aliis virtutibus. Unde attritio, quae haberetur in homine justo, esset satisfactiva pro poena peccati venialis ratione suae conjunctionis cum virtute Poenitentiae mediante statu gratiae et charitatis, et ut imperata ab ea, non vero pro ipsa culpa, cum non sit actus elicitem a virtute Poenitentiae sed a sola voluntate sub auxilio gratiae actualis, nec ideo valeret peccatum veniale delere.

Probatur 3. *EX AUCTORITATE S. THOMAE.*

S. Doctor quaestionem de remissione venialium triplici modo directe et signanter discutit: de eorum remissione generaliter et complexive;

de eorum remissione per Eucharistiam; de eorum remissione per sacramentalia et in Purgatorio; idque in triplici praesertim loco, i.e. in *Summa*: 3 p., q. 87 (de remissione generaliter); q. 79, a. 4 (de remissione per Eucharistiam); in *Comm. super Sent.*, l. 4, dist. 16, q. 2 (de remissione generaliter); dist. 12, q. 2, a. 2 (de remissione per Euch.); in *Qu. disp. De Malo*, q. 7, a. 11–12 (de remissione per sacramentalia et in Purgatorio).

Ex his textibus, quorum plures infra citantur, haec evidenter apparent:

1. S. Doctor, assignans causam remissionis venialium, insisteret et explicite adducit actum charitatis seu fervorem charitatis.

2. Quod autem ipse intelligat charitatem esse propriam et unicam causam illius remissionis, seu in sola charitate contineri virtuales poenitentiam, patet *primo*, ex ipsa insistencia qua adducit charitatem. *Secundo*, ex logica constructione plurium affirmationum, quae ad hanc formam reducuntur: Quia agitur de remittendis venialibus, ideo requiritur fervor charitatis. *Tertio*, ex ipso principio quo probat per charitatem remitti peccata, scilicet quia contraria per contraria curantur, cui subdit contrarium peccati venialis esse fervorem charitatis; ex quo sequitur solum hunc fervorem remittere venialia, cum tantummodo per contrarium contrarium curetur. *Quarto*, ex eo quod in *De Malo*, q. 7, a. 11, docet in Purgatorio peccata venialia “remitti eo modo, quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis”, constat autem apud frequentiores theologos, praecipue thomistas, in Purgatorio charitatem esse unicam causam remissionis venialium; quod sat clare innuit ipse S. Thomas cum ait peccata venialia in Purgatorio non remitti per actum quo “aliquis detestaretur peccatum veniale propter poenam” quia talis actus “non esset motus charitatis . . . sed timoris servilis vel naturalis” (ad 9), ubi in uno exemplo videtur excludere etiam ceteros actus qui non sint charitatis. *Quinto*, ex eo quod S. Doctor poenitentiam virtuales, quam dicit contineri in actu quo delentur venialia, intelligit ipsam virtutem Poenitentiae et ipsum actum perfectae contritionis, qui quidem, juxta ejus doctrinam et principia, cum sola charitate necessariam connexionem habet et in sola charitate contineri potest.

3. S. Doctor pluries utitur etiam generalioribus expressionibus, uti de affectu in Deum et res divinas, de motu reverentiae in Deum, de actu gratiae, de motu gratiae vel charitatis, de ferventi motu in Deum; sed his non aliud circumloquitur quam ipsum actum ferventis charitatis, ut manifestatur tum ex logico contextu, seu ex rationibus nuper dictis, tum ex ipsis textibus ad invicem collatis, nam in iisdem locis

indifferenter utitur expressionibus: “motus gratiae” et “motus charitatis”, ut infra ostendetur. Unde falluntur quidam thomistae, ut *Joannes a S. Thoma* et *Gonet* supra relati (p. 439 sq.), qui sub dictis generalibus expressionibus legunt alium affectum vel motum qui sit proprius aliarum virtutum, ut ita ex ipso S. Doctore confirmant suam sententiam qua docent poenitentiam virtuales contineri etiam in actu aliarum virtutum.

Sint quaedam testimonia:

3 p., q. 87, a. 1, ob. 3, agens de *remissione venialium generaliter*, S. Doctor sibi obicit: “Peccata venialia opponuntur fervori charitatis. Sed *unum oppositorum tollitur per aliud*. Ergo per fervorem charitatis, quem contingit esse sine actuali displicentia peccati venialis, fit remissio peccatorum venialium.” S. Doctor in resp. ad 3, simpliciter concedit majorem et minorem; negat tantum indirectam affirmationem consequentis, docens “fervorem charitatis implicare displicentiam venialium peccatorum”.

Ibid., a. 3, ad 3: “Per praedicta [sacramentalia] tolluntur quidem peccata venialia quantum ad culpam, tum virtute alicujus satisfactionis [aliter: sanctificationis], tum etiam *virtute charitatis, cujus motus per praedicta excitatur* . . . ; sed reatus poenae remittitur per praedicta secundum *motum fervoris in Deum*, qui per praedicta excitatur”.

3 p., q. 79, a. 4, agens de remissione venialium *per sacramentum Eucharistiae*, scribit: “Res autem hujus sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, *per quem peccata venialia solvuntur*. Unde manifestum est quod virtute hujus sacramenti remittuntur peccata venialia.” *Ibid.*, ad 1: “Peccata venialia, etsi *non contrariantur charitati* quantum ad habitum, contrariantur tamen ei quantum ad fervorem actus, qui excitatur per hoc sacramentum, *ratione cujus peccata venialia tolluntur*.” *Ibid.*, ad 3: “Major est virtus charitatis, cujus est hoc sacramentum, quam venialium peccatorum. Nam charitas tollit per suum actum peccata venialia, quae tamen non possunt totaliter impedire actum charitatis.”

In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 1, q. 1, ad 2, agens de *remissione venialium generaliter*, scribit: “Quodlibet peccatum mortale opponitur cuilibet quantumque parvae caritati; non autem quodlibet veniale opponitur cuicumque fervori caritatis. Dicitur enim fervor caritatis per similitudinem, secundum quod ad exteriora quodammodo ebulliendo refunditur. Ex illa autem parte qua veniale committit, caritatis fervor non apparet, sed aliquid praeter caritatem. Unde quamvis sit fervor caritatis quantum ad aliqua, potest tamen esse tepiditas quantum ad alia; et sic non quilibet fervor opponitur cuilibet veniali; unde non est similis comparatio peccati mortalis ad caritatem, et venialis ad fervorem caritatis.”

Ibid., q. 2, a. 1, q. 3: “Remoto priori removetur posterius, nec posterius restituitur nisi priori restituto: *fervor autem caritatis, cui veniale opponitur*, est posterior ipsa caritate; unde quamdiu caritas non restituitur nec fervor caritatis reparari potest; *in qua reparatione consistit venialis peccati dimissio*, sicut etiam in reparatione caritatis dimissio mortalis; et ideo non potest veniale dimitti ei cui mortale non dimittitur.”

Ibid., q. 2, a. 2, q. 2, ob. 1: “Videtur quod gratia sine contritione possit peccatum veniale remittere . . . [nam] fervor caritatis potest esse sine contritione”. Resp. ad 1: “Quamvis fervor caritatis possit esse dum homo in Deum fertur motu caritatis, sine hoc quod actu de peccato veniali cogitet explicitè; tamen in illo motu implicite continetur displicentia venialis peccati, vel unius, vel omnium; quia si ferventer in Deum fertur, displicet ei omne quod a Deo retardat; unde

potest esse tam fervens motus caritatis in Deum quod omnia peccata venialia consumat etiam sine actuali cognitione ipsorum.”

Ibid., q. 2, a. 2, q. 4: “Sicut dictum est *veniale peccatum dimittitur per fervorem caritatis*, qui explicite vel implicite contritionem contineat; et ideo illa quae nata sunt de se excitare fervorem caritatis, peccata venialia dimittere dicuntur. hujusmodi autem sunt quae gratiam conferunt, sicut omnia sacramenta, et quibus impedimenta fervoris et gratiae auferuntur, sicut aqua benedicta, quae virtutem inimici reprimat, et episcopalis benedictio, vel etiam exercitium humilitatis ex parte nostra; sic tussio pectoris, et oratio dominicalis, et hujusmodi.”

Ibid., ad 1 et 3 est iteratus sermo de eodem fervore charitatis.

Ibid., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 1, agens de remissione venialium per Eucharistiam, sibi obicit (ob. 2): “Peccatum non deletur nisi per id quod habet oppositionem ad ipsum. Sed veniale peccatum non habet oppositionem ad gratiam, quam hoc sacramentum confert. Ergo virtute hujus sacramenti venialia non dimittuntur.” Respondet autem: “In hoc sacramento non solum confertur gratia habitualis, sed excitatur fervor actualis devotionis; et ideo gratiae hujus sacramenti non solum mortalia, sed etiam venialia opponuntur” (ad 2). Quid autem sit iste fervor actualis, qui habet contrarietatem ad venialia et a quo solo venialia tolluntur, cum peccatum non deleatur nisi per id quod habet oppositionem ad ipsum, explicat in corp. scribens: “Virtute hujus sacramenti fit quaedam transformatio hominis ad Christum per amorem, ut dictum est; et hoc est proprius ejus effectus. Et quia ex fervore charitatis peccata venialia dimittuntur, propter hoc quod dicto fervori contrariantur, ideo ex consequenti, virtute hujus sacramenti, venialia delentur.”

Ex quibus sic conficitur ratio: Aliquid non potest tolli nisi per suum contrarium; atqui solus fervor charitatis contrariatur peccato veniali. Ergo per solum fervorem charitatis tollitur veniale. Minor continetur in tota doctrina S. Thomae de natura peccati venialis, consistente in ipsa diminutione seu alligacione fervoris charitatis, supra relata in Statu Quaestionis (p. 427–430). Idem prorsus argumentum confici potest ex 3 p., q. 87, a. 1, ob. 2, corp. et ad 2, ad invicem coll.

Ibid., dist. 21, q. 2, a. 1, agens de remissione venialium per confessionem generalem, prout est unum ex sacramentalibus, scribit: “Ista est ratio quare per infusionem gratiae et caritatis peccata venialia non dimittantur, quia non opponuntur caritati quantum ad habitum, sed magis quantum ad actum ejus, quem impediunt vel retardant; et ideo, quando actus caritatis contra venialia dirigitur, ea quasi suo contrario delet. Nec oportet quod contra singulum eorum actus caritatis feratur ad eorum deletionem; quia nullum eorum de se habet specialem rationem qua caritati aliquo modo contrarietur, sicut est de peccatis mortalibus; sed omnia secundum unam rationem disponunt ad contrarium caritatis, inquantum nimis temporalibus rebus inhaeretur. Unde cum confessio generalis sit actus ex caritate procedens in eo qui caritatem habet, in venialia directus; constat quod valet ad venialium peccatorum dimissionem quantum ad culpam, et quandoque quantum ad poenam; tanta potest devotio confitentis adesse.”

Qu. Disp. De Malo, q. 7, a. 11, ob. 11, agens de remissione venialium in Purgatorio, S. Doctor scribit: “Sicut peccatum mortale opponitur caritati, ita peccatum veniale opponitur fervori caritatis. Sed fervor caritatis delens peccatum veniale non potest esse in futuro; quia nullus motus novus voluntatis erit ibi. Ergo non poterit peccatum veniale remitti, sicut nec peccatum mortale potest remitti nisi superveniente nova caritate.” Hic manifesto supponitur unicum medium remissionis peccati esse fervorem caritatis; nec huic assertioni S. Doctor contradicit in sua resp. ad 11.

Ibid., in corp.: “Ad hoc quod peccatum mortale non imputetur, oportet quod tollatur impedimentum, quod erat ex corruptione principii, per novam charitatis

et gratiae infusionem. Hoc autem non requiritur in peccato veniali, quia caritas manebat; sed oportet quod tollatur impedimentum per aliquem fortem impulsu repugnantem impedimento, quod erat appositum ex obice veniali; sicut impedimentum quod contingit ex gravi [i.e. gravis, vel gravitatis] corruptione non potest tolli nisi per iteratam ejusdem generationem; impedimentum vero quod esset ex aliquo obice appposito tollitur per aliquem violentem motum removemtem ipsum obicem. *Sic ergo et veniale quantum ad culpam remittitur per fervorem caritatis, mortale vero per gratiae infusionem.* . . Non . . . est probabile quod aliquis in caritate existens, et cognoscens sibi mortem imminere, non moveatur *motu caritatis* et in Deum et contra omnia peccata quae fecit, etiam venialia; et hoc sufficit ad remissionem venialium quantum ad culpam, et fortassis etiam quantum ad poenam, si sit intensa dilectio. . . Oportet dicere quod venialia remittuntur . . . post hanc vitam etiam quantum ad culpam, *eo modo quo remittuntur in hac vita; scilicet per actum caritatis in Deum, repugnantem venialibus in hac vita commissis.* Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus . . . tollit quidem impedimentum venialis culpae; non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae, sicut in hac vita."

Ibid., ad 7: "Caritatis usus . . . est causa remissionis peccati venialis".

Ibid., ad 9: "Remissio venialis peccati in purgatorio quantum ad poenam est ex parte purgatorii, quia homo et patiendo exsolvit quod debet, et ita cessat reatus; sed quantum ad culpam non remittitur per poenam neque secundum quod actu sustinetur, quia non est meritoria, neque secundum quod recogitur, *Non enim esset motus caritatis* quod aliquis detestaretur peccatum veniale propter poenam; sed magis esset motus timoris servilis vel naturalis. Remittitur ergo in purgatorio veniale quantum ad culpam *virtute gratiae*, non solum secundum quod est in habitu, quia sic compatitur veniale peccatum, sed *prout exit in actum caritatis detestantis veniale peccatum.*"

Ibid., a. 12: "Sicut supra dictum est, per fervorem caritatis peccata venialia remittuntur; et ideo quaecumque nata sunt excitare fervorem caritatis possunt causare remissionem peccatorum venialium." Tota littera hujus articuli valde explicita et notabilis est.

Obicies juxta S. Thomam peccatum veniale tolli etiam per alium motum qui non sit actus caritatis, scilicet:

1. Per hoc quod quis "*fertur secundum affectum in Deum et res divinas*" (3 p., q. 87, a. 1). *Resp.* Ibidem, ob. 2 et ad 2, S. Doctor explicat hunc affectum esse "*fervorem caritatis*", imo in ipso corpore articuli, immediate ante objecta verba loquitur evidenter de affectu caritatis.

2. "*Per motum fervoris in Deum*" (3 p., q. 87, a. 3, corp. et ad 3). *Resp.* Ibid., ad 3, explicatur illum esse ferventem motum contritionis vel caritatis.

3. Per "*fervorem actualis devotionis*" (In 4 Sent., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 1, ad 1 et 2). *Resp.* Ibidem, in corpore solutionis explicatur quid illa devotio sit, i.e. non quaelibet devotio, puta virtutis religionis, sed "*fervor caritatis [quo] peccata venialia dimittuntur*".

4. "*Per aliquem motum reverentiae in Deum et res divinas*" (3 p.,

q. 87, a. 3). *Resp.* Ibidem, in corp. et ad 3 ille motus vocatur "motus fervoris in Deum" et in eadem resp. ad 3 est quaestio de motu charitatis. Praeterea, in a. 1 idem motus vocatur "*affectus in Deum et res divinas*" et intelligitur affectus charitatis, ut dictum est. Unde hic reverentiae motus non est ille qui pertinet ad nudam virtutem religionis, sed motus pertinens ad ipsam charitatem, qualis est actus timoris filialis, vel etiam motus religionis aut alius virtutis prout coniungitur actui charitatis et influit per istum. Ceterum, in De Malo, q. 7, a. 12, qui locus est omnino parallelus cum objecto a. 3, q. 87, tertiae partis, seu totus de remissione venialium per sacramentalia et sacramenta, S. Doctor unice loquitur de fervore charitatis qui per ea triplici modo causatur.

5. "Per virtutem gratiae" (De Malo, q. 7, a. 11, ad 9); "per usum gratiae" (ibid., ad 12); per "actum elicited a gratia" imo "*per aliquem motum procedentem a gratia*" vel "*per aliquem gratiae actum*" (3 p., q. 87, a. 2, ad 1 et 3; a. 4, ad 2). *Resp.* Primam expressionem ipse S. Thomas immediate declarat, addens: "prout exit in actum charitatis" (ibid.); secundam expressionem etiam declarat per hanc: "charitatis usum" (ibid., ad 7); ceterae expressiones explicantur ex corp. a. 2, ubi est sermo de actu charitatis, cui contrariatur peccatum veniale.

6. Per "aliquem motum *gratiae vel charitatis*" (3 p., q. 87, a. 2). *Resp.* Particula "vel" idem sonat ac "seu", ac si dicatur: "gratiae seu, proprius, charitatis", vel "gratiae charitatis", vel "charitatis gratiae". Id constat non solum ex generali phraseologia S. Thomae, sed etiam ex ipso textu, necnon ex contextu Comm. in Sent. Nam in textu, immediate antea dicitur: "peccatum autem veniale non contrariatur habituali gratiae vel charitati, sed retardat *actum ejus*", nec dicitur "actum ipsarum". In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 1, q. 2, ad 3, dicitur quod per "peccatum veniale . . . non aufertur *charitas gratiae*, sed quodammodo obnubilatur". Ibid., a. 2, q. 4, indifferenter dicitur venialia remitti "*per fervorem charitatis*" et per ea "quibus impedimenta *fervoris et gratiae* auferuntur".

Nec valet insistere quod in 3 p., q. 87, a. 3, ad 3, fit explicita distinctio et separatio inter gratiam et charitatem: "Tolluntur peccata venialia *tum* virtute alicujus sanctificationis, *tum etiam* virtute charitatis". Nam prioris incisi duplex lectio in variis editionibus invenitur; quaedam scilicet habent "tum virtute alicujus satisfactionis", aliae vero "tum virtute alicujus sanctificationis". Si prior eligatur, sensus esse potest peccata venialia remitti tum per actum virtutis Poenitentiae (satisfactionem, seu contritionem) tum per actum virtutis charitatis, seu per poenitentiam tum formalem tum virtualem; quod quidem con-

gruit verbis quae habentur immediate antea in resp. ad 1. Si vero eligatur altera lectio, intelligi potest de duplici modo remissionis venialis, prout fit cum vel sine infusione gratiae, juxta doctrinam a. 2 (corp. et ad 2), ita ut sensus sit: venialia remittuntur tum in ipsa infusione gratiae (seu sanctificatione), ratione tamen actus contritionis qui comitatur illam infusionem, tum per solum actum contritionis quem non comitetur infusio gratiae.

3A PARS. Actus charitatis vel generalis contritionis non semper aut quomodolibet continet virtuales poenitentiam et delet venialia, sed tantum cum talis est intensitatis vel modi ut reapse assumat indolem implicitae contrarietatis cum peccato veniali, sive cum hoc vel illo, sive a fortiori cum omnibus.

Probatur et explicatur.

Quod ille actus non semper aut quomodolibet delet peccata venialia, patet ex eo quod haec peccata non sunt impossibilia cum actu charitatis, imo et cum fervore charitatis, seu cum excelsiori charitate, sicut exterior pulvis vel macula non est impossibilis cum interiori fulgore auri aut cum magna pulchritudine ac venustate faciei; et de facto peccata venialia, utut levia et indeliberata, necessario occurrunt in quibusdam actibus sanctorum etiam animarum, nisi quis, ut Beata Virgo, confirmaretur in gratia, et quidem ea speciali confirmatione quae excluderet possibilitatem non solum peccati mortalis sed etiam venialis.

Pariter, cum actu generalis contritionis, vel particularis contritionis de uno peccato veniali, non est impossibile unum vel aliud peccatum veniale, nam, ut explicatum est in art. 25 (tom. 2, p. 99–107), contritio de veniali non necessario debet esse universalis sicut contritio de mortali; unde non semper contritio formalis de uno peccato veniali continet virtualiter poenitentiam de alio et removet illud, nec generalis et indeterminata contritio de omnibus venialibus continet necessario virtuales poenitentiam etiam de singulis.

Praeterea, potest idem actus charitatis vel contritionis expellere unum veniale peccatum et non aliud, alius vero actus potest expellere utrumque, imo omnia; item potest idem actus expellere peccatum in uno subjecto et non in alio, imo potest actus remissior habere majorem effectum quam actus intensior tum in diverso subjecto, tum sub diversis conditionibus in eodem subjecto.

Quandonam autem et quomodo actus charitatis vel contritionis continet virtuales poenitentiam et delet venialia, determinate dici

nequit, cum id pendeat non a sola vi charitatis, utut ferventis, sed etiam a subjecti dispositionibus.

Generaliter dici debet id contingere quando actus charitatis vel contritionis est talis intensitatis vel modi ut revera assumat indolem implicitae contrarietatis cum peccato veniali; nam sine hac contrarietate nulla habetur poenitentia aut remissio.

S. *Thomas* magis id determinat dicens tunc haberi "virtualem displicentiam . . . cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret" (3 p., q. 87, a. 1). Et e converso, tunc virtualis displicentia non habetur cum "affectus hominis . . . habitualiter est inclinat us ad aliqua peccata venialia committenda, ita scilicet quod si in memoria haberentur non displicerent, vel forte si opportunitas adesset, committerentur" (*De Malo*, q. 7, a. 12, ad 4).

Quibusdam doctoribus istae conditionales expressiones S. Thomae minime placere videntur, nam ex mera habituali dispositione nequit necessario colligi quid de facto homo faceret si peccata memoriae occurrerent aut occasio peccandi exurgeret, nec ideo hoc potest ei imputari in meritum aut culpam, nec consequenter valet inducere contrarietatem cum peccato veniali in actu contritionis et praebere vim delendi illud. Ita *Suarez* obicit ad relata verba *De Malo*, q. 7, a. 12, ad 4: "Illae conditionales propositiones nihil referunt, ut in praesenti ponatur obstaculum vel gratiae, vel remissioni culpa; quia illud, quod faceret voluntas, si hoc vel illud ei occurreret, nunc non imputatur ei ad culpam, juxta certam doctrinam, imo, non obstante quacumque habituali dispositione voluntatis, illud est ita contingens, ut solus Deus possit cognoscere certo an ita futurum esset. Quapropter etiam talis displicentia habitualis per se non potest esse sufficiens impedimentum."⁹⁰ Attamen scrupulus *Suaresii* vanus est; nam hic non agitur de imputatione possibilis actus futuri, sed de ratione impedimenti fervori charitatis; non solum autem actualis et virtualis affectus ad peccatum veniale (seu ipse praesens actus peccati venialis, procedens a formali vel virtuali intentione seu deliberatione, qui certe imputatur in demeritum), sed etiam habitualis affectus (seu adhaerentia ad bonum creatum relicta ex praeterito peccato, quae ceterum etiam imputatur, cum constituat ipsum reatum culpa, seu habituale peccatum veniale), est impedimentum fervori charitatis, non praecise et formaliter ratione actus futuri, qui est incertus, sed ratione sui, inquantum de se disponit

⁹⁰ *De Poenit.*, disp. 11, sect. 3, n. 5, *Opera omnia*, t. 22, Parisiis, 1866, p. 212.

voluntatem ad peccatum committendum, etsi de facto hoc forte, ob unam vel aliam rationem, in futuro non committeretur.

Si quis autem inquirat *de majori determinatione* dicti S. Thomae, seu quandonam et quomodo actus charitatis sit talis ut per illum quis, ita feratur secundum affectum in Deum, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, responderetur, ex ipsis principiis S. Doctoris, id pendere a copulata vi et ratione tum ipsius actus seu fervoris charitatis, tamquam a propria causa et subjecto contrarietatis cum peccato veniali et efficaciae ad illud expellendum, tum exterioris dispositionis subjecti, tamquam ab extrinseca causa conditionante exurgentiam illius contrarietatis et disponente ad ejus influxum remissivum.

Id quod habet contrarietatem cum peccato veniali nos est ipsa charitas habitualis, nisi originaliter et seminaliter, quatenus est regulativa ad finem ultimum et causa actus charitatis tendentis in hunc finem; sed est ipse actus charitatis, quo debet induci nova forma expellens formam relictam ab alio actu venialis peccati. Nec est ipse actus quomodolibet, nam cum eo adhuc est compossibile peccatum veniale, sed est *fervor actus charitatis*, seu actus induens specialem quamdam vim et intensionem, ex qua consequatur contrarietas cum peccato veniali. Nec est fervor actus quomodolibet, seu ipse intrinsecus ejus fervor, nam omnis actus charitatis habet aliquem gradum intrinseci fervoris et ceteroquin peccatum veniale est compossibile etiam cum ferventiori actu charitatis, puta si fiat tantum occasionaliter; sed est *fervor, ut ita dicatur, extrinsecus*, seu quicumque actus charitatis, etiam intrinsece remissior, secundum quod prorumpit in exteriorem activitatem, disruptens vincula suae virtutis, levans pondus impedimentorum suorum, excutens a se pulverem sui nitoris, in quibus macula peccati venialis consistit; paucis: est ipse actus charitatis quatenus in sua activitate *fit fortior* alligamento et pondere peccati venialis.

Haec autem exterior activitas actus charitatis, seu haec disproportion inter vim actus charitatis et vim peccati venialis, in qua ejus contrarietas cum illo consistit et ratione cujus illud solvit ac dimittit, provenit partim ab intrinseco, seu ex propria indole charitatis tendentis in finem ultimum ac ideo implicite ad remotionem eorum quae ab illo retardant, partim vero ab extrinseco seu a dispositionibus subjecti, vel, si placet, a gradu et modo quo subjectum, etsi habitualiter tantum, adhaeret bono commutabili ratione peccati venialis. Unde ea contrarietas exurgere potest sive ex hoc tantum quod augeatur intensitas actus charitatis, manente immutata illa adhaerentia; sive ex hoc tantum quod minuatur

adhaerentia, manente eadem intensitate actus, tunc enim hic fit relative intensior et actu efficacior ob diminutum impedimentum; sive a fortiori ex hoc quod simul fervor in se augeatur et adhaerentia minuat. Haec autem diminutio adhaerentiae ad bonum commutabile potest multipliciter contingere, sive ex causis naturalibus, ut per cessationem a similibus actibus peccati venialis vel per subtractionem conditionum et occasionum quae ad peccandum inducunt, sive ex causis supernaturalibus seu ex exercitio contrariarum virtutum; et in hoc sensu improprio ac conditionali concedi potest et intelligi quod supradicti adversarii docent, virtualemente poenitentiam contineri in actibus omnium virtutum sub imperio charitatis.

Res illustrari potest quibusdam exemplis, quorum quaedam afferuntur ab ipso S. Thoma. Ita, obnubilatio interni splendoris alicujus corporis ob superinductam pulverem, dupliciter expelli potest: vel nempe per augmentum ipsius intrinseci splendoris, quatenus tantum intendatur ut pulvis non amplius appareat, quasi parum pro nihilo reputatum, aut ipsa pulvis illuminetur, vel per extrinsecam ipsius pulveris abstersionem, immutato interno splendore. Prolapsus corporis gravis, cui obstat oppositum impedimentum, dupliciter induci potest: vel per augmentum molis et internae gravitatis, vel per diminutionem resistentiae exterioris impedimenti.⁹⁷ Effectus combustionis, qui impeditur per ligni humiditatem, dupliciter foveri potest: vel per augmentum ignis, vel per diminutionem humiditatis. Infirmetas corporis dupliciter pelli potest: vel per corroborationem internam virium naturae, quae sunt propria causa et principium sanitatis ac velut primus et proprius hominis medicus, vel per remotionem pravaram dispositionum ope exterioris medicinae. In omnibus tamen casibus, interna vis est ea quae proprie agit et cui effectus simpliciter tribuitur, etsi indigeat exteriori adiutorio, ut conditione propriae activitatis. Et similiter remissio peccatorum quorumcumque non nisi ex propria et intestina vi charitatis provenire potest, eo quod charitas sit principium et origo Poenitentiae, utpote ordinativa ad finem ultimum, a quo mens per quodlibet peccatum revocatur et a quo omnis humana perfectio mensuratur. Unde dicitur:

⁹⁷ *De Malo, q. 7, a. 11:* "In peccato mortali patitur homo bonitatis minorationem per privationem principii ducentis ad finem, scilicet per privationem charitatis; sed in peccato veniali patitur homo minorationem et impedimentum per quamdam indecentiam actus, quasi impedimento existente in ipso actu quo pergendum erat in finem, salvo tamen principio inclinante. Sicut etiam grave potest impedi ne perveniat deorsum vel propter corruptionem gravitatis in ipso, vel propter aliquod impedimentum occurrens, quo impeditur motus ejus ne ad finem naturalem perveniat. . . [Unde] ad hoc quod peccatum mortale non imputetur, oportet quod tollatur impedimentum quod erat ex corruptione principii, per novam charitatis et gratiae infusionem."

“Charitas operit multitudinem peccatorum”,⁹⁸ quia “est vinculum perfectionis”.⁹⁹

In concreto autem haec verisimiliter dici possunt:

Etiam per communes ac remissos actus charitatis, facile plura venialia delentur; nam ex continuis peccatis venialibus, quae in vita quotidiana ab ordinariis animabus committuntur, plura sunt quae cum parva aut sine ulla fere deliberatione occurrunt et erga quae non manet determinatus affectus aut tenax adhaerentia, etsi facilis sit habitualis inclinatio in ipsa. Haec igitur valet ignis charitatis, velut stipulam arescentem, facile ac passim comburere.

Ferventior actus charitatis deliberatiora etiam venialia delere solet, maxime in animabus habitualiter piis, quae per exercitium saltem variarum virtutum solent pondus et alligamenta illorum peccatorum paulatim obtundere et relaxare. Ceterum, si talis actus ab animabus imperfectioribus non nisi occasionaliter et sub aliquo repentino devotionis impulsu eliciatur, puta in aliqua speciali vitae circumstantia quae peculiariter animum commoveat, uti in subitaneo aliquo mortis periculo, vel in emissione professionis religiosae aut susceptione ordinis sacerdotalis, non facile ea peccata dimittet, nisi sit peculiariter intensus, nam habitualis animi ariditas vel tepiditas non facile per occasionalem inflammationem vivificatur.

Ferventissimus actus charitatis potest repente delere omnia prorsus peccata venialia, etiam in animabus imperfectioribus aut impiis, quae sub auxilio specialis gratiae convertantur a statu tepiditatis vel peccati ad quendam statum perfectionis et sanctitatis, ut probabile est contigisse S. Paulo et S. Augustino praeterquam Mariae Magdalенаe. An idem facile contingat in ipsis ferventissimis actibus charitatis qui eliciuntur ab animabus sanctis, quas Ecclesia subinde canonizat, valde dubium est et a S. Thoma negari videtur cum scribit: “Raro contingit homines in hac mortali vita viventes, ab huiusmodi affectibus [ad unum vel aliud veniale] liberos esse” (*De Malo*, q. 7, a. 12, ad 4, infra cit.).

Ceterum, extensio effectus actus charitatis vel contritionis, pendet ab amplitudine et modo quo actus respicit objectum seu varia peccata venialia. Ita si quis ita ferventer in Deum feratur, ut explicite et resolute statuatur despiciere cuncta temporalia ac de propria defectibilitate et in creaturas pronitate vehementer taedeat, virtualementiam poenitentiam habet de omnibus venialibus, etiam oblitis aut generaliter

⁹⁸ 1 Petr. 4, 8. Prov. 10, 12: “Universa delicta operit charitas”.

⁹⁹ Col. 3, 14.

tantum cogitatis, quae ideo pro intensione actus facile omnia deleri intelliguntur. Si quis e converso, ut contingit quandoque in valde remissis actibus charitatis, tantummodo explicite resolvit cavere mortalia, nihil decernens de venialibus etsi haec menti occurrant saltem modo generali, nulla de his videtur virtualement poenitentiam habere, nec ideo ulla ipsi remittuntur, nisi forte ea minima ac indeliberata venialia, quibus vix possibile est non virtualiter contradicere specificum ipsum actum charitatis. Si quis tandem medio modo se habeat, seu si proponat vitare tum mortalia tum, modo quodam confuso ac generali, omnia venialia, ut saepius contingit, tunc virtualement poenitentiam habere videtur de illis tantum venialibus qui magis propinquant aut disponunt ad mortalia, atque de his veniam obtinere, non vero de ceteris, nisi agatur de venialibus omnino indeliberatis aut nisi aliunde adhesio relicta in voluntate a peccatis deliberatis evaserit valde tenuis, ob diurnam nempe cessationem a similibus actibus vel ob exercitium alicuius actus virtuosius circa eandem materiam.

Ad rem faciunt sequentia verba S. Thomae:

In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 1, q. 1, ad 2: "Quamvis sit fervor caritatis quantum ad aliqua, potest tamen esse tepiditas quantum ad alia; et sic non quilibet fervor opponitur cuilibet veniali".

Ibid., a. 2, q. 4, ad 3: "Secundum quantitatem fervoris est quantitas remissionis; et ideo secundum quod per ista [sacramenta vel sacramentalia] major vel minor concitatur, qui de pluribus vel paucioribus, implicite ad minus, contritionem continet, secundum hoc plura vel pauciora venialia dimittuntur et non omnia semper."

Ibid., a. 2, q. 2, ad 1: "Quamvis fervor caritatis possit esse dum homo in Deum fertur motu caritatis, sine hoc quod actu de peccato veniali cogitet explicite; tamen in illo motu implicite continetur displicentia venialis peccati, vel unius, vel omnium; quia si ferventer in Deum fertur, displicet ei omne quod a Deo retardat; unde potest esse tam fervens motus caritatis in Deum quod omnia peccata venialia consumat etiam sine actuali cognitione ipsorum."

De Malo, q. 7, a. 12, ad 4: "Quamvis hujusmodi [sacramentalia] aequaliter se habeant ad omnia peccata venialia, tamen fervor ab eis excitatus non aequaliter semper se habet ad omnia; sed quandoque respicit aliqua in speciali, et contra ea efficacius operatur; et si in generali respiciat ea, potest contingere quod non habeat eundem effectum in omnibus, eo quod affectus hominis aliquando habitualiter est inclinat ad aliqua peccata venialia committenda, ita scilicet quod si in memoria haberentur non displicerent, vel forte si opportunitas adesset, committerentur, et raro contingit homines in hac mortali vita viventes, ab hujusmodi affectibus liberos esse; unde non possumus fiducialiter dicere: Peccatum non habemus. Et si etiam homo ad horam per hujusmodi remedia ab omnibus venialibus immunitatem consequatur quantum ad culpam, non tamen sequitur quod sit liberatus quantum ad totam poenam, nisi forte sit tantus fervor dilectionis, quod sufficiat ad totius poenae remissionem."

Pro complemento conclusionis quaeri potest quae sit propria ac positiva forma quae formaliter expellit privativam maculam peccati venialis.

"In hac difficultate vix aliquid auctores dicunt, sed communiter asseritur, peccatum veniale tolli per actum charitatis seu poenitentiae, implicitum vel explicitum, nihil distinguendo an talis actus sit forma, vel dispositio: et si est dispositio, quid sit assignandum pro forma."¹

Quod talis forma non sit ipse actus fervoris charitatis facile patet, et apte ostenditur a Joanne a S. Thoma, ex eo quod actus non opponitur maculae, quae est aliquid habituale ac permanens, sed opponitur actui contrario et negationi seu privationi suiipsius. Unde ipse actus charitatis vel Poenitentiae seu contritionis expellit peccatum veniale non ut causa formalis sed ut causa efficiens seu dispositiva. Forma vero, qua aufertur macula peccati venialis, debet esse aliquis effectus habitualis relictus ab ipso actu charitatis vel ipsius contritionis.

Porro *Joannes a S. Thoma* dicit id esse determinationem quamdam, per illum actum causatam in voluntate, qua voluntas adhaeret fini ultimo et per quam consequenter aufertur contraria adhaesio ad creaturam, relicta per peccatum veniale, seu macula istius. Addit eam determinationem consistere in quadam ordinatione seu relatione voluntatis ad ultimum finem, vel, quod ad idem redit, in quodam modo, seu modificatione, qua voluntas manet ordinata seu relata ad finem ultimum. *Prado* vero ait talem formam esse ipsum actum charitatis, ut connotantem expeditionem seu promptitudinem habitus charitatis ad suos actus, quam abstulerat peccatum veniale per maculam a se relictam. *Salmanticenses* tandem (*De Poenit.*, comm. in 3 p., q. 87, a. 1; *De Justificatione*, disp. 2, dub. 8, n. 334), relata nec reprobata sententia *Prado*, dicunt eam formam, magis proprie, esse ipsam gratiam ut erumpentem in actum, seu ipsum habitum charitatis ut denuo expeditum in suum fervorem.

Ex dictis autem supra (p. 430 sq.) de natura maculae peccati venialis, cui directe ac positive opponitur forma eam expellens, patet in quo haec formaliter consistat. Diximus enim illam maculam formaliter esse non ipsam positivam adhaesionem ad creaturam, inductam per peccatum, nec ipsam relationem rationis ad praeteritum actum peccati, sed privationem expeditionis seu promptitudinis habitus charitatis relate ad suos actus. Inde sequitur formam expellentem maculam peccati venialis proprie et formaliter non esse, ut vult *Joannes a S. Thoma*, modum aliquem expellentem adhaesionem ad creaturam seu ordinantem voluntatem ad finem ultimum, qui inducitur per actum fervoris charitatis, sed ipsam promptitudinem habitus charitatis ad suos actus (in quo videntur fere convenire *Prado* et *Salmanticenses*), vel, si placet,

¹ Ita *Joannes a S. Thoma*, qui quaestionem fusius pertractat in *De Poenitentia*, disp. 35, a. 2, n. 6, *Cursus Theol.*, t. 9, Parisiis, 1886, p. 677.

aliquam determinationem relictam aut restitutam habitui charitatis, qua hic redditur promptus ad suos actus, vel, si placet, ipsum habitum charitatis ut promptum et expeditum ad suos actus.

Objectiones autem quae contra hanc 3am Conclusionem fieri possunt, desumuntur: 1. Ex comparatione inter peccatum veniale et mortale, quatenus si ad remissionem venialium exigeretur fervor ipse charitatis, haec esset difficilior quam remissio mortalium. 2. Ex remissione venialium per sacramenta et sacramentalia, in qua non videtur exigi actus contritionis vel charitatis, secus illa non remitterent venialia ex opere operato. 3. Ex remissione venialium peculiariter per Poenitentiam, Baptismum et martyrium, in quibus sola attritio est requisita. 4. Ex remissione venialium in Purgatorio, per meram poenae solutionem, quia ibi nequit esse satisfactio, nec ideo Poenitentia, nec ideo charitas ut continens virtualem Poenitentiam. 5. Ex eorundem remissione in inferno, nam ibi oportet venialia aliquando dimitti, ne ultra meritum puniantur in aeternum, ac ideo dimitti per meram poenae passionem, cum nulla ibi charitas esse queat. 6. Ex eorundem remissione in possibili statu naturae purae, in quo nulla esset elevatio et supernaturalis charitas.

Attamen, cum istorum solutio longiorem exigat discussionem et aliunde aliquam etiam habeat connexionem cum decidendis in duobus art. seq. de necessitate status gratiae ad remissionem venialium, et de remissione venialium ex opere operato, singula per speciales *Notas* considerabuntur ad finem totius hujus quaestionis de remissione venialium, scilicet ad calcem art. 95.

ART. 94. Utrum Remissio Peccati Venialis Requirit Statum Gratiae, Non Vero Actualem Gratiae Infusionem (q. 87, a. 2 et 4; In 4 Sent., dist. 16, q. 2; De Malo, q. 7, a. 11).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de modo quo Poenitentia delet peccatum veniale, seu *de connexione hujus remissionis cum gratia sanctificante*, ut explicatum est in Statu quaestionis art. praec., ubi etiam tradita est notio et indoles peccati venialis. Porro connexio gratiae cum remissione venialium tripliciter intelligi potest: *primo* scilicet *antedeenter*, seu melius conditionaliter, ita nempe quod gratia, sive actualis sive praesertim habitualis, praerequiratur ut conditio remissionis; *secundo*, *formaliter*, vel melius causaliter, ita scilicet quod gratia (seu infusio primae aut secundae gratiae habitualis) sit forma aut quomolibet causa per

quam actus Poenitentiae delet peccata venialia, sicut delet mortalia per infusionem formae gratiae sanctificantis; *tertio, concomitanter*, vel potius consecutive, ita nempe quod infusio seu augmentum gratiae sit saltem necessarius effectus remissionis peccati venialis, quatenus actus poenitentiae formalis vel virtualis, quo venialia remittuntur, est actus bonus ac meritorius et ideo exigit infusionem seu augmentum gratiae.

Hinc *duae quaestiones*, involutae in titulo hujus articuli, quae vertunt circa primum et secundum modum connexionis, nam tertius modus est hic accidentarius et formaliter impertinens, cum agamus de causis et requisitis remissionis venialium, seu de modo quo poenitentia delet peccata, non vero de effectibus aut consequentibus, ac ideo nonnisi modo indirecto et extensivo considerabitur in resolutione ipsius secundae quaestionis. *Quaeritur ergo*: 1. Utrum ad venialium remissionem praerquiratur status gratiae, secus ac ad remissionem mortaliū. 2. Utrum nihilominus non requiratur actualis infusio gratiae, ita ut actus Poenitentiae remittat venialia immediate, secus ac in remissione mortaliū, quae fit mediante infusione formae gratiae sanctificantis.

Ceterum, prima quaestio implicite jam resoluta est in art. praec., ubi actum est de actu ipsius virtutis Poenitentiae et de actu charitatis, quae duae virtutes supponunt statum gratiae et procedunt ab habitu gratiae. Oportet tamen eam hic directe resolvere, tum quia quidam, ut Durandus, fingunt naturalem quendam actum proprie dictae et efficacis poenitentiae; tum quia alii sustinent actum perfectae contritionis justificantis non necessario fluere ex habitu charitatis et poenitentiae ac posse elici a voluntate sub motione solius gratiae actualis; tum quia et nos in superioribus docuimus actum contritionis, seu virtutis Poenitentiae procedentis a gratia sanctificante, praecedere ipsam gratiam sanctificantem sub una ratione, scilicet sub formali ratione satisfactionis pro offensa peccati mortalis.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

In hac quaestione tres iterum dantur sententiae, duae extremae ac negativae, quarum una peccat per defectum, negans necessitatem status gratiae, altera per excessum, requirens actualem infusionem gratiae, tertia vero media et affirmativa, requirens statum gratiae sed non actualem ejus infusionem.

PRIMA SENTENTIA, peccans per defectum, docet ad remissionem peccati venialis *non requiri statum gratiae*.

Ita *Durandus* (In 4 Sent., dist. 16, q. 2, et dist. 20, q. 1) et *Scotus*

(In 4 Sent., dist. 21, q. 1), quos sequuntur vel approbant *Biel* (In 4 Sent., dist. 16, q. 5, a. 4) et plures Scotistae, uti *Villalobos* (Summa, tract. 1, diff. 17), *Delgadillo* (De Poenit., c. 7, dub. 2, n. 10 et dub. 5), *Hyquaeus* (Comm. in Scotum, In 4 Sent., dist. 21, q. 1) et *Montefortino* (Summa Theol., 3 p., q. 87, a. 4).

Durandus et Scotus ex diversis principiis ad eandem fere conclusionem procedunt.

Durandus docet deordinationem, inductam per peccatum veniale, esse naturalem, cum sit deflexio a medio et rectitudine rationis, adeoque ad illud tollendum non esse necessariam gratiam sed sufficere naturalem actum illi deordinationi contrarium, uti voluntatem non mentiendi ad tollendum mendacium. Addit tamen, in inferno veniale non posse remitti, quia voluntas damnatorum, utpote in malo obstinata, non est capax eliciendi actum moraliter bonum. In confirmationem principalis argumenti, has subdit rationes: Si puer non baptizatus, perveniens ad usum rationis, peccat tantum venialiter, et statim moritur, nequit a Deo puniri poena aeterna quae est statuta pro peccato mortali, sed tantum temporali, qua quidem soluta, dimittitur peccatum; ergo in hoc casu peccatum veniale deletur extra statum gratiae. Item, extra charitatem homo potest mereri bona temporalia; ergo et remissionem peccati venialis, quae est solutio a poena temporali.

Scotus autem procedit ex sua notione de essentia peccati habitualis, consistente in solo reatu poenae, quam diffuse proponit In 4 Sent., dist. 14, q. 1. Exinde sequitur (et plures Scoti discipuli explicite ac logice concludunt) primo quod, soluto debito poenae temporalis in quo peccatum veniale consistit, dimittitur eo ipso peccatum; secundo, quod cum talis solutio possit fieri extra statum gratiae, peccatum veniale dimitti potest extra hunc statum; tertio, quod potest remitti veniale, quin remittatur mortale, si nempe pro illo et non pro isto sufficiens poena solvatur; quarto, quod in inferno possit dimitti peccatum veniale, terminata nempe poena temporali quae pro eo debetur (nam Scotus docet in inferno poenam debitam pro veniali non evadere per accidens aeternam, sed aliquando terminari²), in quo quidem Scotus differt a Durando.

² Reportata Parisiensia, In 4 Sent., dist. 21, q. 1: "Peccato veniali, nec in damnato, vel non damnato, debetur poena aeterna, nec per se, nec per accidens, vel concomitanter, sed tantum poena temporalis, quae aliquo tempore minori solvetur in Inferno, vel in Purgatorio, vel in hora, vel die. Et cum dicis quod non, 'quia in inferno nulla est redemptio', vel remissio, verum est quantum ad poenam peccati mortalis, quia peccatum mortale est obligatio ad talem poenam. Sed peccatum veniale vere potest ibi deleri, quantum ad poenam, per solutionem alicujus temporalis poenae, quae parum durabit" (Opera omnia, v. 24, Parisiis, 1894, p. 318). Idem Scotus docet in Opere Oxoniensi, In eundem locum.

Ipsè tamen Scotus non audeat, saltem explicitè et decisivè sicut ejus discipuli, ad omnes conclusiones sui principii descendere. Ita in dist. 21, q. 1, supra cit. (p. 433), submissa quaestione an peccatum veniale remitti possit in altera vita, et propositis duabus solutionibus, quarum prima, quae est logica conclusio suae doctrinae, docet peccatum veniale simpliciter remitti in altera vita, seu in purgatorio et in inferno, eo ipso quod solvatur poena temporalis, ait: "Sic patet unus modus, quomodo . . . potest . . . post mortem dimitti veniale prius non dimissum", sed immediate addit, introducens secundam solutionem: "Si iste modus non placet . . . potest dici alio modo, quod. . ."

MONTEFORTINO vero in sua Summa Theologica Joannis Duns Scoti, valde explicitè et asseveranter eam doctrinam ex ipsis verbis sui magistri deducit ac proponit, simul assignans *praecipuas rationes* hujus sententiae: "Utrum veniale peccatum possit remitti sine mortali. . . *Respondeo* dicendum, contingere posse, ut quis a venialibus absolvatur absque eo quod mortale sibi remittatur; ac subinde peccatores repraesentare valere condignam pro ipsis venialibus satisfactionem; siquidem (ut *art. 2.* extitit declaratum) non requiritur gratiae infusio ad venialium remissionem; ergo carens gratia per mortale peccatum, poterit pro venialibus satisfacere. — *Deinde*, [*Oxon. 4. d. 21. q. 1. n. 6.*] peccato veniali neque per se, neque per accidens debetur poena aeterna, est enim ex sui natura talis offensa, quae punitur per temporalem poenam, secundum iustitiam; non enim a fine avertit ut mortale. Neque necessariam connexionem dicit cum mortali, quantum ad sui remissionem, neque ex statuta lege Dei, neque ex iustitia; ergo peccator poterit exhibere condignam satisfactionem pro suis venialibus, etiamsi remaneat obnoxius mortali peccato. *Probatio consequentiae*: [*Oxon. 4. d. 15. q. 1. n. 16.*] peccator potest satisfacere poenae sibi impositae a Sacerdote, cui confessus fuit; est enim hic vera satisfactio, quia voluntaria redditio, esto charitate exciderit post confessionem; ergo multo magis poterit peccator satisfacere pro peccato, cui tantum debetur poena temporalis, cuiusmodi est veniale. — *Tandem*, iuxta dicta *art. 3.* venialia remittuntur per sacramentalia, ut per aspersionem aquae benedictae, dominicam orationem, tunctionem pectoris et alia id genus; sed haec sunt communia omnibus fidelibus, et non tantum iustis; igitur cum inter fideles reperiantur qui sunt mali, poterunt et hi per horum sacramentalium usum consequi veniam de levibus culpis. Alioquin si omnia omnino malorum hominum opera mortua essent, retardarentur a bonis operibus, eo quod nihil ipsis essent profutura quantum ad effectum satisfactionis venialium peccatorum."³

HYQUAEUS similiter in suo Comm. in Scotum, ad 4 Sent., dist. 21, q. 1, scribit: "Satisfactio condigna pro peccato veniali potest exhiberi a peccatore cum effectu remissionis venialis. Haec conclusio patet ex dictis, quia haec remissio non exigit infusionem gratiae, peccatum veniale non dicit necessariam connexionem cum mortali, quantum ad sui remissionem, neque ex lege, neque ex iustitia; peccator potest satisfacere poenae temporali, quae ipsi remittitur in statu peccatoris. ergo etiam similiter pro peccato, quod inducit debitum poenae temporalis. Probatur consequentia, quia si status peccati non tollit potestatem satisfaciendi pro poena temporali, non videtur tollere satisfactionem, quae pro ipso peccato, cui tantum illa debetur. Item, peccata venialia remittuntur per Sacramentalia, quorum usus etiam in peccatoribus est efficac. . . Ultimo tandem, haec sententia est magis pia, et commendat divinam iustitiam et misericordiam, et contraria retardaret a bono

³Ven. Joannis Duns Scoti Summa Theologica (3 p., q. 87, a. 4), t. 6, Romae, 1903, p. 71 sq.

opere ob rigorem, si omnia opera peccatorum essent mortua quantum ad effectum satisfactionis.”⁴

SECUNDA SENTENTIA, peccans per excessum, docet ad remissionem peccati venialis requiri non solum praeivium statum gratiae, sed etiam *actualem gratiae infusionem* sicut in remissione mortalis.

Ita videntur sentire *Alex. Halensis* (Summa, q. 15 [vel 65], m. 3, a. 4) et *Bonaventura* qui fere ad verbum repetens magistrum suum Halensem, scribit: “Aliquorum positio fuit quod venialia sine gratia gratum faciente deleri possunt per gratiam gratis datam. Et rationem huius ostendere voluerunt, pro eo videlicet quod veniale peccatum non repugnat gratiae gratum facienti, sed gratis datae; nec offendit maiestatem divinam, quia ibi non diligitur aliquid supra Deum, sed aliquantulum inordinate sub Deo. Et ideo, sicut mortale potest deleri per gratiam, quia ei repugnat et quia gratia Deo offenso reconciliat et quia Deum contemptum amare facit super omnia, sic veniale potest deleri per gratiam gratis datam, quae illam modicam inordinationem removet et illam occasionem minus amandi Deum ab ipsa anima tollit; nec oportet ibi esse gratiam elevantem animam ad dilectionem Dei super omnia, quia per veniale nihil amatur supra Deum.

“Sed haec positio, licet probabilis videatur, a veritate tamen deviat, si quis inspicat. Omne enim peccatum, eo ipso quod peccatum est, aliquo modo animam foedat et aliquo modo ipsam deordinat, et necesse est ex hoc quod aliquo modo Deo displiceat. Quoniam igitur nota displicentiae minima quae esse possit, sine habitu qui reducit ad complacentiam et ad amicitiam, auferri non potest, tenendum est omnino de omni peccato generaliter quod nullum omnino potest deleri sine gratia gratum faciente. Sic enim decrevit nos sanare divina misericordia; et hoc dicunt Sancti et sonat Scriptura, quae maxime ponit gratiam esse necessariam ad delenda peccata.”⁵

Haec verba dupliciter intelligi possunt. Vel nempe illi, quos impugnat Bonaventura, docebant peccatum veniale remitti posse extra statum gratiae, ita ut essent praedecessores Scoti et Durandi, et tunc S. Doctor aut mere affirmat necessitatem huius status cum communi sententia, aut, indebite ultra procedens, affirmat etiam necessitatem actualis infusionis gratiae, quod quidem ad illos impugnandos necesse non erat; vel tantum docebant veniale remitti sine actuali infusione gratiae (ita, inter ipsos, S. Thomas), et tunc Bonaventura docet necessitatem huius infusionis. Qui quidem sensus probabilior est; nam S. Thomas hanc

⁴ Joannis Duns Scoti Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 724 sq.

⁵ In 4 Sent., dist. 21, pars 1, a. 1, q. 1, Opera theologica (editio minor), t. 4, Quaracchi, 1949, p. 535.

tantum quaestionem explicite ponit, sive in Summa sive in Sententiis, exinde innuens hanc tantum fuisse controversam inter doctores sui temporis, et pariter bis solvit rationem adductam a Bonaventura, quod nempe peccatum veniale sit quaedam macula defoedans animam, sicut e converso ipse Bonaventura conatur refutare ipsam rationem quam S. Thomas adducit ad ostendendum non requiri gratiae infusionem, quod nempe peccatum veniale non contrariatur gratiae sanctificanti et charitati.

Inepte Hyquaeus citat pro hac sententia *Suaresium et Vasquesium*, inquiens: "Est [haec conclusio de non necessitate infusionis gratiae] contra Suarez et Vasquez, qui non secus ratiocinantur de remissione venialis quam mortalis, quantum ad infusionem gratiae".⁹ Confundit enim quaestiones; nam hi doctores non docent remissionem venialium fieri per infusionem gratiae, sed cum infusione gratiae, quae sit nempe effectus ipsius remissionis tamquam operis meritorii. Quae quidem est ulterior et secundaria quaestio, infra tangenda.

TERTIA SENTENTIA media docet ad remissionem peccati venialis ex una parte *requiri statum gratiae*, et ex alia parte *non requiri novam gratiae habitualis infusionem*, sicut in remissione mortalis, sed sufficere usum ipsius gratiae habitualis jam habitae, quatenus haec se prodit in proprium actum (i.e. in quemlibet actum bonum, vel in actum poenitentiae formalis, vel in actum poenitentiae virtualis, juxta tres sententias expositas in art. praec.).

Ita communius theologi antiquiores et communissime moderni, tam thomistae quam extranei, quos referre non vacat (cf. v.g. auctores citatos in tertia sententia articuli praecedentis, p. 436 sq.).

Inter Scotistas, quidam a suis confratribus se separant docentes statum gratiae requiri ad remissionem venialium, etsi non requiratur gratiae infusio. Ita *Frasen* qui conatur, praeter Bonaventuram, ipsum etiam Scotum ad hanc sententiam trahere, scribens: "Gratia habitualis praerequiritur antecedenter, non autem formaliter, ad peccati venialis remissionem: actualis vero concomitanter. Haec Conclusio tres habet partes, quarum primam indicat Subtilis Doctor . . . dist. 15, q. 1, n. 7. . . Nec obstat, quod, ut dicemus infra, possit homo citra charitatem satisfacere pro poena temporali; ex quo videtur inferri, quod sine charitate aliquid prodesse potest. — Respondeo enim, quod non multum sibi proficiat qui solvit pro poena temporali quod lege statutum est; quia quantum bonum est liberatio a poena, tantum malum est solutio aequivalentis; non enim multum prodest furi, quod suspenda-

⁹ Comm. in Scotum, ad 4 Sent., dist. 21, q. 1.

tur, licet per suspendium satisfaciatur pro poena temporali, vel potius satis patiat: quamvis igitur status peccati mortalis non tollat potestatem satisfaciendi pro poena temporali, tollit tamen satisfactionem reconciliativam pro culpa; quoniam haec gratia est et misericordia per Christum, quam non convenit concedi, nisi ei, qui per gratiam sanctificantem est vivum membrum Christi. Hanc autem assertionem expresse tradit S. Bonaventura [Citat verba nuper a nobis relata].⁷

Ceterum, inter defensores hujus sententiae ulterius disputatur utrum infusio gratiae semper comitetur remissionem venialium, quamvis non ut ejus causa sed potius ut effectus, an scilicet haec remissio, utpote opus bonum et meritorium, semper secum trahat augmentum gratiae sanctificantis. Quae quaestio, minime cum praesenti confundenda, infra tangetur in Concl. 2.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Remissio peccati venialis praerequirit statum gratiae, adeoque fieri non potest neque per bonum actum naturalem, neque etiam per actum supernaturalem elicitem a voluntate sub auxilio solius gratiae actualis, et nominatim per ipsam attritionem (q. 87, a. 4).

Probatur 1. Ex prima et propria causa omnis remissionis, quae est Dei gratia et benevolentia.

Haec ratio ipsis expressionibus S. Thomae sic reddi potest: "Nullum peccatum potest remitti sine gratia" (q. 86, a. 3), nam "remissio culpae cujuscumque nunquam fit nisi per virtutem gratiae" (q. 87, a. 4), quia "offensa directe opponitur gratiae" (q. 86, a. 2) eo quod opponatur divinae dilectioni quae "causat [gratiam, seu] bonitatem in homine grato" (ibid.).

Collatis autem his quae S. Doctor de remissione culpae habet tum hic a. 4, tum in q. 86, a. 2 et 3, tum in 1-2, q. 109, a. 7 et q. 113, a. 2, idem argumentum sic extendi potest:

Remissio cujuslibet offensae fit per gratiam personae offensae, seu per hoc quod persona offensa pacatur offendenti ac ita eum recipit in sua gratia seu sub sua benevolentia ita ut jam sit sibi gratus. Atqui hoc quod est Deum homini pacari, hominem suscipi in ejus gratia seu benevolentia et fieri ei gratum, non potest contingere nisi ratione alicujus effectus causati in anima ab ipsa divina pacatione et dilectione (1-2, q. 113, a. 2); nam amor Dei non invenit bonitatem in rebus

⁷ De Poenitentia, a. 1, sect. 3, q. 2, Scotus Academicus, t. 10, Romae, 1902, p. 226 sq.

sed causat, et praecise “hoc interest inter gratiam [seu dilectionem] Dei et gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed praesupponit bonitatem veram vel apparentem in homine grato; sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quae in nomine ‘gratia’ intelligitur, est causa omnis boni creati” (3 p., q. 86, a. 2). Ergo remissio cujuslibet peccati, etiam venialis, nequit fieri nisi ratione effectus divini seu gratiae sanctificantis, aut nempe formaliter, seu tanquam per formam expellentem peccatum, ut fit in remissione peccati mortalis, aut effective, seu per activitatem gratiae jam existentis, quod quidem unice contingere potest in remissione venialis, quippe quod non opponatur formae gratiae, sed ejus activitati. Ergo remissio peccati venialis supponit statum gratiae.

Paucis: Peccatum veniale, sicut omnis offensa, opponitur gratiae, ergo nonnisi per gratiam auferri potest; opponitur autem non ipsi formae gratiae sed ejus activitati, ergo nonnisi per activitatem gratiae auferri potest; ergo ejus remisso praesupponit formam seu statum gratiae.

Probat 2. Ex connexione remissionis venialis peccati cum remissione peccati mortalis.

Non potest remitti veniale nisi prius remittatur mortale. Atqui mortale non remittitur nisi per gratiam habitualement. Ergo veniale non remittitur nisi prius habeatur gratia habitualis, seu status gratiae.

Major probari potest tum ex eo quod nullum peccatum remittitur nisi homo fiat Deo gratus et acceptabilis, nec est Deo gratus et acceptabilis qui est in peccato mortali et caret statu gratiae, et ita argumentum reincidit in praecedentem probationem; tum ex noto axiomate “Accessorium sequitur principale” quod quidem valet in his quae sunt ejusdem rationis aut intrinsece connexa, nam non vere dolet de minori offensa qui non dolet de majori, et vicissim qui dolet de minori a fortiori dolet de majori, quia utraque offensa habet eandem genericam rationem et adversatur eidem principio pacis et amicitiae, sicut qui odit parvum laborem a fortiori refugit a magno; et confirmatur ex communi sensu et consuetudine inter homines, qui veniam de levioribus offensis nec petunt nec dant, nisi prius majores offensae in amicitia vel pace componantur.

Probat 3. Ex immediata causa remissionis venialium, seu ex indole virtutis Poenitentiae.

Nam venialia non remittuntur nisi per actum virtutis Poenitentiae, formalem vel virtualem, ut dictum est in art. praec., imo per ipsum

actum perfectae contritionis vel charitatis. Virtutes autem Poenitentiae et Charitatis non possunt esse sine statu gratiae, cujus sunt indivisibiles proprietates.

Nec valet opponere etiam remissionem mortalium fieri per actum virtutis Poenitentiae seu contritionem et tamen non supponere statum gratiae.

Nam remissio peccati mortalis fit per ipsum statum gratiae, unde non debet illum supponere, nisi formaliter; remissio vero peccati venialis non fit per gratiam ut per formam, quia non opponitur ei, sed ut per principium eliciens actum quo immediate peccatum deletur (ut amplius explicabitur in seq. Concl.). Unde etiam si concederetur quibusdam theologis remissionem mortalium fieri per actum contritionis qui eliciatur non ab ipsa gratia et virtute Poenitentiae sed a sola voluntate sub auxilio gratiae actualis, omnino antecedenter ad infusionem gratiae, nequaquam inferri posset per aliquem similem actum contritionis posse dimitti venialia, non prius dimissis mortalibus et inducto statu gratiae. Et ut pellatur impertinens instantia, advertite nihil hujusmodi de facto contingere in actu justificationis, cum simul auferuntur mortalia et ea venialia de quibus habetur virtualis displicentia; nam, quomodolibet explicetur praedictus influxus contritionis in justificationem, ea simultas est tantum temporis non naturae; prius enim natura remittitur mortale et infunditur gratia, subinde vero remittuntur venialia per influxum hujus gratiae, seu per actum Poenitentiae vel charitatis prout elicitum ab ipsa gratia. Ceterum de hoc erit fusior sermo in Concl. seq. (p. 495 sq.).

Probatur 4. Ex indole satisfactiva ipsius actus Poenitentiae quo venialia remittuntur.

Actus Poenitentiae remittit peccatum per modum satisfactionis, imo, ut dictum est in art. 14, ratio satisfactionis est formalissimum objectum Poenitentiae. Atqui sine statu gratiae non datur satisfactio, quia non datur Dei acceptatio quae complet humani actus inaequalitatem et imparitatem ad compensandum, ut explicatum est in art. 61. Ergo sine statu gratiae non remittitur peccatum veniale.

Probatur 5. Ex ratione ipsius formalis effectus qui est remissio venialium.

Cum peccatum veniale consistat in privatione fervoris charitatis seu promptitudinis gratiae ad suos actus, ejus remissio consistit in remotione illius privationis seu restitutione illius promptitudinis. Atqui nequit charitati restitui proprius fervor nec reparari gratia in sua promptitudine, nisi charitas et gratia adsint, cum prius sit esse quam

accipere et prius subsistere quam reparari. Ergo remissio venialium nequi fieri sine statu gratiae.

Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 1, q. 3*: “Remoto priori removetur posterius, nec posterius restituitur nisi priori restituto: fervor autem caritatis, cui veniale opponitur, est posterior ipsa caritate; unde quamdiu caritas non restituitur nec fervor caritatis reparari potest; in qua reparatione consistit venialis peccati dimissio, sicut etiam in reparatione caritatis dimissio mortalis; et ideo non potest veniale dimitti ei cui mortale non dimittitur.”

Probatur 6. *Ex indole ipsius objecti remissionis, seu peccati venialis*; ad quam quidem rationem necessario reducuntur omnes praecedentes, nam ex objecto specificatur actus et ex termino desumuntur indoles et conditiones motus.

Peccatum veniale est vera *offensa*, quae laedit amicitiam; ergo nequit tolli nisi per gratiam, quae est effectus divinae amicitiae et benevolentiae; et haec fuit prima ratio. Item, peccatum veniale est *offensa secundum quid*, seu minor *offensa*; ergo nequit tolli nisi prius per statum gratiae tollatur *offensa simpliciter* seu peccatum mortale; et haec fuit secunda ratio. Item, peccatum veniale est *adhaesio et complacentia in bono creato*; ergo nequit auferri nisi per actum virtutis Poenitentiae, seu detestationem et dolorem, quae quidem virtus ex gratia et charitate generatur; et haec fuit tertia ratio. Item, peccatum mortale est *laesio juris divini*; ergo nequit tolli nisi per compensationem seu satisfactionem quae nequit consistere sine statu gratiae; et haec fuit quarta ratio. Item, peccatum veniale est *privatio fervoris charitatis* et promptitudinis gratiae, quae nequeunt restitui ac reparari nisi adsint caritas et gratia, quibus restituuntur; et haec fuit quinta ratio.

Addit *S. Thomas* peccatum veniale esse quandam mentis obscuracionem, seu privacionem nitoris gratiae et charitatis; ergo nequit expelli nisi per lucem, seu intensionem luminis gratiae. *In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 1, q. 3, Sed Contra*: “Veniale peccatum obscurat mentem, sed mortale obtenebrat. Sed obscuritas non removetur nisi per lucem; lux autem spiritualis est gratia, quae etiam mortale delet. Ergo non potest dimitti veniale sine dimissione mortalis.”

Probatur 7. *Negative, contra opiniones Durandi et Scoti*, per exclusionem efficacitatis cujuslibet actus, extra statum gratiae exhibitum in remissionem venialium.

Omnis enim bonus actus voluntatis, extra statum gratiae elicitus, vel est actus mere naturalis, uti praesertim naturalis displicentia seu poenitentia de commissis, vel est actus supernaturalis elicitus ab habitu

informi fidei et spei aut immediate ab ipsa voluntate sub auxilio gratiae actualis, uti pius affectus conversionis, timor Dei, initialis dilectio, et praesertim ipsa attritio de commissis. Jamvero nullus ex his actibus habet vim delendi peccata venialia, ex defectu vel supernaturalitatis vel sufficientis ac directae contrarietatis cum peccato veniali, imo simpliciter loquendo ex defectu utriusque.

Primo, omnis actus naturalis, quantumvis bonus, caret *imprimis* vi et dignitate supernaturalitatis nec ideo potest esse quomodolibet causa formae expellens peccatum veniale, quippe quae pertineat ad ordinem supernaturalem, nam peccatum veniale est offensa Dei simpliciter considerati (etiam ut est auctor ordinis supernaturalis), recessus a supernaturali rectitudine, privatio nitoris gratiae et fervoris charitatis, ac pro tanto, ipsum peccatum veniale pertinet reductive, ut privatio, ad eundem ordinem supernaturalem. *Praeterea*, actus naturalis, quantumvis versetur circa eandem materiam ac peccatum veniale, imo etsi sit explicita quaedam displicentia ac naturalis poenitentia de peccato veniali, caret propria et formali contrarietate cum ipso, tum quia caret praedicta supernaturalitate, tum quia tendit ad objectum et procedit ex motivo, quod non opponitur formaliter peccato veniali, sed vel est plus minusve disparatum, ut contingit in actibus variarum virtutum naturalium, vel est tantum materialiter oppositum, ut contingit ipsi actui naturalis poenitentiae, qui non displicet de peccato formaliter ut offensa Dei sed ex alio motivo naturaliter honesto.

Ceterum, contraria sententia vix congruere videtur cum documentis Scripturae, Traditionis et Ecclesiae, de supernaturalitate salutaris Poenitentiae, et de necessitate status gratiae ad satisfactionem, quae attulimus supra in art. 16 et 61, et praecipue cum sequentibus verbis *Conc. Arausicani II* de necessitate gratiae ad omne opus salutare: Can. 7: "Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere . . . posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti . . . , haeretico fallitur spiritu" (Denz. 180). Can. 14: "Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia praevenitur" (Denz. 187).

Secundo, actus supernaturalis elicited extra statum gratiae, non exclusa ipsa salutari attritione, caret *imprimis* eo excelsiori gradu supernaturalitatis quo gaudet forma cui opponitur peccatum veniale (scilicet nitor gratiae sanctificantis et fervor charitatis), et ad quem privative pertinet hoc ipsum peccatum, nec proinde potest esse causa quomodolibet proportionata ad inducendam illam formam aut expellendum hoc peccatum. *Praeterea*, ille actus, quantumvis intelligatur

appropinquare ad lineam Poenitentiae aut sit ipse imperfectus actus supernaturalis poenitentiae, seu attritio, caret sufficienti contrarietate cum peccato veniali, tum quia caret praedicto gradu supernaturalitatis, tum directius quia non importat revocationem voluntatis ab ea formali adhaesione bono creato in qua peccatum veniale consistit, scilicet adhaesione alligativa fervoris charitatis, ut patet *in ipsa attritione* quae procedit ex motivo infra lineam charitatis ad quam pertinet peccatum veniale, ut explicatum est de ipsa attritione quae eliceretur in statu gratiae in art. praec. (p. 462–465). Unde nullus ex hujusmodi actibus influere potest in venialium remissionem.

Nec valet talem influxum illis aliunde adnectere, ratione vel meriti, vel cujusdam satisfactionis, vel directae ordinationis divinae; nam haec proprie non dantur extra statum gratiae, et ceteroquin si darentur, non sufficerent ad venialia delenda, ob defectum praedictae contrarietatis, ut explicatum est supra (p. 444–452) quoad actus ipsarum virtutum infusarum, praeter Poenitentiam et charitatem.

Inde patet *solutio rationum adversariorum*, quae ceterum fundantur in falsis principiis seu in male intellecta natura tum ipsius peccati venialis tum consequenter remissionis ejus.

Durandus enim pessime concipit peccatum veniale ut quid ordinis mere naturalis, seu ut meram deflexionem a rectitudine rationis, ac inde logice deducit illius remissionem fieri posse per bonum actum mere naturalem. Quae autem ipse addit in confirmationem suae sententiae, supponunt remissionem venialis consistere in mera voluntaria solutione poenae temporalis, quo quidem *Durandus* videtur contradicere alterum suum assertum de necessitate actus formalis poenitentiae ad remissionem venialium (cf. art. praec., p. 436) et deflectere in aliud falsum principium Scoti de natura peccati venialis habitualis.

Scotus igitur ejusque discipuli inepte concipiunt hoc peccatum habituale ut merum reatum poenae, seu ut debitum solvendi poenam; ex quo logice sequitur remissionem illius fieri per meram voluntariam solutionem poenae etiam extra statum gratiae, et “peccatorem repraesentare valere condignam pro ipsis venialibus satisfactionem” (*Montefortino* ex *Scoto*, loc. supra cit., p. 481).

Nec refert quod *Scotistae* refugiant a crudis illis expressionibus “Peccatum habituale est merus reatus poenae”, “Remissio peccati venialis est mera solutio poenae temporalis”, et quidam conentur se suumque magistrum ab illis expurgare,⁸ introducetes aliquam maculam quae, una cum illa obligatione ad poenam, constitueret reatum

⁸ Cf. *Frassen*, *Scotus Academicus*, t. 10, Romae, 1902, p. 221; *Hycquaeum*, *Comm. in Scotum*, dist. 14, q. 1, et dist. 21, q. 1, *Opera omnia Scoti*, t. 18, Parisiis, 1894, p. 14 sqq. 717 sq.

culpa. Nam totus iste reatus et macula tandem aliquando, juxta ipsos, ad haec reducitur et haec importat: peccatum nempe actuale, prout manet moraliter in esse, et relationem rationis seu ordinationem ad poenam, fundatam in ipso permanente ac morali esse peccati, quae quidem imputabilitatem seu reatum constituit. Jamvero, peccatum actuale quod pertransiit, non manet moraliter in esse nisi vel in ipsa divina aversione et displicentia, vel in ipsa ordinatione hominis ad poenam; unde ex parte hominis, moralis permanentia peccati reducitur unice ad hanc ordinationem seu ad reatum poenae; nec aliunde relatio voluntatis ad actum praeteritum dici potest esse permanentia peccati in esse morali, nam ipsa relatio ad praeteritum non potest facere ut res sit praesens, sicut non potest id facere ipsum praeteritum ad quod refertur, unde tota ratio moralis praesentiae praeteriti peccati quaerenda est in aliquo ejus effectus in quo perseverat, nec in alio, ex parte hominis, quam in ipsa obligatione ad poenam, si negatur reatum peccati consistere in ipsa privatione formae gratiae vel ejus nitoris, ut docent communiter theologi non Scotistae.

Ceterum verba *Scoti* clare sonant: "Nihil aliud est post actum peccati cessantem, offensa, macula et reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet ordinatio ad poenam; ut est disconveniens ipsi animae, dicitur ejus macula, sicut per oppositum pulchritudo; ut autem est obligatio formaliter ad illam poenam, dicitur reatus, et ut est actus voluntatis divinae, in qua est tota ista realitas, per quem actum ordinatur ad talem poenam, dicitur offensa."⁹

Peculiares autem rationes Scotistarum, quas supra (p. 481) audivimus ab Hyquaeo et Montefortino, hae sunt et sic solvuntur:

Obiciunt 1. Peccatum veniale non habet necessariam connexionem cum mortali, cum sit diversae rationis; ergo potest veniale remitti quin remittatur mortale, adeoque extra statum gratiae.

Resp. Peccatum veniale discrepat a mortali et simul convenit cum eo in ipsa ratione offensae; est enim minor offensa, opposita eidem principio amicitiae. Unde, qua talis, est separabilis in commissione, sed non simpliciter in remissione; potest scilicet remitti mortale sine veniali, ex eo quod amicitia est compossibilis cum levi offensione, sed nequit remitti veniale quin prius sit remissum mortale, ex eo quod amicitia quae tollit veniale non est compossibilis cum mortale.

Obiciunt 2. Peccator potest condigne satisfacere pro veniali. Ergo veniale potest ei remitti.

⁹In 4 Sent., dist. 14, q. 1, Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 14.

Resp. Negatur antecedens; nam, ut probatum est in art. 61, nulla proprie dicta satisfactio, sive pro culpa sive pro poena, exhiberi potest extra statum gratiae, sed omnis satisfactio fundatur in gratia sanctificante et charitate, ac procedit ex proprie dicta virtute Poenitentiae.

Obiciunt 3. Saltem peccator potest satisfacere sacramentaliter pro poena peccati, nam valet satisfactio sacramentalis soluta in statu peccati; si autem potest pro poena, potest etiam pro culpa, quia non tollitur poena nisi prius tollatur culpa pro qua poena debetur.

Resp. Ut dictum est in art. 77, satisfactio sacramentalis soluta in statu peccati valet probabilius ad adimplendum sacerdotis praeceptum et etiam ad complendum seu integrandum sacramentum, sed non valet ad conferendum proprium effectum seu ad extinquendam poenam temporalem, ratione obicis. Ceterum, etiam si ad id valeret, inepta esset ratio obicientis, nam ideo valeret quia prius remissa est culpa per sacramentum. Unde ex extinctione poenae tantum infertur quod jam aliunde remissa est culpa, non vero quod remittatur culpa per ipsam solutionem qua remittitur poena; si haec solutio valeret remittere poenam simpliciter et absolute, seu non consequenter et dependenter a jam facta remissione culpae, tunc bene sequeretur quod remissio poenae importaret remissionem culpae, ut removens prohibens.

Obiciunt 4. Peccata venialia remittuntur per sacramentalia. Jamvero usus sacramentalium est efficax etiam in peccatoribus, quia Ecclesia ponit sacramentalia in usu omnium fidelium, nec tantum justorum. Ergo etiam peccatores consequi possunt remissionem venialium.

Resp. Per sacramentalia remittuntur peccata venialia non immediate, sed per excitationem actus charitatis quo ipsa dimittuntur. Sacramentalia omnibus fidelibus dantur ut omnibus prosint, sed non omnibus eodem modo; peccatoribus prosunt quoad effectus quae non dependent a statu gratiae, i.e. consecutionem boni temporalis, cohibitionem daemonum, et ipsam consecutionem gratiarum actualium, quibus pii motus excitantur et ipsa conversio praeparatur, non prosunt vero ad deletionem peccatorum venialium, nisi forte indirecte et remote quatenus per gratias actuales homo incitatur ad conversionem, seu ad obtinendam remissionem peccati mortalis et consequenter ad dimissionem venialium.

Obiciunt 5. Si peccatum veniale non posset remitti extra statum gratiae, sequeretur quod peccata venialia morientium in statu peccati mortalis punirentur in inferno poena aeterna, nam nunquam possent dimitti, deficiente in aeternum statu gratiae. Jamvero repugnat

venialia puniri poena aeterna, quia sic punirentur ultra condignum, cum ipsis debeatur sola poena temporalis. Ergo oportet dicere quod peccata venialia uno vel alio modo possint remitti extra statum gratiae. Ita *Scotistae*. *Durandus* vero hanc rationem paulo aliter sub sequenti speciosa forma proponit: Puer non baptizatus qui, perveniens ad usum rationis committeret tantum peccatum veniale ac moreretur, non posset puniri poena aeterna, sed tantum temporalis, qua soluta ipso facto ejus veniale peccatum dimitti intelligitur, secus deberet adhuc puniri si remaneret. Ergo non repugnat peccatum veniale remitti sine statu gratiae.

Resp. Ex praedicta ratione *Scotistarum*, si quid valeret, sequeretur peccata venialia damnatorum vere remitti in inferno et remissionem venialium posse consistere in mera solutione poenae, etiam involuntarie suscepta; quorum utrumque falsum est et vix concedent ipsi *Scotistae*. Solutio hujus difficultatis, a qua non valet sese extricare ipse *Scotus* (supra cit., p. 433) proponens duas explicationes quae sibi ipsi non satisfaciunt, allata est in art. 61 (tom. 3, p. 289–294); poena scilicet temporalis, debita pro venialibus damnatorum, fit per accidens aeterna, ratione suae conjunctionis cum aeterno statu peccati, in quo nequit solvi Deo ulla satisfactio. Ceterum, etiam si concederetur illam poenam in inferno aliquando terminari, ex quadam nempe aequitate seu indulgentia divina, non inde sequeretur ipsum peccatum veniale remitti, secus remissio peccati consisteret in mera solutione poenae aut in mera indulgentia poenae; unde in ea hypothesis haberetur mera non urgentia poenae ex parte Dei, manente tum reatu culpae tum debito poenae ex parte hominis, quidquid ceteroquin sit de congruentia illius hypothesis cum divina justitia et sapientia.

Ad rationem *Durandi* negatur imprimis cum S. Thoma ipsum suppositum, quod nempe primum peccati praedicti pueri possit esse veniale, seu quod peccatum originale possit conjungi cum solo veniali; nam homo perveniens cum originali ad usum rationis debet necessario se convertere ad finem ultimum, quod si facit, consequitur gratiam et amittit peccatum originale, si secus, committit peccatum mortale.

Ceterum, dato et non concesso illo supposito, praedictus puer puniretur quidem poena aeterna, non tamen per se et ratione solius culpae venialis, sed per accidens et ratione status termini, in quo non potest satisfacere.

Hanc eandem rationem sic sibi obiecerat ipse S. Thomas et sic resolverat *In 2 Sent., dist. 42, q. 1, a. 5, ob. 7*: “Sit ita quod aliquis ad perfectam aetatem veniat imbaptizatus, in qua jam peccati poena reus teneri potest, et in primo instanti illius temporis venialiter peccet

et moriatur: constat quod ille pro peccato veniali punitur. Non autem in limbo puerorum, quia poena sensibilis, quae veniali debetur, non est ibi; nec etiam in purgatorio, quia gratiam non habet, sine qua nulla purgatio peccati esse potest. Ergo punitur in inferno pro veniali, et ita veniale ad mortem aeternam obligat, sicut et mortale." *Ad 7*: "Dicendum, quod positio illa est impossibilis: quod sic patet. Sic enim aliquid est sufficiens ad excusandum minus. Sed imperfectio aetatis excusat peccatum mortale, ut puer nondum usum liberi arbitrii habens peccati mortalis reus non habeatur, etiam si actum faciat qui ex genere peccatum mortale est; unde multo amplius excusat infantia ne peccatum veniale imputetur; et ideo non potest esse quod homo venialiter peccet ante illud tempus quo usum rationis habet, ut jam mortaliter peccare possit. Statim autem ut ad tempus illud pervenit, vel gratiam habet, vel in peccato mortali est: quia si facit quod in se est, Deus ei gratiam infundit; si autem non facit, peccat mortaliter: quia tunc est tempus ut de salute sua cogitet, et ei operam det; et ideo positio est impossibilis. Si tamen ponatur per impossibile, tunc talis punitur poena sensibili in inferno, et poena illa erit aeterna. Sed hoc accidit veniali inquantum est sine gratia" (cf. 1-2, q. 89, a. 6).

Obiciunt 6. Sententia quae docet peccata venialia posse remitti extra statum gratiae est magis pia et salutaris, utpote magis commendans divinam misericordiam et magis fovens exercitium bonorum operum in ipsis peccatoribus, qui ab illis retraherentur si scirent ea nihil sibi profutura in remissionem peccatorum.

Resp. Ea sententia commendat unum attributum divinum in detrimentum aliorum, scilicet justitiae, quae exigit satisfactionem, providentiae quae omnia movet secundum proprium uniuscujusque modum et dispositionem, et sapientiae quae accommodat cuilibet effectui proportionatam causam, disponens omnia fortiter et suaviter. Actus et opera bona, facta extra statum gratiae, conferunt ad disponendam animam ad conversionem seu remissionem ipsorum peccatorum mortalium, quae est subinde principium remissionis venialium; quod quidem maxime convenit attritioni de peccatis quae una cum sacramento evadit etiam causa justificationis.

Ceterum, si imparitas illorum operum ad remittenda venialia esset ratio retrahens ab eorum exercitio, a fortiori ab hoc retraheret illorum imparitas ad remissionem mortalium sine qua nihil erit homini in futuro saeculo profuturum; et tunc ex argumento adversariorum sequeretur etiam peccata mortalia debere peccatoribus remitti per alia bona opera praeter quam per contritionem et gratiam sanctificantem.

Obicies 7, et congruentius, juxta mentem adversariorum, sufficientiam verae et supernaturalis *attritionis* ad remittenda venialia, tum ex propria indole poenitentiali illius actus tum ex paritate sufficientiae contritionis ad remittenda mortalia.

Respondetur tamen propriam vim attritionis non habere sufficientem contrarietatem et adaequationem cum vi peccati venialis, ut explicatum est supra, nec ideo ullam esse paritatem inter attritionem et contritionem.

Hanc objectionem sic apte proponit ac solvit *Suarez*: "Solum posset quis respondere, attritionem supernaturalem de peccato veniali vi sua excludere culpam venialem absque alia remissione, vel condonatione Dei; si enim aliqui dicunt contritionem virtute sua expellere hoc modo peccatum mortale, cur non id faciet attritio supernaturalis circa peccatum veniale? videtur enim aequalis proportio, quia, sicut peccatum mortale avertit a Deo, ad quem contritio convertit, ita peccatum veniale convertit ad objectum creatum sine relatione ad Deum, cum aliquali offensione ejus, absque aversione; detestatio vero talis peccati ob turpitudinem ejus, verbi gratia, quae est attritio, directe opponitur conversioni peccati venialis, et virtualiter ac ex se fertur in Deum, ut in ultimum finem, per quod etiam sufficienter opponitur offensioni peccati venialis; nam, licet formaliter non convertat in Deum, hoc necessarium non est, cum peccatum veniale non avertat. Est ergo in hac attritione sufficiens ac proportionata vis ad expellendum formaliter peccatum veniale. Et alioqui ex parte effectus non repugnat veniale expelli absque mortali, quia non sunt necessario connexa; et e contrario saepe fit ut tollatur veniale, relicto mortali; ergo. *Respondetur*, etiam hunc modum expulsionis peccati venialis esse omnino falsum, et argumentum factum posse in contrarium retorqueri. Nam juxta veram doctrinam contritio per se, et ex vi sua non expellit peccatum mortale per modum formae physicae, ut alibi ostensum est; ergo neque attritio excludet hoc modo veniale. Unde proportio, quae inter illos actus consideratur, non satis est ad expulsionem formalem culpae venialis, quia in illo actu nullus est valor moralis ad satisfaciendum Deo pro qualicumque iniuria illi facta per talem culpam, sine qua satisfactione non potest illa expelli, nisi gratis remittatur."¹⁰

Obicies 8. Saltem in actu primae justificationis peccata venialia remittuntur peccatori simul cum mortalibus, ita ut non praecedat status gratiae. Ergo non est universaliter verum remissionem venialium praerquirere statum gratiae.

¹⁰ De Poenitentia, disp. 11, sect. 2, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 204.

Resp. Etiam in eo casu status gratiae praecedit, saltem prioritate naturae etsi non temporis, ut mox explicabitur.

Conclusio 2. Ad remissionem peccati venialis non requiritur nova infusio gratiae, adeoque actus Poenitentiae delet venialia non mediante forma gratiae sanctificantis, sicut delet mortalia, sed immediate vel, si placet, mediante sola restitutione promptitudinis gratiae et actuosi fervoris charitatis (q. 87, a. 2; In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 1).

Probatur. Unumquodque tollitur per suum oppositum. Atqui gratia sanctificans non opponitur peccato veniali, ut patet tum a posteriori, seu ex ipso facto coexistentiae peccati venialis cum gratia sanctificante, tum a priori seu ex natura peccati venialis, quod non consistit, sicut mortale, in privatione gratiae sed in privatione promptitudinis gratiae et actuosi fervoris charitatis. Ergo peccatum veniale non tollitur formaliter per gratiam sanctificantem, sed per aliam formam, quam in art. praec. diximus esse actum gratiae, seu potius restitutionem promptitudinis charitatis ad suos actus quae inducitur per ipsum actum Poenitentiae vel charitatis. Ergo non requiritur nova infusio gratiae ad remissionem peccati venialis sed sufficit gratia habitualis jam habita, prout se extendit in actum contrariam peccatum veniale.

Ex eadem ratione probavimus in art. praec. (p. 447 sq.) gratiam habitualement non sufficere ad remissionem venialium; ex quo sequitur quod ad hanc remissionem gratia sanctificans nec sufficit, nec requiritur, sed praerequiritur; vel, si placet, sufficit et requiritur non formaliter sed efficienter, quatenus est requisita et sufficiens causa actus quo veniale remittitur.

Occasione hujus Conclusionis theologi tria quaerunt ac disputant circa connexionem inter remissionem venialium et infusionem gratiae. Primo scilicet quaeritur quomodo remittantur venialia in prima justificatione, nam tunc videntur remitti formaliter per ipsam gratiam qua auferuntur ipsa mortalia (quod quidem contradiceret Conclusioni et verti posset in speciosam objectionem contra ipsam). *Secundo*, an quotiescumque infunditur gratia, sive in prima justificatione sive in augmento gratiae, semper de facto remittantur venialia. *Tertio*, an vicissim quotiescumque remittuntur venialia, semper de facto infundatur seu augeatur gratia. Primum quaesitum respicit primam infusionem gratiae in ipsa justificatione, alterum et tertium respiciunt praecipue secundam gratiae infusionem seu ejus augmentum.

Ad primam igitur quaestionem respondetur remissionem venialium

in prima justificatione fieri eodem modo ac postea, scilicet per actum elicited ab ipsa gratia media virtute Poenitentiae (perfectam contritionem) vel charitatis, nec ullam in eo casu haberi exceptionem statutae Conclusioni. Sive enim dicatur cum quibusdam theologis actum contritionis justificantis praecedere infusionem gratiae, seu elici a voluntate sub auxilio solius gratiae actualis et postea informari a gratia habituali et fieri satisfactivum, sive dicatur nobiscum illum actum simpliciter procedere ab ipsa gratia infusa nec praecedere hanc gratiam nisi in ratione dispositionis, peccata venialia non auferuntur formaliter ab ipsa contritione prout quomodolibet praecedit gratiam, secus remitterentur ante mortalia nec eorum remissio esset effectus divinae gratiae seu amicitiae; neque auferuntur formaliter per ipsam infusionem gratiae, quippe quae non sit forma eis opposita, sed consequenter ad eam, seu natura posterius etsi tempore simul, et quidem vel per ipsum eundem actum contritionis, ut procedentem a gratia, vel per alium immediate subsequentem actum contritionis aut charitatis, ubi prior non habuerit sufficientem fervorem et contrarietatem ad expellenda venialia.

Unde sequenti modo ordo remissionis et infusionis concipiendus est: prius, est actus contritionis ut dispositio ad gratiam, nec ullum adhuc remittens peccatum; secundo, est infusio gratiae, delens peccatum mortale; tertio, est actus contritionis procedens efficienter a gratia ac remittens venialia ratione specialis sui modi vel intensitatis quo opponitur venialibus. Imo praecisius ac formaliter, juxta dicta in art. 14 (tom. 1, p. 370-374), de modo quo contritio est satisfactiva et remissiva mortalium, prius est actus contritionis ut dispositio ad gratiam; secundo, est infusio gratiae, auferens mortale in sola ratione maculae; tertio, est actus contritionis procedens efficienter a gratia et, accepta exinde sua ratione satisfactoria, delens per modum satisfactionis peccatum mortale in ratione offensae; quarto, est idem actus contritionis remittens peccatum veniale in ratione maculae, seu restituens promptitudinem et nitorem gratiae; quinto, est idem actus contritionis ut procedens ab hac gratia in suo nitore restituta et accipiens ab ea illum specialem modum ac vigorem ut deleat peccatum veniale sub ratione offensae. Ceterum, totum hoc pertinet ad ordinem naturae, nam tempore omnia fiunt simul, tanquam partes ejusdem justificationis.

Ad secundam quaestionem, utrum nempe quando infunditur gratia, sive in ipsa justificatione sive in ejus augmento, semper de facto remittantur venialia, affirmative respondet *S. Thomas* scribens: "Quia . . . in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solis possunt esse

venialia peccata, non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et in peccatum, ideo quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur” (q. 87, a. 2).

Attentis autem his quae ipse S. Thomas passim docet, tum in 4 Sent., dist. 16, tum in De Malo, de propria ac necessaria causa remittente venialia, quae est non quilibet motus liberi arbitrii, sed poenitentia formalis vel virtualis, juxta dicta in art. praec., haec verba S. Doctoris intelligenda sunt non in omni sensu necessario et absoluto, ac si in qualibet gratiae infusione necessario remittantur omnia venialia, sed in generali sensu conditionali et relativo, ut explicant *Cajetanus, Joannes a S. Thoma* et *Suarez*, quatenus nempe in omni infusione gratiae ponitur causa per se sufficiens ad delenda omnia venialia, scilicet actus charitatis et Poenitentiae (“actualis motus liberi arbitrii in Deum et in peccatum”), cujus tamen influxus et effectus mensuratur ex indole actus et dispositione subjecti, seu ex hoc quod adsit vel secus displicentia formalis aut virtualis de peccatis, et prout adest de hoc vel de illo peccato. Si ergo agitur de formali actu poenitentiae, necessario aufert omnia peccata ad quae dirigitur; si vero agitur de actu virtualis poenitentiae, aufert tantum ea peccata de quibus continet virtuale displicentiam. Ceterum, vix cogitari potest aliquis motus charitatis in Deum, quem non comitetur displicentia quorundam saltem venialium, quae sunt minus deliberata, ut dictum est in art. praec. (p. 475 sq.). Et ita verba S. Thomae sunt vera etiam in aliquo sensu absoluto et necessario, si nempe accipiantur particulariter seu relate ad aliqua venialia, aut, quod idem est, indefinite, prout de facto sonant, scilicet relate ad venialia vel omnia vel quaedam; quotiescumque enim infunditur gratia semper remittuntur venialia, vel omnia vel aliquod, quia semper adest aliquis actus Poenitentiae formalis vel virtualis habens pro objecto aliquod peccatum veniale.

Quoad tertiam quaestionem, utrum nempe quotiescumque remittuntur venialia semper de facto infundatur seu augeatur gratia, ita ut gratiae infusio sit connexa cum remissione venialium non solum antecedenter, quatenus haec praerequirit statum gratiae, sed etiam *concomitanter vel subsequenter*, quatenus actus remittens venialia, utpote meritorium, inducat effectum augmenti gratiae sanctificantis, dividuntur theologi juxta diversas eorum sententias in generaliore quaestione an per omnem actum meritorium, etiam remissioem ipso habitu gratiae a quo procedit, fiat necessario augmentum illius habitus.

Quidam, ut *Suarez* (Disp. 11, n. 28), *Vasquez* (In 1–2, disp. 120), *Lugo* (Disp. 9, sect. 1), aliique non thomistae, id affirmant; scilicet,

omnis actus continens displicentiam de veniali valet simul ad delendum veniale per modum satisfactionis et ad augendam gratiam per modum meriti, etiamsi sit remissior habitu a quo procedit, nam ratio meriti quae in eo invenitur est sufficiens ad causandum talem effectum.

Thomistae vero omnes cum *S. Thoma* (1–2, q. 114, a. 8, ad 2; 2–2, q. 24, a. 6; hic 3 p., q. 87, a. 2, ad 2¹¹), negant per actus remissos augeri habitum gratiae, saltem immediate et in esse physico, quia talis actus non est proportionata physica dispositio ad tale augmentum, utpote remissior ipso habitu augendo. Ex quo sequitur quod actus delens venialia non semper inducit augmentum gratiae, sed tantummodo quando est intensus; si vero est habitu remissior, potest quidem delere venialia, si continet eorum displicentiam, cum ita habeat rationem sufficientis satisfactionis pro illis, sed nequit augere gratiam quia, quamvis sit meritorius, non habet rationem sufficientis dispositionis ad illud augmentum.

Ceterum, ipsi thomistae inter se dividuntur quoad effectum quem inducit actus remissus in sua vi et ratione causae meritoriae, eodem fere modo quo dividuntur in quaestione de reviviscentia meritorum, de qua egimus in art. 90. Quidam enim cum *Victoria* dicunt quod per actus remissos augetur immediate gratia in esse morali tantum, seu quoad jus ad gloriam, ita ut propterea homo consequatur correspondentem gradum gloriae, quando moritur. Alii cum *Bagnez* dicunt gratiam correspondentem merito actus remissi nullo modo dari statim, sed tantummodo quando homo in hac vita prorumpit in actum ferventiorum; tunc tamen non dari duplex gratiae augmentum, alterum per actum remissum, alterum per actum ferventiorum, sed eandem gratiam dari duplici titulo, seu ratione utriusque actus. Alii cum *Joanne a S. Thoma* mediam eligunt viam, docentes ratione actus remissi nullo quidem modo gratiam statim augeri nec etiam subinde per actum ferventiorum elicited in hac vita, sed tamen augeri etiam physice per actum ferventiorum elicited post mortem, eo quod ille actus in statu termini non amplius erit meritorius novi augmenti ac ideo esse poterit mera dispositio ad infusionem gratiae debitae pro omnibus actibus remissis elicited in vita. Sed haec quaestio pertinet ad tractatum De Gratia vel De Charitate, ubi a theologis solet vivaci calamo agitari.

ART. 95. Utrum Sacramentum Poenitentiae Remittat Etiam

¹¹ "Non sequitur quod ad remissionem venialis peccati requiratur gratiae infusio, quae licet sit in quolibet sacramento, non tamen est in quolibet actu virtutis".

Peccata Venialia Ex Opere Operato Vere Et Proprie, Quamvis Non Immediate Sed Mediante Actu Poenitentiae Elicito Ab Ipsa Gratia Sacramentali (q. 87, a. 2, corp. et ad 2; a. 3, ad 1; q. 79, a. 4; In 4 Sent., dist. 12, q. 2, a. 2, q. 1; dist. 16, q. 2, a. 2, q. 4; De Malo, q. 7, a. 12).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de secundo objecto et effectu sacramenti Poenitentiae, seu de remissione venialium, ad complementum generalis quaestionis de modo quo fiat remissio horum peccatorum. In duobus enim articulis praecedentibus dictum est de ea remissione prout fit ex opere operantis, i.e. per formalem vel virtualementem actum virtutis Poenitentiae; hic quaeritur de modo quo fiat ex opere operato, et quidem directe per sacramentum Poenitentiae,¹² nam remissio ex opere operato per cetera sacramenta vel alia media, necnon ea quae fit per sacramentalia, eandem habet generalem indolem ac modum, ut explicabitur in peculiaribus Notis 9–14, ad calcem articuli.

Porro directa quaestio non est de ipso facto remissionis, sed tantum de eius modo, quamvis ex ipsa difficultate explicandi modum posset deduci dubium vel objectio contra ipsum factum sacramentalis remissionis venialium. Quod enim revera etiam venialia per hoc sacramentum remittantur, est doctrina catholica quam in art. 7 (tom. 1, p. 213 sq.), agentes de materia sacramenti, diximus saltem theologice certam ex Conc. Trid. (sess. 7, cap. 5 et can. 7), quamque ibidem (p. 226) confirmavimus ex ipsa indole tum peccati venialis, prout est vera offensa, tum ipsius sacramenti ejusque gratiae, prout ordinantur generaliter ad peccata delenda et medicinam animi praestandam.

Modus vero, quo talis remissio fiat, *non facilis est captu nec leviter torquet theologorum ingenia*, praecise ob ea quae de ipsa venialium remissione ex opere operantis per virtutem Poenitentiae dicta sunt in duobus articulis praecedentibus, quaeque videntur excludere eam fieri posse vere et proprie ex opere operato. Diximus enim ad venialium remissionem requiri ac sufficere actum poenitentiae procedentem ex ipsa gratia sanctificante. *Hinc duplex oritur difficultas*, contra remissionem venialium ex opere operato, altera ex parte dispositionis requisitae ad sacramentum, altera ex parte ipsius effectus sacramenti. *Primo* enim, dispositio requisita ad fructum, imo ad validitatem sacramenti, est ipsa contritio (perfecta, vel imperfecta, non refert), imo formalis

¹²De qualitatibus autem requisitis ac sufficientibus in sacramentali contritione de venialibus dictum est in Cap. IV De contritione (art. 25, tom. 2, p. 96–100, 102–105); probavimus nempe requiri contritionem formalem, sicut de mortalibus, sed sufficere particularem, secus ac de mortalibus.

contritio (ut dictum est in art. 25, tom. 2, p. 97); jamvero contritio (perfecta vel etiam imperfecta seu attritio, juxta varias opiniones) de se jam delet venialia; ergo nihil eo ipso relinquitur quod possit per sacramentum deleri; ergo nequit *vere et proprie* dici sacramentum ordinari ad remittenda venialia, cum nunquam ea, saltem primo, deleat, ut contingit quoad peccata mortalia, sed ad summum declaret aut confirmet jam factam remissionem et quodammodo eadem peccata iterato remittat. *Secundo* ac praecipue, proprius effectus sacramenti est infusio gratiae habitualis, non vero ipsius actus qui subinde elicitur ab ista gratia sacramentali; propria vero causa remissionis venialis non est ipse habitus gratiae, cum quo est compossibile veniale, sed actus elicitus ab ea; ergo sacramentum non causat ex opere operato remissionem venialium, sicut et converso causat remissionem mortalium quae formaliter auferuntur per ipsum habitum gratiae; quod si dicatur sacramentum causare etiam ipsum actum gratiae aut saltem influere in ejus elicentiam per gratiam, adhuc verum est sacramentum non causare ipsam formam auferentem venialia, et ceteroquin ille actus est opus operantis, adeoque a primo ad ultimum tota causalitas manet ex opere operantis.

Ad quarum difficultatum solutionem, *duo quaeruntur* in titulo articuli: 1. An sacramentum Poenitentiae deleat venialia ex opere operato vere et proprie, quamvis praerequirat eorum veram et formalem contritionem. 2. An tamen ea deleat solummodo mediate, seu per ipsum actum poenitentiae formalis vel virtualis (i.e. contritionis vel charitatis) elicitum ab ipsa gratia sacramentali.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOD PRIMAM QUAESTIONEM, an scilicet sacramenta deleant venialia *vere et proprie*, non obstante dispositione subjecti requisita ad ipsum sacramentum, dupliciter procedunt theologi, quibusdam negantibus requiri veram contritionem, aliis affirmantibus.

PRIMA SENTENTIA, quae est praecipue *Tamburini* et *Delgadillo* (cf. supra art. 26, tom. 2, p. 108), ut salvet veram et propriam rationem remissionis per sacramentum, docet ad remissionem venialium per sacramentum nullam requiri proprie dictam contritionem sed sufficere ipsam *intentionem confitendi*, seu suscipiendi absolutionem ejusque effectum, etiam si (ut quidam explicitè addunt) adsit actualis complacentia in peccato. Ratio est quia ex una parte dolor non est, ut putant, de essentia sacramenti et ex alia parte ad remissionem peccatorum venialium, extra sacramentum, requiritur actus Poenitentiae. Et inde

facile intelligitur quomodo remissio venialium pertineat ad sacramentum in sensu proprio; nam extra sacramentum requiritur contritio, intra vero sufficit mera intentio suscipiendi absolutionem; unde quae non remittuntur extra sacramentum ob defectum contritionis, remittuntur primo et directe per ipsum sacramentum, etsi desit contritio.

Ab hac sententia non essentialiter differt quaedam *media opinio* aliorum, uti *Suarez* (Disp. 12, sect. 1, n. 9), *Galtier* (De Poenit., n. 458), *De Augustinis*, *Heylen*, qui docent (magis quidem explicite ipse *Suarez*) sufficere intentionem suscipiendi sacramentum, si tamen absit actualis *complacentia* in peccato veniali (quam quidem dispositionem quidam concipiunt ut imperfectiorem quemdam gradum attritionis). Ratio est quia sacramentum nequit exigere dispositionem quae jam ex se ponit ipsum effectum ad quem sacramentum ordinatur, scilicet contritionem; confirmatur ex eo quod ipse status gratiae confert peculiarem valorem et dignitatem praedictae dispositioni et aliunde ipsa levitas peccati remittendi minorem exigit in subjecto dispositionem quam remissio peccati mortalis. Hinc iterum facile intelligitur ea peccata, quae, ex mera absentia complacentiae cum defectu positivae contritionis nequeunt deleri extra sacramentum, possunt primo et directe auferri per sacramentum.

SUAZES: "Supposita sententia a nobis posita, quod attritio in homine grato sine sacramento sufficit ad tollenda venialia, dicendum consequenter est, ad tollendum obicem minus requiri quam attritionem, quandoquidem sola attritio ad totum effectum sufficit. Ut ergo homo suscipiens sacramentum non ponat obicem huic effectui, *satis est (opinor) quod accedat sine actuali complacentia peccati venialis et cum voluntate ac desiderio recipiendi sacramentum et effectum ejus*. Ita etiam sentiunt *Soto* et *Ledesma*. Et *probatur* retorquendo rationem factam, quia ad hunc effectum non potest sacramentum postulare et exigere attritionem, alias postulare ipsum effectum jam factum; ergo nihil aliud potest cogitari, nisi illa carentia complacentiae cum praedicta voluntate. Quod etiam docet *D. Thom.* in citatis locis ad 2. Addunt praeterea *Soto* et *Ledesma* illam voluntatem circa sacramentum, et effectum ejus, esse virtuales quamdam retractionem peccati venialis, quatenus homo vult medicinam illius assumere. Item *conjecturae* saepe adductae de levitate peccati venialis, et de dignitate gratiae, quae in homine supponitur, hoc etiam confirmant. Quapropter non est in hoc aequalis ratio, seu dispositio petenda respectu venialis peccati et mortalis, nam per mortale multo magis avertitur homo a Deo, et ante remissionem ejus caret homo gratia; at vero veniale peccatum est imperfecta, seu fere nulla aversio, et aliunde relinquit gratiam in homine, quae semper est dispositio ad remissionem talis peccati; et ideo, si accedat sacramentum, et non inveniat complacentiam formalem, aut virtuales, tollit illud."¹³

¹³ De Poenitentia, disp. 12, sect. 1, n. 9, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 228. Non apparet quomodo haec verba conveniant cum doctrina de necessitate attritionis, et quidem formalis, etiam in confessione venialium, quam asseveranter tradit idem *Suarez* inferius, scribens: "Nihilominus dicendum est, etiam in hac confessione [i.e. venialium] necessariam esse attritionem formalem. Quia Concilium Tridentinum absolute et simpliciter loquitur de hoc sacramento, et de partibus ejus; ergo quotiescumque fit, requirit essentiales partes, quarum una est attritio, non virtualis tantum, sed formalis, ut

GALTIER: "Probabile est ad remissionem peccati venialis vi sacramenti non requiri attritionem sed sufficere absentiam obicis, qui esset actualis adhaesio tali peccato; hinc autem sequitur peccata venialia de quibus quis non habuerit attritionem, — quaeque proinde nondum remissa essent ex opere operantis, — posse remitti ex opere operato (*Suarez: Disp. xii, s. 1, n. 4-13*)".¹⁴

SECUNDA SENTENTIA docet etiam in confessione venialium requiri *veram contritionem* (perfectam vel imperfectam), et quidem formalem. Sed triplex affertur explicatio. *Quidam* dicunt requiri ac sufficere attritionem, quae tamen extra sacramentum non sufficit ad delenda venialia, cum tunc requiratur perfecta contritio; *alii* dicunt requiri ac sufficere attritionem, quae tamen etiam extra sacramentum valet ad delenda venialia si sit in justo; *alii* dicunt requiri ac sufficere attritionem in peccatore, requiri vero perfectam contritionem in justo eo quod de facto in justo nequeat esse attritio sed omnis contritio iusti sit perfecta contritio. Jamvero in prima opinione facile explicatur quomodo remissio venialium pertineat ad sacramentum, scilicet eodem modo ac remissio mortalium quoniam nunquam homini mere attrito remittuntur nisi per ipsum sacramentum; in secunda vero et in tertia opinione quam defendemus, quia supponitur attritionem vel contritionem de se auferre venialia in justo, influxus sacramenti difficiliter explicatur, seu potius cum minori amplitudine intelligendus est, ut exponetur in Concl. 1.

QUOD SECUNDAM QUAESTIONEM, an scilicet sacramentum Poenitentiae deleat venialia ex opere operato *tantummodo mediate*.

PRIMA SENTENTIA id *negat*, docens sacramentum Poenitentiae remittere venialia *immediate* et per se, independenter ab actu voluntatis qui aliunde sufficiat ad ea remittenda, quatenus nempe ipsa gratia sacramentalis, prout infunditur homini disposito per absentiam complacentiae in peccato, fit *ex divina ordinatione forma moraliter sufficiens* ut remittantur venialia. Sic in terminis *Suarez* (*Disp. 12, sect. 1, n. 6-8*), quem sequuntur *Lugo* (*Disp. 9, sect. 3, n. 43 et 46*) et *Galtier* (*De Paen., n. 551*). Citat etiam *Suarez* pro se *Dom. Soto, Capreolum, Paludanum* et ipsum *S. Thomam* (3 p., q. 79, a. 4).

Rationes quas invocat *Suarez* sunt: 1. Paritas cum remissione mortalium, quae fit immediate nec per excitationem alicujus praeviae animi dispositionis. 2. Si requireretur actus praeivus, numquam vel

aperte constat ex doctrina Concilii. Et quia alias fere idem dici posset de mortalibus, cum extra hoc sacramentum possint interdum per virtualem poenitentiam remitti, ut supra dictum est. Item, quia ad veram accusationem necessarius est dolor formalis; est etiam necessaria actualis recogitatio peccatorum, qua posita, nulla esse potest moralis excusatio detestationis formalis. Denique etiam in ea confessione, quae est de solis venialibus peccatis, requiritur, in suo ordine et ad integritatem, satisfactio; ergo similiter requiritur dolor in gradu suo" (*Disp. 20, sect. 6, n. 2, ibid., p. 453*).

¹⁴ De Paenitentia, n. 458, Parisiis, 1931, p. 350.

rarissime venialia remitterentur per sacramentum, cum experientia constat raro contingere ut fideles in ipso momento quo absolvuntur specialiter excitentur et meliorem concipiant dispositionem ea quam habuerint toto tempore praecedenti. 3. Sacramenti effectus, quo mediante diceretur fieri remissio venialium, vel est aliquod auxilium excitans, seu specialis motio quae a solo Deo fiat, sed hoc non necessario et infallibiliter datur in ipso momento quo poenitens absolvitur, ut patet ex experientia, vel est tantum concursus gratiae adjuvantis, et hic, cum non fiat sine actuali nostra cooperatione, nequit esse infallibilis et ex opere operato effectus ullius sacramenti.

SUAREZ: "Explicandum sequitur, quatenus sit illa dispositio [per quam sacramenta tollunt venialia]: duobus enim modis intelligi et cogitari potest. Primo, quod sacramenta immediate praebeant aliquod auxilium, excitans in nobis motum sufficientem ad tollendum peccatum veniale. . . Secundo, quod ipsum sacramentum per se remittat veniale peccatum, etiam absque motu voluntatis per se sufficientem ad expellendum illud. Priorem modum sequuntur Petrus Soto et alii moderni, et attribunt D. Thom. hic, et supra, q. 79, art. 4; et tenet aperte Alensis supra, et Bonav. supra, et dist. 23, art. 1, q. 1, ubi Durandus, et alii ita sentiunt de extrema unctione. Juxta quam sententiam nunquam per sacramentum remittitur peccatum veniale sine sufficiente dispositione, seu opere operantis. Dicitur tamen nihilominus tolli ex opere operato, quia illemet actus hominis operantis provenit a sacramento ex opere operato. Ratio esse potest, quia sacramentum non remittit culpam aliquam nisi mediante aliqua forma inhaerente incompossibili cum tali peccato; haec autem forma respectu venialis peccati non potest esse solus habitus, ut supra ostensum est; ergo esse debet aliquis actus. . .

"Nihilominus contrariam sententiam censeo veriolem, et esse D. Thom., ut explicui latius dict. q. 79, art. 4. Eandem tenet Soto, ita intelligens D. Thom. hoc loco. Indicant etiam Paludanus et Capreolus in 4, d. 23. Et de Eucharistia et baptismo id probavi in locis supra citatis. Ratio vero generalis esse potest [Sequuntur dictae rationes]. . . Nec fundamentum oppositum firmum est, quia ut supra ostendi, etiam actus, quod tollitur veniale peccatum, non semper est incompossibilis ex se, et natura sua cum peccato veniali; et ideo semper in his effectibus adjungenda est *ordinatio divina, supposita ex parte causae vel dispositionis proportionis aliqua*. Sic ergo in praesenti dicimus, quamvis ex parte hominis non praecedat actus sufficiens, ipsam gratiam sacramentalem, ut talis est, esse *formam moraliter sufficientem ad hunc effectum*. Et ideo D. Thom. hic solum probat hunc effectum ex eo, quod sacramenta gratiam infundunt. Haec autem gratia sacramentalis quoad praesens, non addit supra ipsam gratiam, nisi ordinationem divinam, qua voluit ut gratia per talem causam, et ad talem finem indita, remitteret venialia, si homo sic recipiens non poneret obicem."¹⁵

GALTIER: "Quaeri potest utrum illam remissionem causent immediate an mediate tantum. Ex dixtis patet sacramentalia non causare *nisi mediate*, mediante scilicet illo motu ex quo dicuntur causare. Sacramenta econtra dici possunt causare *immediate*, saltem ea quae per se ordinantur ad remissionem peccatorum, baptismus, poenitentia, extrema unctio. Ea vero, quae, sicut ait S. Thomas q. 79, a. 4 et q. 87, a. 2, non causant nisi quatenus in infusione gratiae ab eis causatae producitur 'motus liberi arbitrii in Deum et in peccatum' seu actus caritatis per 'quem peccata venialia solvantur', ea non causarent et ipsa nisi *mediate*". Quibus in nota addit: "Utrum etiam tunc dici possint causare illam

¹⁵De Poenitentia, disp. 12, sect. 1, n. 6-8, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1886, p. 227 sq.

remissionem *ex opere operato*, quaestio est de verbis. Respondissit sane affirmative S. Thomas, qui tenebat paenitentiam remittere [lege: producere] ex opere operato remissionem mortalium etiam ubi simpliciter producebat dispositionem seipsa remissivam. Qui loquendi modus, cum jam plane derelictus sit ubi agitur de remissione mortalium, haud apparet qui retineatur pro remissione venialium. Sin autem retineatur, jure dici possunt causare *ex opere operato* etiam sacramentalia, quae vi orationis Ecclesiae procurent motum reverentiae in Deum aut detestationis, quo causetur immediate remissio venialium. De quibus videas *Tepe*. . . [Instit. theol. mor. gen. t. 2, n. 177-179]¹⁶

Ab hac sententia non essentialiter differt quaedam *media opinio Arauxi et Vasquesii*, et ut videtur *Dom. Soti*,¹⁷ docentium *attritionem*, quae de se extra sacramentum non sufficit ad delenda venialia, ad id sufficere in sacramento, ex sua conjunctione cum gratia sacramentali; vel, si placet, gratiam sacramentalem ut dicentem habitudinem ad attritionem, partem sacramenti, ut ad causam ex opere operato, habere sufficientem contrarietatem cum peccatis venialibus eaque infallibiliter expellere, antecedenter ad actum contritionis vel charitatis elicatum ab ipsa gratia, per quem ex altiori motivo ea peccata expellantur ex opere operantis, sicut extra sacramentum. Haec sententia veniali modo se habet, quia qua parte non requirit alium actum post infusionem gratiae, sed totum effectum tribuit attritioni cum sacramento, accedit ad praedictam primam sententiam, nam sacramentum non per aliud sed immediate per suam ipsius attritionem et gratiam sacramentalem remittit venialia; qua parte vero refert ad ipsam attritionem talem influxum, accedit aliquatenus ad secundam sententiam mox referendam, nam sacramentum non immediate per se aut per suum effectum gratiae, sed per ipsam attritionem, ut fortificatam quidem ex sua sacramentali ratione et ex sua conjunctione cum gratia sacramentali, delet venialia.

Rationes, quae hanc opinionem confortare possunt, sunt: 1. Communis doctrina doctorum est attritionem cum sacramento Poenitentiae sufficere ad valorem et efficaciam hujus sacramenti; ergo nulla alia requiritur animi dispositio, praevia vel subsequens sacramentum ipsum, ad hoc ut producat effectus. 2. Paritas cum alio sacramento mortuorum, idipsum ostendit; nam in Baptismo, quo delentur etiam venialia, sola attritio undequaque sufficit. 3. Paritas cum remissione peccatorum mortalium per idem sacramentum Poenitentiae; si enim sufficit attritio cum sacramento ad remissionem mortalium, a fortiori sufficit ad remissionem venialium.

¹⁶ De Paenitentia, n. 521, Parisiis, 1931, p. 421 in textu et in nota.

¹⁷ In 4 Sent., dist. 15, q. 2, a. 3: "Crediderim . . . quod per omne sacramentum remittantur omnia venialia solo illo actu concurrente, qui quis illud suscipit, quamquam non concurrat alius actus dilectionis. Et ille est usus gratiae, nam si per sumptionem aquae benedictae, quia per illum actum homo reveretur rem divinam, suscipit remissionem venialium, multo efficacius per actum, quo suscipit sacramentum. Ex quo fit, ut quodcumque sacramentum quis attritus putans se esse contritum suscipiat, remittantur illi venialia, quorum non adest obex: nam illa attritio per gratiam sacramentalem informata est usus gratiae" (t. 1, Venetiis, 1575, p. 736).

SECUNDA SENTENTIA affirmat, docens sacramentum non remittere venialia immediate, nec per se totum, nec per attritionem ut sui partem, nec per gratiam sacramentalem ut sui effectum, sed *tantum mediate*, i.e. per actum poenitentiae elicited subinde a gratia sacramentali, nec id obstare proprio influxui ex opere operato, quia ille actus elicited a gratia sub excitatione divini auxilii collati ex opere operato.

Ita in terminis, vel ad mentem, *thomistae* generatim post *S. Thomam* (cf. infra), necnon plures extra scholam. Inter alios: *Alex. Halensis*, *Bonaventura*, *Durandus*, *Petrus Soto*, *Joannes a S. Thoma* (Disp. 35, a. 2, n. 20–25), *Gonet* (Disp. 4, a. 3), *Salmanticenses* (Comm. in 3 p., q. 87, a. 1, n. 7–17; De justificatione, disp. 2, dub. 2, n. 12. 17. 18. 29), *Billuart* (Diss. 3, a. 2, § 3), *Hugon*, *Lépicier*, *Diekamp*, *Van Noor-Verhaar*.

Praeterea *Salmanticenses*, salva communi hac sententia, adducunt aliquam explicationem, qua aliquid conceditur praedictae mediae opinioni Arauxi, Vasquesii et D. Soti. Quae quidem explicatio fundatur in eorum peculiari opinione, exposita in art. 93 (p. 442–444), de efficacia attritionis sub informatione gratiae et charitatis, ex qua accipit ut sit quaedam virtualis charitas. Hic igitur docent attritionem, ratione suae virtutis sacramentalis, qua producit gratiam sacramentalem, continuari ac coniungi cum ista gratia, vel quia adhuc manet quando ista advenit et ideo ab ea informatur, vel quia, si desinit esse in seipsa ante productionem gratiae, manet tamen virtualiter in ea tanquam in suo effectu. Ex hac ergo conjunctione cum gratia, attritio fit aequivalens ac virtualis charitas atque contritio, et accipit sufficientem vim ad delenda illa venialia de quibus homo erat attritus. Sed tamen haec remissio est tantum *ex opere operantis*, seu ex ipsa attritione, quamvis roborata ex sua conjunctione cum gratia medio sacramento; subinde vero, ex ipsa gratia producta per sacramentum, excitatur fervor charitatis, quo tamquam *ex opere operato* remittuntur alia peccata venialia de quibus homo prius attritionem non habuerit.

Ad rem ipsi: "Patet, *qualiter attritio conjuncta cum sacramento expellat venialia, licet actus formalis charitatis, sive a charitate elicited non succedat*. Nam vel praedicta attritio perseverat formaliter in seipsa usque ad instans infusionis gratiae, et justificationis peccatoris; et in hoc casu recipit in eo instanti modum charitatis derivatum a gratia, et charitate per absolutionem, et sacramentum productis, vel auctis; quo participato modo refertur in Deum ultimum finem, ac subinde fit virtualis contritio, et fervor charitatis; et ita delet venialia, de quibus dolet, et quibus specialiter repugnat, ut proxime explicuimus. Vel actus attritionis cessat formaliter ante infusionem gratiae justificantis, et tunc nequit ut existens formaliter in seipso expellere venialia. Sed quia comparatur ad praedictam gratiam in sacramento productam, vel auctam, ut causa effectiva, vel saltem dispositiva, et omnis causa perseverat virtualiter in suo effectu; ideo attritio manet virtualiter in gratia, ibique habet eminentiorem modum, ac in seipsa. Quocirca vel ipsa attritio, ut est virtualiter gratia, et charitas; vel ipsa gratia,

ut virtualiter continet attritionem de venialibus specialibus, aut etiam de omnibus, habet oppositionem sufficientem cum praedictis peccatis, illaque proinde excludit; licet tunc, vel postea actus charitatis non succedat. Et ita perfitur iste sacramentorum effectus juxta communem concipiendi modum. . .

“Quod si D. Thomas recurrit ad novum charitatis fervorem, quem Sacramenta, et gratia in eis data excitant, id non facit quia existimet hunc fervorem requiri ad delenda venialia, *de quibus homo attritionem habuit*; sed quia hic dolor, seu fervor communiter in sacramentis excitatur, et per illum delentur aliqua peccata venialia, *de quibus homo prius non habuerat attritionem*. Unde in sacramentis *quaedam venialia delentur ex opere operantis, videlicet per attritionem* ad ea relatam, et sacramento, et gratiae sacramentali conjunctam: *quaedam vero ex opere operato, nimirum per fervorem*, qui ad gratiam in sacramento receptam per se loquendo consequitur, et ad alia diversa peccata formaliter, aut virtualiter refertur, ut supra explicuimus.”¹⁸

CONCLUSIO

Conclusio 1. Sacramentum Poenitentiae vere et proprie remittit ex opere operato etiam peccata venialia, quamvis praerequirat eorum veram et formalem contritionem, seu in peccatore attritionem et in justo perfectam contritionem.

Probatum.

Supponimus imprimis *contra primam sententiam* supra relatam, in confessione etiam de venialibus, requiri veram et formalem contritionem (attritionem vel perfectam contritionem); quod quidem sufficienter probatum est in art. 25 et 26 (tom. 2, p. 96–98. 111 sqq.), nam sine *vera* poenitentia nulla unquam fit remissio, nec de mortalibus nec de venialibus, sive intra sive extra sacramentum, et sine *formali* poenitentia nequit actualiter consistere sacramentum Poenitentiae, cujus una pars essentialis est ipsa contritio.

Nec quidquam peculiare addit *opinio Suaresii* invocantis pro sacramentali sufficientia absentiam complacentiae in peccato; nam haec non valet constituere veram poenitentiam, cum non sit actus positivus, sed mera negatio, imo nec valet constituere ipsam virtutem poenitentiam, cum haec consistat in ipso actu positivo alicujus virtutis (quam in art. 93 diximus esse charitatem), utut conditionaliter conjuncto cum absentia complacentiae in peccato. Nec ceterum, ut respondeamus rationibus Suaresii, praesentia gratiae et charitatis in justo valet facere ut illa absentia evadat vel aequivaleat positivo actui contritionis; nec levitas culpae venialis potest dispensare ab actu poenitentiae, cum non valeat evacuare rationem peccati; nec vera et propria causalitas

¹⁸ De justificatione impii, disp. 2, dub. 8, § 5, n. 333, Cursus theol., t. 10, Parisiis, 1879, p. 534 sq.

sacramenti evacuat necessitatem positivi actus contritionis, ut jamjam explicandum venit.

Et imprimis si agatur de remissione venialium una cum mortalibus in prima justificatione impii, id facile intelligitur. Nam ibi requiritur et sufficit mera attritio, quae, juxta communissimam sententiam, de se non valet auferre venialia in peccatore, nondum remissis mortalibus; unde vere et proprie in hoc casu venialia fiunt objectum remissionis per sacramentum, quomodolibet influxus sacramenti explicetur, mediate nempe vel immediate, juxta decidenda in seq. Concl.

Si vero agatur de remittendis solis venialibus, in justo scilicet accedente ad sacramentum, triplex hypothesis fieri potest, juxta tres opiniones supra numeratas in secunda sententia:

Vel dicitur cum quibusdam quod datur attritio in justo et quod haec attritio non sufficit ad tollenda venialia extra sacramentum, sufficit vero cum sacramento, et tunc iterum nulla est difficultas, sed res explicatur sicut prius; nam sacramentum tunc invenit venialia nondum remissa, eaque sua virtute dimittit. Et haec sententia esset convenientissima, si daretur attritio in justo, quod tamen non videtur congruere doctrinae S. Thomae, ut notavimus contra Salmanticenses in art. 93 (p. 463).

Vel dicitur cum aliis quod datur attritio in justo et quod haec attritio per se sufficit ad delenda venialia etiam extra sacramentum. Et tunc, quamvis ea venialia de quibus habetur attritio non primo remittantur per sacramentum sed per ipsam attritionem ante sacramentum, tamen generalis influxus sacramenti in venialia, *tripliciter* salvatur.¹⁹ *Primo* nempe, quia saltem venialia peccatoris attriti per solum sacramentum remittuntur una cum mortalibus, ut supra dictum est; *secundo*, quia ipsa venialia, jam remissa in justo per attritionem, iterum remittuntur per sacramentum per collationem gratiae sacramentalis, magis ac magis radicativae peccatorum, ut explicatum est in art. 7 (tom. 1, p. 220—225), ut interim omittamus quod per sacramentum fit amplior remissio poenae temporalis, quae est quaedam extensio reatus ipsius peccati; *tertio*, quia per proprium effectum sacramenti qui est excitatio fervoris charitatis, subsequentis gratiam sacramentalem, ut probabitur in Concl. seq., remittuntur quaedam alia peccata venialia, de quibus forte non fuerit praecedens attritio, et quorum virtualis displicentia contineatur in ferventiori actu contritionis vel charitatis, excitato per sacramentum.

Nec refert quod ipsa peccata venialia quae a justo accusantur,

¹⁹ De generali ceteroquin utilitate confitendi venialia cf. *Diekamp*, Theol. Dogm. (A. Hoffmann), v. 4, § 49, n. 3, Parisiis, 1946, p. 339 sq.

nunquam primo deleantur per ipsum sacramentum, nam adhuc stat quod quandoque, scilicet in peccatore confitente, peccata venialia per ipsum sacramentum primo remittantur, quemadmodum non obstat quod quandoque sacramentum nullum peccatum, etiam mortale, primo remittat, cum nempe accusantur sola peccata jam remissa, quia adhuc stat quod quandoque sacramentum primo remittat peccata, cum scilicet nondum fuerint remissa. Praeterea, peccatum veniale non est nisi secundarium objectum et materia sacramenti, nec ideo necesse est ut influxus sacramenti exerceatur circa veniale eodem modo et ratione ac exercetur circa mortale quod est principale ejus objectum et materia.

Vera igitur ac propria sacramenti causalitas in remissionem peccatorum, quae exigitur ab ipsa sacramenti institutione ne sit frustranea, salvatur sufficienter in hoc quod quandoque primo remittat saltem objectum principale, seu peccatum mortale, quod sequitur veniale juxta propriam rationem accessorii; imo generalius et formalius salvatur in hoc quod, non obstantibus aliis quibuslibet remissionis mediis, sacramentum sit ordinatum ad primo et per se delendum aliquod peccatum, sub qua generali ratione convenit tam mortale quam veniale.

Vel dicitur cum aliis quod in justo non detur attritio, sed omnis contritio habentis statum gratiae sit perfecta contritio. In qua opinione, quam eligimus, res non aliter explicanda est quam in praecedenti, cum ad quaestionem parum referat an peccata venialia quae accusantur, deleantur ante absolutionem per attritionem vel perfectam contritionem.

Conclusio 2. Sacramentum Poenitentiae delet peccata venialia non immediate, sicut mortalia, quasi nempe inducendo physicam aut moralem quamdam formam per quam expellantur, sed tantum mediate seu excitando actum poenitentiae formalis vel virtualis (contritionis vel charitatis) per quem immediate venialia expelluntur.

Probatur 1. EX CONSIDERATIONE PROPRIAE FORMAE PER QUAM VENIALIA EXPELLUNTUR.

Sacramentum non aliter causat remissionem peccati quam efficienter, seu inducendo, uti proprium effectum, id quo formaliter expellitur peccatum, seu formam vel quasi formam in cujus privatione peccatum consistit. Atqui sacramentum Poenitentiae nonnisi mediate inducit formam vel quasi formam per quam solam tollitur peccatum veniale, scilicet actum contritionis vel charitatis, nam immediate producit solum habitum gratiae ex quo subinde elicitur ille actus. Ergo sacramentum Poenitentiae nonnisi mediate remittit peccata venialia.

Exponitur argumentum. Proprius et immediatus effectus Poenitentiae, sicut et aliorum sacramentorum, est infusio gratiae habitualis (primae vel secundae). Jamvero haec gratia opponitur directe et immediate peccato mortali, tamquam forma contraria, illudque formaliter expellit, ac ita sacramentum habet ut immediatum effectum ipsam expulsionem peccati mortalis eo quod habeat ut immediatum effectum infusionem formae expellentis illud, idem enim est introduci formam et expelli ejus privationem, nec formalis casualitas gratiae relate ad expulsionem peccati mediat in linea efficientiae inter sacramentum et expulsionem peccati, sed quod gratia facit formaliter, id sacramentum facit efficienter.

E contrario, eadem gratia a sacramento causata, non opponitur directe et immediate peccato veniali, ut patet tum ex compossibilitate utriusque tum ex ratione huius peccati, quod consistit non in privatione ipsius habitus gratiae sed in privatione alicujus perfectionis se habentis ex parte actus gratiae (et praecise in alligatione fervoris charitatis). Unde peccatum veniale non excluditur immediate a gratia sacramentali, tanquam a causa formali, nec consequenter a sacramento, tanquam a causa efficienti, sed excluditur per actum elicited ab ipsa gratia, qui, cum sit posterior gratia in ipsa linea efficientis causalitatis, vere mediat inter sacramentum et ablationem peccati venialis.

Unde, dum ad remissionem mortalium sacramentum unico gressu immediate pervenit, producendo nempe *ipsam formam* quae expellit peccatum, ad venialium remissionem nonnisi duplici gressu mediate pertingit, scilicet producendo *causam formae* expellentis veniale, seu per infusionem gratiae quae subinde per actum a se elicited producit formam qua expellitur peccatum, scilicet promptitudinem habitus charitatis ad suos actus; non enim ipse actus gratiae formaliter expellit habituale peccatum, cum actus non opponatur habitui, sed id facit aliqua forma inducta per actum qua restituitur habitui charitatis promptitudo ad suos actus.

Quomodo autem, cum hac mediatione actus elicited a gratia, qui est opus operantis, salvetur *vera casualitas sacramenti ex opere operato* in ipsam remissionem venialium peccatorum, explicandum est non ex hoc tantum quod confertur gratia quae subinde ex suis viribus descendit ad remissionem venialium, nam haec causalitas non est propria et formalis quia gratia non pendet a sacramento in suo esse sed tantum in fieri, quemadmodum pater non dicitur esse causa actionis filii eo quod prius illum generaverit; neque tamen ex hoc quod ipse actus, per quem deletur peccatum veniale, causatur ab ipso sacramento

immediate vel ad modum unius cum ipsa gratia, quasi per productionem gratiae ut actualiter operantis, nam actus ille est actus vitalis procedens ut opus operantis a voluntate gratia informata, et praeterea prius est esse gratiae ejusque productio quam ejus operari et procedere in actum; sed ea causalitas consistit in hoc quod sacramentum producit *gratiam habitualement et simul inducit auxilium gratiae actualis movens illam ad operandum* seu ad eliciendum actum contritionis vel charitatis quo delentur venialia; vel, si placet, producit gratiam habitualement ut impulsam ad operandum, seu ut proxime deletivam peccati venialis, seu ut causam actu paratam ad delendum veniale et illico delens, nisi impediatur a subjecti indispositione. Nec ideo refert si de facto illa gratia non transeat in actum, saltem relate ad omnia venialia aut ad ea omnia quae fuerint sacramento subjecta per confessionem et contritionem, et ea non deleat, quoniam hujusmodi, ut ita dicatur, accidentaliter informitas sacramenti relate ad hunc extensivum gratiae effectum, provenit non ex defectu virtutis in causa sed ex obice indispositionis subiecti, quemadmodum naturae et efficacitati sacramenti in genere (quod essentialiter est efficax signum gratiae) non obstat ipsa substantialiter informitas, qua sacramentum frustratur suo principali et essentiali effectu infusionis gratiae.

Probatur 2. EX AUCTORITATE S. THOMAE.

S. Doctor quotiescumque loquitur *modo generali* de causa qua proprie et immediate remittitur peccatum veniale, constanter appellat actum gratiae prout distinguitur ab habitu (imo formaliter ipsum actum contritionis vel charitatis), et in hoc quidem assignat discrimen inter remissionem peccati mortalis, quae fit per ipsum habitum gratiae, et remissionem venialis quae requirit ulterius actum gratiae. Id abunde ostendunt textus citati in art. 93 (p. 465—471).

Praeterea ac signantius, quoties loquitur directe de modo quo *sacramenta* et sacramentalia tollunt venialia, iterum constanter recurrit ad eandem causam seu actum gratiae, prout per illa media inducitur et excitatur.

Et imprimis, loquens generaliter de remissione venialium per sacramenta et sacramentalia, S. Doctor explicite statuit, 3 p., q. 87, a. 3, ad 1: "*Omnia ista causant remissionem peccatorum venialium, inquantum inclinant animam ad motum poenitentiae, qui est detestatio peccatorum vel implicite, vel explicite*". Nec ideo refert quod ibidem loquatur etiam de remissione "*virtute alicujus sanctificationis*" (ad 3), imo dicat remissionem per ipsa sacramenta fieri "*inquantum in eis infunditur gratia*" (*in corp.*); ceterum immediate addit: "*ut supra dictum est*",

i.e. juxta sensum explicatum in praecedenti a. 2, ubi hanc reddit rationem: "Quia . . . non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et in peccatum". Eandem doctrinam signanter repetit *In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 4* per totam (cit. in art. 93, p. 468); "Illa quae nata sunt de se excitare fervorem charitatis, peccata venialia dimittere dicuntur: hujusmodi autem sunt quae gratiam conferunt, sicut omnia sacramenta. . . Ista sine contritione non delent peccatum veniale: sed dicuntur delere *inquantum contritionem causant*." Idem prorsus in *De Malo, q. 7, a. 12*: "Sunt . . . quaedam quae causant remissionem peccati venialis *inquantum inclinant voluntatem* ad ferventem charitatis actum . . . ; et sic per sacramenta novae legis venialia peccata remittuntur" (cf. ad 1. 2. 3. 4).

Alludens particulariter ad remissionem venialium per ipsum *sacramentum Poenitentiae, in 3 p., q. 87, a. 2, ob. 2*, sibi obicit: "Peccata venialia non remittuntur sine poenitentia. Sed in poenitentia infunditur gratia, sicut et in aliis sacramentis novae legis. Ergo peccata venialia non remittuntur sine gratiae infusione"; respondet autem: "Peccatum veniale *nunquam remittitur sine aliquali actu poenitentiae virtutis*, explicito scilicet vel implicito, ut supra dictum est (art. praec.). Potest tamen remitti peccatum veniale *sine poenitentiae sacramento*, quod in absoluteione sacerdotis formaliter perficitur, ut supra dictum est (quaest. praec., art. 2). Et ideo non sequitur quod ad remissionem venialis peccati requiratur gratiae infusio, quae licet sit in quolibet sacramento, non tamen est in quolibet actu virtutis."

Tandem, loquens de *Eucharistia* cui peculiariter remissio venialium tribuitur, *in 3 p., q. 79, a. 4, corp., ad 1 et 3* (cit. in art. 93, p. 467), eandem doctrinam repetit, scilicet hoc sacramentum remittere venialia per "actum [charitatis], qui excitatur in hoc sacramento; per quem peccata venialia solvuntur." Idem prorsus repetit *In 4 Sent., disp. 12, q. 2, a. 2, q. 1* (cit. *ibid.*, p. 468). Nec refert quod in eodem articulo 4, q. 79, S. Doctor deducat Eucharistiam remittere peccata ex duplici consideratione, seu ipsius signi sacramentalis consistentis in cibo et ipsius rei significatae quae est charitas; nam nequaquam ibi loquitur de duplici modo quo per Eucharistiam ea remissio fiat, ac si feret vel immediate per ipsum sacramentum vel mediate per charitatem, sed de duplici ratione ex qua deduci possit venialium remissio per Eucharistiam ("Et ex utroque apparet quod hoc sacramentum habet virtutem ad remissionem venialium"), quae tamen non fit nisi uno modo, seu per actum charitatis, ut explicat in corp. et ad 1 et 3.

Unde superficialiter *Suarez* exinde sibi persuadet S. Thomam ei consentire, et inepte scribit, commentans illum articulum S. Doctoris:

“Affirmat D. Thomas, Eucharistiam remittere venialia peccata, et assignans duplicem rationem hujus veritatis, *duplicem modum insinuat*, quo fieri potest hic effectus. Unus est immediate conferendo ex opere operato remissionem peccati venialis, absque mutatione actualis dispositionis in homine existentis, sicut articulo praeced. dicebamus, interdum remitti peccatum mortale per hoc sacramentum. Secundus modus esse potest mediatus, nimirum si ratione sacramenti fiat actualis immutatio in homine, qua perficiatur talis actus charitatis, quo expellantur venialia peccata. D. Thom. ergo utrumque modum docere videtur. . . Unde falso aliqui tribuunt D. Thomae quod asserat per hoc sacramentum non remitti peccatum veniale, nisi mediante actu charitatis formaliter illi repugnante; hoc enim D. Thom. numquam dixit, neque verum est, ut in disputatione sequente ostendetur.”²⁰

Probatur 3. *EX EXCLUSIONE CUJUSLIBET FUNDAMENTI, unde deduci posset immediata remissio venialium per sacramentum; quo etiam directe excluditur adversariorum sententia supra relata.*

In sacramento enim tria elementa considerari possunt, scilicet ipsum sacramentum secundum se (sacramentum tantum), attritio ut elevata ac veluti roborata per sacramentum (res et sacramentum) et gratia sacramentalis habitualis (res tantum). Si ergo remissio venialium competeret sacramento ex uno vel altero ex his tribus capitibus, vere dici posset sacramentum remittere ea peccata immediate. Jamvero, ex nullo ex his tribus capitibus competit sacramento ut remittat venialia. Ergo nullatenus ei competit remittere venialia immediate.

Ergo influxus sacramenti in venialia explicandus est unice ex quarto et ulteriori elemento, quod non pertinet immediate ad ipsum sacramentum, sed est quaedam extensio effectus ipsius, scilicet ex actu Poenitentiae elicito a gratia sacramentali, ratione cujus tamen nequit sacramento competere nisi mediatus influxus in venialium remissionem.

Primo enim, ipsum sacramentum (secundum quatuor actus quibus componitur) nihil in se habet quod sit causa formalis expulsiva peccati venialis, sed ex sua natura et essentia totum ordinatur ad expellendum peccatum ut *causa efficiens*, cum nihil aliud sit quam signum practicum gratiae remissivae. Unde et ipsa contritio, quae ex se immediate potest remittere venialia, id facit ut est opus operantis, non vero ut est pars sacramenti, sic enim tota refertur, una cum aliis partibus et ad modum unius simplicis sacramenti, ad effectum sacramenti significandum et causandum. Unde nonnisi ex consideratione hujus effectus videri debet an sacramentum dealeat immediate venialia, ratione nempe ejusdem

²⁰ Comm. in 3 p., q. 79, a. 4, Opera omnia, t. 21, Parisiis, 1866, p. 388.

effectus, qui quidem est duplex: ipsa scilicet contritio prout, roborata ex efficacitate et elevatione sacramenti, evadit quodammodo ejus effectus seu res et sacramentum, et gratia sacramentalis quae est ultimus et principalis effectus.

Secundo igitur, ipsa *contritio*, utut elevata et roborata per rationem sacramentalem, non inde specialiter ordinatur ad immediate delendum veniale, formaliter aut efficienter, nec aliud quidpiam accipit ex sacramento supra suam rationem operis operantis quam ordinationem et influxum ad inducendum ultimum et principalem effectum sacramenti, seu gratiam sacramentalem; nihil enim aliud est res et sacramentum qua tale. Ceterum, si per impossibile attritio, ut res et sacramentum, quomolibet venialia remitteret, haec remitterentur ante ipsam infusionem gratiae sacramentalis, et ita ex una parte duo haberentur principales effectus sacramenti aut exhauriretur causalitas sacramenti in priori effectu remissionis venialium, reddens frustraneam efficientiam alterius seu infusionem gratiae, et ex alia parte remissio venialium esset prorsus independens a gratia sacramentali, quae tamen nihil aliud est quam gratia remissiva.

Tertio, *gratia sacramentalis* potest considerari *dupliciter*, i.e. *vel* secundum suam activitatem, et sic revera delet venialia, ut explicatum est supra in Prob. 1, sed haec deletio nonnisi mediate procedit a sacramento; *vel* secundum suam entitatem, et quidem *tripliciter*: *aut* nude acceptam, et sic non habet contrarietatem cum peccato veniali nec ideo valet illud expellere; *aut* in conjunctione cum divina quadam ordinatione ex qua acciperet ut sit titulus seu "*forma moraliter sufficiens ad hunc effectum*" (ut vult *Suarez*), sed talis extrinseca ordinatio gratis fingitur, nec congruit naturae rei et providentiae divinae, nec ideo valet inducere moralem contrarietatem et vim ad delenda venialia ubi nulla est physica contrarietas nec physicum ullum fundamentum illius moralis contrarietatis et dignitatis; *aut* tandem in conjunctione seu relatione ad ipsam attritionem, ut partem sacramenti et ut rem et sacramentum (ut volunt *Arauxo*, *Vasquez* et *Soto*), quatenus nempe velut in unum copulentur vires gratiae et vires attritionis, gratia praebente attritioni altius motivum charitatis et attritione praebente gratiae nativam suam contrarietatem, sed ista explicatio fallax est, illegitime miscens materialia et disparata cum formalibus, ad producendum monstrum aliquod poenitentiale. Nam imprimis, contritio sacramentaliter accepta, simpliciter praecedat gratiam et, hac accedente, simpliciter evanescit sicut ipsum totum sacramentum, etiam si maneat ut opus operantis; item, in sua sacramentali ratione contritio abdicat independentiam suae efficacitatis ac velut eviratur sua vi operis

operantis; item, contritio si sit perfecta contritio, ut saltem saepe accidit, nihil emendandum habet ex gratia sacramentali, cum jam procedat ex motivo charitatis; item, ipsa gratia sacramentalis nequit ex attritione, tamquam ab extrinseca et disparata causa, ullum in se concipere intrinsecum principium contrarieratis cum peccato veniali, nisi, reverso processu, ipsa gratia ex propria vi et semine charitatis, concipiat ac generet actum poenitentiae, per quem solum potest causalitas sacramenti sese extendere in mediatam venialium remissionem.

Ex dictis patet *inanitas supradictarum* (p. 502 sq.) *rationum adversariorum*, quae omnes ex tribus capitibus desumuntur, scilicet ex paritate cum remissione mortalium, ex paritate cum remissione venialium per Baptismum, et ex ratione causalitatis ex infallibili opere operato quae debet competere sacramento Poenitentiae relate ad venalia.

OBICIUNT PRIMO ex paritate cum remissione mortalium ad quam immediate sufficit sacramentum, supposita congruente dispositione, nec ulla requiritur subsequens dispositio per quam mediate sacramentum operetur.

RESP. Disparitas est ex hac parte quoad modum remissionis inter mortalia et venalia, atque fundatur in ipsa disparitate inter eorum naturas. Nam peccatum mortale opponitur gratiae, ac ideo tollitur per solam infusionem gratiae, veniale vero non opponitur gratiae sed ejus activitati, ac ideo non tollitur per gratiam sed per actum gratiae. Item, peccatum mortale est principale objectum et materia sacramenti, veniale vero est objectum secundarium et extensivum; unde ex hoc quod efficacia sacramenti attingat mortalia immediate, non sequitur quod eodem modo debeat attingere venalia, cum sacramentum respiciat venalia extensive ac veluti mediante objecto principali, ac ideo convenit ejus indoli et significationi quod ad venalia delenda procedat extensive ac mediate, i.e. subsequenter ad infusionem gratiae qua delentur mortalia.

Nec valet instare quod ita remissio venialium, seu minorum culparum, esset difficilior remissione majorum, contra rectum sensum communem et philosophicum qui ad majorem effectum majorem causam appellat.

Nam hoc assertum procedit ex inadequata consideratione causae remissivae et ex consequenti aequivocatione vocis "difficilior". Et imprimis, si attendamus actum poenitentiae, qui requiritur ut dispositio ad remissionem sacramentalem vel qui est causa remissionis extrasacramentalis, facile patet majorem Poenitentiam requiri ad

remissionem mortalium quam ad remissionem venialium, cum ad illam, non ad istam, requiratur contritio *formalis et universalis*, tam ex parte doloris quam ex parte propositi (cf. q. 87, a. 1, et dicta superius in art. 93). Si etiam attendamus ad ipsam formam per quam fit remissio tum intra sacramentum tum extra, sic remissio venialium sub uno aspectu est difficilior, sub alio facilior remissione mortalium, formaliter tamen facilior, etsi absolute difficilior, juxta modum quo consideratur ipsa forma per quam fit utriusque remissio. Si enim gratia et ejus actus considerantur seorsim, gratia major est quam actus ejus, et charitas major quam ejus fervor, sicut substantia est major accidente, et ita infusio gratiae ac remissio mortalis est difficilior, remissio vero venialis facilior, quia difficilior est acquirere gratiam quam ex gratia jam habita transire in connaturalem ejus actum. Si vero gratia et ejus actus considerantur conjunctive (actus gratiae = activitas gratiae, vel actus ut ex gratia, vel actus cum gratia), gratia minor est suo actu, et charitas minor fervore charitatis, sicut substantia est minor accidente seu substantia accidentata (album enim dicit albedinem cum substantia), et ita infusio gratiae ac remissio mortalis est facilior, remissio vero venialis difficilior, quia plus est tollere tum mortalia tum venialia, quam sola mortalia, et difficilior est habere tum charitatem tum ejus fervorem, quam solam charitatem.

Prima tamen consideratio est formalis, quia directe attendit ad formam per quam fit remissio, abstrahendo ab eo quod haec forma praesupponit, seu ab ipsa gratia quam praesupponit actus. Altera vero consideratio est absoluta, quia attendit ad utrumque, velut simpliciter et concrete, scilicet ad id quo fit remissio et ad id sine quo non fit, formam nempe ejusque essentialia praesuppositum. Et pro tanto dici potest remissionem venialium esse simpliciter difficiliorum et perfectiorum, sicut difficilior est ardere quam amare et sanctius est carere venialibus quam mortalibus. Eodem modo *S. Thomas* declarat donum gloriae esse absolute majus dono gratiae justificantis: "Aliquid magnum dicitur dupliciter: uno modo secundum quantitatem absolutam; et hoc modo donum gloriae est majus quam donum gratiae justificantis impium; et secundum hoc glorificatio justorum est majus opus quam justificatio impii. Alio modo dicitur aliquid magnum quantitate proportionis, sicut dicitur mons parvus et milium magnum; et hoc modo donum gratiae impium justificantis est majus quam donum gloriae beatificantis justum; quia plus excedit donum gratiae dignitatem impii, qui erat dignus poena, quam donum gloriae dignitatem justi, qui ex hoc ipso quod est justificatus, est dignus gloria" (1-2, q. 113, a. 9).

OBICIUNT SECUNDO ex paritate cum remissione venialium per Baptismum, quae fit immediate per ipsum sacramentum.

RESP. Etiam si Baptismus valeret immediate remittere venialia, inepte idem de sacramento Poenitentiae concluderetur ex ipsa ratione paritatis inter utrumque sacramentum; nam e converso disparitas inter utrumque habetur praecise in modo quo remittunt peccata, eo quod Poenitentia, secus ac Baptismus, peccata remittit dependenter a sacramentali cooperatione subjecti ex quo dici solet baptismus laboriosus. Ceterum, concedenda est paritas utriusque sacramenti quoad modum quo delent venialia, et neganda est asserta ratio, quod nempe Baptismus deleat venialia immediate, idque ob eandem rationem qua immediata remissio denegatur sacramento Poenitentiae, quia scilicet nullum sacramentum causat directe ipsam formam quae opponitur veniali, sed tantum inducit formam oppositam peccato mortali, scilicet gratiam sanctificantem, et nonnisi mediante subsequenti actu hujus gratiae inducit ipsam formam qua veniale deleri possit. Unde non necessario remittuntur venialia per Baptismum, nisi adsit actus elicited contritionis vel charitatis et quidem talis modi aut gradus ut contrarietur peccatis venialibus. Et idem proportionaliter valet de *martyrio* seu baptismo sanguinis.

Nec valet opponere inde sequi morientem immediate post baptismum, aut martyrem, posse impediri ab ingressu coelorum et deputari Purgatorio donec ibi purgetur a venialibus nondum remissis, aut posse pro salute martyrum fundi orationem, contra vulgatum illud Doctorum "Injuria est pro martyre orare"; nam vi utriusque operis operati talia conceduntur auxilia, ad actum contritionis vel charitatis excitantia, ut saltem in momento separationis animae, solutis impedimenti temporalis cupiditatis, gratia illico in illum actum prorumpat quo a venialibus alligamentis liberetur (cf. infra, p. 546 sq.).

OBICIUNT TERTIO ac praecipue ex ratione causalitatis ex opere operato, quae non videtur quomodo salvari possit si admittatur sacramentum Poenitentiae delere venialia mediante actu contritionis vel charitatis. Nam causalitas ex opere operato duo importat, i.e. primo, ut fiat per vim ipsius sacramenti, non vero ex vi alicujus actus ipsius subjecti; secundo, ut consequatur effectum infallibiliter. Jamvero in casu, remissio venialium fieret imprimis ex propria vi actus Poenitentiae, adeoque ex opere operantis, nec ideo differret a modo quo venialia remittuntur extrasacramentaliter tam per solum actum virtutis Poenitentiae quam per adjutorium sacramentalium; secundo, non infallibiliter sequeretur, imo raro vel fere nunquam sequeretur, ut patet ex communi sensu confitentium, qui nullam in ipso momento absolutionis

experiuntur peculiarem excitationem aut meliorem dispositionem quam habuerint toto tempore praecedenti.

RESP. Primo, causalitas *ex opere operato* non respicit qualitatem effectus sed ejus necessitatem, seu tantummodo requirit ut aliquis effectus inducatur ratione ipsius sacramenti, qui nempe prout talis aliter non induceretur; nec refert an effectus sit aliqua res, vel aliqua rei modalitas, vel habitus, vel intensitas habitus, vel actus, vel perfectio actus; unde non est contra causalitatem sacramenti quod ejus effectus sit aliquod opus operantis, seu aliqua subjecti operatio vel aliquis actus habitus. Ceterum, non dicimus quod immediatus effectus sacramenti in remissione venialium sit ipse actus gratiae, seu ipse actus contritionis vel charitatis; nam hic, cum sit actus vitalis, nequit immediate causari nisi a voluntate et gratia, et aliunde si per impossibile causaretur immediate ab extrinseco sacramento, hoc dicendum esset remittere venialia potius immediate quam mediate, cum actus ille vix differat ab ipsa forma qua expelluntur venialia (ut explicatum est in art. 93, p. 477 sqq.) ac dici potest ea expellere potius formaliter quam efficienter, i.e. ipsa suiipsius positione.

Dicimus ergo immediatum effectum sacramenti esse auxilium excitans ipsam gratiam sacramentalem ad eliciendum illum actum quo venialia delentur, vel, si placet, ipsam gratiam sacramentalem non nude sumptam sed ut actuosam, seu ut impulsam ad eliciendum praedictum actum. Hoc sensu ipse *S. Thomas*, 3 p., q. 79, a. 4, ait: “Res [seu effectus] hujus sacramenti [Eucharistiae] est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur.”

Secundo, infallibilitas quae competit sacramento, prout est agens ex opere operato, non est intelligenda de infallibilitate ipsius effectus, seu consequentiae effectus, secus nullum sacramentum posset esse validum et informe, seu frustrari effectu gratiae; sed est infallibilitas virtutis et influxus ex parte causae, ita nempe quod posito valido sacramento, ponatur causa de se sufficiens, imo, si placet, actu influens in productionem effectus, etsi ex parte subjecti ob aliquam indispositionem productio ipsius effectus impediatur, stante causa et imo perseverante influxu causae, quaemadmodum ignis vere et actu ardet et comburit quamvis lignum humidum in se non comburatur.

Unde infallibilitas sacramenti Poenitentiae in remissione venialium peccatorum, non sic est intelligenda quod haec semper ac necessario tollantur, nam si de facto non elicitur actus poenitentiae non tolluntur; nec etiam ita quod semper ac necessario conferantur ipsa auxilia excitantia ad illum actum, nam si est actualis complacentia in

aliquo peccato ea auxilia non conferuntur relate saltem ad illud peccatum, cum frustra darentur ubi actum excitare non valeant, vel, si placet, conferuntur in virtute causae adstantis ac paratae ad conferendum, sed non secundum ipsum eorum exercitium et applicationem. In hoc igitur ea infallibilitas consistit, quod primo, semper infundatur vel augeatur gratia sacramentalis; secundo, semper apponantur auxilia quibus ea gratia fit actuosa seu proxime parata ad eliciendum actum poenitentiae juxta dispositiones subjecti; tertio, data hac dispositione, semper auxilia illa actualiter influunt et obtinent suum effectum elicientiae actus quo venialia delentur.

Quandonam autem de facto, aut qua frequentia, illa remissio contingat, est quaestio impertinens, cum id dependeat, sicut ceteroquin ipsa causalitas sacramenti in genere, a subjecti dispositione, et quidem, in praesenti casu, a vario modo quo haec dispositio referatur ad varia peccata venialia, quae, aliter ac mortalia, sunt separabilia in remissione. Ceterum, dici potest in aliquo sensu absoluto et indefinito, quod de facto semper et infallibiliter in susceptione sacramenti producit ipse effectus remissionis venialium, seu saltem aliquorum venialium.

Id sequitur imprimis ac generaliter ex eo quod per sacramentum infunditur gratia; jamvero "non contingit esse infusionem gratiae sine actuali motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, [et] ideo quando-cumque de novo gratia infunditur [sive extra sacramentum sive intra], peccata venialia remittuntur" (q. 87, a. 2), quatenus nempe ille motus necessario copulatur cum displicentia quorundam saltem leviorum venialium, ut explicatum est (in p. 496 sq.; cf. 475 sq.); patet autem illum motum accipiendum esse ut elicitum ab ipsa gratia sacramentali, sive in prima justificatione sive in augmento gratiae, secus non ageretur de remissione venialium ex opere operato per sacramentum. Praeterea, id patet ex consideratione ipsius actus contritionis qui requiritur in sacramento et qui elicitur antecedenter ad infusionem gratiae sacramentalis; nam vix possibile est ut haec contritio quae indesinenter comitatur sacramentum, sive ut ejus dispositio, sive ut ejus pars essentialis, sive ut ejus primus effectus (res et sacramentum), ex abrupto et simpliciter evanescat in ipso momento quo accedit ultimus effectus infusionis gratiae sacramentalis, quin potius, sub excitatione auxilii divini, abripiatur ab ista gratia et in ipsa continuetur vel ex propriis istius visceribus iterum sub alia ratione generetur, ita ut si fuerit mera attritio, ei succedat perfecta contritio de eisdem peccatis, et si jam fuerit perfecta contritio, ei succedat novus actus perfectae contritionis, ejusdem quidem speciei sed alterius modi et altioris sacramentalis efficacitatis, qui vel eadem peccata, jam ex opere operantis

deleta, iterum remittit vel, ex aucta sua intensitate aut perfectione, ad alia quoque, de quibus prius non displicebat, sacramentaliter se extendit.

Inepte autem *Suarez obicit* praedictam excitationem auxiliorum poenitentes non experiri. *Nam* nec infusionem gratiae sacramentalis, quam nemo tamen negabit, ipsi experiuntur, cum res essentialiter supernaturales sub naturali experientia cadere non possint, et ceteroquin ipsa experientia permanentis dispositionis efficacis doloris quem antea habebant, necnon nova serenitas et pax conscientiae, aliaque indicia quae theologi assignant recuperatae vel auctae justificationis, tot sint quoque signa excitationis divini auxilii in deletionem peccatorum.

Nec ulterius obicias quod ex nostra doctrina sequeretur quod detur sacramentum Poenitentiae *informe* relate ad peccata venialia quae de facto non remittuntur, et quod consequenter daretur *reviviscentia* sacramenti ad remissionem istorum, remoto obice complacentiae in peccato, ratione divini auxilii adstantis gratiae sacramentali, et quod praeterea *peccaret homo* opponendo praedictum obicem et frustrando effectum sacramenti.

Nam haec tria concedi possunt, intellecta cum grano salis.

Informitas Poenitentiae relate ad remissionem venialium admitti potest, congruenter cum modo loquendi ipsius *S. Thomae*, qui eam sub nomine fictionis aequivalenter admittit tum quoad Baptismum tum etiam, quoad alia sacramenta;²¹ sed ea est quaedam informitas improprie dicta et secundum quid, qua frustratur secundarius quidam effectus sacramenti seu nitor gratiae et fervor charitatis, non vero ipsa gratia quae proprie et simpliciter dicitur forma per sacramentum in animam inducta. Ratio autem quare admittamus hanc informitatem secundum quid, dum in art. 29 respuimus informitatem simpliciter seu relate ad remissionem mortalium, est quia plus contritionis requiritur ad remissionem venialium quam ad simplicem remissionem mortalium et infusionem gratiae, dum non plus requiritur ad infusionem gratiae

²¹ *In 3 p., q. 87, a. 3, ad 2*, agens de sacramentalibus et sacramentis, ait: "Omnia ista, quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium; potest tamen impediri remissio quantum ad aliqua peccata venialia, quibus mens actualiter inhaeret; sicut et per fictionem interdum impeditur effectus baptismi." *In 4 Sent., dist. 4, q. 2, a. 1, q. 1, ad 3*, agens de Baptismo, explicat praecedentia verba, inquires: "Quantum est de se, baptismus, ut dictum est, tollit omnem culpam originalem et actualem non solum mortalem, sed veniale; quae quamvis non contrarietur gratiae simpliciter, contrariatur tamen gratiae baptismali, quae debet esse perfecta ratione novitatis vitae. Sed potest impediri effectus ejus ex parte recipientis, si sit indispositus per fictionem. Sed cum fictio sit peccatum, sicut peccatum mortale est peccatum simpliciter, ita facit fictum simpliciter, et totaliter effectum baptismi impedit quantum ad remissionem culpae. Sed peccatum veniale quod in actu vel in proposito est, facit fictum secundum quid, et est secundum quid peccatum, ut dispositio ad peccatum; et ideo impedit effectum baptismi non simpliciter, sed quantum ad remissionem illius venialis."

quam ad validitatem sacramenti, cum in utroque casu requiratur et sufficiat vera quaelibet contritio.

Reviviscentia quoque, iterum secundum quid dicta, non est cur necessario ac simpliciter respui debeat; potest enim congruenter dici quod, ratione influxus divini auxilii, debiti ex jure sacramenti et jugiter adstantis gratiae sacramentali, frustratus effectus denuo conferatur, cum removetur obex complacentiae in peccato. Idque explicitè admittunt quidam theologi ut *Salmanticenses* (Comm. in 3 p., q. 87, a. 1, n. 14), et partialiter ipse *Suarez* quoad Baptismum et quoad solam confessionem quae fuerit simul de mortalibus et venialibus, seu ubi agatur simul de informitate simpliciter et de informitate secundum quid (Disp. 12, sect. 1, n. 7).

Tandem, in voluntaria et conscia appositione obicis remissioni peccati venialis, *peccatum* per se committitur, juxta nostram sententiam, quia opponitur obex perfectioni gratiae sacramentalis et frustratur aliquid de effectu sacramenti; agitur tamen de peccato levi, quia est de materia levi, quod praeterea poterit per accidens omnino deesse, vel ratione inadvertentiae vel ex eo quod quis velit se conformare sententiae adversariorum qui dicunt sacramenta remittere peccata immediate nec requirere subsequentem actum poenitentiae ad eorum remissionem.

NOTA 1. DE REMISSIONE VENIALIUM IN STATU NATURAE PURAE.

Etiam in hoc statu peccatum veniale non posset remitti nisi per aliquem actum poenitentiae aut dilectionis erga Deum, quia contrarium non nisi per contrarium tollitur. Non tamen per se requireretur actus supernaturalis et gratia sanctificans, sicut ad remissionem peccati mortalis illius status, sed sufficeret aliquis actus naturalis poenitentiae aut dilectionis erga Deum ut auctorem naturae, quia in eo statu peccatum veniale esset inordinatio circa Deum tantummodo ut finem naturalem, cum homo peccans venialiter maneat adhuc ad finem conversus, dum peccatum mortale esset etiam in eo statu aversio a Deo simpliciter ut a fine tum naturali tum supernaturali, ut dictum est in art. 48 (tom. 3, p. 32). Per accidens tamen ad remissionem venialium requireretur actus poenitentiae supernaturalis in homine qui haberet etiam mortalia, idque ob ipsam eorum conjunctionem cum mortalibus, quia non possunt auferri venialia nisi prius deleantur mortalia et haec nequeunt in ullo statu deleri nisi per gratiam sanctificantem. Ceterum illa deletio solius venialis per naturalem actum poenitentiae, non fieret per modum satisfactionis, quia, ut dictum est in art. 48 et 52 (p. 32 et 127), homo in nullo statu potest per actum naturalem vere satisfacere pro peccato

tam mortali quam veniali, sed esset mera remissio, fundata in quadam extrinseca rei congruentia et beneplacito divino.

NOTA 2. DE REMISSIONE VENIALIUM IN LIMBO.

Quaerunt quidam quomodo remittatur *peccatum veniale quod forte conjungatur cum solo originali*, ut si puer non baptizatus, perveniens ad usum rationis, committat tantum peccatum veniale et statim moriatur, an nempe ille possit se purgare ab illo peccato, et quomodo, et in quo expiationis loco, an in limbo, vel purgatorio, vel inferno, vel speciali quodam purgationis limbo, alio ab eo qui dicitur limbus puerorum.

Thomistae cum S. Thoma (cf. supra, art. 94, p. 492 sq.) totam quaestionem de medio tollunt, negando suppositum, seu possibilitatem conjunctionis peccati originalis cum solo veniali; puer scilicet baptizatus perveniens ad usum rationis, in primo actu istius usus, vel se convertit ad finem ultimum, et consequitur gratiam expulsivam peccati originalis, vel non se convertit, et ideo peccat mortaliter, conjungens mortale cum originali. Ceterum, data illa falsa hypothesi, S. Thomas respondet puerum illum puniri poena aeterna in inferno, ratione absentiae gratiae et status termini, in quo impossibilis est remissio. Praeterea, in illa hypothesi posset cogitari ut puero illi suppetat tempus conterendi de suo veniali peccato, antequam moriatur vel peccet mortaliter, et tunc non est assimilandus ei qui peccat venialiter in statu naturae purae, quia peccatum originale est lapsus ex statu elevationis, unde tale peccatum non posset dimitti nisi ex actu gratiae et charitatis.

Alii vero theologi qui contra S. Thomam admittunt possibilitatem conjunctionis originalis cum solo veniali, in varias abeunt explicationes de modo quo tale peccatum veniale puniri et expiari posset. *Suarez* (Disp. 11, Sect. 2, n. 14–19), qui hanc opinionem eligit ut probabiliorum et, ut inepte ait, “communiorum sententiam Theologorum”, asserens sententiae S. Thomae “fundamentum esse creditu difficile . . . [et] plane incredibile”, sequentes explicationes, ex aliis auctoribus collectas vel proprio Marte confectas, ut probabiliores proponit. Primo, praedictus puer est capax naturalis actus detestationis, adeoque potest delere suum peccatum in altera vita quin debeat puniri temporali poena in Purgatorio aut aeterna in inferno. Secundo, potest deputari Purgatorio ad suam culpam expiandam per poenam temporalem et inde postmodum transire ad limbum puerorum. Tertio, potest deputari ad expiandam aeternam poenam in ipso inferno (Haec explicatio non placet *Suaresio*). Quarto, potest deputari limbo puerorum, et in eo affici perpetua quadam tristitia. Quinto, dici potest ad Dei providen-

tiam pertinere ut non permittat aliquem in eo statu decedere ne, propter paucos homines et culpas leves, debeat statuere aliquem specialem locum et modum aeternae poenae sensibilis.

Ceterum, etiam *aliqui inter Thomistas*, emolliunt suam opinionem, docentes conjunctionem peccati originalis cum solo veniali non repugnare de potentia Dei absoluta, sed tantum de lege ordinaria, et inde conantur assignare speciale aliquod receptaculum in quo praedictus puer puniretur. Ita *Salmanticenses*, qui scribunt: “[Dicimus] casum apud nos esse impossibilem de lege ordinaria. . . Quod si absolutam Dei potentiam spectemus, juxta quam non ita repugnat praedictus casus (omissis variis solutionibus quas adducunt Alvar. Montes. et alii expositores D. Thom. hoc loco) responderetur, ad divinam providentiam pertinere designare locum aptum, in quo decedens cum solo peccato veniali et originali, poenam sensus veniali correspondentem perpetuo sustineat, etiamsi ad id necesse sit novum situm a tribus numeratis diversum pro praedicto effectu instituere: sicut enim casus propositus esset extraordinarius et praeter leges communes; sic etiam specialem et extraordinariam providentiam requireret. Esset autem divinare, velle nos determinare talem locum vel situm, cum ejus electio ex sola libera Dei voluntate dependeat, quae circa praedictum casum nihil nobis manifestavit.”²²

NOTA 3. DE REMISSIONE VENIALIUM IN INFERNO.

Scotus et Scotistae admittunt vel saltem logice inclinant in sententiam juxta quam peccatum veniale, sive quoad culpam sive a fortiori quoad poenam, remittitur damnatis post aliquod proportionatum tempus, soluta ipsa poena temporali quae sola pro veniali debetur et in cuius debito reatus peccati consistit (cf. supra art. 93 et 94, p. 433. 480. 492). *Alii* vero theologi communiter cum *S. Thoma* docent in inferno nullam esse remissionem etiam culpae venialis, et ipsam poenam temporalem, pro venialibus debitam, fieri per accidens aeternam sicut, ratione status termini in peccato mortali, fit permanens et aeterna ipsa culpa venialis.

An autem in inferno possit fieri *remissio solius poenae*, quae nempe luitur pro jam absolutis culpis (tam venialibus quam mortalibus), ita ut aliquando haec finiatur, manente in aeternum solo poena peccatorum nunquam remissorum, alia quaestio est, hinc inde disputata etiam inter Thomistas, quorum quidam consentiunt affirmativae sententiae Scotistarum, ut dictum est in art. 61 (tom. 3, p. 289 sq.).

²² De vitiis et peccatis, disp. 17, dub. 3, § 2, n. 75, *Cursus Theol.*, t. 8, Parisiis, 1877, p. 383 sq.; cf. *ibid.*, disp. 20, dub. 2, praecipue n. 70.

Ceterum, quod in utroque casu aeternitas poenae debitae pro peccato veniali nullam injustitiam aut incongruentiam arguat ex parte Dei, dictum est ibidem (p. 291 sq.).

NOTA 4. DE REMISSIONE VENIALIUM IN PURGATORIO (In 4 Sent., dist. 21, q. 1, a. 3, q. 1; De Malo, q. 7, a. 11).

Quaestio est, satis olim disputata, quomodo remittantur, *quoad ipsam culpam*, venialia cum quibus aliquis in statu gratiae discedit ex hac vita. Nam ex una parte haec peccata deleri debent, cum impediunt ingressum in coelum in quo nihil iniquitatum incurrit, et ex alia parte videtur quod post instans mortis nulla amplius relinquatur causa remissionis tam ex opere operato, ut patet, quam etiam ex opere operantis, eo quod instans mortis aperiat statum termini, in quo cessatum meritum tum satisfactio quae est propria causa remissionis per actum poenitentiae. Hinc quaestio: an et quomodo ea peccata remitti possint post mortem, sive immediate ante ingressum in Purgatorium, sive in ipso ingressu momento, sive in decursu purgationis.

Plures in hac re propositae sunt opiniones et explicationes quae ad triplicem sententiam revocari possunt.

PRIMA SENTENTIA de medio tollit quaestionem, respondens *nunquam contingere quod quis discedat a vita cum venialibus nondum remissis*, cum immediate ante instans separationis animae a corpore, vel in ipso instanti separationis, omnia venialia remittantur. Tres autem afferunt explicationes:

Quidam antiquiores, ut Hugo a S. Victore, Alex. Halensis (Summa, 2 p., q. 124 [alias 10], m. 10; 4 p., q. 57 et 65 [alias 17 et 27]) aliique, quos reticito nomine memorant Bonaventura (In 4 Sent., dist. 21, q. 2) et S. Thomas (In 4 Sent., dist. 21, q. 1, a. 3; De Malo, q. 7, a. 11), dixerunt quod ipsa *gratia finalis*, seu status gratiae, cum qua quis discedit, necessario abstergit venialia. Nam, inquit, peccatum veniale provenit ex concupiscentia, jamvero in fine vitae, ratione defectus et debilitatis virium, concupiscentia debilitatur ac fere annihilatur viresque animi perfecte subiciuntur gratiae, ac ideo venialia expelluntur; quod si ex aliqua causa, puta repentina morte aut transitu in statum amentiae vel somni, contingat ut aliquis discedat quin ullo modo, nec generaliter aut implicite, venialia revocaverit, haec vertuntur in mortale, quia veniale fit mortale dum placet. Et ita nunquam contingit justum discedere cum venialibus nondum remissis.

Attamen haec sententia vocatur a S. Thoma (In Sent., ibid.) “omnino irrationabilis” et “frivola et in se et in causa sua”; in se quidem, quia adversatur pluribus Patrum dictis de remissione leviorum peccatorum

in vita futura (cf. quaedam testimonia apud S. Thomam, De Malo, q. 7, a. 11, Sed contra), quae nequeunt convenienter exponi de sola poenae remissione, quia quoad poenam non solum levia sed etiam gravia peccata in Purgatorio remittuntur; in sua etiam causa seu fundamento illa sententia est inepta, quia debilitas virium in momento mortis non supprimit concupiscentiam sed tantum potest impedire ejus actum. Quod praeterea addit de conversione peccati venialis in mortale ratione complacentiae, falsum est, quia non omnis complacentia sufficit ad mortale, secus omne veniale esset mortale, sed requiritur complacentia in creatura tanquam in fine, seu actus fruitionis; ceterum, aliquis potest repente morte praeveneri, nihil cogitando aut complacendo de commissis venialibus, uti dormiens aut penitus ad alia distractus.

Alii, ut *Scotus* et plures *Scotistae* (relati in art. 93, p. 433 sqq.), dicunt quod in instanti mortis remittuntur venialia vi bonorum operum vitae, quae, ob indispositionem subjecti, non potuerunt antea illum effectum habere; impedimentum autem est ipsa complacentia in peccato veniali seu ipsa praesentia unius vel alterius peccati venialis sine quo nequit esse homo viator; in instanti igitur mortis hoc impedimentum removetur, quia justus in statu termini nequit amplius peccare, et sic ex vi omnium praecedentium bonorum operum vitae extinguuntur venialia, nec ideo unquam contingit justum ingredi aeternitatem cum venialibus nondum remissis.

Attamen haec explicatio, voluntarie nec valde firmiter a Scoto proposita ut effugiat inconvenientia pejoris adhuc solutionis ab ipso allatae et infra referendae, imprimis non prorsus congruit supradictis effatis Patrum de remissione venialium in altera vita et praesertim labili nititur fundamento. Nam ex asserta impotentia bonorum operum ad remittenda venialia quandiu sit praesens aliquod veniale, sequeretur nullum aut fere nullum veniale remitti in hac vita ante instans mortis, cum etiam a sanctissimis viris venialia usque ad illud instans committantur aut committi possint; quae consequentia, a qua non refugit *Scotus* (cf. in p. 433 sq.), prorsus inaudita est; quid enim de vi actus charitatis et ipsius perfectae contritionis ad remittenda peccata? nunquid et ipsa expectabit instans mortis? Ceterum, *Scotus* aliam statim subicit probabilem sibi solutionem, asserens: "Omne peccatum veniale morientis in charitate remittitur in hac vita, nisi ille continuet actum peccati venialis usque ad mortem, vel ad instans mortis. Hoc . . . videtur probabile." Quid *Scotus* sibi velit in illo inciso "Nisi ille continuet actum peccati venialis usque ad mortem" difficile dixeris; nequit enim loqui de continuatione ipsius actus alicujus determinati peccati usque

ad mortem, nam evidens est hominem aliquando cessare ab actu peccati, saltem cum dormit; ergo agitur de successione peccatorum venialium quae in omni justo possunt contingere usque ad mortem, et tunc reincidentibus in priore explicationem.

Alii videntur recurrere ad actum ferventis charitatis qui eliceretur a justo ante mortem, per quem omnia venialia absterguntur.

Attamen, haec explicatio est nimis particularis et problematica. Nam imprimis, non valet quoad eos qui morte praeveniuntur aut repenter in ipso actu actualis peccati vel habitualis complacentiae in peccato, aut in statu impossibili cum usu rationis, uti somno vel amentia. Praeterea, certum non est omnes morientes in usu rationis elicere actum ardentis charitatis vel contritionis et quidem talem qui contineat virtutem displicentiam omnium peccatorum venialium, etsi id sit "satis probabile", ut concedit *S. Thomas*, scribens: "Hoc . . . satis probabile videtur in his qui cum usu rationis ex hac vita recedunt: non enim est probabile quod aliquis in charitate existens, et cognoscens sibi mortem imminere, non moveatur motu charitatis et in Deum et contra omnia peccata quae fecit, etiam venialia" (*De Malo, q. 7, a. 11*).

SECUNDA SENTENTIA respondet remissionem venialium fieri in altera vita, non tamen in ipso Purgatorio, sed immediate post instans mortis, per actum charitatis vel contritionis tunc elicited ab anima separata, ita ut possint distingui haec tria instantia: primum mortis (seu in quo primo dici possit animam non esse in corpore et immediate antea fuisse), secundum elicentiae actus charitatis, tertium praesentiae in Purgatorio.

Ceterum ad hanc sententiam, qua parte dicit remissionem fieri post mortem et ante Purgatorium, reduci possunt explicationes praecedentis sententiae, nisi quod ejus patroni valde confuse et indeterminate loquantur. Differt igitur haec opinio ab aliis in hoc quod referat remissionem venialium ad ipsum actum charitatis, elicited ab anima post mortem et quidem ante inceptum Purgatorium (nec refert quod quidam dicant illum actum elici in ipso ingressu in Purgatorium, nam est quaestio de verbis, cum intelligatur non elici ab anima ut in Purgatorio seu ut jam in statu purgationis). Ratio est quia anima in illo momento ex una parte ardentem tendit in Deum et est separata ab omnibus impedimentis charitatis et tendentiae in Deum et ex alia parte optime cognoscit statum suum temporanae separationis a Deo ob relicta peccata; unde nihil magis connaturale ut illico prorumpat in actum perfectae poenitentiae. Objectiones autem quae adduci possunt, praecipue ex defectu meriti et satisfactionis in statu termini, solvuntur eodem modo ac in sequenti sententia.

Sic sentiunt non pauci theologi, tam inter thomistas quam extra, uti *Suarez* (Disp. 11, sect. 4, n. 10. 13. 14), *Vasquez* (Dub. 2, n. 10 sqq.), *Lugo* (Disp. 9, sect. 2, n. 10 et 35), *Salmanticenses* (Comm. In 3 p., q. 87, a. 4, n. 9-12; De justificatione, disp. 2, dub. 8, n. 318²³), *De Augustinis*,²⁴ *Lépiciér*,²⁵ *Hervé, Hugon*.²⁶

Attamen, distinctio inter momentum quo talis actus elicitur et momentum quo anima fit jam praesens in Purgatorio, in qua haec sententia prout distinguitur a sequenti fundatur, non convincit. Nam non datur status medius inter statum viae et statum termini, in quo nempe anima, veluti suspensa, sit et agat, sed status viae terminatur in statum termini, ita ut idem instans sit in quo dici potest animam jam non esse in statu viae et esse in statu termini, et eodem instanti quo absolvitur praesentia in corpore, incipit praesentia in Purgatorio, per cuius simul status cognitionem intimatur animae sententia sui particularis iudicii. Praeterea, huic opinioni obstat praecisior sententia *S. Thomae*, qui loquitur de remissione venialium in ipso Purgatorio.

TERTIA SENTENTIA docet remissionem venialium fieri in ipso Purgatorio, eodem modo ac in vita, per actum nempe contritionis vel charitatis. Ratio est tum exclusio aliarum sententiarum, tum propria efficacia actus charitatis ad delenda peccata, non obstante impossibilitate satisfaciendi in statu termini, tum auctoritas *S. Thomae*.

Ita quidam thomistae, nominatim *Soto* (In 4 Sent., dist. 15, q. 2, a. 2), *Gonet* (Disp. 4, a. 4, n. 92), *Diekamp* (De Novissimis, § 11).

²³ *Salmanticenses* suam sententiam emollire conantur, ut non discorderet a mente *S. Thomae*, loquentes de ingressu in Purgatorium, i. e. de actu elicto "in ipsomet ingressu Purgatorii, seu quod idem est, in ipsomet momento separationis animae a corpore".

²⁴ Hic etiam auctor hanc doctrinam emollire conatur, cum, admissa quidem ejus diversitate a sententia *S. Thomae*, scribit: "Id vero non impedit quominus peccata vere dicantur remissa in purgatorio, quia in illo instanti separationis animae a corpore, anima purgari incipit; et praesertim quia plena purgatio, scilicet quoad culpam et poenam, non eo instanti, sed per ignem purgatorii perficietur" (De Poenit., art. 9, circa finem, Romae, 1889, p. 101 sq.).

²⁵ Hic auctor valde ambigue loquitur: "Peccatum veniale remittitur quoad culpam in Purgatorio, per hoc quod anima, statim post mortem, prorumpit in ferventem charitatis affectum. . . Nam anima, statim ac iudicata manet et videt se, ob venialia peccata, ad purgatorium condemnatam. . . statim prorumpit in fervens. . . [beatitudinis] desiderium. . . Hisce cohaerenter, facile apparet quam sedulo vitandus sit falsus ille purgatorii conceptus, quo quis illius operationem ad hoc ordinatam concipiat, ut voluntatem, per spontaneam poenarum susceptionem, ab affectu peccati, ad Dei amorem paulatim protrahat, ut ita hujus vitae scoriae purgantur: quasi videlicet anima ibi detenta non solum poenae reatum expiet, sed etiam a culparum maculis gradatim ablatur" (De Novissimis, q. 5, a. 3, n. 4. 5. 10, Parisiis [1921], p. 282-286).

²⁶ "Quandonam id fit? Videtur fieri statim post mortem. Anima quippe exuta corpore illico et clarissime cognoscit se propter culpam a visione Dei retardari et culpae debere poenam; aliunde nihil ipsam impedit quominus statim prorumpat in actum charitatis, non corpus, non passiones; nec postea majorem recipiet gratiam, cum sors sit jam immutabilis. Ergo statim post mortem elicit charitatis actum; et sic dimittitur veniale quoad culpam, dum ingreditur anima ignem: hac ratione dici potest peccatum veniale expiari per ignem" (Tract. dogm., v. 3, Parisiis, 1948, p. 796).

Ceterum, ad majorem determinationem descendentes, quidam dicunt eam remissionem fieri per unicum actum, statim elicito a primo ingressu in Purgatorio (*Gonet*²⁷); alii vero dicunt eam fieri pedetemptim per actum charitatis et patientiae continuatum cum ipsa solutione poenae (*Soto*²⁸); alii tandem medio modo dicunt remissionem fieri, vel posse fieri, indeterminate per varios actus contritionis et charitatis, elicito durante purgatione, juxta gradum et qualitatem actus, etsi facile inde ab initio possit contingere ut eliciatur talis actus qui abstergat omnem culpam venialem. *Et hic videtur esse sensus ipsius S. Thomae*, cujus explicita sententia ad haec reducitur:

1. Remissio fit in ipso Purgatorio. Ait enim venialia remitti in Purgatorio, imo per poenam et ignem Purgatorii; dicit ea remitti in Purgatorio tanquam in statu aliquo, qui non sit status meriti et qui sit medius inter statum vitae et statum gloriae; obicienti quod anima separata statim conteritur de venialibus adeoque nequit esse cum venialibus, respondet exinde non sequi quod peccatum non remittatur in purgatorio, sed tantum quod statim ibi remittatur.

2. Remissio fit per actum charitatis et virtute gratiae. *De Malo*, q. 7, art. 11, ad 9: "Remittitur ergo in purgatorio veniale quantum ad culpam virtute gratiae . . . prout exit in actum charitatis detestantis veniale peccatum." *In 4 Sent., dist. 21, q. 1, a. 3, q. 1, ad 2*: "Remissio culpae venialis est ex voluntate gratia informata, quae in purgatorio erit in anima separata".

3. Satis probabile est remissionem fieri statim, quatenus facile anima separata cognoscens suam conditionem potest prorumpere in talem actum quo omnia venialia deleantur. *De Malo*, a. cit., ob. 16: "Quando est aliquod magnum bonum quod differtur, et magnum malum quod imminet, excitatur intensum desiderium ad consequendum bonum et evadendum malum. Sed animae separatae quae est purgatorio obnoxia imminet magnum malum, scilicet acerba peccatorum poena, et differtur a maximo bono separato, scilicet a vita aeterna. Ergo statim excitatur in ea fervens desiderium. Sed fervor caritatis non compatitur secum veniale. Ergo in purgatorio separata anima veniale habere non potest: ergo non potest veniale peccatum in purgatorio remitti." *Resp. ad 16*: "Dicendum quod illa ratio non concludit quod peccatum veniale in

²⁷ "Respondent aliqui, talem actum elici ab anima separata, in ipso instanti separationis. . . . Haec responsio et sententia probabilitate non caret. Probabilior tamen videtur alia opinio, quam approbare videtur S. Thomas quaest. 7. de malo art. 11. ad 16. ubi inquit animam a corpore separatam actum illum charitatis vel contritionis quo peccata venialia detestatur elicere in ingressu purgatorii".

²⁸ "Per actum charitatis, et patientiae continuatum illo tempore, quo veniale punitur, remittitur culpa: nam est actus Deo placens et ad remissionem accommodatissimus."

purgatorio non remittatur, sed quod statim ibi²⁹ remittatur; et hoc satis videtur probabile.”

4. Id tamen necesse non est, sed remissio potest paulatim fieri per varios actus charitatis, juxta eorum indolem et intensitatem; nam juxta majorem cognitionem et aestimationem quam illae animae tunc habent, sive ipsorum peccatorum, sive causarum eorum, sive supernaturalium veritatum, variatur indoles et gradus actuum contritionis. *De Malo, ibid., ob. 11*: “Sicut peccatum mortale opponitur caritati, ita peccatum veniale opponitur fervori caritatis. *Sed fervor caritatis delens peccatum veniale non potest esse in futuro*; quia nullus motus novus voluntatis erit ibi. *Ergo non poterit peccatum veniale remitti*, sicut nec peccatum mortale potest remitti nisi superveniente nova caritate.” *Resp. ad 11*: “Post mortem non erit aliquis motus novus voluntatis, qui non praecessit in hac vita in aliqua radice vel naturae vel gratiae. *Multi tamen actuales motus voluntatis* erunt post hanc vitam, qui non sunt modo: quia *alii etiam erunt secundum ea quae tunc cognoscent et experientur*.” Praeterea S. Doctor ait venialia remitti per ipsum ignem seu poenam prout voluntarie sustinetur; item Purgatorium esse statum, in quo culpa est simul cum poena; quae profecto supponunt non necessario venialia remitti omnia inde ab initio. *In 4 Sent., q. cit., sol.*: “Culpa venialis in eo qui cum gratia decedit, post hanc vitam dimittitur per ignem purgatorium; quia *poena illa* aliquantulum voluntaria, virtute gratiae *habebit vim expiandi culpam* omnem quae simul cum gratia stare potest.” *De Malo, a. cit., ad 13*: “Status . . . purgatorii medius est quidem quantum ad aliqua inter statum praesentis vitae et statum gloriae, non tamen quantum ad hoc quod sit ibi culpa sine poena, vel *poena sine culpa*.” Inde tamen non sequitur, juxta S. Thomam remissionem peccatorum venialium fieri omnino pari passu cum ipsa poenae satisfatione, ut forte intelligit Soto;³⁰ quandoque enim remissio fit inde a primo actu contritionis, quandoque vero paulatim per subsequentes actus, simul quidem cum satisfatione sed non necessario dependenter ab ea; pendet enim a modo et motivo quo illae animae inducuntur ad speciales actus charitatis contrariantes varia peccata venialia.

5. Illa remissio per actum contritionis vel charitatis, *non fit per modum satisfactionis* (nec a fortiori per modum meriti, quod non respicit remissionem culpae), nam in Purgatorio non datur satisfactio nec

²⁹ Editiones hic introducunt particulam “non” (“non remittatur”), quae ex errore in textum irrepsit, ut patet tum ex sensu objectionis, tum quia deest in pluribus codicibus manuscriptis saec. 14.

³⁰ Cit. in pag. praec., in nota.

meritum proprie dictum, imo stricte loquendo non datur actus contritionis, praecise quia dolor de peccatis caret virtute satisfactiva. Haec S. Doctoris doctrina sufficienter ex ejus verbis statuta est supra in art. 15 (tom. 1, p. 398 sq.) et art. 62 (tom. 3, p. 309 sq.). Hinc patet quam inepta et levi confidentia *Frassen* Scotista scribat: "Nullus amplius est locus meriti, vel demeriti post mortem. . . *Hinc improbat sententia S. Thomae* affirmantis quaest. 7. De malo, art. 11, peccata venialia remitti in purgatorio per actus contritionis, vel charitatis, quibus anima illa peccata detestatur, et retractat: inde enim sequeretur animas in purgatorio patientes posse adhuc mereri, cujus contrarium docent Theologi communiter."³¹

Remissio igitur per actum charitatis fit mere physice, seu tantum per modum formae incompossibilis cum peccato ac *removentis prohibens* ad gloriae assecutionem. Hoc quater in eodem *articulo 11 De Malo* (corp. et ad 1. 2. 5) asserit S. Doctor sub expressione remotionis impedimenti; in corp. ait: "Quia tamen post hanc vitam non est status merendi, ille dilectionis motus in eis [animabus purgatorii] tollit quidem impedimentum venialis culpa; non tamen meretur absolutionem vel diminutionem poenae, sicut in hac vita." Ex quibus verbis etiam dispellitur instantia, quare nempe actus tam intensae contritionis valeat removeere culpam et non removeat ipsam poenam Purgatorii; nam praecise ille actus non influit moraliter et ad modum satisfactionis, sed tantum physice ut removens prohibens sibi contrarium, poena vero tollitur per satisfactionem nec physice contrariatur actui charitatis.

NOTA 5. DE NECESSITATE POENITENDI DE VENIALIBUS.

Haec quaestio quadrupliciter intelligi potest: primo absolute, ita ut peccet qui non velit de venialibus poenitere; secundo hypothetice, seu ad finem obtinendi illorum remissionem; tertio hypothetice et determinate, seu ad finem obtinendi remissionem per sacramentum; quarto magis determinate, seu ad adimplendum praeceptum Ecclesiae de annua confessione.

Secunda et tertia quaestio coincidunt cum quaestione de effectu Poenitentiae ut virtutis et ut sacramenti, ac pertractatae sunt in hoc et duobus articulis praecedentibus. Quarta quaestio resoluta est in Cap. V De confessione, art. 37, tribus sequentibus assertionibus: Neminem ex praecepto Ecclesiae teneri ad confitendum si habeat tantum peccata venialia (tom. 2, p. 505–508); probabiliter satisfieri illi praecepto per confessionem solius peccati venialis (*ibid.*, p. 515–517); Ecclesiam

³¹De Poenitentia, a. 1, sect. 3, q. 2, Scotus Academicus, t. 10, Romae, 1902, p. 232.

non posse directe praecipere confessionem venialium (ibid., p. 531-534).

Restat igitur breviter dicendum de prima quaestione ad complementum dictorum in Cap. III De virtute Poenitentiae, art. 22 de necessitate Poenitentiae ubi, ut monuimus, directe attendimus ad solam necessitatem poenitentiae de mortalibus.

Porro *quidam doctores*, ut *Medina* (Cod. de Poenit., tract. 1, q. 1), *Suarez* (Disp. 11, sect. 3, n. 8) et *Lugo* (Disp. 9, sect. 2, n. 25), dicunt poenitere de venialibus non esse de absoluta necessitate sive medii sive praeepti, sed tantum de necessitate hypothetica (ad finem nempe obtinendi remissionem) quae nullam proinde importet obligationem sub peccato. Quod idem est ac dicere: si quis vult obtinere remissionem venialium, unicum medium habet poenitentiam, sed tamen non tenetur id velle, adeoque si non vult poenitere manebit in suo peccato veniali et consequenter excludetur a beatitudine, sed non peccabit per eam voluntatem nec poterit pro ea puniri sed tantum pro ipsis venialibus quae commisit. Ad rem *Suarez*: "Nullum . . . ostendi potest de hac re praeeptum, quapropter neque necessitas medii hic intervenit. . . Peccata venialia non sunt materia necessaria sacramenti poenitentiae; ergo nec sunt (ut sic dicam) materia necessaria virtutis poenitentiae". *Lugo*: "Homo non tenetur procurare ejus [i.e. venialis peccati] remissionem".

Haec tamen sententia, prima fronte tam peregrina, falsa convincitur tum ex ipsa ratione justitiae, quae exigit ut deordinatio inducta per peccatum veniale reguletur, quod quidem fieri nequit absque motu poenitentiae seu reconversione voluntatis ab indebita complacentia in bono creato; tum ex ipsa necessitate assequendi finem beatitudinis, a quo peccatum veniale, dum permanet, excludit; nemo enim est liber respuendi beatitudinem, quinimmo contraria explicita voluntas verteretur in mortale, et ideo nemo est liber praetermittendi medium sine quo beatitudo assequi non potest, qua enim voluntate Deus vult ut homo illum finem assequatur, vult quoque ut necessaria media eligantur. Accedit quod plura Scripturae et Patrum testimonia circa necessitatem poenitendi, quae retulimus in art. 22, omnino generaliter sonant. *Apoc.* 2, 5: "Age poenitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo". *Tertullianus*, De Poenit. 6: "Quam porro ineptum, quam iniquum, poenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere, hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere!" (M.L. 1, 1347.).

Ceterum cum dicimus necessarium esse poenitere de venialibus, non intelligimus poenitentiam formalem, sed aut formalem aut virtua-

cum utroque modo possit expelli veniale et removeri salutis impedimentum, ut dictum est in art. 93.

NOTA 6. DE QUALITATIBUS POENITENTIAE DE VENIALIBUS.

Haec quaestio resoluta est in art. 25. 26. 33. 93. 94. 95. Oportet nempe contritionem de venialibus habere omnes condiciones requisitas ad veram et proprie dictam contritionem, quas enumeravimus in art. 25; non tamen debet esse formalis et universalis, sicut poenitentia mortalium, sed sufficit virtualis et particularis; item, debet esse conjuncta cum statu gratiae. Tamen in sacramento contritio particularis pariter sufficit; contritio virtualis non sufficit, sed requiritur formalis; contritio sine statu gratiae sufficit ut dispositio ad inchoandum sacramentum in justificatione impii sed non sufficit ad causandam venialium remissionem quae debet fieri immediate per actum procedentem ab ipsa gratia sanctificante.

Hinc etiam patet quid dicendum sit de sufficientia sic dictae attritionis formidolosae (de qua in art. 33). In justificatione impii per sacramentum ipsa sufficit, modo praedicto seu per modum dispositionis, cum sit vera contritio seu attritio; an vero sufficiat in remissione venialium hominis justi, tam intra quam extra sacramentum, pendet ab ipsa quaestione an in justo possit esse simplex attritio, quod potius cum S. Thoma negavimus, docentes omnem contritionem hominis justi esse perfectam contritionem ac ideo omnem, ut ita dicatur, formidolosam justi contritionem esse dolorem procedentem ex charitate et timore filiali, qui est donum Spiritus S.

NOTA 7. DE DIFFERENTIA INTER PECCATUM VENIALE ET MORTALE QUANTUM AD EORUM REMISSIONEM.

Ex dictis praecipue in tribus praec. articulis, variae colliguntur differentiae, in diversa natura utriusque peccati fundatae (cf. supra, art. 93, p. 425 sqq.), quae ad tria capita revocari possunt.

1. *Quoad causam efficientem remissionis, seu contritionem.*

Quoad mortale requiritur per se contritio *formalis*, sed sufficit per accidens contritio virtualis in charitate contenta; quoad veniale vero nullatenus requiritur contritio formalis sed contritio virtualis sufficit simpliciter et per se. In sacramento vero quoad utrumque absolute requiritur contritio formalis.

Quoad mortale requiritur contritio *universalis*, i.e. de omnibus peccatis, et quidem per se *explicita et determinata* de unoquoque peccato (cf. art. 25, tom. 2, p. 62 sqq.); quoad veniale vero sufficit contritio

particularis, i.e. quae sit de uno peccato etiam ad exclusionem alterius, et si de facto sit de omnibus peccatis non requiritur explicita et determinata de unoquoque sed, ut ait S. Thomas, sufficit displicentia "generalis" et "in universali tantum" (De Malo, q. 7, a. 11, ad 3 et 4; In 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 1, cit. in p. 468; cf. dicta in art. 25, tom. 2, p. 99 sqq.). Nec inde sequitur impertinens esse conteri de particularibus peccatis eaque determinate confiteri; nam facilius contritio incenditur cum ad particularia dirigitur; ceterum conceditur efficacius esse de paucis cum majori contritione confiteri quam de multis cum minori.

In sacramento quoad mortalia requiritur per se *distincta accusatio*, per accidens vero probabilius sufficit generica accusatio, si nempe agatur de materia libera seu peccatis jam confessis; quoad venialia probabilius sufficit per se generica accusatio (cf. art. 39, tom. 2, p. 646-656).

Universalis dolor de mortalibus non includit dolorem de venialibus, dum quilibet dolor de veniali extenditur virtualiter ad omnia mortalia (cf. art. 25, tom. 2, p. 100 sq.).

Quoad mortale requiritur *propositum universale et per se explicitum ac determinatum*; quoad veniale vero sufficit propositum particulare de unoquoque nec explicitum et determinatum, vel propositum quoddam generale confusum seu "se praeparandi ad peccata venialia minuenda" (3 p., q. 87, a. 1, ad 1; cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 2).

2. Quoad causam formalem remissionis, seu gratiam.

Formalis causa qua tollitur peccatum, pro mortali est *ipsa gratia habitualis*, pro veniali est *actus gratiae*, seu poenitentia formalis vel virtualis, imo proprius est ulterior forma causata ab isto actu, scilicet restituta promptitudo gratiae ad suos actus. Inde remissio peccati mortalis non praerequirat statum gratiae sed fit per inductionem ipsius status gratiae; remissio vero venialis praesupponit statum gratiae, etiam quando fit simul cum remissione mortalis.

3. Quoad consecraria.

Remissio peccati mortalis est *difficilior* quam remissio venialis, omnibus consideratis, i.e. tum actu contritionis per quem fit, tum forma gratiae qua fit; si vero consideratur sola forma qua fit, tunc formaliter est difficilior, absolute vero facilior quam remissio venialium, ut explicatum est supra (p. 514 sq.).

Connexio peccatorum in remissione alia et alia est. Mortalia sunt inter se necessario connexa in remissione (etsi non in commissione), tum ratione causae efficientis, quae est contritio universalis, tum ratione causae formalis, quae est gratia aequaliter contrarians omne peccatum

mortale; venialia vero non sunt connexa etiam in remissione, quia haec fit per contritionem etiam particularem et per formam quae non opponitur aequaliter omnibus venialibus sub eadem indivisibili ratione. Praeterea, remissio mortalis non necessario secum trahit remissionem venialis; haec vero illam necessario praesupponit.

NOTA 8. DE REMISSIONE VENIALIUM PER SACRAMENTUM POENITENTIAE.

Ad complementum dictorum in praesenti articulo de sacramentali remissione venialium, haec recale et observa:

1. Peccatum mortale est principale objectum hujus sacramenti, et, si nondum fuerit accusatum, est etiam necessarium objectum; veniale vero peccatum est secundarium nec necessarium objectum, quamvis sufficiens, etiam si sit jam remissum. De his dictum est in art. 7 (tom. 1, p. 215 sqq.), ubi etiam explicavimus quomodo effectus remissionis vere exerceri possit etiam quoad peccata jam remissa (ibid., p. 220–225).

2. Contritio sacramentalis de venialibus debet esse vera contritio (ita ut non sufficiat mera intentio sacramenti aut quaelibet alia dispositio inferior proprie dicto dolore de peccato), et quidem formalis contritio (ita ut non sufficiat actus charitatis seu poenitentiae virtualis quae est sufficiens extra sacramentum). In peccatore accedente ad sacramentum cum mortalibus et venialibus sufficit attritio, etsi venialia non tollantur nisi ope perfectae contritionis vel charitatis, elicitae post collatam gratiam sacramentalem; in justo vero requiritur necessario perfecta contritio, si verum est, quod sustinemus, in justo non dari meram attritionem. Ut dictum est in art. 25 (tom. 2, p. 97 sq. 102–105) illicitum est accedere ad sacramentum sine contritione cum sola intentione suscipiendi absolutionem; mortale est confiteri sola venialia sine contritione de ullo; per se veniale est accusare venialia de quibus non habetur dolor, una tamen cum his de quibus dolor habetur.

3. *Confessio* generica seu indeterminata probabilis sufficit ad valorem et fructum sacramenti in remissionem venialium, ut dictum est in art. 39 (tom. 2, p. 646–656). *Necessitas* confitendi venialia, seu obtinendi eorum remissionem per sacramentum, nulla datur ex jure divino; de ea autem in connexionione cum praecepto ecclesiastico confer supra in Nota 5 (p. 529). De *praxi* confitendi venialia in antiqua Ecclesia dictum est per transennam in art. 1 (tom. 1, p. 91), art. 36 (tom. 2, p. 423 sq.) et art. 37 (ibid., p. 508).

4. *Informitas (et consequens reviviscentia)* confessionis venialium

dupliciter intelligi potest: primo proprie et simpliciter, seu relate ad effectum gratiae; secundo, improprie et secundum quid, seu relate ad subsequentem effectum qui est ipsa forma tollens peccatum veniale. Ut jam diximus supra (p. 519 sq.), hoc secundo modo infirmitas, et probabilius ipsa etiam reviviscentia, concedi debet. Quaestio igitur ulterius moveri potest an possit dari infirmitas primo modo in confessione venialium, seu an confessio venialium possit esse valida et tamen infirma seu sine effectu augmenti gratiae ob aliquem defectum in ipsa contritione, sicut quidam admittunt de confessione mortalium. Negative respondemus ob eandem rationem qua in art. 29 respicimus possibilitatem confessionis mortalium validae et infirmis, quia scilicet idem dolor verus et efficax, etsi particularis, qui requiritur ad sacramentum, est sufficiens dispositio ad augmentum gratiae et deletionem venialium.

Haec quaestio solum difficultatem facit his qui, ut Suarez, admittunt sacramentum validum et informe ex sola causa defectus universalitatis in dolore, nam universalitas non requiritur in dolore de venialibus, unde videtur non posse haberi confessionem de venialibus validam et informem.

Hinc Suarez hac difficultate sibi proposita, conatur invenire casum in quo, adhuc ex defectu universalitatis, detur confessio venialium valida et infirma, scribens: "Haec ratio evidenter concludit, quando persona poenitentis supponitur esse in gratia. Potest autem aliquando contingere, ut aliquis habens peccatum mortale, licite de solis venialibus confiteatur, vel quia mortale non occurrit memoriae absque culpa, vel quia, licet occurrat, non potest tamen illud dicere huic confessori sine gravi nocumento, et alterius copiam non habet. Rursus potest in eodem casu accidere, ut huiusmodi poenitens non habeat veram attritionem de tali peccato mortali, etiam sine mortali culpa, ex simili naturali oblivione, vel ignorantia invincibili. *In tali ergo casu confessio illa erit valida et infirma*; valida quidem, quia est formaliter integra, et ex sufficienti dolore de venialibus, ut supponimus; infirma vero quia sine attritione peccatum mortale remitti non potest; illo autem non remisso, nec venialia, quae cum illo erant conjuncta, possunt remitti, nec gratia infundi. Secus vero esset, si poenitens attritionem de illo peccato mortali habuisset, nam tunc saltem concomitanter remitteretur per absolutionem. Neque est inconveniens peccatum mortale concomitanter remitti cum venialibus, quia haec tunc non remittuntur sine infusione gratiae, quae necessario excludit peccatum mortale."²²

²² De Poenitentia, disp. 20, sect. 6, n. 8, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 454.

NOTA 9. DE REMISSIONE VENIALIUM PER CETERA SACRAMENTA (3 p., q. 87, a. 3; In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 4; De Malo, q. 7, a. 12).

Omnia sacramenta N. L. remittunt venialia ex opere operato, juxta uniuscujusque indolem et finalitatem, idque eodem prorsus modo quo ea remittit ipsum sacramentum Poenitentiae, scilicet conferendo auxilium excitans actum formalis vel virtualis poenitentiae, vel si placet infundendo aut augendo gratiam sacramentaliter excitatam ad eliciendum illum actum poenitentiae.

Ita praesertim *Thomistae* cum *S. Thoma*. Ceterum alii theologi consentiunt quoad principale assertum, seu quoad ipsum factum remissionis venialium per sacramenta, praesertim Poenitentiam, Baptismum et Extremam Unctionem, quae specialiter ordinantur ad remissionem peccatorum; sed quidam dubitant de aliis sacramentis, et plures reiciunt secundum assertum de mediata ratione illius remissionis per sacramenta, ut dictum est de sacramento Poenitentiae in Concl. 2.

PRIMA RATIO asserendi per omnia sacramenta remitti venialia, est ea quam insisterenter assignat S. Thomas in triplici relato loco, in quo hanc quaestionem directe aggreditur, quia scilicet per omne sacramentum habetur *infusio gratiae* et non contingit esse infusionem gratiae sine motu liberi arbitrii in Deum et peccatum, quo tolluntur venialia. De sensu horum verborum jam ter occasio dicendi fuit (p. 496 sq. 511. 518); scilicet, ipsa infusio gratiae qua talis est excitativa actus in Deum et in peccatum, eo quod ex una parte ipsa gratia est habitus naturaliter ordinatus et inclinatus ad talem actum, et ex alia parte ea gratia quando infunditur, vitaliter infunditur seu cum supernaturali cooperatione liberi arbitrii, quae quidem consistit in ipso actu dilectionis et contritionis, procedente ex ipsa eadem gratia infusa.

Exinde tamen non sequitur quod peccata venialia necessario tollantur ex hoc ipso quod ponatur ille actus seu motus in peccatum, procedens a gratia infusa, nam ille, etsi opponatur peccato mortali, non necessario opponitur veniali nisi sit specialis intensitatis et indolis; habet tamen ille actus ex se efficaciam unde possit opponi et expellere veniale, nisi impediatur ab indispositione subjecti, adeoque verum est quod quaecumque producant gratiam, uti sacramenta, remittunt venialia, ponendo scilicet causam sufficientem ad ea delenda, etsi istius influxus possit frustrari ab indispositione subjecti. Unde *S. Thomas*, explicans rationem simul et modum, quo omnia sacramenta remittunt peccata, addit: "Per fervorem charitatis peccata venialia remittuntur; et ideo quaecumque *nata sunt excitare fervorem charitatis* possunt causare

remissionem peccatorum venialium. . . [Voluntas autem inclinatur ad actum charitatis] aliquando . . . ex inclinatione habitus inhaerentis . . . et sic per sacramenta novae legis venialia peccata remittuntur: quia . . . per ea confertur habitualis gratiae donum” (*De Malo, q. 7, a. 12*). “Veniale peccatum dimittitur per fervorem charitatis, qui explicitè vel implicitè contritionem contineat; et ideo illa quae *nata sunt de se excitare fervorem charitatis*, peccata venialia dimittere dicuntur: hujusmodi autem sunt quae gratiam conferunt, sicut omnia sacramenta” (*In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 4; cf. ad 1. 2. 3*).

Hinc expellitur sceptica admiratio LUGO scribentis: “Ratio S. Thomae est, quia in omnibus sacramentis infunditur gratia, per infusionem autem gratiae tolluntur venialia. *Haec tamen ratio videtur difficilis*; nam gratia de se non habet oppositionem cum culpa veniali, cur ergo ex ejus infusione sequitur ablatio culpa venialis? Alioquin per omnia bona opera hominis justii remittentur etiam, cum in singulis operibus augetur gratia in suppono.”³³

Subinde tamen Lugo, iterum se convertens ad eandem S. Thomae rationem, eam approbat ac defendit contra impugnationem Suaresii, sed revera ejus vim non intelligit, deflectens ad quamdam extrinsecam et superficiale, utut ingeniosam rationem, fundatam in iuribus amicitiae. “Mihi magis placet, scribit, ratio S. Th. qua utitur, in praesenti, quia scilicet in omnibus sacramentis infunditur gratia, et per gratiae infusionem tolluntur venialia. *Hanc rationem S. Th. P. Suar. dicit esse difficilem, et obscuram*, quia si intelligatur, ut sonat, probat remitti venialia, quoties augetur gratia, quod falsum est. Sed revera censeo, illud consequens esse maxime de mente S. Th. quod, scilicet, quoties infunditur gratia, sive prima, sive augmentum illius remittantur aliqua venialia, si praecedat eorum displicentia, et retractatio saltem virtualis: haec enim semper debet intervenire: hoc autem positum licet ex natura rei non sit necesse, quod collatio gratiae offerat remissionem venialium; est tamen valde consentaneum legibus amicitiae; ut quoties aliquis admittitur ad novum complexum, et arctius amicitiae vinculum, condonentur offensae leves, vel omnes, vel ex parte: cum ergo quaelibet collatio gratiae, vel augmenti illius, sit novum amicitiae vinculum, quo Deus arctius se cum homine conjungit, et novus amplexus spiritualis, et quasi pacis osculum impressum, congruum sane est, ut afferat secum condonationem aliquam si non integram, saltem partialem offensarum levium, quarum est jam posita retractatio. Ideo enim verum est, quod dicitur in Tridentino ubi supra, peccata venialia multis aliis remediis expiari extra confessionem: quia scilicet, si adsit attritio, expiari etiam possunt per omnia sacramenta, quibus augetur gratia, imo quoties ex opere operantis augetur etiam gratia per bona opera hominis justii, videtur idem dicendum juxta mentem S. Th. et propter eandem rationem.”³⁴

SECUNDA RATIO desumitur ex ipsa indole *gratiae sacramentalis* qua talis (nam praecedens ratio respiciebat indolem ipsius gratiae communis, per quam remittuntur venialia etiam extrasacramentaliter). Omnia enim sacramenta sunt peculiariter instituta ad *sanctificationem* hominis, quae quidem sanctificatio partialiter consistit in remissione venialium seu in restitutione perfectionis et promptitudinis fervoris charitatis. Item, omnia sacramenta sunt instituta in *medicinam* et

³³ De Poenitentia, disp. 9, sect. 3, n. 48, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 640.

³⁴ Ibid., n. 53, p. 641.

sanationem, imo in hoc peculialiter consistit specifica indoles et finis gratiae sacramentalis,³⁵ adeoque ex sua indole omnia sacramenta petunt ordinari ad abstergendum etiam minores defectus et infirmitates, quae sunt peccata venialia. Item, omnia sacramenta habent vim tollendi *peccata mortalia*, ita ut sacramenta mortuorum id faciant per se, sacramenta vero vivorum id possint per accidens, ubi nempe non sit conscientia peccati, ut dictum est in tractatu De sacr. in genere (art. 13); ergo a fortiori debet eis competere vis tollendi peccata venialia.

Inepte autem *LUGO* has rationes absolute respuit, scribens: "P. Suarez disp. XII. sect. i, adducit multas congruentias. . . Haec omnia parum urgent; nam . . . negatur in primis . . . ea sacramenta habere vim dandi primam gratiam etiam per accidens de quo dixi satis in materia de Eucharistia, et quidquid sit de hoc, potest negari consequentia, si enim aliquando tollunt per accidens peccatum mortale; ideo est, quia ex se habent producere gratiam, quae ex natura sua est expulsiva peccati mortalis, quare aliquando illud expellunt per accidens, quia non inveniunt illud expulsum per aliam gratiam: at vero expulsio peccati venialis nullam videtur habere necessariam connexionem cum effectu, quem causant illa sacramenta. Quod vero dicitur sacramenta omnia instituta esse ad sanctificationem hominum, non arguit, tollere peccata venialia, quia etiam per omnia bona opera hominis iusti additur novus gradus gratiae sanctificantis, quae non solum ex institutione, sed ex natura sua ordinatur ad sanctificandum hominem: et tamen non expellit peccata venialia, quia potest homo sanctificari sine hac expulsionem."³⁶

TERTIA RATIO desumitur, per inductionem, ex propria indole et fine *uniuscujusque sacramenti*, cui obstat peccatum veniale. Sacramenta enim mortuorum sunt de primaria et directa institutione ordinata ad remissionem peccatorum, sacramenta etiam vivorum, etsi magis directe respiciant positivam hominis perfectionem, sunt etiam ordinata ad occurrendum uni vel alteri naturae lapsae defectui, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 42, p. 529 sq.), qui defectus facile implicatur vel connectitur cum peccatis venialibus.

De *POENITENTIA* quidem id nullatenus ambigi potest, cum sit doctrina saltem theologice certa, ut notatum est supra in Statu Quaestionis (p. 499). Huic enim sacramento signantissima et formalissima ratione competit adversari peccato; haec quippe oppositio invenitur etiam in gratia sanctificante communi, sed velut in radice; item, invenitur in gratia sacramentali collata per quodlibet sacramentum, quatenus est medicinalis, sed veluti materialiter et aequivalenter, quatenus per eam occurritur alicui defectui connexo cum peccato, non vero directe prout occurritur ipsi peccato; item, peculialiter invenitur in gratia baptismali, quatenus est novitas et generatio a vetustate et morte originalis peccati ejusque sequelarum, sed veluti consequenter et exi-

³⁵ Cf. tractatum De sacr. in gen., p. 118. 218. 219. 223. 529; item textus *S. Thomae*, In 4 Sent., dist. 7, mox citandos in p. 541 sq.

³⁶ Op. cit., n. 49 sq., p. 640.

gitive, non vero signate et formaliter prout occurritur ipsi peccato qua tali; hoc enim est proprium Poenitentiae, quae immediate et formaliter restituit amissam vitam spiritualem, delet offensam per satisfactionem contritionis et expellit formam peccati per infusionem formae justificantis.

De *BAPTISMO* res pariter certa est ex *Conc. Trid.*, sess. 5, can. 5, definiente per hoc sacramentum tolli "totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet" (Denz. 792), et in sess. 14, cap. 2 de Poenit., docente: "Per baptismum . . . nova prorsus . . . efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes" (Denz. 895).

Ratio desumitur ex ipsa indole hujus sacramenti. Est enim spiritualis regeneratio a morte peccati ad vitam gratiae, peccatum autem veniale verum peccatum est et opponitur perfectioni gratiae; est quaedam perfecta novitas, qua efficimur veluti nova creatura, venialis autem culpa etiam pertinet ad vetustatem peccati; tollit omnem poenam, ergo a fortiori omnem culpam, pro qua poena dabetur; est per se aperitio regni coelorum, ergo aufert venialia, quae impediunt ingressum in illud; tollit peccatum originale cum omnibus suis sequelis, ergo et peccatum veniale; est sacramentum mortuorum, ergo sicut de primaria intentione ordinatur ad tollendum peccatum mortale, ita de consequenti ordinatione tollit venialia quae ad mortale disponunt.

Remittit autem Baptismus, actualiter vel subinde per reviviscentiam, omnia venialia praecedentia instans ablutionis, sicut et mortalia praeter peccatum fictionis; ipsum vero peccatum fictionis et cetera quae sequuntur, remittuntur per solam Poenitentiam.

EXTREMAE UNCTIONI similiter peculiariter convenit et tribuitur remissio peccatorum venialium, imo plures theologi voluerunt eam esse ipsum principalem effectum hujus sacramenti. Id disputabitur in proprio tractatu. Hic interim sufficiat sequentia adnotare.

Connexio hujus sacramenti cum peccatis quomodolibet, exprimitur in ipsis verbis *Jac. 5, 15*: "Et, si in peccatis sit, remittentur ei." *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 2 de Extr. Unct., docet hanc "unctionem delicta, si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergere", et in can. 2 definit eam "remittere peccata, et alleviare infirmos" (Denz. 909. 927). Hoc igitur sacramentum secundum sensum Traditionis et Theologorum abstergit reliquias peccati; alleviat animam; repellit spiritualem debilitatem; datur peculiariter ad modum spiritualis medicinae et ut quaedam congrua praeparatio in transitu ad aeternitatem; dicitur a quibusdam ordinari per se ad tollendum ipsum peccatum mortale, quamvis de secundaria intentione, ita ut vocari possit quodammodo

sacramentum mortuorum vel sit medium inter sacramenta mortuorum et vivorum. Quae omnia directam vel indirectam habent connexionem cum peccatis venialibus, ut intuenti facile patet.

EUCCHARISTIAE quoque peculialiter doctrina ipsa catholica assignat remissionem venialium.

Conc. Florentinum docet per Eucharistiam vitam spiritualem "reparari" et hominem "a malo retrahi" (Denz. 698). *Conc. Trid.*, sess. 13, can. 5, signanter etsi indirecte docet fructum hujus sacramenti esse "remissionem peccatorum"; in cap. 2 directe docet hoc sacramentum esse "antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur" (Denz. 887. 875). *Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 4, q. 50: "Remitti vero Eucharistia et condonari leviora peccata, quae venialia dici solent, non est, quod dubitari debeat." Decretum "*Sacra Tridentina Synodus*" a. 1905 de frequenti communione, docet hujus finem esse ut fideles "robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata . . . praecavenda" et "feri non posse quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant". *Patres* dicunt hoc sacramentum vivificare mortuos, expellere morbos spirituales (Cyrillus Alex., In Joan. 4, 47), abstergere omnem spurcitiam (Damascenus, De fide orth. 4, 14); *Liturgia* in oratione pro vivis et defunctis (Postcommunio) habet: "Purificent nos . . . Deus, sacramenta quae sumpsimus; et . . . praesta; ut hoc tuum sacramentum . . . sit ablutio scelerum . . . sit . . . remissio omnium delictorum."

Ratio desumitur ex ipsa indole Eucharistiae vel, si placet, ex propria ratione gratiae sacramentalis, quae consistit tum in spirituali cibatione, ac ideo, sicut omnis cibus, est reparativa virium spiritualium quae debilitantur per veniales infirmitates, tum in unione cum Christo quae fit per charitatem non solum secundum habitum sed etiam secundum actum. Cf. tractatum De Eucharistia, art. 25, tom. 1, p. 467 sq., ubi citavimus *S. Thomam*, 3 p., q. 79, a. 4. S. Doctor in 3 p., q. 65, a. 1, loquens de sacramentis in genere et assignans rationem septenarii numeri sacramentorum ex diverso modo quo varia sacramenta ordinantur contra defectum peccati, ait Eucharistiam ordinari "contra labilitatem animi ad peccandum", quae quidem maxime manifestatur in frequenti lapsu in peccata venialia.

De *CONFIRMATIONE* autem (sicut et de Ordine et Matrimonio) res minus evidenter apparet nec ceteroquin documenta Traditionis quidquam directe et particulariter nobis praebent. Unde quidam Theologi negarunt vel dubitarunt de remissione venialium per ista sacra-

menta, alii tantum ut aliquid mere probabile et pium eam proponunt. Ita *Soto*, commentans doctrinam S. Thomae de remissione venialium per Eucharistiam, scribit: "Haesitabit quis forsan, eo quod Divus Thomas videat peculiariter hunc effectum huic sacramento tribuere, cum tamen ex altera parte cunctis videatur communis: nam cum omnia gratiam conferant, cujus peccatum veniale obex non est, videntur venialia per omnia alia sacramenta remitti. Ad hoc bifariam responderi posset. Primo quod cum susceptio aquae lustralis et episcopalis benedictio, atque alia id genus sacramentalia remittant omnia venialia, quorum complacentiam non inveniunt, absque aliquo eorum dolore, probabile est, ut per omne sacramentum generali ratione gratiae pariter remittantur. Nihilominus tum baptismus, tum etiam hoc sacramentum id habet ex sua natura proprie: ille scilicet, quia regenerat hominem in novam vitam, hoc vero propter rationes in praesentiarum allatas. *Attamen et veritati forte similis et menti S. Thomae vicinus* responderetur negando id omni sacramento convenire."³⁷ *Suarez* ait: "Haec opinio est magis recepta inter Theologos. . . Licet certa auctoritate non constet, neque necessaria ratione probari possit, probabilior est, et magis pia" (Disp. 12, sect. 1, n. 5).

Nihilominus dicendum est cum S. Thoma, etiam Confirmationi eam vim remissivam competere; quod patet non solum ex duplici communi ratione assignata quoad omnia sacramenta, scilicet ex vi gratiae communis et ex fine gratiae sacramentalis generaliter spectatae, sed etiam ex indole propriae gratiae sacramentalis Confirmationis, quae est perfectio et plenitudo vitae christianae (cf. tractatum De Confirmatione, art. 5).

Primo enim, haec gratia est *perfectiva seu completiva* gratiae baptismalis seu effectus Baptismi; inter effectus autem Baptismi est remissio venialium; unde non intelligeretur Confirmationem esse in pleno sensu complementum Baptismi nisi et venialium remissionem completeret. Tunc plene verificatur celebre effatum Cypriani: "Christiani utroque sacramento nascuntur"³⁸ et plene intelliguntur verba *Optati Milevitani*: "Oleum . . . simplex est, et nomen suum unum et proprium habet: confectum jam chrisma vocatur, in quo est suavitas, quae cutem conscientiae mollit, exclusa duritia peccatorum: quae animum innovat lenem: quae sedem Spiritui Sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur" (M.L. 11, 1090). Ad rem *S. Thomas*: "Sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit; et ideo non debet dari his

³⁷ In 4 Sent., dist. 11, a. 4, Venetiis, 1575, t. 1, p. 517 sq.

³⁸ Cf. tractatum De Confirmatione, art. 5, p. 346.

qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. . . Et tunc per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut et baptismi; quia per gratiam collatam in hoc sacramento *consequitur poenitens plenior remissionem peccati*; et si aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento consequetur remissionem peccatorum” (3 p., q. 72, a. 7, ad 2).

Secundo, haec gratia est *roborativa* contra defectum infirmitatis seu debilitatis animi, qui quidem etiam provenit vel connectitur cum peccatis venialibus. Talem defectum S. Thomas sic circumloquitur: “Infirmitas animi, quae in nuper natis invenitur” (3 p., q. 65, a. 1), “Defectus oppositus robori quod exigitur in confessoribus nominis Christi, scilicet . . . infirmitas”, “Morbus infirmitatis” (In 4 Sent., dist. 7, q. 2, a. 2, q. 2, sol. et ad 2). Gratia igitur confirmationis ordinatur ad perficiendam seu stabiliendam in seipsa vitam nuper per Baptismum generatam et simul ad conferendum ei robur contra exteriora agentia quae ipsi opponuntur. Utrique autem contrariantur peccata venialia quibus minuitur perfectio, fervor et robur vitae christianae, tanquam per spirituales infirmitates et debilitates. Unde connaturale est quod gratia Confirmationis ordinetur ad expellenda venialia; et ita, ut diximus in tractatu De Confirmatione (art. 5, p. 348), hoc sacramentum afferens internum remedium contra vulnus infirmitatis inductum a peccato originali, concurrat cum ceteris sacramentis ad expellendam generalem infectionem illius culpa et ad partialiter restituendum ipsum originale donum integritatis.

Ad rem S. Thomas: “Oportet quod [in Confirmatione] gratia gratum faciens detur; et ideo si invenit aliquam culpam quae fictum non faciat, delet illam, *sicut patet de culpa veniali*; quamvis non principaliter contra culpam ordinetur” (In 4 Sent., dist. 7, q. 2, a. 2, q. 1, ad 1).

“Alia est gratia confirmationis a gratia baptismi, et contra alium defectum datur. Gratia enim baptismi datur contra defectum qui impedit omnem statum iustitiae in vita christiana, scilicet contra peccatum originale et actuale; gratia autem confirmationis *contra defectum oppositum robori* quod exigitur in confessoribus nominis Christi, scilicet contra infirmitatem” (Ibid., q. 2).

“Gratia sacramentalis, quae est principalis effectus sacramenti, quamvis habeat connexionem cum gratia quae est in virtutibus et donis, tamen est alia ab ea: quia *gratia sacramentalis perficit removendo primo et principaliter defectum ex peccato consequentem*; sed gratia

virtutum et donorum perficit inclinando ad bonum virtutis et doni; *sicut gratia confirmationis removendo infirmitatis morbum*; fortitudinis autem donum vel virtus inclinando ad bonum quod est proprium virtuti vel dono. Et ideo quamvis in baptismo dentur virtutes et dona, et similiter in confirmatione, non oportet quod sit eadem gratia sacramentalis utrobique” (*ibid.*, q. 2, ad 2).

Tertio, gratia Confirmationis conjungitur, sicut gratia Baptismi et Ordinis, cum speciali quadam sanctificatione consistente in deputatione ad cultum, quae confertur per alterum effectum sacramenti, seu *characterem*. Hujus autem deputationis exercitio opponitur immunditia peccatorum venialium, quia non decet immundis accessus ad sacra. Unde iterum est connaturale gratiae hujus sacramenti ut abstergat peccata venialia, ut ita conformet suum influxum indoli et exigentis alterius effectus ejusdem sacramenti.

Ad rem *S. Thomas*: “In quolibet sacramento est aliqua sanctificatio. Sed quaedam est sanctificatio in sacramento quae est communis omnibus sacramentis, scilicet emundatio a peccato vel a reliquiis peccati; et quaedam sanctificatio quae est specialis quibusdam sacramentis imprimentibus characterem, scilicet *deputatio ad aliquod sacram.* Utraque autem sanctificatio gratiam gratum facientem requirit: *quia illud quod directe contrariatur peccato, est gratia*; contraria autem contrariis curantur. Unde idem remedium adhiberi non potest contra peccatum et sequelas ejus, nisi per gratiam gratum facientem. Et ideo in omni sacramento novae legis gratia gratum faciens confertur, ut dictum est supra. Similiter autem *accessus ad sacra non est licitus immundis*, nec aliquis ab immunditia liberari potest nisi per gratiam, nec effici idoneus ad sacra ministranda vel percipienda; et ideo oportet quod *in sacramentis quae characterem imprimunt*, gratia gratum faciens imprimatur. Cum ergo confirmatio sit sacramentum novae legis characterem imprimens, ex duplici parte necessarium est quod gratiam gratum facientem conferat. . . Confirmatio ordinatur contra poenam quae est ex culpa causata, et ad culpam inclinans; et ideo ex consequenti habet repugnantiam ad gratiam, et propter hoc contra ipsam oportet quod gratia gratum faciens detur; et ideo si invenit aliquam culpam quae fictum non faciat, delet illam, *sicut patet de culpa veniali*; quamvis non principaliter contra culpam ordinetur” (*ibid.*, q. 1, sol. et ad 1).

ORDINIS quoque sacramento tribuenda est venialium remissio, ut sequitur non solum ex duplici generali ratione supra assignata pro omnibus sacramentis sed etiam ex ipsa indole hujus sacramenti.

Primo enim gratia sacramentalis Ordinis ordinatur ut ait *S. Thomas*,

3 p., q. 65, a. 1, contra *defectum peccati* qui est “dissolutio multitudinis”. Haec autem dissolutio provenit praecipue ex ignorantia plebis, quae expellitur per magisterium et ministerium sacerdotale (Suppl., q. 35, a. 1, ob. 1 et ad 1); ad hoc autem munus digne adimplendum requiritur quaedam “bonitas excellens” et “amplior gratia” (ibid. ad 3); haec autem gratiae perfectio et excellentia connaturaliter adversatur peccatis etiam venialibus, quae inducunt in animam languorem voluntatis in agendo et hebetudo mentis in intelligendo et iudicando.

Ad rem S. Thomas: “Sacramentum ordinis ordinatur contra defectum ignorantiae. . . [Id autem] non est intelligendum ita quod per susceptionem ordinis pellatur ignorantia in suscipiente; sed quia suscipiens ordinem praeficitur ad pellendam ignorantiam in plebe” (Suppl., q. 35, a. 1, ob. 1 et ad 1); “Ad idoneam executionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens; ut sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis. Et ideo praeexigitur gratia quae sufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Christi; sed confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratiae munus, per quod ad majora reddantur idonei” (ad 3).

Secundo, gratia Ordinis datur simul cum *charactere* sacramentali, et quidem in auxilium deputationis ad sacra, in charactere fundatae. Ergo connaturaliter ordinatur etiam ad venialia auferenda quae opponuntur digno exercitio illius deputationis. Quae ratio si valet quoad Confirmationem, ut dictum est, potiori ratione valet quoad Ordinem, per quem illa deputatio confertur non quomodolibet seu passive, ut in Baptismo et Confirmatione, sed active; si enim immundis non licet suscipere sacra, a fortiori non licet ea conficere et ministrare, cum actio transeat ad extra, et infectio capitis communicetur membris, et corruptio optimi pessima. Propterea S. Thomas in textu nuper citato ait in suscipientibus Ordinem requiri excellentiorem et ampliozem gratiam, imo in 2-2, q. 184, a. 8, ait quod “quia per sacrum ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipse Christus servitur in sacramento altaris. . . [ideo] requiritur major sanctitas interior, quam requirat etiam religionis status”.

MATRIMONIUM etiam confert venialium remissionem, tum ob supradictas generales rationes, tum ob finem et indolem propriae gratiae sacramentalis. Ordinatur enim contra *defectum peccati*, seu “in remedium contra concupiscentiam personalem” (3 p., q. 65, a. 1), “per gratiam quae in eo datur” (Suppl., q. 42, a. 3, ad 4), quatenus “cum in matrimonio detur homini ex divina institutione facultas utendi uxore sua ad procreationem prolis, datur etiam gratia, sine qua id

convenienter facere non posset, sicut etiam de potestate ordinis supra dictum est” (*ibid.*, *in corp.*).

Haec autem gratia, quamvis non requirat excellentiorem gradum, sicut gratia Ordinis, exigit tamen peculiarem vim refrenativam inferiorum passionum, quae difficiliter per rationem regulantur et voluntate dominantur; quae peculiaris gratiae efficacia nequit non redundare in contrarietatem et expulsionem eorum praesertim venialium peccatorum quae contra virtutem temperantiae committuntur.

Quoad modum autem quo omnia sacramenta remittunt venialia, haec nota, congruenter ad ea quae dicta sunt de ipso sacramento Poenitentiae.

Dispositio in subjecto praerequisita, est absentia complacentiae in peccato vel peccatis quae deleri debent, nec per se requiritur actualis et positivus motus contritionis vel dilectionis aut explicita cogitatio de peccatis, si solum excipiatur sacramentum Poenitentiae, in quo contritio et confessio requiruntur ut pars sacramenti.

Influxus cujuslibet sacramenti in remissionem venialium fit unice per actum contritionis vel charitatis, elicitedum a gratia sacramentali. In hujus autem actus elicentiam, sacramentum concurrens duplici titulo: primo nempe, quia causat gratiam communem, in cujus infusione semper habetur cooperatio liberi arbitrii per motum in Deum et in peccatum, qui quidem formaliter elicitedum ab ipsa gratia infusa vel aucta, et hoc modo nihil differt remissio venialium per sacramenta a remissione ex opere operantis extra sacramenta, sicut non differt ipsa gratiae collatio; secundo, quia causat gratiam sacramentalem, seu, si placet, gratiam communem cum propria modalitate sacramentalitatis, sub qua modalitate procedit ipse actus contritionis vel charitatis, elicitedum ab eadem gratia, et ita differt remissio venialium per sacramenta ab ea quae fit ex opere operantis, nam gratia sacramentalis secum fert specialia auxilia excitativa ipsius gratiae ad eliciedum actum quo venalia expelluntur, ut explicatum est supra in Conclusionem.

Propterea S. Thomas, *De Malo*, q. 7, a. 12, ait quod sacramenta remittunt venialia tum ratione infusionis gratiae tum ex “*aliquo interiori instinctu*, qui est a causa superiori, scilicet Deo”, quia nempe “*divina virtus in eis secretius operatur salutem*”, et in particulari de Eucharistia, 3 p., q. 79, a. 4, ait quod effectus seu “*res . . . hujus sacramenti est charitas, non solum quantum ad habitum, sed etiam quantum ad actum, qui excitatur in hoc sacramento, per quem peccata venialia solvuntur*”, itemque *In 4 Sent.*, dist. 12, q. 2, a. 2, q. 1, ad 1: “*In hoc sacramento non solum confertur gratia habitualis, sed excita-*

tur fervor actualis devotionis; et ideo gratiae hujus sacramenti non solum mortalia, sed etiam venialia opponuntur.”

Effectus ipse in venialium remissione non necessario est idem in diversis sacramentis, sed potest variare tum intensive tum extensive, pro natura et indole uniuscujusque sacramenti ejusque gratiae sacramentalis. Et quidem, si consideratur *gratia communis*, quae est specificè eadem in omnibus sacramentis sicut extra sacramenta, nulla videtur esse diversitas aut limitatio in remissione venialium (nisi fortasse quoad intensitatem, eo quod quaedam sacramenta, ut Eucharistia, sunt nobiliora ac ideo fortiora), sed quaelibet et omnia peccata venialia possunt per quodlibet sacramentum deleri, juxta dispositionem subjecti et contrarietatem cum peccato existentem in actu poenitentiae elicito a gratia. Si vero consideratur *gratia sacramentalis* propria unicuique sacramento, differt extensive et specificative remissio venialium in unoquoque, juxta finem et indolem uniuscujusque sacramenti, cui gratia ipsa sacramentalis cum suis auxiliis, et actus ab ea elicitus, conformatur; et ita unumquodque sacramentum ad quaedam particularia peccata delenda specialiter ordinatur et praecipue ad ea quae contrariantur virtuti cui peculiariter aliquod sacramentum refertur. Sic *Baptismus* specialiter delet peccata contra fidem, quae est fundamentum vitae christianae, et ea quae quomodolibet opponuntur novitati vitae; ex quo patet influxum hujus sacramenti esse amplissimum. *Confirmatio* peculiariter delet peccata contra fortitudinem et ea omnia quae opponuntur complemento et incremento vitae spiritualis, necnon quae implicant aliquam debilitatem in ordine ad defendendam fidem contra exteriora agentia. *Eucharistia* delet peccata contra charitatem et ea quae opponuntur fervori et plenitudini vitae spiritualis. *Poenitentia* delet peccata contra justitiam Deo debitam et ea quae magis inclinant animam ad mortem spiritualem, disponendo ad peccatum mortale. *Extrema Unctio* delet peccata contra spem et ea quae magis connectuntur cum reliquiis seu pravis dispositionibus relictis a peccatis, necnon ea quae magis deprimunt animam, praecipue assumendo indolem impediendi ad introitum gloriae. *Ordo* delet peccata contra prudentiam et ea quae magis sapiunt negligentiam et impromptitudinem in agendo. *Matrimonium* delet peccata contra castitatem et temperantiam et ea quae magis ad sensibilem concupiscentiam inclinant.

Ceterum extensio talis effectus in unoquoque sacramento proportionatur semper dispositioni absentiae complacentiae omnibus vel huic aut illi peccato, ex qua, ut diximus supra, conditionatur oppositio actus poenitentiae ad peccata venialia. Unde facile accidit *informatas* uniuscujusque sacramenti relate ad remissionem unius aut alterius

venialium, vel omnium. Nec ceterum improbabiliter conceditur *reviviscencia* sacramentorum relate ad talem effectum, remoto obice complacentiae, ut dictum est supra (p. 520) quoad sacramenta Poenitentiae et Baptismi.

NOTA 10. DE REMISSIONE VENIALIUM PER MARTYRIUM SEU BAPTISMUM SANGUINIS.

Ut dictum est in tractatu De Baptismo (art. 17, p. 222), martyrium delet etiam peccata venialia quia obtinet, imo aliquatenus superat, omnem efficaciam ipsius Baptismi aquae. Ex dictis autem in praesenti articulo constat hanc remissionem in martyrio non aliter fieri ac in ipso Baptismo, i.e. primo, media excitatione actus contritionis et charitatis, et secundo, supposita absentia complacentiae in peccato veniali; nam non nisi hoc modo potest peccatum veniale remitti tam per opus operantis quam ex opere operato, attenda ipsa exigentia rei et connaturali adaptatione ordinatae Dei potentiae et providentiae.

Unde merito a *Suaresio* (*Disp.* 12, sect. 1, n. 11) et *Salmanticensibus* (De justificatione, disp. 2, dub. 8, n. 319) improbat peregrina *exceptio Cajetani* qui, plus martyrio quam Baptismo concedens, docet martyrium delere etiam venialia quorum quis habeat complacentiam, ut si, proponens cras dicere mendacium, interim in somno occidatur. Scribit enim in Commento super 3 p., q. 87, a. 1, ad 2, n. 5: "In responsione ad secundum, adverte idem esse iudicium de dormiente occiso pro Christo, vel baptizato. Quod intelligo secundum merita secundarum causarum. Nam si quis iisset dormitum cum proposito dicendi mane mendacium officiosum, et interim dormiens occideretur pro Christo, crediderim ego ex divina largitate etiam illius peccati plenissimam remissionem per martyrium consequi: quamvis per baptismum illius remissionem non consequeretur, propter voluntatem actualiter, actualitate virtuali, peccato inhaerentem." Nec etiam audiendi sunt alii qui, ut *Lépicier* (De Poenit., Romae, 1935, p. 184), remissionem exceptionem introducunt, dicentes quod, supposita absentia complacentiae in peccato, venialia martyri remittuntur immediate, seu non mediante actu poenitentiae, quando nempe quis occideretur in somno.

Quapropter, deficiente alterutra ex praedictis conditionibus, potest fieri ut peccata venialia non remittantur per martyrium aut Baptismum, saltem in hac vita, si nempe quis occidatur aut baptizetur extra usum rationis, ut in somno (tunc enim deest elicientia actus contritionis) vel dum adhuc retinet complacentiam in peccato veniali, sive sit

vigilans sive dormiens. In hoc casu peccata venialia delentur per actum perfectae et intensae contritionis qui elicitur in instanti separationis animae a corpore, sub speciali auxilio debito ex virtute martyrii vel Baptismi. Nec proinde sequitur morientem immediate post Baptismum, vel martyrem, impediri ab ingressu Paradisi et deputari Purgatorio ad expianda venialia. Nec praeterea per hoc contradicimus his quae diximus supra in nota 4 (p. 526), nempe statum viae terminari immediate in statum termini ita ut ceterae animae non purgentur a venialibus nisi per actum contritionis elicitum jam in ipso Purgatorio; nam potest dici martyrem aut recenter baptizatum, immediate post mortem, ac per unum instans in quo eliciunt actum contritionis, nondum esse in statu termini simpliciter sed tantum secundum quid, sicut animae eorum qui miraculose revocantur ad vitam per resurrectionem, nam ex una parte, ex jure operis operati, non debetur eis ut mittantur Purgatorio, et ex alia parte nequeunt ingredi coelum donec per actum contritionis abstergant culpam et poenam venialium peccatorum; vel forte dici potest praedictum actum contritionis seu charitatis elici in ipso statu termini et procedere efficienter a gratia visionis beatificae etsi praecedat eam in ratione dispositionis abstergentis impedimenta visionis seu peccata venialia, ut quidam dicunt etiam de reviscentia meritorum in altera vita.

Ceterum, ad martyrium quod attinet, notandum est quod ex probabiliori sententia, juxta quam martyrium proprie producit suum effectum in primo instanti aeternitatis prout est terminus vitae (cf. tractatum De Baptismo, art. 17, p. 229 sq.), sequitur nunquam proprie contingere quod martyri non remittantur statim peccata venialia, quia in illo eodem instanti anima separata elicit actum perfectae charitatis quo venialia necessario absterguntur.

S. Thomas de remissione venialium per martyrium haec habet: 3 p., q. 87, a. 1, ad 2: "Passio pro Christo suscepta, sicut supra dictum est (qu. lxvi, art. 11), obtinet vim baptismi; et ideo purgat ab omni culpa et veniali et mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem." *In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 3*: "Passio pro Christo suscepta vim baptismi obtinet, ut supra dictum est; et ideo purgat ab omni veniali et mortali nisi actualiter voluntatem renitentem invenerit: et propter hoc illud peccatum veniale quod forte etiam post confessionem frequenter incurrit, non tardat ipsum quin evolet, et praecipue cum ipsa poena martyrii habeat vim purgandi. De aliis autem qui moriuntur dormientes, dicendum, quod dimittitur eis illud veniale etiam quantum ad culpam post mortem."

NOTA 11. DE REMISSIONE VENIALIUM PER SACRIFICIUM MISSAE.

De hoc sufficienter dictum est in tractatu De Eucharistia (tom. 2, p. 1102).³⁹ Ipsum scilicet factum remissionis nemo est qui neget, et satis clare innuitur in *Conc. Trid.*, sess. 22, cap. 1: "In remissionem eorum, quae a nobis *quotidie* committuntur, peccatorum [hoc sacrificium] applicatur" (Denz. 938), et cap. 2: "Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam et donum poenitentiae concedens, crimina et peccata *etiam ingentia* dimittit" (Denz. 940).

De modo autem, quo remissio fiat, disputant doctores, quibusdam, ut *Cano*, negantibus id fieri ex opere operato, aliis vero communiter id affirmantibus; qui iterum discrepant in explicatione hujus influxus ex opere operato, juxta dicta in praesenti articulo de ipso sacramento Poenitentiae, nam alii id intelligunt de influxu immediato, alii de influxu mediato, i.e. per concessionem auxilii impellentis ad actum contritionis, alii, ut *Gonet*, medio quodam modo, i.e. per divinam acceptationem actus seu dispositionis subjecti quae secundum se non sufficeret ad delendum veniale. Dicendum igitur est, sacrificium remittere venialia, sicut sacramentum, ex opere operato mediate, quatenus infalibilter inducit auxilium divinum impellens ad elicentiam actus contritionis vel charitatis, quo venialia immediate delentur. Et ratio est quia non aliter possunt venialia deleri. Differentia autem inter sacramentum et sacrificium est in eo quod prius influit ex opere operato physice, alterum vero tantummodo moraliter.

- Cum supra dixerimus animas separatas purgari a venialibus culpis in ipso *Purgatorio*, sequitur eis sacrificium prodesse etiam in remissionem harum culparum, et quidem non aliter quam per obtentionem auxilii divini quo impellantur ad elicentiam talis actus contritionis vel charitatis qui venialibus contrarietur (cf. tractatum De Eucharistia, tom. 2, p. 1128).

NOTA 12. DE EXCLUSIONE VENIALIUM PER DONUM CONFIRMATIONIS, VISIONEM BEATIFICAM ET UNIONEM HYPOSTATICAM, dictum est in art. 93 (p. 448 sq.).

NOTA 13. DE REMISSIONE VENIALIUM PER SACRAMENTALIA (3 p., q. 87, a. 3; In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 4; De Malo, q. 7, a. 12; 3 p., q. 83, a. 3, ad 3; In 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 1; 3 p.,

³⁹ Cf. *Suarez*, De Eucharistia, disp. 79, sect. 5; *Gonet*, De Euch., disp. 11, a. 4, n. 91; *Billuart*, De Euch., diss. 8, a. 3, Dico 2; *Hugon*, De Euch., q. 9, a. 3, n. 5.

q. 64, a. 1, ad 2; q. 65, a. 1, ad 6 et 8; q. 71, a. 3; In 4 Sent., dist. 6, q. 1, a. 3, q. 2).

Per usum quorumdam saltem sacramentalium fideles consequi quomodolibet venialium remissionem, nemo est qui neget. Fundatur enim haec doctrina in quibusdam dictis Patrum;⁴⁰ in communi sensu fidelium et doctorum; in ipsa Ecclesiae veneratione; in explicito sensu precum seu benedictionum quibus quaedam sacramentalia ab Ecclesia conficiuntur vel applicantur; in ipsis verbis Codicis J. C., can. 1144: "Ad obtinendos effectus praesertim spirituales." Antiquiores theologi omnibus sacramentalibus hunc effectum tribuebant, speciali tamen ratione illis quae constituuntur per aliquam consecrationem vel benedictionem Ecclesiae, uti sunt benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et alia id genus; cetera enim, uti confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica, videntur jam de se, ex ipsa indole operis operantis, continere actum doloris vel aliquam excitationem ad actum poenitentiae quo venialia deleri possunt (cf. tres priores textus S. Thomae, nuper relatos).

Quaestio de modo quo talis remissio fiat, *utrum nempe ex opere operato an ex opere operantis*, ab antiquioribus non explicite et in terminis posita est, ut patet ex ipsis locis S. Thomae, quamvis ipsi videantur inclinare in aliquam efficacitatem quae sit veluti ex opere operato, ad aliquam sacramentorum imitationem.

S. Thomas (in tribus praedictis locis) loquitur ad modum unius de remissione venialium per sacramenta et sacramentalia, et, quamvis numquam loquatur de opere operato, tamen praedictis sacramentalibus, quae consistunt in aliqua benedictione vel consecratione, videtur concedere aliquam efficacitatem ultra eam quae sit ex mero opere operantis. Nam in *De Malo*, q. 7, a. 12 dicit quod "*pie creditur* quod [in usu illorum] *virtus divina interiorius operetur* excitando dilectionis fervorem", seu, ut explicat paulo antea, "aliquo interiori instinctu, qui est a causa superiori, scilicet Deo," quibus fere expressionibus S. Doctor utitur etiam cum alibi loquitur de causalitate sacramentorum ex opere operato (v.g. 3 p., q. 62, a. 1); praeterea, in 3 p., q. 83, a. 3, ad 3, ait: "*Quidam probabiliter dicunt* quod per ingressum ecclesiae consecratae homo consequitur remissionem peccatorum venialium, sicut et per aspersionem aquae benedictae", et paulo ante docet quod "ecclesia et altare, et alia hujusmodi inanimata consecrantur, non quia sint gratiae

⁴⁰ Cf. *Augustinum*, Enchr. 71; De correptione et gratia, c. 5 (De vi orationis dominicae ad verba "Dimitte nobis debita nostra"); Hieronymum, In Dom. 4 (De vi expiativa elemosynae).

susceptiva, sed quia ex consecratione *adipiscuntur quamdam spiritua-lem virtutem*, per quam apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc propter irreverentiam impediatur.”

En tres praecipui loci in quibus S. Doctor hanc quaestionem magis explicitè et directè proponit (cf. etiam ceteros textus supra relatos):

3 p., q. 87, a. 3: “Sicut supra dictum est (art. praec.), ad remissionem venialis peccati non requiritur novae gratiae infusio, sed sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur peccatum veniale vel explicitè, vel saltem implicite, sicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. — *Et ideo triplici ratione aliqua causant remissionem venialium peccatorum: uno modo* inquantum in eis infunditur gratia; quia per infusionem gratiae tolluntur peccata venialia, ut supra dictum est (art. praec.). Et hoc modo per Eucharistiam et extremam unctionem, et universaliter per omnia sacramenta novae legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. *Secundo* inquantum sunt cum aliquo motu detestationis peccatorum; et hoc modo confessio generalis, tunsio pectoris et oratio dominica operantur ad remissionem venialium peccatorum; nam in oratione dominica petimus: ‘Dimitte nobis debita nostra’. *Tertio modo* inquantum sunt cum aliquo motu reverentiae in Deum, et ad res divinas; et hoc modo benedictio episcopalis, aspersio aquae benedictae, quaelibet sacramentalis unctio, oratio in Ecclesia dedicata, et si aliqua alia sunt hujusmodi, operantur ad remissionem venialium peccatorum.”

In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 4, supra cit. in p. 468.

De Malo, q. 7, a. 12: “Per fervorem caritatis peccata venialia remittuntur; et ideo quaecumque nata sunt excitare fervorem caritatis possunt causare remissionem peccatorum venialium. Actus autem caritatis ad voluntatem pertinet; quae quidem *tripliciter ad aliquid inclinatur*: aliquando quidem ex sola ratione aliquid demonstrante; aliquando autem ex ratione simul et aliquo interiori instinctu, qui est a causa superiori, scilicet Deo; aliquando autem cum hoc etiam ex inclinatione habitus inhaerentis. Sunt quidem *quaedam* quae causant remissionem peccati venialis inquantum inclinant voluntatem ad ferventem caritatis actum secundum tria praedicta; et sic per *sacramenta* novae legis venialia peccata remittuntur: quia et ratio ea considerat ut quasdam salutes medicinas, et divina virtus in eis secretius operatur salutem, et etiam per ea confertur habitualis gratiae donum. *Quaedam* vero sunt quae causant remissionem venialis peccati secundum duo praedictorum: non enim causant gratiam, sed excitant rationem ad aliquid considerandum quod excitet caritatis fervorem; *et etiam pie creditur quod virtus divina interius operetur excitando dilectionis fervorem*: et hoc modo aqua benedicta, benedictio pontificalis et hujusmodi sacramentalia causant remissionem peccati venialis. *Quaedam* vero sunt quae causant remissionem venialis peccati solummodo excitando caritatis fervorem per modum considerationis, sicut oratio dominica, tunsio pectoris et alia hujusmodi.”

Posteriores vero theologi ex professo quaestionem posuerunt de remissione venialium per sacramentalia ex opere operato, imo generaliter de causalitate ex opere operato in sacramentalibus quoad omnes eorum effectus. Generalis quidem doctorum responsio duplex fuit, scilicet altera affirmativa, communior inter thomistas, altera negativa, communior inter alios. Attamen, determinatae diversorum doctorum solutiones et explicationes minime clarae sunt, et ambiguitatibus ansam

praebent, ita ut non difficile sit quosdam doctores in una vel altera sententia indifferenter reponere. Cujus ratio est quia ex una parte vis sacramentalium refunditur ab omnibus in efficacitatem ipsius Ecclesiae, quae quidem potest dupliciter considerari, i.e. vel ut mere instituens sacramentalia vel *ut formalis ratio influxus sacramentalium*, et ex alia parte quidam concipiunt remissionem venialium per sacramentalia vel sacramenta ut effectum immediatum, sicut est remissio mortalium per sacramenta, alii vero ut *effectum mediatum*, scilicet medio actu contritionis vel charitatis, ac inde quibusdam videtur esse ex opere operantis id quod alii dicunt ex opere operato.

Jam in tractatu De sacr. in gen. (art. 45) hoc theologorum dissidium componere tentavimus et ad minimas reducere proportiones. Ad illius tamen quaestionis complementum et elucidationem haec addere juvabit.

Causalitas ex opere operato duo importat: primo, quod effectus sequatur non praecise ratione moralis valoris operis quod exhibetur, sed *ratione exhibitionis ipsius operis*; secundo, quod effectus *infallibiliter* sequatur, ad positionem praedicti operis. Si una aut altera ex his conditionibus deficiat, non habetur proprie casualitas ex opere operato. Ita meritum et satisfactio de condigno, etsi vim habeant infallibilem, fundatam simul in divina justitia et acceptatione, non influunt ex opere operato, ob defectum prioris conditionis, et a fortiori non ita influunt meritum de congruo, satisfactio de congruo et oratio, ob defectum etiam alterius conditionis seu infallibilitatis stricte dictae, etsi habeant quandam infallibilitatem, fundatam in causa extrinseca seu in divina liberalitate et misericordia.

Oportet praeterea abstrahere in hac quaestione a modo mediato vel immediato, quo peccata venialia dicantur remitti per sacramentalia, vel etiam per sacramenta, an scilicet auferantur per aliquam formam moraliter vel physice eorum deletivam vel tantum per collationem alicujus auxilii excitantis actum vel producentis formam qua deleantur; nam, ut diximus in praesenti articulo, causalitas ex opere operato in remissionem venialium optime salvatur, etsi mediate tantum, seu per collationem talis auxilii, exerceatur.

Unde quaestio an sacramentalia influant ex opere operato, ad hunc sensum reducenda est: Utrum per sacramentalia, ex ipso facto susceptionis eorum, infallibiliter obtineatur a Deo causa per se sufficiens (quaecumque sit) ad deletionem peccati venialis (vel generalius ad consecutionem cujuslibet effectus qui sacramentalibus tribui dicatur). Cui quaestioni triplex dari potest responsio seu solutio:

PRIMA SOLUTIO est simpliciter negativa, qua dicitur sacramen-

talia influere tantum *ex mero opere operantis* ipsius subjecti cui applicatur. Haec solutio, quae reducit omnia sacramentalia ad mera signa, devotionis et poenitentiae excitativa, fuit quorumdam antiquorum, quos reticito nomine memorat et reprobatur S. Thomas (3 p., q. 71, a. 3; In 4 Sent., dist. 6, q. 1, a. 3, q. 2), agens de exorcismo (“Quidam dixerunt ea quae in exorcismo aguntur, nihil efficere, sed solum significare”). Plures praeterea ex auctoribus quos dabimus pro tertia opinione videntur verbis hanc sententiam docere, quatenus simpliciter et absolute dicunt sacramentalia influere non ex opere operato sed ex opere operantis; sed reapse eam revocant in suis explicationibus quibus referunt vim sacramentalium ad peculiarem efficaciam impetrationis ipsius Ecclesiae.

SECUNDA SOLUTIO est simpliciter affirmativa, et datur explicita a paucis, praesertim inter thomistas, uti *Gonet* (Disp. 4, a. 3, n. 57-61), *Salmanticensibus* (De sacr. in communi, disp. 10, dub. 2, praecipue n. 19-22. 27-29), *Joanne a S. Thoma* (Disp. 35, a. 2, praecipue n. 32-43) et inter modernos *Lépicier* (De sacr. in communi, Appendix de Sacramentalibus, n. 7-9; De Poenit., q. 87, a. 3, n. 3). Hi doctores docent sacramentalia (saltem ea quae consistunt in aliqua consecratione aut benedictione ecclesiae, uti aquam benedictam et benedictionem episcopalem), remittere peccata venialia ex infallibili opere operato, eo modo quo ipsa sacramenta ea remittunt, scilicet conferendo infallibiliter aliquod auxilium divinum, excitativum actus poenitentiae.

Salmanticenses quidem hanc causalitatem concipiunt non ad modum efficientiae (tam physicae quam moralis) sed ad modum infallibilis *impetrationis*, quatenus nempe sacramentalia, ex institutione Ecclesiae, repraesentant impetrationem ipsius Ecclesiae, et inde valent infallibiliter consequi suum effectum (eadem quidem infallibilitate qua gaudent sacramenta), non vi ipsius impetrationis qua talis, sed vi potestatis, a Christo Ecclesiae collatae, suam impetrationem erigendi in signum infallibilis efficaciae. Ita, quantum capere possumus, est interpretanda *Salmanticensium* sententia, ut patet tum ex ratione *infallibilitatis* quam adnectunt sacramentalibus, tum ex invocata paritate inter sacramentalia et sacramenta quoad hanc ipsam infallibilitatem in remissionem venialium. *Joannes a S. Thoma* vero (quem inter modernos sequitur *Lépicier*), clarius et magis determinate hanc sententiam proponens, defert etiam sacramentalibus *physicam ipsam causalitatem* quae competit sacramentis.

SALMANTICENSES: “Dicendum est . . . sacramentalia de facto non concurrere instrumentaliter physice, vel alio efficientiae genere ad remittendum venialia: sed solum concurrere per viam impetrationis. . . [Quod non concurrant physice, patet ex eo quod ad id dicendum] desideratur aliquod urgens fundamen-

tum vel ab auctoritate vel ex ratione: nihil autem horum occurrit. . . Quod vero . . . non concurrunt ad praedictum effectum alio efficientiae genere, suadetur: quoniam ultra efficientiam physicam non est assignabilis alia, quam moralis: nec datur efficientia moralis, nisi per modum meriti. Porro sacramentalia non sunt meritum, nec operatio humana; sed quid extrinsecum, ut ex se liquet. Ergo nequeunt causare ulla efficientia morali. . . Et inde facile colligitur ultima assertionis pars, nempe sacramentalia delere venialia per viam impetrationis. . . [Nam] cum sacramentalia habeant esse per determinationem Ecclesiae, *quae auctoritate pollet illa instituendi, et applicandi*; illam vim, illumque causalitatis modum intelligenda sunt habere, quae Ecclesia ipsis attribuere potest: Ecclesia autem non potest dimittere peccata venialia influxu physico, immutando hominum animas; atque ideo nec praedictum concurrendi modum communicare valet rebus, quas, prout vult, instituit sacramentalia: haec igitur non excludunt causalitate physica venialia: e converso autem Ecclesia habet sufficientem virtutem, ut per modum deprecationis consequatur talem effectum, nempe orando, et illum appetendo: et sic se gerit, quando sacramentalia consecrat: ergo sacramentalia concurrunt ad remissionem venialium praedicto modo, videlicet *per viam deprecationis, ut exhibentia, et repraesentantia Deo orationes Ecclesiae*. . .

"[Dicimus] sacramentalia concurrere ad actum [contritionis quo venialia delentur] . . . non mere excitative, aut per modum obiecti cogniti, nec effective physice, ut supra diximus; sed *mediate per viam impetrationis*, quatenus in virtute orationum Ecclesiae quibus sacramentalia benedicuntur, et sacrantur, habent consequi ex divina misericordia gratiam actualem, et auxiliantem, quae proxime in praedictum actum infuit. . . Cum praedictus actus non sit effectus immediatus sacramentalium: non succedit semper, nec infallibiliter. Sed effectus immediatus qui est gratia actualis pro tali actu, *semper, et infallibiliter datur* his, qui pie sacramentalia suscipiunt: sic enim praesumere possumus, et debemus tam de efficacia orationum Ecclesiae, quam de misericordia, et amore Dei erga illam. Quod vero posita illa gratia actuali, aliquando non succedat operatio; provenit ex eo, quod talis gratia non necessitat, sed inclinatur ad operandum: et quia talis actus debet esse liber qui proinde possit non esse, et aliquando non sit. Et haec doctrina urgeter potest confirmari, et dirigi in oppositas, qui negare non possunt *venialia quando dimittuntur per sacramenta, dimitti ex opere operato*: et tamen vel intra sacramenta non dimittuntur, nisi per actus, qui vitaliter, et principaliter sunt ab homine, et qui non fiunt infallibiliter, sed multoties impediuntur per distractionem, et alias causas. Sicut ergo Adversarii ob praedicta motiva non negant sacramenta concurrere ad remissionem venialium ex opere operato: sic etiam ob illa (si consequenter loquantur) negare non debent, quod *sacramentalia concurrant ex opere operato ad praedictum effectum*. Resolutio vero nostra eo praeferri debet, quod procedit cum majori uniformitate, et universalitate *tam in sacramentis, quam in sacramentalibus* circa venialium remissionem: licet illorum concursus sit effectivus physice, horum autem solum per viam impetrationis, et in virtute orationum Ecclesiae."⁴¹

JOANNES A S. THOMA: "Dicendum . . . est, sacramentalia, saltem illa quae consistunt in aliqua consecratione et benedictione ecclesiae, *remittere venialia ex opere operato*, quatenus virtus divina operatur in eis ex institutione et benedictione ecclesiae aliquem bonum motum seu fervorem charitatis in Deum. Itaque non consistit remissio ita ex opere operato in hoc, quod praescindamus ab omni opere elicitio ab ipso operante, et infundatur aliquod habituale donum ex virtute illa divina, quae talibus sacramentalibus convenit. sed in eo, quod *ex illa virtute divina, seu ex opere operato passionis Christi* proveniat ut inspiretur in homine bonus ille motus in Deum, si homo ille obicem non ponat; et ita *neque sacra-*

⁴¹De sacramentis in communi, disp. 10, dub. 2, § 2, n. 15 sq., et § 3, n. 29, Cursus theol., t. 17, Parisiis, 1881, p. 654 sq. 666.

mentale aliquid, *neque sacramentum* possunt tollere ex opere operato venialia, nisi *infallibiliter excitando*, et inspirando istum bonum motum, quia forma opposita venialibus non est habitus, ut supra diximus, sed aliquis actus, seu bonus motus in Deum, quem si infallibiliter operatur aliquod sacramentale, dicitur tollere venialia ex opere operato. . .

“Dices: Quomodo virtus divina, verbi gratia, assistens operatur mediantibus his sacramentalibus interiorum bonum motum. Nam aqua benedicta non potest *influerē physice et instrumentaliter* in illum bonum motum, quia ille est actus vitalis procedens physice ab illa potentia eliciente, et Deo causante, non ab alio instrumento: ergo aqua benedicta solum moraliter potest influere in talem actum, atque adeo per modum excitativum extrinsecum, sicut imagines, vel lectio sacra vel concio, aut quodvis simile objectum extrinsecum propositum. Respondetur virtutem divinam, seu interiorum instinctum (ut vocat S. Thomas) operantem et moventem ad eliciendum illum actum, etiam mediante illa aqua benedicta, posse causare illam interiorum immutationem cordis, sive sit actus ipse vitalis praeelicitus, sive sit aliquid antecedens elicientiam actus et determinans atque applicans ad illum: *sicut enim non repugnant Deum elevare ablutionem aquae in baptismo ad causandum habitum gratiae, et gratiam sacramentalem cum quibusdam divinis auxiliis; ita non repugnat elevare aspersionem aquae benedictae ad causandum aliquod auxilium*, quod est qualitas vel motio transiens, aut aliquis concursus, quo moveatur voluntas ad eliciendum illum bonum motum in res divinas, nisi homo ponat obicem, et resistantiam ex parte sua; et talis modus causandi est ex opere operato, non influendo in ipsam elicientiam actus, sed in ipsam motionem seu qualitatem auxilii, quod Deus dat homini ut eliciat talem actum. . .

“Actiones quae fiunt in sacramentalibus, obtinent a Deo ex benedictione et consecratione Ecclesiae *infallibilem assistentiam divinae virtutis* ad excitandum illum bonum motum, qui sufficiat ad delenda peccata: et ita hoc *non fit per solam intercessionem*, sed per assistentiam illam divinae virtutis, quod S. Thomas vocavit interiorum instinctum, loco supra citato. Neque sequitur ex hoc, quod etiam distractis et invitis remittuntur venialia, quia ille qui est distractus, et non vult aut negligit habere bonum motum in res divinas ponit obicem ad remissionem venialium: et sic non mirum quod illam non obtineat: nam *etiam sacramenta habent infallibilem assistentiam* virtutis divinae ad causandam remissionem venialium, et tamen si aliquis accedit distractus aut affectus peccato veniali, non consequetur remissionem illius. . .

“Benedictio episcopi est quidem actio ipsius, sed respicit pro subjecto, supra quod cadit moraliter, ipsos homines quibus benedicit: et sic *potest assumi, ut instrumentum* ad causandum in omnibus illis bonum motum ad res divinas, quae licet episcopus benedicens *physice* distet ab illis, tamen Deus bene potest per rem distantem operari in alio gratiam, vel bonum motum, vel aliquid simile: si tamen illi homines sint distracti vel inviti, ponunt obicem: et sic non causabitur in eis bonus motus, et remissio venialium.”⁴²

LÉPICIER: “Sedulo autem advertendum est, per sacramenta et sacramentalia, remitti peccata venialia, utique *ex opere operato, non tamen immediate*, sed *mediate*, quatenus ex meritis Christi, in actuali et devota eorum susceptione, conferuntur a Deo auxilia supernaturalia, ad eliciendos actus supernaturales, quibus saltem virtualiter ipsa peccata venialia displiceant et retractentur, *ut optime adnotat Gonetus*. His videlicet homo a Deo auxilia quaedam supernaturalia impetrat, quibus applicetur ad eliciendos ferventes actus virtualis poenitentiae qua, ut diximus, praedicta peccata remittuntur.”⁴³

⁴² De Poenitentia, disp. 35, art. 2, n. 32. 37. 38. 41. 42, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1886, p. 686-690.

⁴³ De Poenitentia, q. 87, a. 3, n. 3, Romae, 1935, p. 190 sq.

"Probabilior longe nobis videtur sententia quae tenet sacramentalia quoque effectus suos producere *ex opere operato, id est intrinseca ipsarum rerum virtute*, accedente tamen suscipientis devotione, ut manifestum fit ex efficacia exorcismorum qui imperative fiunt a ministris Ecclesiae. Unde S. Thomas, relata quorundam sententia, qui dicebant ea quae in exorcismo aguntur nihil efficere, sed solum significare, ait [3 p., q. 71, a. 3]: 'Hoc patet esse falsum per hoc quod Ecclesia in exorcismis, imperativis verbis utitur ad expellendam daemonis potestatem, puta cum dicit: Ergo, maledicte diabole, exi ab eo, etc.' Qui etiam loquens de inunctione chrisomatis, qua sacerdos hominem recens baptizatum ungit in vertice, ait [ibid., ad 4]: 'Eorum quae aguntur post baptismum circa baptizatum, aliquid est quod non solum significat, sed efficit, puta inunctio quae fit in vertice, quae operatur conservationem gratiae baptismatis'. . .

"Quocirca, distinctione opus est, ut discernamus sacramentalia illa quae ex solis orationibus constant, a sacramentalibus quae fiunt cum aliqua consecratione aut benedictione, et consistunt in usu quarundam rerum. Igitur *priora sacramentalia*, scilicet orationes, formaliter in quantum tales, dicenda sunt virtutem producere ex opere operantis, non simpliciter hominis, secus non distinguerentur a privatis orationibus, sed *ex opere operantis Ecclesiae*, quae tam efficacia impetrationis virtute pollet, ut semper exaudiatur; et hoc sensu de oratione dominica ait S. Augustinus [Ench., 70] quod 'delet minima et quotidiana peccata'. *Sacramentalium vero alterius generis* aliqua significant tantum et non efficiunt, sicut quod datur recens baptizato 'vestis candida ad significandum novitatem vitae', ait S. Thomas; aliqua autem non solum significant, sed etiam efficiunt; sic, verbi gratia, aspersio aquae benedictae, esus eulogiarum, et similia, dicenda sunt effectus suos producere *ex opere operato, et quidem physico influxu, seu instrumentaliter*."⁴⁴

TERTIA SOLUTIO medio modo procedit, negans ex una parte influxum ex opere operato simpliciter acceptum, seu prout implicat eam efficaciae infallibilitatem quae competit sacramentis, et concedens ex alia parte plus quam merum influxum operis operantis ipsius subjecti, seu ipsum specialem et relative infallibilem influxum impetrationis Ecclesiae. Quam quidem efficaciam alii aliter appellant: "quasi ex opere operato", "ad instar operis operati", "ex opere operantis Ecclesiae".

Haec sententia, quam sustinuimus et sufficienter explicavimus in tractatu De sacr. in gen. (art. 45), docetur explicite vel aequivalenter a multis antiquioribus theologis, etiam inter Thomistas (quidquid sit de confusa plurium expositione aut quaestionis positione) et in moderniori aetate communissimum collegit theologorum suffragium. Ei favet ipse *Codex J. C.*, can. 1144, in sua definitione: "Sacramentalia sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet, ad obtinendos *ex sua impetratione* effectus praesertim spirituales." Nec ullatenus contradicit *S. Thomas*, cujus moderatae expressiones, supra relatae, optime quadrant cum ista sententia; ceterum de orationibus adhibitis in sacramentorum collatione, quarum plures sunt sacramentalia (ut patet de benedictione aqua, exorcismo et unctione

⁴⁴De sacramentis in communi, Appendix de Sacramentalibus, n. 7 et 9, Parisiis, (1921), p. 313 sq.

in Baptismo), S. Doctor ait "Orationes quae dicuntur in sacramentorum collatione proponuntur Deo, non ex parte singularis personae, sed *ex parte totius Ecclesiae, cujus preces sunt apud Deum exaudibiles*" (3 p., q. 64, a. 1, ad 2).

Ex antiquioribus theologis citantur inter alios *Alex. Halensis, Bonaventura, Durandus, Paludanus, Sylvester, Petrus Soto, Sylvius, Arauxo, Suarez, Vasquez, Lugo, Frassen, Billuart*; ex modernis consentiunt dogmatici et moralistae gregatim.

SUAZES: "Oportet, ut satisfaciamus interrogantibus, cur effectus remittendi peccata venialia potius tribuatur his sacramentalibus, quam aliis actibus, quandoquidem ipsa per se nihil conducunt; quod enim excitare possint mentem hominis ad dolorem peccati, vel reverentiam Dei, vel alium similem motum, quo remittantur peccata venialia, commune est aliis rebus, ut imaginibus, concioni, vel lectioni sacrae, etc. Respondetur . . . triplici titulo aliquam actionem externam numerari inter haec remedia. Primus est, quia ex genere suo, et ex modo quo fit, habet adjunctum aliquem dolorem peccatorum, vel significationem ejus, ut confessio generalis, vel tunsio pectoris. Secundus est propter specialem vim impetrandi remissionem peccatorum, fundatam vel in aliqua promissione Dei, seu locutione Scripturae, ut est in eleemosyna, vel in propria petitione, ut est in Oratione Dominica. Tertius est ob specialem impetrationem divini auxilii, vel motionis, fundatam in orationibus Ecclesiae, quae per specialem consecrationem, vel benedictionem ad hunc effectum applicantur; et hujusmodi est aqua benedicta, quae propterea non utcumque operatur ex apprehensione sumentis illam; aliqui tantumdem valeret, si existimaretur benedicta, quamvis non esset; vel, si homo illam assumeret, ut signum excitativum, sine alia benedictione eundem effectum haberet, quod est praeter Ecclesiae sensum. *Habet ergo vim moralem quasi applicandi Ecclesiae intercessionem*".⁴⁵

LUGO sententiam proponit modo nimis incerto et fluctuanti, ita non magnam vim et certitudinem tribuens influxui sacramentalium: "Secunda sententia communis, et verior negat [sacramentalia] habere eum effectum immediate, sed *ad summum* excitando aliquem motum, quem tamen semper non excitant, quia *nec ad hoc habent virtutem infallibilem*. . . Hinc infertur, quomodo prosint haec sacramentalia ex Ecclesiae institutione plusquam alia quae non habent eam institutionem: prosunt enim quatenus ex impetratione Ecclesiae Deus *dat saepe* utentibus aqua benedicta, vel aliis ejusmodi, aliquem pium motum contra venialia quam alias *fortasse non daret*, etiamsi si aliquis sumeret aquam aliam putans esse benedictam, quo etiam modo potest conducere panis benedictus, oratio in ecclesia consecrata, vestes etiam sacrae, et alia ejusmodi; *non tamen immediate, neque infallibiliter*: aliquando enim iustis de causis Deus non concedit universaliter ea, quae ab Ecclesia petuntur. Dices, hoc etiam modo potest conducere aqua benedicta, ad tollenda mortalia sicut ad venialia. Respondeo posse conducere aliquo modo, *non tamen ita frequenter* sicut ad venialia. Primo ex parte Dei, qui non ita facile placatur in uno casu ac in alio. Secundo ex parte hominis: qui non ita facile concipit motum sufficientem contra mortalia. Tertio denique ex parte Ecclesiae, *quae fortasse* non ita applicat ex primaria intentione haec remedia contra mortalia, sicut contra culpas leviores: habet enim contra mortalia efficaciora alia remedia gravioribus morbis applicanda."⁴⁶

BILLUART rem proponit sub praecisiori forma, qua solet a modernis exhiberi:

⁴⁵ De Poenitentia, disp. 12, sect. 2, n. 14, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 234 sq.

⁴⁶ De Poenitentia, disp. 9, sect. 4, n. 59, 63. 64, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 643-645.

"Sacramentalia remittunt peccata venialia *ex opere operantis*, in quantum excitant motus detestationis illorum, aut reverentiae in Deum et res sacras, quibus motibus obtinetur remissio venialium: hujusmodi autem motus excitant non solum objective sicut cruces, imagines, praedicationes, etc., sed etiam impetratorie, *quatenus adhibentur nomine Ecclesiae quae majorem habet vim impetrandi quam persona particularis*: saepe enim princeps concedit precibus totius communitatis quod denegat precibus unius particularis."⁴⁷

"Sacramentalia non habent proprie vim remittendi peccata venialia *ex opere operato*, sed tantum *ex opere operantis*, scilicet ipsius qui ejus utitur et Ecclesiae. . . [Quaedam sacramentalia praeter objectivam virtutem excitandi subjectum ad motum poenitentiae] habent insuper benedictionem, consecrationem et preces Ecclesiae, *quae tunc nobis applicantur* cum eis sacramentalibus utimur, et quae per modum impetrationis et intercessionis habent vim obtinendi nobis gratiam remissivam peccati venialis; solet enim Deus Ecclesiae suae sponsae preces benignus exaudire.

"*Unde colliges*, non idem valere uti aqua quae ex falsa persuasione crederetur benedicta, ac si esset benedicta; licet enim utens devotionis fructum non perderet, Ecclesiae tamen intercessionem non applicaret. Item non parem vim ad remittenda venialia tribuendam esse sacrae concioni, lectioni, imaginibus, etc., quam quae tribuitur sacramentalibus: prima enim excitant tantum devotionis motum objective, sed sacramentalia et objective simul et impetratorie, propter preces et benedictiones Ecclesiae quae per illa applicantur. Et forte nihil aliud intelligunt adversarii per opus operatum, quam eam vim impetrandi quam inesse sacramentalibus quibusdam fatemur; sed *proprie loquendo hoc non est causare ex opere operato*, cum talis vis causandi habeatur ex opere Ecclesiae, prout laudabiliter ab ipsa procedit, adeoque meritorie et per modum impetrationis, non autem praecise vi suae institutionis."⁴⁸

HUGON: "His ritibus veram efficaciam tribui ab Ecclesia, liquet ex ipsis verbis quae in eorum administratione adhiberi solent: sive benedictionibus, sive exorcismis effectus mirabiles adscribit sacra liturgia. Non agunt quidem ex opere operato physice, sicut Sacramenta; sed *moraliter, per modum impetrationis*, quatenus preces Ecclesiae sunt semper exaudibiles et ritus a Sponsa adhibiti specialem semper consequuntur efficaciam."⁴⁹

"Sacramentalia . . . non causant remissionem proprie ex opere operato, cum sint institutiones ecclesiasticae nec valeat Ecclesia ritui a seipsa constituto alligare vim conferendi gratiam aut remittendi per se peccata etiam venialia. *Sensu tamen quodam lato dici possunt agere ex opere operato*, quatenus ritus ab Ecclesia instituti habent vim movendi Deum, non solum propter opus seu fervorem omnis iisdem utens, sed etiam quia sunt res Ecclesiae, sponsae Christi, sicut etiam preces Ecclesiae ex se sunt semper dignae quae exaudiantur. Quocirca sacramentalia possunt habere valorem supra opus operantis hominis, sed semper agunt *ex opere operantis Ecclesiae*."⁵⁰

NOTA 14. QUOTUPLICI MODO REMITTANTUR VENIALIA.

Quae in tribus praecedentibus articulis disseruimus, ad sequens schema revocari queunt. Venialia scilicet triplici modo remitti possunt:

1. *Ex opere operantis* ipsius subjecti, et quidem per solum actum poenitentiae formalis vel virtualis (non vero, ut quidam volunt, etiam

⁴⁷ De sacr. in comm., diss. 7, a. 4, Cursus theol., t. 8, Parisiis, 1904, p. 374.

⁴⁸ De Poenitentia, diss. 3, a. 2, § 3, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 277 sq.

⁴⁹ Tract. Dogm., v. 3, Parisiis, 1948, p. 167.

⁵⁰ Ibid., p. 550.

per actum a poenitentia distinctum), quae quidem virtualis poenitentia invenitur in solo actu perfectae contritionis vel charitatis (non vero, ut alii dicunt, etiam in actu attritionis vel aliarum virtutum a charitate).

2. *Quasi ex opere operato*, seu exactius ex opere operantis Ecclesiae, i.e. per Sacramentalia (saltem quaedam; res enim pendet ab intentione Ecclesiae instituentis).

3. *Ex opere operato*,⁶¹ i.e.:

Per *Sacramentum*

Per omnia sacramenta

Peculiari ratione per sacramenta mortuorum, Extremam Unionem et Eucharistiam

Fortiori ratione per sacramentum Poenitentiae

Per *Sacrificium Missae*

Per *Martyrium*, seu baptismum sanguinis

Ceterum, cum etiam ex opere operato venialia non remittantur nisi mediante actu charitatis vel contritionis a charitate generatae, omnia praedicta remissionis media ad unicam reducuntur causam, quae ex propria vi et immediate culpas extinguit, virtutem scilicet charitatis, quae sola "operit multitudinem peccatorum" (1 Petr. 4, 8), quia "est vinculum perfectionis" (Col. 3, 14).

ART. 96. Utrum Proprietates Sacramenti Poenitentiae Sint Absoluta Necessitas, Specifica Unitas, Peculiaris Indoles Sacramentalis.

CONCLUSIO *affirmativa*.

Exponitur et probatur.

Agitur *de proprietatibus* hujus sacramenti, quas cum quaestione de effectu logice conjungimus, cum proprietates sequantur essentiam rei, et essentia sacramenti ex ipso ejus effectu tota colligatur, quippe quod nihil aliud sit quam signum practicum. Ex tribus nominatis proprietatibus, quas etiam consideravimus in tractatibus De Baptismo, Confirmatione et Eucharistia, necessitas refertur ad sacramenti existentiam (consideratam in subjecto suscipiente), unitas ad ejus essentiam, indoles vero sacramentalis ad genericam rationem in qua convenit cum aliis ritibus gratiae collativis.

Non sunt autem confundendae proprietates ipsius sacramenti cum

⁶¹ Per *donum confirmationis, visionem beatificam et unionem hypostaticam*, non proprie et directe remittuntur venialia, ut explicatum est in art. 93, p. 448 sq.

peculiaribus proprietatibus ipsius confessionis, inclusae in sacramento, scilicet necessitate, integritate, ratione vocali, ratione praesentiali, ratione secreta, de quibus actum est in art. 36–45 (tom. 2).

1. *NECESSITAS* hujus sacramenti, quae ita fere aequiparatur absolutae necessitati ipsius Baptismi, ut inde Poenitentia secundus baptismus vel secunda tabula salutis nominetur, considerata est peculiariter in art. 36–37 (tom. 2) ad modum unius cum ulteriori necessitate ipsius confessionis quae est pars ejusdem sacramenti.

2. *UNITAS SPECIFICA* hujus sacramenti, sicut ceterorum, desumitur ex unitate rei significatae et effectae, scilicet gratiae sacramentalis remissivae peccatorum.

Huic autem unitati non obstat imprimis dualitas peccatorum remittendorum, scilicet mortalium et venialium, nam ut dictum est in art. 7 (tom. 1, p. 211 sqq.), sola peccata mortalia sunt materia principalis hujus sacramenti, venialia vero sunt materia secundaria nec necessaria. Ad rem *S. Thomas*: “De mortalibus . . . et venialibus poenitentia post baptismum est sacramentum, non duo, sed unum: quia principaliter ordinatur hoc sacramentum ad mortale, et per consequens ad veniale” (*In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 2, q. 1, ad 3*).

Neque etiam obstat trina compositio materiae ex confessione, contritione et satisfactione. Nam, quamvis haec partium diversitas sit vere formalis et sacramentalis, ita ut soli sacramento Poenitentiae competat habere partes, tamen tres illi actus non sunt partes essentiales ipsius sacramenti, sed tantum partes integrales materiae sacramenti, ut explicatum est in art. 5 (tom. 1, p. 198 sqq.), ac ideo non valent scindere specificam unitatem sacramenti, sed potius coalescunt in unam materiam, ex qua, sub unica forma absolutionis, resultat unum signum sacramentale remissionis peccatorum. Ad rem *S. Thomas*: “Quando aliquis effectus procedit ex multis causis simul aggregatis, tunc nulla earum est causa per se, sed omnes sunt una causa, sicut patet de trahentibus navem. Unde cum effectus poenitentiae non sequatur nisi aliquo modo existentibus omnibus quae ad poenitentiam requiruntur, omnia illa habent rationem unius causae respectu illius effectus. Et quia sacramenta efficiunt significando, ideo omnia etiam habent rationem unius signi, dum unumquodque incomplete significat illum effectum; et propter hoc omnia sunt unum sacramentum” (*ibid., q. 1*). “Non representatur sufficienter effectus poenitentiae per quodlibet illorum plurium [i.e. actuum poenitentis], sed per omnia simul; et ideo omnia sunt unum signum” (*ibid., ad 1*). “Actus poenitentis . . . sunt materia hujus sacramenti, sicut materiale elementum in aliis; unde sicut ex materia et forma in aliis sacramentis efficitur unum sacra-

mentum; ita hic ex actu poenitentis, et absolutione sacerdotis" (*ibid.*, ad 2).

Si autem quaeratur de *unitate numerica* hujus sacramenti, desumpta ex parte subjecti, prorsus neganda est, nam hoc sacramentum, secus ac Baptismus, est iterabile. Una enim absolutio prolata super plures poenitentes (Ego vos absolvo) est aequivalenter multiplex ac ideo multiplicat sacramenta, non secus ac una forma baptismalis (Ego vos baptizo); et similiter repetita super eundem poenitentem, apponentem tamen novam materiam (seu novam confessionem et contritionem), multiplicat individuum sacramentum, quod tamen nequit contingere in Baptismo.

3. *PECULIARIS INDOLES SACRAMENTALIS* provenit Poenitentiae⁵² ex ejus intimo consortio cum ipsa virtute, ex qua sacramentum veluti imbibitur et animatur, quemadmodum peculiaris indoles competit sacramento Eucharistiae ex ejus copulatione cum praesentia reali Corporis Christi, a qua ipsum vivificatur ac dominatur; unde sicut in Eucharistia tria in unum mysteria conseruntur, realis scilicet praesentia, sacramentum et sacrificium, ita in Poenitentiam triplex causa concurrat, virtus nempe, sacramentum et clavis potestas, ita inter se connexa ut ipsa sacramenti essentia ex virtute et clave veluti resultet, illa praebente materiam sub specie actuum poenitentis, hac praebente formam sub specie absolutionis. Intima enim lex hujus sacramenti est ut homo a Deo sanetur ac justificetur non quomodolibet ac veluti ab extrinseco, sicut in Baptismo aliisque sacramentis, sed quasi per concurrentia merita Divinitatis et humanitatis, seu per quamdam elevationem operis operantis hominis ad dignitatem operis operati divini atque utriusque influxus copulationem in unum signum practicum sanctificationis.

Exinde provenit omne hujus sacramenti discrimen ac peculiaritas, in tribus notis elementis quae in quolibet sacramento considerari solent, scilicet sacramento tantum, re et sacramento, re tantum.

QUOAD SACRAMENTUM TANTUM, signum ipsum sacramentale coalescit ex actibus poenitentis, tamquam vera et proprie dicta materia, et actu sacerdotis, tanquam vera forma illos actus determinante, elevante ac vivificante, ita ut in utraque simul parte, juxta propriam cujusque indolem et proportionem, tota ratio sacramentalis significationis et efficientiae resideat.⁵³

⁵² De vera indole sacramentali Poenitentiae actum est in art. 1, tom. 1, p. 135-140.

⁵³ De materia, ut est subjectum non solum significationis sed etiam efficientiae, dictum est in art. 4, tom. 1, p. 187-190. 193-195, ubi explicavimus doctrinam Conc. Trid. et S. Thomae.

Ad rem *S. Thomas*: "Manifestum est . . . quod in poenitentia ita res gesta fit quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis; nam peccator poenitens per ea quae facit et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis peccata" (*3 p., q. 84, a. 1*).

"Nomine corporalium rerum intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam, et quantum ad poenam; et in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus sancti; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quae provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt de essentia sacramentorum, sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt loco materiae, ut accidit in poenitentia et matrimonio; sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria, quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam" (*ibid., ad 1*).

Exinde patet quomodo opus sanctificationis exerceatur in hoc sacramento et quae sint partes ministri.

In aliis quippe sacramentis adhibetur forma ad sanctificandam materiam, per cujus applicationem sanctificatur subjectum; in hoc vero sacramento, cum non agatur de aliqua exteriori materia applicanda subjecto, *forma adhibetur immediate ad sanctificandum subjectum*, per ipsam applicationem formae actibus elicitis a subjecto, qui, potiusquam sanctificari, dicuntur per formam elevari et consummari.

Ad rem *S. Thomas*: "Sacramentalibus signis in aliis sacramentis adhibetur forma verborum ad eorum sanctificationem, quia gratiam continent et causant; sed exterior poenitentia est signum gratiam causans; et ideo non oportet quod sanctificetur per aliquam formam verborum; sed verba quae a sacerdote absolvente proferuntur, immediate feruntur ad eum qui se subjicit sacramento; unde ipse sanctificatur virtute absolutionis, et gratiam suscipit: non autem sanctificatur ejus confessio, ut ex ea gratiam accipiat, sicut erat in baptismo de sanctificatione aquae" (*In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 1, ad 3*).

Omne quidem sacramentum confert gratiam, mediante aliqua sanc-

tificatione seu consecratione; attamen, haec sanctificatio quandoque requiritur tum in materia tum in ministro (ut in Confirmatione et Extrema Unctione), quandoque sufficit in sola materia (ut in Baptismo, qui a quolibet ministrari potest, etiam a non habente characterem Ordinis aut Baptismi), *quandoque sufficit in solo ministro*, ut accidit praecise in Poenitentia, cujus materia, ut dictum est, non proprie consecratur aut sanctificatur.

Ad rem *S. Thomas*: "Sacramenta, secundum Hugonem, lib. 1 *De sacramentis*, part. ix, cap. ii . . . , ex sanctificatione invisibilem gratiam continent. Sed haec sanctificatio quandoque ad necessitatem sacramenti requiritur tam in materia quam in ministro, sicut patet in confirmatione; et tunc vis sacramentalis est in utroque conjunctim. Quandoque autem ex necessitate sacramenti non requiritur nisi sanctificatio materiae, sicut est in baptismo, quia non habet ministrum determinatum quantum ad sui necessitatem; et tunc tota vis sacramentalis consistit in materia. Quandoque vero de necessitate sacramenti requiritur consecratio vel sanctificatio ministri, sine aliqua sanctificatione materiae: et tunc tota vis sacramentalis consistit in ministro sicut est in poenitentia" (*In 4 Sent., dist. 18, q. 1, a. 3, q. 1*).

In aliis sacramentis minister duo facit, sanctificat nempe materiam per formam et applicat materiam sic sanctificatam ad subjectum. In sacramento vero Poenitentiae minister neutrum proprie facit, sed *tantum applicat formam actibus poenitentis et virtutem formae subjecto*. Attamen, minister per hanc applicationem elevat et sacramentaliter consummat actus poenitentis, ac pro tanto dici potest sanctificare materiam per formam; similiter minister aliquem habet influxum in materiam sacramenti seu in actus poenitentis, quatenus nempe potest eos imperare et exigere, ex quo sequitur quod dum in aliis sacramentis sufficit potestas ordinis, in hoc exigitur quoque potestas jurisdictionis.

Ad rem *S. Thomas*: "In sacramentis quae habent pro materia aliquam rem corporalem, est duplex actus ministri Ecclesiae; scilicet sanctificatio materiae per verbum Dei, et applicatio materiae ad eum qui sacramentum suscipit. Sed in hoc sacramento, quod habet pro materia ipsum humanum actum, non potest ex ministerio sacerdotis materia applicari ad eum qui sacramentum suscipit, quia actus non sunt ab exteriori; et ideo ad ministerium ipsius pertinet actus ipsum actum consummatio secundum absolutionem et poenae injunctionem; quod est quasi quaedam sanctificatio" (*In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1*).

"In sacramentis quae habent corporalem materiam, oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiae, qui gerit personam Christi,

in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo. In sacramento autem poenitentiae, sicut dictum est (in solut. praeced.), sunt actus humani pro materia, qui proveniunt ex inspiratione interna; unde materia non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante, sed complementum sacramenti exhibet minister, dum poenitentem absolvit" (3 p., q. 84, a. 1, ad 2).

"Alia sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum ut recipiat, sicut patet in baptismo, et hujusmodi; sed actus recipientis requiritur ad percipiendum utilitatem sacramenti in eo qui est suae voluntatis arbiter constitutus, quasi removens prohibens, scilicet fictionem. Sed in poenitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti, eo quod contritio, confessio, satisfactio sunt poenitentiae partes, quae sunt actus poenitentis. Actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab alio dispensari nisi per imperium; unde oportet quod ille qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit talis qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi qui habet super eum jurisdictionem; et ideo de necessitate hujus sacramenti est non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem" (In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 3, q. 4).

QUOAD REM ET SACRAMENTUM Poenitentiae dictum est in art. 28 (tom. 2, p. 130–153), hoc consistere in ipsa contritione, prout subicitur influxui sacramenti tendentis in effectum gratiae remissivae, ita ut, vi istius influxus, contritio cadat media inter sacramentum et effectum gratiae, veluti primus effectus sacramenti, disponens ad ulteriorem susceptionem ipsius gratiae sacramentalis.

Habetur hic, unicus casus in quo actus ipse humanus fit res et sacramentum, seu veluti effectus ipsius sacramenti; ostenditur etiam munus et influxus quem ipsa virtus poenitentiae, late vel stricte acceptae (prout agitur de attritione vel perfecta contritione), exercet in hoc sacramento: bis enim veluti sacramentatur, antea nempe ut pars materiae sacramenti, subinde ut primus effectus sacramenti, quo mediante causatur ipsa gratia remissiva peccatorum.

QUOAD REM TANTUM, seu ultimum et specificum effectum hujus sacramenti, sufficienter dictum est in art. 91 (in Statu Quaestionis, p. 244–249). Ipse scilicet est gratia formaliter remissiva, in quo Poenitentia distinguitur formaliter ab ipso Baptismo. Quod autem dici solet effectum Poenitentiae esse ut convertat attritionem in contritionem, seu faciat ex attrito contritum, verum est in solo sensu alicujus aequivalentiae, quatenus nempe attritio cum sacramento aequivalet contritioni

quoad efficaciam justificativam, et hoc sensu iterum virtus Poenitentiae ostendit novum munus sacramentale, seu evadit quodammodo etiam effectus sacramenti, ita ut, a primo ad ultimum, intime alligetur sacramento, illud praecedens, imbibens, subsequens, assumens nempe quadruplex munus dispositionis, partis, prioris et ultimi effectus.

Notanda est quaedam Commentatorum disceptatio circa verba S. Thomae, 3 p., q. 84, a. 1, ad 1, supra citata (p. 561), in quibus tribuitur Poenitentiae et Matrimonio inferior quidam effectus quam aliis sacramentis, nominatim Baptismo, Confirmationi et Extremae Unctioni "in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus". Quidam hanc gratiae excellentiam intelligunt majorem gratiae gradum, alii peculiarem gratiae vigorem, alii peculiarem modum quo gratia confertur.

Admisimus quidem in tractatu De sacr. in gen. (art. 43, p. 535 sq.) sacramenta inter se differre in ipsa sua efficacitate, sive relate ad effectum gratiae communis sive relate ad gratiam sacramentalem, et quidem juxta ordinem dignitatis et perfectionis, in quo infimum locum occupant Poenitentia et Matrimonium. Attamen, S. Thomas hic videtur directe et per se attendere ad ipsum modum quo influxus divinus, gratiae causativus, exercetur in variis sacramentis. In quibusdam nempe sacramentis, ut in Baptismo, Confirmatione et Extrema Unctione, divinus influxus exercetur simpliciter ab extrinseco et independentem ab humana cooperatione, adeoque modo quodam plenario ac totali, juxta propriam amplitudinem efficaciae virtutis Dei et meritum passionis Christi; in Poenitentia vero et Matrimonio, divinus influxus attemperatur sacramentaliter ipsi efficaciae actuum humanorum, qui ad rationem sacramenti elevantur, et ideo non procedit modo independenti ac plenario, nec gratiam excellentem causat. Id peculiariter ostendit modus quo peccati remotio quantum ad reatum poenae fit in Baptismo et Poenitentia; in Baptismo enim poena totaliter condonatur ad modum plenariae indulgentiae, in Poenitentia vero non necessario totaliter, sed plerumque partialiter tantum remittitur, juxta mensuram humanae cooperationis et ad modum exactae compensationis et satisfactionis (cf. supra, art. 53, tom. 3, p. 171 sqq.).

COMPARATIO POENITENTIAE CUM BAPTISMO, cui maxime inter cetera sacramenta assimilatur in sua generica ratione et finalitate sacramenti mortuorum, sufficienter in variis locis hujus tractatus explicite vel implicite facta est, quin indigeat iterum resumii.

Comparatio utriusque quoad *varia elementa sacramentalia* datur in art. 1, tom. 1, p. 140–142; quoad ipsam *potestatem remissivam* peccatorum, ibidem, p. 132; quoad necessitatem, in art. 31 et 37, tom. 2,

coll. cum tractatu De Baptismo, art. 16 et 17; quoad effectum remissionis *poenae temporalis*, in art. 53, tom. 3; quoad *effectus generaliter*, confer art. 91, p. 249, cum tractatu De Baptismo, art. 7, p. 94.

Restat ut in schema redigantur quaedam utriusque sacramenti definitiones seu descriptiones.⁵⁴

*BAPTISMUS*1. *Baptismus*

Lavacrum aquae
Baptismus indulgentiae

Prima tabula salutis
(cf. 1 Petr. 3, 19–21)

Prima poenitentia

2. *Sacramentum mortuorum*
(in Adam)

Sacr. vitae
Sacr. renatorum
Sacr. regenerationis

Sacr. justificationis

3. *Sacramentum ablutionis*

Sacr. professionis

Sacr. purificationis

4. *Sacramentum fidei*

Janua Ecclesiae

*POENITENTIA**Secundus baptismus*

Lavacrum lacrymarum
"Baptismus laboriosus"
(Conc. Trid.)

"Secunda tabula post naufragium"
(Hieronymus, Tertullianus, Ambrosius, Conc. Trid.)

"Poenitentia secunda" (Tertullianus; cf. Hermam)

Sacramentum mortuorum

Sacr. resurrectionis
Sacr. lapsorum
Sacr. remissionis
(Doctores mediaevales)
"Sacramentum reconciliationis"
(Sacramentarium Gelasianum)

Sacramentum absolutionis

"Sacramentum confessionis"
(Petrus Damianus)
Sacr. satisfactionis

"*Sacramentum Poenitentiae*"
(Jam Anselmus Laudunensis,
† 1117)

Clavis Ecclesiae

⁵⁴ Similia schemata habes in tractatu De Baptismo et Confirmatione, p. 352, et in tractatu De Eucharistia, tom. 1, p. 475.

CAPUT IX

DE SUBJECTO ET MINISTRO

In praesenti Capite completur sermo de *CAUSIS EXTRINSECI*s sacramenti Poenitentiae, agendo de Subjecto, causa veluti dispositiva, et Ministro, causa efficienti instrumentali (de causa autem principali, tum institutionis tum applicationis, actum est in Cap. 1, de altera vero causa extrinseca, scilicet finali, actum est in capite praecedenti), simulque absolvitur ipse tractatus quoad ejus partem essentialem, nam caetera quae in sequentibus tribus capitibus addentur, de generaliori scilicet clavium potestate, de Indulgentiis et de caeremoniis, non sunt nisi quaedam ab extrinseco connexa cum ipso Sacramento.

Ex dictis autem, tum generaliter in tractatu De Sacramentis in genere (Cap. V et VII) tum particulariter in praecedentibus capitibus, sequentia colliguntur quae hic distincta tractatione non indigent:

1. QUOAD SUBJECTUM HUIUS SACRAMENTI.

Subjectum capax est solus et omnis: *homo*, non vero brutum, quia incapax gratia, nec angelus, quia incapax sensibili sacramento et actu poenitentiae (cf. tractatum De sacr. in gen., art. 22, p. 342; hic, tom. 1, art. 15, p. 396); *viator*¹ (cf. in tractatu De sacr. in gen., p. 343); *peccator*, peccato non originali sed personali ac post Baptismum commisso.

Hoc tertium requisitum, est huic sacramento peculiare; deficiente enim peccato, deest ipsa materia sacramenti ac ideo ipsa ordinatio hominis ad sacramentum, de originali autem peccato non est poenitentia sive ut virtus sive ut sacramentum, ut dictum est in art. 8 et 14 (tom. 1, p. 230 et 378), peccatum vero personale commissum ante Baptismum est materia ipsius Baptismi, ut dictum est in art. 8 (tom. 1, p. 231 sqq.). Inde non sunt capaces sacramenti Poenitentiae: Chris-

¹ *Absolutio mortuorum*, quae in usu est in Ecclesia inde saltem a *Conc. Constantinopolitano II* a. 553 ac refertur in *Rituali Romano*, est mera, et quidem improprie dicta, absolutio ab excommunicatione, qua mortuo conceduntur sepultura ecclesiastica et suffragia Ecclesiae (cf. infra, art. 106, p. 821 sq.). Absolutio vero mortuorum in usu in *Ecclesia Schismatica* est quaedam formula plenariae indulgentiae (i.e. absolutionis a poena), quam indebite conferunt per modum verae absolutionis ac si Ecclesia vera in mortuos jurisdictione polleret. At de hac erit iterum sermo infra in art. 107 (p. 845).

tus (cf. 3 p., q. 84, a. 7, ad 4; Suppl., q. 16, a. 2, ad 2), ob absolutam ejus impeccabilitatem; B. Virgo,² ob impeccabilitatem de facto; parvuli, ob defectum actus peccati (cf. art. 15, tom. 1, p. 390–398).

Subjectum validae susceptionis est (supposita praedicta capacitate): *baptizatus* (nam Baptismus est fundamentum et janua ceterorum sacramentorum); *lapsus in quodcumque peccatum* (absque ulla distinctione speciei vel gravitatis, nam, ut dictum est in art. 92 nullum datur peccatum per claves Ecclesiae non remissibile); habens tum *intentionem*, saltem virtuaalem, recipiendi sacramentum (cf. tractatum De sacr. in gen., art. 23, p. 358), tum etiam veram peccati *contritionem* seu saltem attritionem (quae supponit fidem, spem, timorem, amorem initialem), ubi habetur unicus casus in quo bona voluntatis dispositio sit conditio validitatis sacramenti, non minus quam ipsa intentio, cum pertineat ad ipsam essentiam sacramenti (cf. art. 4, tom. 1, p. 176 sqq., et art. 26–28, tom. 2, p. 107 sqq.). Ex hac ratione, quia nempe subjectum affert ipsam totam materiam sacramenti (contritionem, confessionem et satisfactionem), sequitur nullum aliud sacramentum, excepto Matrimonio cujus tota essentia consistit in intentione et actione ipsorum contrahentium, tam stricte pendere a conditione subjecti quoad suam essentiam et validitatem, salva semper principalitate ministri qui solus ponit formam eamque copulat materiae, ac proprie conficit sacramentum (cf. art. 4, tom. 1, p. 195–197).

Subjectum fructuosae susceptionis est qui talem habet contritionem seu attritionem quae sit sufficiens dispositio ad gratiam suscipiendam per virtutem sacramenti, seu quae gaudeat omnibus dotibus *salutaris contritionis* enumeratis et explicatis in art. 25 (tom. 2, p. 36 sqq.). An autem haec contritio non necessario debeat esse melioris indolis vel gradus quam ea quae requiritur ad ipsum valorem sacramenti, ita ut non detur sacramentum Poenitentiae validum et informe ac proinde idem sit subjectum validae et fructuosae susceptionis hujus sacramenti (aliter ac in ceteris sacramentis), non leviter disputatur inter doctores, ut dictum est in art. 29 (tom. 2, p. 153 sqq.); ex quo etiam praecipue dependet quaestio an sit neganda reviviscentia hujus sacramenti, ut ibidem diximus, resolventes utramque quaestionem in sensu affirmativo.

Peculiares quasdam et momentosas quaestiones, quae circa subjectum hujus sacramenti agitari solent, jam in superioribus Capitibus ipse ordo vel exigentia materiae praeoccupare coegit; ita quaestionem de *necessitate* suscipiendi sacramentum, in art. 36–37 (tom. 2, p.

²Cf. *Salmanticenses*, Disp. 4, dub. 4, § 3, n. 163–67; *Gonet*, Disp. 8, a. 1, n. 11 sq.; *Billuart*, Diss. 5, a. 2, circa finem.

348 sqq.), de confessione facienda *inter praesentes*, in art. 41 (ibid., p. 686 sqq.), de nunquam ab *Ecclesia denegata aut denegabili venia ulli peccatori*, in art. 92 (hic, p. 281 sqq.). Sola hic (art. 97) relinquitur agitanda quaestio *de absolute moribundorum*, quam nonnisi occasionaliter aut partialiter tetigimus in art. 4 (tom. 1, p. 166 et 191 sq.), in art. 39 (tom. 2, p. 641–646), in art. 41 (ibid., p. 716–723) et art. 92 (hic, p. 394–408 et 409 sq.).

Quae vero a Moralisticis accurate determinantur de confessione *puerorum, amentium et surdomutorum*, necnon de absolute danda vel deneganda *consuetudinariis, recidivis et occasionariis*, quaeque praebent regulas et signa unde dignoscantur conditiones vel dispositiones in subjecto requisitae ad validam et fructuosam sacramenti susceptionem, ad hoc ut confessarius tuto et utiliter absolute administretur queat, exulant a scientifico scopo nostrae tractationis ac respiciunt meram prudentialem et casuisticam applicationem hujus sacramenti.

2. QUOAD MINISTRUM HUIUS SACRAMENTI.

Minister capax est solus: *homo* (saltem juxta providentiam ordinariam); *viator* (saltem secundum eandem providentiam); *distinctus a subjecto poenitente* (id peculiariter requiritur in hoc sacramento quod involvit jurisdictionem et iudicium, nemo enim potest sibi esse superior aut in propria causa iudicare).

Minister validae collationis est: *adultus*; *a Christo deputatus* (id etiam peculiariter requiritur in hoc sacramento ob eandem rationem jurisdictionis ac iudicii) et *ab Ecclesia designatus* (ob eandem rationem jurisdictionis quae a potestate Ecclesiae necessario dependet, ut dicitur in art. 99); habens *intentionem* internam, saltem virtualem, faciendi quod facit Ecclesia (cf. tractatum De sacr. in gen., art. 36–38), quamvis careat fide et probitate (cf. ibid., art. 39).

Minister licitae collationis est qui ab Ecclesia non arcetur ab audientis confessionibus (quibusdam enim Ecclesia prohibet confessionem audire, etiam cum eis concedit jurisdictionem seu validam administrationem, ut patet de jurisdictione suppleta in casu erroris communis et in absolute complicis in articulo mortis; cf. can. 209 et can. 882 coll. cum 884); item qui pollet dotis et satisfacit obligationibus de quibus dicitur in art. 102.

Jam in superioribus praeoccupavimus duas quaestiones quae referuntur ad ministrum, scilicet obligationes *imponendi satisfactionem* (art. 73) et servandi *sigillum sacramentale* (art. 44). Restat ut examinemus sequentes quaestiones: utrum ad validam sacramenti admini-

strationem requiratur in ministro potestas tum *ordinis* (art. 98) tum *jurisdictionis* (art. 99); quomodo *efficacitas sacramenti* pendeat a ministro (art. 100); an *plures ministri* possint simul eundem poenitentem absolvere (art. 101); quasnam ministri *dotes et obligationes* importet licita administratio hujus sacramenti (art. 102).

ART. 97. Utrum Et Qua Ratione Absolvi Possit Moribundus, Praecipue Qui Sit Sensibus Destitutus Et Nullum Dederit Signum Poenitentiae.³

STATUS QUAESTIONIS

Quaestio est de *ABSOLUTIONE MORIBUNDORUM*, quae, ratione abnormis conditionis subjecti, in ordine ad positionem actuum constituentium ipsam materiam sacramenti (contritionis, confessionis et propositi satisfaciendi), peculiarem involvit difficultatem tum dogmaticam, seu de valore sacramenti, tum moralem, seu de liceitate imperiendi vel attendandi absolutionem, praecipue in casu moribundi sensibus destituti qui nulla praebeat aut praebuerit signa poenitentiae.

Quaestio sub duplici forma ponitur: nempe *de ipsa re et de explicazione rei*, seu an possit conferri absolutio et quo modo id componi possit praecipue cum his quae contra Scotistas superius sustinuumus de

³ Suarez, De Poenitentia, disp. 23, sect. 1.

Diana, Resol. Moral., pars 3, tr. 3 de absolutione moribundorum.

Morinus, Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae, l. 10, c. 10.

Lugo, De Poenitentia, disp. 17.

Salmanticenses, De Poenitentia, disp. 7, dub. 7, § 4, b. 240-247.

Sporer, Theol. Moral. (ed. Bierbaum), t. 3, n. 636-648, Paderbornae, 1905.

Benedictus XIV, De synodo dioeclesana, l. 7, c. 15, n. 9-13.

S. Alphonsus, n. 480-483.

Gury-Ballerini, n. 505 sq.

Ballerini-Palmieri, Opus Morale, t. 5, n. 394-419.

Lehmkuhl, v. 2 (ed. 10, a. 1902), n. 510-515.

Noldin, ed. 10, a. 1912, n. 233. 292-295.

Noldin-Schmitt, n. 232. 294-295.

Génicot-Salsmans, n. 298-300.

Aertnys-Damen, n. 335-338.

Prümmer, n. 326.

Cappello, ed. 1944, n. 47. 187-198.

Merkelbach, n. 652-655.

Piscetta-Gennaro, n. 780-787.

Palmieri, De Poenitentia, thes. 14, Romae, 1879, p. 155-158; In adnotationibus ad Opus Morale Ballerini (Ballerini-Palmieri), t. 5, n. 414, in nota.

Galtier, De Poenitentia, n. 377, 4 et in nota; n. 464.

Minges, Joannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica, t. 2, Quaracchi, 1930, p. 630-632.

Moderna *monualia dogmatica* rem nonnisi leviter vel transeunter tangunt, occasione sententiae Scotisticae de partibus constitutivis sacramenti Poenitentiae; ita: *Franzelin*, De sacr. in gen., ed. 4, p. 42; *De Augustinis*, De Poenit., thes. 21; *Pesch*, n. 82-86; *Billot*, ed. 1930, p. 41; *Huarte*, n. 86; *Hugon*, ed. 1948, p. 511; *Diekamp*, § 43; *Lercher*, n. 444.

essentia sacramenti, consistente in ipsis actibus poenitentis (nam in casu praesertim moribundi sensibus destituti tales actus deesse videntur); de utraque enim quaestione doctores olim disputarunt et adhuc disputant.

Etsi jam superius quaedam de absolute moribundi tetigerimus (ut notatum est in p. 568), juverit totam quaestionem hic in unum colligere, distinguentes varios modos vel casus talis absolutionis, variosque theologorum sensus et opiniones circa illos.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

SEX DISTINGUI POSSUNT CASUS ABSOLUTIONIS MORIBUNDORUM:

PRIMUS CASUS est moribundi qui petit absolvi in consuetis circumstantiis integrae confessionis et expressae contritionis.

Quidam moderni eruditi, etiam inter ipsos catholicos, sustinent antiquam Ecclesiam denegasse quandoque absolutionem quibusdam moribundis, nominatim relapsis et iis qui studiose recursum ad claves usque ad articulum mortis distulissent (cf. art. 92, p. 303 sqq. 323 sqq. 331. 338). Eos cum communi theologorum sententia refutavimus in art. 92, allatis ac discussis Ecclesiae documentis de concedenda venia omnibus bene dispositis moribundis, peculiariter Conc. Nicaeno I, Siricio, Innocentio I, Caelestino I, Leone M., Gelasio (cf. in p. 400–408).

Conc. Tridentinum, sess. 14, cap. 7 (de casuum reservatione), traditionalem sensum Ecclesiae sic expressit: “Hanc . . . delictorum reservationem consonum est divinae auctoritati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt” (Denz. 903).

Rituale Romanum, tit. 3, c. 1, n. 24: “Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio)”.

Codex J. C. sequentibus canonibus hodiernam disciplinam statuit:

Can. 882: “In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvent quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252.”

Can. 884: “Absolutio complicitis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum

necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV 'Sacramentum Poenitentiae' 1 Iun. 1741."

Can. 892, § 2: "Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes."

Can. 2252: "Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiarium vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi."

Nonnisi indispositis absolutio ab Ecclesia denegatur. Ita *S. Officium*, 27 iulii 1892, prohibet ministrare sacramenta moribundo qui nolit retractare mandatum cremandi suum cadaver. Idem *S. Officium*, quaesito: "An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema unctio conferri possint?" responsum dedit: "Sub conditione *affirmative*, praesertim si ex adiunctis coniicere liceat, eos implicite saltem errores suos reilicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse".

SECUNDUS CASUS est moribundi qui nonnisi *genericam confessionem* instituere valet (accusando nempe peccata, tantum secundum genus generalissimum, ut dicendo: Peccavi, Me accuso de peccatis, vel exprimendo per aliquod signum, puta tundendo pectus, se esse peccatorem).

Plures olim doctores, nominatim *Soto*, *Cano* et *Navarro*, negarunt talem confitendi modum esse sufficientem in articulo mortis. Eos cum communiore sententia refutavimus in art. 39 (tom. 2, p. 641-646), adductis quoque documento *Ritualis Romani* (tit. 3, c. 3, n. 25, infra referend., p. 581) et *Declaratione S. Poenitentiariae Apostolicae*, 6 febr. 1915 (de absolutione militum ad praelium properantium).

TERTIUS CASUS est moribundi qui, petita confessione vel exhibitis signis doloris, *cum ordine ad claves coram ipso sacerdote*, subinde sensibus destituitur.

Hic casus reincidit in praecedentem, eodemque modo a doctoribus resolvitur; nam jam facta illa generica confessio moraliter continuatur et coniungitur absolutioni sacerdotis collatae in deliquo.

QUARTUS CASUS est ejusdem moribundi qui, *praesente sacerdote*, non petivit confessionem sed tantum dedit signa doloris *sine explicito ordine ad claves*, quia v.g. non advertit praesentiam sacerdotis.

Quidam, ut (praeter Soto, Cano et Navarro supra memoratos) *Vasquez, Bonacina, Thomas a Jesu, Joannes a S. Thoma, Gonet*, et praecipue *Suarez*, negarunt absolutionem dari posse, ob defectum ordinis ad claves in eo actu contritionis. Alii, ut *Laymann, Lugo, Diana* et *Salmanticenses*, id affirmarunt, docentes ordinem ad claves in eo casu implicite haberi; cui sententiae a fortiori adstipulantur omnes recentiores et moderni (etsi plures casum explicito non proponant) qui docent posse absolvi moribundum qui nullum praebuerit signum poenitentiae, de quo infra in sexto casu.

SUAZES: "Est tamen attente observandum, non satis esse adhibere signa contritionis . . . sed necessarium esse illa adhibere in ordine ad claves, quia contritio, vel manifestatio ejus per se non est sufficiens materia sacramenti poenitentiae, sed quatenus informat confessionem aliquam, cum qua perficit accusationem sacramentalem, et hoc est exhibere signa in ordine ad claves. Unde, quantumvis infirmus se ostendat devotum et contritum, si nullam fecit mentionem confessionis, et in eo statu sensum amittat, non potest sacramentaliter absolvi; quia illa contritio non est relata ad claves, neque ibi intervenit aliqua confessio, etiam generalis, et in absentia. At vero cum exhibet illa signa petendo confessionem, seu vocando sacerdotem, jam est materia sufficiens."⁴

LUGO e contra: "Haec sententia [Suarezii] meo judicio, vel nihil dicit speciale in ordine ad praxim, vel laqueos et tricas injicit confessario, qui dum examinat, an signa doloris et poenitentiae fuerint in ordine ad claves, infirmus sine absolutione moritur, omnes ergo fatemur, debere illa signa doloris esse in ordine ad claves, hoc est manifestativa desiderii quo poenitens desiderat providere animae suae de remedio spectante ad veniam peccatorum obtinendam, atque adeo per absolutionem sacramentalem. Difficultas solum est in ordine ad praxim; an sacerdos qui videt infirmum pectus percutere, vel aliud simile poenitentiae signum edere, *possit praesumere illa signa esse in ordine ad claves*, et ad manifestandum desiderium absolutionis, atque ita possit de facto absolutionem impendere, licet explicito non petierit confessionem, aut absolutionem sacerdotis. . .

"Ideo . . . dixi, sententiam contrariam nihil fortasse addere in ordine ad praxim; quia quoties infirmus in eo periculo positus talia poenitentiae signa exhibet, ad minus poterit esse dubium, an fiant in ordine ad claves; hoc est, an velit significare desiderium confessionis, seu remedii ab Ecclesia obtinendi, quod habet; praesertim cum homines in illo periculo soleant statim confessionis meminisse, et eam desiderare, ac petere. Si ergo sufficit ejusmodi dubium ad dandam absolutionem consequens est, ut semper, aut fere semper dari possit, si autem potest, debet ex obligatione charitatis, ut succurramus proximo periclitanti eo modo, quo possumus, ut diximus sect. praecedenti."⁵

QUINTUS CASUS est moribundi, qui, *absente sacerdote*, antequam sensibus destitueretur, petiit confessionem vel *ostendit poenitentiae signa*, quae subinde innotescunt supervenienti sacerdoti, ex testimonio aliorum.

⁴ De Poenitentia, disp. 23, sect. 1, n. 13, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 512 sq.

⁵ De Poenitentia, disp. 17, sect. 2, n. 28 et 32, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 180 sq.

Quidam, ut *Soto*, *Cano* et *Navarro*, negarunt talem moribundum posse absolvi, consequenter ad suam sententiam de insufficientia confessionis genericae. Eandem negationem subinde quidam alii, praecipue *Didacus Alvarez* († 1635), assumpserunt ob quendam speciosam rationem, quia nempe in eo casu ageretur de confessione facta inter absentes, seu absenti sacerdoti, quae quidem prohibetur decreto Clementis VIII a. 1602, damnante hanc propositionem: "Licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem obtinere" (Denz. 1088; cf. supra art. 41, tom. 2, p. 687 sq.).

Praefatum moribundum absolvi posse ac debere, tenet sententia, olim communior (*Apocryphum Opusc. 65 S. Thomae, S. Antoninus, Paludanus, Silvester, Angelus, Medina, Toletus, Bellarminus, Suarez, Vasquez, Laymann, Coninck, Lugo, Salmanticenses, S. Alphonsus*) et hodie communissima, quae certa dici potest, utpote corroborata pluribus Ecclesiae documentis infra cit. in Concl. 5.

SEXTUS ET ULTIMUS CASUS est moribundi, sensibus destituti, qui non petierit confessionem *nec ullum dederit signum poenitentiae*.

NEGANT talem moribundum ullatenus absolvi posse plurimi antiquiores usque ad saec. 17 inclusive, nominatim *Suarez* (Disp. 23, sect. 1, n. 13, cit. in p. praec.), *Vasquez* (q. 91, art. 2, dub. 1, n. 1, asserens neminem esse qui affirmet), *Coninck* (Disp. 5, n. 28; disp. 7, n. 96; dicens contrarium non esse probabile), *Natalis Alexander, Laymann, Henriquez, Diana* (Resol. Moral., pars 3, tr. 3, de absolutione moribundorum, resol. 8^o), *Busembaum, Concina, Roncaglia, Lugo* (Disp. 17, sect. 3, n. 33 sqq.; "Alii omnes [exceptis Molfesio, Homobono et Gregorio XV] pro certo supponunt non posse conferri absolutionem"), *Arriaga, Tyrsus, Prado, Gonet, Salmanticenses* (Disp. 8, dub. 7, § 4, n. 240: "Vera et communis sententia. . . Superfluum est sic sentientes referre, qui sunt plurimi").

Benedictus XIV († 1758), neutri subscribens sententiae, testatur: "Antiquorum theologorum [haec] communis opinio fuit, quam multi adhuc tuentur. . . Afferunt etiam in hujus sententiae confirmationem, quod *Sorbonae facultas theologica*, anno 1665, propositionem damnavit ex quodam libro excerptam, quae sequentibus verbis concepta legitur:

* Concedit tamen contrariam sententiam esse extrinsece probabilem, ac ideo deduci posse in praxim: "Ego saltem ex principio extrinseco puto hanc sententiam probabilem esse, et ita illam tenent aliqui patres Societatis Jesu, et nostrae Religionis".

¹ Notat etiam: "Dum [Diana] dixit aliquos ex nostra societate contrarium tenere, intelligi debet de aliquo privato, quem ipse forte allocutus est, nam ex Auctoribus nostrae societatis nemo est, qui eam docuerit".

‘Qui amiserit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, ut bonus et fidelis, et frequentabat confessionem et communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet praesupponi contritus, et faciente aliquo confessionem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia et peccato’: quam quidem praedicta Parisiensis facultas sequenti censura notavit: ‘Doctrina hujus propositionis, universim et absolute sumpta, est in praxi periculosa.’⁷⁸

Ratio triplex affertur, scilicet: 1. In eo casu deest materia sacramenti, seu actus poenitentis; 2. Judicium sacramentale nequit exerceri, nam omne iudicium supponit accusationem, quae in casu deest, deficiente confessione, saltem ut elemento de quo possit sacerdos iudicare; 3. Documenta Ecclesiae (infra referenda in Concl. 5, i.e. Conc. Carth., Conc. Araus., Leo M., Rituale Rom.) absolutionem moribundi concedunt cum ea iugiter conditione seu limitatione quod moribundus petierit confessionem seu absolutionem.

AFFIRMANT talem moribundum absolvi posse (sub conditione tamen) pauci antiquiores ante saec. 18, et quamplurimi posteriores, praecipue inter morales theologos (nam dogmatici vel a re abstrahunt vel hypothetice loquuntur, negotium hoc moralibus relinquentes), quibus non parvum impulsus praestitit S. Alphonsi suffragium, huic doctrinae favens.

Hanc sententiam peculiariter defendit *Joannes Morinus* († 1659; De admin. Sac. Poenitentiae, l. 10, c. 10), vehementer impugnans contrariam ac communem aliorum opinionem. Caeterum, ipse citat in suum favorem plures antiquiores relatos ab ipso Diana (patrono communis opinionis; Resol. Moral., pars 3, tr. 3, de absolutione moribundi, resol. 8), scilicet *Molfesium*, *Homobonum*, *Lotherium*, *Salmeron*, *Lupum*, *Jacobum Batum* († 1614; nepotem Michaelis; Instit. christianae religionis, l. 2), *Alexandrum Ludovisium* (archiep. Bononiensem ac subinde S. Pontificem Gregorium XV; † 1623; Memoriale confess., c. 1 de forma sac. Poenit., n. 16). Eandem sententiam secuti sunt *Tamburini* († 1675), *Moya* († 1684), *Merbesius* († 1684), *Genetus*, *Holzmann*, *Viva*, *Sporer*, *Elbel*, *Lacroix*, *Cardenas*, *Juénin*, *Tournely*, *Witasse*, *S. Alphonsus* († 1787; quatenus, agnita quidem gravitate prioris opinionis, tamen in hanc alteram libenter inclinat et rationibus confortat).

Benedictus XIV († 1758) testatur: “Morini opinio conplures sectatores invenit ex his qui post eum scripserunt”⁷⁹ ac subinde citat etiam

⁷⁸ De synodo dioecessana, l. 7, c. 15, n. 9, apud Migne, Theol. Curs., t. 25, col. 1073.

⁷⁹ Ibid., n. 6., col. 1078.

in eundem sensum decisiones Synodorum Montis Falisci a. 1710, Isclanae a. 1716 et Feltriae a. 1627. S. Alphonsus († 1787) loquitur de "sententia communiori". Post ipsum vero ea sententia facta est prorsus communis eamque secuti sunt *moderni moralistae* turmatim, ita ut hodie in praxim communiter a confessariis deducatur nec ullum invenies doctorem qui refragari audeat, sed tota theologorum varietas aut disputatio est de ea praxi interpretanda, seu de assignanda ratione quae fundat illius legitimitatem (ut explicabitur in Concl. 6).

Praeterea, concessio absolutionis pedetemptim extensa est ad varias categorias moribundorum, ita ut quidam moderni nullos prorsus excipiant. Quidam antiquiores, ut *Morinus*, permittunt conditionatam absolutionem tantummodo moribundi catholici qui catholice et pie vixerit. Quidam, ut *Holzmann*, *Elbel*, *Cardenas*, *S. Alphonsus*, et post ipsum moderni, omnis moribundi catholici, qui fidem servaverit, etsi prave vixerit, imo in actu peccati (puta adulterii vel duelli) sensibus destituatur. Quidam, ut *Ballerini-Palmieri*, *Lehmkuhl*, *Génicot-Salsmans*, *Cappello*, etiam moribundi qui antequam sensibus destitueretur sacerdotem repulerit et absolvi renuerit (id negant Noldin-Schmitt et Merkelbach). Quidam, ut *Génicot-Salsmans*, *Ferreres*, *Cappello*, etiam moribundi acatholici (schismatici vel haeretici), qui sit baptizatus, vel conditionate tunc baptizetur, et de quo non desit probabilis spes eum in bona fide versari et libenter admissurum sacerdotis adiutorium, si sciret id esse necessarium (S. Alphonsus vero id negat de acatholico, Merkelbach de haeretico, Aertnys-Damen de haeretico cuius secta reicit sacramentum Poenitentiae).

Ceterum de his discrepantiis ac quaestionibus convenientius agemus in tractatu *De Extrema Unctione* (art. 33, tom. 2), quippe quae pariter respiciunt licitatem administrationis utriusque sacramenti.

Pro hac sententia invocantur a S. Alphonso et aliis verba *Augustini*, *De Conjugiis adulterinis*, 1, 26 et 38 (cit. infra, p. 581). Sed *opponit Palmieri*: "Verum non videntur satis assecuti mentem Augustini, qui hoc testimonio utuntur. Sermonem enim habet in secundo loco Augustinus non de quolibet christiano peccatore, sed de 'poenitentibus'; haec vero appellatio tunc temporis simpliciter usurpata certam classem fidelium significabat, eorum scilicet, qui iam poenitentiam petiverant eamque in facie Ecclesiae agebant; et idcirco iam desiderii absolutionis signa Ecclesiae dederant: sicut catechumeni dederant iam signa desiderii baptismi"²⁰

Invocantur etiam a Morino, S. Alphonso et aliis, verba *S. Antonini* († 1459) relata in Sacerdotali Romano antiquo (tract. de sacr. Poenit.,

²⁰De Poenitentia, Romae, 1879, p. 156 sq.

c. 26): "Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, ut bonus fidelis, et frequentabat confessionem, et communionem, quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt: vel etiamsi malus, et obstinatus diu perseverans in peccatis est et diu non confessus, si petiit sacerdotem ut confiteretur, ostendit se velle facere omnia quae debet, et interea factus est mutus, vel phreneticus, et periculum est in mora, debet praesupponi contritus, et faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, et peccato. Deinde debet dari ei eucharistia a proprio sacerdote saeculari quamvis non sit confessus, quia non potuit." Attamen, *opponit Lugo*: "In quibus non satis constat, an sermo sit de absolutione sacramentali, cum dicat praemitendam esse confessionem generalem ab alio, et postea subjungit esse communicandum, quamvis non sit confessus. Denique ibi etiam dicitur, in periculo, quando non est sacerdos; bonum esse confiteri laico, licet non sit necessarium quod jam communiter non consulitur."¹¹

Affert etiam Morinus ex Diana sequens testimonium Homoboni de *Clemente VIII* absolvente quemdam praecipitem ex S. Petri fabrica: "Quod quidem placitum in praxi referunt amplexum fuisse Clementem VIII. P. M. ac prudentissimum virum. Cum enim quidam ex fabrica D. Petri preceps ruisset, et illum cadentem vidisset, absolutionem ei dedit dicens, si es capax, absolvo te a peccatis tuis." Sed *opponit Lugo*: "Haec tamen narratio nullum habet fundamentum: diligenter enim petii a multis doctis et prudentibus viris, qui jam a multis annis in hac Romae urbe commorantur, et ipsius Clementis tempore aderant, qui rem omnino fabulosam putant. Fundamentum fortasse errandi esse potuit, si verum est quod circumfertur, quod idem Clemens interrogatus aliquando, quid in casu parum dissimili faciendum esset, quando absente confessario signa doloris exhibuisset, dixit absolendum utique, seque eum absoluturum, si adesset".¹²

Sint tria testimonia in quibus varietates hujus sententiae notabiliter manifestantur; cetera dabuntur in praedicto loco tractatus De Extrema Unctione:

MORINUS, Commentarius historicus de disciplina in administratione sacrae Poenitentiae, l. 10, c. 10, Parisiis, 1651, p. 741:

"Viri pii et Catholici, Ecclesiae cultores constantissimi, Absolutionem, omniaque Ecclesiae Sacramenta ardentem concupiscere semper praesumendi sunt, donec eorum voluntas mutata, et impia facta aliquo argumento demonstretur. Obices forsan voluntatem illam praesumptam non habere ordinem ad claves, nisi saltem signo demonstraret se Confessorem velle. Sed rationes omnes nostrae demonstrant eam necessarium ad claves ordinem habere eo quod sit voluntas non modo pia, sed voluntas confitendi et Absolutionem recipiendi. Cum enim ponatur viri pii et Catho-

¹¹ De Poenitentia, disp. 17, sect. 3, n. 36, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 182.

¹² Loc. cit., n. 34, p. 182.

lici, Absolutionis si non explicitam, saltem implicitam continet voluntatem. Signa nutusve omnes ambigui sunt, atque a dolore naturali saepius procedunt quam supernaturali. Quapropter praesumptio his fundata, est incertissima. Nihilominus Scholastici plerique signa illa in bonam partem explicari iubent. . .

"Inveniuntur tamen homines; Quid dico, inveniuntur, Passim a multis annis Scholasticorum magna pars contrarium definit, unico ex materiae defectu argumento ducti. Ita plerumque evenit ut homines in poenas suas ingeniosiores sint, quam in sua commoda. . . Non desunt tamen Doctores Scholastici qui fidelem et Catholicum in data hypothesi absolvi posse et debere doceant. Nonnullos refert Antoninus Diana parte 3. resolutionum moralium, tract. 3. de absolutione moribundi, resolutione 8. Quoniam auctores illi praesto nobis non sunt, et sententiae suae rationem reddunt, eorum verba fuse ut ab eo referuntur, excribemus [Citat, praesertim ex Diana, Homobonum, Molfesium, S. Antoninum, Gregorium XV, Sacerdotale Romanum, Jacobum Baium etc.]."

S. ALPHONSUS (n. 482 sq.): "Prima sententia negat [talem moribundum absolvi posse]. . . Ratio brevis, sed *valde urgens*, est: quia tunc deest materia sacramenti, quae debet esse sensibilis. Secunda vero *sententia communi*o affirmat posse et debere absolvi, *dummodo infirmus christiane vixerit*. . . Haec sententia est satis probabilis, non solum extrinsece ex auctoritate tot gravium auctorum, sed etiam intrinsece, saltem ob rationem *quia in casu extremae vel urgentis necessitatis licitum est uti materia dubia*, ex principio maxime apud theologos probato. . . Hoc casu enim possumus uti opinione adhuc tenuis probabilitatis. . . Ratio, quia necessitas efficit ut licite possit ministrari sacramentum sub conditione in quocumque dubio; per conditionem enim satis reparatur injuria sacramenti, et eodem tempore satis consulitur salutem proximi. . .

"An possit absolvi qui fuerit *sensibus destitutus in actu peccati*, puta adulteri, duelli? . . Sententia [affirmativa] satis probabilis mihi est ob eandem rationem quae adducta est in praecedenti Dubio. Si enim licite absolvi potest et debet aegrotus sensibus destitutus qui nullum dederit poenitentiae signum, si christiane vixerit, eo quod de ipso prudenter praesumi potest quod in extremo vitae, velit absolutionem sacramentalem recipere; sic etiam potest et debet absolvi (intellige semper sub conditione) homo catholicus, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur: pro hoc enim etiam merito praesumi potest quod ipse, in proximo periculo suae damnationis constitutus, cupiat omni modo suae aeternae salutem consulere. Dixi: 'homo catholicus'; *nam secus dicendum de haeretico*, ut recte advertit Holzmann. Haeretici enim, etiamsi in eo casu dent signa poenitentiae, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant; quia tales nunquam prudenter praesumi valent ea signa praebere in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent."

NOLDIN-SCHMITT (n. 295): "Quod dispositionem attinet, haec in moribundis sensibus destitutis semper supponitur, nisi certo constet eam deesse. Ideo (sub conditione) absolvuntur a. non solum illi, *qui christiane vixerunt*, etsi, antequam sensibus destituerent, nullum signum poenitentiae dederint; sed b. etiam illi, *qui parum christiane vixerunt*; immo c. etiam illi, *qui in ipso actu peccati*, e.g. in duello, in furto, ex suicidio etc. sensibus destituti sunt. Fieri enim potest, ut habeant lucida intervalla, in quibus statum suum et periculum aeternae damnationis cognoscant et elicto actu doloris cum Deo reconciliari per absolutionem desiderent. Quodsi ergo sufficienter dispositi moraliter esse possunt, in hac extrema necessitate eos absolvere licet.

"Illi ergo in morte absolvi non possunt, in quibus actus poenitentiae nullo rationabili fundamento supponi potest, vel. ut rituale romanum habet, 'qui impenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant'.¹³ Huiusmodi autem sunt

¹³ Rituale Romanum, tit. 5. c. 1. n. 10.

imprimis ii, qui usque ad illud tempus, quo sensibus destituebantur, ministrum ecclesiae eiusque *sacramenta expresse reiecerunt*; deinde etiam illi, qui adeo impie vixerunt, ut scierit usque ad extrema vitae momenta in peccato et *impoenitentia perseverarint*, licet sacramenta ecclesiae, quae eis oblata non sunt, non reiecerint. Nulla enim, ne tenui quidem probabilitate hi praesumi possunt dispositi, nisi Deus extraordinario gratiae miraculo eos ad se convertat; immo in his deest intentio; sed extraordinaria gratiae miracula nec praesumenda sunt nec norma in administrandis sacramentis esse possunt."

CAPPELLO (n. 188. 189. 195): "Moribundos catholicos, licet sensibus destitutos, licet absolvere, saltem sub conditione. . . Quando nullus adest testis de signo poenitentiae a moribundo exhibitio, neque ullum signum percipi potest in tali moribundo sensibus destituto, S. Alphonsus docet eum absolvi posse, *dummodo christiane vixerit*, et quidem etiam si in ipso actu peccati, ex. gr. furti, duelli, sensibus destitutus fuerit, quia merito praesumi potest quod ipse, in proximo periculo suae damnationis constitutus, velit omni modo aeternae suae salutis consulere.

"Licet absolvere conditionate moribundum catholicum, sensibus destitutum. *qui parum christiane vixerit*. Ratio modo allegata ex Ligorio valet quoque in hoc casu. nempe de eo qui parum christiane vixerit, sed tamen catholicus manserit. Videtur id valere etiam de illo qui, *postquam sacerdotem* repulerit, sensibus destitutus iaceat. . .

"*Haereticus vel schismaticus* moribundus, sensibus destitutus, absolvi potest conditionate, modo sit baptizatus, 'nec absit spes probabilis eum in bona fide versari et libenter admissurum esse adiutorium sacerdotis, si hoc sciret esse necessarium'. Ita plures. Nonnulli tamen negant cum S. Alphonso. At sententia affirmativa est certa ex resp. S. Officii, 17 maii 1916, ad 2. Proposito dubio: 'An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema unctio conferri possint'; responsum fuit: 'Sub conditione affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse'".

CONCLUSIO

Conclusio 1. Quilibet moribundus rite dispositus, seu integre confessus et vere attritus, valide et licite absolvitur, nec umquam Ecclesia universalis tali subjecto, quocumque peccato aut censura ligato, veniam denegavit aut denegare potuit, ut ostensum est in art. 92, p. 353 sqq.

Conclusio 2. Moribundus qui nonnisi genericam confessionem instituere valet valide et licite absolvitur, ut probatum est in art. 39 (tom. 2, p. 641-646).

Conclusio 3. Moribundus qui, petita confessione vel exhibitis signis doloris cum ordine ad claves coram ipso sacerdote, subinde sensibus destituitur, valide et licite absolvitur. Nam ex una parte ea confessionis petitio aut signorum doloris exhibitio est quaedam generica confessio et ex alia parte ipsa moraliter continuatur ac coniungitur subsequenti absolutioni sacerdotis collatae in deliquo.

De quadam peculiari circumstantia hujus casus, proposita a *Lugo*, confer supra, art. 27 (tom. 2, p. 128 sq.).

Conclusio 4. Moribundus qui, praesente sacerdote, antequam sensibus destitueretur, ipsam confessionem non petierit, sed tantum aliqua certa dederit contritionis signa absque explicito ordine ad claves, valide et licite absolvitur.

Probatur.

Ratio validitatis talis absolutionis est quia praedicta contritionis signa, in circumstantiis imminenti mortis et praesentiae sacerdotis, maxime si de hac praesentia moribundus conscius sit, continent implicitum ordinem ad claves, seu implicitam petitionem confessionis, ipsamque confessionem genericam. Ceterum, de tali ordine ad claves potest esse major vel minor certitudo aut dubium, praecipue prout moribundus praesentiam sacerdotis adverterit vel secus; in dubio igitur, absolutio conditionate dari potest, ac debet, ob probabilitatem seu praesumptionem praedicti ordinis ad claves et genericae confessionis.

Praeterea, si absolutio dari potest ei qui nulla prorsus doloris signa ostenderit, ut probabitur in Concl. 6, a fortiori dari potest ei in quo talia signa praecesserint; propterea plures inter eos qui in illo casu licitatem absolutionis denegant, in praesenti concedunt, uti Lugo et Salmanticenses.

Ad rem apte *Salmanticenses*: "In casu praesenti fit suppositio, quod de signis doloris a moribundo editis non constat certo, an signa sint explicantia dolorem de peccatis, et petitionem, ac desiderium absolutionis. Quo dubio existente non debet sacerdos procedere absolute in absolvendo moribundum illis utentem. Quia tamen satis commune in Christianis est illa edere ex peccatorum dolore, et absolutionis desiderio, et ita illa pie interpretari solemus; nequit confessarius negare simpliciter absolutionem: sed magis illa signa ut materiam dubiam debet accipere: et consequenter pro succurrendo animae aeternae salutis discrimini, in quo moribundus positus est, potest, et debet prudenter se gerendo illum absolvere sub explicita, aut tacita conditione, si possum, vel adest materia sufficiens. Et ita se gerens nullam infert sacramento irreverentiam, cum certum sit materiam esse dubiam, et aliunde satisfacit charitati erga proximum, cujus aeterna salus potest ab illa absolutione pendere".¹⁴

Conclusio 5. Moribundus qui, absente sacerdote, antequam sensibus destitueretur petiit confessionem vel ostendit poenitentiae signa in ordine ad confessionem, quae subinde supervenienti sacerdoti innotescunt ex testimonio aliorum, valide et licite absolvitur.

¹⁴De Poenitentia, disp. 8, dub. 7, § 3, n. 232, *Cursus theol.*, t. 20, Parisiis, 1883, p. 407.

Probatum.

Etenim in hoc casu habetur generica et sufficiens confessio, facta cum explicito ordine ad claves et haec innoscit sacerdoti superveniendi. Unica et sat speciosa *objectio* quae opponi potest, quamque urget *Didacus Alvarez* supra relatus, est quia talis confessio videtur fieri in absentia ac propterea est invalida vel saltem illicita juxta decretum Clementis VIII. At quomodo haec *objectio* diversimode solvatur a variis auctoribus et quomodo reapse solvenda sit, fuse diximus in art. 41 (tom. 2, p. 716–723).

Ceterum haec conclusio est amplissime firmata communissima sententia theologorum et praecipue documentis Ecclesiae mox citandis, ita ut *certa dici possit* (*S. Alphonsus*, n. 481: “Omnino affirmandum cum sententia communi”; *Galtier*, n. 464: “Hoc certum est”; *Lehmkuhl*, n. 510: “Jam in confesso est”).

Conc. Carthaginense III, a. 397, c. 34: “Aegrotantes, si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum testimonium hi qui sui sunt, periculo proprio dixerint, baptizentur” (Mansi, 3, 885; apud Harduinum additur: “Similiter et de poenitentibus agendum est”).

Conc. Carthaginense IV, a. 398, c. 76: “Is qui poenitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et accipiat poenitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus eucharistia” (Mansi, 3, 957).

Conc. Arausicanum I, a. 441, c. 12: “Subito obmutescens, prout flatu ejus est, baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet, aut praesentis in suo nutu” (Mansi, 6, 438).

Leo M., Epist. “Sollicitudinis” a. 452: “Si aliqua vi aegritudinis ita fuerint aggravati, ut, quod paulo ante poscebant, sub praesentia sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul et poenitentiae et reconciliationis beneficium consequantur; servata tamen regula canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccaverunt” (Denz. 147).

Tum *Clemens VIII* viva voce (teste Petro Lombardo Archiepiscopo Armachano) tum *S. Officium*, Decr. 7 junii 1603, declaravit decreto ejusdem Clementis (*S. Officium*, decr. 20 junii 1602) prohibente confessionem et absolutionem in absentia, nullatenus prohiberi absolutionem moribundi quem adstantes testentur confiteri petiisse antequam

sensibus destitueretur, "cum [hic casus] omnino diversam contineat difficultatem" (cf. supra, art. 41, tom. 2, p. 688 sq.).

Rituale Romanum, t. 3, c. 3, n. 25: "Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela aegro deficient, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est".

Augustinus, De conjugii adulterinis, 1, 26 et 38: "Catechumenis ergo in hujus vitae ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum vel ad interrogata respondere non possint; prosit eis quod eorum in fide christiana jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas nulla adhuc patuit. . . Ego non solum alios catechumenos, verum etiam ipsos qui viventium conjugii copulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore non admittamus ad Baptismum; tamen si desperati jacuerint, nec pro se respondere poterint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum caeteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinae carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri? Si autem ab illa desperatione recreati potuerint vivere, aut facient quod statuerunt, aut edocti obtemperabunt, aut de contemptoribus fiet quod fieri etiam de baptizatis talibus debet. *Quae autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte poenitentem finiendae vitae periculum praeoccupaverit.* Nec ipsos enim ex hac vita sine arria suae pacis exire velle debet mater Ecclesia" (M.L. 40, 469 sq.).

S. Thomae Apocryphum Opusc. 65 (ed. Romana) De officio sacerdotis, § de Extrema Unctione: "Si autem infirmus qui petit Unctionem amisit notitiam vel loquelam antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominus ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, et a peccatis absolvi, ut *Extra* de baptismo et ejus effectu: 'Majores'."

Disputant doctores utrum in hoc casu absolutio danda sit *absolute an conditionate*. Conditionatam absolutionem praeferunt plures antiquiores, uti *Suarez, Bonacina, Lacroix, S. Alphonsus* (huic adhaeret inter modernos *Aertnys-Damen*) qui scribit: "Et hoc tutius videtur, praecipue ubi prudenter de signis datis dubitatur, ut de facile dubitari potest, praesertim si infirmus sit rusticus" (n. 481). Absolutam absolutionem affirmant *Vasquez, Tamburini, Lugo* (Disp. 17, n. 90), *Viva, Sporer*, et communiter moderni moralistae, uti *Lehmkuhl* (n. 510), *Cappello* (n. 191), *Merkelbach* (n. 652).

Haec altera sententia praeferenda est, quia de signis praestitis a moribundo facile haberi potest moralis certitudo quae fundat legiti-

mitatem absolutae absolutionis; idque confirmatur ex tenore supradictorum documentorum Ecclesiae, notanter *Ritualis Romani*, quae nullam adjiciunt conditionem. Quod si de facto contingat positivum dubium haberi de praedictis signis, tunc, juxta prudentem animadversionem S. Alphonsi, absolutio nonnisi conditionate danda est; ipse *Lehmkuhl* ait: "Patet . . . de adjicienda conditione 'si capax es' non esse negotium faciendum . . . : attamen culpandus non est, qui forte conditionem 'si capax es' adjungat, quum possint occurrere circumstantiae, quae absolutionis valorem dubium reddant" (v. 2, ed. 1902, n. 510).

Conclusio 6. Etiam moribundus, qui antequam sensibus destitueretur nullum dederit determinatum signum poenitentiae, licite absolvitur, sub conditione tamen. Hujus absolutionis licitas fundatur in probabilitate seu praesumptione tum interni doloris, tum exterioris ejus manifestationis; validitas vero pendet a reali praesentia requisitae dispositionis, scilicet tum interioris contritionis tum exterioris ejus manifestationis quae aequivalet genericae confessioni.

Probatur 1. EX HODIERNA DOCTRINA ET PRAXI.

De facto hodie ab omnibus theologis moralibus, non refragantibus dogmaticis, talis absolutio dicitur licita, et qua talis obligatoria,¹⁵ ac consequenter applicatur in communi praxi confessoriorum, sub implicita approbatione localium Episcoporum et indirecte ipsius S. Sedis. Vix autem concipi potest quod Ecclesiam talem doctrinam et praxim divulgari ac stabiliri permetteret, si esset illicita, cum in ea involvatur causa rectae administrationis sacramenti, seu duplex vitale bonum reverentiae sacramenti et salutis animarum. Unde haec doctrina et praxis considerari potest ut quaedam legitima et extensiva interpretatio ipsorum documentorum Ecclesiae, relatorum in Concl. praec., nominatim *Ritualis Romani*.

¹⁵ *Ballerini-Palmieri*, t. 5, n. 403: "Hanc praxim certe tenendam omnes contendunt"; *Lehmkuhl*, n. 510: "Absolutio danda est"; *Génicot-Salsmans*, n. 300: "Praxis quam hodie omnes absque ulla haesitatione adhibent"; *Aertnys-Damen*, n. 336: "Ex sententia probabilis et hodieum communi potest et debet absolvi"; *Prümmer*, n. 326: "Potest et debet dari absolutio"; *Vermeersch*, n. 599: "Ex hodierno usu, sub conditione absolvi debent"; *Cappello*, n. 190: "Sacerdos tenetur absolvere moribundum"; *Merkelbach*, n. 652: "Absolvendus est"; *Piscetta-Gennaro*, n. 784: "Haec sententia in praxi tenenda est".

Ut patet, haec proferuntur et intelliguntur modo tantum generali ac negativo, seu de solo casu absentiae signi poenitentiae; nam de casu in quo potius habentur signa vel rationes suspicandi defectum intentionis aut dispositionis, ut in haereticis, schismaticis, impenitentibus, peccatoribus, pagane viventibus, parum christiane viventibus, non concordant theologi, ut constat ex dicendis sive quoad Poenitentiam sive quoad Extremam Unctionem in ipso tractatu *De Extrema Unctione* (art. 33, tom. 2).

Accedit modernum aliquod *Responsum S. Officii*, 17 Maii 1916. Proposito enim dubio: "An schismaticis in mortis articulo sensibus destitutis absolutio et extrema unctio conferri possint", S. Officium respondit: "Sub conditione affirmative, *praesertim* si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus, Ecclesiam supponere eos in ultimo momento ad unitatem rediisse"¹⁶ Quod autem valet de schismatico, a fortiori valet de catholico, et praesertim de eo qui pie vixerit.

His satisfit tertiae rationi seu objectioni, invocatae ab adversariis (supra, p. 574). Unde efficacia jam destituuntur haec verba *Lugonis* pro contraria sententia: "[Id] colligi potest ex perpetuo usu Ecclesiae, quem decreta Pontificum et conciliorum clare ostendunt, dum semper addiderunt, absolvendum quidem esse infirmum, qui loqui non potest, si tamen voluntatis praeteritae testimonium aliorum verbis habeat, quam conditionem in nullius concilii, aut Pontificis decreto praetermissam videmus ut constabit ex eorum verbis. . . Non ergo expedit in re tanti momenti sub pietatis specie sapere plusquam omnes nostri SS. Patres sapuerunt, sed observare terminos, quos apposuerunt nobis"¹⁷ Itemque haec verba *Arriaga*: "Haec sententia [de neganda absolute] ante triginta, aut quadraginta annos adeo certa erat apud omnes Theologos, et fideles, ut opposita non fuerit probabilis. Quod magnum est argumentum ad persuadendum sententiae oppositae falsitatem: quia absurdum est Ecclesiam Dei per tot retro saecula in materia adeo necessaria ad salutem animarum ignorasse hoc remedium, nec sufficienter providisse animarum salutem"¹⁸

Probatur 2. EX RATIONE.

Fundamentum liceitatis talis absolutionis generaliter a doctoribus assignatur in eo quod ex una parte hoc sacramentum est magnae *necessitatis* morientibus et ex alia parte quoad moribundum sensibus destitutum habetur aliqua, utut tenuissima, *probabilitas* de existentia requisitorum ad validam et fructuosam susceptionem sacramenti, adeoque adest materia dubia sacramenti. In extremis autem, extrema sunt tentanda, ita ut in casu adhiberi possit, ac debeat, materia dubia in administratione tam necessarij sacramenti. Hoc modo consulitur uni ex duobus principiis regulantibus sacramentorum administrationem,

¹⁶De sensu et vi hujus Responsi (non officialis nec publici juris) saepius recurrit sermo in tractatu *De Extrema Unctione*, art. 33 (tom. 2).

¹⁷De Poenitentia, disp. 17, sect. 3, n. 40, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 183.

¹⁸De Poenitentia, disp. 36, sect. 3.

scilicet *bono animarum*; alteri vero principio, i.e. bono seu *reverentiae sacramenti*, sufficienter consulitur per conditionalem modum absolutionis.

Ad rem *Merkelbach* (n. 652): "Sacramenta sunt propter homines, et in extremis extrema sunt tentanda; unde in casu necessitatis extremae licitum est uti materia dubia et sacramentum exponere periculo nullitatis, dummodo aliqua, etiam tenuis, *probabilitas* adsit absolutionis validae et suscipientis utilis. . . Aliis verbis: lex religionis est sacramentum non posse exponi nullitatis periculo; lex charitatis obligat in casu necessitatis ad assistendum proximo. Charitas magis obligat quam religio. Unde in casu urgentis necessitatis, lex religionis cessat manente lege charitatis. Melius est enim sacramentum exponere periculo nullitatis, dummodo aliquid probabile sit quod sacramentum possit esse validum, quam hominem relinquere expositum periculo aeternae damnationis."

Diximus supra in praesenti casu haberi "*aliquam veram probabilitatem*", nec diximus meram "possibilitatem", quia probabilitas nequit esse fundamentum et norma agendi. Ad rem *Merkelbach* (n. 652): "Non tamen sufficit mera probabilitas, cum in rebus practicis probabilitas, non mera probabilitas, attendatur; secus omnes essent rebaptizandi, et omnes sacerdotes reordinandi, quia stricte possibile est Baptisum vel Ordinem esse collatum invalide." Unde inepte, vel improprie, ait *Billot* (thes. 3, in fine): "Ad hoc ut possit impertiri conditionata absolutio, non requiritur aliqua vera probabilitas, sed satis est qualibet praesumpta probabilitas de existentia requisitorum ad validitatem sacramenti."

CUM AUTEM AGITUR DE EXACTIORI DETERMINATIONE SUPRADICTI FUNDAMENTI HUIUS PRAXIS, seu cum pressius quaeritur undenam (et de quibusnam moribundis) habeatur praedicta probabilitas et praesumptio de existentia requisitorum ad valorem sacramenti, ut inde possit congruenter responderi duplici ac graviori objectioni adversariorum de defectu tum materiae tum iudicii sacramentalis, *doctores in variis explanationibus se contorquent*.

Et imprimis vix necesse est refellere cum Salmanticensibus et Lugone "*absurdas et frivolas quorundam evasiones*, quibus vim . . . motivorum [contrariae sententiae] elevare, aut illudere conati sunt. *Jacobus Bajus* Lovaniensis lib. 2, de institutione Religionis Christianae dixit, illis evinci . . . quod moribundo nullum edenti poenitentiae signum non liceat conferri absolutionem per modum iudicii, et actus jurisdictionis; minime tamen excludere, quod ipsi concedatur per

modum suffragii.¹⁹ *Aliqui* etiam apud Gonetum disp. 19, art. 4 § In fine dixerunt sufficere in tali casu confessionem generalem, qualem in principio Missae solent praemittere omnes fideles, et praesertim, qui Missae inserviunt: quare hi, si subito sensum amittant, possunt absolvi, licet non alia poenitentiae signa ediderint. Maxime cum vel in ipsa Missa absolvantur a sacerdote. Denique *Manrique Ferro*, quem referunt Aversa qu. 10, sect. 18, et Martinus a S. Joseph lib. 1, tract. 16, de poenitentia, asseruit Summum Pontificem posse moribundum, qui nullam manifestat poenitentiam absolvere, quia est supra omne jus positivum. Et indicat Pontificem posse dare hanc, aut delegare extraordinariam potestatem sacerdotibus ordinariis, ut in casu extremae necessitatis, qualem versamus, moribundos non manifestantes poenitentiae signa absolvant. Qua suprema auctoritate, inquit ille, Clemens VIII utens, quemdam ruentem ex fornice Templi S. Petri Romae absolvit, ut plures referunt.²⁰

QUIDAM igitur moderni difficultatem radicitus convellunt, seu potius supprimunt, negando suppositum, seu negando tum quod sensibiles dispositiones poenitentis sint sacramenti materia, sive ex qua (ut volunt Thomistae) sive circa quam seu dispositiva (ut volunt Scotistae), tum quod judicialis indoles sacramenti requirat confessionem seu cognitionem peccati, obtentam ab ipso poenitente. Unde, aiunt, in praesenti casu nihil aliud requiritur quam aliqua probabilitas existentiae interni doloris (sine quo justificatio fieri nequit), quae quidem probabilitas seu praesumptio vix non semper habetur, utpote fundata vel in bonis dispositionibus antea vitae vel in praesenti conditione mortis imminens quae solet incitare homines, etiam hucusque scelestos, ad remedia salutis quaerenda.

Hanc explicationem primus, ut videtur, protulit ac mordicus defendit *Ballerini* (mox citandus), congruenter cum sua sententia, qua docet solam absolutionem simpliciter et in omni casu requiri ad valorem sacramenti, quamque exposuimus et refutavimus in art. 4 (tom. 1, p. 165 sq. 173–175. 185 sq.). Ei incerte ac timide suffragantur pauci posteriores uti *Palmieri*, *Berardi* (Praxis confessarii, t. 4), *Génicot-Salsmans*, *Noldin* (aliter tamen Noldin-Schmitt) et *Cappello*, infra citandi, quatenus saltem eam sententiam probabilem dicunt et in ea explicanda libenter immorantur, refutatis quidem aliorum doctorum explicationibus.

Ad rem *BALLERINI*: "Principia . . . quibus [in hac quaestione] uti possumus.

¹⁹ Hanc peregrinam, ni dicatur erronea, opinionem fusius confutat *Lugo*, Disp. 17, sect. 3, n. 42.

²⁰ *Salmanticenses*, De Poenitentia, disp. 8, dub. 7, § 4, n. 242, Cursus theol., t. 20, Parisiis, 1883, p. 417.

ea sunt, quae alias jam tetigimus.²¹ Cum enim innuerimus confessionem ac contritionem non eo sensu esse materiam sacramenti, ut constituent signum illud gratiae efficax, quod sacramentum appellamus: in primis plane sequitur, ea omnia, quae dicuntur de necessitate *signi sensibilis*, falso laborare supposito. Nam etsi sensibilis esse debeat, spectata sacramenti natura, id quod tenet locum materiae proprie dictae; non tamen id valet de omnibus, quae utcumque sunt materia. Ita vgr materia remota poenitentiae sunt peccata, etsi ista peccata sint prorsus interna et in anima consummata. Ergo ex hac parte nihil officit valori sacramenti, si dispositio moribundi nullo signo prodeat et sensibilis non sit. Neque iterum ex hac parte officit defectus confessionis, quae non est materiae proprie dicta.

“Si quid ergo superest difficultatis in eo erit. . . 1. quod Tridentinum necessariam dicat, aliquam confessionem, 2. idque exigat natura sacramenti, quod, ut idem Tridentinum definit, exercetur per modum actus judicialis, qui gratuario accusationem praerequirit. Cui difficultati occurrendum est per partes et incipimus ab natura actus judicialis. . . [Tum ex Conc. Trid., sess. 14, can. 2, cap. 5 et 6. tum] praecise ex natura actus judicialis . . . non potest concludi necessitas confessionis prout est accusatio ab ipso nocente facienda. Aliud est enim quod requiratur in iudice aliqua causae cognitio, quae cognitio multiplici ratione haberi a Confessario seu naturaliter seu praeternaturaliter potest; aliud est, quod notitia habeatur per hunc determinatum modum, qui consistat in sui accusatione facta per poenitentem. Cum ergo notitia multiplici ratione haberi potest praeter accusationem a reo factam, non recte ex necessitate cognitionis causae concluditur ad accusationem necessario a poenitente faciendam. Et sane quotidie fit in iudiciis, ut sententia feratur vel damnationis vel absolutionis, etiamsi nulla praecesserit damndandi aut absolvendi accusati sui cognitio causae ab eo porrecta: imo damnantur etiam absentes et contumaces. Addiderim exemplum petitum a foro ecclesiastico. Nam Theologi docent (vid. Suarez de *Censuris* disp. 19, sect. 1) excommunicationem non tolli nisi per *absolutionem*, seu per *actum iudiciale* sive *sententiam habentis iurisdictionem*. Attamen absolutio haec ferri potest etiam in ignarum absolutionis imo conferri potest etiam in invitum, ut docent iidem doctores. Quod vero etiam in casu nostro inesse possit notitia seu cognitio causae citra poenitentis confessionem, consentiunt iidem doctores, seu potius fatentur, aut certe ex eorum disputationibus clare eruitur. . .

“Illud ergo unum superesse potest, ut aliqua confessio dicatur necessaria, quia ex Christi institutione necessariam generat illam pronunciat Tridentina Synodus et quia hanc specialem rationem, qua Confessarius causam cognoscat, ipsa Synodus determinat. Quam in rem valent illa verba canonis 9. sess. 14. ‘Si quis dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos eum absolvere possit, anathema sit’. Huc spectat et canon. 6 sess. 14.: ‘Si quis negaverit, confessionem sacramentalem vel institutam vel ad salutem necessariam esse iure divino . . . ; anathema sit’. Verum si ad casum nostrum hanc doctrinam dicemus spectare, profecto plus probaret, quam quod quisque admissurus sit. Et sane canone 7. dicitur eodem modo: ‘Si quis dixerit, in Sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessariam non esse iure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti praemeditatione habeatur, etiam occulta et quae sunt contra duo ultima decalogi praecepta, et circumstantias, quae speciem peccati mutant, sed eam confessionem tantum esse utilem ad erubescendum . . . anathema sit’. Dicendum ergo foret, adversari s. Concilio doctrinam in Ecclesia catholica communiter traditam, multiplici ex causa omitti posse peccata mortalia, quae sane confitentis memoriae occurrunt. Quod quidem cum nefas sit suspicari; reliquum ergo est, ut Synodus loquatur non de necessitate sacramenti, sed de *necessitate praeepti positivi, quod interdum cesset urgere*. Id vero multo magis ex eo elucet, quod dum Synodus exponit, unde necessitas confessionis exoriatur, negat

²¹ In eodem Opere Morali, v. 5, sect. 5, n. 8, supra cit. in art. 4, tom. 1, p. 166.

disserit, sufficere confessionem in genere, qua quis se peccatorem profiteatur; ex quo sequeretur, in casu ne hunc quidem moribundum absolvi posse, etiamsi saltem signa doloris et desiderii absolutionis expresse praebeat. . . Concludatur ergo; doctrinam de necessitate Confessionis, quam Tridentina Synodus exponit, nullatenus ad praesentem casum spectare, sed ad obligationem, quae propria sit tantum praecepti positivi, a qua impotentia excusat.

“Ergo difficultas, quae petebatur vel ex necessitate materiae sacramenti, quae debeat esse sensibilis, vel ex necessitate confessionis seu accusationis ad ferendam sententiam iudicalem aut denique confessionis ex Tridentinis decretis, non ea est, quae impediatur, quominus absolvatur moribundus, qui nullum det aut dederit signum doloris ac voluntatis sacramenti habendi: neque necesse est, ut hac de causa ad signa quaerenda in suspiriis, in respiratione aut aliis eiusmodi nosmet conferamus.

“Verumtamen si necessarium non est signum seu simulacrum quoddam sensibilis confessionis, ex ullo supradictorum titulum; *aliud tamen est, quod confessorio immolescere debet*, ut rite possit sacramentum administrare et iudicalem sententiam proferre. Nosse videlicet debet, an ille, qui in periculo versatur, dignus ratione dispositionis sit venia seu an capax sit absolutionis. . . Cumque dispositio necessaria ad hoc sit attritio, non quasi haec debeat esse sensibilis ratione materiae, aut quasi exterior prolata locum teneat confessionis, sed quatenus necessaria est conversio in adulto ad reconciliationem cum Deo; exinde non potest Sacerdos absolvere, nisi ei constet aliquo modo, *moribundum ita esse per attritionem dispositum*, ut sit capax absolutionis seu sacramenti recipiendi . . .

“Ceterum cum praesens hypothesis versetur circa eum, qui sensibus destitutus nullum signum praebuerit aut praebet, unice superest ut Confessorius de hac dispositione coniciat praesumptionem quadam. Et hic quidem recte locum habent ea, quae apud DD. reperiuntur dicta, num christiane vixerit, num bona vita vixerit infirmus. Qui enim bonam vitam agit, si in aliquod peccatum labatur, solet mox ipsum detestari sive immediate post, sive cum ad consueta pietatis opera revertitur, ad orationem, ad Missam audiendam etc. Sed praeter eam hypothesis, quando ita intelligitur, quod christiane quis vixerit, ut non omnem abiecerit suae salutis curam ac fidem retineat, locus superest alicui praesumptioni, quod attritionem aliquam desideriumque salutis suae conceperit sive dum corripere morbo, quo a sensibus distractus est, sive dum exterior quidem destitutus omni sensu videtur, sui tamen compos est et actualiter exercet actus requisitos, sive dum inter sensuum destitutionem lucido aliquo intervallo non caret, quo se ad Deum per illos actus convertat.”²²

PALMIERI, in suo opere De Poenitentia (thes. 14 per totam), anceps haerens inter sententiam thomisticam et scoticam de partibus essentialibus hujus sacramenti et consequentes explicationes de absolutione moribundis sensibus destituti, tandem inter alia concludit (p. 158): “Sententia Scoti . . . [habita ratione] hujus opinionis et praxis, quam explicavimus, prout a quibusdam [ut Ballerini] accipitur, qui praecisione facta a quolibet externo signo, solum postulant praesumptionem internae dispositionis, *videtur satis probabilis, extrinsece saltem*. Ad id concedendum (donec iudicium suum interponat Ecclesia) movemur praesertim ex eo, quod satis frequenter contingere possit ut difficile prorsus sit vel moraliter impossibile praesumere in talibus moribundis signa exteriora poenitentiae interioris, et tamen eis quoque liceat absolutionem administrare sub conditione. nempe si interius sint rite dispositi.”

In sua adnotatione ad supracitata verba Ballerini²³ scribit: “Qui censent (et etiamnum pauci non sunt), actus poenitentis esse materiam *ex qua, intrinsecam et*

²² *Ballerini-Palmieri*, Opus Morale, v. 5, n. 405–418, Prati, 1893, p. 207–213.

²³ *Ibid.*, p. 213, in nota.

essentialem sacramento, dicent utique et ipsi, dandam sub conditione absolutionem in ultimo casu, de quo B. loquitur: sed *ratio cur id dicant, potius ex eo erit, quod contraria sententia non destituatur omni probabilitate saltem extrinseca, quam quod haec ratio impartiendi absolutionem praesertim ei, qui male vixerit, bene cohaereat cum eorum sententia.* Ubi enim materia essentialis deest, qui potest esse sacramentum? An vita christiana (si talis fuit) praecedens est quaedam postulatio Sacramenti et subiectio clavibus pro articulo mortis? Verum, ut cum Lugo disp. 17, n. 39, loquamur, accusatio et imploratio officii iudicis debet esse post commissum peccatum: 'ridiculum enim esset, quod hodie quis vellet se accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur in virtute hujus accusationis'. Voluntas ergo ea habitualis, quam tota vita gerere christianus dicitur, ut ei in morte per sacramenta Ecclesiae provideatur, non admodum conferre videtur . . .

"Si a parte rei verum est, talem esse naturam hujus sacramenti, ut infirmo, qui nullum signum poenitentiae aut petitae absolutionis dedit, possit dari absolutio sub conditione existentis tantum interioris dispositionis: negandum est, actus poenitentis esse materiam *ex qua essentialem* sacramenti. At affirmare, actus poenitentis esse materiam ex qua essentialem sacramenti et simul affirmare, posse in iis adiunctis (atque exinde debere) absolvi moribundum, *duae sunt affirmationes, quae speculative et scientifice non cohaerent imo repugnant:* quo iure ergo illi [ut Lugoni aliisque antiquioribus] qui priorem certam habet, vitio verti potest, si eidem in praxi se conformet, ita se gerens, quemadmodum veteres egisse constat? Quod si credimus, rem speculative quoque incertam esse, locus est flagitandae (cum debita reverentia) alicui authenticae declarationi circa ipsam doctrinam. Nam argumenta *Ballerini, quamvis idonea videantur et certe sint ingeniose deducta, sententiam eius nondum evidentem effecerunt, quod neque ipse forte contendit.*"

NOLDIN, in *editione decima* a. 1912, n. 233, agens de materia proxima Poenitentiae, scribit: "[Quidam] praesertim recentiores (*Ballerini, Berardi, etc.*) docent ad validam absolutionem sufficere actus mere internos, contritionem nempe in qua propositum confitendi implicite semper continetur, et quae sola est sufficiens dispositio ad veniam peccatorum per absolutionem obtinendam.

"Ab hac quaestione (num actus poenitentis sint *materia* hujus sacramenti) dirimenda ecclesia in concilio tridentino consulto abstinuit; quare *utramque sententiam theoretice et practice sequi possumus.* Quia vero sententia, quae docet actus poenitentis esse materiam proximam sacramenti, sua probabilitate non caret, certo validae haberi non possunt absolutiones, quibus non praecedat dolorosa poenitentis confessio aliquo modo sensibilis. Et *quoniam etiam sententia, quae docet actus poenitentis solum habere rationem conditionis necessariae, non omni probabilitate destituitur, sub conditione etiam illi absolvi possunt, qui nullum signum doloris et confessionis manifestent.* Momentum controversiae in absolutione moribundorum potissimum cernitur; etenim si actus poenitentis sunt partes essentialia et vera materia huius sacramenti, quae natura sua debet esse sensibilis, valide absolvi nequit, qui illos actus *signo sensibili exterius non manifestet*; si autem non habent nisi rationem necessariae conditionis et dispositionis, absolutio valida erit, *etsi illi actus exterius non manifestentur.*"

Inferius, n. 294, agens de absolutione moribundorum, scribit: "Maxima huius rei difficultas est in explicanda validitate absolutionis, quae detur moribundo, qui nullum signum externum doloris et confessionis ostendit: etenim si actus poenitentis *exterius manifestati* dicantur aut pars essentialis sacramenti aut conditio necessaria validae absolutionis, non apparet, qua ratione eiusmodi moribundum valide absolvi possit. . . Eiusmodi absolutionem validam esse auctores duplici modo explicare conantur. Alii dicunt pie nec imprudenter praesumi posse, moribundum desiderium confitendi interius conceptum, cum aliter non possit, exterius manifestare suspiriis, anxii respirationibus aliisque motibus corporis. Alii vero dicunt hominem, qui pie vixit, immo etiam illum, qui, etsi minime pie vixit, sed tamen ab ecclesia non

recessit, eo ipso quod pie vixit aut saltem in ecclesia permansit manifestasse desiderium, velle se in morte per poenitentiae sacramentum cum Deo reconciliari.

"*Verum utraque explicatio magnis difficultatibus premitur.* Prima quidem, quia non apparet, quo iure motus physici, qui per se solum angustias corporis significant, ut signa doloris et confessionis haberi possint. Altera vero, quia iis saltem moribundis applicari nequit, qui in actu peccati sensibus destituuntur: etenim 'ridiculum esset, ait *De Lugo*, quod hodie vellet se aliquis accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur in virtute huius accusationis'. *Quamobrem nonnulli recentes praeunte Ballerini* opinantur nullum requiri signum externum doloris et confessionis, ut moribundus sensibus destitutus valide et licite absolvi possit. Actus enim poenitentis non habent nisi rationem necessariae dispositionis; ideo valide et licite absolvi potest moribundus sensibus destitutus, qui tenui quadam probabilitate praesumi potest elucuisse actum attritionis de peccatis suis sive ante sive post quam sensibus destituebatur."

In editione vero recognita et emendata ab A. Schmitt (Noldin-Schmitt), sententia Ballerini abicitur.

In n. 232, de materia proxima, habetur: "Alii iique paucissimi (*Ballerini, Berardi*) docent ad validam absolutionem sufficere actus mere *internos* scl. contritionem in qua votum confitendi implicite semper contineatur. — *Quae sententia propter rationes pro necessitate sensibilis contritionis et confessionis modo allatas neque theoretice sustineri neque ullo modo tuto in praxim deduci potest.* Ut praecipuum vel potius unicum argumentum, quo haec nova sententia nititur, affertur praxis nunc vigens absolventi moribundos, etsi *nullum* signum contritionis vel voluntatis confitendi dedissent. Verum quidem est moribundum utique catholicum et in manifesto peccato mortali contumaciter non perseverantem, secundum praxim hodiernam conditionate absolvendum esse, etsi nullum signum dederit; sed probe notandum est hanc praxim temporibus sat longis post conc. trident. omnino reprobata esse neque nunc ullo documento ecclesiastico, ne novissima ritualis romani editione (cf. tit. III. c. 1, n. 25) fulciri; potest tamen aliqua saltem ratione hodierna praxis iustificari: scil. *praesumere* licet, moribundum signis vere sensibilibus (suspiriis etc., vita in Ecclesia catholica usque ad mortem protracta) *probabiliter* velle et petere absolutionem. Quodsi nulla probabilitate praesumi possit, neque absolutionem utpote certo invalidam dandam esse omnes hodie theologi docent."

In n. 296, de absolutione moribundorum, habetur: "Quod accusationem sensibilem attinet, absolventi sunt et quidem absolute non solum moribundi, qui desiderium confitendi coram confessario verbis vel aliis signis manifestant, sed etiam moribundi sensibus destituti, qui desiderium confitendi per alios (e.g. petendo confessarium) significarunt; qui vero cum *aliquali tenui probabilitate* desiderium absolutionis manifestasse praesumi possunt, *sub conditione* secundum praxim hodie communem absolvi possunt. Praesumptionis istius fundamentum secundum auctores est aut in eo, quod moribundus desiderium confitendi interius conceptum *fortasse exterius* manifestat suspiriis, anxii respirationibus aliisque corporis motibus, aut saltem in eo, quod homo, qui pie vixit, immo etiam ille, qui etsi minime pie vixit, sed tamen ab ecclesia non recessit, eo ipso, quod pie vixit aut saltem in ecclesia permansit, exterius manifestavit desiderium, velle se in morte per absolutionem Deo reconciliari. Difficultas vero remanet quoad sensibilem manifestationem doloris eius, qui in actu peccati sensibus destituitur; manifestatio enim desideratae absolutionis sita in illa permansione in ecclesia per ipsum peccatum saltem ex parte doloris revocata censi videtur; theologi varias solutiones conantur; v.g. per distinctionem inter dolorem ut est dispositio, qui utique est revocatus per peccatum, et manifestationem voluntatis futuri doloris. *Admitti autem certe non potest solutio a Ballerini proposita.*"

GÉNICOT-SALSMANS (n. 300), rejectis aliis explicationibus, scribit: "*Quare cum Palmieri* (Ball. P. not. ad 419) *censemus*: 'Affirmare actus poenitentis esse

materiam ex qua essentialem sacramenti, et simul affirmare posse in iis adiunctis (atque exinde debere) absolvi moribundum, duae sunt affirmationes quae speculative et scientificè non cohaerent, immo repugnant.' Manifestum est idem dicendum esse de doctrina Scotistica quae confessionem sensibilem requirit tanquam conditionem ad valorem sacramenti essentialem. Ideo recentiores quidam Theologi, praesertim Ballerini (Ball, P. n. 405 seqq.) negant ad valorem sacramenti necessarium esse ut dolor et confessio sensibiliter prodeant, eo quod id nulla certa ratione demonstretur [Hic summam refert varia argumenta Ballerini, quae supra citavimus]. . . Hac ultima theoria admissa, nullam iam difficultatem movet praxis vulgo recepta: nihil aliud requiri, ut moribundus sensibus destitutus sub conditione absolvatur, quam aliquam probabilitatem interni illius doloris de peccatis, quem Trid. Sess. 14. c. 4 declaravit quovis tempore necessarium fuisse ad veniam peccatorum obtinendam."

CAPPELLO, n. 23 (ed. 1944), ubi de partibus sacramenti, scribit: "Sententia [thomistica, juxta quam actus poenitentis sunt materia ex qua] omnino praeferranda est. . . Etiam secunda sententia [i.e. Ballerini] probabilis videtur."

In n. 47 scribit: "Difficultas apparet, quando moribundus nullum desiderium sive voluntatem confitendi expresserit. Nam si confessio sensibilis est de essentia sacramenti, profecto haberi nequit sacramentum, ubi desit confessio sensibilis; si vero confessio requiritur tantum ut conditio praevia, sacramentum existere posse videtur sine sensibili confessione, dummodo obiective aliqua confessio adsit [?]. . . Etiam in sententia Scotistarum, eorum nempe qui censent contritionem et confessionem sensibilem requiri tamquam conditionem validae absolutionis, habetur difficultas praedicta. Deest contra in alia sententia, in illa scilicet quae affirmat ad validam absolutionem sufficere actus mere internos, contritionem nempe et propositum quod implicite semper continetur in contritione."

In n. 196 sq. fere ad verbum repetit quae habet Génicot-Salsmans; rejectis scilicet aliis explicationibus, libenter immoratur in argumentis Ballerini afferendis et in fine addit: "Admissa hac ultima sententia, praxis recepta absolventi moribundum sensibus destitutum, qui nec confessionem petierit nec signum doloris dederit, nullam difficultatem iam movet. . . Quae sententia vere probabilis est."

Attamen, hanc explicationem ex professo reiecit in art. 4 (tom. 1, p. 175 sqq.) ut non congruentem documentis Ecclesiae nec ulla gaudentem probabilitate, etiam extrinseca. Certe non sine gravi causa ipsa mitigata sententia Noldin emendata est in posteriori editione nuper cit. his radicalibus verbis: "Sententia [Ballerini] propter rationes pro necessitate sensibili contritionis et confessionis modo allatas neque theoretice sustineri neque ullo modo tuto in praxim deduci potest"; "Admitti autem certe non potest solutio a Ballerini proposita".

Unum hic tantum adjicere volumus, scilicet nimis confidenter quosdam asserere in sententia Ballerini praedictam praxim absolventi moribundum facile et absque ulla difficultate explicari. Ita Génicot-Salsmans et Cappello scribentes (l.c.): "Hac ultima theoria [Ballerini] admissa, nullam jam difficultatem movet praxis vulgo recepta: nihil aliud requiri, ut moribundus sensibus destitutus sub conditione absolvatur, quam aliquam probabilitatem interni . . . doloris de peccatis".

Ad hoc apte observat Huarte, post Franzelin: "Unicum . . . discrimen

secundum diversas opiniones in hoc est ponendum, quod in sententia Scotistica, prout evoluta est a Ballerini, satis est iudicare de praesentia doloris saltem interius in animo moribundi, et in sententia nostra ulterius oportet inquiri de manifestatione externa illius doloris, seu de petitione confessionis per aliquod signum sensibile. *Patet autem utrumque esse aequae difficile in casu nostro*; si enim a nobis quaeritur; quomodo sine irrisione affirmare possimus adesse petitionem sensibilem confessionis in homine pessimo qui in ipso actu peccandi sensibus destitutus iacuit, possumus ab adversariis postulare: quomodo ipsi affirmare possint in tali homine adesse interius in animo contritionem aliquam de peccatis cum desiderio confessionis coniunctam. Et quo iure adversario licebit affirmare hoc postremum, eodem nobis licebit illud primum conicere.

“Ad rem optime *Card. Franzelin* (De sacramentis in genere, ed. 4, pag. 42): ‘Quamdiu peccator sui conscius est, si eum vere poeniteat, et ipse desideret se subiicere clavibus, moraliter fieri nequit in hac nostra natura composita ut illud desiderium in nullum actum sensibilem prodeat, licet ab aliis forte non animadvertatur, vel quia praesentes non sunt, vel quia signa non valent distinguere. Ex his principiis consequitur, destitutum iam sensibus posse absolvi absolute, si constet eum postulasse confessionem, et posse absolvi sub conditione, etiamsi id non constet; quia sicut potest in eo praesumi poenitentia, ita pari omnino iure praesumitur poenitentia manifestata in ordine ad se subiiciendum clavibus, quando poenitens erat adhuc sui conscius. Unde apparet doctrinam, quod actus poenitentis sunt materia sacramenti, nihil ob stare quominus absolutio impertiri possit in omnibus casibus, in quibus id fieri posset, si materia et forma in sola absolute sacerdotis constitueretur’.”²⁴

QUIDAM, ut *Palmieri* et *Noldin* supra citati, docent ideo posse supradictum moribundum licite absolvi et ideo talis praxis ab omnibus doctoribus permittitur, quia sententia Ballerini habet aliquam probabilitatem, saltem extrinsecam; nam sacerdos tenetur absolvere moribundum quotiescumque aliqua sententia probabilis docet ipsum absolvi posse.

Attamen, haec explicatio, quae tandem reincidit in priorem, reicienda est; nam sententia Ballerini nulla probabilitate, etiam extrinseca, gaudet, et alii doctores, qui ab eo dissentiunt, non in probabilitate illius sententiae fundant licitatem absolutionis moribundi sed in aliis atque intrinsecis rationibus, de quibus infra.

QUIDAM putarunt se melius rem explicare ex eo quod, juxta

²⁴ De sac. Poenitentiae, prop. 5, n. 86, Romae, 1930, p. 121 sq.

probabilem sententiam Scotistarum, actus poenitentis non sunt materia ex qua, seu constitutiva sacramenti, sed tantum *circa quam*, scilicet mera dispositio requisita ad sacramentum.

Attamen, haec explicatio vel nihil novi addit sententiae Ballerini vel nihil iuvat; nam illae poenitentis dispositiones, i.e. *sensibilis* contritio et confessio, vel dicuntur necessariae ad valorem sacramenti, et tunc adhuc manet explicandum quomodo revera adsint in casu moribundi qui nullum det signum poenitentiae, vel dicuntur non absolute et in omni casu necessariae, ita ut in praesenti casu moribundi sufficiat sola interna contritio et internum desiderium confessionis, et tunc fit regressus ad puram sententiam Ballerini.

Unde, ut jam advertimus in art. 4 (tom. 1, p. 192), hic moribundi casus nihil juvat sententiam Scotticam de essentialibus constitutivis sacramenti Poenitentiae, si revera, ut communiter ipsi fateri videntur (cf. Montefortino, Herincx, Sporer, Hyquaeum, citatos ibidem p. 169-171), sensibiles actus poenitentis sint necessaria conditio valoris sacramenti. Ceterum, non diffitemur apud quosdam Scottistas, inde ab ipso Scoto (cf. ibidem, p. 166-168), observari plus minusve occultam inclinationem in sententiam Ballerini. Ita adhuc modernus *Minges*, exponens doctrinam ex suo magistro ad unguem depromptam, eam sententiam, ambigue quidem sed satis insinuative, proponit scribens: "*Sine absolute reali seu in actu . . . prorsus nunquam sacramentum efficitur, bene autem sine confessione aut satisfactione actuali*; satisfactio enim potest sufficere, quatenus est in voto, et in casu necessitatis dispensari potest absolutio et eo ipso sacramentum *sine reali confessione*. Ergo secundum praxim ecclesiae nonnisi absolutio esse videtur de essentia in sensu stricto vel proprie, actus autem poenitentis nonnisi minus proprie, quare absolutio non bene videtur designari tamquam pars quarta sacramenti, et eo ipso coordinari actibus subiectivis poenitentis; *nam de rigore rei absolutio est res exterior et obiectiva, actus poenitentis nonnisi res subiectiva*."²⁵

QUIDAM, ut *Genettus*, *Juénin*, *Sporer*, *Lehmkuhl*, *Noldin-Schmitt*, *Merkelbach*, post ipsum *Morinum* (cit. in p. 576 sq.), recurrunt ad *bonam et christianam vitam anteactam*, quae fundet praesumptionem praesentis dispositionis. Homo scilicet qui pie vixit, imo etiam ille qui, etsi minime pie vixerit, tamen ab Ecclesia non recessit, manifestavit saltem implicite desiderium velle se in articulo mortis per Poenitentiae sacramentum Deo reconciliari. Illius ceterum hominis bona fama et aestimatio, consuetusque vivendi tenor, aequivalere videtur cuidam depositioni testium qui dicerent se vidisse in eo signa doloris et desiderium

²⁵ Ioannis Duns Scoti Doctrina philosophica et theologica, t. 2, Quaracchi, 1930, p. 631 sq.

confessionis; jamvero, ut dictum est in Concl. praec., licite absolvitur moribundus cujus bona dispositio innotescit sacerdoti ex sola testium depositione.

Haec explicatio a quibusdam impugnatur ut inepta.

Opponunt imprimis Salmanticenses quod vita anteacta potest quidem ad summum manifestare *intentionem suscipiendi sacramentum* in articulo mortis, sed non manifestat *dolorem de peccatis et confessionem*, quae, praeter eam intentionem, requiruntur. Unde, addunt, "omnia fere adversariorum motiva paralyzant in eo, quod solum attendunt ad intentionem suscipiendi sacramentum, quae in poenitente moribundo ex his, aut illis capitibus praesumi posset; ommissa attentione ad dolorem poenitentis, et ad ejus media confessione externam manifestationem: quae certum est esse de hujus sacramenti necessitate, et non adesse actu in cunctis qui profitentur vitam christianam: plurimi namque sunt existentes in statu peccati, et non curantes de confessione, et emendatione, quos repentini moriendi casus rapere solent. . . Quin et de illius intentionis veritate pro casu repentinae mortis vehementer ambigimus: nam de eo, qui noluit confiteri, et absolvi cum potuit, quomodo interpretabimur intendere, ac velle confessionem, et absolutionem pro eo casu in quo praevidet, quod non habebit rationis usum, nec poterit confiteri? Satis ridicula, et imprudens foret talis praesumptio, eique innixa interpretatio".²⁶

Opponit Lugo (et cum eo *Noldin, Génicot, Cappello*) quod, etsi vita anteacta manifestaret ipsum dolorem et desiderium confessionis, non tamen manifestat dolorem et confessionem *actuaalem*, quae silicet debent haberi *post commissum peccatum*. "Debet [enim] . . . ex parte poenitentis post peccatum commissum dari aliqua voluntas sensibiler manifestata, qua delictum accuset, vel certe imploret officium judicis, alioquin proferetur sententia sine ullo processu: debet autem illa imploratio esse post commissum peccatum: ridiculum enim esset, quod hodie vellet se aliquis accusare de peccato cras committendo, ut cras ab eo absolvatur in virtute hujus accusationis."²⁷

Opponit S. Alphonsus quod, etsi vita anteacta significaret adesse actualiter internum dolorem et dispositionem, non tamen significaret adesse etiam *externam manifestationem* illius doloris. "Nam ad impertiendam absolutionem non sufficit praesumptio doloris interni, sed requiritur manifestatio peccatorum: qua deficiente, deficit materia sacramenti" (n. 482).

²⁶ De Poenitentia, disp. 8, dub. 7, § 4, n. 244, Cursus Theol., t. 20, Parisiis, 1883, p. 420.

²⁷ De Poenitentia, disp. 17, sect. 3, n. 39, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 1893.

Opponunt quidam, ut Noldin, Génicot et Cappello, praesumptionem actualis dispositionis fundatam in bona vita anteacta nullatenus valere saltem in iis qui sensibus destituuntur in ipso actu peccati, seu in ipsa actuali indispositione, nam in hoc casu manifesta mutatio voluntatis destruit totaliter vim illius fundamenti. Idemque a fortiori dici debet de moribundo qui, antequam sensibus destitueretur, explicite respuit confessionem et adiutorium sacerdotis.

Attamen, praedictae rationi solidus valor agnoscendus est, etsi ipsa indigeat compleri et explicari; nam vita ipsa et fides christiana continent in se principia et semina salutis ac resipiscentiae, quae, pro opportunitate temporis ac circumstantiarum, connaturaliter tendunt ad fructificandum etiam in aridiori terra et obduriori corde.

Ad objectionem igitur Salmanticensium respondetur quod non attenditur tantum ad intentionem moribundi sed ad ejus praesentes dispositiones doloris et confessionis. Intentio bene vivendi aut ab Ecclesia non recedendi, habita veluti habitualiter in vita anteacta, talis est ut, ob ejus influxum (faventibus circumstantiis mortis imminents quae impellit hominem ad cogitandum de aeterna salute necnon auxilii divinae gratiae, quae saepe specialiter adjuvat in eo momento), connaturaliter impellatur moribundus ad concipiendas et exprimendas requisitas dispositiones, adeoque fundet aliqualem praesumptionem seu probabilitatem praesentiae harum dispositionum, quae licitam reddunt conditionatam absolutionem.

Ad objectionem Lugo respondetur quod bona dispositio habita in praeterito, etsi interrupta per peccatum, aliqualem fundat praesumptionem praesentiae novae et actualis dispositionis ac doloris concepti post peccatum, ob indirectum influxum praecedentis bonae dispositionis in eodem subjecto (nemini enim frustraneum est semel fuisse bonum), faventibus supradictis circumstantiis imminents mortis et auxilii divini. Unde non agitur de homine qui velit absolvi in virtute doloris et accusationis quam habuit ante peccatum, sed qui, ratione praehabita bonae dispositionis, praesumi possit nunc habere sufficientem contritionem ad valorem sacramenti.

Ad rem apte Sporer: "Non formaliter secundum se, sed praesumptive vita bene acta catholici erit signum sufficiens doloris ad Sacramentum directi et aliquo signo manifestati, ita ut vita bene acta solum sit motivum praesumendi, eum dolorem esse a moribundo signo aliquo sensibili manifestatum, ipse autem dolor sic sensibiliter manifestatus sit materia proxima absolutionis. . . Talis moribundus catholicus sub conditione absolvi licite potest atque ex charitate debet, non quidem ex eo praecise fundamento, quod sola anteacta bona vita sit signum

sufficiens praesentis dispositionis ac confessionem virtualem sensibilem constituat in ordine ad absolutionem, sed quod talis prudenter et rectissime praesumatur aut exhibuisse aut potius de facto exhibere forte aliqua signa doloris in ordine ad Sacramentum, quamvis ego illam non intelligam, adeoque saltem signa dubia in ipso adverto”.²⁸

Ceterum non diffitemur quosdam doctores ita loqui ut videantur docere ipsam praeteritam dispositionem, seu aequivalentem voluntatem recipiendi absolutionem contentam in pia vita anteacta, prout non est revocata, esse nunc in moribundo sufficiens requisitum ut absolva- tur, ac ita praebere ansam tum huic impugnationi Lugonis tum etiam praecedenti objectioni Salmanticensium. Id in terminis docuit ipse Morinus, qui tamen loquitur tantum de absolutione moribundi qui pie vixerit nec per peccatum revocaverit bonas dispositiones vitae anteactae. Eandem explicationem recentius conatus est instaurare Lehmkuhl, eam extendens ad omnes casus absolutionis moribundorum, excepto eo qui explicite sacerdotem repulerit antequam sensibus destitueretur. Docet nempe quod manifestatio intentionis suscipiendi sacramentum, quae continetur implicite in ipso facto vitae christianae aut saltem permanentiae in Ecclesia, quia numquam revocata est (etiam in eo qui parum christiane vixit, imo qui in ipso actu peccati sensibus destitutus est), est sufficiens requisitum ad absolutionem, prout conjungitur vel cum bona dispositione non interrupta per peccatum (in eo qui christiane vixit) vel cum alia dispositione seu dolore qui praesumi potest subsecutus esse post ipsum peccatum; nam, ait, fortasse non est necesse quod habeatur manifestatio ipsius doloris qui actualiter est dispositio requisita pro validitate sacramenti, sed sufficere videtur ut “poenitens significaverit exterius, se aut habuisse, aut ante absolutionem habiturum esse seu habere velle dolorem necessarium”.

Ad rem ipse LEHMKUHL: “Doloris manifestatio fortasse non ita requiritur, ut debeat esse ejus doloris, qui dispositio necessaria est, externa manifestatio; sed sufficere videtur, ut poenitens significaverit exterius, se aut habuisse, aut ante absolutionem habiturum esse seu habere velle dolorem necessarium. Quod cum qualibet desideratae absolutionis manifestatione et per eam revera semper implicite habetur. At haec desideratae absolutionis manifestatio . . . aliqualem accusationem aequivalentem continet. Quare de utroque simul quaerendum est.

“Accusatio aliqualis igitur, quae utique necessaria est, habetur eo ipso, quod homo exterius manifestavit, se cupere, per sacerdotem in ultimo vitae articulo reconciliari cum Deo: nam eo ipso se peccatorem profitetur idque in ordine ad sacerdotale iudicium in suae mortis articulo perficiendum. Verum homo eo ipso, quod christiane vivit, imo eo ipso, quod ostendit, se velle vivere et mori in unione cum Christi Ecclesia, satis videtur ostendere desiderium suum, quo velit pro ultimo vitae tempore, per sacerdotis ministerium reconciliationem cum Deo sibi forte necessariam recipere. Ergo vere aliquam accusationem generalem publicam facit, eamque

²⁸Theol. Mor. (ed. Bierbaum), t. 3, n. 647, Paderbonae, 1905, p. 693.

ad totam Ecclesiam omnesque sacerdotes, a quibus absolvi possit. Si enim ut cum quadam exaggeratione Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 7 c. 15 n. 9 seqq. animadvertit — sufficit, ut per unum testem ocularem petatur in mortis articulo absolutio: qui non sufficiat, si tot adsint huius petitionis testes, quot sacramenta suscepta, quot virtutis christianae exercitia!

“Neque talis desiderii aliqualis manifestatio deest *in eo, qui parum christiane vixit, vel in ipso etiam peccato sensibus esse destitutus videtur*: nam eo, quod mansit in Ecclesia, ostendit, se sperare et cupere, ut in ultimo vitae tempore per Ecclesiam cum Deo reconcilietur. Sed estne forte talis desiderii manifestatio intercepta et revocata per mortale peccatum? Si ita, operam perdidimus; nam tunc absolutio valebit fortasse pro eo, qui, utpote peccati mortalis non reus, illa non indiget; pro eo, qui indiget, non valebit. At nequaquam id dicere necessarium est. Revocatus est et interceptus dolor, ut dispositio necessaria est; verum manifestatio hominis, *se velle quantum in se tunc temporis dolorem habere, seque cupere absolutionem, revocata non est*. Totum inutile manet — id sane damus —, nisi internus dolor denuo, isque sincerus, accesserit: propterea valde dubius manet valor absolutionis. At de hoc non quaerimus. Dolorem internum ‘fortasse’ accessisse, jure sumimus, et propterea tentare licet absolutionem, quae fortasse juvabit, hominemque attritum gratia sanctificante et vita aeterna donabit, alias in aeternum periturum. Ut coexistat dolor absolutioni, certo non requiritur. . . En explicatio, etsi non certo, tamen aliquantulum probabilis.”²⁹

Ad objectionem S. Alphonsi respondetur ex praesumptione praesentiae doloris legitime deduci etiam praesumptionem manifestationis illius, eo modo quo haec est possibilis in eo statu et sufficiens ad materiam sacramenti (scilicet per suspiria, vel alios motus corporis, vel quemlibet corporalem conatum, de quibus infra), nam dolor de peccato et desiderium confessionis connaturaliter impellit ad talem sui manifestationem. Unde stat quod tenor anteactae vitae legitime assumatur in nostro casu ut ratio praesumptionis praesentiae requisitorum ad valorem sacramenti, etsi haec ratio indigeat compleri seu determinari, praecise quod attinet ad modum quo manifestatio interioris dispositionis praesumi possit in eo qui est sensibus destitutus nec ulla videatur praebere exteriora signa.

Ad objectionem Noldin, Génicot et Cappello respondetur quod etiam in eo qui sensibus destituatur in ipso actu peccati, imo et in eo qui explicite repulerit sacerdotem, ratio anteactae vitae et, utut saepe aut diu interruptae, bonae dispositionis, aliqualem, etsi tenuissimam, fundat praesumptionem actualis praesentiae bonae dispositionis, ob ipsam nativam efficaciam principiorum fidei et vitae christianae anteactae (nemini enim frustraneum est, semel fuisse bonum) quae impellunt hominem ad sensum resipiscentiae, maxime in datis circumstantiis tum depressarum passionum, quae solent obdurare voluntatem, tum imminentis mortis et aeternae salutis periculi, tum divinae gratiae saepe specialiter adjuvantis.

²⁹ Theol. Moral., v. 2, n. 513 sq., Friburgi, Br., 1902, p. 364 sq.

QUIDAM tandem cum *S. Alphonso*, post *Vivam, Salmanticenses morales*, et alios, dicunt praesumi posse moribundum ante deliquium concepisse, vel in aliquo lucido intervallo concipere, dolorem, illumque exterius exprimere aliquo corporis motu vel conatu, puta per anxiam respirationem, suspiria etc., quamvis talia signa non advertat sacerdos. Ad rem *S. Alphonsus*: "Melius igitur respondent Viva; et Salmant. cum Aversa, Molfesio et aliis, quod eo casu bene adest prudens dubium quod moribundus vel ante destitutionem noverit suae damnationis periculum, vel post destitutionem ad illud advertat in aliquo lucido intervallo: in quo praesumitur velle et petere absolutionem signis vere sensibilibus, nempe per suspiria, motus corporis, saltem per anxiam respirationem; quamvis tunc ista signa confessarius non percipiat. Sufficiunt enim talia signa in tanta necessitate, saltem ex prudenti dubio praesumpta, ad dandam absolutionem sub conditione" (n. 482).

Attamen, huic explicationi prout saltem affertur a *S. Alphonso*, recte opponi potest quod est incompleta, quoniam assignat quidem modum quo explicari possit adesse aliquam sensibilem manifestationem doloris, sed non assignat rationem unde praesumi possit ipsa praesentia interioris doloris qui tendat ad se manifestandum per illa signa. Unde haec explicatio perficienda seu conjungenda est cum praecedenti explicatione *Morini* et aliorum, ut bene fit ab ipso *Viva, Merkelbach* et aliis.

Praeterea plures, ut *Morinus, Noldin* (ed. 1912, n. 294; non vero *Noldin-Schmitt*, cf. n. 296), *Génicot-Salsmans, Cappello*, ipsam praesumptionem manifestationis doloris per praedicta signa reiciunt ut sine sufficienti fundamento, tum quia improbable est ut qui sui conscientiam non habet, det similia signa, tum quia non est unde praesumatur ea signa, si de facto dantur, esse signa supernaturalis doloris potiusquam physicae corporis angustiae, ut de facto esse solent. Ad rem *Morinus*: "Signa nutusve omnes ambigui sunt, atque a dolore naturali saepius procedunt quam supernaturali. Quapropter praesumptio his fundata, est incertissima" (l. c. supra in p. 576 sq.); *Génicot-Salsmans*: "Talia signa dari ab iis qui nullatenus sui conscientiam habere videntur, in multis casibus sine ulla probabilitate affirmatur; neque apparet quo iure tamquam signa confessionis et doloris habeantur motus corporis, anxia respiratio, etc., quae ex se unice physicas angustias significant" (n. 300).

Attamen inepte talis explicatio impugnatur. Nam non semper qui sensibus est destitutus amittit omnem sui conscientiam sed e contrario constat non raro interiorem conscientiam vigilem manere sub exteriori sensuum deliquio, et ceterum, ubi revera omnis interior conscientia deficiat, ipse interior dolor et dispositio exerceri nequit, quem tamen

omnes doctores praesumere debent ut possit absolutio inpertiri. Praeterea, nemo negat quod praedicti motus sensibiles solent esse signa et effectus corporalis angustiae, sed inde non sequitur quaedam huiusmodi signa procedere non posse, imo connaturaliter non procedere, ex ipsa contritione interiori, ubi ea praesumatur adesse, ita ut ipsa praesumptio interioris doloris secum trahat praesumptionem sensibilibus manifestationis eius, quae sit sufficiens ratio absolutiois conditionatae.

UT HANC QUAESTIONEM BREVITER CONCLUDAMUS, dicendum est varias explicationes a doctoribus allatas, exclusa opinione Ballerini, esse simul conjungendas, imo et aliis considerationibus complendas, ut possint praebere rationabilem, et principiis theologicis de constitutivis sacramenti congruentem, justificationem hodiernae praxis absolventi moribundum sensibus destitutum qui nullum dederit poenitentiae signum.

Talis praxis fundatur in duplici praesumptione, scilicet tum praesentiae interioris doloris, tum praesentiae aliqualis sensibilibus, etsi de facto non perceptae, manifestationis illius doloris (in qua ipsa sufficiens seu generica confessio continetur).

PRIOR PRAESUMPTIO seu probabilitas, utut tenuis et in quibusdam casibus tenuissima sed tamen in circumstantiis tam gravibus sufficiens, fundatur in triplici copulata ratione tenoris vitae anteactae, imminenti periculi mortis et auxilii divinae gratiae. Etenim, *tenor vitae anteactae*, seu praxis vel saltem fides christiana, ut dictum est supra, continet in se semina salutis et principia resipiscentiae, quae connaturaliter tendunt ad proprium fructum producendum, cum majori vel minori spe aut efficacia, juxta conditionem hominis, praesertim in circumstantiis mortis imminenti et gratiae divinae specialiter adjuvantis. *Imminens mortis periculum* dupliciter influit in genesim doloris seu bonae dispositionis, sive nempe debilitando corpus et sensitivas passiones quae solent esse praecipua impedimenta resipiscentiae, sive suscitando in hominis conscientia, ac veluti praesentialiter indigitando, cogitationem aeternitatis et periculum damnationis. *Auxilium divinae gratiae*, specialiter assistentis moribundos aut certe nemini deficientis, utrique praedictae rationi incrementum confert, foecundando nempe influxum principiorum christianae vitae vel fidei et confortando vires humanae voluntatis atque tremores perturbatae conscientiae.

Haec omnia fundant, cum majori vel minori probabilitate, praesumptionem praesentiae doloris in omnibus moribundis sensibus destitutis (nam *nullus fere est moribundus baptizatus qui hodie, a pluribus saltem ex notioribus Moralists, non dicatur posse licite absolvi sub conditione* [cf. supra, p. 575]), scilicet (gradatione ascendenti) haere-

tico, schismatico, homine catholico qui ante deliquium explicite respuit sacerdotem, homine qui sensibus destituitur in ipso actu peccati, homine qui vixit pessimam vitam, homine qui pie vixit. Secunda et tertia ex praedictis rationibus valent de omnibus moribundis, primam vero valet peculiariter de homine catholico, et praecipue de eo qui pie vixit, nisi velis eam applicare etiam homini acatholico quatenus habet nobiscum communia quaedam saltem principia fidei et salutis, maxime si sint copulata cum bona fide, ut fusius explicabitur in tractatu *De Extrema Unctione* (art. 33, tom. 2).

ALTERA PRAESUMPTIO, scilicet de praesentia aliqualis sensibilis, etsi non perceptae, manifestationis interioris doloris, fundatur in ipsa praesumptione praefati doloris. Nam connaturale est ut dolor internus se prodat exterius et ut, saltem qui scit sacramentalem confessionem esse necessariam ad salutem, conetur eam quomodolibet exprimere, maxime in praedictis circumstantiis mortis imminenti et divinae gratiae specialiter auxiliantis. Ceterum, quilibet corporis motus vel conatus (puta suspirandi, vel aperiendi oculos aut labia, vel admovendi linguam aut manus), secundum se sensibilis, etsi de facto, utpote tenuis, non perceptus, sufficit ut elementum sacramentale; nec refert quod a sacerdote non percipiatur, nam sacerdos, conferendo absolutionem sub conditione, imponit illi ordinationem ad claves, si nempe adsit, ac ita illum praesumptive et suppositive attingit et informat sacramentaliter.

Idem valet de eisdem signis ambiguis, qui ipsi sacerdoti innotescunt, super quae sacerdotalis absolutio cadit prout praesumi possunt esse signa contritionis et non merae corporis angustiae; si autem sint signa non ambigua, sed moraliter certo supernaturalia, ut tunsio pectoris et crucis signatio aliaque a fidelibus exerceri solita, jam versamur extra praesentem casum moribundi qui nullum praebeat certum signum poenitentiae.

Ceterum utraque supradicta praesumptio fundatur seu supponit *TERTIAM PRAESUMPTIONEM*, tamquam conditionem sine qua non, scilicet *permanetiae interioris conscientiae* seu usus rationis, sub apparenti vel exteriori sensuum inconscientia, nam sine usu rationis, utut diminuto, impossibile est tum concipere contritionem tum conari ad illam exterius manifestandam. Haec autem praesumptio semper adest, etsi quandoque tenuis, nec de ea ullatenus dubitant aut disputant doctores.

Non inepte ipsa confirmatur testimonio quorundam moribundorum, ex deliquio ad usum sensuum redeuntium. "Habentur enim exempla eorum, qui aut videbantur sensibus destituti, aut re ipsa destituti erant,

qui tamen postea sui compotes effecti testari potuerint, se in ipsis illis momentis vere dolorem de peccato concepisse, quum jam exterius nihil prodesse possent: quod de ipsis illis valet, qui in se manus ipsi iniecerant, aut in alius peccati actu usum rationis amiserunt". Ita *Lehmkuhl* (n. 513); cui concinit *De Augustinis*: "Nonnulli, fide dignissimi, qui ad extremum usque vitae limen adducti fuerant, recuperata contra spem valetudine, de recusata eis a sacerdote praesente, dum in articulo mortis erant, absolutione conquesti sunt, asserentes se eam ardentem concupivisse, et omnibus quibus poterant signis implorasse; quae tamen adstantes vel non attenderunt, vel tamquam mere naturalia iudicaverunt."³⁰ Quibus etiam confirmatur prima et altera praesumptio.

Tandem haec ipsa praesumptio usus rationis supponit *QUARTAM PRAESUMPTIONEM*, scilicet *ipsius vitae*. Cum enim multi contingant casus mortis mere apparentis, facile haberi potest dubium de morte reali, etiam cum consueta signa vitae (uti functiones respirationis et circulationis) penitus cessaverint et homo vulgo pro mortuo habeatur. Tale igitur dubium fundat praesumptionem vitae ad finem licitae collationis absolutionis.

Ceterum haec quaestio, vulgo dicta *de morte reali et morte apparenti*, fuse expenditur in tractatu *De Extrema Unctione* (art. 27, tom. 2), ubi etiam (art. 33) agitabitur quaestio *de variis categoriis moribundorum* sensibus destitutorum, quibus utrumque Poenitentiae et Extremae Unctionis sacramentum licite conferri potest saltem sub conditione.

Inter minores quaestiones seu determinationes, quas circa absolutionem moribundorum addere solent auctores morales (cf. Cappello, n. 187-198; Merkelbach, n. 652-655; Noldin-Schmitt, n. 294-297; Aertnys-Damen, n. 335-338; Lehmkuhl, n. 510-523, ed. 1902; Chrétien, *De Poenitentia*, n. 337-340), notandum est aliquod discrimen *circa repetendam, vel secus, absolutionem* moribundorum sensibus destitutorum. Cappello scribit: "Expediit moribundum *toties* absolvere *quoties* ipse nova praebet signa doloris; si vero diutius sensibus destitutus manet, potest *pluries* repeti absolutio, ex. gr. ter aut quater in die."³¹ *Merkelbach* vero ait: "Moribundus sensibus destitutus non est rursus absolvendus, nisi adsit ratio probabilis certioris dispositionis aut novae necessitatis; non extra hunc casum, sicut aliqui dixerunt. singulis ternis vel quaternis horis, quia deest ratio sufficiens saepius exponendi sacramentum periculo nullitatis."³²

ART. 98. Utrum In Ministro Poenitentiae Requiritur Et Sufficiat Potestas Ordinis, Et Quidem Sacerdotalis, Ita Ut Solus Et Omnis Sacerdos Sit Minister Hujus Sacramenti (Suppl., q. 8, a. 1; a. 2; a. 3; a. 4, ad 5 [i.e. In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 3, q. 1. 2. 3. et 4, ad 5];

³⁰ De sacramentis, v. 2, thes. 21, Romae, 1889, p. 263.

³¹ Tractatus canonico-moralis de sacramentis, vol. 2 De Poenitentia, ed. 4, Taurini, 1944, n. 192, p. 163. Similia dicunt *S. Alphonsus*, n. 482; *Aertnys-Damen*, n. 336, et alii.

³² Summa theologiae moralis, ed. 3, Brugis, 1939, vol. 3, n. 655, p. 623.

Suppl., q. 9, a. 3, ad 3 [i.e. In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 4, q. 3, ad 3]; Suppl., q. 19, a. 3 et 4 [i.e. In 4 Sent., dist. 19, q. 1, a. 1, q. 3; a. 2, q. 1]; Contra Gentiles, 4, 72).³³

STATUS QUAESTIONIS

Ut diximus supra (p. 568), inter condiciones requisitas in ministro sacramenti Poenitentiae numeratur *deputatio Christi*; quaeritur an haec deputatio involvat, praeter Baptismum, ipsam potestatem Ordinis, et quidem sacerdotalis. Ex quo sequitur *primo* quod minister hujus sacramenti sit *solus sacerdos* ita ut simpliciter excludantur (tam ut ministri ordinarii quam ut extraordinarii), ratione defectus baptismi, omnes pagani; ratione defectus Ordinis, omnes laici, utut vitae sanctitate vel Dei charismatibus vel religiosa professione exornati (i.e. sic dicti "pneumatici seu spirituales", "charismatici" et martyres, monachi et abbatissae); ratione defectus Sacerdotii, omnes inferiores ministri, nominatim diaconi, utut sacramentali caractere et potestate insigniti; *secundo* sequitur quod minister hujus sacramenti sit *omnis sacerdos*, i.e. non tantum apostoli, vel S. Pontifex, vel Episcopi, sed etiam Presbyteri.

³³ *Petrus Lombardus*, Sent., l. 4, dist. 17.

Alexander Halensis, Summa Theologiae, pars 4, q. 19, m. 1, a. 1.

Albertus Magnus, In 4 Sent., dist. 17, a. 39. 58. 59.

Bonaventura, In 4 Sent., dist. 17, pars 3, a. 1, q. 1 et 2; dist. 19, a. 2, q. 1.

Dominicus Soto, In 4, dist. 18, q. 4, a. 1.

Suares, Disp. 24, sect. 1.

Lugo, Disp. 18, sect. 1.

J. Morinus, Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae, l. 8, c. 23 et 24, Parisiis, 1651.

E. Martène, De antiquis Ecclesiae ritibus, l. 1, c. 6, a. 6, n. 7 sqq., Rotomagi, 1700, p. 38 sq.

C. Chardon, Histoire des sacrements, Histoire du sacrement de Pénitence, sect. 2, chap. 7, apud Migne, Theologiae Cursus, t. 20, col. 415-423.

Benedictus XIV, De synodo dioecesana, l. 7, c. 16, apud Migne, Theologiae Cursus, t. 25, col. 1076-1082.

Fr. Frank, Die Bussdisziplin der Kirche von der Apostelzeiten bis zum VII Jahrhundert, Mainz, 1867, p. 243-257.

D. Palmieri, De Poenitentia, thes. 15, Romae, 1879, p. 161-171.

P. Laurain, De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence, Paris, 1897.

E. Vacandard, Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910, p. 56-70. 110-113; in Dict. Théol. Cath., art. Absolution (des péchés au temps des Pères), col. 840-848. 852-868. 877-880 in Revue du Clergé Français, art. La confession dans l'Eglise latine depuis le V jusqu'au XII siècle, t. 44 (1905), p. 342-344.

P. Batifol, Les prêtres pénitenciers romains au V siècle, in Compte rendu du III Congrès scientifique international des catholiques tenu à Bruxelles du 3 au 8 septembre 1894, Bruxelles, 1895; Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 88 sq. 101-144. 145-193. 329-335; L'origine des prêtres pénitenciers, in Revue du Clergé Français, t. 42 (1905), p. 445-456.

A. Vacant, in Dict. Théol. Cath., art. Absolution des péchés, col. 182-189.

P. Bernard, in Dict. Théol. Cath., art. Confession (Du Concile de Latran au Concile de Trente), col. 898-901.

Ermoni, La Pénitence dans l'histoire, in Revue des questions historiques, t. 23 (1900), p. 5-55.

Res est alicujus momenti tum polemicum tum historicum; nam ex una parte, quamvis Protestantes alique haeretici qui docent omnes christianos esse ministros Poenitentiae, simul negent tum potestatem ordinis tum ipsum proprie dictum sacramentum Poenitentiae, tamen ex concessa olim, ut putant, diaconis et laicis facultate absolvendi, pro utraque sua negatione argumentum ducunt; ex alia vero parte non parvi interest nosse quo sensu diaconi et laici olim partes suas habuerint in his quae referuntur ad administrationem hujus sacramenti. Ita completur ac perficitur quaestio de institutione potestatis clavium seu ipsius sacramenti Poenitentiae, quam directe agitavimus in art. 1 hujus tractatus (tom. 1, p. 44 sqq.).

PARS NEGATIVA

Adversarii sunt fere iidem quos in art. 1 (tom. 1, p. 45–60) diximus negare ipsam potestatem clavium. Quorum fundamentalis ac communis doctrina, utut varia in particularibus determinationibus vel expres-

M. J. O'Donnell, Penance in the Early Church, Dublin, 1907, p. 108–110.

G. Rauschen, Eucharist and Penance (trans. from the second German edition), St. Louis, Mo., 1913, p. 203–207.

J. Hörmann, Untersuchungen zur griechischen Laienbeicht, Donauwerth, 1913.

G. Gromer, Die Laienbeicht im Mittelalter, München, 1909; Zur Geschichte der Diakonenbeicht im Mittelalter: Festgabe Alois Knöpfler gewidmet, Freiburg, 1917, p. 159 sqq.

F. Gillmann, Zur Frage der Laienbeicht, in Der Katholik, 1909, I, p. 435 sqq.; 1910, I, p. 318 sqq.; 1913, II, p. 59 sqq.

A. D'Alès, De Poenitentia, thes. 8 et 11, Paris, 1926, p. 87. 110–112. 142 sq.; L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 244–250; 379 sq.; La théologie de Tertullien, Paris, 1905, p. 350–355.

P. Galtier, De Poenitentia, thes. 10, n. 165 et 175–181; thes. 14, n. 262; thes. 37, n. 513–516, Parisiis, 1931, p. 112 sq. 119–123. 175–181. 188. 393–397; L'Eglise et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 36–39.

A. Teetaert (alias: Amédée de Zedelghem, O. M. Cap.), La confession aux laïques dans l'église latine depuis le VIII jusqu'au XIV siècle, Wetteren-Bruges-Paris, 1926. Cf. ejusdem articulos de eadem quaestione infra cit. in p. 675.

Fr. Diekamp, Theol. Dogm. manuale (A. Hoffmann), v. 4, § 53, Parisiis-Tornacinae, 1946, p. 358–361.

M. Jugie, Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 362–367.

Puig de la Bellacasa, De Sacramentis, thes. 69, Barcinonae, 1941, p. 565–573.

Inter Protestantes:

E. Preuschen, Tertullian's Schriften De Poenitentia und De Pudicitia mit Rücksicht auf die Bussdisziplin untersucht, Giessen, 1890, p. 25 sqq.

E. Rolfs, Das Indulgenz-Edikt des römischen Bishofs-Kallist, Leipzig, 1893, p. 42. 114. 116.

K. Müller, Die Bussinstitution in Karthago unter Cyprian, in Zeitschr. für Kirchengeschichte, 1895, p. 26 sqq.

H. Ch. Lea, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, vol. 1, Philadelphia, 1896, p. 10 sq. 56–59. 105. 197–219. 217–226.

K. Hell, Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum, Leipzig, 1898, p. 267. 312–323.

O. D. Watkins, A History of Penance, v. 1, London, 1920, p. 184–188.

sionibus juxta formam mentis vel circumstantias temporum, ad hanc reducitur: Christus nullam instituit veram clavium potestatem, reservatam sacrdotali hierarchiae; si quae sit in Ecclesia potestas remittendi peccata, ea est consideranda ut aliquid exceptionale seu "charismaticum", quod proinde competit quibusdam viris spiritualibus, seu "charismaticis" vel "pneumaticis"; ceterum omnibus fidelibus competit quaedam late dicta potestas absolvendi a peccatis, quae nihil aliud est quam ipsa executio praecepti Christi de correptione fraterna.

Haec communis doctrina varias formas assumpsit, praecipue in triplici haeresi ac tempore, scilicet in *Montanismo* initio Ecclesiae, in *Catharismo* in medio aevo et in *Protestantismo* qui generavit Liberalismum theologicum in aevo hodierno.

MONTANISTAE, quorum sententias expressit ac perfecit *Tertullianus*, potestatem absolvendi, si quae ab eis admittebatur, tribuebant non hierarchiae, sed omnibus et solis hominibus spiritualibus seu "pneumaticis", adeoque considerabant ut quoddam personale charisma, quod reapse transferebant ad sua ipsorum conventicula. Ceterum concedebant adesse in Ecclesia quamdam generaliore facultatem remittendi peccata leviora, consistentem in mero officio disciplinae et correptionis, quae sub aliqua ratione convenit omnibus indiscriminatim fidelibus, juxta praeceptum Christi de fraterna correptione; unde Tertullianus indifferenter ait peccata leviora "ab episcopo" vel "ab omnibus" absolvi posse. Tertullianus praeterea calumniatur Ecclesiam catholicam quod tribueret martyribus veram potestatem absolvendi a peccatis (cf. infra, p. 668 sq. 680-682).

Haec omnia exposita habes in art. 1, tom. 1, p. 45-47. 105 sq.; cf. 101-106.

ABAEWARDUS († 1142) videtur considerare potestatem absolvendi ut quoddam charisma concessum solis dignis ministris, ita ut non omnis sacerdos (imo non omnis episcopus) sit minister hujus sacramenti. Ad firmandam enim suam aliorumque illius temporis doctorum sententiam de extinctione potestatis apud episcopos indignos, hanc emisit affirmationem damnatam a *Conc. Senonensi* a. 1140: "Quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus" (Denz. 379). Cf. quae ex Abaelardo citavimus in art. 1, tom. 1, p. 49, et art. 36, tom. 2, p. 409, et quae de ejus doctrina diximus in art. 91, p. 250 sq.³⁴

³⁴ Circa sententiam Abaelardi ejusque scholae de variis elementis sacramenti Poenitentiae, confer *P. Anciaux*, *La Théologie du Sacrement de Pénitence au XII siècle*, Louvain-Gembloux, 1949, p. 140. 146. 155-157. 176-186. 208-217. 275-293.

Pluribus sectis pseudo-spiritualisticis medii aevi, cum *Catharismo*³⁵ connexis, uti *Waldensibus*, *Fraticellis*, *Wicleffitis* et *Hussitis*, commune est ut, abiecto hierarchico sacerdotio ac asserto universali quodam sacerdotio communi omnibus christianis, reclamarunt pro omnibus laicis, praecipue bonis ac devotis, jus audiendi confessiones.

Haec reclamatio connectitur apud istos haereticos cum altera eorum doctrina (non extranea pluribus ex ipsis catholicis doctoribus usque ad saec. 12³⁶) de invaliditate sacramenti ab indigno ministro collati, et haec ipsa doctrina connectitur cum pseudo-spiritualistico conceptu Ecclesiae (pariter non extraneo pluribus catholicis inde a S. Cypriano³⁷). Eorum logicus processus sic fere se habet: Ecclesia est societas sanctorum; ergo in conficiendis sacramentis magis operatur meritum et sanctitas quam ordo et officium; ergo indigni ministri non conficiunt, sed potius laici digni conficiunt.

*WALDENSIUM*³⁸ errorem his verbis describit *Alanus de Insulis* († 1203): "Quod . . . illis solis potestas ligandi et solvendi data sit, qui doctrinam et vitam apostolorum servant, [Waldenses] variis conantur auctoritatibus probare. . . Ajunt etiam praedicti haeretici quod magis operatur meritum ad consecrandum vel benedicendum, ligandum et solvendum, quam ordo vel officium. Unde ipsi *quamvis ordinati non sint*, quia se justos esse fingunt et merita apostolorum habere, modo sacerdotali benedicere praesumunt. *Dicunt etiam se posse consecrare, ligare et solvere, quia meritum dat potestatem, non officium*: et ideo quia se dicunt apostolorum vicarios, per merita debent habere eorum officia. . . Etiam dicunt . . . quod *non est necesse hominem confiteri peccata sua sacerdoti, si praesto sit laicus cui possit confiteri*" (Contra haereticos, l. 2 contra Waldenses, c. 6, 8, 9, M.L. 210. 383. 385).

Eos solemniter damnavit *Innocentius III*. In *professione fidei Durando de Osca et sociis ejus Waldensibus praescripta* (Ex ep. ad archiep. Terraconensem, a. 1208), legitur: "Sacramenta quoque, quae in ea [i.e. Ecclesia Catholica] celebrantur, inaestimabili atque invisibili virtute Spiritus Sancti cooperante, licet a peccatore sacerdote ministrantur, dum Ecclesia eum recipit, in nullo reprobamus, nec ecclesiasticis officiis vel benedictionibus ab eo celebratis detrahimus, sed benevolo animo tanquam a iustissimo amplectimur, quia non nocet malitia

³⁵ De essentia hujus haeresis confer. *Dict. Théol. Cath.*, art. Cathares, col. 1993-1996; art. Albigeois, col. 678-680; *Vacandard*, *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, deuxième série, Paris, 1910, p. 179-215 (L'hérésie Albigeoise).

³⁶ Cf. tractatum De sac. in gen., art. 39, p. 472. 477 sq.

³⁷ Cf. ibidem, p. 471-476.

³⁸ De doctrina et historia hujus haeresis, ortae Lugduni circa a. 1180, sub ductu Petri Valdés et sub nomine "Pauperes Lugdunenses", confer *Dict. Théol. Cath.*, art. Vaudois, col. 2586-2600, et bibliographiam ibidem allatam.

episcopi vel presbyteri neque ad baptismum infantis neque ad Eucharistiam consecrandam nec ad cetera ecclesiastica officia subditis celebrata". Ibidem paulo inferius, de ministro Eucharistiae de quo hi haeretici signantius errabant, legitur: "In quo [Eucharistico sacrificio] nihil a bono maius nec a malo minus perfici credimus sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris et in virtute Spiritus Sancti. Unde firmiter credimus et confitemur, quod quantumcunque quilibet honestus, religiosus, sanctus et prudens sit, non potest nec debet Eucharistiam consecrare nec altaris sacrificium conficere, nisi sit presbyter, a visibili et tangibili episcopo regulariter ordinatus. Ad quod officium tria sunt, ut credimus, necessaria: scilicet certa persona, id est, presbyter ab episcopo, ut praediximus, ad illud proprie officium constitutus, et illa solemnia verba, quae a sanctis Patribus in canone sunt expressa, et fidelis intentio proferentis; ideoque firmiter credimus et fatemur, quod quicumque sine praecedenti ordinatione episcopali, ut praediximus, credit et contendit, se posse sacrificium Eucharistiae facere, haeticus est et perditionis Chore et suorum complicum est particeps atque consors, et ab omni sancta Romana Ecclesia segregandus" (Denz. 424).

In *Conc. Later.*, a. 1215, *cap. 1*, iterum definitur: "Hoc [Eucharistiae] sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, secundum claves Ecclesiae, quas ipse concessit Apostolis eorumque successoribus Iesus Christus" (Denz. 430). In *cap. 3* damnatur Waldenses eo quod "auctoritatem sibi vindicent praedicandi" absque missione canonica (Denz. 434). In *cap. 21* fertur lex de confessione facienda apud *proprium sacerdotem*: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti" (Denz. 437).

Inde eo tempore usus invaluit interrogandi fideles qui apud laicum confessi essent, utrum ipsi intenderint confiteri laico an sacerdoti.³⁹

FRATICELLORUM error (saec. 13–14) "de praedictorum Waldensium venenato fonte prorumpens", ut ait Joannes XXII, sic ad eodem Pontifice exponitur et damnatur in Const. "Gloriosam Ecclesiam", 23 jan. 1318: "Primus . . . error, qui de istorum officina terebrosa prorumpit, duas fingit ecclesias, unam carnalem . . . , cui Romanum praesulem aliosque inferiores praelatos dominari asserunt; aliam spiritualem . . . , in qua ipsi soli eorumque complices continentur. . . Secundus error, quo praedictorum insolentium conscientia maculatur,

³⁹ Cf. *Régnier*, contra Waldenses, c. 9, in *Maxima biblioteca veterum Patrum*, p. 273; *s. Petrum Caelestinum*, *Opusculum 8*, c. 7 De duplici confessione, *ibid.*, p. 827.

venerabiles Ecclesiae sacerdotes aliosque ministros sic iurisdictionis et ordinis clamitat auctoritate desertos, ut nec sententias ferre, nec sacramenta conficere, nec subiectum populum instruere valeant vel docere, illos fingentes omni ecclesiastica potestate privatos, quos a sua perfidia viderint alienos: quia *apud ipsos solos (ut ipsi somniant) sicut spiritualis vitae sanctitas, sic auctoritas perseverat*, in qua re Donatistarum sequuntur errorem. . . Quarta huiusmodi impiorum blasphemia de praedictorum Waldensium venenato fonte prorumpens, sacerdotes rite et legitime secundum formam Ecclesiae ordinatos, quibuslibet tamen criminibus pressos, non posse conficere vel conferre ecclesiastica sacramenta confingit" (Denz. 485. 486. 488).

WICLEFFITAE ET HUSSITAE (saec. 14–15) eundem Catharismum seu Puritanismum secuti sunt, praedicantes pseudo-spiritualem Ecclesiam, omni fere expoliata tum hierarchia, tum sacramentis, nominatim Eucharistia. Ad rem nostram quod attinet, duo docent: valorem sacramentorum pendere a dignitate ministri, et, ratione spiritualis dignitatis, etiam piis laicis competere facultatem audiendi confessiones.

Utrumque errorem damnavit *Conc. Constantiense*, sess. 8 (de erroribus Wicleffi) et sess. 15 (de erroribus Huss) a. 1415, necnon *Martinus V* per Bullas "Inter cunctas" et "In eminentis" a. 1418:

Inter damnatos errores *Wicleffi* legitur: "4. Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat" (Denz. 584).

Inter errores *Hus* leguntur: "8. Sacerdotes quomodolibet crimine viventes, sacerdotii polluunt potestatem, et sicut filii infideles sentiunt infideliter de septem sacramentis Ecclesiae, de clavibus, officiis, censuris, moribus, caeremoniis et sacris rebus Ecclesiae, veneratione reliquiarum, indulgentiis et ordinibus" (Denz. 634). "22. Papa vel praelatus malus et praescitus est *aequivoce pastor*, et vere fur et latro" (Denz. 648; cf. 646). "28. Christus sine talibus monstruosis capitibus *per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum* melius suam Ecclesiam regularet" (Denz. 654). "30. Nullus est dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali" (Denz. 656).

Inter *Interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas*, ex praefata Bulla "Inter cunctas", haec leguntur: "20. Utrum credit, quod christianus ultra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, *soli sacerdoti* de necessitate salutis confiteri teneatur, et *non laico seu laicis quantumcunque bonis ac devotis*" (Denz. 670). "22. Utrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione

faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, *vere absolvat*, vere baptizet, vere conferat alia sacramenta" (Denz. 672).

WICLEFF (1324–1384) suas doctrinas praecipue evolvit ac determinavit in suo ultimo ac potiori opere cui titulus "Trialogus", conscripto post condemnationem suorum errorum latam in duplici *Synodo Londinensi* a. 1382. In anteriori opere "*Tractatus De Ecclesia*", exarato circa 1378–1379, eosdem errores praeformavit, etsi confusus ac disparatis expressionibus, jacens praecipuum suum fundamentum de pseudo-spirituale Ecclesia. En quaedam quae ad rem nostram propinquius accedunt:

"Ex auctoritate beati Ambrosii sic habetur: 'Cavete fratres mendacium, quia omnes qui ipsum amant filii diaboli sunt. Nec solum in falsis verbis sed etiam in simulatis operibus mendacium est. Mendacium quippe est christianum se dicere et opera Christi non facere. Mendacium est episcopum, sacerdotem vel clericum se profiteri et contraria huic ordini operari.' Et tales leges ecclesiae praedicari debent tam clericis maioribus quam minoribus, cum sint praecipua lex eorum, necnon et laicis. . . Nam *pretendentes se esse sacerdotes* vel clericos et non facientes quod incumbit illi officio, *falso nomine*, mendacio et hypocrisis decipiunt plebem Dei."⁴⁰

"Patet quod homo potest esse episcopus, dominus et minister ecclesiae, etiam prescitus [i.e. non praedestinatus], existens in gracia secundum presentem iusticiam, sed homo non est cum hoc membrum sancte matris ecclesie. Unde sicut heres parvulus caret dominio, dum tamen tempore suo sit dominus omnium, sic praedestinatus *in mortali caret dominio*, dum tamen alio tempore habet dominium, cum Deus eternaliter vult quod illud habeat pro suo tempore. Et si queratur, quare repugnat dominium in praedestino peccante mortaliter, dicitur quod ipse est tunc expers iusticie et cuiuscunque virtutis moralis, et per consequens, *expers domini quod oportet fundari in iusticia morali*."⁴¹

"Supposito ex fide scripture elaborata a sanctis doctoribus quod solum praedestinati sint membra sancte matris ecclesie, restat dubitandum ulterius si presciti [i.e. non praedestinati] gerant ordines et officia illius ecclesie. Et videtur ex dictis quod non; nam Deus summe sapiens non daret potestatem inhabili. . . Hic videtur mihi indubie quod *nullus prescitus est pars vel gerens officium tamquam de sancta matre ecclesia*; habet tamen intra illam ecclesiam ad sui damnationem et ecclesie utilitatem certa officia ministrandi, ut patet de Scarioth et multis eius vicariis, et ad tantum Deus eligit tales dans eis ad tale officium potestatem. . . Sed difficultas est utrum tales presciti habent caracterem ordinis, utrum sint sacerdotes episcopi vel prelati. Quo ad primum est dissensio inter multos de quiditate characteris. Aliqui enim dicunt quod est qualitas de secunda specie qualitatis sicut naturalis potentia, Alii autem dicunt quod . . . sit deputacio passiva creature rationalis ad serviendum Deo et ecclesie secundum gradum ordinis dignitatis. . . Tenendo ergo secundam viam de quiditate characteris dico ulterius quod est necessario debilis, ut caracter ecclesiasticus in prescitis, eo quod non ultra diem iudicii durabit in eis officium dignitatis. In praedestinitis autem oportet esse caracterem omnino indelebilem. . . Et patet quod praedestinati et presciti secundum diversitatem officii equivoce habent caracterem. Et correspondenter dicitur quod equivoce habent ordinem, episcopatum vel aliam ecclesiasticam prelatiam, quia presciti ascribuntur ad tale officium solummodo temporale, non ut mereantur beatitudinem, sed ut mitigando penam per accidens prosint ecclesie."⁴²

"Patet . . . quod Deus quidquid creature rationali dederit, eam prius ad ipsum habilitat. . . Sic Deus dedit potestatem Iude propter causam multiplicem; ipse

⁴⁰ Ioannis Wyclif *Tractatus De Ecclesia*, now first edited from the manuscripts by Dr. Johann Loserth (English side-notes by F. D. Matthew), London, 1886, p. 251.

⁴¹ *Ibid.*, p. 141.

⁴² *Ibid.*, p. 441–444.

autem non fuit inhabilis ad recipiendum illam potestatem, licet ex culpa propria fuerit inhabilis ad sibi merendum beatitudinem; nec Christus ordinavit eum sic demereri sed permisit ordinando eum in hoc per accidens sponse sue proficere. . . Videtur autem mihi quod *prescius etiam in mortali peccato actuali ministrat fidelibus*, licet sibi damnabiliter, tamen subiectis utiliter sacramenta. . . Sic ergo sacerdotes mali iniuriantur sed non nocent piis fidelibus non demerentibus ministrando eis ecclesiastica sacramenta".⁴³

"Ignoratur de alio utrum sit perpetuo infidelis *excommunicatus sive haereticus*, et tunc secundum decretum IX^a, q. I. 'Sed excommunicati', non ministrat ecclesiastica sacramenta. Ideo patet quod est dare indispositionem in ministro *que vetaret confectionem vel ministerium sacramenti*, est dare aliam indispositionem que ministrantem dampnificet et habili recipienti proficeret; *qui gradus sunt Deo absconditi*. Ex istis videtur quod, sicut laicus de quocunque sacerdote est in casu dubitatur utrum sit sacerdos de sancta matre ecclesie, sic est sibi evidens dubitare utrum sit sacerdos rite ordinatus secundum formam statutam in iam militante ecclesia vel sub aliquo gradu clericus secundum presentem iusticiam in ministerio temporalis. Probatum ex hoc quod ignoratur *error fidei* in ordinante vel in ordinato, sicut ignoratur utrum sit perpetuo hereticus et infidelis, sicut est de quolibet *prescito*, et ita de infinitis illusionibus que possent contingere in verbis sacramentalibus in intentione consecrantis. . . Notandum tamen quod stultum est laicum de talibus nimium dubitare. . . Requiritur tamen laicum habere aliquam evidenciam de presbitero citra suam fidem.

"Ulterius videtur quod *sine sacramentis nostris sensibilibus* de possibili servatur fides in nostra ecclesia, servata in nobis cum caritate fide catholica. . . Sed in isto stat periculum militantis ecclesie quod *indaizando secundum sensum carnalem signa illa cum traditionibus humanis plus suis signatis preponderet* vel etiam legem Dei plus attendat iudicio sensus corporei quam oculo mentis vel etiam lumini fidei. Et correspondenter ad istos motus anime opera consequuntur, unde ad elidendum istum errorem Christus ordinavit nos in fide vivere et membra matris nostre particulariter ignorare, ne quis presumat se extollere vel exigendo temporalia gentiliter a lege scripture recedere, sciendo quod *nulla solemnitas vel tradicio humana facit hominem caput vel membrum sancte matris ecclesie aut Christi vicarium nisi specialis Christi gracia et imitacio Christi in moribus*."⁴⁴

PROTESTANTES eadem fere principia ex antiquo Catharismo, per tramitem praesertim Wicleffitarum et Hussitarum, mutuauerunt atque impugnationem catholicae doctrinae cum ampliori Scripturistico et Patristico apparatu renovarunt.

Ex pseudo-spirituali indole Ecclesiae, deduxerunt negationem hierarchici sacerdotii, cui suffecerunt generale ac spirituale quoddam sacerdotium omnium fidelium; ex addito praeterea eorum dogmate de iustificatione per solam fidem, deduxerunt potestatem clavium non esse nisi facultatem praedicandi Evangelium et declarandi peccata esse remissa, ex quo logice deduxerunt hanc per se *convenire omnibus christianis, absque distinctione aetatis, sexus alteriusve conditionis*,⁴⁵

⁴³ Ibid., p. 447 sq.

⁴⁴ Ibid., p. 455-459.

⁴⁵ Ipse *Charles Gore*, episcopus anglicanus, utut strenue defendens existentiam divinae ac episcopalis hierarchiae, agnoscit cum radicalioribus Protestantibus hoc universale sacerdotium esse unum ex fundamentalibus principiis totius Reformationis: "Powerfully and with tremendous moral seriousness, Luther proclaimed the principle that the church is

imo ex hoc ipso plures videntur reiecisse peculiarem illam Catharismi doctrinam, juxta quam efficacitas sacramenti est pendula a dispositionibus ministri, ac non dubitarunt asserere absolutionem esse validam etiam absque intentione in ministro seu "si sacerdos non serio, sed joco absolvat" (Denz. 919).

Ceterum non prorsus abiciunt *peculiare officium pastorum* (omni quidem vero sacerdotio destitutorum) in audiendis confessionibus. Distinguunt enim duplicem confessionem, alteram generalem et publicam quae fit coram Ecclesia, cujus proinde minister est ipsa Ecclesia seu congregatio fidelium, et alteram privatam, quae fit particulari fratri seu fideli juxta admonitionem Jacobi 5, 16 ut alter alteri peccata confiteamur, quaeque, quamvis possit fieri cuicumque fideli, tamen, ut peculiariter admonet Calvinus, congruentius fit pastoribus Ecclesiae, tamquam magis idoneis ministris et quasi testibus a Deo ordinatis qui conscientiam certificant peccati remissionem.

Apud *Anglicanos*, apud quos privata confessio magno gaudet favore (cf. supra, art. 36, tom. 2, p. 356 sq., et art. 81, tom. 3, p. 662 sq.), magis adhuc commendatur talis recursus ad pastores Ecclesiae, imo a quibusdam, notanter a *Ritualistis seu Puseyitis*, dicitur necessarius ad validam et licitam absolutionem. In "Book of Common Prayer" (Communion Service), ed. 1549, exhortantur fideles qui turbatam habeant conscientiam ut confiteantur ipsi celebranti "or to some other discreet and learned priest". Occasione controversiae, a Ritualistis in Ecclesia Anglicana suscitatae, *Temple* archiepiscopus Cantuariensis declaravit nullam esse obligationem tum confitendi, tum determinatum confessorium eligendi (cf. supra, art. 36, tom. 2, p. 356 sq.).

Ea Novatorum doctrina breviter exponitur ac damnatur in *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 6 et can. 9-10, infra cit. (p. 616 sq.) et clare constat ex eorum testimoniis relatis in art. 1 (tom. 1, p. 50-53), art. 36 (tom.

founded on the word of God: that where that pure word is preached and believed there is the church, though it consist but of two or three, and within the church *all are essentially equal and equally priests*. The church can and indeed must appoint officers to minister the words and sacraments; but it is for seemliness and order's sake: all Christians are essentially the same in powers [Lindsay, History of the Reformation, I, 240f., 441-4]. Dr. Lindsay is undoubtedly right. '*This principle of the priesthood of all believers [so mistakenly understood] is the one great religious principle which lies at the root of the whole Reformation movement*'. And it has one clear result. 'It can readily be seen how thoroughly it excludes the idea that a priesthood, clerus, or any authorized order or organization is indispensable for the constitution of the church. The whole power of ecclesiastical rule was in the word of God, and *this power is given to all* [Lowrie, The Church and its Organization, p. 37].' The Reformation is so large and confused a movement that it cannot be discussed with any thoroughness in a short compass. But I think we are on the safest ground in adopting Dr. Lindsay's interpretation of its main principle" (Orders and Unity, London, 1909, p. 176-178).

Cf. alia hujus auctoris verba, infra cit. in p. 611 sq., ubi explicat conceptum ministri, seu particularis sacerdotis, in relatione ad praedictum universale sacerdotium.

2, p. 350–356), art. 81 (tom. 3, p. 660–662). Cf. etiam dicta in tractatu De sacr. in gen., art. 9 (p. 139–142), art. 36 (p. 439), art. 39 (p. 479).

Sint pauca ac directa testimonia:

LUTHERI doctrina sic effertur in 13a ex 41 ejus propositionibus, damnatis a *LEONE X* in Bulla “Exurge Domine”: “In sacramento poenitentiae ac remissione culpae non plus facit Papa aut episcopus, quam infimus sacerdos: immo, ubi non est sacerdos, aequè tantum quilibet Christianus, etiamsi mulier aut puer esset” (Denz. 753).

Lutherus hanc propositionem ut suam agnoscit et defendendam ac explicandam suscipit in libello “*Assertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X novissimam damnatorum*”, scribens: “Cum ex praedictis pateat, quod non potestas ministri, sed fides poenitentis remissionem peccatorum operetur, velim doceri ab istis Bullensibus, quomodo plus papa faciat, quam quilibet sacerdos, cum fidem ipse aequè non praestare possit, ac quilibet sacerdos, nec alio verbo absolvat, quam illo: Quodcumque solveris etc. quo omnis sacerdos absolvit. Si ergo idem verbum, eadem fides utrobique, quae est differentia illorum? . . . Quod autem absente sacerdote etiam puer aut mulier et quilibet Christianus absolvere potest, Matth. 18 clare patet. ubi Christus omnibus Christianis dicit: Quodcumque solveritis super terram, solutum erit in coelis. Hanc invictam auctoritatem non mihi subvertent, qui enim baptisatus est, spiritum Christi habet, ubi autem spiritus Christi, ibi omnium potestas et libertas.”⁴⁶

De *captivitate babilonica*: “Omnium efficacissime Matth. 18, instituta confessio probatur, ubi Christus docet, fratrem peccantem corripiendum, prodendum, accusandum, et, si non audierit, excommunicandum. Tunc enim audiet, quando agnoscat et confitebitur peccatum suum, correptioni cedens. Occulta autem confessio, quae modo celebratur, etsi probari ex Scriptura non possit, miro modo placet, et utilis, imo necessaria est, nec vellem eam non esse, imo gaudeo eam esse in ecclesia Christi, cum sit ipsa afflictis conscientiis unicum remedium: siquidem detecta fratri nostra conscientia et malo, quod latebat, familiariter revelato, verbum solatii recipimus ex ore fratris, a Deo prolatum, quod fide suscipientes pacatos nos facimus in misericordia Dei per fratrem nobis loquentis.”⁴⁷

CALVINUS, Inst. Christ., 1. 3, c. 4, n. 12: “Duas praeterea [i.e. praeter publicam coram Ecclesia confessionem] privatae confessionis formas scriptura probat. Unam quae nostra causa fiat: quo pertinet illud Iacobi (5, 16), ut alter alteri peccata confiteamur. Sentit enim ut nostras infirmitates alter alteri detegentes. consilio et consolatione mutua nos iuvenus. Alteram, quae in proximi gratia facienda est, ad ipsum placandum, et nobis reconciliandum, si qua in re nostro vitio laesus fuerit. Ac in priore quidem specie, tametsi Iacobus neminem nominatim assignando, in cuius sinum nos exoneremus, *liberum permittit delectum, ut ei confiteamur qui ex ecclesiae grege maxime idoneus fuerit visus; quia tamen pastores prae aliis ut plurimum iudicandi sunt idonei, potissimum etiam nobis eligendi erunt.* Dico autem ideo prae aliis appositos, quod ipsa ministerii vocatione nobis a Domino designantur, quorum ex ore erudiamur ad subigenda et corrigenda peccata. tum consolationem ex veniae fiducia percipiamus (Matth. 16, 19; ibid. 18, 18; Ioann. 20, 23).

“Quemadmodum enim mutuae admonitionis et correptionis officium Christianis quidem omnibus demandatum est, ministris tamen specialiter est iniunctum, sic

⁴⁶ D. Martini Lutheri Opera omnia (cura H. Schmidt), v. 5, Francofurti ad M., 1868, p. 195.

⁴⁷ Ibid., p. 82.

quum omnes mutuo nos debeamus consolari, et in fiducia divinae misericordiae confirmare, videmus tamen ministros ipsos, ut de remissione peccatorum certos reddant conscientias, testes eius ac sponsores constituunt, adeo ut ipsi dicantur remittere peccata, et animas solvere. Quum audis hoc illis tribui, in usum tuum esse cogita. Ergo officii sui unusquisque fidelium esse meminerit: si ita privatim angitur et afficitur peccatorum sensu, ut se explicare nisi alieno adiutorio nequeat, non negligere quod illi a Domino offertur remedium; nempe ut ad se sublevandum *privata confessione apud suum pastorem utatur*, ac ad solatia sibi adhibenda privatim eius operam imploret, cuius officium est et publice et privatim populum Dei evangelica doctrina consolari. Verum ea moderatione semper utendum est, ne ubi Deus nihil certum praescribit, conscientiae certo iugo alligentur. Hinc sequitur, eiusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur, sed iis tantum commendetur qui ea se opus habere intelligent."⁴⁸

Quoad *ANGLICANOS* haec observant duo ex illius ecclesiae doctores: "The Puritans were opposed to the use of the words in the Ordination of Priests [quae habentur in 'Ordinal' Edoardi VI, a. 1661], 'Receive the Holy Ghost. . . Whose sins thou dost forgive, they are forgiven; and whose sins thou dost retain, they are retained.' *They alleged that the power of remitting and retaining sins was miraculous, confined to the Apostles, and not to be expected by other Ministers, and further that as man cannot bestow the Spirit of God, it is profane to claim the power to do so.* Now the formula 'Receive ye the Holy Ghost' is grounded on the words of our Lord to His Apostles on the evening of the world's first Easter-Day, when He said to them, 'As the Father hath sent Me, even so send I you', and when 'He breathed on them' and said 'Receive ye the Holy Ghost' (John xx. 21, 22). The words in the original indicate that the gift spoken of was not the personal sanctifying Grace of God in their hearts, nor the miraculous baptism of the Spirit, afterwards bestowed on the day of Pentecost, but it was the Grace of Ordination, the right to exercise that Ministry of Reconciliation, which He had rendered effectual by His Resurrection from the dead. Ministry, the right to minister, is one of the gifts of the Spirit (Rom. xii. 7). This, including all that it involves, our Lord bestowed upon the Apostles, and, as we have seen, upon all who should come after them. Hence, when the hand of the Bishop is laid upon the head of him whom he ordains, we need not doubt that the 'charisma' of God's Spirit is given for the Office and Work of a Priest in the Church of God. . .

"As to the Ministry of Reconciliation no one will dispute that God alone can forgive sins and that no Priest can claim a power, which must obviously belong to Him alone. No one again will dispute that even God cannot forgive all sins, but only the sins of those who truly repent and unfeignedly believe, for those conditions of pardon are inexorably laid down by God Himself. But God is pleased to work through men upon the world of men, and He uses a human Ministry to declare and convey His forgiveness to those, who fulfill the prescribed conditions of that forgiveness, just as He uses the instrumentality of men to preach the word, to teach, to edify, and to comfort. Hence every Bishop, who has authority to ordain, has also authority to declare that 'the Ministry of Reconciliation' is committed to the person whom he ordains, and the newly-ordained Priest receives by Christ's own ordinance a divine commission to minister, and at the same time a *divine commission, duly to exercise the power of pronouncing the absolution of sins* on the prescribed conditions of faith and repentance being observed by the recipient."⁴⁹

CH. GORE, notus scriptor et episcopus anglicanus, sequenti modo explicat proprium characterem seu conceptum sacerdotis vel, ut ait, "christiani ministerii"

⁴⁸ Corpus Reformatorum, v. 30, Ioannis Calvini Opera omnia, v. 2, Brunsvigae, 1864, col. 465 sq.

⁴⁹ *G. F. Maclear and W. W. Williams*, An introduction to the Articles of the Church of England, London, 1896, p. 404 sq.

ut est instrumentum reconciliationis inter homines et Deum: "What is the character or function of the Christian ministry? Christ the 'great shepherd of the sheep' fulfilled his pastoral office as *prophet* and *priest* and *king*. . . Again, the whole society through which he expresses himself in the world, the church which is His body, partakes of His office. . . But, *in all its functions, the church acts through and with its appointed officers*. Therefore we should expect to find the ministers or officers of the church in some special sense prophets and priests and kings, not in separation from the general body of the faithful, but *as organ of its common life*. . .

"Are the church officers rightly called 'priests'? We shall agree with Dr. Denney when he says, 'There is not, as in the nature of the case there could not be, any trace in the New Testament of a Christian priest making sacrifice for sin and mediating *again* . . . between God and man'.⁵⁰ The whole Christian life is lived under the shelter of a mediation once made and perfected: a sacrifice once offered, a reconciliation once won. The priestly function of the Christian church—and it is a kingdom of priests—is, according to the New Testament, to rejoice in, to use, and to apply this reconciliation: not to make it or to add to it. But in all its worship and discipline, and in all its work of extension, the church was continually exercising its priesthood: offering up spiritual sacrifices, *absolving or retaining sins*, receiving or imparting spiritual gifts. And *it did this as one body, acting through its appointed officers*; and these officers came to be called priests, as being, like the Old Testament priests, *agents and officers of a priestly body, by a divine appointment*. The title came to be applied to them partly as chief teachers, partly as ministers of the eucharist, partly as officers of discipline.

"When the priestly title came to be applied freely to the church officers, it was given first to the bishops and then to the presbyters as sharing their office. . . The Christian church had to apply and use Christ's priesthood and His reconciliation. It did this by admitting to baptism and by then administering the gift of the Holy Ghost by the laying on of hands. It did this whenever the necessity arose of laying scandalous members under sentence of exclusion, and then, when they had sufficiently given evidence of penitence, *'forgiving them in the person of Christ'*. It did this whenever it celebrated the eucharist, which, in some sense or another, was certainly regarded from the first as the 'church's sacrifice of praise and thanksgiving', and as standing in some very special relation to the sacrifice of Christ and the offering of His body and blood. And *all these spiritual functions the church fulfilled as one body through its appointed officers*. The apostolic ministry was thus a 'ministry of reconciliation' essentially, and so it appears in the New Testament. . .

"The idea of priesthood in Christianity needs to be constantly purified by reference to the sense in which Christ was a priest. Actually in the church the idea of the priest has been at certain periods and in certain regions allowed to become too simple that of a man who in virtue of his ordination has the power to offer sacrifices for the quick and the dead, and to absolve his fellow men. *This definition of his office by a specific power to perform certain rites, having efficacy with God on behalf of others, brings the idea of a Christian priest perilously near to the pagan standard of priesthood which Christianity superseded*. I cannot but think that the safeguarding of the idea of priesthood lies partly in the maintenance of *the corporate conception of the priest's office—viz. that he is the divinely constituted organ of a body which is throughout priestly*: partly also in the true conception of sacrifice."⁵¹

LIBERALES PROTESTANTES ET MODERNISTAE, juxta

⁵⁰ Hastings, *Dic. of the Bible*, iv. 100, s. v. Priest.

⁵¹ Orders and Unity, chap. 5, London, 1909, p. 152-164.

eorum sententiam de evolutione ecclesiae charismaticae in ecclesiam hierarchicam, quam exposuimus in art. 1 (tom. 1, p. 53–60), docent quod in prioribus saeculis officium absolventi consideratum est uti munus ecclesiae charismaticaе, i.e. ut peculiare charisma competens solis viris “pneumaticis” seu spiritualibus (cf. ibidem, p. 53 sq.), nec ceterum soli praepositi sed tota ecclesia censebatur iudicare de peccatis absolventis vel retinendis (cf. ibid., p. 53 sq. 127 sq. et hic infra, p. 662–665). Deficientibus subinde charismatibus, ea potestas transivit ad *martyres*, quibus agnita est facultas dandi libellum pacis, quo lapsi reconciliabantur Ecclesiae (cf. ibid., p. 128, et hic infra, p. 674–676). Cessatis persecutionibus et deficientibus martyribus, potestas transivit ad *monachos*, etsi sacerdotio non insignitos, ut constat praecipue apud Orientales inde a tempore Iconoclasmi (cf. ibid., p. 129, et hic infra, p. 684 sq.). Ceterum, eadem sententia valide confirmatur ex facultate absolventi vel confessiones audiendi, concessa usque ad saec. 13 tum *diaconis* (cf. infra, p. 653–655) tum ipsis *laicis* (cf. infra, p. 695 sq.). Nonnisi paulatim ea potestas usurpata est ab Ecclesia hierarchica et reservata est sacerdotibus sub conceptu potestatis clavium.

Apud *SCHISMATICOS ORIENTALES* non defuit aliquis dissensus in hac quaestione, etsi minoris entitatis, nam reapse ecclesia ipsa officialis constanter tenuit, ac tenet, solum sacerdotem esse legitimum ministrum sacramenti Poenitentiae. Talis dissensus, jam obiter tactus supra in art. 1 (tom. 1, p. 35. 49 sq. 129 sq.), respicit haereticos *rascolnikos bezpopovtsov* inter russos et *abusum confitendi monachis laicis* in antiqua ecclesia byzantina, de quo longior erit sermo infra (p. 689–694).

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Ministrum Poenitentiae esse solum sacerdotem, seu 1. solum habentem ordinem sacrum, *ad exclusionem saltem laicorum*, est *de fide* saepius ab Ecclesia definita, et signantius in Conc. Trid.; 2. solum habentem ordinem sacerdotalem, *ad exclusionem etiam diaconorum*, est pariter *de fide definita*.

Communiter theologi posttridentini, tam antiquiores quam moderni, nullum discrimen inducunt inter duo praedicta puncta sed simpliciter asserunt esse de fide quod solus sacerdos, ad exclusionem cujuslibet alterius personae, sit minister Poenitentiae; ita inter alios Soto, Suarez, Lugo, Salmanticenses, Pesch, De Augustinis, Tanquerey, Lépicier, Van

Noort-Verhaar, Hugon, Diekamp, Otten, Bellacasa, Daffara. *Huarte*, facta distinctione inter laicos et diaconos, omnino explicitè scribit: "Cum in hoc canone [10 Conc. Trid.] potestas absolvendi restringatur explicitè ad solos sacerdotes, doctrina quae hanc potestatem diaconis competere admittit, consenda est haeretica. 'Dicendum est, ait Suarez, d. 24, sect. 1, n. 8, sacerdotem esse ministrum simpliciter necessarium, ita ut in nulla dispensatione alius sufficere possit. Est conclusio communis theologorum, et de fide.'"⁵²

Tamen unus vel alter modernus, distinguens inter duo praedicta puncta, ait primum esse de fide, alterum vero non certo de fide, sed theologicè certum vel proximum fidei, eo quod Conc. Trid. voluerit directè damnare solos Protestantès qui asserebant laicos esse ministros Poenitentiae. Ita *Laurain*, qui videtur assignare solam notam "theologicè certum"; *Denis*, qui assignat notam "saltem theologicè certum", *Galtier*, qui etsi dubitanter, tamen assignat notam "proximum fidei", *Kieselstein*, *Heylen* et *Hervé*, qui dicunt "saltem proximum fidei"; *Boyer*, qui non videtur hanc notam abnuere dum scribit: "Thesis est de fide definita in Tridentino. Quod tamen ad exclusionem diaconi attinet, quidam contenti sunt dicere: est proxima fidei"; *Larnicol* qui, similiter referens sensum *Galtier*, non videtur illum abnuere.

Haec notae attenuatio videtur originem habere ex *Laurain* et *Galtier*, quorum tamen primus ambigue, alter valde incerte, loquitur.

LAURAIN: "En est-il de même du diacre? Peut-il avoir les mêmes pouvoirs que le prêtre? Il est certain qu'il ne peut remettre les péchés. Nous en avons une preuve décisive dans les textes du concile de Trente (ch. vi et canon x de la XIV session). Ces textes disent que 'le ministère des clefs' et 'l'absolution' sont réservés *ad episcopos et sacerdotes*, privativement à toute autre personne. Le concile de Trente a eu toujours en vue l'hérésie protestante. En ce qui concerne la pénitence, les protestants prétendaient que *tout homme* a reçu du Christ le pouvoir de remettre les péchés; c'est donc contre cette assertion que sont dirigées *directement* les décisions que je viens de citer. Cependant il arrive souvent que, dans un texte de ce genre, à l'occasion d'une condamnation formelle prononcée contre les hérétiques, *l'Eglise manifeste incidemment sa pensée* relativement à tel ou tel autre point de dogme. Dans les passages dont je parle, l'intention directe, immédiate, des Pères du concile de Trente n'est pas de *condamner* ceux qui reconnaîtraient au diacre le pouvoir de réconcilier les pécheurs, dans des cas extraordinaires, en l'absence des prêtres et par délégation expresse, mais *leur pensée est* certainement que les diacres ne peuvent jamais remettre les péchés. On ne saurait en douter et c'est pourquoi cette dernière opinion ne peut être soutenue sans manifester erreur."⁵³

GALTIER: "Quatenus [thesis] contra protestantes asserit 'solum sacerdotem', ad exclusionem omnium in genere fidelium qui careant ordine sacro, certe est *de fide catholica*, ex Tridentino. . . Quatenus autem excludit etiam diaconos, *quaeri forte possit* num dicenda sit de fide definita, ita ut si quis, etsi negans cum

⁵² De Poenitentia, n. 424, Romae, 1930, p. 442.

⁵³ De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence, Paris, 1897, p. 94 sq.

Tridentino potestatem absolvendi pertinere ad omnes promiscue fideles, dicat eam tamen, in casu necessitatis, competere diaconis, censendus sit eo ipso haereticus . . . *Forte responderi possit negative*: sicut, ex eo quod definitum est (can. 9) absolutionem non esse mere declarativam sensu protestantico non sequitur haereticam esse sententiam veterum scholasticorum, ita etiam possit esse de sententia tenentis diaconum posse, in casu necessitatis, absolvere. — Attamen hujusmodi sententia *dicenda esset proxima haeresi*, ideoque thesis hoc sensu dicenda est *proxima fidei*. Suarez (disp. xxiv, s. 1, n. 8) dicit eam doctrinam esse conclusionem communem theologorum et esse de fide.⁵⁴

Attamen, habendum est ut de fide solum sacerdotem, ad exclusionem etiam diaconi, esse ministrum Poenitentiae. Nam quomvis occasio definitionis Tridentinae et intentio primaria Concilii sit damnare sententiam Protestantium quod omnes fideles et non solus ordinatus sit minister Poenitentiae, de facto tamen id quod Concilium directe definit non est tantum quod non omnes fideles sed soli ordinati sint ministri, sed etiam positive quod solus sacerdos sit minister; utrumque enim explicite asseritur in can. 10, nec potest utrumque incisum “non omnes fideles sed soli ordinati, sunt ministri” et “solus sacerdos est minister” assumi pro aequivalenti, ac si “solus sacerdos est minister” significet “solus habens ordinem sacrum est minister”, quia numquam sacerdos significat abstractive “habens ordinem sacrum” sed “habens talem ordinem, i.e. presbiteralem aut episcopalem”. Et in hunc sensum collimant omnia alia Ecclesiae documenta (Conc. Constantiense: “Soli sacerdoti et non laico”, Leo X: “Ubi non est sacerdos”, C. J. C.: “Solus sacerdos”). Nec valet paritas, a Galtier invocata, cum can. 9 “Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicalem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitentis”, nam hoc praecise non asserebant antiqui scholastici, sed aliud quod logice ducit ad hanc ipsam sententiam quodque proinde est erroneum, ut dictum est in art. 91, p. 270.

Documenta Ecclesiae.

Huc faciunt imprimis documenta *antiquiora saeculo 12*, in quibus constanter sacerdos exhibetur ut minister Poenitentiae. Plura jam citavimus in art. 36 (tom. 2, p. 361–369), videlicet: *Conc. Illiberitanum* a. 300, *Conc. Carthaginense* a. 397, *Leo M.*, *Conc. Cabillonense* a. 650 et a. 813, *Conc. Calchutense* a. 787, *Conc. Wormatiense* a. 868. *Conc. Nicoenum I* a. 325, can. 13, statuit: “Generaliter autem cuilibet in exitu posito et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter [i.e. post probationem seu examen] ex oblatione dare debet” (Denz. 57).

Attamen, cum haec documenta non referant explicite sensum exclu-

⁵⁴De Paenitentia, n. 511, Parisiis, 1931, p. 392.

sivum alterius ministri praeter sacerdotem, et aliunde plura etiam habeantur mediaevalia documenta particularium conciliorum (ut taceamus de ipso Conc. Illiberitano a. 300, infra cit. p. 648), in quibus permittitur diaconis audire confessionem in casu necessitatis et cum quibus proinde altera documenta indigent rimari ac componi (ut infra agetur, p. 660–662), praestat hic solum referre signatas Ecclesiae decisiones quae *incipiunt saec. 12* una cum contrariis ipsis erroribus.

Et quidem nuper dedimus omnia documenta usque ad Conc. Florentinum exclusive, scilicet *Conc. Senonensis* contra Abaelardum, *Innocentii III et Conc. Lat. IV* contra Waldenses, *Joannis XXII* contra Fraticellos, *Conc. Constantiensis ac Martini V* contra Wiclefitas et Hussitas.

CONC. FLORENTINUM, Decr. pro Armenis, praecedentium documentorum summam aptissime affert, docens: “Ad [confessionem] . . . pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. . . Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolventi vel ordinariam vel ex commissione superioris” (Denz. 699).

LEO X in Bulla “Exurge Domine” a. 1520 damnavit supra relatam (p. 610) Lutheri propositionem de confessario laico.

CONC. TRIDENTINUM rem solemniter definivit contra Protestantes *sess. 14 cap. 6* (De ministro huius sacramenti): “Circa ministerium autem huius sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines praeter episcopos et sacerdotes [can. 10] clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: ‘Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo’ [Mt 18, 18], et ‘Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt’ [Io 20, 23], ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue contra institutionem huius sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinationem collatam tanquam Christi ministros functionem remittendi peccata exercere, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt” (Denz. 902).

Primitivum hujus capituli schema habebat: “Crassa igitur ignorantia se laborare demonstrant qui putant verba Domini: ‘Quaecumque alli-

gaveritis super terram . . . erunt soluta et in caelo', ut ad omnes christifideles indifferenter et promiscue ita fuisse dicta ut quivis potestatem habeat remittendi peccata: publica quidem per correctionem (si correptus acquirerit, secreta vero per spontaneam confessionem) cuique factam. Nam praeter patentem satis sensus absurditatem vel ipse solus (Theiner = suavis!) evangelistae contextus docere eos poterat Christum ad solos apostolos ut sententiam adversus fratrem ferrent Ecclesiam non audientem illa verba dixisse. Hoc enim cum ratione conjunctum esse quisquam existimaverit veteris quidem et umbratilis sacerdotii (Theiner = sacerdotis) in judicandis causis ad legem spectantibus auctoritatem penes paucos tantum fuisse, evangelicam autem et vere divinam clavium potestatem quae incomparabiliter praestantior est quibusvis christi fidelibus etiam parvulis et mulierculis communem esse Christum voluisse (Theiner, t. 1, p. 586 a.).⁵⁵

Ibid., *can. 10*: "Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et absolvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum: 'Quaecumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo' [Mt 18, 18]; et 'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt' [Io 20, 23], quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquirerit, secreta vero per spontaneam confessionem: A. S." (Denz. 920).

Confer ultima verba *cap. 6, et can. 3 et 9*, ubi reicitur Novatorum dogma de potestate clavium consistente in nudo ministerio declarandi remissionem peccatorum. Item confer propositiones examini theologorum Tridentinorum propositas, quas retulimus in art. 1 (tom. 1, p. 50-52).

GREGORIUS XIII, Const. "Officii nostri" a. 1574 (Mag. Bullarium Rom., 2, 415), *CLEMENS VIII*, Const. "Etsi alios" a. 1601 (ibid., 3, 142) et *URBANUS VIII*, Const. "Apostolatus Officium" a. 1628 (ibid., 4, 144), contra abusum exortos ex Protestantismo iterum declararunt invalidam esse absolutionem collatam a non sacerdotibus, atque a tribunali Sacrae Inquisitionis prosequi iusserunt omnes qui, sacerdotali ordine destituti, confessiones audire attentarent.

CATECHISMUS CONC. TRID., 2 p., c. 5, q. 54, assignat cum S. Thoma rationem convenientiae quare solus sacerdos sit minister hujus

⁵⁵ A. Michel, Les décrets du Concile de Trente, in Hefele-Leclercq, Histoire des Conciles, t. 10, première partie, Paris, 1938, p. 345.

sacramenti: "Sed jam de ministro hujus sacramenti dicendum est. Eum autem Sacerdotem esse, qui ordinariam, aut delegatam absolventi potestatem habeat, ex ecclesiasticis sanctionibus satis apparet. Habeat enim oportet non solum ordinis, verum etiam jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet. Illustre vero hujus ministerii testimonium praebent illa Domini verba apud S. Joannem: 'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt'. Neque enim omnibus, sed Apostolis tantum haec dicta fuisse constat, quibus in hac functione Sacerdotes succedunt; ideoque etiam maxime consentaneum est: nam cum omne gratiae genus, quae hoc sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra derivetur, merito debent corpori Christi mystico, id est fidelibus illud administrare, qui soli verum ejusdem corpus conficiendi potestatem habent; quum praesertim fideles hoc ipso poenitentiae sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti idoneique reddantur."

CODEX J. C., Can. 871: "Minister hujus sacramenti est solus sacerdos".

CONCLUSIO

In ministro Poenitentiae requiritur et sufficit potestas ordinis, et quidem sacerdotalis, ita ut solus et omnis sacerdos sit minister hujus sacramenti, ad exclusionem tum quorumlibet laicorum, utut eximia sanctitate aut charismatibus pollentium, tum etiam diaconorum.

Probatur 1. *EX RATIONE.*

PRIMO, quod in ministro Poenitentiae requiratur potestas ordinis solusque sacerdos sit minister hujus sacramenti, sequitur:

1. *Ex ipsa indole hujus sacramenti.* Nam potestas absolventi, quae exercetur in hoc sacramento, est potestas *judicialis*, haec autem solis rectoribus seu pastoribus convenit, ad exclusionem tum laicorum qui nullam habent sacram potestatem, tum diaconorum qui solam habent imperfectam potestatem subministrandi et exequendi, non vero regendi et judicandi. Praeterea, potestas absolventi est potestas *in foro interno*, seu est quaedam "clavis . . . quae se extendit ad ipsum coelum immediate, removendo impedimentum introitus in coelum per remissionem peccati, . . . soli [autem] sacerdotes . . . ordinantur populo in his quae directe sunt ad Deum" (*Suppl.*, q. 19, a. 3; cf. Sed contra).

2. *Ex analogia seu ex paritate cum potestate conficiendi Eucharistiam.* Convenit enim ut illis tantum daretur directa potestas super

corpus Christi mysticum, quibus exclusive data est potestas super Corpus Christi physicum, ita ut prior illa potestas supponat aut fundetur in ista, eo quod a Corpore Christi physico descendat ipsa gratia sacramentalis qua corpus mysticum fingitur et efformatur. Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 8, a. 1*: "Gratia quae in sacramentis datur, a capite in membra descendit. Et ideo solus ille minister est sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super corpus Christi verum, quod solius sacerdotis est, qui consecrare Eucharistiam potest. Et ideo cum in sacramento Poenitentiae gratia conferatur, solus sacerdos minister est hujus sacramenti; et ideo ei soli facienda est sacramentalis confessio, quae ministro Ecclesiae fieri debet" (cf. Bonaventuram, In 4 Sent., dist. 19, a. 2, q. 1).

Haec analogia seu connexio utriusque potestatis, quam jam innuerat *Hieronymus* (Ep. 146, 1, infra cit. in p. 633), frequenter inculcatur a doctoribus mediaevalibus ut inde probent solis sacerdotibus competere absolventi potestatem. Eam sic exhibent saec. 7 *Poenitentiale Romanum et Poenitentiale Theodori Cantuariensis* (cf. infra, p. 649), a quibus pendent posteriores doctores: "Sicut sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni coelestis traditae sunt, sic nec poenitentium iudicia alii usurpare debent."

DICES 1. Non valet paritas inter potestatem conficiendi Eucharistiam et potestatem absolventi, nam haec est minor illa et secundaria respectu illius; unde ex hoc quod diaconus vel laicus non habent potestatem conficiendi Eucharistiam non sequitur quod non possint habere potestatem absolventi, imo contrarium potius deduci potest ex eo quod sicut majora majoribus, ita minora minoribus conveniunt.

RESP. Potestas absolventi ita est minor ac secundaria respectu potestatis conficiendi Eucharistiam, ut tamen sit illi subordinata et in ipsa immediate fundata; unde prior potestas nequit inveniri nisi in subjecto in quo altera. Et in hoc est tota vis allati argumenti.

DICES 2. Illud argumentum nimis probat, adeoque nihil; nam ex eo sequeretur etiam potestatem baptizandi, aliaque sacramenta conficiendi, non posse competere nisi habenti potestatem conficiendi Eucharistiam, seu sacerdoti, quod patet esse falsum, tum quoad Baptismum quod potest valide conferri a ministro laico, tum quoad Matrimonium cujus ministri sunt ipsi vir et mulier contrahentes.

RESP. Quamvis ratio argumenti valeat per se de sacramentali potestate generaliter spectata, tamen per accidens fit exceptio in Baptismo ratione supremae ejus necessitatis ad salutem, ita ut possit

ministrari per non sacerdotem, idque constat ex voluntate ipsius Institutoris nobis nota per Traditionem. Similiter Matrimonium, quamvis sit causativum gratiae ex Corpore Christi physico descendens, eximitur tamen ab ea communi lege, ob intrinsecam rationem propriae indolis hujus sacramenti quod, cum sit contractus, petit ut minister sit ipsum subjectum contrahens.

DICES 3. Notus parallelismus inter utrumque sacramentum mortuorum, scilicet Baptismum et Poenitentiam, petit saltem ut sicut in Baptismo habetur duplex minister, alter solemnitatis (sacerdos) et alter necessitatis (quilibet homo), ita in Poenitentia, non enim minor est necessitas Poenitentiae lapsis quam Baptismi nondum regeneratis.

RESP. Non obstante multiplici parallelismo, non unum manet adhuc discrimen inter utrumque sacramentum. Et *primo* quoad ipsam necessitatem; nam haec est universalior in Baptismo, eo quod infantes nequeant aliter salvari quam per ipsam susceptionem sacramenti, dum adulti, quibus solis convenit Poenitentia, salvari possunt ex solo voto utriusque sacramenti (q. 8, a. 1, ad 2). *Secundo*, quoad modum quo sacramentum a ministro conficitur; nam in Baptismo minister non aliud facit quam mere applicare subjecto materiam aquae, verbo vitae sanctificatam, dum in Poenitentia ipsa actio ministri immediate sanctificat subjectum, etsi ut instrumentum Christi; ad rem *S. Thomas*: "In Baptismo . . . sanctificatio Ecclesiae ad hominem pervenit per ipsum elementum exterius adhibitum, quod verbo vitae sanctificatur secundum formam Ecclesiae, a quocumque detur . . . sed in poenitentia Ecclesiae sanctificatio non pervenit ad hominem nisi per ministrum, quia non est ibi aliquod elementum corporale exterius adhibitum, quod ex sanctificatione invisibilem gratiam conferat" (*ibid.*, a. 2, ad 3); unde ex hoc quod communicatur laico facultas baptizandi non sequitur quod ob eandem rationem communicari possit ei etiam facultas absolvendi, cum haec meliorem et propriorem potestatem importet quae solis rectoribus et pastoribus competit. *Tertio* ac praecipue, potestas absolvendi est potestas judicialis et remissio per Poenitentiam datur modo auctoritativo et discretivo, dum in Baptismo fit modo mere transmissivo et applicativo; ex quo facile intelligitur quare in Poenitentia non detur minister necessitatis, cum imperium et iudicium sint proprius et inalienabilis actus hominis in auctoritate constituti.

DICES 4. Videtur quod absolvere alios a peccatis et purificare spiritualiter sit etiam peculiare charisma sanctorum virorum, fundatum in unitate fidei et communione sanctorum, juxta illud "Mundus lustrabit immundum" (Num. 19, 19), vel "Spiritualis autem iudicat omnia" (1 Cor. 2, 15), vel "Quod minus est a meliore benedicitur" (Hebr. 7, 7).

RESP. S. Thomas, Suppl., q. 19, a. 4: "Agens per se et agens instrumentale in hoc differunt quod agens instrumentale non inducit in effectum similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis; principale autem agens inducit similitudinem suam. Et ideo ex hoc aliquid constituitur principale agens, quod habet aliquam formam, quam in alterum transfundere potest; non autem ex hoc constituitur agens instrumentale, sed ex hoc quod est applicatum a principali agente ad effectum aliquem inducendum. Cum ergo in actu clavium principale agens sit Christus, ut Deus per auctoritatem, et ut homo per meritum, ex ipsa plenitudine divinae bonitatis in eo, et ex perfectione gratiae consequitur quod possit in actum clavium. Sed homo alius non potest in actum clavium sicut per se agens, quia nec ipse alteri gratiam, qua remittuntur peccata, dare potest, nec sufficienter mereri; et ideo non est nisi sicut agens instrumentale. Unde et ille qui effectum clavium consequitur, non assimilatur utenti clavibus, sed Christo. Et propter hoc *quantumcumque aliquis habeat de gratia, non potest pertingere ad effectum clavium, nisi applicetur ad hoc ut minister per ordinis susceptionem.*"

Ibid., ad 2: "Quamvis purus homo non possit alteri ex condigno mereri gratiam, tamen unius meritum potest cooperari ad salutem alterius. Et ideo *duplex est benedictio*: una quae est ab ipso homine puro, sicut merente per proprium actum; et talis potest fieri a quolibet sancto, in quo Christus habitat per gratiam, et haec requirit majoritatem bonitatis ad minus, inquantum hujusmodi. Alia est benedictio qua homo benedicit, ut benedictionem, quae est ex merito Christi instrumentaliter alicui applicans; et quantum ad hanc requiritur majoritas ordinis, et non virtutis."

SECUNDO, quod ad constituendum ministrum Poenitentiae *sufficiat potestas ordinis* (etsi ad ipsum exercitium ministerii requiratur praeterea iurisdicatio), ita ut *omnis sacerdos*, seu etiam simplex presbyter nec solus episcopus, sit minister hujus sacramenti, suadetur tum ex analogia seu paritate aliarum potestatum, scilicet docendi, baptizandi, et praecipue Eucharistiam conficiendi, quae aequè convenit episcopis et presbyteris cum tamen sit excellentior potestas quam facultas absolvendi; tum ex indole hujus potestatis, cujus exercitium, cum sit maxime ac communis necessitatis, est frequenter et communiter exhibendum ac ideo exigit generaliores ac communiorem ministrum quam qui superiori episcopali dignitate insignitur; tum ex eo quod episcopatus distinguitur a presbyterato non adaequate, sicut ordo ab ordine, sed sicut perfectio et complementum ejusdem ordinis, et ipsa potestas absolvendi est secundaria relate ad potestatem conficiendi Eucharistiam

nec aliud quidquam in se habet excellentiae, sicut potestas ordinandi, ratione cujus exigit reservari ei qui habet perfectionem et apicem sacerdotii.

Probatur 2. EX IPSIS VERBIS INSTITUTIONIS ET EX PERPETUA TRADITIONIS PRAXI ET DOCTRINA, EA VERBA INTERPRETANTE ET APPLICANTE.

EX VERBIS IPSIUS PROMISSIONIS ET INSTITUTIONIS potestatis absolvendi, recitatis et explicatis in art. 1 (tom. 1, p. 71 et 78) patet potestatem absolvendi a peccatis collatam esse: *Primo*, ipsis *Apostolis*. *Secundo*, non ut quid personale, seu ut *Apostolis*, sicut potestas ejiciendi daemones et sanandi infirmos, sed ut *charisma totius Ecclesiae*, adeoque ut aliquid jugiter in ea permansurum, ut constat tum ex parallelismo textuum (cf. *ibid.*, p. 73 sq. et 79 sq.), tum ex ipsa rei natura, nam ea potestas pertinet ad sanctificationem animarum qui est finis ab Ecclesia jugiter prosequendum, non secus ac aliae potestates docendi, baptizandi et Eucharistiam celebrandi, a Christo collatae. *Tertio*, non ut quid indiscriminatim pertinens ad omnia et singula membra Ecclesiae, sed ut *charisma hierarchicum*, adeoque pertinens ad Apostolos, ut rectores Ecclesiae, et ad eorum successores in hierarchia, ut constat ex parallelismo textuum, et ex indole potestatis quae est essentialiter judicialis, necnon ex analogia aliarum potestatum docendi, baptizandi et Eucharistiam conficiendi (cf. *ibid.*). Idipsum confirmat parallelismus inter duas salutis oeconomias; nam in Antiquo Testamento sacrificia poenitentialia seu expiatoria, quae constitutebant aliquale sacramentum poenitentiae, figura et praeambulum Sacramenti Novae Legis, nonnisi a sacerdotibus ministrabantur (cf. art. 1, tom. 1, p. 70).

Ex ipso igitur textu evangelico eruitur potestatem absolvendi residere apud solam hierarchiam, ad exclusionem laicorum, et vanum esse Protestantium figmentum universalis illius sacerdotii cui per se pertineret talis potestas, utut, juxta aliquos, exercenda per determinatos quosdam ministros, tamquam per populi officiales et deputatos, divinitus designatos. Quod vero talis potestas *non sit charisma episcopale sed simpliciter et exclusive sacerdotale*, ita ut pertineat ad omne et solum sacerdotium, ad exclusionem diaconorum aliorumque ministrorum, nequit directe deduci ex textu evangelico sed, abstrahendo adhuc a sensu Traditionis, colligitur ex variis supradictis congruentiis et analogiis, in ipsa Scriptura fundatis.

Ceterum quidquid in Scriptura continetur, et quidquid praeterea in ea desiderari potest, totum luculenter eruitur ex Traditione, seu ex

constanti sensu et ininterrupta praxi Ecclesiae usque ad saec. 12, usque nempe ad Conc. Lateranense IV in quo damnata est prima explicita haeresis de universali laicorum sacerdotio, scilicet Waldensium Catharismus.

IN PRIMA IPSORUM APOSTOLORUM DOCTRINA ET PRAXI, quae exhibetur in Epistolis, nonnisi sacerdotes, et quidem episcopi, adducuntur ministerium reconciliationis exercentes. Huc faciunt 2 Cor. 5, 18–20; 1 Cor. 5, 3–5; 1 Tim. 1, 19 sq.; 2 Cor. 13, 2 sq.; 2 Cor. 2, 6–11; probabiliter 1 Tim. 5, 22.

Hos textus exposuimus in art. 1 (tom. 1, p. 86–90), ubi etiam diximus inepte Protestantes liberales in quibusdam ex his locis videre totam Ecclesiam (adeoque et laicos) exercentem modo collectivo potestatem clavium. Id quod in quibusdam locis proponitur ut commune omnibus fidelibus, non aliud est quam genericum officium correptionis (cf. *ibid.*, p. 86). Quod autem Paulus in causa hominis incestuosi iubeat sententiam exequi per ipsos Corinthios vel hos in iudicando sibi consociet (cf. 1 Cor. 5, 3–5; 2 Cor. 2, 6–11), refertur ad ipsam communitatem qua talem, seu qua hierarchice constitutam, adeoque ut agentem per suos immediatos ac locales rectores; ceterum, manifestum est Paulum ipsum, ut supremum rectorem illius communitatis, totam causam principaliter egisse ac iudicasse (“Ego . . . iudicavi ut praesens eum qui sic operatus est”, “Donavi, propter vos in persona Christi”; cf. *ibid.*, p. 87 sq.).

Ut dictum est in art. 36 (tom. 2, p. 374–378), in textu *Jac. 5, 16*: “Confitemini ergo alterutrum peccata vestra”, supposito juxta communiorem ac probabilem sententiam quod agitur de confessione sacramentali, nequaquam exhibetur ministerium laicorum sed illud ipsum ministerium sacerdotale de quo in immediato contextu (v. 14 sq.) ubi sermo est de presbyteris (i.e. probabiliter de ipsis presbyteris ut distinctis ab episcopis),⁵⁶ administrantibus Extremam Unctionem. Nec obstat vox “alterutrum” quia non necessario significat aequalitatem sed intelligi potest distributive juxta qualitatem personarum, uti sumitur in Eph. 5, 21: “Subiecti invicem” (cf. 5, 22; 6, 1 sqq.).

Clemens Alex. (Quis dives salvetur, 42) refert *Joannem Apostolum* latronem quemdam ad Ecclesiam reduxisse per poenitentiam (cf. art. 1, tom. 1, p. 96).

In poenitentiali igitur praxi et doctrina Apostolorum, solum certo exhibetur ministerium episcoporum (nominatim Pauli et Timothei). De ministerio presbyterorum non agitur nisi, probabiliter, in textu

⁵⁶ Cf. *Conc. Trid.*, sess. 14, can. 4; *Catechismus Conc. Trid.*, 2 p. c. 6, q. 13; *Estium*, in h. l., ed. Moguntiae, 1859, p. 472.

Jacobi. De diaconis nihil prorsus dicitur. Laici vero exhibentur ut mere indirecti et extrinseci cooperatores, vel ut participantes generali officio fraternae correptionis.

DOCTRINA ET PRAXIS SUBSEQUENTIS TRADITIONIS, tum ipsorum Patrum usque ad Gregorium M. (saec. 2–6) tum a fortiori posteriorum doctorum usque ad Innocentium III (saec. 7–13), ad haec puncta reduci potest, quae constant ex particularibus textibus infra subiciendis:

1. Cum agitur de potestate clavium, haec *constanter tribuitur sacerdotibus* (i.e. episcopis, vel distincte episcopis et presbyteris, sub vocibus “sacerdos, episcopus, presbyter, pastor, praesul, praepositus”), et similiter cum agitur de obligatione confitendi, constanter dicitur confessio facienda esse apud sacerdotes.

2. Cum quaestio de ministro magis directe ponitur vel incidit, Patres potestatem clavium et ministerium poenitentiale attribunt sacerdotibus tanquam *eorum proprium jus et officium*. *Origenes*, De orat. 28, remissionem peccatorum revocat ad “sacerdotalem dignitatem”; *Ambrosius*, De Poenit. 1, 2, 7: “Jus sacerdotale”; *Hieronymus*, in Matth., l. 3, c. 16: “Alligat vel solvit episcopus et presbyter, pro officio suo”; *Innocentius I*, Ep. 25, 7: “De pondere aestimando delictorum sacerdotis est judicare”; *Julianus Pomerius*, De vita contempl. 2, 2: “Ipsis [sacerdotibus] proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est, quibus claves datae sunt regni coelorum”.

3. Quandoque tale jus et officium tribuitur sacerdotibus etiam explicite *sub forma exclusiva*. *Origenes*, De Orat. 28: “Habemus omnes potestatem remittendi peccata in nos admissa. Sed is in quem Jesus insufflavit, is dimittit quae dimitteret Deus”; In Num., hom. 10: “Si peccet laicus, ipse suum non potest auferre peccatum; sed indiget sacerdote”; *Basilius*, Regulae brevius tractatae, 229 et 288, ait confessionem faciendam esse tantum apud eos “qui curare possint [peccata, i.e.] quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est”; *Ambrosius*, De Poen. 1, 2, 7: “Jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est”; *Chrysostomus*, De sac. 3, 5 sq.: “Potestatem acceperunt [sacerdotes], quam neque angelis neque archangelis dedit Deus”; *Leo M.*, Ep. 108: “Indulgentia Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequit obtineri”; *S. Benedictus* in sua Regula: “Tantum abbati aut spiritualibus senioribus patefaciat [monachus latentia peccata]”.

In *DIDACHÉ* (90–100) (cf. art. 1, tom. 1, p. 91 sq.; art. 36, tom. 2, p. 391 sq.) nulla habetur mentio ministri, nisi forte indirecta, quatenus est sermo de confessione facienda in Ecclesia (“In Ecclesia confiteberis peccata tua”) et quatenus hic textus intelligatur parallelus

verbis Jac. 5, 16: "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra", in quo agitur de presbyteris, ut dictum est supra, vel saltem compleatur per textum Clementis Romani, qui est ejusdem temporis.

CLEMENS ROMANUS (92–101), *Ep. ad Corinthios I*, 57, 1 (cf. art. 1, tom. 1, p. 92, et art. 36, tom. 2, p. 392), loquitur de *presbyteris* suscipientibus poenitentiam ("Subditi estote presbyteris et correptionem suscipite in poenitentiam"). Communiter sentiunt eruditi hic non agi de episcopis, cum aegre concipi possit plures fuisse episcopos in eadem ecclesia corinthiaca. Ceterum, 40, 2–5, legitur: "Oblationes . . . et officia sacra perfici, neque temere vel inordinate [Dominus] fieri praecepit, sed statutis temporibus et horis. Ubi etiam *et a quibus ea celebrari vult*, ipse excelsissima sua voluntate definivit, ut religiose omnia secundum eius beneplacitum adimpleta accepta essent voluntati eius. . . *Summo quippe sacerdoti* sua munera tributa sunt, *sacerdotibus* locus proprius adsignatus est, et *levitis* [qui inferius, 42, 4 sq., vocantur diaconi] sua ministeria incumbunt. *Homo laicus* praeceptis laicis constringitur" (Funk, 1, 151).

EPISTOLA APOCRYPHA EJUSDEM CLEMENTIS ROMANI ad Jacobum fratrem Domini (quam Duchesne, Liber, Pontificalis, t. 1, p. 72, dicit esse secundi saeculi), sic ex ore ipsius S. Petri assignat officia S. Pontificis, episcoporum, presbyterorum, diaconorum et laicorum: "Propter quod [ego Petrus] ipsi [Clementi] trado a Domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi. . . Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores saeculi non judicentur; sed apud *presbyteros* Ecclesiae, quidquid illud est, dirimatur et omni modo oboediant statutis eorum. . . *Diaconi* vero Ecclesiae, tanquam oculi sint episcopi oberrantes, et circumlustrantes cum verecundia actus totius Ecclesiae, et perscrutantes diligentius, si quem videant vicinum fieri praecipitio, et proximum esse peccato, ut referant haec ad episcopum, et commoneri ab eo possit is qui in praecipitio lapsurus est, uti revocetur et non corruat in peccatum. . .

"Similis . . . est status omnis Ecclesiae magnae navi, quae per undosum pelagus diversis e locis et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis hujus Dominus, ipse omnipotens Deus, gubernator vero sit Christus. Tum deinde proretae officium episcopos impleat, presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum locum teneant: hi qui catechizant, nautologis conferantur; epibatis autem, totius fraternitatis multitudo similis sit. . . Cum quiete et silentio, *epibatae* (*id est laici*) in suis unusquisque resideant locis, ne forte per inquietudinem, et inconditos inutilesque discursus, si passim vagari coeperint, vel ab officio suo nautas im-

pediant, vel in alterum latus per inquietudinem eorum navis pressa demergatur. Nautologi de mercedibus commoneant; et nihil omnino quod ad diligentiam vel ad disciplinam pertinent, *diaconi* negligant. *Presbyteri* velut nautae aptent singula ad instructionem navis diligenter, et instruant quae in suo tempore requirenda sunt. Episcopus tamquam proreta, vigilanter et sollicitè gubernatoris verba custodiat Christi. . .

“Nullum etiam *presbyterum* in alicujus episcopi parochia aliquid agere debere, absque ejus permissu, docebat [S. Petrus]; sed et cunctos presbyteros propriis episcopis in omnibus absque mora obediētes, institūte Domino, esse debere docebat. . . Sanctam quoque Ecclesiam immaculatam omnes servare debere evangelizabat, *cujus claves episcopos esse dicebat*. Ipsi enim habent potestatem claudere coelum, et aperire portas ejus, quia claves coeli facti sunt” (M.G. 1, 464. 469 sq. 477 sq.).

IGNATIUS ANTIOCH. († 107) (cit. in tom. 1, p. 92) nonnisi episcopum nominat, cum loquitur de agenda Poenitentia (“Poenitentibus remittit deus si se convertant . . . ad communionem cum episcopo”, *Ad Philad.* 8, 1), ex quo quidem deduci potest praecipue apud episcopum fuisse reconciliationis ministerium, quin tamen necessario excludatur opus presbyterorum, nam Polycarpus eodem tempore et in eadem regione loquitur de ministerio presbyterorum. Ignatius de presbyteris et diaconis dicit tantum generaliter: “Episcopo oboedite et presbyterio et diaconis. . . Sine episcopo nihil facite” (ibid. 7, 1 sq., Funk, 1, 271).

POLYCARPUS († 156), episcopus Smyrnenſis, in *Epist. ad Philippenses*, facta distinctione inter episcopos et presbyteros (“Polycarpus et qui cum eo presbyteri . . .”, Funk, 1, 297), ait: “Oporet . . . subici . . . presbyteris et diaconis tamquam deo et Christo. . . Et presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos . . . , non severi nimium in iudicio, scientes, nos omnes debitores esse peccati” (5, 3 et 6, 1, Funk, 1, 303). Ministerium igitur poenitiale tribuitur solis presbyteris, ad exclusionem diaconorum.

HERMAS (140–155) loquitur de Pastore seu Angelo poenitentiae, (Vis. 2, 4, 1; 3, 10, 7; 5, 3 et 7; Sim. 8, 2, 5–9; Sim. 8, 5 et 6; Sim. 9, 7, 1 sq.; Sim. 9, 33, 1 sq.; Sim. 10, 1, 1 sqq.), quem quidam putant esse episcopum. Quidquid sit, juxta Vis. 2, 4, 2 sq., “presbyteri” videntur praesidere poenitentiae, nam eis jubetur Hermas revelationes de poenitentia communicare. In Vis. 3, 5, 1, Hermas distinguit inter “apostolos et episcopos et doctores et diaconos”.

TERTULLIANUS catholicus in libro *De Poenitentia* (a. 200–206) ait poenitentes “*presbyteris advolvi*, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere”, “universum [Ecclesiae coetum] ad remedium conlaborare”, poenitentes “*palam absolvi*” (c. 9 et 10, cit. in art. 1, tom. 1, p. 101). Ubi patet conlaborationem illam populi, ad modum rogationis publicae veniae ex parte poenitentis, nullatenus aequari officio presbyterorum quibus poenitens “*advolvitur*”. Ceterum, quidam volunt in verbis “*presbyteris advolvi*” non agi de ipso sacramentali recurso ad sacerdotes, sed tantum de signis animi dolentis quae poenitentes, stantes ad fores templi, dirigebant ad pertranseuntes omnes sacerdotes et fideles, atque incisum “*charis Dei*” intelligunt non de sacerdotibus, sed de martyribus (cf. infra, p. 668).

Tertullianus montanista in libro *De Pudicitia* (a. 217–223) videtur supponere tunc apud catholicos ministerium poenitentiale fuisse apud solos episcopos, cum ait: “*Levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit*” (c. 18, cit. ibid., p. 104); “*Ecclesia quidem delicta donabit; sed Ecclesia Spiritus per spiritualement hominem, non ecclesia episcoporum: Domini enim, non famuli est jus et arbitrium; Dei ipsius, non sacerdotis*” (c. 21, cit. ibid., p. 47); “*Pontifex . . . edicit: Ego et moechia et fornicationis delicta, poenitentia functis dimitto*” (c. 1, cit. ibid., p. 106, ubi dictum est disputari inter eruditos utrum Tertullianus loquatur de R. Pontifice an de episcopo Carthaginensi). Quod autem ait apud catholicos concedi *martyribus* facultatem absolvendi (cap. 22: “*In martyras tuos effundis hanc potestatem*”, “*Moechos et fornicatores martyr absolvat*”) est mera calumnia in aestu polemico prolata (cf. infra, p. 681 sq.).

CYPRIANUS († 258) manifeste docet ministerium poenitentiae competere solis sacerdotibus seu episcopis et presbyteris, ut constat ex textibus citatis in art. 1 (tom. 1, p. 113 sq.): “*Ante purgatum conscientiam sacrificio et manu sacerdotis*” (*De lapsis*, 16); “*Apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes*” (ibid., 28); “*Remissio facta per sacerdotes*” (ibid., 29); “*Per sacerdotes ejus pacem posse concedi*” (*Ep. 52*, 29, ad Antonianum). Etsi admittat Cyprianus presbyteros posse absolvere, imo et episcopo in hoc ministerio de facto associatos esse (“*Ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam*”, *Ep. 10*, 1 sq.), reprehendit tamen impudentiam quorundam presbyterorum qui, tempore persecutionis, absque requisita probatione et praetermisso episcopi jure, sacramenta poenitentibus ministrabant: *Ep. 10*, 1 sq.: “*Cum maximo animi dolore cognosco . . . divina praecepta . . . impediri, ut ea quae in vobis ipsis et circa*

Deum caute et circa sacerdotem Dei honorifice fiunt, a *quibusdam presbyteris* resolvantur, qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes, ante actam poenitentiam . . . , ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam, offerre pro illis et Eucharistiam dari . . . audeant. . . *Lapsis quidem potest in hoc venia concedi. . . Sed praepositorum est praeceptum tenere*" (cf. art. 92, p. 385 sq.).

Primo tamen occurrit apud Cyprianum non dissimulanda difficultas de *poenitentiali ministerio diaconorum*, in casu necessitatis, necnon de *libello pacis a martyribus concesso*. Sed quia eadem difficultas occurrit in aliis documentis posterioribus, eam inferius exponemus ac discutiemus (p. 646 sqq. et 665 sqq.).

PRESBYTERIUM ROMANUM, saeviente Decii persecutione et sede vacante ante electionem Cornelii, in duplici epistola ad Cyprianum missa (cf. supra, art. 92, p. 385–387) decernit de venia danda lapsis moribundis. Id supponit presbyteris, praeterquam episcopis, competere ministerium poenitentialia, quod ceteroquin illi presbyteri romani sibi explicite attribuunt: "Ne, si [poenitentes] relictis fuerint *a nobis*, pejores efficiantur"; "Nobis tamen anxie curantibus ut nec pronam *nostram* improbi homines laudent *facilitatem*, nec vere poenitentes accusent *nostram quasi duram crudelitatem*".

ORIGENES († 254 vel 255) solis Apostolis eorumque successoribus, seu episcopis et presbyteris, agnoscit potestatem dimittendi peccata.

De Oratione, 28, 8–10: "Habemus igitur *omnes* potestatem remittendi peccata *in nos admissa*, ut manifestum et ex his: 'Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris'. . . Sed *is in quem Iesus insufflavit, quemadmodum in apostolos . . . ; is dimittit quae dimitteret Deus et insanabilia peccata retinet. . . Sunt nonnulli qui nescio quomodo sibi arrogare ea quae sacerdotalement superant dignitatem . . . glorianturque quasi possint etiam idololatriam condonare, adulteriaque et fornicationes remittere*" (cf. art. 1, tom. 1, p. 111 sq.; quo autem sensu in his ultimis verbis Origenes dicat illa tria peccata esse irremissibilia ab Ecclesia, explicatum est in art. 92, p. 378–381 sq.).

In Lev., hom. 2, 4: "Est adhuc et septima . . . remissio peccatorum . . . cum [homo] non erubescit *sacerdoti Domini* indicare peccatum suum et quaerere medicinam. . . In quo impletur et illud, quod Iacobus apostolus dicit: 'Si quis autem infirmatur, vocet *presbyteros* ecclesiae . . .'" (de hoc textu cf. art. 1, tom. 1, p. 111; art. 36, tom. 2, p. 396 et 426 sq.; fusius explicabitur in tractatu De Extrema Unctione)..

Quoad textum *In Psalm. 37, hom. 2, 6* ("Circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante", etc.), diximus in art. 36 (tom. 2, p. 395 sq.) inepte plures criticos acatholicos sustinere quod in eo non agitur de sacramentali confessione sed de directione petenda a quolibet viro spirituali ac prudenti. Ineptius autem quis diceret ibi agi quidem de vera confessione peccatorum, sed quae fieri possit apud quemlibet virum prudentem, etiam *laicum*.

In Psalm 37, hom. 1, 1, cit. in art. 36 (tom. 2, p. 394), vocat sacerdotes "angelos quibus creditae sunt dispensandae et regendae animae nostrae: quemadmodum describitur in quodam loco [i.e. Pastoris Hermae] angelus poenitentiae". Nec refert quod immediate antea dicat: "Omnes episcopi atque omnes presbyteri *vel diaconi* erudiunt nos, et erudientes adhibent correptiones", nam, ut constat ex contextu immediate praecedenti, Origenes distinguit duas diversi generis correptiones, aliam quae fit per eruditionem quaeque est communis omnibus episcopis, presbyteris et diaconis, et aliam quae fit per actionem ("a procuratoribus et actoribus"), quae est propria sacerdotibus in actuali ministerio poenitentiae ("i.e. his angelis quibus creditae sunt dispensandae et regendae animae nostrae").

In Num., hom. 10, 1: "Qui meliores sunt, inferiorum semper culpas et peccata suscipiunt. . . Israelita si peccet, id est *laicum*, ipse suum non potest auferre peccatum; sed requirit levitam, *indiget sacerdote*, imo potius et adhuc horum aliquid eminentius quaerit: *pontifice opus est*, ut peccatorum remissionem possit accipere" (M.L. 12, 635). Hic ministerium clavium denegatur laico et tribuitur sacerdoti; collatis autem nuper relatis textibus, presbytero, utpote sacerdoti, nequaquam denegatur ipsa potestas clavium, sed ad summum usum illius, imo probabilius nec ipse usus simpliciter, sed talis usus qui fiat independenter a potestate episcopi, a quo descendit potestas jurisdictionis et a quo tunc temporis immediate regulari consueverat disciplina et exercitium poenitentiale.

FIRMILIANUS († 269), *Epist.* 75, 16 (inter epist. Cypriani), citatis verbis promissionis et institutionis, ait: "Potestas ergo peccatorum remittendorum apostolis data est et Ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, et *episcopis* qui eis ordinatione vicaria successerunt" (M.L. 3, 1216 sq.). *Ibid.* 4: "Qua ex causa necessario apud nos fit ut per singulos annos *seniores et praepositi* in unum conveniamus ad disponenda ea quae curae nostrae commissa sunt, ut, si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur, lapsis quoque

fratribus, et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per poenitentiam medela quaeratur" (ibid., 1206).

DIONYSIUS ALEXANDRINUS († circa 265), relatus ab Eusebio Caes. (Hist. eccles. 6, 44), in sua narratione *historiae Serapionis* petentis a *presbytero* absolutionem in articulo mortis (cf. supra, art. 41 et 45, tom. 2, p. 705 sq. 941 sq.), ait se presbyteris "in mandatis dedisse, ut morituris, si peterent, et maxime si antea suppliciter postulassent, venia indulgeretur". In sua Epist. ad Fabium episc. antiochenum, relata ab eodem Eusebio (Hist. eccles. 6, 42), ostendit potestatem remittendi peccata proprie apud solam hierarchiam residere (cf. infra, in p. 669); nec refert quod ipse videatur agnoscere efficacitatem libelli pacis a martyribus concessi seu, ut ipse ait, "sententiae martyrum", nam ibi non agitur de potestativa sententia et iudicio sed de mera intercessione et commendatione a martyribus in favorem lapsorum interposita, ut exponetur infra (p. 682 sq.).

DIDASCALIA APOSTOLORUM (saec. 3), *TRADITIO APOSTOLICA* Hippolyti (saec. 3), aliaque opera liturgica a Traditione Apostolica derivata (inter saec. 3 et 5), quorum plura citavimus in art. 1 (tom. 1, p. 109 sq.), scilicet *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae*, *Canones Hippolyti*, *Constitutiones Apostolorum*, *Canones Apostolorum*, unanimiter potestatem remittendi peccata reservant sacerdotibus, ut successoribus apostolorum, nominatim episcopis. Canones Apostolorum (collecti circa a. 400) nominant episcopum et presbyterum: "Si quis *episcopus vel presbyter* eum, qui se convertit a peccato, non recipit, sed eicit, deponatur" (can. 52, in *Constitutionibus Apostolorum*, 8, 47, 52, Funk, 1, 581).

SOCRATES (saec. 5) in sua *Hist. eccles.* 5, 19 (cit. in art. 36, tom. 2, p. 432 sq.; cf. hic infra, p. 642–646), asserit officium *presbyteri poenitentiarum* fuisse institutum jam saec. 3, i.e. tempore persecutionis Decii et schismatis Novatianorum.

APHRAATES († medio saec. 4), *Demonstr.* 7 (De poenitentibus), cit. in art. 36 (tom. 2, p. 397), ministerium reconciliationis tribuit solis sacerdotibus seu pastoribus: "O vos, medici, discipuli sapientis Medici nostri! remedium istud adsumite, quo aegrotantium plagas curetis. . . Audite, et vos qui claves portarum caeli tenetis, et fores aperite poenitentibus" (n. 2 et 11). Inferius nominat "sacerdotes" (n. 18) et ait: "O pastores, discipuli Domini! gregem pascite . . . , sanate confractos" (n. 26).⁸⁷

⁸⁷ Observat *Batiffol*: "Le R. P. Pignataro [De disciplina poenitentiali . . . Romae, 1904], p. 23, cite quelques textes d'Aphraates, et en déduit que le médecin dont il est

ATHANASIUS († 373), *Fragmentum ex libris Contra Novatianos*: “Quemadmodum homo a sacerdote baptizatus, Spiritus sancti gratia illuminatur; ita qui confitetur in poenitentia, per sacerdotem Christi gratia remissionem accipit” (M.G. 26, 1315).

BASILIVS († circa 379), *Comm. in Isaiam, c. 9, n. 244*, loquens de confessione, ait: “Indicari [in Is. 10. 19] *eos qui Ecclesiae praeficiuntur*, negaverit nemo, eo quod . . . peccata occulta . . . sibi a peccatoribus concredantur” (cf. art. 36, tom. 2, p. 398).

Regulae brevius tractatae, 229 et 288 (cit. ibidem, et hic infra, p. 686 sq.), ait confessionem faciendam esse tantum apud eos “qui curare possint” peccata, i.e. “quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est”.

PACIANUS († circa 390), *Ep. 3, 1. 11. 12* (cit. in art. 1, tom. 1, p. 48), ait esse “datam *episcopis* potestatem, ut quae ligasset in terra, ligata essent” atque refellit objectionem Novatianorum, scilicet in verbis promissionis agi de officio fraternae correptionis quod omnibus fidelibus competit.

In Ep. 1, 6 (cit. ibid., p. 77), refellens aliam objectionem, quod nempe in verbis institutionis agatur de solis Apostolis, ait: “Quod per sacerdotes suos [Deus] facit [remittendo peccata], ipsius potestas est. . . An tantum hoc solis Apostolis licet? . . . Si . . . et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi”.

In paraenisi ad poenitentiam (cit. in art. 36, tom. 2, p. 399 sq.) loquitur iterum de episcopo, sub voce sacerdotis: “A me ipso fratre vestro ac sacerdote” (n. 2), “Quid facies tu sacerdos?” (n. 4), “Parcite sacerdotibus. . . Ecce iterum Apostolus ad sacerdotem: ‘Manus cito nulli imponas. . .’ Quid facies, tu qui decipis sacerdotem?” (n. 8), “Haec quidem quae videri etiam a sacerdote possunt, et episcopo teste laudari” (n. 10).

AMBROSIUS († 397) est praeclarus testis de *exclusivo jure sacerdotis* in ministerio reconciliationis. In *epist. 67*, ad Simplicianum, cit. in art. 36 (tom. 2, p. 400 sq.), loquitur de “iudicio sacerdotali”, ait “culpam sacerdotes auferre”, “cibum sacerdotis esse in peccatorum remissione”. In *De Poenitentia, 1, 2, 7*, ait: “Ecclesiae utrumque licet [scilicet solvere et ligare], haeresi utrumque non licet; *jus enim hoc solis permissum sacerdotibus est*. Recte igitur hoc Ecclesia vindicat, quae veros sacerdotes habet: haeresis vindicare non potest,

question est l'évêque. Je viens de relire ces textes (éd. Graffin, *Demonstr.*, vii, *De poenitentibus*), et j'hésiterais à reconnaître l'évêque exclusivement dans les ‘medici qui insignis Medici nostri estis discipuli’. Ce point serait à éclaircir” (*Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 335, in nota*).

quae sacerdotes Dei non habet. Non vindicando autem ipsa de se pronuntiat, quod cum sacerdotes non habeat, *jus sibi vindicare non debeat sacerdotale*" (M.L. 16, 488). Ibid., 1, 8, 36: "*Hoc jus sibi datum sacerdotes vindicant*" (ibid., 498). Ibid., 2, 2, 12: "Impossibile videbatur per poenitentiam peccata dimitti; concessit hoc Christus apostolis suis (Joann. xx, 22), quod ab apostolis *ad sacerdotum officia* transmissum est" (ibid., 520).

De Ambrosio *Paulinus*, ejus notarius, narrat quo zelo ac discretione confessiones audiret, "bonum relinquens exemplum posteris sacerdotibus" (Vita Ambrosii, 39, cit. in art. 36, tom. 2, p. 401 sq.).

Asterius Amasenus (circa 400), *Hom. 13* (cit. ibid., p. 833), sacerdoti tribuit ministerium confessionis: "Applicationis participem et socium sume sacerdotem, ut patrem".

CHRYSOSTOMUS († 407) est alius praeclarus testis *proprii juris sacerdotis* ad potestatem clavium exercendam. In opere enim *De sacerdotio*, 3, 5 sq. (cit. in art. 1, tom. 1, p. 118), exaltans dignitatem *sacerdotii*, ait: "Qui terram incolunt in eam commorantur, ad ea quae in coelis sunt dispensanda commissi sunt, *potestatemque acceperunt, quam neque angelis neque archangelis dedit Deus*. . . Habent quidem ii, qui in terra imperant, potestatem ligandi, verum corpora solum: hoc autem vinculum ipsam attingit animam, caelosque transcendit; servorumque sententiam ipse Dominus ratam facit . . . 'omne iudicium dedit Pater Filio' (Joann. 5, 22): videoque ipsum omne *ipsis traditum* a Filio esse. . . Majorem sacerdotibus quam parentibus potestatem dedit Deus. . . Neque enim tantum cum nos regenerant, sed etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt. Nam 'Infirmatur', inquit, 'quis in vobis? advocet presbyteros Ecclesiae . . . (Jac. 5, 14. 15)'. . . In illud "*Vidi Dominum*" hom. 5 (cit. ibid.): "Sacerdotii solium in caelis collocatum est. . . 'Quaecumque enim ligaveritis . . .'. . . Itaque medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam".

S. Doctor loquitur non tantum de episcopis sed etiam de presbyteris, nam agit de dignitate sacerdotis in genere, comparat sacerdotes N. T. cum sacerdotibus A. T., adducit textum Jacobi de presbyteris Ecclesiae, invocat ipsam sacerdotis essentiam quae consistit in meditando inter Deum et homines. Ceterum, juxta testimonium Socratis et Sozomeni, in eadem Ecclesia Constantinopolitana praecesserat ipsum officium presbyteri poenitentiarum, quod suppressit Nectarius praedecessor Chrysostomi.

HIERONYMUS († 419) est alius insignis testis juris sacerdotalis,

et quidem distincte et explicite *ipsius juris presbyterorum*, prout distinguuntur ab episcopis.

In *Eccl., cap. 10* (cit. in art. 36, tom. 2, p. 402) ait quod oportet peccatorem "vulnus suum fratri et magistro . . . confiteri . . . , qui linguam habet ad curandum".

In *Dial. contra Lucif.* 5 (cit. in art. 1, tom. 1, p. 119) ait: "Sacerdos . . . altario reconciliat".

Epist. 14, 8: "Absit ut de his [i.e. clericis seu sacerdotibus] quidquam sinistrum loquar, quia Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos Christiani sumus. Qui claves regni coelorum habentes, quodammodo ante iudicii diem iudicant: qui sponsam Domini sobria castitate conservant. Sed *alia* . . . *Monachorum est causa, alia Clericorum*. Clerici pascunt oves: ego pascor. Illi de altario vivunt: mihi quasi infructuosae arbori, securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero. . . Mihi ante presbyterum sedere non licet: illi, si peccavero, licet tradere me Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit (1 Cor. 5. 5). Et in veteri quidem Lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus, lapidabatur a populo; aut gladio cervicis subjecta, contemptum expiabat cruore (Deut. 17. 12)" (M.L. 22, 352).

In *Matth., l. 3, c. 16, v. 19*: "Et dabo tibi claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum in coelis." Istum locum *episcopi et presbyteri* non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. . . Alligat, vel solvit *episcopus et presbyter*, non eos qui insontes sunt, vel noxii: sed *pro officio suo*, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus" (M.L. 26, 122).

Epist. 146 (ad Evangelum), 1, refellens errorem eorum qui *diaconos presbyteris aequabant*, scribit: "Audio quemdam in tantam erupisse peccordiam, ut Diaconos, Presbyteris, id est, Episcopis [Intellige: Presbyteris qui parum distant ab Episcopis; ut ex sequenti contextu patet] anteferet. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse Presbyteros quos Episcopos, quid patitur mensarum et viduarum minister [i.e. diaconus], ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus Sanguisque conficitur? . . . Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant. . . *Quid enim facit excepta ordinatione Episcopos, quod presbyter non faciat?* . . . Presbyter et Episcopos, aliud aetatis, aliud dignitatis est nomen" (M.L. 22, 1192-1195).

AUGUSTINUS († 430), *De civ. Dei*, 20, 9, 2 (cit. in art. 1, tom. 1, p. 119 sq.), ait quod in verbis Apocalypsis "Et vidi sedes et sedentes super eas, et iudicium datum est", "sedes *praepositorum*, et ipsi praepositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est, 'Quaecumque ligaveritis. . .'"

Enchir. 64 sq. (cit. *ibid.*, p. 120): "Recte constituuntur ab iis qui *Ecclesiis praesunt* tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur".

Serm. 351, 4, 9 (cit. *ibid.*, p. 121): "Veniat [peccator] ad *antistites*, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur. . . A *praepositis sacramentorum* accipiat satisfactionis suae modum".

De Bapt. 3, 18, 23 (cit. *ibid.*, p. 85): "[Peccata dimittuntur] secundum arbitrium Dei et orationes sanctorum spiritualium qui omnia iudicant, ipsi autem a nemine iudicantur".

Serm. 98, 6, 6 (cit. in art. 36, tom. 2, p. 384): "Hoc officium [solvendi a peccatis] discipulis dedit, quibus ait: 'Quae solveritis. . .'".

Epist. 228, 8 (cit. in art. 33, tom. 2, p. 321): "Si [tempore persecutionis] ministri [i.e. *episcopi et clerici*; cf. n. 11 et 13] desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto saeculo vel non regenerati exeunt vel ligati. . . Si autem ministri adsint. . . omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur".

INNOCENTIUS I (Papa, 401–417), *Ep.* 25 ad Decentium, c. 7 (cit. in art. 1, tom. 1, p. 122): "De pondere aestimando delictorum sacerdotis est iudicare". Sub nomine "sacerdotis" Innocentius videtur tum episcopos tum presbyteros generice designare; nam immediate postea (c. 8), loquens de chrismate, distinguit inter sacerdotes et reliquos christianos et inter episcopos et presbyteros: "Quod [sanctum oleum] ab episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed et omnibus uti Christianis licet. . . Illud superfluum esse videmus adjectum, ut de episcopo ambigatur, quod presbyteros licere non dubium est" (M.L. 20, 560).

Ceterum, *ibid.*, c. 3, etiam presbyteri vocantur sacerdotes: "Presbyteri licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent" (*ibid.*, 554).

SOCRATES et SOZOMENUS in sua *Historia ecclesiastica*, exarata circa medium saec. 5, loquuntur de officio "*presbyteri poenitentiarum*" prout exercebatur Constantinopoli usque ad Nectarium patriarcham (381–397), qui illud in sua ecclesia abolevit occasione alicujus scandalii (cf. art. 36, tom. 2, p. 432–434, ubi curiosam illam utriusque

historici narrationem retulimus ac discussimus). Hi historici testantur tale officium in multis ecclesiis extitisse, et quidem ab antiquo (Socrates ait inde a medio saec. 3, tempore haeresis Novatianae; Sozomenus vero, inde "ab initio", i.e. a tempore immemorabili). "Postquam Novatiani, scribit Socrates, se ab Ecclesia sejunxissent, eo quod cum illis qui persecutione Deciana lapsi fuerant, communicare noluissent, ex illo tempore episcopi poenitentiarum presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt, ut qui post baptismum lapsi essent, coram presbytero ad eam rem constituto, delicta sua confiterentur". Cf. infra, p. 642-646, ubi de presbytero poenitentiario.

LEO M. (Papa, 440-461), *Epist. 108, n. 2* (cit. in art. 1, tom. 1, p. 61): "Indulgentia Dei nisi supplicationibus *sacerdotum* nequit obtineri . . . [nam Christus] hanc *praepositis Ecclesiae* tradidit potestatem. . ." Ibid., *n. 3* (cit. in art. 36, tom. 2, p. 363): "Necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur". Ibid., *n. 5* (cit. ibidem), loquitur de "reconciliatione sacerdotali" et "de praesentia sacerdotis". *Epist. 168, n. 2* (cit. ibidem): "Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit". *Epist. 10, n. 8* (cit. ibid., p. 364) sermo iterum est de ministerio "sacerdotis".

EUCHERIUS LUGDUNENSIS († circa 450) (cit. in art. 36, tom. 2, p. 403) loquitur de confessione facienda apud "praepositos".

SIDONIUS APOLLINARIS († circa 489) (cit. ibidem), loquitur de ministerio episcoporum.

JULIANUS POMERIUS, presbyter arelatensis (circa finem saec. 5), *De vita contemplativa, 2, 7* (cit. ibidem), ait: "Cum . . . nobis fratres quilibet nostri peccata sua, *tamquam medicis*, vulnera quibus urgentur aperiunt, operam dare debemus ut quantocius ad sanitatem Deo auctore perveniant". Agitur de sacerdotibus in genere, inclusis presbyteris, nam Julianus presbyter non sic alloqueretur solos episcopos ("Nobis, tanquam medicis"; cf. ibid., 1, 21). Ceterum de sacerdotibus in genere ipse agit in variis capitibus illius operis: 2, 2, ait: "Ipsis [sacerdotibus] . . . proprie animarum curandarum sollicitudo commissa est. . . Ipsi [sunt] janitores quibus claves datae sunt regni coelorum" (M.L. 59, 444 sq.).

PSEUDO-DIONYSIUS ALEX. (circa finem saec. 5), *Epist. 8, ad Demophilum monachum*, hunc vehementer redarguit, quod praesumpserit iudicare sententiam absolutionis datam a sacerdote: "Tu vero, ut tuae litterae declarant, accidentem sacerdoti, illum quem impium ac peccatorem dicis, nescio quomodo per te praesens repuleris;

tum ille quidem deprecabatur et fatebatur se ad malorum medicinam advenisse; tu autem, nihil veritus, bonum insuper *sacerdotem cum quadam insolentia conviciatus es, quod miseratus esset poenitentis, atque impium justificasset*. . . Nunc ergo audi nostram sententiam: Nefas est sacerdotem a te dignioribus ministris, tuive ordinis monachis corripere, quantumvis in divina impius videatur, et etiamsi quid aliud vetitum egisse convincatur. . . [Ad Sancta Sanctorum] proxime accedit ordo pontificum, deinde distinctio sacerdotum, quos deinceps ministrorum gradus sequitur; ordinatis autem monachis adytorum postes sunt assignatae, juxta quas etiam initiantur et astant, non ad custodiam earumdem, sed ut agnoscant tam se quam ordinem suum magis populo prae sacerdotibus propinquare. . . [Sacerdotes] qui symbolice semper divinum altare circumstant, intuentur et audiunt divina clare sibi revelata, procedentesque benevole ad ea quae sunt extra divina velamenta, morigeris religiosis, sacroque populo, et iis qui purgantur, ordinibus, *sacra mysteria pro meritis pandunt*" (M.G. 3, 1087-1090).

S. BENEDICTUS († 543) in sua Regula (infra cit., p. 687), facta distinctione inter culpas externas et publicas, accusandas a monacho coram abbate vel congregatione, et latentia peccata, ait: "Tantum *abbati aut spiritualibus senioribus* [haec] patefaciat".

GREGORIUS M. († 604), Hom. in Ev., l. 2, hom. 26, 4-6 (cit. in art. 1, tom. 1, p. 123): "Discipuli . . . potestatem relaxationis accipiunt; principatumque superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. . . Horum profecto nunc in Ecclesia *episcopi* locum tenent. . . Quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos *pastoris* sententia absolvat."

A Gregorio M. usque ad Innocentium III (saec. 7-13) a quo damnatur prima explicita haeresis denegans exclusivum jus sacerdotum circa sacramentale ministerium, scilicet Waldenses (cf. supra, p. 604), abundant documenta tum de sacerdotibus in genere tum peculiariter de presbyteris, quorum plura citavimus in art. 36 de necessitate confessionis (tom. 2. p. 403-410) et in art. 44 de sigillo sacramentali (ibid., p. 799-802).

Distincte de *presbyteris* loquuntur inter alios: *Theodorus Cantuariensis* († 690; "Si vero episcopo difficile sit, presbytero potest necessitatis causa praebere potestatem"), *Beda* († 735; "Si . . . presbyteris Ecclesiae confessi fuerint . . ."), *Chrodegangus Metensis* († 766; "Monachi confessionem faciant episcopo aut priori suo"), *Capitulare Caroli Magni* (a. 813; "Inquiratur an presbyteri de confessionibus accepto pretio manifestent latrones"), *Theodulphus Aurelianensis*

(† 821; “Capitula ad presbyteros parochiae suae”), *Conc. Papiense* (a. 850; “Qui occulte deliquerunt, illis confiteantur quos episcopi et plebium archipresbyteri idoneos elegerint”), *Rabanus Maurus* († 856; “Occulta debet esse poenitentia secundum iudicium presbyteri, sive episcopi cui confessi sunt”), *Regino Prumiensis* († 915; “Presbyteri debent admonere plebem sibi subjectam [ut] ad proprium sacerdotem venire festinet, et humiliter confiteatur”), *Robertus Pullus* († 1146; “Quasi Deo ita confiteris presbytero”). Ceterum, presbyteri quoque indicantur sub generali voce “sacerdos” ab aliis doctoribus ejusdem aetatis, ut *Isidoro Hisp.*, *Egberto Eboracensi*, *Alcuino*, *Jona Aurelianensi*, *Burchardo*, *Ivo Carnotensi*, *Lanfranco*, *Hincmaro*, *Petro Damiano*, *Pseudo-Augustino*, *Anselmo*, *Goffrido Vindocensi*, *Abaelardo*, *Gratiano*.

Horum aliorumque doctorum sensum sic compendiat ac theologicè exprimit *Magister Sententiarum*: “Postquam ostensum est quae sint claves apostolicae, et quis earum usus, superest investigare quando istae claves dentur, et quibus. Dantur hae claves per ministerium episcopi alicui in promotione sacerdotii. Cum enim recipit *ordinem sacerdotalem* simul et has claves recipit. . . Quod vero hanc potestatem habeant *omnes sacerdotes*, Hieronym. testatur super illum locum Evangelii ubi Dominus dixit Petro, Matth. 16: ‘Tibi dabo claves regni coelorum’. Habent enim, inquit, eandem iudiciariam potestatem alii apostoli; *habet et omnis Ecclesia in episcopis et presbyteris*. . . Quanta autem sit dignitas sacerdotalis officii et ordinis hic advertamus. . . Spiritus gratiarum non personam sequitur digni vel indigni, sed ordinem traditionis; ut *quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus*, ut officii ministerium exhibeat. . . Huic . . . tamen videtur obviare quod ait Esychius, super Levit. cap. 9, lib. 2. Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt; sed quia figuram Christi gerunt, et propter eum qui in ipsis est, plenitudinem benedictionis tribuunt; nec solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicumque Christum in seipso habet, et ejus figuram gerit, per conversationem bonam, sicut Moyses, idoneus est ut benedictionem praestet. Ecce hic habes, quod *non solum sacerdos, sed omnis in quo Christus habitat, benedictionem praestat. Sed alia est benedictio quae solis sacerdotibus congruit, alia quae ab omnibus bonis communiter exhibetur*” (Sent., l. 4, dist. 19, n. 1, et 3, M.L. 192, 889–891).

In pluribus tamen documentis hujus aetatis (saec. 8 ad 13) fit quoque mentio *ministerii diaconorum* necnon cujusdam *professionis apud laicos*, de quorum sensu infra dicetur (p. 651–662. 694–723).

Ad complementum argumenti Traditionis et ad repellendam objec-

tionem quam quidam adversarii desumunt ex praesumpta participatione diaconorum et laicorum in administratione sacramenti Poenitentiae, JUVAT DISTINCTE CONSIDERARE QUAS PARTES OLIM IN HOC MINISTERIO HABUERINT EPISCOPI, PRESBYTERI, DIACONI, ET LAICI, INTER QUOS NOMINATIM MARTYRES ET MONACHI.

I. EPISCOPI.

Ipsis in prioribus saeculis (saltem saec. 2 et 3) reservata est, tanquam *de jure ordinario*, administratio sacramenti Poenitentiae, non secus ac ipsius Baptismi et Eucharistiae. Id patet ex antiquioribus documentis supra citatis inde a tempore apostolico.

Ipsa vox "sacerdos", quae in illis occurrit, solum episcopum significare solet, tanquam sacerdotem per antonomasiam, nec nisi serius (inde a saec. 5), communi saltem usu, ipsos etiam presbyteros designare coepit. Attamen, jam *Clemens Rom.* (Ep. ad Corinth. 40, 2-5) distinguit inter "summum sacerdotem" et "sacerdotes"; *Origenes* (In Num., hom. 10, 1) distinguit inter "sacerdotem" (episcopos et presbyteros simul) et "pontificem" (episcopum); *Cyprianus* cum Conc. Carth. in sua epistola ad Stephanum P. presbyteros vocat sacerdotes, decernens ut "presbyteri aut diaconi" apostatae, cum poenitent, admittantur ad solam communionem laicam, "oportet enim sacerdotes et ministros . . . integros atque immaculatos esse" (M.L. 3, 1086 sq.); *Innocentius I* (Ep. 25, c. 3, ad Decentium) vocat presbyteros "secundos sacerdotes"; *Augustinus* (De civ. Dei, 20, 10), explicans verba Apocalypsis "Erunt sacerdotes Dei et Christi", ait: "Non utique de solis episcopis et presbyteris dictum est, *qui proprie jam vocantur in ecclesia sacerdotes*: sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt unius sacerdotis" (M.L. 41, 675 sq.); *Hieronymus* (In Jerem., l. 3, c. 13, v. 12 sqq.) nomen "sacerdos" tribuit presbyteris veluti proprium nomen: "Sacerdotes quoque ipsi, secundus in ecclesiastico honore gradus . . ." (M.L. 24, 765). Ex quo patet plura documenta, quae loquuntur de sacerdote ut ministro Poenitentiae, non necessario de solo episcopo intelligenda esse.

Tempore apostolico, episcopi (seu Paulus, Timotheus et Joannes) exhibentur ministrare Poenitentiam. *Ignatius* dicit reditum ad communionem cum episcopo esse conditionem poenitentiae. *Epistola Pseudo-Clementis P.* ad Jacobum fratrem Domini, facta distinctione inter episcopos, presbyteros et diaconos, refert ex ore S. Petri "claves [Ecclesiae] episcopos esse. . . Ipsi enim habent potestatem claudere

coelum, et aperire portas ejus, quia claves coeli facti sunt.” *Terullianus* montanista ipsis episcopis tribuit, si qua concedit, absolutionem quorundam leviorum peccatorum. *Cyprianus* reprehendit presbyteros absolventes “praetermisso episcopi jure”. *Origenes* ait: “[Peccator] indiget sacerdote, imo potius pontifice opus est, ut remissionem possit accipere”. Episcopum esse ordinarium ministrum Poenitentiae, manifeste indicant vel supponunt tum supra relata opera liturgica, i.e. *Didascalia Apostolorum*, *Traditio Apostolica*, *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae*, *Canones Hippolyti*, *Constitutiones Apostolorum*, tum *Concilia Illiberitanum a. 300*, *Nicaenum a. 325*, *Carthaginense a. 397* (memorata in p. 615 sq.), tum plures Patres, ut *Athanasius*, *Basilius*, *Pacianus*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Leo M.*, *Gregorius M.*

II. PRESBYTERI.

Etiam presbyteri in primis saeculis, antequam ipsis modo ordinario committeretur ab episcopis administratio hujus sacramenti, suas partes habuerunt in ministerio poenitentiali, dependenter quidem a jure ordinario ipsius episcopi; idque dupliciter: vel scilicet ita ut una cum episcopo et sub ejus ductu participarent poenitentiali disciplinae, vel ita ut, ad modum exceptionis et in casibus necessitatis, ipsum sacramentum administrarent. Quasnam autem partes habuerint presbyteri in disciplina poenitentiali, quam frequenter ipsum sacramentum administrarent et quandonam obtinuerint vel coeperint obtinere ordinariam illius administrationem, nequit praecise determinari, tum quia non satis scimus de indole antiquae disciplinae poenitentialis (de qua, ut dictum est in art. 45, plura controvertuntur inter eruditos), tum quia abdicatio, ut ita dicatur, ministerii episcopalis in manus presbyterorum non nisi paulatim, pro circumstantiis et necessitatibus, nec uniformiter, pro diversitate Ecclesiarum, fieri potuit. Generaliter tamen loquendo, dici potest talem presbyterorum subrogationem co incidere plus minusve cum procedente casu poenitentiae publicae et incremente generalizatione poenitentiae privatae, quae incipit notabiliter observari saeculo 5 inde a tempore Leonis M.; propterea inde ab ea aetate notantur etiam determinatiora quaedam documenta de ministerio presbyterorum (uti testimonia *Conc. Carthaginensis a. 397*, *Canonum Apostolicorum*, *Hieronimi*, *Socratis et Sozomeni*), quae in subsequenti aevo post *Gregorium M.* (saec. 7 sqq.) celeriter multiplicantur.⁵⁸

⁵⁸ Ad rem *Batiffol*: “Une dernière évolution, préparée depuis longtemps au moins à Rome, aboutit vers la même époque [5 siècle], qui consistera en ce [que] l'évêque délèguera intégralement à des prêtres ce ministère. A Rome, nous l'avons vu, des prêtres

Jam in *textu Jacobi* (5, 16), ut dictum est supra (p. 623), probabiliter exhibetur ministerium poenitentiale presbyterorum. *Clemens Rom.* inducit presbyteros assignantes correctionem poenitentiae. *Poly-carpus* exhortat presbyteros ne sint "severi nimium in iudicio, scientes, nos omnes debitores esse peccati". *Hermas* jubetur revelationes de poenitentia communicare presbyteris. Ceterum, haec presbyterorum participatio in ministerio poenitentiali intelligitur eo tempore fieri sub ductu et consensu episcopi, juxta illud *Ignatii*: "Sine episcopo nihil facite" et *Pseudo-Clementis*, Ep. ad Jacobum: "Nullum presbyterum in alicujus episcopi parochia aliquid agere debere, absque ejus permisso".

Tertullianus catholicus ait poenitentes "presbyteris advolvi". *Cyprianus* non negat presbyteros absolvere posse, salvo quidem "episcopi jure", imo ostendit eos una cum episcopo partes in hoc ministerio habuisse ("Ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impostam"); "ceterum, observat Galtier, eam fuisse consuetudinem ut per presbyteros, absente episcopo, reconciliatio fieret, constat ex spontaneo lapsorum concursu ad presbyteros, quos S. Cyprianus vituperat nimia facilitate concedere pacem".⁵⁹ *Presbyteri Romani*, Cypriani tempore, sede vacante inter mortem Fabiani et electionem Cornelii (i.e. per integrum annum), regunt Ecclesiam Romanam; quinam ministri potuerunt toto illo tempore Poenitentiam administrare nisi presbyteri?; ceterum idipsum Romanum Presbyterium in suis epistolis ad Cyprianum decrevit de venia danda lapsis. *Origenes* (In Lev., hom. 2, 4), invocans verba Jacobi "Vocet presbyteros Ecclesiae" probabiliter alludit ad poenitentiale ministerium presbyterorum; eadem allusio videri potest in verbis "Circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum" (In Psal. 37, hom. 2, 6), nam vix cogitari potest poenitentem potuisse seligere confessarium inter plures episcopos, cum unus esset in unaquaque ecclesia.⁶⁰ *Dionysius Alex.* ait se presbyteris

étaient délégués au 'judicium sacerdotis', par où s'ouvrait la pénitence canonique: ils recevaient la confiance du pécheur, ils déterminaient la satisfaction par lui due, mais le pécheur attendait le jeudi saint pour être réconcilié par l'évêque. Déjà cependant, à Rome et hors de Rome, si le pécheur, était en danger de mort, on n'attendait pas le jeudi saint: le pécheur pénitent était réconcilié, communie, et les prêtres avaient toujours suffi à ce ministère" (Études d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 190 sq.). De indole tamen illius initialis "judicii sacerdotis", quo aperiatur publica poenitentia, necnon finalis reconciliacionis, quo eadem concluderetur, confer discussa in art. 45 (tom. 2, p. 924 sqq.).

⁵⁹ De Paenitentia, n. 512, Parisiis, 1931, p. 393.

⁶⁰ Ad hunc textum observat *Batiffol*: "La traduction de cette homélie a été faite par Rufin en Italie, entre 397 et 410. Et cette traduction trahit des retouches, car la doctrine authentique d'Origène sur la pénitence ne différait pas de celle de Tertullien quant à la réserve des trois fautes capitales. Or, ici, toute trace de réserve est effacée. Puis Origène attribuait un pouvoir pénitentiel aux 'spirituels', aux 'parfaits', et le refusait aux autres, fussent-ils évêques. Si l'homélie s'est, dans sa teneur primitive, inspirée de cette doctrine, avouons que le traducteur l'a expurgée à fond. Mais alors, concluons-nous,

"in mandatis dedisse, ut morituris venia indulgeretur". *Conc. Illiberitanum* a. 300 decrevit ut in periculo mortis "presbyter communionem [seu poenitentialem reconciliationem] praestaret".

Circa finem saec. 4 et in saec. 5 succedunt determinatiora documenta. *Conc. Carthaginense* a. 390, can. 3, decernit: "Reconciliare quemquam in publica missa presbytero non licere" (Mansi, 3, 693), quod quidem supponit ministerium presbyteri extra publicam missam. *Conc. Carthaginense* a. 397, can. 32, statuit: "Presbyter, inconsulto episcopo, non reconciliet poenitentem, nisi absente episcopo, et necessitate cogente" (Mansi, 3, 885).⁶¹ *Canones Apostolorum* (circa a. 400), can. 52, simpliciter et absque discriminatione proponunt tum episcopum tum presbyterum, ut ministros poenitentiae: "Si quis episcopus vel presbyter eum, qui se convertit a peccato, non recipit, sed eicit, deponatur". *Chrysostomus* non uno modo alludit ad ministerium presbyterorum, ut dictum est supra (p. 632). *Hieronymus* signanter ait: "Alligat, vel solvit episcopus et presbyter"; imo emphatice aequat presbyterum episcopo, scribens: "Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non facit?". *Socrates et Sozomenus* (medio saec. 5) testantur ipsam existentiam officii *presbyteri poenitentiarum* in variis ecclesiis, cuius imo originem Socrates refert ad medium saec. 3, Sozomenus vero ad tempus immemorabile.

Saec. 6 usus confitendi apud presbyteros tam late invaluerat ut *Conc. Toletanum III* a. 589 illum in Hispania proscribere tentaverit, ut adderet vigorem exercitio publicae poenitentiae, jamjam in desuetudinem labenti: "Quoniam comperimus per quasdam Hispaniarum Ecclesias non secundum canonem sed foedissime pro suis peccatis homines agere poenitentiam, ut quotiescumque peccare voluerint, toties a presbyteris se reconciliari expostulent, ideo pro coercenda tam execrabili praesumptione, id a sancto concilio jubetur, ut secundum formam canonicam antiquorum detur poenitentia" (can. 11, M.L. 84, 353; cf. supra, art. 45, tom. 2, p. 867 sq.).

cette traduction représente la discipline des environs de l'an 400. Or cette traduction parle-t-elle au pécheur de révéler ses fautes à l'évêque? Non, car le pécheur aurait-il le choix entre plusieurs évêques? Origène veut que le pécheur choisisse entre le 'spirituel' et le non 'spirituel', mais Rufin ne pouvait accepter cette pensée, et donc qu'aura-t-il voulu dire en écrivant: 'Circumspice cui debeat confiteri', dès là qu'il ne pensait pas à l'évêque?" (Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 334 sq.) In art. 92 (p. 381) diximus Batifol non parum reformasse suam interpretationem de sententia Origenis circa peccata irremissibilia ejusque communitate cum doctrina Tertulliani.

⁶¹ Ad hunc canonem observat *Batifol*: "N'a-t-on pas lieu de conclure que, dès lors, un prêtre n'a qu'à avoir le consentement de son évêque pour réconcilier un pénitent, d'une part, et d'autre part que l'abus s'est introduit, puisqu'on le réprime, qui fait qu'un prêtre réconcilie sans recourir à l'évêque et en dehors du cas de nécessité urgente?" (Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 191.)

Ad hunc textum observat *BATIFFOL*: "On a voulu voir dans ce canon la première attestation de deux usages, qui sont la réitération indéfinie de la réconciliation et la *délégation du pouvoir des clés à de simples prêtres*: nous croyons avoir établi que ces deux usages sont de plus de cent ans antérieurs au concile de Tolède. Et du même coup nous éliminons l'opinion⁶² qui attribue à saint Colomban l'institution du ministère presbytéral et secret de la pénitence. Contre cette opinion, Mgr Duchesne avait fait valoir que l'épiscopat franc, peu favorable à saint Colomban et aux moines missionnaires, irlandais ou anglo-saxons, du VIIe et VIIIe siècle, eût été vraisemblablement mal disposé à se laisser imposer par eux un changement de discipline grave et imprévu; et qu'aussi bien les faits attestaient que ce changement s'était opéré dans des régions totalement fermées à l'influence de Luxeuil, comme Rome et Tolède."⁶³

Quoad *posteriorem aetatem* (saec. 7-13) non vacat quidquam addere dictis superius in p. 636 sq.

Restat ut aliquid dicatur de *peculiari illa quaestione CIRCA ORIGINEM PRESBYTERI POENITENTIARI, IN ECCLESIA ROMANA*, quam in contrarias partes agitarunt quidam recentiores eruditi, signanter *Batiffol et Vacandard*.

Admittunt eruditi omnes quod ante saec. 5 (saltem saec. 4) extiterit in quibusdam ecclesiis (saltem Constantinopoli et circumstanti regione) officium presbyteri poenitentiarum, cui nempe modo ordinario fuerit ab episcopo devoluta sacramenti Poenitentiae (signanter ipsius confessionis) administratio. Haec communis sententia fundatur in testimonio Socratis et Sozomeni (relato in art. 36, tom. 2, p. 432-434), de cuius veritate non est peculiaris ratio dubitandi. Socrates talis officii originem refert ad medium saec. 3 tempore haeresis Novatianae, Sozomenus vero eam videtur referre ad ipsum fere exordium Ecclesiae ("Ab initio visum est"); quoad hoc eruditi videntur stare potius affirmationi Socratis, considerantes verba Sozomeni ut quendam emphaticam amplificationem.⁶⁴ Praeterea, uterque historicus loquitur de quadam generali ecclesiarum praxi (Socrates: "Episcopi poenitentiarum presbyterum albo ecclesiastico adjecerunt. . . Et apud alias quidem sectas haec regula etiamnum perseverat"; Sozomenus: "Nec-

⁶² "E. Loening, Geschichte des deutschen Kirchenrechts, t. II (Strasbourg, 1878), p. 468 et s. A. Malnory, Quid luxovienses monachi p. 63 et s. Nous n'avons pas besoin, pour écarter le système de Löning, de recourir, comme Mgr. Schmitz, à l'hypothèse de l'existence d'un pénitentiel romain, dont les pénitentiels anglo-saxons seraient dérivés. Cette hypothèse est d'ailleurs, parmi nous, considérée comme non établie (ita Duchesne et Paul Fournier)."

⁶³ Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 192 sq.

⁶⁴ Socrati tamen non multum fidet *Petavius*, supra cit. in art. 36 (tom. 2, p. 435 sq.). *Rauschen* notat: "Socrates dates the origin of the office of penitentiary back to the Novatian schism, about 250; Sozomenus traces it to the time of the Apostles, and Funk adopts this view (see Kraus, Realenzyk., I, 184); on the other hand, Loofs (Leifaden. 340) claims that the year 250 is too early a date, because the institution of penitentiary priests meant the abandonment of public penance in all cases in which no public scandal had been given. This last I consider the more probable opinion" (Eucharist and Penance, trans. from the second German edition, St. Louis, Mo., B. Herder, 1913, p. 196, in nota).

tarius presbyterum illum primus ex ecclesia sustulit. Cujus exemplum omnes fere episcopi postea secuti sunt"). Hinc autem praecise *controversia oritur: an scilicet etiam in Ecclesia Romana fuerit tunc temporis (saec. 3-4) in vigore officium presbyteri poenitentiarum.*

Batiffol, quaestionem primum agitans, respondit affirmative,⁶⁵ quem secuti sunt *Schmitz*⁶⁶ et *D'Alès*.⁶⁷

Sententia *Batiffol* fundatur in duplici testimonio quod affertur in "Liber pontificalis" (ed. Duchesne, t. 1) de RR. PP. Marcello (308-309) et *Simplicio* (468-483), corroborato et illustrato per supradictum testimonium *Socratis* et *Sozomeni*. De *Marcello* dicitur, in prima editione Libri Pontificalis exarata circa a. 530: "Hic XXV titulos in urbe Roma constituit, quasi diocesis propter baptismum et poenitentiam" (ed. Duchesne, p. 75); in secunda vero editione exarata circa a. 540: "Hic XXV titulos in urbe Roma constituit, quasi diocesis, propter baptismum et poenitentiam multorum qui convertebantur ex paganis" (ibid., p. 164). De *Simplicio* dicitur in prima editione: "Hic constituit ad sanctum Petrum apostolum et ad sanctum Paulum et ad sanctum Laurentium martyrem hebdomadas, ut presbyteri manerent propter baptismum et poenitentiam petentibus" (ibid., p. 93); in secunda vero editione, ultima verba sic mutantur: "Ut presbyteri manerent propter poenitentes et baptismum" (ibid., p. 249).

Batiffol, post Duchesne, in ea poenitentia, cui perficiuntur presbyteri (jam a Marcello initio saec. 4 quoad 25 titulos seu ecclesias romanas, et subinde saec. 5 a *Simplicio* quoad 3 basilicas suburbanas), videt ipsum sacramentum *Poenitentiae*, i.e. "poenitentiam secundam", prout distinguitur a sacramento Baptismi, i.e. "poenitentia prima", innixus praecipue prima editione utriusque textus, cui ceterum non necessario contradicit secunda editio, etsi sit minus apta et magis obscura manipulatio prioris, ob additionem (in priori textu) verborum "Multorum qui convertebantur ex paganis", quae debent uniri verbo "Baptismum", et ob inversum ordinem (in altero textu) verborum "Poenitentes et baptismum" pro "Baptismum et poenitentes".

Testimonium hoc, utut obscurum, illustratur et roboratur supradicto testimonio *Socratis* et *Sozomeni* de institutione presbyteri poenitentiarum in multis ecclesiis, ita ut inter has oporteat ecclesiam romanam adnumerare.

⁶⁵ Les prêtres pénitenciers romains au V siècle, in *Compte rendu du III Congrès scientifique international des catholiques tenu à Bruxelles du 3 au 8 septembre 1894*, Bruxelles, 1895; *Etudes d'histoire et de théologie positive, première série*, Paris, 1926 (p. 145-193: Pénitenciers et Pénitents, IV-V siècle; p. 329-335: Excursus B. L'origine des prêtres pénitenciers); *L'Origine des prêtres pénitenciers*, in *Revue du Clergé Français*, t. 42 (1905), p. 449-456.

⁶⁶ Die Bussbücher und das kanonische Busserfahren, Dusseldorf, t. 2, 1898, p. 69.

⁶⁷ De Poenitentia, thes. 8, Parisiis, 1926, p. 87; *L'édit de Calliste*, Paris, 1914, p. 379 sq.

Ad rem ipse *BATIFFOL*: "L'horizon de Sozomène est plus étendu [que celui de Socrates]. 'Presque partout, dit-il, les évêques suivirent l'exemple de Nectaire.' Ce 'presque partout' doit s'entendre de l'Orient grec, et, en effet, Sozomène dit plus loin que l'organisation pénitentielle 'est soigneusement gardée dans les églises d'Occident, et surtout à Rome' . . . Sozomène affirme qu'en Occident et particulièrement à Rome l'institution subsiste que Nectaire a supprimée à Constantinople. Sozomène, qui a beaucoup voyagé et qui peut-être même a visité Rome, ajoute au récit de Socrates une description de la procédure pénitentielle en usage à Rome au milieu du Ve siècle. . .

"Mais il importe de bien remarquer que ce ministère, 'iudicium culpae', qui, à Constantinople et à Rome, a été dévolu à des prêtres, est en Occident, Rome mis à part, resté aux mains de l'évêque. S. Léon, écrivant aux évêques de la province de Vienne, disait: 'Nulli christianorum facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium sacerdotis'. Il entendait par 'sacerdos' l'évêque et nul autre, d'accord en cela avec le langage de tous les écrivains latins chrétiens des cinq premiers siècles."⁶⁸

Vacandard,⁶⁹ quem sequitur *Rauschen*, sententiam Batiffol impugnavit, ut sufficiens fundamentum destitutum, docens officium presbyteri poenitentiarum extitisse in sola ecclesia vel regione Constantinopolitana, nec magis deduci posse ex verbis Socratis et Sozomeni, qui sunt soli testes hujusmodi institutionis; textus vero Libri Pontificalis interpretandos esse de solo Baptismo, seu de "poenitentia prima", ut suadet secunda utriusque textus editio, quae est praefenda, utpote prioris explicativa.

Ad rem ipse *VACANDARD*: "A Constantinople, on voit au IV^e siècle fonctionner un prêtre pénitencier. . . L'évêque se déchargeait sur lui du ministère de la confession. L'institution de ce prêtre pénitencier remonte aux temps de Dèce ou peu après, selon Socrate; Sozomène voudrait même qu'elle remontât plus haut, ἐξ ἀρχῆς, expression vague qui rend la chose douteuse. On ne saurait davantage préciser la région où ce régime fut en vigueur. Il faut sans doute le localiser dans la région de Byzance-Constantinople, car on ne l'aperçoit en aucune autre église importante. Cf. Vacandard, dans la Revue du clergé français, 15 mai 1905, p. 641. Ce ministère dura jusqu'à la fin du IV^e siècle et fut aboli en 391 par Nectaire, le prédécesseur de saint Jean Chrysostome. . . Le régime du prêtre pénitencier était exceptionnel!"⁷⁰

"L'Eglise romaine ne connaissait encore, ce semble, aux IV^e et Ve siècles, d'autres 'confesseurs' que ses pontifes. En 416, le pape Innocent I^{er}, décrivant l'usage

⁶⁸ Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 158 sq. 167. Ibid., p. 190 sq. et 192 sq., sequuntur quae citavimus supra, in p. 639 et 642.

⁶⁹ In *Revue du Clergé Français*, art. L'origine des prêtres pénitenciers, t. 42 (1905), p. 361-386. 640-643; In *Dict. Théol. Cath.*, art. Confession (du I au XIII siècle), col. 842-847; art. Absolution des péchés au temps des Pères, col. 149 sq.; Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910, p. 62 sq.

⁷⁰ In *Dict. Théol. Cath.*, art. Confession (du I au XIII siècle), col. 845. Concilium *Rauschen*: "In the fourth century, in many of the communities in the Orient, the duties of the bishop in regard to penitents were intrusted to one particular priest, who was known as the 'penitentiary' (πρεσβύτερος ἢ ἐπὶ τῆς μετάνοιας). Our knowledge of this custom rests exclusively on the testimony of *Socrates* (H. E., V, 19) and *Sozomenus* (H. E., VII, 16), who also inform us that it was abolished in the year 391 by *Nectarius*, patriarch of Constantinople, in consequence of a public scandal. The date of the origin of the office of penitentiary is wholly unknown. . . *Batiffol* contends that this institution existed also at Rome, but the assertion is groundless" (Eucharist and Penance, transl. from the second German edition, St. Louis, Mo., 1913, B. Herder, p. 195 sq.).

pénitentiel de son Eglise, 'romanae ecclesiae consuetudo', dans une lettre à Decentius d'Eugubium (Gubbio), déclare qu'il appartient à l'évêque d'apprécier la gravité des fautes, en tenant compte de la confessioem du pénitent: 'De pondere aestimando delictorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem paenitentis'. . . Le jugement du confesseur est pareillement un acte épiscopal, 'arbitrium sacerdotis', selon saint Léon, Ad episcop. provinciae Viennensis, c. VIII. . . Dira-t-on que cette discipline est celle de l'Eglise latine en général, mais que par exception, elle ne regarde pas l'Eglise romaine? Nous demanderons alors qu'on nous montre un texte, un seul, qui indique que cette exception est dans la perspective de saint Léon. On aura beau fouiller tous ses écrits, on n'y trouvera pas un mot qui autorise à affirmer l'existence d'un clerc autre que l'évêque faisant fonction de pénitencier dans l'Eglise romaine au milieu de Ve siècle.

"Cependant, pour Mgr. Batiffol, suivi en cela par Mgr. Schmitz, . . . il n'y a pas de doute que l'office du prêtre pénitencier existait à Rome au IVe et au Ve siècle. . . Les textes par lesquels Mgr. Batiffol justifie son sentiment sont empruntés au *Liber Pontificalis*, plus précisément aux notices des papes Marcel (308-309) et Simplicius (468-483 [Citat textus et exponit interpretationem Batiffol]. . .

"Il y a déjà longtemps que nous avons fait nos réserves sur cette interprétation. Cf. Revue du clergé français, t. XXVII, p. 617, note 3. Elle nous paraît toujours difficilement acceptable.

"D'abord, nous ne voyons pas de motif vraiment sérieux qui nous force à préférer la leçon de la 1re édition du 'Liber Pontificalis' à celle de la 2me. Elles sont toutes deux à peu près du même temps. . . Si le premier éditeur de l'ouvrage écrit aux environs de 520 ou 530 et le second aux environs de 540, il n'y a pas lieu de penser que l'un ait été nécessairement mieux informé que l'autre de la discipline pénitentielle romaine, telle qu'elle existait aux temps des papes Marcel et Simplicius. Bien plus, nous estimons qu'à comparer entre elles les leçons des deux éditions, c'est la seconde et non la première qu'il faudrait retenir. N'est-il pas vraisemblable qu'en modifiant ou en 'glosant' le texte qu'il avait sous les yeux, le dernier rédacteur l'a fait intentionnellement en vue d'attacher à la phrase un sens plus nettement défini? Dans sa pensée, la pénitence dont il est question: 'propter baptismum et paenitentiam multorum qui convertebantur ex paganis', ne saurait être que la *pénitence préparatoire à la réception du baptême*. . .

"Il est vrai que son langage n'offre pas encore toute la clarté désirable. Mais, en raison même de son ambiguïté, on doit l'interpréter en concordance avec un autre témoignage plus net. C'est ici que Mgr. Batiffol fait intervenir Sozomène. . . Or, Sozomène dit nettement qu'à Rome, les exercices pénitentiels et leur durée sont déterminés pour chaque pénitent, non par un prêtre pénitencier, mais par l'évêque lui-même. . . Telle est, ajoute-il, la discipline qu'observent les pontifes romains depuis l'origine jusqu'à nous. Et en regard de cet usage, il place, comme par opposition, celui de Constantinople où le ministère de la confession et la surveillance des exercices pénitentiels sont confiés à un simple prêtre. . . Evidemment l'historien grec ne soupçonne pas l'existence de prêtres pénitenciers à Rome au Ve siècle. Et cependant selon Mgr. Batiffol lui-même. . . 'Sozomène a beaucoup voyagé et il a peut-être même visité Rome.' Son témoignage est donc considérable; et comme, d'une part, il éclaircit les textes un peu équivoques du 'Liber Pontificalis' et confirme, en les précisant, ceux des papes Innocent Ier et Léon le Grand, il y a lieu de nous y tenir."¹¹

His rationibus respondit BATIFFOL: "M. Vacandard me permettra-t-il . . . de demander comment le régime dont il parle a pu être en vigueur à Constantinople au IIIe siècle, Constantinople ayant été fondée par Constantin? Je n'insisterais pas

¹¹ Ibid., col. 842-844.

sur ce 'lapsus' bien véniel, mais je n'attribuerai pas ce même 'lapsus' à l'historien Socrates. Celui-ci, en effet, rapporte que 'au temps où les Novatiens se séparèrent de l'Eglise, les évêques ajoutèrent au canon (ou hiérarchie) ecclésiastique un prêtre chargé de la pénitence, afin que les fidèles fissent sous la direction de ce prêtre l'exomologèse de leurs fautes.' De quels évêques parle Socrates? Evidemment pas des évêques de Constantinople contemporains de la persécution de Déce. *Socrates doit donc penser aux évêques des grandes églises du IIIe siècle.* Et voilà un témoignage important pour reporter l'origine des prêtres pénitenciers au IIIe siècle. . .

"Mais, objecte M. Vacandard, Sozomène 'ne soupçonne pas l'existence des prêtres pénitenciers à Rome au Ve siècle'. — Evidemment, dans la description qu'il fait de la pénitence publique à Rome, Sozomène ne mentionne pas l'intervention d'un prêtre pénitencier. Il dit même que le pénitent fait pénitence 'dans la mesure que lui a prescrite l'évêque'. Mais c'est le même Sozomène qui, après avoir dit que Nectaire à Constantinople supprima le prêtre pénitencier, ajoute aussitôt: 'Les évêques presque partout suivirent cet exemple'. Si à la suite de Nectaire, les évêques presque partout supprimèrent l'office du prêtre pénitencier, le prêtre pénitencier avait donc existé 'presque partout', il subsistait donc encore çà et là, et ce n'est pas la phraséologie molle de Sozomène qui prouvera, contre les formels témoignages du 'Liber Pontificalis' que, particulièrement à Rome, on l'avait supprimé pour imiter l'exemple donné par Constantinople. M. Vacandard objecte encore que des papes comme saint Innocent Ier attribuent à l'évêque le soin de juger de la culpabilité du pécheur et de mesurer la pénitence à la faute. — Assurément, c'est cela même qu'écrivit le pape Innocent Ier à l'évêque de Gubbio. Assurément aussi, l'évêque de Gubbio, et aussi bien l'évêque d'Hippone (on le sait admirablement), pouvaient suffire à ce ministère pénitenciel, à Gubbio, à Hippone. Autant en dira-t-on des évêques du Samnium et de Campanie à qui écrivit le pape saint Léon. Mais l'évêque pourra-t-il suffire à confesser tous les criminels et tous les scrupuleux de son troupeau, s'il s'agit d'une grande cité comme Alexandrie, Rome, ou Constantinople? . . .

"Si maintenant on veut bien se rappeler la position de la question, — savoir: à quelle époque et où s'est pratiquée d'abord la délégation des simples prêtres au ministère pénitenciel? — on conclura avec nous que le témoignage du 'Liber Pontificalis' garde toute sa valeur, qui atteste l'existence de ce régime à Rome à l'époque du pape Marcel. Et comme le témoignage de Socrates, en ce qui concerne le IIIe siècle, vaut pour d'autres grandes églises que Constantinople, on pensera que l'on se tromperait à croire que ce régime n'a été en vigueur au IIIe et au IVe siècle qu'à Constantinople."⁷²

III. DIACONI.⁷³

Usque ad saec. 8 nullum fere habetur vestigium directae alicujus

⁷² Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 329 sq. 332 sq. 335.

⁷³ *Morinus*, Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae, l. 8, c. 23, Parisii, 1651, p. 588-592.

Chardon, Histoire du sacrement de Pénitence, sect. 2, chap. 7, in Migne, Theol. Cursus, t. 20, col. 415-417.

Fr. Frank, Die Bussdisziplin der Kirche von der Apostelzeiten bis zum VII Jahrhundert, Mainz, 1867, p. 243-257.

H. Ch. Lea, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, v. 1, Philadelphia, 1896, p. 10 sq., 56-59.

P. Laurain, De l'intervention des laïques. des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence, Paris, 1907, p. 68-114.

M. J. O'Donnell, Penance in the Early Church, Dublin, 1907, p. 108-110.

E. Vacandard, Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910,

participationis diaconi in ministerio Poenitentiae, praeter mox citandos textus Cypriani et Conc. Illiberitani. Aliquam praelaturam eis concedit *Polycarpus* ("Oportet . . . subici . . . presbyteris et diaconis tanquam deo et Christo", Ep. ad Phil. cit. in p. 626), qui tamen solis presbyteris tribuit iudicium in poenitentes (cf. *ibid.*). Similiter *Clemens Rom.* dum tribuit levitis seu diaconis "sua ministeria", loquitur de solis presbyteris dantibus "correctionem in poenitentiam" (cf. in p. 625 sq.). *Pseudo-Clemens Rom.* in sua Epistola ad Iacobum tribuit diaconis officium aliquod exterioris vigilantiae in abusus et peccata, quod non proprie pertinet ad sacramentalem poenitentiam sed ad exteriorem correptionem et disciplinam Ecclesiae ("Diaconi tanquam oculi sint episcopi, circumlustrantes actus totius Ecclesiae, et perscrutantes diligentius si quem videant vicinum fieri praecipitio et proximum esse peccato", cf. supra, in p. 625). *Testamentum D.N.J.C.* (post annum 400) loquitur de catechumenis cum proponit diaconos catechizantes eos qui poenitentiam agunt: "Diaconus catechizet poenitentiam agentes, ducatque ad presbyteros vel ad episcopum, ut erudiantur et cognitione imbuantur" (ed. Rahmani, 37, p. 91). *Hieronymus* acriter carpit eos qui diaconos aequabant presbyteris, dicens presbyteros nihil fere distare ab episcopis, diaconum vero vocans "mensarum et viduarum ministrum" (cf. supra, p. 633).

Ceterum, cum diaconi partes haberent in disciplina fori externi, "tanquam oculi episcopi", ut ait *Pseudo-Clemens*, cumque forum externum et forum internum mox coeperint aliquatenus commisceri ratione organizationis publicae poenitentiae, salvis tamen essentialibus iuribus ipsius sacramenti ac sacramentalis sigilli (ut constat ex dictis in art. 42-45), verisimile est diaconos aliquam directam participationem habuisse in ipso instituto publicae poenitentiae, salva sacerdotali reservatione ipsius sacramenti quoad ejus partes essentielles, seu confessionem et absolutionem.

De facto Cyprianus in suis epistolis quater saltem (bis in Ep. 9, 2, semel in Ep. 10, 1, supra cit. in p. 627, et Ep. 11, 2) loquitur de impositione manuum in reconciliationem et poenitentiam, facta ad

p. 63-65. 111 sq.; in Dict. Théol., Cath., art. Absolution des péchés au temps des Pères, col. 154-156; *ibid.*, art. Confession du I au XIII siècle, col. 846-876 sq.; in Revue du Clergé Français, art. La confession dans l'Eglise latine depuis le V jusqu'au XII siècle, t. 44 (1905), p. 342-344.

P. Bernard, in Dict. Théol. Cath., art. Confession (Du Concile de Latran au Concile de Trente), col. 898 sq.

G. Gromer, Die Leibenbeicht im Mittelalter, München, 1909; Zur Geschichte der Diakonenbeicht im Mittelalter: Festgabe Alois Knöpfler gewidmet, Freiburg, 1917, p. 159 sqq.

A. D'Alès, De Paenitentia, thes. 11, Parisiis, 1926, p. 110-112.

P. Galtier, De Paenitentia, thes. 14, n. 262; thes. 37, n. 513-515, Parisiis, 1931, p. 188. 393-396.

modum unius “*ab episcopo et clero*”, quae generalis vox non necessario est, in hoc casu, restringenda ad presbyteros sed potest includere etiam ministros, saltem diaconos.⁷⁴

Hinc non tantam admirationem suscitare debent verba Cypriani et Conc. Illiberitani, de “*facientibus exomologesim*” apud diaconum vel suscipientibus “*manuum impositionem*” aut “*communionem*” seu reconciliationem a diacono, etsi mira quidem appareant tum in sua cruda expressione tum in sua singularitate.

Cyprianus, Epist. 12, 1 (circa a. 260): “Cyprianus presbyteris et diaconibus fratribus salutem. . . Quoniam . . . video facultatem veniendi ad vos nondum esse et jam aetatem coepisse, quod tempus infirmitatibus assiduis et gravibus infestatur, occurrendum puto fratribus nostris ut qui libellos a martyribus acceperunt, et prerogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo et infirmitatis periculo occupati fuerint, non exspectata praesentia nostra apud presbyterum quemcunque praesentem, *vel, si presbyter repertus non fuerit, ut urgere exitus coeperit, apud diaconum quoque exomologesim facere delicti sui possint, ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace* quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt” (M.L. 4, 265).

Conc. Illiberitanum (Elvirae in Hispania), circa a. 300, can. 32: “Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud episcopum; cogente tamen infirmitate necesse est presbyterem communionem praestare debere, et diaconem si ei iusserit sacerdos” (Mansi, 2, 12).

Ad idem diaconorum ministerium fortasse alludit *Conc. Tolentanum I*, a. 400, can. 2, cum loquitur transeunter de manuum impositione per diaconos: “Si qui autem [poenitentes] ante ordinati sint diaconi, inter subdiaconos habeantur; ita ut manum non imponant, aut sacra contingant” (Mansi, 3, 997). Alia lectio habet: “Si qui autem ante ordinati sunt subdiaconi inter subdiaconos habeantur etc.”, quae sensum non mutat quod attinet allusionem ad potestatem diaconi imponentis manum.

Circa initium *saec. 8* incipiunt, et usque ad *saec. 13*, progressive multiplicantur, documenta, tum apud privatas Collectiones canonum (Poenientialia) tum etiam in decisionibus particularium conciliorum,

⁷⁴ *Galtier*: “In reconciliatione solemnī, manus impositio fiebat peccatori non tantum ab episcopo, sed etiam a clero (epist. XVI, 2 [Migne 9, 21]); qua voce intelleguntur saec, non tantum presbyteri, sed etiam saltem diaconi” (De Paenitentia, Parisiis, 1931, p. 394, in nota). *Watkins*: “In his epistles . . . Cyprian four times mentions the laying on of hands as being by the ‘bishops and clergy’, where ‘clergy’ may mean only presbyters or may include deacons” (A History of Penance, v. 1, London, 1920, p. 196).

in quibus conceditur diaconis, pro casu tamen necessitatis et absentiae sacerdotis, determinata facultas sive dandi poenitentias seu satisfactionem, sive admittendi ad communionem, sive audiendi confessionem.⁷⁵ In hujus praxis originem valde probabiliter influxum habuerunt supradictae dispositiones Cypriani et Conc. Illiberitani; mirabile tamen est quod exorta fuerit post tria saecula a Conc. Illiberitano vel quod toto hoc tempore ejus documenta prorsus desiderentur.

Poenitentiale Romanum,⁷⁶ circa finem saec. 7 vel initium saec. 8: "Sicut . . . sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni coelorum traditae sunt, sic nec judicia ista [de peccatis poenitentium] alii [clerici] usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit praesens, suscipiat diaconus poenitentem ad *satisfactionem* vel *sanctam communionem*."⁷⁷

Poenitentiale Theodori Cantuariensis († 690), anglicae originis, independens a Poenitentiali S. Columbani et fons plurium recentiorum Poenitentialium ac collectionum canonum, cap. 31: "Sicut enim sacrificium offerre non debent, nisi episcopi, vel presbyteri, quibus claves regni caelestis traditae sunt, sic nec poenitentium judicia alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, ut presbyter non fuerit praesens, diaconus suscipiat poenitentem ad *communionem sanctam*" (M.L. 99, 946).

Conc. Triburiense a. 895, can. 31: "Fures et latrones, si in furando et praedando occiduntur, visum est pro eis non orandum. Si comprehensi aut vulnerati presbytero vel diacono *confessi* fuerint, communionem non eis negamus". His verbis hunc canonem referunt et assumunt *Regino Prumiensis* († 915), *Burchardus* († 1025), *Ivo Carnotensis* († 1116), *Gratianus* († 1158; cf. in M.L. 187, 952), *Conc. Turonense* a. 1163, *Appendix ad Conc. Later. III* (a. 1179) et *Decretalia Gregorii IX* (l. 5, t. 18, c. 2; circa a. 1235).⁷⁸

⁷⁵ Plura ex his documentis refert *Laurain*, op. cit., p. 78 sqq.

⁷⁶ Vel potius *Pseudo-Romanum*, ut illud vocat *Wasserschleben* (Die Bussordnungen der abendländischen Kirche, Halle, 1851, p. 360), utpote probabiliter originis celticae vel saltem dependens a Poenitentiali S. Columbani, non vero originis Romanae ut putat *Schmitz* (Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche, v. 1, Mainz, 1883; v. 2, Düsseldorf, 1898).

⁷⁷ *Wasserschleben*, ibid.

⁷⁸ In editione vero *Mansi* (18A, 148) et *Harduin* (4, 449) ille canon sic refertur, absque *sulla diaconi mentione*: "Si autem ille fur vel latro vulneratus elabatur, et expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliari se mysteriis sacrosanctis, habitu corporis et voluntate piae mentis deprecatur, Deoque et sacerdoti, comite vita, emendationem morum et actuum confitetur: communionis gratiam non negamus tribuendam." Observat *Laurain* (De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence, Paris, 1897, p. 85 sq.): "A première vue, la phrase *Deo et sacerdoti* paraît singulière. L'expression *Confiteri Deo*, mise en parallèle avec la confession au prêtre, constitue une exception au langage théologique habituel, une

Regino Prumiensis abbas († 915), *De eccles. discipl.*, lib. 1, can. 295 sq., repetit ad verbum cap. 31 *Poenitentialis Theodori*.

Lanfrancus, archiep. Cantuariensis († 1089), in libro *De celandia confessione*, extendit ad omnes clericos (nominat subdiaconos, acolytos, exorcistas, lectores, ostiarios) confessionem de occultis peccatis, reservans solis sacerdotibus confessionem de publicis peccatis (cf. infra, p. 700 sq.).

Stephanus de Balgiaco, episc. augustodunensis († 1136), *Tract. de sacramento altaris*, c. 7: "In quibusdam habent [diaconi] vicem sacerdotis, ut in ministerio baptizandi, communicandi, *delicta confitentium misericorditer suscipiendi*" (M.L. 172, 1279).

Conc. Eboracense (York) a. 1195, can. 4: "Decrevimus ut nonnisi summa et gravi necessitate diaconus baptizet . . . vel *poenitentiam confitenti imponat*" (Mansi, 22, 653).

Constitutio synodalis S. Odonis parisiensis (a. 1197), can. 56: "Item prohibetur districte ne diaconi ullo modo *audiant confessiones*, nisi in arctissima necessitate; claves enim non habent *nec possunt absolvere*" (Mansi, 22, 676).

Conc. Rotomagense a. 1231, can. 34: "Nullus diaconus Eucharistiam det infirmis vel *confessiones audiat* vel baptizet, nisi cum sacerdos absens fuerit, ita quod ejus adventum commode expectari non possit, vel idem presbyter gravi infirmitate vel alio inevitabili impedimento fuerit impeditus" (Mansi, 23, 218).

Constitutiones synodales Edmundi Cantuariensis (a. 1236), can. 12: "De baptisate et poenitentia praecipimus, quod diaconi *poenitentias dare* et baptizare non praesumant, nisi in iis casibus: cum sacerdos non potest vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, et mors imminet puero vel aegroto" (Mansi, 23, 420).

Constitutiones synodales Nicolai Gélant, episc. Audegavensis (a. 1273), cap. 1, sequentem abusum reprehendunt: "Cum quis rei ad se non pertinenti non debeat se immiscere, nec ea in quibus non habet potestatem ausu temerario usurpare, et quibusdam locis nostrae Dioecesis comperimus nonnullos Rectores secum Diaconos habentes, qui sine necessitate articulo *confessiones audiunt et absolunt indifferenter*, corpusque Dominicum infirmis deferunt et ministrant, quae facere non possunt, nisi in necessitatis articulo: haec fieri inhibemus de caetero in virtute obedientiae et suspensionis, tam Rectoribus quam

formule peut-être unique. On est donc porté à se demander si le texte de Mansi et de Harduin est bien pure.—Or, Regino, contemporain du Concile de Tribur, Burchard, et Ives de Chartres, cite le canon 31 de Tribur, mais sous la forme suivante [Ut supra in textu]. . . Tous les documents du x, du xi, du xii et du xiii siècles reproduisent unanimement la même formule. Il est évident que leur autorité est supérieure à celle des compilateurs du xvii siècle. La leçon *Deoque et sacerdoti* de Mansi et d'Harduin doit donc être rejetée comme une interpolation".

Capellanis ecclesiis deservientibus, et etiam Diaconis nisi articulo necessitatis urgente" (apud d'Achery, Spicilegium, 1, 731).

Conc. Pictaviense a. 1280, can. 5: "Abusum erroneum, qui in nostra dioecesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes, inhibemus ne diaconi *confessiones audiant* et ne in foro poenitentiali *absolvant*; cum certum et indubitatum sit *ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur*; et contrarium facientes, post monitionem quam super hoc in generali facimus, excommunicationis sententia innodamus" (Mansi, 24, 383). In hoc canone videtur simpliciter prohiberi diaconis tale ministerium; saltem nulla fit mentio concessionis pro casu necessitatis. Ceterum, posteriori tempore nullum amplius habetur illius praxis documentum, ita ut dici possit extincta *saec. 14*.

Ipsi theologi *saec. 12-13* generatim non occupantur directe de diaconis, sed potius extendunt facultatem audiendi confessionem ad omnes non sacerdotes, explicite ad ipsos laicos, eam facultatem vario modo interpretantes, ut infra dicitur (p. 703 sqq.). *Petrus Lombardus* et *S. Thomas* silent de diaconis, loquentes directe de laicis; quidam, ut *Raymundus de Penafort* et *Bonaventura*, mentionem faciunt clerici in genere, dicentes quod in absentia sacerdotis confessio fieri potest clerico vel laico; tamen *Anonymus Sententiarum Divinitatis* nominat diaconum, dicens quod in absentia sacerdotis confessio facienda est diacono et, in absentia diaconi, laico (cf. infra, p. 704).

Guilelmus Alverniensis († 1249), videtur quamdam proponere mediam sententiam juxta quam, in casu necessitatis seu ignorantiae ac rusticitatis sacerdotis, sacramentum administrari possit simul a diacono, audiente confessione, et a sacerdote, addente absolutionem: "Dicimus etiam quia potest dividi confessio, ita ut alius audiat ad consilium et iniungendam poenitentiam salutarem, alius autem benedictionem sacerdotaletm et absolutionem ferat super poenitentem. Hoc autem ibi licitum est, ubi sacerdos simplex et sacrarum litterarum ignarus. . . Si forte illiteratus sacerdos . . . fuerit, etiam totum interpreti potest committere, *si saltem sit diaconus*, reservata tamen sibi benedictione et absolutione".⁷⁰

EX HIS DOCUMENTIS CONSTANT SEQUENTIA:

1. Ea praxis nequit vocari praxis Ecclesiae sed potius, ut apte ait *D'Alès*,⁸⁰ "praeter morem Ecclesiae". Nam in prioribus saeculis (2-7) nullum fere habetur illius documentum praeter Cypriani et

⁷⁰ De sacramento poenitentiae, c. 2, Opera, Parisiis, 1674, p. 456.

⁸⁰ De Poenitentia, thes. 11, Parisiis, 1926, p. 141.

Conc. Illiberitani; in posterioribus vero (8–13) ea praxis, si praxis fuit,⁸¹ est circumscripta fere uni parti Occidentalis Ecclesiae (in Orientali nullum habetur vestigium, ut agnoscit Morinus), seu intra anglicam et gallicam regiones, nec ullum habetur ejus vestigium in documentis universalis Ecclesiae aut oecumenicorum Conciliorum, quinimmo Conc. Lateranense (a. 1215), ejusdem aetatis ac Conc. Eboracense (1195), Constit. Odonis Parisiensis (1197), Conc. Londinense (1200), Conc. Rotomagense (1231), Const. Edmundi Cantuariensis (1236), Constit. Walteri de Kirkham (1255), Constit. Nicolai Gelant (1273), iniungens universalem obligationem annuae confessionis, absque ulla restrictione, aut diaconi mentione, edicit confitendum esse proprio sacerdoti (Denz. 437). Praeterea, ea praxis circumscripta est paucis ac obscurioribus saeculis et circa finem saec. 13 extincta est tum connaturaliter tum sub influxu decisionis lateranensis.

2. Praecipua documenta mediaevalis illius praxis sunt *Poenitentiale Theodori Cantuariensis* († 690) et *Conc. Triburiense* a. 895, a quibus pendent omnes collectiones canonum saec. 10–12 (Lanfrancus, Regino, Halitgarus, Burchardus, Ivo Carnotensis, Gratianus) et omnia Statuta Conciliaria saec. 12–13 (a Conc. Eboracensi a. 1195 ad Conc. Andegavense sub Nicolao Gelant a. 1273). Ceterum, valde verisimile est priora illa documenta pendere ab antiquiori fonte, tum quia particularis character *Poenentialis Theodori* nequit explicare generalem acceptationem illius dispositionis, tum quia *Poenitentiale Pseudo-Romanum*, probabiliter independens a *Poenentiali Theodori*, eandem dispositionem fert, tum quia manifestus parallelismus habetur inter utriusque *Poenentialis* dispositionem ex una parte et *Cypriani* atque *Concilii Illiberitani* decisionem ex alia parte. Unde in his duobus documentis agnoscitur potest remota ac explicita origo hujus praxis.

3. Facultas, diaconis concessa in ministerio Poenitentiae, assimilatur concessioni administrandi Baptismum et Communionem Eucharisticam.

4. Ratio, quae pro tali facultate assignatur, est necessitas poenitentiae aut confessionis ex parte poenitentis.

5. Casus, in quibus facultas conceditur, est copulata circumstantia periculi mortis seu extremae necessitatis et absentiae (physicae vel moralis) ipsius sacerdotis.

⁸¹ Nam, ut observat Galtier, "insertio canonum antiquorum in collectionibus canonicis hujus aetatis non probat tunc viguisse praxim quam testantur" (De poenitentia, Parisiis, 1931, p. 396).

6. Concessa facultas vario modo exprimitur: accipere exomologesim (Cyprianus), manus imponere (Cyprianus), dare communionem (eucharisticam, vel ecclesiasticam?) (Conc. Illiberitanum, Poenitentiale Romanum, Theodorus Cant., Regino), imponere satisfactionem (Poenitentiale Romanum, Conc. Eboracense, Edmundus Cant.), audire confessionem (Conc. Triburiense [quod exscribunt Regino, Burcardus, Ivo Carn., Gratianus et Gregorii IX Decretalia], Lanfrancus, Stephanus de Balgiaco, Odo Parisiensis, Conc. Rotomagense, Nicolaus Gélant). Ipsa vero concessio *absolvendi* fere desideratur; de facto explicite non fit nisi in sola Constit. synodali *Nicolai Gélant* (nisi et haec intelligatur in sensu distributivo, seu in sensu concessivo quoad solam confessionem et in sensu simpliciter reprobativo quoad ipsam absolutionem); explicite vero absolutio apud diaconos, una cum confessione, reprobatur ut abusus a Conc. Pictaviensi. Ceterum verisimile est ipsam confessionis concessionem induxisse apud plures abusum concessionis ipsius absolutionis, cum confessio sacramentalis ordinetur ad absolutionem.⁸²

7. Plura documenta explicite dicunt (quod ceterum alia, ab illis dependentia vel eis coaeva, supponunt), ipsam absolutionem seu sacramentale iudicium non esse a diaconis exercendum, et assignant rationem quia soli sacerdotes habent potestatem clavium, eo modo quo ipsi soli habent potestatem offerendi sacrificium eucharisticum (Poenitentiale Romanum, Theodorus Cant., Lanfrancus, Odo Parisiensis). Qua innixus ratione, Concilium tandem Pictaviense a. 1280 prohibet simpliciter participationem diaconorum in ministerio poenitentiali, "cum *certum et indubitatum sit* ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quae in solo sacerdotali ordine conferuntur".

AD THEOLOGICAM INTERPRETATIONEM illius praxis ac documentorum quod attinet, sequentes afferuntur explicationes:

PRIMA EXPLICATIO. Ea testimonia sunt novum argumentum

⁸²Ad rem *Laurain*: "Plusieurs autres textes [praeter Constit. Nicolai Gélant] des conciles français et anglais du xiii siècle ne sont pas clairs: à les entendre suivant la rigueur des termes, ils ne désignent que le droit pour les diacres de recevoir l'aveu. . . Mais il semble assez naturel d'admettre, surtout quand on les compare avec le texte contemporain de Nicolas Gélant, que quelques-uns au moins d'entre eux doivent recevoir une interprétation plus étendue. Selon toute probabilité, l'absolution a dû être donnée assez souvent par les diacres de cette époque et je ne crois pas être en dehors de la vérité en disant que pour un certain nombre au moins des évêques qui siégèrent à ces conciles ou signèrent ces ordonnances, ces confessions permises aux diacres dans les cas de nécessité devaient avoir pour complément ordinaire l'absolution donné aussi par eux. Mais ce sont là des pratiques et des croyances isolées: elles n'ont que peu d'importance. C'était un abus qui devenait assez facile à commettre dès lors que les diacres recevaient le droit d'entendre les confessions: ce qu'ils ont eu, en effet" (De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence, Paris, 1897, p. 104).

quod initio Ecclesiae reconciliatio lapsorum erat mere disciplinaris et in foro externo, nec vera clavium potestas fuit agnita nisi multo serius per lentam evolutionem, quando praecise ipsa administratio Poenitentiae fuit reservata sacerdotibus, ad exclusionem diaconorum.

Ita quidam *Protestantes*, signanter *H. Ch. Lea*, qui scribit: "When Cyprian allowed, in case of necessity, the ceremony of reconciliation by the imposition of hands to be performed by deacons, in order that the penitent might go to God with the peace of the church, it shows clearly that no sacramental exercise of the power of the keys was involved, for this has never been conferred on the diaconate, of which the functions are ministerial and not sacerdotal, and the proceedings of several Spanish councils of the fourth century prove that diaconal reconciliation was not confined to the African Church. . . Early in the fourth century the council of Elvira requires that bishops alone, to the exclusion of priests, shall grant penance, but in case of necessity in sickness priests can admit to communion and even deacons by command of priests. This long continued to be the rule of the Church. Up to the eleventh century the Carthaginian canon continued to be embodied in the collections, either textually or in spirit, and in the absence of the bishop or priest, a deacon could officiate. As reconciliation gradually developed into the absolution the irregularity of this exercise of the power of the keys by those not in priest's order became recognized and efforts were made to restrict the practice — *efforts which only betrayed the consciousness of the incompatibility of the ancient system of the Church with the new theology*, while yet making the fatal admission that extreme necessity would justify the administration of the sacraments by deacons. . . The canons of various councils to the end of the thirteenth century continue to admit that in case of necessity deacons can grant valid absolution, although sometimes the good fathers seek to hedge by adding the incompatible proposition that deacons have not the power of the keys. Gradually, however, the practice became forbidden. . . This apparently remains the law of the Church, and is a striking illustration of the change wrought by the elaboration of the sacramental theory."⁸³

Attamen, haec Lea explicatio est mera voluntaria confirmatio ejus praejudicii de non agnita a primitiva Ecclesia clavium potestate. Cyprianum hanc potestatem agnovisse ostendimus in art. 1 (tom. 1, p. 113 sq.), nec aliter potuit sentire Conc. Illiberitanum contra sensum

⁸³ A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, vol. 1. Philadelphia, 1896, p. 10 sq. 56-59.

totius Traditionis; a fortiori idem sentierunt omnes posteriores auctoritates, ut constat vel ex ipsis indirectis testimoniis supra recitatis. Ex concessa igitur diaconis quadam facultate reconciliandi lapsos non necessario sequitur Cyprianum aut Conc. Illiberitanum aut posteriores doctores putasse reconciliationem ecclesiasticam fuisse solius fori externi, nam mens illorum in concedenda ea facultate potest, et de facto debet (attenta eorum fide in potestatem clavium), dupliciter explicari, aut nempe dicendo quod ipsi erraverint putantes se posse concedere diacono sacramentalem ipsam potestatem, aut quod non intenderint diaconis concedere sacramentalem potestatem sed aliquod aliud ministerium extrasacramentale. Et ad has quidem binas explicationes reducuntur omnia solutionis tentamina, a doctoribus catholicis allata.

SECUNDA EXPLICATIO. In praefatis testimoniis conceditur diaconis vera vel aequivalens potestas sacramentalis, idque factum est ex illorum doctorum privato errore de proprio ministro sacramenti Poenitentiae, qui ceterum error nullatenus obest continuitati Traditionis et universalitati doctrinae ipsius Ecclesiae. Error autem potuit esse triplex, quod nempe crederetur posse diaconis concedi ius vel imponendi sacramentalem satisfactionem, vel suscipiendi sacramentalem confessionem, vel etiam ac praecipue, conferendi ipsam sacramentalem absolutionem, et quidem aut directe aut tanquam per internuntium sacerdotis.

Hanc explicationem primo ac decisive protulit *Morinus*, qui tamen videtur loqui de aequivalenti quadam potestate sacramentali diaconis, juxta mentem antiquorum, collata. Eandem, saltem ut probabilem, proponunt (praecipue in casu Cypriani) quidam inter modernos illos eruditos qui tenent finalem reconciliationem publicae poenitentiae fuisse sacramentalem (praecise quia concessio, a Cypriano facta, videtur contradicere huic opinioni), signanter *Vacandard*, *Galtier* et *O'Donnell*.⁸⁴

MORINUS: "Lego. . . Latinorum Patrum nonnullos sententiam istam [Conc. Trid.: Solos sacerdotes esse ministros Poenitentiae] non ita presse et stricte intellexisse, quin opinarentur urgente necessitate, et absente Episcopo et Presbytero absolvendi ministerium in Diaconos quodammodo tum esse diffundendum. Monent enim eorum multi in data hypothesi vicem Episcoporum et Presbyterorum Diaconos quadantenus implere posse. Non equidem existimo mentem ipsis fuisse praxi sua docere clavium potestatem ad Diaconos ullomodo pertinuisse. Ex plerisque enim eorum dictis, illismet quibus haec praxis adstruitur, oppositum colligitur. Quamquam sic omnes censerent, nonnulli tamen crediderunt tantam esse Sacerdotalis Absolutionis virtutem, et ad salutem a Deo consequendam necessitatem, ut absentibus Episcopo et Presbyteris, et urgente mortis periculo, ea esset a Diaconis extra ordinem imploranda, eorumque tum ministerio eandem gratiam misericorditer a Deo, morienti divinitus infundi. Propter parem et baptismi et Absolutionis in

⁸⁴Penance in the Early Church, Dublin, 1907, p. 108-110.

adultis necessitatem pari fere modo de utroque philosophati videntur; praesertim si posteriores consideres, qui praxim hanc etiam ad Laicos extenderunt, ad quos multo magis constat potestatem clavium non pertinere."⁸⁵

VACANDARD: "Les prêtres sont revêtus du caractère sacerdotal; les diacres ne le sont pas. On s'est demandé cependant si ces derniers n'avaient pas quelquefois exercé le ministère de la confession dans la primitive Eglise. Et il se trouve quelques textes, notamment une lettre de saint Cyprien, qui semble autoriser les historiens à répondre par l'affirmative. A l'occasion de la persécution de Dèce, certains chrétiens qui avaient failli, *lapsi*, obtiennent des confesseurs martyrs des lettres de réconciliation avec l'Eglise. Ces lettres n'étaient valables qu'avec l'agrément de l'évêque. Saint Cyprien règle les conditions auxquelles elles sortiront leur effet. L'évêque réconciliera les coupables avec l'Eglise; toutefois, en cas de danger de mort, un simple prêtre, à défaut de l'évêque, ou même un diacre à défaut de prêtre, pourra recevoir l'exomologèse de leur faute et leur imposer les mains, afin qu'ils puissent aller vers le Seigneur avec la paix que les martyrs ont désirée pour eux. Un canon du concile d'Elvire, des environs de l'an 300, contient une décision analogue. Il exige qu'un homme coupable de péché grave demande la pénitence à l'évêque, *non apud presbyterum, sed potius apud episcopum*, mais il accorde en cas d'infirmité grave que le prêtre ou même, à son défaut, un diacre, muni de l'autorisation épiscopale, *si ei jusserit sacerdos*, donne au pécheur repentant la communion.

"Cette communion formerait l'équivalent de la réconciliation avec l'Eglise. Et le diacre serait ainsi le ministre de l'Eucharistie, mais non le ministre de la pénitence. L'exégèse qui suffirait à expliquer le canon d'Elvire ne saurait s'appliquer avec la même force au texte de saint Cyprien. Celui-ci dit clairement que le diacre recevra l'exomologèse du failli. Et donc, à certains égards, le diacre serait le ministre de la pénitence. Aussi bien, ce diacre est mis, d'après le contexte, sur un pied d'égalité avec le *presbyter*; leur office est donc le même; si le prêtre est, dans ce cas présent, ministre de la confession, pareillement le diacre doit l'être. Cette conclusion semble si bien s'imposer que Morin n'a pas hésité à la soutenir dans son *Commentaire historique sur la discipline* que suivit l'Eglise dans l'administration du sacrement de pénitence. Il est vrai qu'elle met l'évêque de Carthage en mauvaise posture au point de vue doctrinal. Mais nous n'avons pas à défendre ici l'orthodoxie de saint Cyprien. Nous prenons son texte pour ce qu'il vaut. Il ne faut pas, du reste, oublier que plus tard, à une époque où les attributions des divers membres de la hiérarchie cléricale étaient mieux définies, les diacres furent encore autorisés à entendre les confessions ou même à distribuer des absolutions. . .

"En Occident, on voit pendant de longs siècles les diacres entendre les confessions, à défaut de l'évêque ou du prêtre. Cet usage a sans doute pour fondement les textes du Concile d'Elvire et de saint Cyprien que nous avons cités. Les théologiens et les conciles du haut moyen âge le justifient par leurs décisions. Plusieurs toutefois font observer que les diacres n'ont pas le pouvoir d'absoudre. Ce n'est pas le sentiment de tous les docteurs. Albert le Grand regarde l'absolution des diacres comme sacramentelle. Il va même plus loin, il étend à l'absolution des simples laïques le caractère d'un sacrement. Les théoriciens du dogme avaient été amenés à cette conclusion par l'auteur de *De vera et falsa poenitentia* qui contraignait les fidèles à se confesser aux laïques en cas de nécessité. On ne concevait pas qu'une confession obligatoire ne fût pas sacramentelle. Mais lorsqu'on eut mieux compris que le pouvoir d'absoudre avait été confié par le Christ uniquement aux apôtres et à leurs successeurs, on restreignit le ministère de la confession aux seuls membres de la hiérarchie revêtus du caractère sacerdotal, et la confession aux diacres ou même aux laïques finit par tomber en désuétude."⁸⁶

⁸⁵ *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae*, I. 8, c. 23, Parisiis, 1651, p. 588 (cf. c. 24).

⁸⁶ *Etudes de critique et d'histoire religieuse*, deuxième série, Paris, 1910, p. 63-65. 111 sq.

Tamen alibi Vacandard visus est hanc interpretationem respuere, scribens: "Cette interprétation est généralement considérée comme inexacte. . . Pour comprendre le décret du saint docteur, nous avons à choisir entre deux hypothèses: ou bien la réconciliation finale comprenait, tout à la fois, une absolution au for intérieur et une absolution au for extérieur; ou bien elle consistait, au moins ordinairement, dans une simple réadmission des pénitents à la communion de l'Eglise et à la communion eucharistique. Dans le premier cas, la réconciliation opérée par ce diacre aurait été incomplète et n'aurait compris que l'absolution au for extérieur; dans le second, elle aurait été totale, et aurait eu la même vertu que celle du prêtre ou même de l'évêque. Mais puisque dans ce second cas il y avait simple admission à la communion, jamais il n'en faudrait conclure que les diacres aient exercé proprement le pouvoir d'absoudre."⁸⁷

GALTIER: "Dicat. . . [Cyprianum] putasse vel diaconum inesse de jure aut posse delegari potestatem peccatorem in casu necessitatis solvendi, vel per eumdem tanquam per intermedium posse ab episcopo aut presbytero absolutionem peccatori conferri: quorum prius, ut jamdiu patet, fuerit error, posterius autem non miretur nisi qui nesciat eandem fuisse, ut videtur, mentem presbyteri senem Serapionem per puerum absolventis et opinionem de valore absolutionis per intermedium non fuisse in Ecclesia prohibitam nisi post Concilium Tridentinum (D-B. 1088; C. 1230). Illegitime vero supponat quis S. Cyprianum de natura et modo ministrandi sacramenti id jam quoad omnia tenuisse quod paulatim tantum in Ecclesia determinatum est. . .

"Malit forte quis suggerere opinionem S. Cypriano et aliis fuisse ut in casu necessitatis, deficiente sacerdote, concederetur per diaconum aut alium quemlibet aliquis reconciliatio quae, etsi non proprie sacramentalis, tamen nonnullum valorem subjectivum haberet seu sacramentalis improprie esset, ad eum fere modum quo confessio apud laicum facta dicebatur a *S. Thoma* sacramentalis (in IV, dist. 17, q. 3, a. 3, sol. 2, ad 1^m). Quod supponit quidem notionem praecisionis aetati et menti S. Cypriani valde alienas; at, si supponitur verum, sicut in confessione etiam apud laicum facta apparebat quanta agnosceretur illius esse necessitas, ita ex reconciliatioe etiam a diacono quaesita appareat quantopere censeretur conferre ad remissionem peccati."⁸⁸

Alibi tamen has affirmationes emollit et partialiter contradicit (ut jam notavimus in art. 45, tom. 2, p. 947 sq.), scribens: "Facta quidem illa [Cypriani et Conc. Illiberitani] non ita intelligenda sunt quasi quod praescribitur fieri apud diaconum non sit nisi reconciliatio canonica cum Ecclesia, siquidem diaconus censetur idem facturus quod faceret presbyter, si adesset; exomologesis vero et impositio manuum, de qua loquitur S. Cyprianus, sacramentalis est: hoc enim constat tum ex aliunde dictis de illa manuum impositione, tum ex eo quod ibidem dicitur non praemissam fuisse aliam exomologesim aut absolutionem, sed meram libellorum pacis a confessoribus largitionem.

"Sed non deest alia explicatio. *Dicere v.g. possis* S. Cyprianum putasse diaconum posse, in casu necessitatis, partes episcopi et sacerdotis agere in excipienda exomologesi et danda pace. In quo, materialiter sane errasset, at non formaliter, non nondum ei constaret in quo praecise et praesertim vis sit et virtus sacramenti. Qui putabat summam rei in hoc esse quod per Ecclesiam fieret reconciliatio, ita ut remissio peccati non esset praeter eam, is sane cogitare poterat Ecclesiam, in casu necessitatis, posse peccatorem sibi, ideoque cum Deo, per diaconum reconciliare. *Dicere etiam forte possis* diaconum in hoc casu egisse internuntium, per quem sacerdos ipse absentem absolveret. Qui modus agendi, etsi nunc, ut jam dictum est, illicitus et invalidus ab Ecclesia declaratus, poterat sane tunc, in casu

⁸⁷ In Dict. Théol. Cath., art. Absolution des péchés au temps des Pères, col. 154-156.

⁸⁸ De Paenitentia, thes. 14, Parisiis, 1931, p. 188 in textu et in nota.

necessitatis, haberi ut sufficiens. Nec aliter egisse presbyterum illum, quem Serapion senex Alexandrinus rogaverat ad se venire; cum morbo detineretur et ipse, misit puerum qui communionem moribundo deferret; qua suscepta, senex moritur laetabundus de concessa sibi communionem seu reconciliationem; nec rem aliter interpretatur S. Dionysius Alexandrinus, qui factum, ut dictum est, ipse narrat (*supra*, n. 261).

“Melius tamen, ut videtur, dicas, in omnibus hujusmodi casibus, rem totam ita actam esse ut et peccator et diaconus a sacerdote delegatus totum id quidem faceret quod sibi, datis circumstantiis, possibile esset, sacramentum vero revera non adfuisse, communionemque proinde eucharisticam concessam esse a ministro Ecclesiae absque sacramentali absolutione, quam circumstantiae faciebant impossibilem. . . Confessione proinde apud diaconos illos factae, jure applices solutionem postea a S. Thoma de confessione laicis datam: ‘Quando necessitas imminet, debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest; qui, quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod ex parte sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen sacerdotis summus sacerdos [id est Christus] supplet’ (In IV, dist. 17, q. 3, a. 3, sol. II, ad 1^m seu Supplem. q. 8, a. 2, ad Im).”⁸⁹

“[Praedicta vero mediaevalis] consuetudo non arguit in iis Ecclesiis, ubi invaluit, agnitam esse diaconis potestatem absolvendi, nam — a) explicite assertur in iis documentis potestatem clavium non eis competere; — b) insertio canonum antiquorum in collectionibus canonicis hujus aetatis non probat tunc viguisse praxim quam testantur; — c) haec facultas facta diacono audiendi confessiones testatur quam censoretur necessaria confessio, non eo ipso probat facultatem eis factam esse dandi absolutionem; imo vero, etsi daretur diacono eam facultatem in casu necessitatis factam esse, res eodem modo explicaretur ac pro S. Cypriano.”⁹⁰

Attamen, quod attinet ad textum Cypriani et Conc. Illiberitani, recursus ad hypothesis erroris circa proprium ministrum absolutionis non est necessarius, cum aliae afferri possint convenientes explicationes (de quibus mox), etiam in ipsa sententia de sacramentali ratione finalis reconciliationis, cui renuimus subscribere in art. 45 (tom. 2, p. 924. 952–958); quod vero attinet ad cetera testimonia mediaevalia, talis recursus videtur praeterea ineptus, nam, ut notavimus supra (p. 653), in pluribus ex illis explicite dicitur (quod in aliis etiam supponitur) diacono non competere potestatem clavium seu facultatem sacramentaliter absolvendi. Unde est quod ipsi Vacandard et Galtier non valde videantur fidere suae explicationi de sententia Cypriani ac valde instabiliter loquantur, ut patet ex relatis eorum verbis.

TERTIA EXPLICATIO. In illis testimoniis agitur non de ipsa reconciliatione, sed de sola concessione *communione eucharisticae*, facienda a diacono.

Attamen, haec explicatio, quam *Binterim*⁹¹ dat de canone Illiberitano,

⁸⁹ Ibid., thes. 37, p. 394 sq., in textu et in nota.

⁹⁰ Ibid., p. 396.

⁹¹ In *Der Katholik*, 2 (1821), p. 432 sq.

si potest forte applicari illi canoni et quibusdam ex citatis textibus mediaevalibus, in quibus ceterum non constat utrum vox "communio" significet communionem eucharisticam an ecclesiasticam (seu reconciliationem cum Ecclesia), non videtur posse applicari verbis Cypriani de "exomolesi facienda" apud diaconum et de "manu in poenitentiam imposita" a diacono, et multo minus documentis mediaevalibus loquentibus de "impositione satisfactionis" et de "confessione" a diaconis ministranda.

*Laurain*² hanc sententiam sequenti ingenioso modo proponit, qui dignus videtur peculiari consideratione, utpote afferens novum aliquid ac syntheticum elementum solutionis.

Quidquid scilicet in praedictis documentis conceditur diaconis, i.e. jus dandi communionem, reconciliandi, imponendi manum, confessionis audiendi, *respiciunt administrationem non ipsius sacramenti Poenitentiae sed Eucharistiae*, quae est intra propriam diaconi potestatem, ut ministri extraordinarii. Per ea omnia nempe concedebatur diacono potestas ut certior fieret de debita dispositione hominis, qui ob sacerdotis absentiam non potuerit suscipere sacramentum Poenitentiae, ut nihilominus posset ei administrari Eucharistia. Ad hanc quidem moralem certitudinem habendam non est per se necesse ut homo praestet confessionem diacono, seu non habenti potestatem absolvendi a peccatis; attamen de facto extitit illo tempore in mente multorum exaggerata conceptio necessitatis confessionis, ita ut putaretur haec quomodolibet facienda esse etiam in casu absentiae sacerdotis; adeoque nihil connaturalius fuit quam ut diaconi designarentur ministri talis extraordinariae ac non sacramentalis confessionis; ceterum Ecclesia habet etiam jus exigendi determinata quaedam signa status gratiae antequam concedat communionem, adeoque non est contra jus divinum quod sub ratione hujusmodi signi imponeretur ipsa confessio facienda diacono, *ut ministro Communionis* in absentia sacerdotis, ut videtur praecise factum esse in canone 31 Conc. Triburiensis, a pluribus conciliis particularibus sancito et in ipso Corpore Juris postmodum recepto.

Hoc modo explicari potest etiam tum canon *Conc. Illiberitani*, tum dispositio *Cypriani*, ita ut ea praxis (dempta quidem praedicta exaggeratione circa necessitatem confessionis necnon abusibus usurpationis a quibusdam commissis, qui fuerunt motivum extinctionis illius) dici possit habere *originem quasi apostolicam*, tanquam extensio quaedam ac determinatio propriae potestatis quae competit diacono ut

²De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence, Paris, 1897, p. 98-114, praecipue p. 98. 102. 105-108. 109-112.

ministro extraordinario, non in linea sacramenti Poenitentiae sed in collatione sacramenti Eucharistiae.

QUARTA EXPLICATIO. Agitur de ipsa reconciliatione, a diacono danda, non tamen de sacramentali reconciliatione coram Deo et in foro interno, sed tantum cum Ecclesia et *in foro externo*. Quod quidem dupliciter explicari potest, vel nempe quia finalis reconciliatio in publica poenitentia non erat sacramentalis (ita quidam, ut *Frank*⁹³ et *Pignataro*,⁹⁴ juxta sententiam quam in art. 45, tom. 2, p. 924. 952–958 probabilem reputavimus), ac ideo relinquebatur diacono, vel quia, etsi esset sacramentalis, importabat tamen etiam reconciliationem in foro externo, quae sola relinquebatur diacono. Utrumque explicandi modum, quoad textum Cypriani, eligit *Vacandard* in altero loco supra citato (p. 657):

Attamen, haec explicatio imprimis non valet quoad documenta mediaevalia, in quibus agitur de poenitentia privata, jam tunc in usu, necnon de foro interno, imo de ipsa confessione, ejusque salutari effectu quo non sit privandus homo in periculo mortis constitutus. Ad textum Cypriani quod attinet, prior modus explicationis probabilis est, alter vero minus probabilis, utpote minus congruus ipsi textui, in quo diaconus censetur idem factururus quod faceret ipse sacerdos, si adesset; ex quo praecise in art. 45 (tom. 2, p. 924 sq.) argumentum desumpsimus in favorem sententiae quae tenet finalem reconciliationem non fuisse sacramentalem.

QUINTA EXPLICATIO. In praefatis documentis conceditur diacono facultas praestandi poenitenti, in casu necessitatis et absentiae sacerdotis, quidquid praestare potest, citra administrationem ipsius sacramenti, adeoque tum imponendi manum veluti in signum reconciliationis a solo Deo interius praestitae ex supposita perfecta contritione, tum audiendi mere devotionalem confessionem (nam sacramentalis confessio tam necessaria habebatur ut, in ejus defectu, poenitens censebatur obligari ad devotionalem saltem confessionem instituendam, ut ita praestaret saltem quod pro circumstantiis poterat), tum concedendi eucharisticam communionem homini qui censebatur contritus ac interius a Deo absolutus.

Haec explicatio (*Galtier* supra cit.; *D'Alès*, thes. 7, schol. 2, p. 112; *Hervé*, n. 331), quae ob suam elasticitatem videtur colligere posse communium suffragium theologorum et satisfacere exigentiis aliarum explicationum, in sua generalitate satis apta apparet ac sufficienter

⁹³ Die Bussdisziplin, Mainz, 1867, p. 243–257.

⁹⁴ De disciplina poenitentiali, Romae, 1904, p. 102 sq.

congruit omnibus documentis supra relatis, saltem si attendatur mens illorum doctorum de reservata sacerdotibus potestate clavium, potiusquam sola littera textuum.

Attamen, haec nota. Textus Cypriani interpretatio multum videtur pendere a quaestione de sacramentali indole finalis reconciliationis; si enim haec non erat sacramentalis, facile explicatur quare in casu necessitatis diaconus ad eam sufficeret ex episcopi licentia, quam forte Cyprianus explicite primus concedere coepit;⁹⁵ si vero dicatur eam fuisse sacramentalem difficilius explicatur ipsa littera S. Doctoris quae videtur concedere diaconis idipsum quod faceret sacerdos, si adesset, nisi admittatur Cyprianum errasse de proprio ministro hujus sacramenti aut saltem ita res confudisse ut putaret non sacramentalem reconciliationem datam a diacono posse in casu necessitatis habere coram Deo eandem efficacitatem sacramentalis ipsius reconciliationis quae daretur a sacerdote. Quod vero attinet ad mediaevalia documenta, certum est ea denegasse diaconis potestatem clavium et absolutionis, seu eandem potestatem quam sacerdotibus concedebant (et hoc quidem sufficit ad reiiciendam supradictam objectionem Lea aliorumque liberalium); cum ergo tribuunt diaconis facultatem confessiones audiendi, vel agunt de confessione devotionali vel errant de natura confessionis sacramentalis (quae tota desumitur ex ordine ad absolutionem) aut potius ita res confundunt ut putent in casu necessitatis confessionem devotionalem posse coram Deo, ac ideo debere, substitui confessioni sacramentali in ordine ad justificationem accipiendam. Ceterum, verisimile est quosdam doctores de facto in talem errorem vel confusionem impegisse, imo in quibusdam locis abusum irrepisse ut diaconi non solum confessiones audirent sed etiam absolverent, ut satis clare constare videtur ex supra relatis Constit. Nicolai Gélant et Conc. Pictaviensis.

In eo errore vel confusione de necessitate confessionis, faciendae etiam in absentia sacerdotis, fundatur probabiliter ortus praxis confitendi apud diaconos aut etiam ab eis absolutionem suscipiendi, intellecta ut quaedam extensio et determinatio propriae potestatis diaconi in administranda Eucharistia, ut ingeniose explicat Laurain (supra relatus, p. 659), qui tamen inepte conatur eam praxim legitimare recurrendo ad potestatem Ecclesiae imponendi confessionem in signum sufficientis dispositionis ad suscipiendam Eucharistiam, nam, ut diximus in art. 37 (tom. 2, p. 527-530), Ecclesia

⁹⁵ Quod ex verbis Cypriani "Ut manu eis in paenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt", similibusque aliorum Patrum expressionibus, nequeat necessario deduci finalem reconciliationem fuisse sacramentalem, ostensum est in art. 45 (tom. 2, p. 937 sqq.).

non haberet potestatem imponendi suo jure ipsam sacramentalem confessionem, nisi Deus eam prius imposuisset, adeoque a fortiori non potest imponere non sacramentalem confessionem nullatenus a Deo institutam et apud ministrum nullatenus a Deo designatum.

IV. LAICI.

In prioribus Ecclesiae saeculis observatur aliqua participatio laicorum in his quae respiciunt ministerium Poenitentiae. Talis participatio, fundata in unitate corporis Christi quod est Ecclesia et in universali illo ac late dicto sacerdotio quod competit omnibus fidelibus prout sunt membra Christi Sacerdotis eiusque sacerdotalis societatis, varia fuit pro diversitate circumstantiarum et evolutione poenitentialis disciplinae, ac culmen suum attingit in medio aevo in ipsa praxi confitendi apud laicos in casu necessitatis et absentiae sacerdotis, quae post saec. 13 usque ad Conc. Trid. pedetemptim extincta est. Ceterum, quoad historicos modos hujusmodi participationis ejusque theologicam interpretationem, non paucae habentur obscuritates, quae ansam dederunt Protestantibus tum orthodoxis tum liberalibus (uti Lea et Holl) exinde confirmandi suam negationem doctrinae catholicae de divinitus reservata sacerdotibus potestate clavium et administratione ipsius sacramenti Poenitentiae.

In ea participatione peculiariter distinguuntur *QUATUOR CLASSES PERSONARUM*, i.e. sic dicti "*pneumatici*" seu spirituales, *martyres*, *monachi* et abbatissae, *laici* confessores, quarum duae priores apparent praecipue in primitiva ecclesia, duae vero posteriores potius in mediaevali periodo.

A. *PNEUMATICI, seu spirituales.*

In ministerio apostolico saepius correptionis officium, paedagogum poenitentiae, proponitur ut quid commune omnibus fidelibus (cf. Gal. 6, 1; 2 Thess. 3, 15; Jud. 22 sq.; 2 Thess. 3, 6; 2 Joann. 10; quae citavimus in art. 1, tom. 1, p. 86), juxta ipsius Christi commendationem in nota pericope de fraterna correptione (Matth. 18, 15-17; cf. ibid., p. 72 et 75). *S. Paulus* ipsam ligandi atque solvendi potestatem exercet, praesente ac veluti confirmante tota Corinthiorum ecclesia. 1 Cor. 5, 3-5: "Congregatis vobis et meo spiritu"; 2 Cor. 2, 6-11: "Cui autem aliquid donastis et ego"; ubi non agitur nisi de indirecta participatione laicorum, et quidem non in ipso actu potestatis sed in ejus circumstantiis, ut dictum est supra (p. 623 sq. et art. 1, tom. 1, p. 87-89).

Ad similem laicorum participationem referri possunt verba *Didache*,

4, 14: "In ecclesia confiteberis peccata tua". *Tertullianus* catholicus in libro de Poenitentia (c. 9–10, cit. in art. 1, tom. 1, p. 101) ait poenitentes "praesbyteris advolvi, et charis Dei [i.e. martyribus seu confessoribus fidei] adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere", "universum [Ecclesiae coetum] ad remedium conlaborare", poenitentes "palam absolvi"; hanc fidelium participationem subinde *Tertullianus* haereticus in libro de Pudicitia ita exaggeravit ut in ipsos solosque spirituales homines seu pneumaticos transferret omnem, si quae sit, potestatem absolvendi (cf. supra, p. 603). Ceterum hujusmodi indirecta et assistentialis laicorum participatio in ministerio Poenitentiae imbibit totam praxim antiquae disciplinae poenitentiae publicae cujus lineamenta incipiunt praeformari in scriptis *Tertulliani*. *Origenes*, In Psalm 37, hom. 2, 6: "In conventu totius Ecclesiae [peccatum] exponi et curari" (M.G. 12, 1386).

Cornelius P. (Ep. 49, inter *Cypriani* epp., 2, cit. in art. 36, tom. 2, p. 389 et art. 43, *ibid.*, p. 756), poenitentiam schismaticorum suscipit coram populo consentiente ac plaudente: "Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut et ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes et palabundos jam diu viderant et dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes, complectentes eos quasi hodie poena carceris fuissent liberati" (M.L. 3, 743 sq.). *Cyprianus*, Ep. 11, 1: "Cyprianus fratribus in plebe consistentibus salutem. . . Fecerunt ad nos quibusdam beati martyres litteras, petentes examinari desideria sua. Cum, pace nobis omnibus a Domino prius data, ad Ecclesiam regredi coeperimus, tunc examinabuntur singula praesentibus et judicantibus vobis" (M.L. 4, 262 sq.; cf. Epist. 13, 2; Ep. 55, 15 ad *Cornelium*; Ep. 5, 4). *Clerus Romanus* ad *Cyprianum*, Ep. 31, 5 (inter *Cyprianicas*): "Nobis placet quod et tu ipse tractasti . . . collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem" (M.L. 4, 320). *Pacianus*, Ep. 3, 12: "Illud [i.e. offensam contra hominem] ipse solvit in quem admittitur; hoc vero [i.e. offensam in Deum] Ecclesia; illud sine sacerdote, sine fratribus; hoc ab omnibus impetratur" (M.L. 13, 1071). *Ambrosius*, De Poenit. 1, 15, 80: "Velut . . . operibus quibusdam totius populi purgatur, et plebis lacrymis abluitur, qui orationibus et fletibus plebis redimitur a peccato. . . Donavit enim Christus Ecclesiae suae, ut unum per omnes redimeret" (M.L. 16, 511). *Hieronymus*, Dial. contra Lucif. 5: "Sacerdos . . . imponit manum subiecto . . . [et] indicta in populum

oratione, altario reconciliat" (M.L. 23, 167). *Augustinus*, Sermon. 351, 4, 9: "In notitia multorum vel etiam totius plebis agere poenitentiam [peccator] non recuset" (M.L. 39, 1545; cf. Sermon. 296, 11 sq.; In Joan., tract. 58, 5).

Ut jam notavimus in art. 1 (tom. 1, p. 128), agentes contra Protestantas Liberales, in his similibusque testimoniis agitur de improprie dicta, et quidem remota, participatione laicorum in ministerio poenitentiali a sacerdotibus exhibito, consistente potius in adiutorio praestito ab omnibus fidelibus ipsi poenitenti et in eorumdem adstantia exercitio potestatis clavium per sacerdotes, ita ut poenitentia fieret cum Ecclesia et absolutio daretur coram Ecclesia.

Usque saltem ad saec. 4 (cum incipiunt testimonia alicujus confessionis, faciendae apud monachos laicos, uti abbatissas), nullum habetur vestigium alicujus laicorum participationis ministerio privatae poenitentiae; frustra autem citatur testimonium *Origenis*, In Num., hom. 10, 1, ut dictum est supra, p. 629, necnon *Clementis Alex.*, Quis dives salvetur, 41: "Necessarium omnino nec, ut superbus et potens ac dives aliquem tibi Dei hominem praeficias, qui te virtutis studio animet, tibi que ille rector ac gubernator existat" (M.G. 9, 646), nam nihil ostendit talem "Dei hominem" intelligendum esse quemlibet hominem spirituales et non potius solum sacerdotem cui, juxta communem traditionem, collata est clavis potestas; imo in ipso contextu fit implicita allusio ad sacerdotalem dignitatem eo quod in exemplum adducatur Joannes Apostolus reconcilians Ecclesiae quemdam latronem.

Unde absque sufficienti fundamento scribit *VACANDARD*: "Sans tomber dans le même excès [que Tertullien], *Clément d'Alexandrie* et *Origène* autorisaient certains laïques, plus parfaits que les autres, à entendre les confessions et à diriger les consciences. Dans le *Quis dives salvetur*, Clément recommande au riche de choisir un 'homme de Dieu' pour 'directeur'. . . c. xli, P. G., t. ix, col. 645. Ce directeur est le 'gnostique'. Et certes, le gnostique doit être recherché avant tout parmi les membres de la hiérarchie, diacres, prêtres et évêques. Cf. *Strom.*, VI, c. xlii, *ibid.*, col. 328. Mais en somme, c'est la 'gnose', c'est à dire la science des choses spirituelles, qui fait 'le prêtre'. . . *Strom.*, VI, c. xlii, *ibid.*, col. 328; cf. VIII, c. i, col. 405. En somme, il semble certain que si Clément n'exclut pas les chefs de l'Eglise du soin d'entendre les confidences des pécheurs, il ne le leur réserve pas non plus. Il s'agit surtout des cas de conscience ordinaires. Pour les péchés graves, les pécheurs devaient sans doute se soumettre à la pénitence publique, c'est-à-dire ce placer sous la juridiction de l'évêque.

"Origène a probablement suivi, à certains égards, les inspirations de Clément. Bien que le grand docteur alexandrin reconnaisse, en général, que lier et délier les consciences soit l'oeuvre des *sacerdotes*, il demande que le juge des consciences soit un *πνευματικός*. De oratione, c. xxviii. P. G., t. xi, col. 528. Et lorsqu'il recommande de bien choisir son directeur, 'le médecin' de l'âme à qui l'on doit confesser ses fautes, il n'a pas l'air de supposer que ce médecin doive nécessairement être

revêtu de la dignité sacerdotale. . . *Homil., ii, in Ps. xxvii, P. G., t. xii, col. 1388.* Ce texte n'est pas d'une parfaite clarté, et nombres de critiques veulent que ce 'médecin' de l'âme, dans la pensée d'Origène, soit un *sacerdos*. Cf. *Homil., ii, in Lev., c. iv, P. G., t. xii, col. 418*, où il dit: 'Cum non erubescit (peccator) sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam'. Mais il n'est pas vraisemblable qu'Origène ait eu en vue premièrement un ministre revêtu du caractère sacerdotal, et secondairement, à défaut d'un évêque ou prêtre 'bon médecin', un simple laïque 'spirituel' ou πνευματικός. Cf. Holl, *op. cit.*, p. 236-239. Que ces pneumatiques aient exercé ainsi, en concurrence avec les chefs de la hiérarchie, soit sur le désir des fidèles, soit de leur propre mouvement, la fonction de confesseurs, ou même le pouvoir d'absoudre, il ne faudrait pas trop s'en étonner. Une fausse interprétation du texte de saint Jean: 'Recevez le Saint-Esprit, les péchés seront remis à qui vous les remettrez,' a pu donner lieu à cette pratique abusive. A partir du iv siècle, nous verrons les πνευματικοί remplir dans les monastères le rôle de confesseurs; ils en viendront même à distribuer des absolutions."⁹⁶

B. MARTYRES.⁹⁷

*Martyrum seu confessorum fidei*⁹⁸ interventus in favorem lapsorum

⁹⁶In Dict. Théol. Cath., art. Confession du I au XIII siècle, col. 847 sq. Idem docet in Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910, p. 69 sq.

⁹⁷Vacandard, Etudes de critiques et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910, p. 65-69.

⁹⁸Baillet, Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 88 sq. 101-144.

Rauschen, Eucharist and Penance (translation from the second German edition), St. Louis, Mo., 1913, p. 203-207.

D'Alès, De Paenitentia, thes. 11. Parisiis, 1926, p. 142 sq.; La théologie de Tertullien, Paris, 1905, p. 350-355; L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 244-250.

Gallier, De Paenitentia, n. 165 sq. 175-181, Paris, 1931, p. 112 sq. 119-123; L'Eglise et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 36-39.

Inter Protestantas:

E. Preuschen, Tertullians Schriften De Paenitentia und De Pudicitia mit Rücksicht auf die Bussdisziplin untersucht, Giessen, 1890, p. 25 sqq.

K. Müller, Die Bussinstitution in Karthago unter Cyprian, in Zeitschr. für Kirchengeschichte, 1895, p. 26 sqq.

E. Rolfs, Das Indulgenz-Edikt des römischen Bischofs Kallist, Leipzig, 1893, p. 42. 114. 116.

H. Ch. Lea, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, vol. 1, Philadelphia, 1896, p. 105.

O. D. Watkins, A History of Penance, vol. 1, London, 1920, p. 184-188.

"Quamvis binæ appellationes saepe promiscue usurparentur, etiam apud Tertullianum et Cyprianum, proprius tamen "martyres" dicebantur qui reapse mortem pro Christo obierint, ceteri vero "confessores" sive dum cruciabantur sive postquam ex carceribus, evasa morte, ad coetum fidelium redibant, inter quos praeteritae confessionis aureola fulgebant. Hanc distinctionem faciebant jam Lugdunenses in sua epistola ad ecclesias Asiae et Phrygiae scribentes de suis martyribus: "Verum si quis nostrum per litteras aut in familiari colloquio eos martyres compellasset, objurabant graviter atque increpabant. Martyris enim appellationem libentissime concedebant Christo, utpote fido veroque testi, et primogenito mortuorum, vitaeque coelestis principi et auctori. Eos quoque qui iam ex hac vita migraverant martyres, nobis commemorabant aiebantque: 'Hi jam sunt martyres, quos in ipsa confessione Christus assumi voluit, professionem ipsorum morte tanquam annulo obsignans: nos vero viles atque obiecti confessores.' Simul profusis lacrymis obsecrabant fratres, ut continuæ ad Deum preces fierent, quo tandem ipsi perfectum finem adipisci mererentur. Ac reipsa, quidem virtutem martyrum exhibebant, cum ingenti libertate ac fiducia gentilibus respondentes: et egregiam animi indolem partim tolerantiam, partim quod metus ac pavoris expertes essent, perspicue testabantur. Ipsam vero martyrum appellationem a fratribus sibi oblatam, utpote timore Dei constricti refugiebant!" (Apud Eusebium, Hist. eccles. 5, 2, M.G. 20, 434).

vel, si placet, praxis recurrenti ad martyres ad impetrandam ecclesiasticam reconciliationem, duravit per unum fere saeculum (150–250), quantum scimus ex documentis et loquendo de determinata quadam consuetudine et privilegio martyrum. Haec praxis apparet in ecclesiis lugdunensi, alexandrina et africana, eamque praecise testantur epistola Lugdunensium apud Eusebium, verba Dionysii Alex. apud eundem et textus sive Tertulliani sive Cypriani; an extiterit eadem consuetudo etiam in ecclesia Romana, pendet a disputata quaestione utrum Tertullianus in sic dicto Decreto Callisti (dum inter alia incusat pontificem: “At tu in martyras tuos effundis hanc potestatem”) impugnet R. Pontificem (Callistum vel Zephyrinum) an merum episcopum Carthaginensem (Agrippinum); ceterum, in epistolis Presbyterii Romani (epp. 30 et 31 inter Cyprianicas) et Celerini confessoris romani ad Lucianum confessorem Carthaginensem, nullum indicium habetur huiusmodi romanae consuetudinis, imo potius contrarium innuitur.⁹⁹

Primo ea praxis apparet in ecclesia lugdunensi circa a. 178, tempore persecutionis Marci Aurelii. Paulo post, Apollonius, ecclesiasticus scriptor ab Eusebio relatus, scribens contra Montanistas exortos circa a. 173 in eadem ecclesia Phrygiae cui suam epistolam miserunt Lugdunenses, loquitur transeunter de martyre montanista condonante peccata; an autem in hoc ipse testetur peculiarem praxim Montanistarum vel potius alludat ad generaliore praxim etiam inter catholicos, non constat. Circa initium saec. 3, in persecutione Septimii Severi, eam praxim invaluisse videtur ex testimonio Tertulliani montanistae, eam acriter improbantis apud catholicos. Circa medium saec. 3, durante persecutione Decii, consuetudo eousque increvit, ac tot indulgentiae et relaxationis abusus induxit in poenitentialem disciplinam, ut suscitaverit vivacem reactionem Cypriani, confirmatam a Clero Romano, sede vacante, et a neo electo Papa Cornelio cum Conc. Romano a. 251. Post hanc controversiam et decisionem, praxis fere extincta est.

De martyribus ecclesiarum Lugdunensis ac Viennensis, in epistola quam circa a. 178¹ illae ecclesiae miserunt ad ecclesias Asiae et Phrygiae de passione suorum martyrum (sub Marco Aurelio), sic legitur, juxta relationem *Eusebii* (265–340), Hist. eccles. 5, 2 (cf. initium cap. 1): “Deprimebant se . . . sub manu potenti; a qua nunc sublimius elevati sunt. Tunc vero *omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant, cunctos absolvebant, neminem ligabant*. Quine-

⁹⁹ Cf. Batiffol, infra cit. in p. 678.

¹ Hoc eodem tempore (a. 177 vel 178) *Irenaeus* creatus est episcopus Lugdunensis.

tiam pro illis a quibus acerbissime cruciati fuerant, exemplo perfectissimi martyris Stephani, Deum precabantur: 'Domine, ne imputes illis hoc peccatum.' Quod si ille pro lapidantibus orabat, quanto magis pro fratribus eum orasse credibile est. . . Hoc enim maximum certamen illis fuit adversus diabolum, ob sinceram ac minime fucatam charitatem, ut quos ille malignus serpens vivos jam se devorasse crederat, elisis faucibus evomere cogeretur. Neque enim fastu et arrogancia intumuerunt *adversus lapsos*, sed ea quibus abundabant bona, indigentibus liberaliter subministrabant, materna quaedam misericordiae viscera gestantes, magnamque vim lacrymarum pro illorum salute coram Deo Patre fundentes. Vitam petierunt, et largitus est eis Deus: quam etiam illi proximis suis communicarunt, ubique victores ad Deum profecti" (M.G. 20, 435).

Ibid., 5, 1, legitur: "Mortua jam Ecclesiae membra [i.e. lapsi], viventium [i.e. martyrum] ope atque auxilio revocata sunt: et *martyres gratificati sunt iis qui fidem negaverant*: ingentique gaudio mater eademque virgo Ecclesia cumulata est, cum eos quos tanquam extinctos abortu ejecerat, vivos jam ac spirantes recuperaret. Etenim per illos sanctissimos martyres, hi qui fidem negaverant, rursus in utero delineabantur, rursus concipiebantur, et vitali calore reparato rursus fidem confiteri discebant. Cumque jam ad vitam revocati roboratique essent, Deo qui non vult mortem peccatoris, sed pro sua benignitate ad poenitentiam potius invitat, mitiorem eis succum infundente, ad tribunal accessere, quo iterum a praeside interrogarentur" (ibid., 427).

Apollonius, ecclesiasticus scriptor (probabiliter circa idem tempus, i.e. in altera medietate saec. 2), scribens contra Montanistas, de quodam Alexandro qui a Montanistis ut martyr venerabatur, ait, juxta relationem ejusdem *Eusebii*, Hist. eccles. 5, 18: "Respondeat nobis, prophetissa [Priscilla] de Alexandro qui se martyrem praedicat: quocum ipsa convivatur; qui adoratur etiam ipse a multis. Cujus latrocinia et reliqua facinora pro quibus poenas dedit, nihil opus est nos dicere, praesertim cum in tabulario contineantur. *Uter igitur illorum alteri peccata condonat? An prophetae martyri latrocinia! an martyr prophetae avaritiam?*" (ibid., 478).

Origines (185–254), *Exhort. ad martyrium*, 30, et *In Num.*, hom. 10, 2, ait martyres in coelo fungi sacerdotali officio seu "auferre peccata" lapsorum et "precantibus remissionem peccatorum ministrare" (M.G. 12, 638; 11, 602), quod quidem, quamvis referatur ad efficaciam martyrum jam existentium in coelo, ostendit quanti eo tempore aestimaretur eorum vis intercessiva, ac facilius explicat spon-

taneum concursum lapsorum ad confessores fidei in carcere detentos, qui observatur in eadem ecclesia Alexandrina, sub Dionysio episcopo mox citando.

Tertullianus (circa 160–250) una cum Cypriano est praecipuus testis illius concursus, tum ut catholicus in libro ad Martyres (exarato circa 197, durante persecutione Septimii Severi) et in *De Poenitentia* (200–206), tum ut montanista in *De Pudicitia* (217–222).

Ad Martyres, 1: “In primis ergo, benedicti, nolite contristare Spiritum sanctum (Ephes. iv, 3), qui vobiscum introiit carcerem. Si enim non vobiscum nunc introisset, nec vos illic hodie fuissetis. Et ideo date operam, ut illic vobiscum perseveret: ita vos inde perducatur ad Dominum . . . [Diabolus vos] inveniatur munitis, et concordia armatos: quia pax vestra bellum est illi. *Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, a martyribus in carcere exorare consueverunt.* Et ideo eam etiam propterea in vobis habere et fovere et custodire debetis, ut si forte *et aliis praestare possitis*” (M.L. 1, 693–695).

De Poenitentia, 9, ostendit poenitentes in ecclesia “presbyteris advolvi, et *charis Dei adgeniculari*, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere” (M.L. 1, 1354 sq.). “Chari Dei” sunt confessores fidei, ex martyrio incolumes ad Ecclesiam reversi, qui tanquam privilegiata Ecclesiae membra habebantur primumque obtinebant locum inter candidatos ad sacrum ministerium (cf. *Tertullianum*, *De fuga in persecutione*, 11; *Cyprianum*, *Ep.* 31, 5, supra cit. in p. 663; *Ep.* 34, 1).²

De Pudicitia, 22 (fere immediate post verba c. 21: “Ecclesia quidem *delicta donabit*; sed Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem non ecclesia numerus episcoporum”): “At tu jam et in martyras tuos *effundis hanc potestatem*, ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia, in novo custodiae nomine, statim ambiunt moechi, statim adeunt fornicatores, jam preces circumsonant, jam lacrymae circumstant maculati cujusque; nec ulli magis aditum carceris redimunt, quam qui Ecclesiam perdiderunt. Violantur viri ac feminae in tenebris plane ex usu libidinum notis, et *pacem ab his quaerunt* qui de sua periclitantur. Alii ad metalla confugiunt, et inde *communicatores revertuntur*, ubi jam aliud martyrium necessarium est delictis post martyrium novis. . .

“*Quis permittit homini donare quae Deo reservanda sunt?* a quo ea sine excusatione damnata sunt; quae nec apostoli, quod sciam,

² Cf. H. Delehaye, *Les origines du culte des martyrs*, Bruxelles, 1912, p. 19–22.

martyres et ipsi, donabilia iudicaverunt. . . Sufficiat martyri propria *delicta purgasse*. . . Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? . . . Proinde, qui illum aemularis *donando delicta*, si nihil ipse deliquisti, plane patere pro me: si vero peccator es, quomodo oleum faculae tuae sufficere et tibi et mihi poterit? Habeo etiam nunc quo probem Christum. Si propterea Christus in martyre est, ut moechos et fornicatores *martyr absolvat*, occulta cordis edicat, ut ita *delicta concedat* et Christus est; sic enim Dominus Jesus Christus potestatem suam ostendit: 'Quid cogitatis nequam in cordibus vestris? quid enim facilius est dicere paralytico: Dimittuntur tibi peccata, an, Surge et ambula? Igitur, ut sciatis Filium hominis habere dimittendorum peccatorum in terris potestatem, tibi dico', paralytice 'Surge et ambula' (Matth. ix, 4 seqq.). Si Dominus tantum de potestatis suae probatione curavit, uti traduceret cogitatus et ita imperaret sanitatem, ne non crederetur posse delicta dimittere, non licet mihi *eandem potestatem* in aliquo sine eisdem probationibus credere. Cum tamen moechis et fornicatoribus *a martyre expostulas veniam*, ipse confiteris ejusmodi crimina non nisi proprio martyrio diluenda, qui praesumis alieno. . . Quaecumque auctoritas, quaecumque ratio moecho et fornicatori *pacem ecclesiasticam reddit*, eadem debbit et homicidae et idololatrae poenitentibus subvenire" (M.L. 2, 1080-1082).

Dionysius Alexandrinus episcopus († circa 265), in sua *epistola ad Fabium* episcopum Antiochiae de iis qui Alexandriae martyrium subierunt in persecutione Decii, scribit, juxta relationem *Eusebii*, Hist. eccles. 6, 42 (cf. 41, initio): "Hi divini martyres, qui nunc assessores sunt Christi et regni illius consortes, ac iudicii participes una cum ipso iudicaturi, dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos, et idolis sacrificasse convictos, *susceperunt*: et conversionem illorum ac poenitentiam cernentes, cum iudicassent eam placere posse illi qui peccatoris poenitentiam mavult quam mortem, *eos admiserunt et collegerunt*, atque in coetum suum receperunt, et in orationibus ac cibo *cum iisdem communicarunt*. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis? Quid nos agere debemus? Utrum *sententiae martyrum* accedemus, et *rem ab illis iudicatam* seu potius *gratiam concessam* tuebimur, et cum iis quos illi miseratione persecuti sunt benigne agemus? An contra *iudicium illorum* irritum faciemus, nosque ipsi sententiae illorum discussores ac iudices constituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem constitutum evertemus, Dei ipsius indignationem provocabimus?" (M.G. 20, 614 sq.)

Cyprianus (episcopus 249-258) est praecipuus testis talis praxis, ratione abusus facilis veniae, quos reprimere coactus est, durante

eadem Decii persecutione (249–252) (cf. dicta in art. 92, p. 383 sqq.). Quaestio de “*libellis*” *pacis* (ut ipse vocat in Epp. 10, 4; 12, 1; 13, 2; 14, 2 sq.; 22, 1; 27, 2) a martyribus concessis (de qua agit in pluribus epistolis mox citandis) est pars generalis quaestionis de reconciliatione lapsorum (de qua agit in libro De lapsis et in multis epistolis; cf. ibid., p. 386). Inter Cypriani epistolas, mox citandas, notandae sunt duae epistolae ipsius Presbyterii Romani (ep. 30 et 31), respondentis Cypriano, necnon allusio ipsius Cypriani (ep. 52, Antoniano, 6) ad decisionem Cornelii Papae in Conc. Romano a. 251; item notabiles sunt peculiaris controversia Cypriani cum martyre Luciano et istius epistolae (cf. ep. 16. 17. 20. 21. 22).

Ep. 9, 3: “Exponunt deinde [audaces presbyteri] invidiae beatos martyres, et gloriosos servos Dei cum Dei sacerdote committunt, ut, cum illi memores loci nostri ad me litteras direxerint, et petierint tunc *desideria sua examinari et pacem* quando ipsa ante mater nostra Ecclesiam pacem de misericordia Domini prior sumpserit, et nos divina protectio reduces ad ecclesiam suam fecerit, hi, sublato *honore quem nobis beati martyres cum confessoribus servant*, contempta Domini lege et observatione, quam iidem martyres et confessores tenendam mandant, ante extinctum persecutionis metum, ante reditum nostrum, ante ipsum pene martyrum excessum, communicent cum lapsis et offerant et Eucharistiam tradant, quando, etiamsi martyres per calorem gloriae Scripturam minus contemplantes, plus aliquid cuperent, a presbyteris et diaconis suggerentibus admoneri deberent, *sicut semper in praeteritum factum est*” (M.L. 4, 258 sq.).

Ep. 10, 1–4: “Credideram quidem presbyteros et diaconos qui illic praesentes sunt monere vos et instruere plenissime circa Evangelii legem, *sicut in praeteritum semper sub antecessoribus nostris factum est*, ut diaconi, ad carceres commeantes, *martyrum desideria consiliiis suis et Scripturarum praeceptis gubernarent*. . . (Cum vos ad me litteras direxeritis, quibus *examinari desideria vestra et quibusdam lapsis pacem dari postulatis* cum, persecutione finita, convenire in unum cum clero et recolligi ceperimus). . . Petitiones et desideria vestra episcopo servant [presbyteri et diaconi], et ad pacem vobis petentibus dandum maturum et pacatum tempus exspectent. . . Oro vos quibus possum precibus ut, Evangelii memores et *considerantes quae et qualia in praeteritum antecessores vestri martyres concesserint*, quam solliciti in omnibus fuerint, vos quoque solliciti et caute petentium desideria ponderetis. . .

“Sed et illud ad diligentiam vestram redigere et emendare debetis,

ut nominatim designetis eos *quibus pacem dari desideratis*. Audio enim quibusdam *sic libellos fieri ut dicatur: 'Communicet ille . . . cum suis,' quod nunquam omnino a martyribus factum est, ut incerta et coeca petitio invidiam nobis postmodum cumulet*. Late enim patet quando dicitur, 'ille cum suis,' et possunt nobis viceni et triceni et amplius offerri qui propinqui et affines et liberti ac domestici esse asseverentur ejus qui accipit libellum. Et ideo peto ut eos quos ipsi videtis, quos nostis, quorum poenitentiam satisfactioni proximam conspiciatis, designetis nominatim libello, et sic ad nos fidei ac disciplinae congruentes litteras dirigatis" (ibid., 260-262).

Ep. 11 ejusdem est tenoris.

Ep. 12, 1 (cit. in p. 388): "Occurrendum puto fratribus nostris ut qui libellos a martyribus acceperunt, et *praerogativa eorum* apud Deum adjuvari possunt [in articulo necessitatis a presbytero vel diacono reconcilientur]" (ibid., 265).

Ep. 13, 2 rescribit clero "ut qui libellum a martyribus acceperunt, et auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua et periculo coeperint, exomologesi facta et manu eis a vobis in poenitentiam imposita, cum pace a martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur" (ibid., 267).

Ep. 14, 2 sq. Clero Romano reddit rationem sui modi agendi cum lapsis: "Cum comperissem . . . exambire ad martyres passim, confessores quoque importuna et gratiosa deprecatione corrumpere, ut sine ullo discrimine atque examine singulorum *darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem*, litteras feci quibus martyres et confessores consilio meo quantum possem ad Dominica praecepta revocarem. . . Postmodum vero, cum quidam de lapsis, sive sua sponte, sive aliquo incitatore, audaci flagitatione proruerent ut *pacem sibi a martyribus et confessoribus promissam* extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam his ad clerum litteras feci et legi eis mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, si qui libello a martyribus accepto de saeculo excederent, exomologesi facta et manu eis in poenitentiam imposita, cum *pace sibi a martyribus promissa* ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere constitui. Sed, cum videretur et *honor martyribus habendus* et eorum qui omnia turbare cupiebant, impetus comprimendus, et praeterea vestra scripta legissem quae huc ad clerum nostrum per Crementium hypodiamonem nuper feceratis, ut iis qui post lapsum infirmitate apprehensi essent, et poenitentes communica-

tionem desiderarent, subveniretur, standum putavi et cum vestra sententia, ne actus noster, qui adunatus esse et consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet" (ibid., 269 sq.).

Ep. 16, i.e. "libellus pacis" nomine martyrum a Luciano missus Cypriano: "Universi confessores Cypriano papae salutem. Scias nos universis de quibus apud te ratio constiterit quid post commissum egerint dedisse pacem, et hanc formam per te et aliis episcopis innotescere volumus. Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. Praesente de clero et exorcista et lectore, Lucianus scripsit" (ibid., 275 sq.).

Ep. 17 ad clerum, Cyprianus quoad praefatum libellum Luciano ait: "Legi autem et universorum confessorum litteras, quas voluerunt per me collegis omnibus innotescere et ad eos pacem a se datam pervenire de quibus apud nos ratio constiterit quid post commissum egerint. Quae res cum omnium nostrum consilium et sententiam expectet, praejudicare ego et soli mihi rem communem vindicare non audeo" (ibid., 277).

Ep. 20, 2 sq., Celerinus pro sororibus suis Romae lapsis petit pacem a praedicto Luciano eiusque sociis confessoribus: "In magna . . . tribulatione me constitutum scias. . . Et ideo peto ut annuas desiderio meo et mecum doleas in morte sororis meae, quae cecidit in hac vastatione a Christo. Sacrificavit enim et exacerbavit Dominum nostrum. Quod nobis manifestum videtur. Pro cuius factis ego in hac die laetitiae Paschae flens die ac nocte, in cilicio et cinere, lacrymabundus dies exegi et exigo usque in hodiernum, donec auxilium Domini nostri Jesu Christi [subveniat] et pietas per te vel per eos dominos meos qui coronati fuerint a quibus postulaturus es *ut veniam habeant* nefanda naufragia. Memoratus sum enim charitatis tuae pristinae, quod cum omnibus doleas pro sororibus nostris, quas et tu bene nosti, id est Numeria et Candida; pro quarum peccato, quia nos fratres habent, debemus excubare. Credo enim Christum secundum earum poenitentiam et opera quae penes collegas nostros fecerunt extorres, qui a vobis venerunt, a quibus ipsis de operibus eorum audies, jam Christum eis, *vobis martyribus suis petentibus, indulturum*. . . Rogo itaque . . . ut coeteris collegis tuis . . . referas, et ab eis petas ut quicumque prior vestrum coronatus fuerit, istis sororibus nostris Numeriae et Candidae *tale peccatum remittant*" (ibid., 282-284).

Ep. 21, 2, Lucianus respondet Celerino: "Scire debuisti quid circa nos actum sit. Cum benedictus martyr Paulus adhuc in corpore esset,

vocavit me, et dixit mihi: Luciane, coram Christo tibi dico ut, si quis post arcessionem meam abs te pacem petierit, *da in nomine meo*; sed et omnes quos Dominus in tanta tribulatione arcessire dignatus est, *universi litteras ex compacto universis pacem dimisimus*. . . Et ideo, frater charissime, saluta Numeriam et Candidam, quae secundum Pauli praeceptum et coeterorum martyrum, quorum nomina subijcio . . . , qui Deo volente in carcere fame necati sunt, quorum et nos socios futuros intra dies audietis. . . Et ideo, frater, peto ut, sicut hic cum Dominus coeperit ipsi Ecclesiae pacem dare, secundum praeceptum Pauli et nostrum tractatum, *exposita causa apud episcopum et facta exomologesi, habeant pacem*, non tantum hae, sed et quas scis ad animum nostrum pertinere” (ibid., 287 sq.).

Ep. 22, 1 sq. Cyprianus refert Clero Romano et reprobat temeritatem Luciani: “Frater noster *Lucianus*, et ipse unus de confessoribus, fide quidem calidus et virtute robustus, sed minus Dominica lectione fundatus, quaedam conatus est, imperiti jampridem se vulgi auctorem constituens, ut manu ejus scripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur, cum Mappalicus martyr cautus et verecundus, legis ac disciplinae memor, nullas contra Evangelium litteras fecerit, sed tantum domestica pietate commotus matri suae quae lapsa fuerat, *mandaverit pacem dari*; Saturninus quoque post tormenta adhuc in carcere constitutus nullas ejusmodi litteras emisit. Lucianus vero, non tantum Paulo adhuc in carcere posito nomine illius libellos manu sua scriptos passim dedit, sed et post ejus excessum eadem facere sub ejus nomine perseveravit dicens hoc sibi ab illo mandatum, nesciens domino magis quam conservo obtemperandum. Aurelii quoque adoloscensitis tormenta perpessi nomine libelli multi dati sunt ejusdem Luciani manu scripti, quod litteras ille non nosset.

“Cui rei ut aliquatenus posset obsisti, litteras ad eos feci, quas ad vos sub epistola priore transmisi, quibus petere et suadere non destiti ut Dominicae legis et Evangelii ratio teneretur. Postquam vero ad eos litteras misi, ut quasi moderatius aliquid et temperantius fieret, universorum confessorum nomine, idem Lucianus epistolam scripsit, qua pene omne vinculum fidei et timor Dei et mandatum Domini et Evangelii sanctitas et firmitas solveretur. *Scripsit enim omnium nomine universis eos pacem dedisse et hanc formam per me aliis episcopis innotescere velle*, cujus epistolae exemplum ad vos transmisi. *Additum est plane, de quibus ratio constiterit quid post commissum egerint*. Quae res majorem nobis conflavit invidiam, ut nos cum singulorum causas audire et excutere coeperimus, videamur multis negare quod se nunc omnes jactant a martyribus et confessoribus accepisse” (ibid., 290 sq.).

Ep. 27, 2: "Quidam de lapsis . . . quamvis libello a martyribus accepto, *ut tamen a Domino satisfactio sua admitti possit*, orantes scripserunt mihi se delictum suum cognoscere et poenitentiam veram agere, nec ad pacem temere aut importune properare, sed exspectare praesentiam nostram, dicentes pacem quoque ipsam, si eam nobis praesentibus acceperint, dulciorem sibi futuram. Quibus quantus gratulatus sim Dominus testis est" (ibid., 306 sq.).

Ep. 28: "Quorundam lapsorum conspirata temeritas, qui poenitentiam agere et Deo satisfacere detrectant, litteras ad me fecerunt, *pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes*, quod dicant Paulum [martyrem] omnibus pacem dedisse" (ibid., 310).

Ep. 30, 1 sq., Clerus Romanus approbat modum agendi Cypriani: "Satis mirati sumus [quosdam lapsos] ad hoc usque prosilire voluisse, ut tam urgenter et tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti et immenso crimine atque delicto, *pacem sibi non tam peterent quam vindicarent, imo jam et in coelis habere se dicerent*. Qui si habent, quid petunt quod tenent? . . . Illud praeterea vellemus addiscere: si martyres non propter aliud martyres fiunt nisi ut non sacrificantes teneant Ecclesiae usque ad effusionem sanguinis sui pacem, ne cruciatus dolore superati, perdendo pacem, perdant salutem, quo pacto salutem quam, si sacrificassent, se habituros non putaverunt, illis existimant donandam qui sacrificasse dicantur, cum legem hanc debeant in aliis tenere quam ipsi videbantur sibi ante posuisse? In quo negotio hoc ipsum quod pro se ipsis facere putaverunt animadvertimus contra se ipsos protulisse. Nam, si dandam illis pacem martyres putaverunt, *cur ipsi non dederunt? cur illos ad episcopum, ut ipsi dicunt, remittendos censuerunt?* Is enim qui jubet fieri potest utique facere quod fieri jubet" (ibid., 311–313).

Ep. 31, 4, Clerus Romanus eandem tangit quaestionem.

Ep. 52, 6, cit. supra in art. 92 (p. 388), testatur Cyprianus eius rationem agendi cum lapsis approbatam esse a neo-electo Papa Cornelio, in Conc. Romano a. 251.

QUOD ATTINET AD THEOLOGICAM INTERPRETATIONEM ILLIUS PRAXIS seu ad valorem sic dicti "libelli pacis" et privilegiatae conditionis quae eo tempore agnoscebatur martyribus, tanquam mediatoribus ecclesiasticae ac divinae reconciliationis, *duplex est eruditorum sententia:*

PROTESTANTES generaliter tenent martyribus fuisse agnitam

facultatem reconciliandi lapsos, absque sacerdotis seu episcopi interventu, adeoque eandem prorsus facultatem quae competeat sacerdotibus, atque exinde confirmant suam thesim de non agnita initio Ecclesiae proprie dicta clavium potestate, reservata hierarchiae, et de posteriori evolutione ecclesiae charismatae in ecclesiam hierarchicam. Ita inter alios *E. Preuschen, K. Müller, E. Rolfs, H. Ch. Lea, O. D. Watkins* (in operibus supra cit., p. 665). Ceterum, non uno modo loquuntur: Rolfs, interpretans Decretum Callisti, de quo Tertullianus (De Pud. 22: "At tu jam et in martyras tuos effundis hanc potestatem"), ait hanc martyrum potestatem fuisse nihilominus subordinatam potestati episcopi, ita nempe ut hic non absolveret peccata nisi prius fuissent a martyribus absoluta (cf. verba Batiffol infra cit.). Lea sustinet agnitionem potestatis martyrum fuisse communem tempore Cypriani. Watkins moderatius ait de ea potestate tunc disceptatum esse, ita ut saltem plures, nominatim Lucianus martyr ejusque socii, contra Cyprianum reclamarent veram potestatem independentem ab episcopo.

Hanc sententiam ex parte secuti sunt inter catholicos *De Labriolle*³ (minus fidenter) et *Batiffol*,⁴ docentes saltem Callistum, in suo Decreto relato a Tertulliano, revera agnovisse seu communicasse martyribus potestatem lapsos reconciliandi independentem ab episcopo, quam potestatem subinde negarunt aut revocarunt Cyprianus et Cornelius P.

Ad rem *H. CH. LEA*: "No special power was attached to the prayers of the priest; those of the laity were equally efficient; presumptively the entreaties of the righteous were more acceptable than those of the impious, but no distinction is anywhere indicated that ordination conferred any particular control over the grace and mercy of God. Martyrs, confessors and saints however were regarded as enjoying peculiar favor as mediators. Tertullian shows that the tendency to this began early when, after he had embraced Montanism, he argues that it is sufficient for a martyr to have purged his own sins, and asks who except Christ had saved another by his own death; and a passage in Cyprian shows us the belief fully current. When martyrdom went out of fashion with persecution the intercessory office was transferred to the saints. Early in the fifth century, a passage in the life of St. Honoré by his successor St. Hilary of Arles, shows that the saints were regarded as the patrons of the living, to intercede for them with God".⁵

O. D. WATKINS: "In Carthage, notwithstanding the sternness of all precedents, the apostasy has hardly found place before there arises a clamour of demand that the lapsed shall be restored. And the demand is largely based upon a *startling claim* which must at once call for our attention. It is asserted that those who have been martyrs or confessors (the words are not yet consistently differentiated) for the faith of Christ, *may claim the right, or may exercise the privilege*, of according the Church's peace to their weaker brethren who have failed. The claim, as has

³Martyr et confesseur, in Bulletin d'ancienne littérature et d'archéologie chrétienne, t. 1 (1911), p. 50-53; Introduction aux traités De Poenitentia et De Pudicitia, in Textes et Documents, Paris, 1906, p. XXXVI sq.

⁴Etudes d'histoire et de théologie positive, première série, Paris, 1926, p. 88 sq. 100 sqq.

⁵Op. cit. (supra in p. 665), v. 1, p. 105.

been seen, was not without precedent. Tertullian, in his earliest work, the 'Ad Martyres', the date of which may be placed as early as A. D. 197, says that certain who did not possess peace in the Church were wont to supplicate for it from the martyrs in prison. He bids the martyrs to foster and guard this peace in themselves, 'if haply ye may be able to afford it also to others'. A still earlier indication of the intervention of the martyrs is to be found in the circular letter of the churches of Lyons and Vienne to the churches of Asia and Phrygia, which may be assigned to A. D. 177. In this letter it is stated that 'the martyrs gave grace (*ἐχαρίζοντο*) to those who were not martyrs': and again, 'they asked life and He gave it them: which also they shared with their neighbours'. . . But now at Carthage in the Decian persecution the proportions assumed by the claim of the martyrs or confessors at once became almost overwhelming. . .

"It soon became apparent that on the subject of the privilege of the martyrs there was a fundamental difference of opinion even among those who were prepared to admit some exercise of the privilege. Was their intervention to be regarded simply as a weighty petition for reconciliation, which, as it would doubtless be heard before the throne of God, should find no less considerate hearing from the bishop? Or was it an actual communication of the grace of reconciliation, to which the bishop had simply to give effect? In one of their letters the Roman clergy point out with the Roman logic that the mere fact of the lapsed being sent by the martyrs to the bishops with a request for reconciliation proves that the bishops are the arbiters of such reconciliation. At Carthage some at least of the confessors were far from accepting any such position. The extraordinary letter [Ep. 16, supra cit.] put forth by the confessor Lucian on behalf of a little group for whom he was spokesman is one of the most remarkable documents of Christian history. . . Here is the whole startling claim. The power of the keys belongs to the martyrs, and the bishops must do as they are told.

"It is clear that there could be no beating about the bush after the receipt of such a document as this. Cyprian must take his stand. He writes to the presbyters and deacons that he has read the confessors' letter, but that the matter 'waits for the counsel and judgment of all of us', and that he does not 'dare to prejudge it, and so assume a common cause for' his 'own decision.'"⁶

DE LABRIOLLE: "Tertullien, dans son traité 'De Pudicitia' s'adressant au pape Calliste pour lui reprocher son indulgence à l'égard des adultères, dit, au début du chapitre XXII: 'At tu jam in martyras tuos effundis hanc potestatem'. Or le mot 'potestas' dans tout le morceau précédent, a été pris dans un sens précis, celui de pouvoir personnel, émanant directement de l'Esprit. C'est ce pouvoir-là que Calliste s'est attribué indûment: c'est lui qu'il reverse sur les martyrs. L'emploi du mot est important, si l'on observe que Tertullien se pique, en sa qualité de juriste, de donner aux termes dont il use une valeur constante. 2° Tertullien nous montre les pécheurs qui vont implorer dans les mines les martyrs forçats et qui reviennent de là 'communicatores', ayant part à la communion: *ce qui semble bien supposer qu'ils l'ont récupérée directement par l'office des martyrs, sans intervention de la hiérarchie.* 3° Remarquons aussi l'identification établie par Tertullien entre le privilège du Christ et celui que s'arrogent les martyrs psychiques (XXII, 4) ou la force d'expressions comme celles-ci: 'Quid permittis homini donare quae Deo reservata sunt' (XXXII, 3); 'Cum tamen maechis et fornicatoribus a martyre expostulas veniam' (XXXII, 9). Si Tertullien n'a pas déformé les faits, en exagérant par passion la portée des concessions de Calliste, il faudrait donc croire que Calliste ait effectivement octroyé un pouvoir tout pareil au sien".⁷

⁶ Op. cit. (supra, in p. 665), p. 184. 187 sq.

⁷ Introduction aux traités De Poenitentia et De Pudicitia, in Textes et Documents, Paris, 1906, p. XXXVI sq.

P. BATIFFOL: "On avait vu, à *Lyon*, les martyrs tendre la main à ceux de leurs compagnons dont les supplices avaient vaincu la constance [Citat epistolam Lugdunensium]. . . Cela revient à dire que le martyr, sacré par l'Esprit, disposait d'un pouvoir extraordinaire d'intercession auprès de Dieu, pouvoir auquel les faillies recouraient pour s'exempter de la procédure de l'exomologèse. . .

"L'édit de Calliste, après avoir défini le pouvoir pénitentiel de l'évêque, définit le pouvoir pénitentiel du martyr. *Le pouvoir qui appartient à l'évêque appartient aussi aux martyrs*. Tertullien reproche à Calliste cette concession comme un excès tout aussi insupportable que l'autre: 'At tu iam et in martyras tuos effundis hanc potestatem' (XXII, 1). Le pouvoir en question ici est exprimé dans les lignes qui précèdent: 'Ecclesia delicta donabit' (XXI, 17), et mieux encore plus loin: '... Christus in martyre est ut moechos et fornicatores martyrum absolvat' (XXII, 6). Le recours au martyr est décrit par Tertullien en des termes qui rappellent exactement la description de saint Irénée [i.e. epistulae Lugdunensium] et annoncent la description que nous donnera bientôt saint Cyprien. . . Irénée n'attribuait aux martyrs qu'une intercession dépréciative: Calliste a-t-il affirmé davantage? On ne le saurait établir. Ce qui est établi, c'est que Calliste, comme Irénée, estime l'intervention du martyr efficace auprès de Dieu: 'Moechis et fornicatoribus a martyre epostulas veniam' (XXII, 9).

"M. Rolffs a supposé que ce pouvoir du martyr est, pour Calliste, subordonné à celui de l'évêque: l'évêque remettra le péché de fornication, si le martyr au préalable l'a remis. Mais cette supposition n'est-elle pas purement gratuite? Le martyr absout, nous dit Tertullien, et les faillies 'communicatores revertuntur': que reste-t-il à faire à l'évêque? M. Rolffs a de la peine à comprendre que Calliste, après avoir revendiqué si énergiquement pour l'évêque ce pouvoir, ait consenti à le partager sans condition avec les martyrs. Il suppose donc que Calliste fait de l'absolution donnée par le martyr la condition préalable de l'absolution donné par l'évêque. Calliste est censé d'avoir écrit: 'Ego . . . paenitentia functis dimitto, si veniam a martyre acceperint'. M. Rolffs nous avertit toutefois que cette reconstruction est incertaine; on estimera plus justement qu'elle est invraisemblable. Calliste, en effet, entend remettre leur péché aux adultères qui se sont acquittés de leur pénitence: 'Ego dimitto'. Il remet sans condition autre que la pénitence. Il remet en vertu d'un pouvoir très défini, qui est celui de l'Eglise. Qu'ajouterait le pouvoir du martyr au pouvoir de l'évêque? M. de Rossi a supposé que les martyrs du temps de Calliste délivraient aux pécheurs des billets de réconciliation à remettre à l'évêque: nous ne voyons rien de pareil dans les textes de Tertullien. En 251, nous constaterons que l'intervention des martyrs n'est plus reçue à Rome: mais *comment nier que trente ans plus tôt Calliste l'ait admise?* . . .

"Un . . . fait se produisit [pendant la persécution de Dèce] . . . qui fut que les 'martyres' ou 'confessoires', usant de la prérogative dont nous avons constaté l'existence à Lyon avec saint Irénée, à Rome avec Calliste, à Césarée avec Origène, à Carthage avec Tertullien, prirent sur eux de remettre en masse leur apostasie aux 'lapsi'. . . A Carthage, saint Cyprien intervint avec une clairvoyante énergie, d'abord pour limiter la 'praerogativa martyrum' (XVIII, 1). Il interdit aux prêtres de rendre la communion aux 'lapsi' sur le simple vu du billet de communion délivré par un martyr. Il voit dans cet acte une offense à l'épiscopat, une méconnaissance de l'extrême gravité de l'apostasie commise par les 'lapsi'. . .

"Mais saint Cyprien dépasse Calliste sur la question de l'intercession des martyrs. Cette intercession était reconnue par saint Irénée et par Calliste, qui semblent n'avoir pas douté de son efficacité auprès de Dieu. *Saint Cyprien au contraire n'admet pas que cette intercession dispense un failli de la procédure normale*, savoir de l'exomologèse et de l'imposition des mains. Il condamne les prêtres qui ont réconcilié les faillies sans condition, sur le vu du billet de communion délivré par les martyrs. . . Que vaut donc aux yeux de saint Cyprien cette intercession des

martyrs? Elle est une intercession, non pas auprès de Dieu, mais auprès de l'évêque. Ou plutôt, ce qu'elle vaut auprès de Dieu, saint Cyrien veut l'ignorer. Mais l'évêque la recevra comme l'expression respectueuse d'un désir. *Le pouvoir épiscopal est affirmé par Cyrien comme il ne l'a pas été par Calliste*, et la prérogative des martyrs subordonnée au pouvoir épiscopal. . . Tout ce que Cyrien accorde, c'est que le martyr témoigne des dispositions des ceux pour qui il intercède. . . Les martyrs ne sont plus que des témoins de la satisfaction et de la contrition des faillis. Encore leur témoignage sera-t-il vérifié. . . Ce n'est pas tout, car Cyrien ne s'engage pas à faire droit au désir exprimé même en cette forme par les martyrs: ces demandes seront examinées devant toute l'Eglise, quand la persécution aura cessé. . .

"Si à Rome, la doctrine professée par Calliste concernant les martyrs avait été encore en faveur, on n'aurait pu que désavouer saint Cyrien. Calliste n'avait-il pas reconnu le bien-fondé de l'intervention des martyrs en faveur des adultères? Mais à Rome même toute trace avait disparu du *pouvoir reconnu trente ans plus tôt aux martyrs par Calliste*: Rome se reconnut dans la politique de saint Cyrien. Et même, tandis qu'à Carthage on n'osait pas radicalement et de front écarter la prétention des martyrs, à Rome pareille prétention n'existait plus, et l'on se demandait seulement: les 'lapsi' peuvent-ils être absous? . . . Les Romains n'admettaient pas que les martyrs aient le pouvoir d'accorder la paix aux faillis. Ils y voient une prétention contraire à l'Evangile. Ils en font une critique rigoureuse, pénétrante et bien plus directe que ne faisait Cyrien à Carthage. Du moment, disent-ils, que les martyrs renvoient les 'lapsi' à l'évêque, c'est donc qu'ils n'ont point le pouvoir de leur rendre eux-mêmes la communion. 'Dum ad episcopum illos remittunt . . . consulendum putaverunt; et dum illis non ipsi communicant, evangelicae legis illibatam sinceritatem custodiendam iudicaverunt' (XXXVI, 2). Calliste avait, trente ans plus tôt, reconnu aux martyrs le pouvoir de relever l'adultère de son péché. Les Romains semblent avoir oublié cette prérogative, ils s'expriment comme si les martyrs n'en avaient aucune. Manifestement, une réaction s'est produite à Rome qui a supprimé les dispositions transitoires, concernant les martyrs, édictées par Calliste. . .

"Il est très significatif que les décisions du concile [de Carthage a. 251, tenu à la fin de la persécution] ne font aucune mention d'aucune prérogative des martyrs. On peut même dire que chacun des canons . . . contient une négation de la valeur de cette prérogative. On examinera le cas de chaque failli: on tient donc le billet de communion pour nul. On fera durer la pénitence et on imposera l'exomologèse: les martyrs ne dispensent donc de rien. Les 'sacrificati' seront astreint à la pénitence perpétuelle, les 'libellatici' à une pénitence temporaire: les martyrs prétendaient rendre la communion sans aucun délai. Les faillis qui ne feront aucune pénitence, ceux donc qui croirons à la validité de la paix octroyée par les martyrs, sont excommuniés à perpétuité. En somme, les martyrs ne sont pas nommés, mais leur prérogative est supprimée. Et en cela le concile de Carthage adopte l'attitude romaine. . .

"Le pouvoir des clés est aux mains des évêques, mais . . . les évêques l'administrent comme un droit de grâce, que l'on ménage, que l'on conditionne, que l'on peut même suspendre. Il est aux mains des évêques, comme un pouvoir souverain: *l'intervention des martyrs, qui un temps avait entamé cette souveraineté, et que le pape Calliste avait pour un temps ratifiée, est depuis Cornelius exclue.*"⁸

CATHOLICI DOCTORES communiter negant unquam martyribus agnitam fuisse hujusmodi facultatem ut lapsis pacem seu reconcilia-

⁸ Op. cit. (supra in p. 665), p. 88 sq. 100 sq. 101 sq. 112 sq. 115-117. 120-125. 127 sq. 143 sq.

tionem proprie ac directe concederent, et multo minus independenter a sacerdote apud quem solum clavis potestatem residere Ecclesia jugiter credidit. Privilegium igitur martyrum et vis libellorum pacis consistebat in quadam martyrum intercessione et commendatione apud praepositos, ut fratribus lapsis facilius vel citius reconciliatio ab eis concederetur, seu ut admitterentur ad ecclesiasticam exomologesim vel tempus poenitentiae ipsis abbreviaretur; quod quidem privilegium fundabatur in dignitate martyrum coram Deo et Ecclesia, a quibus eorum preces et vota mererentur prae aliis exaudiri. Nec magis constat ex ipsis documentis nuper allatis. Ita, praeter dogmaticos omnes, *Funk, Vacandard, Rauschen, D'Alès, Galtier* in operibus supra cit., p. 665.

In Epistola de *martyribus Lugdunensibus* dicitur quidem eos "cunctos absolvisse, neminem ligasse" (ἐλvon ἅπαντας, ἐδέσμενον δὲ οὐδένα), quae materialiter sonant ut verba evangelica "alligaveritis, solveritis" (δῆμιτε, λύσητε), necnon lapsos "gratificatos esse" (ἐχαρίζοντο), qua voce usus est S. Paulus ad designandam condonationem incestuosi corinthii (Donastis = χαρίζεσθε). Attamen, ex immediato ipso contextu apparet ibi nullatenus agi de facultate absolvendi a peccatis vel quomodolibet reconciliandi lapsos cum Ecclesia, sed de benignitate et charitate quam martyres ostendunt erga lapsos (non secus ac erga ipsos tortores), suscipientes ac communicantes his qui ex communi disciplina censebantur excommunicati seu vitandi, ac exemplo suae fidei et fortitudinis eos attrahentes ad iteratam professionem fidei quam negaverant, ita ut iterum Christo et Ecclesiae generarentur. Sensus incisi "*cunctos absoluebant, neminem ligabant*" explicatur per incisum immediate praecedens "omnium defensionem suscipiebant, neminem accusabant" et enucleatur subinde variis rationibus quibus martyres lapsos adjuvabant, scilicet: orando pro eis sicut Stephanus oravit pro ipsis tortoribus, nullam ostendentes arrogantiam erga lapsos pro bonis spiritualibus quibus repleti erant, lacrymas pro illis coram Deo fundentes, vitam pro eis petentes, hancque pro ipsis obtinentes ita ut "quos ille malignus serpens vivos jam se devorasse crediderat, elisis faucis evomere cogeretur". Nec in alio consistit illa "*gratificatio*" quam martyres lapsis praebebant, ut scilicet, ob efficaciam eorum exempli ac orationis, ipsi ad fidei confessionem reverterentur et "ad tribunal accederent, quo iterum a praeside interrogarentur" dum "ingenti gaudio mater eademque virgo Ecclesia cumulata est, cum eos quos tamquam extinctos abortu ejecerat, vivos jam ac spirantes recuperaret."

Nullum igitur ibi habetur vestigium alicujus ministerii poenitentiae,

exerciti a martyribus contra aut praeter hierarchiam, sed solius ministerii charitatis; totum quod eis ascribi potest tamquam peculiare, est quod communicarent eis quos ecclesiastica disciplina vitabat, in quo praecise agnosci potest privilegium aliquod et praerogativa martyrum, quorum commercium cum lapsis agnoscebatur non posse ecclesiastico bono nocere sed tantum prodesse.

Apollonius in eodem sensu intelligi potest, cum loquitur de condonatione peccatorum a martyre. Ceterum, cum agat de martyre Montanista, non constat utrum velit alludere ad generaliore praxim vigentem etiam apud catholicos, eam nempe quam testantur Lugdunenses, an ad peculiarem praxim quae vigerit apud solos Montanistas, tribuendi nempe martyribus veram potestatem remittendi peccata (cujus praxis existentia probabilis est et conveniens principiis Montanisticis de ecclesia pneumatica, nec necessario excluditur ab impugnatione Tertulliani contra privilegia martyrum catholicorum, ut infra ostendetur); in quo casu sequeretur primum vestigium hujusmodi potestatis, martyribus tributae, inveniri non in Ecclesia catholica sed in ipsa secta Montanistica.

De *Origenis* testimonio sufficienter dictum est supra, p. 667 sq.

Tertulliani catholici testimonium nihil ostendit quod suffragetur interpretationi adversariorum, imo ex mente Tertulliani ipsa excluditur. Modus enim quo lapsi *pacem* "a martyribus in carcere exorare consueverunt" (Ad Martyres, 1), non alius esse potest quam idem quo ab iisdem martyribus seu fidei confessoribus poenitentes in ipsa ecclesia etiam extra tempus persecutionis veniam petebant, seu "*charis Dei adgeniculantes*" tamquam mediatoribus qui, efficacius quam alii fratres, "*legationes deprecationis* poenitentium ad Deum deferrent" (De Poenit. 9), et tamquam collaboratoribus et adiutoribus in ipso opere poenitentiae (De Poenit. 10: "Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere: *condoleat universum, et ad remedium collaborate, necesse est*. In uno et altero Ecclesia est, Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Aequae illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur"). In ipso opere De Pudicitia Tertullianus montanista talem modum adiutorii describit, dum reprobat pontificem, facilem veniam moechis concedentem: "Et tu quidem poenitentiam moechi *ad exorandam fraternitatem* in ecclesiam inducens, conciliatum et concineratum cum dedecore et horrore compositum prosternis in medium ante viduas, ante presbyteros, *omnium lacinias invadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem,*

inque eum hominis exitum quantis potes misericordiae inlecebris, bonus pastor et benedictus papa concionaris" (c. 13, M.L. 2, 1056).

Quod attinet ad testimonium *Tertulliani montanistae* (De Pud. 22), de communicata martyribus catholicis eadem potestate quae, juxta ipsum usurpabatur ab episcopo, reiciendum est, ut polemica et calumniosa exaggeratio, quae nullum habet fundamentum tum in scriptis ipsius Tertulliani catholici tum in aliis Traditionis documentis (quimmo Cyprianus vix triginta annis post Tertullianum scribens, constanter appellat ad antiquiorem praxim, ut impugnet abusus reclamandi pacem a martyribus). Unde quae ait de frequenti ac facili recurso lapsorum ad martyres, non aliud ostendere possunt quam quosdam confessores, redeuntes de carceribus, aliquatenus superbiisse de sua dignitate coram ipso episcopo, plures lapsos absque moderatione et prudentia ad martyres pro sua reconciliatione recurrisse ac episcopum (Papam vel episcopum Carthaginensem?) praxim recursum ad martyres non abnegasse horumque intercessionem benigne suscepisse.

Ad rem *VACANDARD*: "Il n'y a pas lieu, suivant nous, de presser trop rigoureusement les termes dont se sert Tertullien. Celui-ci a pu considérer comme une réconciliation officielle la réconciliation officieuse opérée par les martyrs et s'en faire un grief contre l'évêque de Rome qui, dans la pratique, la ratifiait régulièrement et semblait ainsi lui reconnaître une efficacité sacramentelle qu'elle n'avait point par elle-même. On a la preuve notamment que 'donare', 'donando delicta' peuvent avoir cette signification. Saint Cyprien emploie dans le même sens, à plusieurs reprises, les mots 'peccatum remittere', 'pacem dimisimus'. La réconciliation que désignent ces formules n'est pas tenue pour valable sans l'agrément, c'est-à-dire, par conséquent, sans la ratifications de l'évêque. Si donc les 'libelli pacis' n'eurent pas plus d'efficacité en 220 qu'en 250, à Rome et à Carthage, il faut en conclure que la paix dont les martyrs étaient les dispensateurs n'eut jamais dans l'Eglise la valeur d'une absolution proprement dite".⁹

Ceterum quod maxime Tertullianus impugnare intendit in toto libello De Pudicitia, cujus haec de martyribus diatriba est mera virulenta conclusio, non est ipsa martyrum potestas, sed ipsa potestas clavium, quam reputat esse charisma pneumaticorum (utique et martyrum fortasse, pneumaticorum tament seu montanistarum) in Ecclesia catholica ab episcopis usurpatum et suis martyribus communicatum. Item quod Tertullianus attribuit pontifici ac in eo reprehendit non est quod communicaret martyribus aliquam potestatem independentem a hierarchia, sed quod praecise agnosceret eis aliquam charismaticam potestatem, utut a hierarchia dependentem, quae juxta Tertullianum non datur nisi pneumaticis seu "Ecclesiae Spiritus, non ecclesiae numero episcoporum".

⁹ Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910, p. 68 sq.

Ad rem *D'ALÈS*: "Dans ce libelle [De Pudicitia, Tertullien] attaque non pas l'extension arbitraire d'une juridiction reconnue aux confesseurs, mais l'estime qui s'attache à leur personne, et par surcroît le dogme de la communion des saints. 'Sufficiat martyri propria delicta purgasse. Ingrati vel superbi est in alios quoque spargere quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius?' C'est ainsi qu'il s'exprime. Donc il ne reconnaît plus aux mérites des confesseurs aucune valeur satisfaisante. Une telle conception lui semble même injurieuse à la valeur universellement rédemptrice de la mort du Fils de Dieu.

"Ses négations indiquent assez ce que les catholiques affirmaient : ils affirmaient une communication de mérites entre les membres de l'Eglise, et Tertullien la nie : ils n'attribuaient pas, ils ne songeaient pas à attribuer aux confesseurs une sorte de juridiction quasi épiscopale. Et ici le langage technique adopté ou créé par Tertullien permet d'introduire dans l'exposition de sa pensée toutes les précisions désirables. On se souvient qu'il distinguait *disciplina* et *potestas*. Par *disciplina* il entendait un pouvoir régulier d'enseignement et de gouvernement, qu'il consentait à reconnaître dans l'épiscopat. Par *potestas*, il entendait un charisme extraordinaire, propre aux élus du Paraclet. Ce sont là, dans la langue du *De pudicitia*, deux notions tout à fait hétérogènes. Or, quand Tertullien formule son reproche contre Calliste, il ne se sert pas du mot *disciplina*, parce que la prérogative des confesseurs n'offrait aucune analogie avec la juridiction régulière des évêques. Il se sert du mot *potestas*, et accuse son adversaire d'élever la prérogative des confesseurs pour ainsi dire à la hauteur d'un charisme, en les faisant arbitres de la rémission des péchés. *Ceci détermine le sens et la portée du reproche. Tertullien proteste contre l'usurpation d'un charisme, que cette usurpation soit le fait des martyrs ou celui des évêques; il ne proteste pas contre tout exercice de la juridiction épiscopale. Pas plus comme montaniste que comme catholique, il n'impute à l'Eglise catholique une assimilation de la prérogative des confesseurs au droit supposé réel de la hiérarchie.*

"Ce qu'il refuse aux martyrs catholiques, l'accordait-il aux martyrs montanistes? Nous l'ignorons; mais rien n'empêche de supposer que, fidèle aux principes de la secte, il revendiquait pour ses martyrs, aussi bien que pour ses prophètes, des pouvoirs spéciaux. Martyrs et prophètes étaient, aux yeux de la secte, des privilégiés de l'Esprit. Seulement Tertullien ne reconnaît pas plus de vrais martyrs que de prophètes dans l'Eglise catholique, et *ce qu'il reproche au pape, c'est précisément d'usurper un droit de la secte*: 'At tu jam et in martyras tuos effundis hanc potestatem'. Il y avait donc entre Calliste et Tertullien un double désaccord: désaccord sur la réalité des charismes, dont les montanistes s'attribuaient le monopole; désaccord sur la qualité des personnes, les montanistes disqualifiant les martyrs de la communion catholique. Quant à ce pouvoir spécial d'intercession que l'Eglise avait toujours reconnu aux confesseurs de la foi, et qui trouvait à s'exercer sous Calliste, Tertullien ne s'en occupe que pour le dénaturer et le méconnaître. Tout ce réquisitoire est parfaitement consistant: *n'admettant pas le droit de la hiérarchie catholique à absoudre les fautes les plus graves, il était naturel que Tertullien n'admit pas davantage l'intercession des confesseurs près de cette hiérarchie impuissante*. D'un point de vue montaniste, rien de plus logique; mais aussi rien de plus étranger à la donnée catholique."¹⁰

Dionysius Alex. cum ait martyres indulsisse lapsis communionem seu communicationem ("susceperunt", "admiserunt et collegerunt") non loquitur de publica communionem seu reconciliationem cum Ecclesia, sed tantum de privata communicatione cum his quos omnis disciplina considerabat ut excommunicatos seu vitandos, ut dictum est supra

¹⁰ L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 248-250.

quoad martyres Lugdunenses; idque indicat ipse Dionysius addens: "In coetum suum receperunt, et in orationibus ac cibo cum iisdem communicarunt". Cum autem loquitur de *sententia seu iudicio a martyribus lato* de lapsis, haec verba accipit in sensu latiori, quatenus illa privata martyrum communicatio et indulgentia erga lapsos, attento honore ac veneratione qua martyres gaudebant in coetu fidelium, erat praeiudicium quoddam quo episcopus practice cogeretur ad concedendam publicam reconciliationem lapsis (cf. supracitata verba Cypriani contra modum agendi Luciani martyris, in Ep. 22, 2: "Quae res maiorem nobis conflat invidiam, ut nos cum singulorum causas audire et excutere coeperimus, videamur multis negare quod se nunc omnes jactant a martyribus et confessoribus accepisse"; Ep. 10, 4: "Ut incerta et coeca petitio invidiam nobis postmodum cumulet"). Ceterum, id clare ostenditur ex eo quod Dionysius significat se posse "iudicium illorum irritum facere", quod proinde nequit, in casu reconciliationis divinae, esse iudicium proprie dictum, utpote non definitivum.

De ipsius *Cypriani* sententia dubitari nequit. Ipse imprimis denegat martyribus potestatem reconciliandi lapsos, nec id ambigitur ab adversariis, qui immo dicunt ipsum suppressisse reconciliativam potestatem quam fingunt martyres eousque habuisse; reclamant contra imprudentem lapsorum recursum ad martyres eumque totis viribus conatur regulare, ita ut salvetur debita Ecclesiae disciplina et jus episcopi; contra illius praxis abusus signanter appellat antiquiorem tum episcoporum tum ipsorum martyrum sensum et disciplinam (Ep. 9, 3: "Sicut semper in praeteritum factum est"; Ep. 10, 1-4: "Sicut in praeteritum semper sub antecessoribus nostris factum est"; "Considerantes quae et qualia in praeteritum antecessores vestri martyres concesserint", "Quod nunquam omnino a martyribus factum est").

Quid autem ipsi martyres communiter saltem sentierint de pace a se data, constat tum ex testimonio Cypriani, loquentis de desiderii martyrum eorumque postulatione ut ab episcopo lapsi examinerentur ac reconciliarentur (Ep. 9, 3: "Petierint desideria sua examinari", "Honor quem nobis beati martyres servant"; Ep. 10, 1: "Desideria martyrum", "Lapsis pacem dari postulatis", "Quibus pacem dari desideratis"), tum ex testimonio ipsius Luciani eiusque sociorum martyrum, qui signantius suum jus reclamaverunt et a Cypriano acrius reprehensi sunt; etsi enim illi emphatice dicant "se dedisse pacem" (Ep. 16), "lapsos habere veniam a martyribus", "Christum martyribus petentibus indulturum lapsis", "martyres remittere peccatum" (Ep. 20, 2 sq., quae est Celerini, a Cypriano tamen laudati in eadem Ep. 22

in qua exprobat Lucianum), "pacem dari in nomine martyris", "martyres pacem dimittere" (Ep. 21, 2), simul tamen declarant ipsam reconciliationem pertinere ad episcopos, qui soli causam lapsorum ad martyrum petitionem judicare debent (Ep. 16: "Scias nos univervis de quibus apud te ratio constiterit quid post commissum egerint, dedisse pacem"; Ep. 21, 2: "Exposita causa apud episcopum et facta exomologesi, habeant pacem"; cf. Ep. 17 et 22, in quibus ipse Cyprianus hanc Luciani declarationem commemorat).

Quod ceterum Cyprianus maxime reprobatur, non tam est modus agendi aut sentiendi ipsorum martyrum (si excipiatur praedictus Lucianus eiusque socii), quam ratio tum presbyterorum facile et praetermisso episcopi jure reconciliantium lapsos ad martyrum petitionem, tum ipsorum lapsorum petulanter reclamantium pacem, imo, ut ait Cyprianus, "pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes" (Ep. 28), quos inconsequentiae aptissime arguit Presbyterium Romanum, inquit: "Qui si [pacem] habent, quid petunt quod tenent? . . . Si dandam illis pacem martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? cur illos ad episcopum, ut ipsi dicunt, remittendos censuerunt?" (Ep. 30, 1 sq.)

Dempta igitur quorundam, tum martyrum tum praecipue lapsorum, petulantia aut ignorantia, mens omnium catholicorum in hac Cypriani controversia fuit quod apud solam hierarchiam resideret proprie dictum iudicium de reconciliatione lapsorum, martyribus vero competeret peculiaris quaedam vis intercessoria apud Deum et Ecclesiam, quam quidem signanter exprimit ipse Cyprianus, inquit: "Honor martyribus habendus" (Ep. 14, 2), "Praerogativa martyrum apud Deum lapsi adjuvari possunt" (Ep. 12, 1), "Auxilio martyrum adjuvari apud Deum in delictis suis possunt" (Ep. 13, 2).

C. MONACHI (monachi in genere, abbatissae, monachi orientales).

Juxta Protestantibus Liberales¹¹ facultas remittendi peccata, quae initio intelligebatur esse apud charismaticos, deficientibus paulatim charismatibus, transivit ad martyres, et, cessatis subinde persecutionibus ac martyribus, transivit ad homines spirituales, et imprimis ad monachos, donec, dum fieret paulatim transitus a publica ad

¹¹ G. Steitz, Das römische Bussakrament, Frankfurt, 1854, p. 112.

E. Löning, Geschichte des deutschen Kirchenrechts, t. 2, Strasburg, 1878, p. 472.

A. Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, t. 3, Freiburg, 1890, p. 290 sq.

H. Ch. Lea, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, vol. 1, Philadelphia, 1896, p. 105. 197-219.

K. Holl, Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum, Leipzig, 1898, p. 267.

privatam poenitentiam, usurparetur a hierarchico sacerdotio, sub forma proprie dictae clavium potestatis. Aiunt monachalem disciplinam esse vestigium et signum antiquae ac unicae disciplinae poenitentiae publicae, nam capitula culparum erant quaedam publica confessio, et simul fuisse praecursorem novae disciplinae privatae ac sacramentalis confessionis, nam privata confessio apud abbatem vel abbatissam coepit subinde considerari ut sacramentalis, non minus quam ea quae fiebat apud sacerdotes.

Ad rem *LEA*: "Perhaps the most convincing evidence of the slender importance attached to auricular confession at this period is its neglect by the monastic orders, and their adherence to the customs described above (p. 183). From the earliest organization of monachism, they adapted to themselves the existing custom of public confession in the congregation, which was represented by daily or weekly chapters in which the brethren assembled and were expected to confess their faults or to be accused, when immediate punishment, usually scourging, would be inflicted. . . There was nothing in the slightest degree sacramental about this, but it sufficed. After penitence, as we shall see, was erected into a sacrament, there naturally arose the question as to the sacramental character of these capitular proceedings — that is, whether they were only in the *forum externum* or whether they conferred absolution in the *forum internum*, which by that time was considered to be the exclusive function of the sacrament. In the early thirteenth century, Caesarius of Heisterbach, who, though not a theologian, represents the views current among the convents of the time, has no hesitation in assuming that they are sacramental and sufficient in both forums. . . At the period under consideration these questions had not yet arisen, and the public confession or conviction in the chapter, with its resultant punishment and pardon by the abbot or other presiding officer, was held to be sufficient, so that no provision was considered necessary for auricular confession — the conservatism of monachism handed down the *traditions and the customs of the early Church* undisturbed by the developments and changes of the outside world. . .

"The monastic regulations concerning confession during the critical and revolutionary period of the twelfth century . . . seem to me to throw an important light upon the transition from the ancient custom of public confession in the congregation to the innovation of auricular confession. They furnish us a nearly perfect and unbroken chain of tradition preserving that ancient custom down to the times of the schoolmen and the development of penitence as a sacrament. In this survival the only significant change is the introduction, in the later period, of absolution in a manner which shows that the distinction between the *forum internum* and *externum* was as yet practically unrecognized. To the monk his daily or weekly chapter represented the congregation of the early Church, and in this he was bound to make public confession of his sins; if he failed to do so he could be accused by any one cognizant of his offence. . .

"We have seen that the only apostolic command of confession — that by St. James — simply prescribes it as mutual and does not recognize the priest class as specially fitted for it. We have also seen that during the early centuries the only confession recognized by the Church was in conformity with this precept and was made by the sinner in the congregation of the faithful, unless, indeed, he might be on trial before his bishop and then it was public in the episcopal court — customs which were faithfully handed down in the monastic chapters, long after they had been abandoned elsewhere. Also, that when the sinner had recourse to confession to a priest or other holy man, the latter determined whether the case required

public confession, and that the penitent's susceptibilities might be spared by committing the confession to writing and reading it in public. As private or auricular confession gradually supplanted public, it naturally fell into the hands of the priestly class, who were regarded as experts in the matter of repentance and penance and who, in the Penitentials, had standards by which to apportion the penalty to the sin. *They had however no prescriptive or exclusive right to this.* It is true that the Penitential of Theodore claims it for them, but the claim shows that the people were accustomed to apply even to women for penance, and that an exclusive sacerdotal privilege was a matter which required to be asserted."¹²

In art. 45 probavimus falsitatem primi asserti Liberalium, ostendentes propriam rationem antiquae poenitentiae publicae et existentiam privatae poenitentiae. Manet ut ostendamus falsitatem secundi asserti, nempe de monachis laicis sacramentaliter absolventibus. Jam ante exortum monachismum, clara et constans fuit doctrina et praxis Ecclesiae de reservata sacerdotibus potestate clavium et ministerio confessionis, ut ostensum est supra (p. 624 sqq.). Constitutis subinde conventibus monachorum et monialium, eis assignantur sacerdotes qui confessiones audirent et a peccatis absolverent (cf. *Aphraaten*, saec. 4, ad heremitas praecipue dirigentem suam *Demonstrationem 7 De Poenitentibus*, citatam supra in art. 36, tom. 2, p. 397, et *Basilium*, saec. 4, fundatorem monachorum, ordinantem fratrem suum in sacerdotium ut esset confessarius in monasterio S. Macrinae, sororis suae¹³).

Ut modo ostendetur, frustra in contrarium citantur quaedam pauca et incerta documenta praxis latinorum monachorum, necnon ipsos graviores abusus apud monachos orientales. Praxis enim confessionis monachorum apud praepositos et communitatem, nequaquam fuit quaedam reliquia antiquae poenitentiae publicae nec causa privatae poenitentiae, sed mera disciplinaria imitatio sacramentalis confessionis, fundata in motivo spiritualis profectus ac religiosae disciplinae. Abusus monachorum orientalium, ceteroquin non exaggerandi, a multis doctoribus illius Ecclesiae improbatum sunt, tum ante tum etiam post schisma.

Basilium, Regulae brevius tractatae (quarum redactio est posterior saec. 4), Interr. 110: "An sorore seniori confitente, adesse oporteat etiam ipsam seniore", Responsio: "Honestius cautiusque coram ipsa seniore fiet confessio seniori, qui scite ac prudenter poenitentiae atque correctionis modum possit suggerere" (M.G. 31, 1158).

Martène et Mabillon putarunt hic agi de confessione a sorore facta tum apud presbyterum tum apud abbatissam, seu apud presbyterum per abbatissam, legentes διὰ τῆς πρεσβυτέρας (apud seniore[m] seu abbatissam), ut habetur in antiquiori editione operum S. Basilii, loco μετὰ τῆς πρεσβυτέρας (coram presbytero) ut habetur in recentioribus

¹² Op. cit., p. 197 sq. 203. 217 sq.

¹³ Greg. Nyssenus, De vita S. Macrinae, M.G. 46, 973.

et exactioribus editionibus. Ceterum, etiam assumpta priori lectione, oportet eam intelligere de mera praesentia abbatis, ad cautelam honestatis ("Honestius cautiusque"), et quidem servata distantia, a sigillo requisita, ut dictum est in art. 43 (tom. 2, p. 758). Id implicat ipsa interrogatio ("adesse oporteat") necnon correspondens c. 110, inter Capita Regularum brevius tractarum, in quo legitur: "An ipso seniore sororis confessionem excipiente, ipsa etiam senior adesse debeat" (M.G. 31, 1062).

Ceterum Basilium docere sacramentalem confessionem esse faciendam apud solos presbyteros ostenditur in iisdem Regulis, Interr. 229 et 288 (cit. in art. 36, tom. 2, p. 398). Cum autem sermo est de patefaciendis culpis aliis quam sacerdotibus, agitur manifeste de praxi devotionali aut disciplinari; ita in Regulis brevius tractatis, Interr. 227, in Regulis fusius tractatis, Interr. 45 et 46 et in Sermone ascetico ubi legitur: "Completo jam die, omnique opere tum corporali tum spirituali absoluto, par est unumquemque in corde suo ante quietem suam ipsius conscientiam examinare. Et si quid contingit praeter decorum, sive cogitatio interdicta, aut colloquium praeter officium, aut in orando segnitias, aut in psallendo negligentia, aut communis vitae desiderium nequaquam occultet peccatum, sed coetui confiteatur, ut morbus illius qui in ejusmodi malum incidit, per communem precationem sanetur" (M.G. 31, 882).

S. *Benedictus* († 543) in sua *Regula*, c. 46, statuit: "Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocumque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdidit, vel aliud quid excesserit ubi ubi; et non veniens continuo ante abbatem vel congregationem, ipse ultro satisfecerit et prodiderit delictum suum; dum per alium cognitum fuerit, majori subiaceat emendationi. Si animae vero peccati causa latens fuerit: *tantum abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat*, qui sciunt curare sua, et *aliena vulnera non detegere et publicare*" (M.L. 66, 693 sq.).

Distinguitur hic duplex confessio alia disciplinaris,¹⁴ alia sacramentalis facienda apud solos sacerdotes, i.e. abbatem aut alios sacerdotes (spirituales seniores).

Jonas, abbas Elnonensis in sua *Vita S. Burgundoforae*, abbatis, abbatissae Eboriacensis (exarata a. 670), c. 9, scribit de quibusdam fugitivis sororibus: "Confusae ergo culpas agnoscunt, *Matrique reversae per*

¹⁴Haec disciplinaris confessio (capitulum culparum), continetur in omnibus monachalibus regulis, uti Basilii, Cassiani, Benedicti, Chrodegangi et Columbani, ex quibus transit in recentiores regulas ordinum religiosorum.

confessionem produunt" (M.L. 87, 1079). Narrationem suam prosequitur loquens de quibusdam aliis fugitivis sororibus quae, nolentes suum peccatum confiteri, impenitentes moriuntur: "Aggressus deinceps alias duas antiquus anguis, quas noviores atque multo imbecilliores conversatio reddebat, tentare compulit, primum ne confessionem veram nequaquam ab ore promerent. Erat enim consuetudinis monasterii, *ut ter in die per confessionem unaquaeque earum mentem purgaret*, et qualemcunque rugam mens fragilitate attraxisset, pia proditio ablueret. In hanc ergo labem mentes supradictarum puellarum diaboli jacula demerserant, ut nulla confessio vera ab ore prodiret, seu quae in hoc saeculo commiserant, seu quae quotidiana fragilitas atrahebat, vel in cogitatione, vel in sermone, vel in opere, ne vera confessio per poenitentiae medicamenta rursus redderet sospitati. Cumque lethifer anguis paulatim corda obdurando virus infudisset, et sibi deceptas sua nequitia mentes parere comperisset, aggressus est ut quadam nocte extra septa monasterii progressae fugam arriperent, et ad propria remeare vellent. . . Cum redissent . . . anxia Mater monasterii . . . *hortatur iterato ut inter supremas horas per confessionem facinus pandant . . . et sacri corporis communionem roborentur*. At illae audita sacri corporis mentione, garrire dentibus ac frendere coeperunt et stridentes dicere: Cras, cras. . . Inter quas voces extremum halitum dimiserunt" (ibid., 1079 sq.).

In primo textu et in priori parte secundi agitur de disciplinari confessione apud abbatissam et coram communitate, seu de sic dicto capitulo culparum in usu apud religiosos; in altera parte agitur quidem de sacramentali confessione, qua ipsa culpa deleteretur et communio recipi posset, sed nihil ostendit hanc apud ipsam cohortantem abbatissam fieri debuisse potiusquam apud sacerdotem cappellanum, nec id necessario colligitur ex simultanea mentione utriusque confessionis et omissa mentione sacerdotis.

S. Donatus, episcopus Vesontionensis in sua *Regula ad Virgines* (medio saec. 7), haec habet: "Caput XXIII. Qualiter ad confessionem omnibus diebus veniant. Inter ceteras regulae observantias hoc magis super omnia tam juniores quam etiam seniores monemus sorores, ut assidue et indesinenti studio tam de cogitatu, quam etiam de verbo inutili, vel opere, seu aliqua commotione animi, confessio omnibus diebus, omnibus horis, omnibusque momentis semper donetur; et *matri spirituali nihil occultetur*, quia statutum est hoc a sanctis Patribus, ut detur confessio ante mensam, sive ante lectorum introitum, aut quandocumque fuerit facile, *quia confessio poenitentiae de morte liberat*. Ergo nec ipsa parva a confessione sunt neglienda

cogitata, quia scriptum est: 'Qui parva negligit, paulatim defluit' (Eccli. xix)" (M.L. 87, 282).

Hic etiam non agitur de confessione sacramentali sed de disciplinari confessione religiosorum, nec contrarium indicant verba "Quia confessio poenitentiae de morte liberat", quippe quae sunt mera emphatica expressio salutaris actus humilitatis, multipliciter disponentis ad sanctificationem.

Capitulare Caroli Magni a. 789, n. 75, habet: "Auditum est aliquas abbatissas, contra morem sanctae Dei ecclesiae, *benedictiones cum manus impositione et signaculo sanctae crucis super capita virorum dare*, ne non et velare virgines cum benedictione sacerdotali. Quod omnino vobis, sanctissimi patres, in vestris parochiis interdicendum esse scitote" (M.L. 97, 179).

Nihil indicat hic agi de attentata ab abbatissis ipsa sacramentali absolute, quae importaret praeviam confessionem, potiusquam de mera caeremoniali benedictione, usurpata ab abbatissis, et ceteroquin reprobata ut "contra morem Ecclesiae".

Innocentius III, Regesta sive epistolae, l. 13, epist. 187, ad Palentinum et Burgensem episcopos, rescribit: "Nova quaedam nuper, de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata, quod abbatissae videlicet in Burgensi et Palentinensi dioecesisibus constitutae moniales proprias benedicunt, *ipsarumque confessiones criminalium audiunt*, et legentes Evangelium praesumunt publice praedicare. Cum igitur id absonum sit pariter et absurdum, nec a nobis aliquatenus sustinendum, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus ne id de caetero fiat auctoritate curetis apostolica firmiter inhibere; quia licet beatissima virgo Maria dignior et excellentior fuerit apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus claves regni coelorum commisit" (M.L. 216, 356).

Ex hac epistola sequitur tantum abusus quandoque irrepsisse in spirituali directione monialium per abbatissam, ita ut ipsorum peccatorum "criminalium confessio" apud abbatissam imponeretur; ex quo ceteroquin nec necessario sequitur abbatissam aut moniales putasse eam confessionem esse sacramentalem. Totum ergo quod videtur S. Pontifex improbare, est impositio non-sacramentalis confessionis de peccatis mortalibus apud abbatissam, cum, juxta praxim monachalem, nonnisi externae infractiones contra regulas accusandae essent.

*Apud ORIENTALES*¹⁵ *interventus laicorum monachorum in minis-*

¹⁵ J. Pargoire, *L'Eglise byzantine de 527 à 847*, Paris, 1905, p. 348.

Jugie, *Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium*, t. 3, Parisiis, 1930, p. 362-367. Vacandard, in *Dict. Théol. Cath.*, art. Confession du I au XIII siècle, col. 852-868;

terium confessionis, diversam habet indolem et originem. Nam praeter praedictam praxim merae disciplinaris confessionis inter membra monasteriorum, quae fuit communis occidentalibus et orientalibus quaeque observatur signanter in Regulis S. Basilii et S. Benedicti, extitit per plura saecula, tum post schisma tum etiam antea, quaedam usurpatio ipsius sacramentalis confessionis necnon quaedam peculiaris aliquorum doctorum sententia de reservata vel saltem communicata monachis laicis vera clavium potestate; quae usurpatio et doctrina originem habuit in ea Orientalium scriptorum tendentia, qua maxime urgebatur necessitas bonae dispositionis et sanctitatis vitae in ministris sacramentorum, praeter ipsam ordinis dignitatem.

Haec tendentia, aliunde legitima si intra debitos limites contineatur, jam manifeste apparet apud *Clementem Alex.* et *Origenem*, ut constat ex dictis in p. 664 sq. (cf. in p. 629, ad textum Origenis, In Psal. 37, hom. 2, 6), necnon in ipsa *Regula S. Basilii* (cf. Regulas fusius tractatas, Interr. 45 et 46; Regulas brevius tractatas, Interr. 227. 229. 261. 288). Circa finem saec. 5 *Pseudo-Dionysius Alex.* (supra cit., p. 635 sq.) reprehendit excessus hujus tendentiae in quodam monacho qui praesumpsit judicare ac spernere sententiam absolutionis, datam a quodam sacerdote, ob allegatam rationem indignitatis istius. Saec. 7 *Anastasius Sinaita* commendat confessionem apud "homines spirituales"¹⁶ ("Si ergo inveneris hominem spiritualem qui possit tibi mederi, citra pudorem, et cum fide, confitere ei peccata, tanquam Domino, et non homini", Quaestiones, quaestio 6, M.G. 89, 371).

Talis tendentia ac doctrina connaturaliter impulit populum ad eligendos suos confessarios inter monachos, sacerdotio aliunde insignitos, potiusquam inter saeculares sacerdotes, ratione ipsius religiosae professionis quae est status perfectionis. Huic generali rationi accedere etiam potuerunt aliae peculiares circumstantiae, scilicet sive aureola celibatus cui renuntiaverunt sacerdotes saeculares in Conc. Nicaeno I,¹⁷ sive directus influxus auctoritatis ecclesiae

Etudes de critique et d'histoire religieuse, deuxième série, Paris, 1910, p. 112 sq.; Art. Les moines confesseurs en Orient, in Revue du Clergé Français, t. 44 (1905), p. 236-260.

A. Teelaert, La confession aux laïques dans l'Eglise latine, Paris, 1926, p. vii-ix.

Inter *Prostantes* supra citatos (p. 684), praecipue notandus est *K. Holl* qui plura afferit facta circa praxim monachorum orientalium, etsi ea interpretetur secundum supradictum praejudicium Liberalium.

¹⁶ Notat *Vacandard*: "Les Grecs exigent des confesseurs, outre le pouvoir d'ordre, des qualités spéciales de clairvoyance et de sainteté. Les confesseurs doivent être des directeurs d'âmes, des πνευματικοί πατέρες. C'est de l'Orient que nous est venue la qualification, aujourd'hui si répandue, de 'pères spirituels'" (In Dict. Théol. Cath., art. Confession du I au XII siècle, col. 862).

¹⁷ *Vacandard*: "Le clergé grec (c'est une remarque de M. Karl Holl) avait commis une faute au Concile de Nicée, en refusant de s'astreindre au célibat. Sur ce débat conciliaire concernant le célibat des prêtres, cf. *Vacandard*, Etudes de critique et d'histoire religieuse, Paris, 1905, p. 94 sq. Tout le prestige qui s'attache à la pratique

seu episcoporum qui, commoti relaxatione morum apud clerum saecularem, pretulerunt ministerium confessionis monachis potius committere, sive ambitio ipsorum monachorum qui paulatim exercitium illius ministerii extra eorum claustra, tanquam sibi proprium usurpare conati sunt.¹⁸

Hae rationes et haec activa monachorum participatio in ministerio confessionum, quae maxime increvit tempore controversiae cum Iconoclastis (saec. 8 et 9), a monachis validissime impugnatis,¹⁹ paulatim induxit apud plebem usum recurrenti ad monachos pro sacramentali confessione, quin de eorum sacerdotali ordinatione inquireretur. Id "exemplo firmatur illius *Theodori protospatharii*, qui in actione nona synodi oecumenicae octavae [a. 869] coram Patribus declaravit se perjurium, quod contra sanctum Ignatium commiserat, eximio cuidam monacho stylitae confessum esse, et ab eo epitimium pro peccato accepisse. Interrogantibus vero legatis patriarcharum num homo sacerdos esset, Theodorus respondit: 'Nescio; abbas erat, et habebam fidem in hominem, et nuntiavi ei',²⁰ Continuator 'Historiae' Constantini Porphyrogennetis narrat *Romanum Lecapenum imperatorem*, cum se perjurii scelere obstructum sentiret, accitis undique trecentis monachis, peccata sua omnia ex charta cunctis illis audientibus recitasse, omnibusque monachis remissionem dantibus, mox communionem obtinuisse.²¹ Porro ex his trecentis monachis, nullum sacerdotio ornatum fuisse verisimile non est: iterum vero omnes fuisse sacerdotes omnino improbable est".²²

Ex praxi ad theoriā ascendentes, non defuerunt subinde saec. 11-12 *quidam monachi, theologi et episcopi, qui putaverint potestatem clavium esse privilegium monachorum et quidem independentem a potestate ordinis vel jurisdictionis.*

de la chasteté perpétuelle passa de la sorte aux moines et aux cénobites. Cf. Holl, op. cit., p. 311. Les moines devinrent nécessairement les *πνευματικοί* par excellence, et par suite des 'pères spirituels', c'est-à-dire des directeurs d'âmes et des confesseurs recherchés" (ibid., col. 864).

¹⁸ Cf. *Ermoni*, La Pénitence dans l'histoire, in *Revue des questions historiques*, t. 23 (1900), p. 5-55.

¹⁹ *Joannes IV Oxita* (saec. 12), patriarcha antiochenus, testatur: "Ab eo tempore [i.e. Iconoclastarum] ad hunc usque diem, elapsis jam quadringentis annis, adeo a cunctis fidelibus cultus honoratusque fuit monachorum ordo, ut confessiones et enuntiationes peccatorum et eis congruae poenitentiae et absolutiones ad monachos translatae sint, quemadmodum et in praesentiarum quoque fieri videmus" (Oratio de disciplina monastica et de monasteriis laicis non tradendis, M.G. 132, 1128).

²⁰ Hardouin, *Colect. concil.*, t. v, col. 889; cf. col. 1095.

²¹ Cf. *Lequien*, In *Epistolam de confessione admonitio*, P. G., t. xciv, col. 279.

²² *Jugie*, *Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium*, t. 3, Parisiis, 1930, p. 363 sq. Cf. *J. Pargoire*, *L'Eglise byzantine de 527 à 847*, Parisiis, 1905, p. 348; *Vacandard*, in *Dict. Théol. Cath.*, art. Confession du I au XIII siècle, col. 863-866; *K. Holl*, *Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum*, Leipzig, 1898, p. 312-323.

Ad rem *Jugie*: "Hujus sententiae patronus²³ illustrior fuit *Symeon Novus Theologus* [† circa a. 1040], illius 'Epistolae de confessione' auctor quae in quibusdam codicibus sub nomine sancti Joannis Damasceni venit.²⁴

"Thesis a Symeone propugnata his paucis enuntiari potest: Potestatem remittendi peccata a Salvatore acceperunt apostoli; quam suis successoribus, id est episcopis, et iis solis, transmiserunt. Progrediente vero tempore, cum praesules diversis vitiis se dedissent et in varias haereses delapsi essent, 'divina gratia eos dereliquit, haecque potestas a talibus ablata est', et donum Spiritus ad monachos transivit; non autem ad omnes, sed ad eos solum, qui sanctitate vitae praefulgent, quosque signat fidelibusque manifestat miraculorum donum, ad dignitatem apostolicam eos evehens. 'Hujusmodi viris, inquit ille, potestatem ligandi et solvendi concedi intelligo a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo per Spiritum sanctum, iis qui facti sunt filii ejus et servi in sanctitate. Talis ego ipse Patris discipulus fui, qui quidem ordinationem ab hominibus non acceperat; me autem Dei manu, id est Spiritu sancto in discipulatum admisit; et eam ordinationem, quam homines conferunt, praecepit mihi juste suscipere secundum formam congruam, magno ad hoc desiderio a Spiritu Sancto olim permotus.²⁵

"Huic haereticali doctrinae etiam *quosdam episcopos* suffragatos esse testantur Balduinus, Latinorum imperator Constantinopolitanus, Nicephorus Chartophylax et Symeon Thessalonicensis.

"*Balduinus*, in epistola 'Ad omnes in toto orbe christianos', de Graecis dissidentibus dicit: 'Haec est gens, quae omnes Latinos non hominum nomine dignatur, sed canum, quorum sanguinem effundere pene inter merita reputatur, nec ulla satisfactione satisfaciunt *laici*

²³ Pro hac sententia immerito citantur verba *Joannis IV Oxitae*, nuper relata (p. 691), nam ibi non dicitur ministerium confessionis translatum fuisse monachis sacerdotio destitutis, immo potius supponi debet Joannem, patriarcham ecclesiae Constantinopolitanae, loqui de monachis sacerdotibus, cum hoc concordet cum communi traditione ecclesiae byzantinae ejusque saniorum theologorum.

Idem dicendum de sequentibus verbis *Joannis Jejunatoris* in Sermone De Poenitentia (qui olim tribuebatur S. Chrysostomo; subinde vero, a Montfaucon, Vossio et Pearson, Joanni Jejunatori, patriarchae Constant. a. 582-595, hodie tandem a pluribus post K. Holl, cuidam monacho saec. 11 ejusdem nominis): "[Christus hominum] nullo modo curam deseruit, sed legem eis ad auxilium dedit, angelos custodes praeposuit, prophetas, apostolos, episcopos, presbyteros, doctores misit ad eos spirituales doctrinas edocendos. *Monachos insuper ad exhortandum, ad confessiones apud ipsos cum poenitentia edendum*" (M.G. 88, 1919).

²⁴ "Habetur in P. G., t. xciv, col. 283-304. De hac Simeonis doctrina vide opus K. Holl, *Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum*, Lipsiae, 1898. Hic auctor caute legendus est; plus aequo enim abusum, de quo loquimur, amplificat, eiusque originem arbitrario tribuit illi primitivo entusiasmo nascentis Ecclesiae, de quo Protestantibus liberales, tam mira comminiscuntur. De hoc opere vide iudicium Suvorovi, in *Vizantiiskii Vremennik*, t. vi (1899), p. 475-524."

²⁵ Loc. cit., col. 304.

*monachi, penes quos, sacerdotibus submotis, tota ligandi atque solvendi consistit auctoritas.*²⁶

²⁶*Nicephorus Chorthophylax*, xiii saec., idem forsitan qui sub nomine Nicephori II patriarcha Constantinopolis fuit (1260–1261), in suis epistolis ad monachum Theodosium, Corinthi inclusum, de administratione sacramenti poenitentiae non semel loquitur. In prima epistola a Leunclavio edita,²⁷ haec habet: ‘*Monachi qui sacerdotes non sunt et tamen aliquorum confessiones suscipiunt, ligantes et solventes, sciant se id contra canones facere.* Sancti enim Patres nec sacerdotes volunt sine jussu antistitis regionis conciliare poenitentibus gratiam, ut 6 et 42 canones synodi Carthaginensis declarant; nunc vero nescio quomodo ea spernitur constitutio.’ In quodam fragmento alius epistolae ad eundem, de ligandi et solvendi potestate tractans: ‘*Ligandi solvendique potestas, inquit, pontificibus ipsis a clementissimo Deo nostro demandata est.* Siquidem omnes oportebat ad ipsos pontifices accedere, suaque illis occulta prodere; et sic vel renuntiationem vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum sit, ut haec minus observentur; quamvis existimem pontifices, negotii taedio frequentique multitudinis importunitate defatigatos, id operae ad monachos transmisisse, ad eos scilicet qui vere probati sint aliisque valeant esse utiles.’²⁸

²⁷*Simeon Thessalonicensis* Gabrieli Pentapolitano interroganti: *num probandum sit quod episcopi facultatem dent confessiones peccatorum audiendi monachis qui sacerdotes non sint, et promiscue benedicant ac remittant peccata*, ita respondet: ‘Ego quoque audivi pontifices simplicibus monachis concessisse confessiones (λογισμούς) excipere. Quid autem sentiam ego, et antea jam dixi,²⁹ et nunc dico, et confido me cum Patribus consentire: Hoc totum opus est sacerdotii proprium; quod a pontificibus aut sacerdotibus exerceri oportet, nullo modo autem a laicis (παρ’ ιδιωτών), nisi aliqua necessitas, sacerdote deficiente, cogat monachum prudentem et legum Dei (sanctos dico canones) probe gnarum cum licentia episcopi hoc operari. Huic autem satis sit confessiones excipere, ut postea de eis episcopo referat, vel quaedam profutura interroganti discrete statuere, minime vere audeat condonare et absolvere. Sin aliter, ille sacerdotis munus exercebit cum

²⁶ Citatur a Lequien, loc. cit., col. 279.

²⁷ Jus graeco-romanum, p. 541. In P. G. t. c, col. 1061.

²⁸ P. G., ibid., col. 1065–1067. Nota Nicephorum hic loqui de monachis in genere, et non distinguere inter monachos laicos et ιερομονάχους.”

²⁹ “In Responso scilicet xiii ad Gabrielem, ubi ex professo tractat de valore objectivo sacramentorum independentem a sanctitate ministri. P. G., t. clv, col. 864.”

sacerdotalis potestatis sit expers, baptizans, benedicens et caetera agens: quod est usus Ecclesiae omnino extraneum³⁰.”³¹

Attamen, hujus praxis ac theoriae limites in ecclesia orientali, ultra modum producendi non sunt, cum constet eam explicitè reprobata esse ab insignibus canonistis ac theologis, uti a recitatis *Nicephoro Chartophylace* (saec. 13) et *Simeone Thessalonicensi* metropolita (1410–1429), necnon jam a *Balsamon* (saec. 12) qui in sua expositione canonis 6 Carthaginensis ait: “Sacrați monachi male faciunt confessiones excipiendi sine permissione episcopi; a fortiori vero ii qui sacerdotes non sunt” (M.G. 138, 42; cf. *ibid.*, 972). “Teste C. Smirnov,³² patres spirituales qui simplices monachi essent sacerdotali ordinatione non sacrați nusquam novit Russia orthodoxa; neque tales inter Graecos amplius occurrunt. Praeter sacerdotium vero, ad valide absolvendum etiam necessariam esse simplici presbytero vel hieromonacho jurisdictionem seu licentiam ab episcopo concessam, quum veteres tum recentes theologi docent”³³.

D. LAICI CONFESSORES.³⁴

Mediaevalis praxis confitendi apud laicos offert peculiare pha-

³⁰ *Ibid.*, col. 884–885.

³¹ *Jugie*, op. cit., p. 365–367.

³² Art. De Patre spirituali apud veteres Russos, in *Bogoslovskii Vestnik*, 1898, t. 1, p. 163–194. Cf. ejusdem longius opus *De Patre spirituali apud Russos veteres*, Mosquae, 1914.

³³ *Jugie*, op. cit., p. 367.

³⁴ Inter auctores mox citandos, fusiùs ac signantius de hac materia scripserunt *Morinus*, *Martène* et *Chardon* inter antiquiores, *Laurain*, *Gromer* et *Teetaert* inter modernos Et Protestantibus vero notandus est *H. Ch. Lea*.

J. Morinus, Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae, l. 8, c. 23 et 24, Parisiis, 1651.

E. Martène, De antiquis Ecclesiae ritibus, l. 1, c. 6, a. 6, n. 7 sqq., Rotomagi, 1700, p. 38 sq.

C. Chardon, Histoire des Sacrements, Histoire du sacrement de Pénitence, sect. 2, ch. 7, apud Migne, Theol. Cursus, t. 20, col. 415–418.

Benedictus XIV, De synodo dioecessana, l. 7, c. 16, n. 9–12, apud Migne, Theol. Cursus, t. 25, col. 1080–1082.

H. Ch. Lea, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, vol. 1, Philadelphia, 1896, p. 217–226.

P. Laurain (qui primus inter modernos attentionem eruditorum direxit in hac quaestione), De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence, chap. 1, Paris, 1897, p. 5–67.

H. Hurler, in Zeitschrift für Katholische Theologie, t. 23 (1899), p. 720 sq., recensuit praedictum opus Laurain.

A. Vacant, in Dict. Théol. Cath., art. Absolution des péchés, col. 182–189.

E. Vacandard, in Dict. Théol. Cath., art. Confession (Du I au XIII siècle), col. 877–880; in Revue du Clergé Français, Art. La confession dans l'Eglise latine, t. 44 (1905), p. 344–348.

P. Bernard, in Dict. Théol. Cath., art. Confession (Du Concile de Latran au Concile de Trente), col. 899–901.

A. M. Koeniger, Die Beicht und Cäsarius von Heisterbach, München, 1906, p. 77–88.

G. Gromer, Die Laienbeicht in Mittelalter, München, 1909.

Fr. Gillmann, Zur Frage der Laienbeicht, in Der Katholik 1909, I, p. 435 sqq.; 1910,

nomen, omnino distinctum ab aliis laicalibus participationibus in ministerio Poenitentiae, supra enumeratis, scilicet interventu pneumaticorum, martyrum et monachorum. Nam ex una parte hic agitur de directa participatione in ipsa confessione, quae est praecellens pars sacramenti Poenitentiae a qua totum ipsum sacramentum denominatur, quod quidem non observatur in interventu pneumaticorum et martyrum, et ex alia parte agitur de communi ac diuturna praxi Ecclesiae Occidentalis, ab ipsis doctoribus recepta et commendata.

Inter Protestantas Liberales, H. Ch. Lea signanter adducit hanc praxim ut quandam reliquiam et signum antiquae disciplinae ac mentalitatis primitivae Ecclesiae de non reservata hierarchico sacerdotio potestate reconciliativa:

"As private or auricular confession gradually supplanted public, it naturally fell into the hands of the priestly class. . . They had however no prescriptive or exclusive right to this. It is true that the Penitential of Theodore claims it for them, but the claim shows that the people were accustomed to apply even to women for penance, and that *an exclusive sacerdotal privilege was a matter which required to be asserted*. A passage from the Venerable Bede has been largely quoted in support of this claim, in which he says that the lighter or daily sins can be confessed to one another and be redeemed by prayers, while the graver ones should be revealed to the priest, but we have already seen that by these graver sins he means only heresy, Judaism, infidelity, and schism, leaving a large field for mutual confession between laymen. . . In the absence of a priest, death-bed confession to a layman was long held to be sufficient. . . But confession to laymen was not restricted to such cases of extremity. . .

"Though the theologians . . . endeavored to restrict the old customs in accordance to the new dogmas, *the belief continued that the virtue of confession lay in the act itself, irrespective of the person to whom it was made*. . . The theologians continued to admit the efficacy of confession to laymen in the absence of a priest. . . Albertus Magnus

l, p. 318 sqq.; 1913, II, p. 59 sqq.; in *Theologische Revue*, t. 9 (1910), col. 83-86, recensuit praedictum opus Gromer.

A. D'Alès, *De Paenitentia*, thes. 8, Parisiis, 1926, p. 111 sq.

P. Galtier, *De Paenitentia*, thes. 37, n. 516, Parisiis, 1931, p. 396 sq.

A. Teetaert (alias, Amédée de Zedelghem, O. M. Cap., qui fusiis de hac re inquisivit), *La confession aux laïques dans l'Eglise latine depuis le VIII jusqu'au XIV siècle*, Wetteren-Bruges-Paris, 1926; *Doctrinae de Saint Thomas d'Aquin* au sujet du sacrement de Pénitence et de la confession aux laïques, in *Miscellanea Tomista* (Estudis Franciscans, t. 34), Barcinonae, 1925, p. 314-325; *Doctrinae du Maitre Franciscain Alexandre d'Alès*, au sujet du sacrement de la Pénitence et de la confession aux laïques, in *Etudes Franciscaines*, t. 37 (1925), p. 337-354; *La confession aux laïques chez Albert le Grand*, in *Ephemerides Theologicae Lovanienses*, t. 2 (1925), p. 530-542; *La confession aux laïques chez les Théologiens Franciscains* du XIII siècle, in *Estudis Franciscans*, t. 39 (1927), p. 38-59.

takes nearly the same view [as Alexander Hales] — confession to laymen is valid, if it is not motivated by contempt of religion, and in case of necessity laymen and even women *have authority from God to grant absolution*. . . As a mute protest against the exclusive sacerdotal control of the keys the custom [of confession to laymen] died a natural death consequent upon the full recognition of that control, yet its persistence until the seventeenth century *shows how strong a hold the ancient tradition held on the popular mind*, and it is not without interest to observe that, in spite of the denial of the sacramental character of lay confession, a quasi-sacramental character has still been accorded to it in the rule that the seal of the confessional extends over all such confessions made to laymen.”²⁵

Ut inde ab initio evertatur praejudicata haec interpretatio illius praxis, sufficiat duo advertere quae manifeste patent ex documentis infra referendis. Prima est quod confessio apud laicos nunquam considerata fuit ut vere sacramentalis, seu ut exercitium potestatis clavium, ita ut in mente fidelium aut doctorum haberet eandem vim ac confessio facta apud sacerdotem; aliis verbis, agnita quidem est confessio apud laicos, sed nequaquam potestativa absolutio per laicos, ita ut tota efficacia illius confessionis conciperetur potius ex parte Dei acceptantis, in casu absentiae sacerdotis et impossibilitatis absolutionis per claves, opus operantis, facientis quod in se est, ut substitutum aliquod ipsius operis operati sacerdotalis absolutionis. Secundum est quod ea praxis exorta est quo tempore potestas clavium, juxta Rationalistas, magis ac magis coeperat in Ecclesia agnosci et a sacerdotibus usurpari, imo maxime invaluit et signantiores aspectus necessitatis et alicujus sacramentalitatis obtinuit saec. 13, seu quo tempore, juxta Rationalistas, per Conc. Lateranense IV a. 1215 completa est evolutio ecclesiae charismaticae in hierarchicam, et poenitentiae publicae in privatam. Unde inepte H. Ch. Lea docet agnitam esse laicis potestatem reconciliandi cum Deo (vel, quod ad idem redit, agnitam esse confessioni efficaciam reconciliativam independentem a qualitate personae cui fieret) et praxim laicalis confessionis esse signantissimum quoddam vestigium doctrinae et praxis Ecclesiae prioris.

Reliquum est ut breviter consideremus historico-theologicam indolem illius praxis, seu tum originem et evolutionem facti, tum theoreticas rationes in quibus fundabatur, juxta mentem doctorum illius aetatis. Ad tempus quod attinet, usus confitendi apud laicos coepit circa

²⁵ Op. cit., p. 217. 218. 219. 221. 222. 226.

initium saec. 8, assumpsit proportionem propriae ac communis praxis ab ineunte saec. 11 ac processit imperturbata usque saltem ad finem saec. 13. Subinde, sensim sine sensu declinavit et post Conc. Trid. fere evanuit, praecipue ratione ortus haeresis Waldensium, Fraticellorum, Wicleffitarum, Hussitarum et Protestantium, concedentium laicis eandem potestatem ac sacerdotibus, et iteratae condemnationis hujus haeresis per Conc. Lat. IV, Joannem XXII, Conc. Constantiense et Conc. Tridentinum.

EA PRAXIS VARIOS ASPECTUS ASSUMPSIT SEU QUATUOR VELUTI SUCCESSIVOS GRADUS PERCURRIT IN SUO PROCESSU TAM HISTORICO QUAM LOGICO. Prius enim, saec. 8–10, introducta est laicalis confessio *venialium* peccatorum, praecipue auctoritate *Beda*; subinde, saec. 11, accessit laicalis confessio etiam *mortalium* peccatorum, inculcata praecipue a *Pseudo-Augustino*; posterius, saec. 12, inculcata est ipsa *necessitas* hujusmodi confessionis, praesertim a *Petro Lombardo*; tandem, saec. 13, asserta est, nominatim ab *Alberto Magno* et *S. Thoma*, quaedam ejus *sacramentalitas*.

A SAECULO VIII AD X occurrit apud doctores sermo de confessione peccatorum venialium facta apud laicos.

Jam circa initium saec. 8 apparet apud *Beda* (673–735) primum vestigium et forte ipsa origo confessionis laicalis. In sua *Expositione super Divi Jacobi Epistolam*, c. 4, scribit: “Et si in peccatis sit, dimittentur ei” . . . Si ergo infirmi in peccatis sint, et haec presbyteris Ecclesiae confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare satagerint, dimittentur eis. *Neque enim sine confessione emendationis peccata queunt dimitti.* Unde recte subjungitur: ‘Confitemini ergo alterutrum peccata vestra’, etc. In hac autem sententia, illa debet esse discretio, ut *quotidiana leviaque peccata alterutrum coaequalibus confiteamur*, eorumque quotidiana credamus oratione salvari. Porro gravioris leprae immunditiam juxta legem sacerdotii pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter et quanto tempore jusserit purificare curemus” (M.L. 93, 39 sq.).

Hic inculcatur *confessio peccatorum venialium* apud fratres quoslibet, reservata sacerdotibus *mortalium* confessione. Utraque confessio, pro necessaria habetur, saltem modo generali et indistincto (“Neque sine confessione emendationis peccata queunt dimitti. Unde recte subjungitur . . .”). Ratio necessitatis et efficacitatis pro confessione mortalium est emendatio vel satisfactio, seu ut possit obtineri a sacerdote poenitentia emendativa, pro confessione vero venialium est deprecatio fratrum seu vis impetrativa fraternae orationis. *Beda* videtur velle inculcare ipsis laicis praxim alicujus confessionis, similis illi quae

observabatur in monasteriis monachorum, coram tota communitate (capitulo culparum).

Haec Bedae doctrina magnum exercuit influxum in posteriores doctores, quorum plerique ad ipsum explicite sese referunt ut justifynt praxim confessionis laicalis; ita *S. Benedictus* († 821; qui in sua Regula refert Bedam fere ad verbum; M.L. 103, 1028–1030), *Jonas Aurelianensis* († 843; M.L. 106, 1152 sq.), *Walafridus Strabo* († 849; M.L. 114, 680), *Rabanus Maurus* († 856; M.L. 110, 223), *Hincmarus Rhemensis* († 882; infra citandus).

Communis igitur doctrina hujus aetatis est confessionem tum mortalium tum venialium esse quodammodo necessariam ad obtinendam eorum remissionem (quin tamen inde deduci possit confessionem venialium haberi ab illis ut stricte necessariam, sicut confessionem mortalium, imo id inverisimile apparet); confessionem mortalium esse faciendam sacerdoti, confessionem vero venialium fieri posse etiam apud laicos; rationem efficacitatis hujus laicalis confessionis esse ipsam *efficaciam orationis* aliorum necnon, ut addunt Jonas Aurelianensis et Hincmarus, motivum confusionis et humiliationis inhaerentis confessioni; eandem laicalem confessionem non esse habendam ut sacramentalem (hoc implicite continetur in eo quod asserunt solos sacerdotes habere clavium potestatem).

Ratio introductionis hujus confessionis fuit, altera extrinseca, scilicet imitatio seu extensio confessionis venialium observatae in monasteriis coram tota communitate; altera intrinseca, scilicet indoles magis ac magis obligativa (saltem moraliter) quam assumpsit ipsa confessio, labente ex una parte poenitentia publica et minuente ex alia parte rigore satisfactionis in ipsa poenitentia privata. Ceterum, vix loqui possumus de vera ac communi praxi hujusmodi confessionis in ea aetate. *Alcuinus* († 804), in suo Opusculo de confessione peccatorum ad pueros S. Martini, de tali confessione nullum verbum facit, etiam dum inducit verba Jacobi, sed loquitur tantum de confessione apud sacerdotes (cf. n. 4. 6. 7., M.L. 652. 654 sq. 656); *Jonas vero Aurelianensis* († 843) subinde testatur “perraros esse qui invicem confessionem faciunt, exceptis monachis, qui id quotidie faciunt”, et, post inculcatam confessionem laicalem, ita loquitur ut videatur nullatenus eam habere ut necessariam, scribens: “His documentis colligi potest, quod sicut quotidie in multis offendimus, ita quotidie de admissis confessionem alterutrum facere, et orationibus, et elemosynis, et humilitate, et contritione cordis, et corporis ea debemus purgare” (De institutione laicali, 1, 16, M.L. 106. 152. 154): tandem *Hincmarus* ad finem ejusdem saeculi 9 videtur similiter de confessione laicali

loqui tanquam de objecto meri consilii et exhortationis, scribens: "Quotidiana autem leviaeque peccata, secundum Jacobi Apostoli (cap. v, 16) hortamentum, alterutrum coaequalibus quotidie confitenda sunt. Quae quotidiana eorum oratione cum quotidianis piis actibus credenda sunt mundari, si cum benignitate mentis in oratione Dominica veraciter dicitur: 'Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris' (Luc. xi, 4) (Epist. 26, ad Hildeboldum, M.L. 126, 174).

SAEC. XI fit transitus ad confessionem laicalem de ipsis peccatis *mortalibus*.

Primum hujus praxis documentum invenitur apud *Thietmarum* episc. Merseburgensem († circa 1018) qui in suo *Chronicon*, l. 7, n. 10, refert ducem Ernestum, antequam ex vulnere moreretur (probabiliter circa initium saeculi), confessionem fecisse militibus, cum non adesset sacerdos: "In his diebus festivis Ernst inclitus Alemanniae dux, pueri successor Herimanni, cum in silva quadam illicite venaretur, ab uno militum suimet plus ignorantia quam voluntate spontanea, ut cervam sagittare debuit, pro dolor! vulneratur. Hic quia mortem sibi imminere perspexit, socios vocat, et ut reo parcerent suppliciter; et quia hic tunc presbiterum, quo sua confiteretur peccata, non habuit, unum ex militibus hujus vice propius accedere jussit. Quem cum adesse perspiceret: 'Omnes', inquit, 'accedite, et commortalis vestri ac peccatoris facta aure cordis percipite, et qualiter curentur, unanimiter succurrite; absentibusque cunctis fidelibus peccatricem meimet animam queso commendate, et uxorem meam, ut honorem suum servet et mei non obliviscatur ammonete.' Haec dicens, *in quocumque umquam se aliquid deliquisse recordari potuit, cunctis presentibus innotuit*, et mox de luce hac 2 Kalendas Junii discessit, sepultus in Warzburg juxta patrem suum marchionem Liupoldum, ut ipse rogavit. Hic juvenis, ut spero, felicem habet animam, cui, sicut ipse vivens testatus est, plus placuit, *coram multis hic erubescere quam coram omnipotenti Deo latere*. De hoc exemplum, fratres in Christo, capite, et morbum interius latentem medico coelesti aperite, et antitotum ejus salubre nullatenus spernite, et *quicumque sit in fine nostro confessor*, non moretur in gementi professione peccator, ut ab eo in coelis inveniatur propicius remissor" (M.L. 139, 1369 sq.). Totus contextus implicat confessionem mortalium ("Quia presbiterum non habuit", "Quocumque umquam se aliquid deliquisse recordari potuit", "Coram multis erubescere").

Ordericus Vitalis († 1150), monachus anglus, in sua *Historia Ecclesiastica*, pars 3, l. 7, n. 8, refert baronem normannum Richerium de

Aquila, antequam percussus a sagitta moreretur (circa 1085) peccata sua consociis militibus confessum esse: "Furentes . . . socii concurrerunt, et puerum [qui Richerium sagitta percusserat] statim comprehenderunt, atque pro vindicta nobilissimi baronis occidere voluerunt. Sed moriens Richerius ei subvenit, Nam, dum vellent eum jugulare, vulneratus quanto potuit conatu exclamavit: 'Sinite illum pro amore Dei. Peccatis meis exigentibus sic debeo mori.' Mox dimisso percussore, lugendus heros *peccata sua sodalibus suis confessus est*; et antequam urbem adduci potuisset, mortuus est" (M.L. 188, 532). Verisimile est hic etiam agi de confessione mortalium ("Peccatis meis exigentibus sic debeo mori").

Lanfrancus, archiep. Cantuariensis († 1089), Lib. De celandia confessione: "Videamus quibus . . . confitendum sit. . . De occultis *omni ecclesiastico ordini* [Paulo antea in ecclesiastico ordine nominat sacerdotes, subdiaconos, accolytos, exorcistas, lectores, ostiarios] confiteri debemus; de apertis vero solis convenit sacerdotibus, per quos Ecclesia, quae publice novit, et solvit et ligat. Sin nec in ordinibus ecclesiasticis cui confitearis invenis, *vir mundus ubicumque sit, requiratur*, sicut in Veteri Testamento praecipitur: '. . . Mundus lustrabit immundum . . .' (Num. xix, c. 14-19). . . Diligenter intuendum quid est quod sine determinatione cujusquam ordinis homo mundus lustrare immundum dicitur: et quosdam sanctorum Patrum legimus qui animas rexerunt, *et tamen eorum ordines nescimus*. Quod si nemo cui confitearis invenitur, ne desperes, quia in hoc Patrum conveniunt sententiae, ut Domino confitearis" (M.L. 150, 629 sq.).

Hic textus satis obscurus visus est; ambigitur utrum Lanfrancus in verbis "confiteri debemus" et "requiratur" agat de mero consilio (sic *L. d'Achery*, apud Migne, P. L. 150, 633 sq.) an de vera obligatione (sic *Laurain*, p. 10 sq., et *Teetaert*, p. 57, et quidem probabiliter, attentis ultimis verbis citati textus); item utrum verbis "peccata occulta et peccata aperta" intelligat peccata venialia (vel conscientiae anxietates) et peccata mortalia (ita *L. D'Achery*, ibid., 634) an peccata interna et peccata publica (ita *Laurain*, p. 12-14, et *Teetaert*, p. 58, et quidem probabiliter juxta textum, improbabiliter vero, ut videtur, juxta mentem, inverisimile enim apparet tam ineptam et inconsuetam tribuere huic doctori sententiam ut velit sola publica peccata esse sacerdotibus clavibus necessario subicienda).

Ivo Carnotensis († 1116) in suo Decreto, pars 1, c. 191, agens de necessitate Baptismi, refert tanquam ex Augustino (in Apocrypho libro ad Fortunatum, probabiliter conscripto eodem saec. 11) sequentem historiam duorum hominum in periculo naufragii constitutorum,

quorum unus, qui erat poenitens, administrat alteri Baptismum et ab eo jam baptizato petit peccatorum suorum reconciliationem. "In necessitate cum episcopi, aut presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, et urget periculum ejus qui petit, ne sine isto sacramento hanc vitam finiat, etiam laico dare solere, sacramentum quod acciperunt, solemus audire. Nam, cum illa historia narratur, omnes qui audiunt prope ad lacrymas movet. Cum in navi quadam fidelis nullus esset, praeter unum poenitentem, coepit imminere naufragium. Erat ibi quidem salutis suae non immemor, et sacramenti vehementissimus flagitator, nec erat aliquis qui dare posset, nisi poenitens ille; acceperat enim de peccato de quo agebat poenitentiam. Amiserat de senioribus sanctitatem, sed non amiserat sacramentum. Nam, si hoc amittunt peccatores cum reconciliantur post poenitentiam, quare non iterum baptizantur? Dedit ergo quod acceperat et, *ne periculose vitam finiret non reconciliatus, petit ab ipso quem baptizaverat ut eum reconciliaret.* Et factum est; evaserunt naufragium. Cognitum habes quod fecerant, nemo existitit eorum, qui non pium animum ita crederet, ut consiliis eorum in illo periculo Dominum crederet abfuisse. Motus enim animus religiosus et suppliciter ab homine exegit sacramentum, a Deo impetrat sanctitatem" (M.L. 161, 107).

Ivo loquitur directe de Baptismo necessitatis, nec nisi transeunter de conciliatione Poenitentiae; principium tamen quod in fine enuntiat ("Motus enim animus religiosus et suppliciter ab homine exegit sacramentum, a Deo impetrat sanctitatem") videtur ipse intelligere de utroque sacramento. Ceterum in ea mentione reconciliationis per laicum ipse testatur usum hujusmodi praxis nec illi refragatur.

Pseudo-Augustinus seu anonymus auctor libri *De vera et falsa poenitentia*,³⁰ est praecipuus testis laicalis confessionis in hac periodo,

³⁰ Augustinianam attributionem hujus operis, olim communiter et absque haesitatione retentam (a Gratiano usque fere ad Conc. Trid.), primus impugnavit *Trithemius* abbas Spanheim († 1516; in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*), eo quod in c. 17 illius operis ipse Augustinus allegetur. Hanc impugnationem subinde persecuti sunt, ob ampliores rationes criticae internaе, plures eruditi, tam inter Protestantas (Erasmus, Lutherus) quam inter catholicos (benedictini editores operum S. Augustini quos reprodicit Migne, eruditi moderni communiter), ita ut hodie ea attributio ab omnibus reiiciatur. De tempore compositionis praedicti operis non satis constat; *H. Ch. Lea* putat partem esse tribuendam auctori saec. 5, partem auctori medii saec. 12; quidam, ut *D'Alès*, assignant finem saec. 11 (circa 1100); alii, ut *Koeniger* et *Gromer*, medium ejusdem saeculi (circa 1050). Cf. *Migne*, P.L. 40, 1111 sq.; *H. Ch. Lea*, *A History of Auricular Confession*, Philadelphia, vol. 1, 1896, p. 209 sq., nota; *A. Koeniger*, *Die Beicht nach Cäsarius von Heisterbach*, München, 1906, p. 81 sq.; *G. Gromer*, *Die Laienbeicht im Mittelalter*, München, 1909, p. 13, nota; *Laurain*, *De l'intervention des laïques, des diacres et des abbeses . . .*, Paris, 1897, p. 20 sq., nota.

Inversimile videtur quod summi magistri Gratianus (scribens circa 1140) et Petrus Lombardus (scribens circa 1150-1152) fuerint tam facile decepti circa attributionem hujus operis, si ipsius origo fuerit tam recens (fere ipsis coaeva) qualis affirmatur a *Lea* aut etiam a *D'Alès*.

imo est causa firmitatis et velut origo amplioris evolutionis illius praxis et ulterioris determinationis doctrinae (de necessitate ac quasi-sacramentalitate confessionis laicalis) subinde inductae a theologis saec. 12-13, qui ad praesumptam hanc Augustini auctoritatem constanter sese referunt (Ita Gratianus, Auctor Sententiarum Divinitatis, Petrus Lombardus, Petrus Cantor, Alanus ab Insulis, Praepositinus, Raymondus de Penafort, Alexander Halensis, S. Thomas), quemadmodum anteriores doctores appellabant Bedae auctoritatem.

“Dignus est misericordia, qui spirituali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescantiam. Et quoniam verecundia magna est poena, qui erubescet pro Christo, fit dignus misericordia. Unde patet quod quanto pluribus confitebitur in spe veniae turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus jam possunt proficere, plus confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Deus. . . Quare qui confiteri vult peccata, ut inveniatur gratiam, quaerat sacerdotem scientem ligare et solvere: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet et petit ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit. *Tanta itaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo.* Saepe enim contingit, quod poenitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. *Et si ille cui confitebitur potestatem solvendi non habet, fit tamen dignus venia, ex desiderio sacerdotis, qui socio confitetur turpitudinem criminis.* Mundati enim sunt leprosi, dum ibant ostendere ora sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent (Luc. xvii, 14). Unde patet Deum ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire. Saepe quidem eos quaerunt sani et laeti: sed dum quaerunt et antequam perveniant ad eos, moriuntur. Sed Dei misericordia est ubique, qui et justis novit parcere, etsi non tam cito, sicut si solverentur a sacerdote. Qui igitur omnino confitetur sacerdoti, meliori quam potest confiteatur” (10, 25, M.L. 40, 1122 sq.).

Pseudo-Augustinus loquitur de laicali confessione ipsorum etiam mortalium, ut costat ex toto contextu; non loquitur explicite de talis confessionis necessitate (verba enim “Tanta est vis confessionis” non significant: Tanta est obligatio confessionis, sed tanta est efficacia confessionis), quamvis ea fortasse colligi possit ex contextu, et de facto eam collegerint posteriores doctores, qui in hoc textu fundant eorum sententiam de necessitate confessionis laicalis; explicite negat laicis confessoribus potestatem absolvendi; rationem efficacitatis et alicujus necessitatis confessionis laicalis assignat tum in vi satisfactiva confessionis, prout importat poenam erubescantiae, tum in relatione

illius ad sacramentum, seu in voto sacramenti ("Fit dignus venia ex desiderio sacerdotis . . . [nam] patet Deum ad cor respicere").

In hac igitur periodo proponitur laicalis confessio de ipsis *mortalibus*, secus ac in praecedenti periodo. Necessitas hujus confessionis non clare et explicitè proponitur, etiam ab ipso Pseudo-Augustino. Talis confessio dicitur facienda in duplici circumstantia casus necessitatis et *absentiae sacerdotis*. Ratio efficacitatis ejus non amplius desumitur, sicut frequentius in praecedenti periodo, ex parte confessarii, seu istius orationis et meriti (excipe tamen Lanfrancum, assumentem principium "Mundus mundat immundum"), sed ex parte poenitentis, seu ipsius confessionis quatenus importat satisfactionem *erubescitiae et humiliationis*. Praeterea Pseudo-Augustinus addit aliam rationem deductam ex parte sacramenti, quae a posterioribus doctoribus urgetur, scilicet votum sacramenti. Clare denegatur laicis confessoribus potestas clavium.

Causa introductionis confessionis laicalis de mortalibus videtur esse insoles magis ac magis *satisfactiva*, quam ipsa confessio assumpsit in mente illorum doctorum dum decresceret momentum ipsius satisfactionis impositae a sacerdote; antea enim confessio considerabatur potius ut medium ad obtinendas a sacerdote, tanquam a iudice competente ac discernente ex potestate clavium, poenas pro peccatis luendas, subinde vero, cum tales poenae ad minimum fere reducerentur, ipsa confessio, secundum se et inquantum importat erubescitiam et humiliationem, considerata est ut praecipua satisfactio, ac inde connaturaliter visum est eam esse instituendam etiam apud laicum, ubi deficeret sacerdos, cum illa poenalitas sit ei intrinseca nec pendeat a recurso et iudicio sacerdotis.³⁷

SAEC. XII determinatius et communius inculcatur ipsa necessitas confessionis laicalis de mortalibus, in casu necessitatis et absentiae sacerdotis. In quo quidem eminet doctrina *Petri Lombardi* in Pseudo-Augustino fundata.

Robertus Pullus († circa 1150), Sent., l. 6, c. 51: "Confessionem unam [i.e. de venialibus] licet fieri coequalibus; altera [i.e. de mortalibus], nisi extrema urget necessitas, debetur sacerdotibus. Si quotidianis, et his sine quibus non vivitur urgeris, sufficit hujusmodi confiteri comparibus, imo nonnunquam et minoribus: quo more presbyteri usitate et quotidie indifferenter circumstantibus confitentur" (M.L. 186, 897). Non necessario inde eruitur necessitas confitendi mortalia apud laicum in casu necessitatis, nam haec verba intelligi possunt de mera licitate.

³⁷ Cf. *Teetaert*, op. cit., p. 74-76.

Gratianus, circa 1140, bis in Decreto (pars 2, causa 33, q. 3 de Poenitentia, dist. 1, c. 88; dist. 6, c. 1; M.L. 187, 1561. 1637 sq.) suam facit sententiam et verba Pseudo-Augustini, nec quidquam peculiare addit; similiter in alio loco (pars 3, De consecratione, dist. 6, c. 36, M.L. 187, 1807 sq.) simpliciter refert apocryphum locum Augustini ad Fortunatum, quem audivimus supra (p. 700 sq.) ab Ivo Carnotensi.

Anonymus Sententiarum Divinitatis, circa 1141–1148: “Quaeritur, si non potest confiteri sacerdoti, quid sit ei faciendum? Augustinus [Pseudo] dicit: ‘Qui non potest confiteri sacerdoti, confiteatur diacono quia diaconi est cognoscere de peccato. Si nec diaconum invenire potest, confiteatur proximo. Fit enim dignus venia ex desiderio sacerdotis’” (ed. B. Geyer, *Die Sententiae Divinitatis*, Münster, 1909, p. 151 sq.). Ex contextu videtur admitti necessitas confessionis mortalium apud laicos in absentia sacerdotis.

Petrus Lombardus, circa a. 1150–1152, Sent. l. 4, dist. 17, n. 5, appellans auctoritatem et verba Pseudo-Augustini et complens sensum textus Bedae de confitendis venialibus apud laicos, omnino distincte docet etiam mortalia esse necessario confitenda laico cum deest sacerdos et urget periculum.

“Non sufficit confiteri Deo sine sacerdote, nec est vere humilis et poenitens, si non desiderat et requirit sacerdotis iudicium. Sed numquid aequae valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltem cum deest sacerdos? Sane ad hoc potest dici quod sacerdotis examen requirendum est studiose, quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi; et ideo quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit. *Si tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio.* Sed curet quisque sacerdotem quaerere, qui sciat ligare et solvere. Talem enim esse oportet, qui aliorum crimina dijudicat. Unde Aug., lib. de vera et falsa Poenitentia . . . [Recitat Pseudo-Augustini textum]. Quaerendus est sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium, *qui si forte defuerit confiteri debet socio.* Beda vero, *super Epist. Jacobi 5, inter confessionem venialium et mortalium distinguit* super illum locum: ‘Confitemini alterutrum peccata vestra’. Ait enim: Coequalibus quotidiana et levia, graviora vero sacerdoti pandamus, et quanto jusserit tempore purgare curemus, quia sine confessione emendationis, peccata nequeunt dimitti. *Sed et graviora coequalibus pandenda sunt, cum deest sacerdos, et urget periculum.* Venialia vero, etiam sacerdotum oblata copia, licet confiteri coequali, et sufficit, ut quibusdam placet, si tamen ex contemptu non praetermittatur sacerdos. Tutius est tamen et perfectius utriusque

generis peccata sacerdotibus pandere, et consilium medicinae ab eis quaerere, quibus concessa est potestas ligandi et solvendi" (M.L. 192, 883 sq.).

Bandinus, paulo posterius, Sent., l. 4, dist. 17: "Peccata levia, socio cuilibet corde contrito, sufficit confiteri, gravia vero sacerdoti demum, nisi absit, et urgeat periculum: Unde Beda ait super illud: 'Confitemini alterutrum peccata vestra' (Jac. v). Coaequalibus quotidiana et levia, gravia vero sacerdoti pandimus. *Sed et gravia coaequalibus pandenda sunt, cum deest sacerdos, et urget periculum.* Proinde gravia si occulta, occulte confiteantur; si autem manifesta, publica egent medicina" (M.L. 192, 1099).

Alanus ab Insulis († 1202), Contra haereticos, l. 2, Contra Waldenses, c. 9 sq., prosequens impugnationem (supra relatam in p. 604) horum haereticorum qui extendebant laicis potestatem clavium, ait: "Praefati etiam dicunt haeretici quod non est necesse hominem confiteri peccata sua sacerdoti, *si praesto sit laicus cui possit confiteri.* Sed, quod studiose requirendus sit sacerdos, cui Deus concessit potestatem ligandi et solvendi, ostendit Augustinus in libro De poenitentia. . . Ex praedictis patet quod non sufficit confiteri Deo sine sacerdote; nec est vere humilis et poenitens, nisi desideret ac studiose requirat sacerdotis iudicium. *Si tamen sacerdotis habere non possit copiam, socio vel proximo sufficit confiteri.* Unde Augustinus, in libro De poenitentia: "Tanta est vis confessionis, ut si desit sacerdos, confiteatur proximo" (M.L. 210, 385 sq.).

Radulphus Ardens,³⁸ Homiliae in Ep. et Ev. Dominic., pars 1, hom. 64, ponens explicite quaestionem de necessitate et ministro confessionis, videtur permittere solam confessionem laicalem de venialibus: "Videte fratres mei, quid sit confessio, et unde dicatur, quantum sit necessaria, cui fieri debeat, et quando, et quomodo. Est autem confessio flebilis propriorum peccatorum enarratio . . . Est autem confessio adeo nobis necessaria, quod per eam peccata nostra dimittantur, et sine ea non dimittantur. . . Cui fieri debet confessio? Confessio criminalium debet fieri sacerdoti, et nominatim, qui solus habet potestatem ligandi atque solvendi, sicut et leprae iudicium solis sacerdotibus in lege erat commissum. *Confessio vero venialium alterutrum et cuilibet, etiam minori, potest fieri, quoniam propter venialia non separatur homo a Deo. . . Fit autem haec confessio, non quod possit a*

³⁸ B. Geyer (Radulphus Ardens und das Speculum Universale, in Theologische Quartalschrift, t. 93, 1911, p. 63-89) ex critico examine operis "Speculum Universale" conclusit Radulphum pertinere non ad finem saec. 11, ut putabatur, sed ad secundam medietatem saec. 12. Cui sententiae plures nunc subscribunt.

peccatis absolvere, sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, et fratris orationem, mundamur a peccatis. Unde et non dicimus: 'Ego dimitto tibi peccati tua', sed dicimus orando: 'Misereatur tui omnipotens Deus, etc'. Quando debet fieri confessio haec? Omni tempore quo nos peccasse cognoscimus. Sive enim domi, sive in agro, sive in via, peccavero, debeo statim dicere fratri qui mecum est: 'peccavi, ora pro me.' Qui si non aderit, debeo confiteri Deo dicens: 'Domine, peccavi, miserere mei.' Praecipue, fratres, in prima diei hora debemus confessionem facere de his quae in nocte deliquimus, et in completorio de his quae in die peccavimus. Et maxime, fratres, quando accedere volumus ad missam vel ad aliud sacramentum celebrandum, vel suscipiendum, per confessionem nos mundare debemus" (M.L. 155, 1899 sq.).

Attamen in opere inedito "*Speculum Universale*" permittit etiam confessionem laicalem de mortalibus, imo videtur eam ut necessariam habere, referens textum Pseudo-Augustini: "Que peccata quibus confitenda sint? Omnia deo, criminalia sacerdoti, *venialia proximo cullibet, cui etiam si defuerit sacerdos, criminalia*. . . Sed et graviora coequalibus pandamus cum deest sacerdos et urget periculum".³⁹

Petrus Cantor († 1197), *Verbum Abbreviatum*, c. 144, agens directe de confessore, non ponit ex professo quaestionem de confessore laico, sed tantum, ad inculcandam confessionis efficacitatem, adducit sequens exemplum: "Quidam etiam in mari, cum periclitaretur navis, coram omnibus publice confessi sunt; liberati autem a tempestate, nullam peccati confessi memoriam habuere" (M.L. 205, 345).

In opere vero inedito "*Summa de sacramentis*", amplectitur doctrinam Petri Lombardi, et praeterea, primus inter doctores, conatur determinare qualitatem laici cui debet fieri confessio: "Sciendum est quod in articulo mortis, si sacerdotis copia desit, confitendum est laico socio et hoc *auctoritate augustini* in libro de poenitentia. . . Ecce in hac auctoritate habemus quod in necessitate confitendum sit laico vel si sacerdos desit et non solum venialia sed etiam mortalia. Beda videtur dicere quod mortalia solis sacerdotibus sunt revelanda. Super illum locum Jacobi: Confitemini alterutrum peccata vestra, loquens enim de confessione, sic ait: coequalibus, cotidiana et levia, graviora vero sacerdotibus pandamus et quanto iusserit tempore purgare curemus, quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Ecce quod medium hujus auctoritatis dicere videtur mortalia esse confitenda solis sacerdotibus. Sed hoc forte dicendum est in casu cum sacerdos haberi

³⁹ Cod. Vat. lat. 1175, fol. 136^v, apud *Teetaert*, La confession aux laïques, Paris, 1926, p. 163.

potest. Quod videtur ex eo quod sequitur, scilicet: quod sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Si enim tante necessitatis est confessio, videtur quod si deest sacerdos, confitendum sit cuicumque in mortis articulo. Sed *numquid iudeo vel gentili vel heretico manifesto? Non videtur*, quia contemptores sunt et irrisores christiane religionis. Non accusarent crimina confitentis sed potius approbarent. Quare talibus confitendum non est cum ab eis nulla expectetur medicina. Item *morrioni, sive surdo, sive puero non est confitendum*, quia quod coram talibus fit, clam fit; clandestina autem confessio nulla est, sed laico discreto confitendum est qui non scandalizetur per huiusmodi confessionem. An et similiter mulieri que non scandalizetur per huiusmodi confessionem. . .¹⁰

In hac igitur periodo, laicalis confessio de mortalibus evadit magis communis in praxi¹¹ et magis determinata quoad doctrinam, praecipue quod attinet ad characterem necessitatis. Pauci sunt doctores qui loquuntur de sola confessione venialium (Pseudo-Hilbertus Cenomaneus, M.L. 171, 577 sq.; Algerus Leodiensis, M.L. 180, 912; Hugo a S. Victore, M.L. 176, 552 sq.). Necessitas laicalis confessionis de mortalibus signantius proponitur a Petro Lombardo, Bandino, Alano de Insulis, Radulpho Ardente et Petro Cantore. Ratio efficacitatis et necessitatis hujus confessionis triplex assignatur: primo nempe quia confessio est insignis satisfactio, ob erubescitiam et humiliationem, secundo quia est exterius *signum contritionis*, tertio quia continet votum ipsius sacramenti seu sacerdotalis absolutionis (haec ratio toties recurrit quoties citatur Pseudo-Augustinus qui eam affert). Nullus doctor considerat talem confessionem ut sacramentalem, et multo minus ut sacramentum (ita nempe quod remissio peccati dicatur immediatus effectus absolutionis laicalis), sed omnes explicite et signanter denegant laico clavium potestatem.

Causa incrementi hujus praxis et determinationis hujus doctrinae, duplex fuit: altera extrinseca, scilicet auctoritas S. Augustini, cui tribuebatur opus De vera et falsa poenitentia; altera intrinseca, scilicet doctrina eminenter contritionistica hujus periodi. Sicut enim antea maxime consideratum fuerat elementum satisfactionis in Poenitentia, *nunc potior consideratio et efficacia tribuitur interiori contritioni*, quae immo dicitur esse sola et propria causa justificationis, etsi cum voto sacramenti, ita ut susceptio sacramenti sit mera conditio adimplens illud votum (cf. art. 91, p. 254–261 et locos ibi relatos); haec

¹⁰ Bibl. Nat. de Paris, cod. lat. 14445, fol. 203^r, apud *Teetaert*, op. cit., p. 168–170, in nota.

¹¹ Cf. *plura facta* laicalis confessionis saec. 12–13, relata a *Laurain*, op. cit., p. 26–35, et *Teetaert*, op. cit., p. 284–286. 486–496.

autem contritio et hoc sacramenti votum indiget manifestari, nec melius utriusque signum haberi potest quam ipsa confessio quae est altera atque insignis pars sacramenti; inde confessio considerata est potissime ut signum contritionis et voti sacramenti in contritione contenti; confessio autem quae fit laico est aequae manifestativa contritionis, unde si nequit confessio fieri sacerdoti, facienda est laico.

SAEC. XIII a quibusdam doctoribus magni nominis, signanter Alberto Magno et S. Thoma, tribuitur confessioni laicali de mortali- bus late dicta quaedam sacramentalitas, quam tamen Albertus et Thomas diversimode intelligunt; omnem vero sacramentalitatem negant Alex. Halensis et Bonaventura. Ad necessitatem illius confessionis quod attinet, ipsa videtur admitti a S. Thoma, qui immo praedictam sacramentalitatem videtur adstruere ut fundamentum legitimum doctrinam de illius necessitate, admissam a Petro Lombardo aliisque doctoribus praecedentis aetatis; negatur vero, et quidem prima vice explicite, ab aliis magnis doctoribus, uti ab Alberto M. et Petro de Tarentasia et magis decisive ab Alex. Halensi et Bonaventura⁴² qui

⁴² Teetaert, *La confession aux laïques*, Paris, 1926, p. 367, scribit: "Les auteurs [de cette période] ne considèrent généralement pas cette confession comme obligatoire. . . L'école dominicaine primitive avec ses grands Docteurs, le bienheureux Albert le Grand et saint Thomas d'Aquin, fait exception à la règle générale; ceux-ci considèrent la confession aux laïques comme obligatoire." Attamen ipse oblivisci videtur quod antea (p. 311) scripserat: "Dans ce cas [selon Albert le Grand] le pécheur peut s'adresser à un laïque, bien qu'il n'y soit pas obligé". Praeter Albertum Magnum, qui scripsit ante Bonaventuram, necessitatem huius confessionis negat ut probabilis Petrus de Tarentasia O. P. (subinde Innocentius V; † 1276), qui suum Commentarium in Sententias scripsit probabiliter inter 1256 et 1258, fere eodem tempore ac Bonaventura (1250-1253).

Idem Teetaert videtur exaggerare merita scholae franciscanae et scotisticae in hac questione. Scribit: "Au premier grand Maître de l'Ecole franciscaine [Alex. Halensis] revient donc le mérite d'avoir sapé la base de la pratique de la confession aux laïques qui, au cours des trois siècles précédents, était parvenue à pousser de racines profondes et vigoureuses dans le vaste terrain de la théologie et du droit canonique. La disparition complète de cette pratique séculaire demendra toutefois de longs et multiples assauts. Ce sera l'oeuvre de théologiens nouveaux, principalement franciscains, dont les plus illustres, saint Bonaventure, Richard de Médiavilla, et surtout le Bienheureux Jean Duns Scot, travailleront sans relâche à miner les soi-disant raisons théologiques de la confession aux laïques" (p. 300).

"Sa conception [i.e. de S. Bonaventura] de la non-nécessité de la confession aux laïques devint traditionnelle chez les franciscains. Les théologiens suivants de l'Ordre de saint François élargiront encore la brèche ouverte par ses deux premiers grands Docteurs; ils en ouvriront de nouvelles, plus larges et plus profondes et parviendront à saper si bien les fondations du monument de la confession aux laïques qu'il finira par s'écrouler et disparaître" (p. 305).

"Sous ces deux maîtres dominicains [Albert le Grand et S. Thomas], la confession aux laïques a connu une efflorescence ignorée jusque là. Toutefois cette gloire, cet apogée ont été de courte durée. Après eux, on assistera à la chute lente et progressive de cette pratique, produite par les théories tranchantes de l'Ecole franciscaine, à la quelle se ralliera peu à peu l'Ecole dominicaine" (p. 320 sq.).

"Il faut très probablement chercher dans cette influence la raison dernière de la théorie outrée de saint Thomas, théorie plus ou moins opposée à sa doctrine générale du sacrement de Pénitence. Avec une théorie aussi précise de l'efficacité sacramentelle de

signant initium illius impugnationis contra laicale ministerium; quae posterius, quidquid sit de diversitate principiorum in quibus fundabatur apud doctores Scotistas et Thomistas, pedetemptim praevalere debebat, ita ut laicalis confessionis praxis naturaliter exstingeretur saltem tempore Conc. Tridentini.

Satis sit quatuor praecipuorum doctorum, Alberti M., S. Thomae, Alex. Halensis et Bonaventurae, verba referre; alii enim minus clare loquuntur. Ita *Guilelmus Alverniensis* († 1249) curiosam et indeterminatam sententiam profert, quam recitavimus supra (p. 651); *Joannes Teutonicus* (initio saec. 13) in sua Glossa ordinaria super Decretum Gratiani videtur admittere tum necessitatem tum quamdam sacramentalitatem laicalis confessionis; *Bartholomaeus a Brescia* († 1258) videtur docere ejus necessitatem; *Petrus a Tarantasia* († 1276; infra cit., p. 717) minus decisive loquitur de non necessitate illius confessionis; *S. Franciscus Assisiensis* in sua Regula loquitur de facienda confessione apud fratrem laicum ubi desit sacerdos.⁴³

Albertus Magnus († 1280), In 4 Sent., dist. 17, a. 39: "Est . . . duplex confessio, scilicet generalis et privata. *Generalis* est quae fit in Prima et Completorio de venialibus . . . ; et quia illa non nisi in generali confiteri tenemur, haec omni tempore cuilibet fieri potest. *Privata* autem est, quae est de peccatis mortalibus, et haec non potest fieri nisi sacerdoti praeterquam in necessitate, ubi necessitatis articulus non contemptus religionis sacramentum excludit: *potest tamen talis decedere in voto confitendi, et non tenetur confiteri alteri nisi habenti claves*: et si facit, illa humilitas et rubor minuunt poenam. . . Sacerdote non existente [in A. T. prout nunc existit cum vero caractere sacerdotali], *non erat confessio sacramentalis*, non tantum significans, sed et causans peccati secundum poenam diminutionem: hoc enim modo intelligitur causatio sacramentorum Novi Testamenti. Et per

l'absolution que celle du Docteur Angélique, on s'attendrait à le voir condamner la confession aux laïques avec les principes qui l'appuyaient. Or, il n'en est rien. *Saint Thomas en est au contraire un des défenseurs les plus opiniâtres*. Où en chercher la cause, sinon dans l'influence exercée sur lui d'abord par le pseudo-Augustin et ensuite, par son maître Albert le Grand?" (p. 378).

⁴³"Fratres mei benedicti tam clerici quam laici confiteantur peccata sua sacerdotibus nostrae religionis. Et si non poterunt, confiteantur aliis discretis et catholicis sacerdotibus, scientes firmiter et attendentes, quia, a quibuscumque sacerdotibus catholicis acceperint poenitentiam et absolutionem, absoluti erunt procul dubio ab illis peccatis, si poenitentiam sibi injunctam procuraverint humiliter et fideliter observare. Si vero tunc sacerdotem habere non poterunt, confiteantur fratri suo, sicut dicit apostolus Jacobus: Confitemini alterutrum peccata vestra. Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad sacerdotes, quia potestas ligandi et solvendi solis sacerdotibus est concessa" (Regula prima S. Francisci Assisiatis, c. 20, in Opuscula Sancti Patris Francisci Assisiensis secundum codices mss. emendata et denuo edita a PP. Collegii S. Bonaventurae, Quaracchi, 1904, p. 49-50).

hoc non habetur, quod confessio sacramentalis qualis modo fit, non debeat fieri sacerdoti.”⁴⁴

Ibid., a. 58: “Dicendum . . . quod *valet confessio facta laico*, ubi articulus necessitatis non contemptus religionis excludit proprium vel alienum sacerdotem. Ad objecta autem [quod nempe laicus non sit minister Ecclesiae nec habeat potestatem absolvendi] responderunt patres nostri in scientia ista, dicendo *multiplicem esse absolvendi potestatem*. Est enim potestas absolvendi ex auctoritate quae est Dei. Et est potestas superexcellens: et haec est Christi hominis, qui sine confessione extra facta, et injunctione taxatae satisfactionis peccatores poenitentes absolvit. Tertia potestas est ex vitae merito, et suffragiis orationum: et haec est sanctorum in Ecclesia, qua unus alii primam gratiam meretur quae absolvit a peccatis. Alia autem potestas est ex officio ministrorum, concessa sacerdotibus. *Et ultima ex unitate fidei et charitatis, et haec pro necessitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subveniendum*: et hanc potestatem habet laicus in articulo necessitatis, et mulier similiter.”⁴⁵

Ibid., art. 59: “Quaeritur: Utrum haec confessio [facta laico] sit sacramentum? Et videtur, quod non: quia 1. Omne sacramentum est in dispensatione ministrorum Ecclesiae: sed hic non est Ecclesiae minister: ergo non est sacramentum. 2. Adhuc, Formam absolutionis quae est sacramentum, praecedit potestas clavium: iste autem laicus non habet claves: ergo non dat sacramentum. In contrarium est, quod *baptismus a quocumque detur, est sacramentum: ergo similiter et poenitentia, ut videtur*. Solutio. Dicendum, quod antiqui dixerunt, quod contritio et confessio non sunt sacramentum, sed absolutio sola. Sed hoc nihil esse infra in Littera [cf. in Dist. 22] probabitur. Unde dicendum quod *habet sacramentum confessionis*. Ad primum ergo dicendum, quod minister duplex est, scilicet verus, et est vicarius, et talis *minister vicarius* pro articulo necessitatis sufficit hic. Ad aliud dicendum, quod absolutio per claves, est illud in quo abundat vera confessio a confessione facta in necessitate: sed tamen *absolutio quaedam est hic*, scilicet quae fit merito unitatis Ecclesiae. Licet ergo non tantum effectum consequatur, sicut si confiteretur sacerdoti, tamen consequitur *absolutionem in communi*, et ad hanc non est necessaria vis clavium, ubi non potest sacerdos haberi.”⁴⁶

Ex his textibus haec constant:

Albertus M. *denegat necessitatem laicalis confessionis*, ut expresse

⁴⁴ Opera omnia, t. 29, Parisiis, 1894, p. 719 sq.

⁴⁵ Ibid., p. 754.

⁴⁶ Ibid., p. 755.

habetur in a. 39, nec ceterum haec necessitas deduci potest ex ipsa ratione sacramentalitatis, quae asseritur in a. 58 et 59. Etiam in Compendio Theologiae, c. 27, Albertus necessitatem talis confessionis non docet, sed tantum a determinata sententia abstinet, scribens: "Minister poenitentiae duplex est. Unus est cui confessio fit ex officio, sicut est sacerdos. Alius qui audiendo confessionem, vicem supplere potest sacerdotis in necessitate, ut est laicus. *Dicunt tamen aliqui, quod cum deest copia sacerdotis, non oportet confiteri laico, sed sufficit soli Deo.*"⁴⁷

S. Doctor *admittit sacramentalitatem talis confessionis*. Id constat clare ex a. 59 (Qui confitetur laico "habet sacramentum confessionis"; Laicus est "minister vicarius"; In confessione laicali "absolutio quaedam est"; Qui confitetur laico "consequitur absolutionem in communi"; "Baptismus a quocumque detur, est sacramentum: ergo similiter et poenitentia"⁴⁸).

Nec id denegatur in art. 39 in verbis "Non erat confessio sacramentalis", nam haec referuntur ad confessionem A. T. in quo ministri non habebant potestatem absolvendi, ex qua confessio evadit sacramentalis. Nec inde deduci potest juxta S. Doctorem etiam confessionem laicalem in N.T. non esse sacramentalem ob defectum potestatis absolvendi, nam in art. 58-59, ubi ponit directe quaestionem de confessione laicali, S. Doctor dicit etiam laicum participare in potestate absolvendi (quamvis non in ipsa proprie dicta potestate clavium), ex quo praecise deducit confessionem laicalem esse sacramentalem. Unde, comparatis ad invicem utrisque locis, sic se habet processus S. Doctoris (absque ulla quidem contradictione quam aliqui auctores sibi videntur deprehendere, quamque Teetaert⁴⁹ conatur frustra resolvere recurrens ad duplicem acceptionem sacramenti in utroque loco): In A. T. confessio non erat sacramentalis, quia ministri non habebant potestatem absolvendi, ex qua confessio habet ut sit sacramentalis; in N. T. confessio est sacramentalis quia ministri habent

⁴⁷ Op. cit., t. 34, p. 226.

⁴⁸ Teetaert, op. cit., p. 313 sq., ait male a theologis, uti Laurain, Hurter, Pohle, Rauschen et Koeniger, citari, tanquam Alberti M., sequentia verba, quae, ait, sunt tribuenda Morino (c. 24) interpretanti doctrinam S. Doctoris: "Absolutio illa est sacramentalis, ut est baptismus a laico datus et laicus eo casu est veri ministri, id est sacerdotis vicarius". Attamen, non advertit quod omnia elementa hujus textus sunt revera ipsius Alberti M. (inclusa ipsa comparatione inter sacramenta Baptismi et Poenitentiae, a laico administrata), etsi non inveniuntur materialiter simul juxtaposita. Unde inepte ait: "Il faut d'abord écarter un texte, fausement attribué . . . au Maître dominicain. . . Si ce texte était vraiment authentique . . . il faudrait admettre sans aucun doute que le bienheureux Docteur a soutenu que la confession aux laïques est un sacrement. Il met en effet sur le même pied le Baptême administré par un laïque et la confession faite à un laïque."

⁴⁹ Op. cit., p. 313-319.

hanc potestatem, sacerdos quidem habet hanc potestatem plenam et ex officio, quae dicitur potestas clavis, laicus vero habet quamdam "absolvendi potestatem", fundatam in "unitate fidei et charitatis", quae datur ei "pro necessitatis articulo" (a. 58) et ratione cuius ipse est "minister vicarius" ac potest conferre "quamdam absolutionem in communi", ita ut confessio apud ipsum facta, sit "sacramentum" etsi non eo abundanti modo quo confessio facta apud sacerdotem qui solus dat "absolutionem per claves".

Unde Albertus M. *concedit confessioni laicali veram rationem sacramenti* (quod in a. 39 definit: "Non tantum significans, sed et causans peccati secundum poenae diminutionem"), sed *negat eam esse ipsum sacramentum Poenitentiae* seu sacramentalem confessionem simpliciter dictam quae tota dicitur ab "absolutione per claves", sacerdotibus reservata ("Absolutio per claves est illud in quo abundat vera confessio a confessione facta in necessitate"). Eam diminutam sed veram rationem sacramentalem explicat ac deducit ex vera quadam, etsi generali ac imperfecta, absolvendi potestate, distincta ab ipsa clavium potestate, extraordinario quodam modo communicata omni homini "ex unitate fidei", ad hoc ut non desit auxilium poenitenti in casu necessitatis.

S. Thomas († 1274) quaestionem de laicali confessione agit in solo Commento super Sententias (dist. 17, q. 3. a. 3, q. 2. 3. 4. = Supplementum tertiae partis, q. 8, a. 2; a. 3; a. 4, ad 5; adde dist. 17, q. 3, a. 4, q. 3, ad 3 = Suppl., q. 9, a. 3, ad 3; item adde dist. 19, q. 1, a. 2, q. 1 = Suppl., q. 19, a. 4, c. et ad 2). Nihil de hac re habet in Summa Theologica (ad quaestionem enim de confessione et potestate clavium ibi non pervenit, morte praereptus), neque in Summa contra Gentiles (cap. 72, ubi tamen agit de necessitate et ministro confessionis), neque in Opusculo De forma absolutionis, neque in Opusculo de articulis fidei et sacramentis Ecclesiae.

In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 3, q. 2 (= Suppl., q. 8, a. 2): "Sicut Baptismus est sacramentum necessitatis, ita et Poenitentia. Baptismus autem, qui est sacramentum necessitatis, habet duplicem ministrum, unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem; alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur. Et ita etiam minister poenitentiae, cui confessio est facienda ex officio, est sacerdos; sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit."

Ibid., ad 1 (= Suppl., ibid., ad 1): "In sacramento poenitentiae non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio et satisfactionis injunctio; sed etiam aliquid ex parte ipsius qui suscipit sacra-

mentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio et confessio. Satisfactio autem jam incipit esse a ministro in quantum eam injungit, et a poenitente in quantum eam implet: et ad plenitudinem sacramenti utrumque debet concurrere quando possibile est; sed quando necessitas imminet, *debet facere poenitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, et confiteri cui potest*: qui quamvis sacramentum perficere non possit, ut faciat id quod est ex parte sacerdotis, absolutionem scilicet, tamen defectum sacerdotis summus sacerdos supplet. Nihilominus *confessio laico ex desiderio sacerdotis facta, sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit sacramentum perfectum*, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis."

Ibid., ad 2 (= Suppl., *ibid.*, ad 2): "Quamvis laicus non sit iudex ejus qui ei confitetur absolute, tamen ratione necessitatis *accipit iudicium super eum*, scilicet secundum quod confitens *ex desiderio sacerdotis* se ei subdit."

Ibid., ad 3 (= Suppl., *ibid.*, ad 3): "Quamvis ille qui laico confessus est in articulo necessitatis, consecutus sit veniam a Deo, *eo quod propositum confitendi* secundum mandatum Dei, quod concepit, sicut potuit, implevit; non tamen adhuc Ecclesiae reconciliatus est, ut ad sacramenta Ecclesiae admitti debeat, nisi prius a sacerdote absolvatur; sicut ille qui baptismo flaminis baptizatus est, ad eucharistiam non admittitur; et ideo oportet quod iterum confiteatur sacerdoti, cum copia habere potuerit; et praecipue quia, ut dictum est, *sacramentum poenitentiae perfectum non fuit*; unde oportet quod perficiatur, ut ex ipsa perceptione sacramenti plenior effectum consequatur et ut mandatum de poenitentiae sacramento recipiendo impleat."

In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 3, q. 3 (= Suppl., *ibid.*, a. 3): "Non oportet quod venialia aliquis sacerdoti confiteatur: quia *ipsa confessio laico facta, sacramentale quoddam est, quamvis non sit sacramentum perfectum*, et ex caritate procedens; et talibus natum est veniale remitti, sicut per tusionem pectoris, et per aquam benedictam."

Ibid., ad 1 (= Suppl., *ibid.*, ad 1): "Venialia non indigent sacramenti perceptione ad dimissionem sui, sed sufficit ibi *aliquod sacramentale, ut aqua benedicta, vel aliquid hujusmodi*."

In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 3, q. 4, ad 5 (= Suppl., *ibid.*, a. 4, ad 5): "In casibus illis in quibus probabiliter timet poenitens periculum sibi vel sacerdoti ex confessione ei facta, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi. Quod si licentiam habere non possit, idem est iudicium quod de illo qui non habet copiam sacerdotis: unde *magis debet eligere laico confiteri*."

In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 4, q. 3, ad 3 (= Suppl., q. 9, a. 3, ad 3): "In absentia proprii sacerdotis *potest etiam laico fieri confessio*; et

ideo non oportet quod per scriptum fiat: quia *plus pertinet ad necessitatem confessionis actus quam ille cui fit confessio.*"

In his locis S. Doctor videtur affirmare tum sacramentalitatem, tum necessitatem laicalis confessionis.

Ad sacramentalitatem autem quod attinet, non magna est difficultas aut inconveniens. Etsi enim junior Thomas aliquatenus ambigue loquatur, fortasse sub influxu doctrinae sui magistri Alberti, haec ex ipso textu constant: 1) Non intelligit sacramentalitatem in sensu pleno, sed diminuto ("sacramentalis quodammodo est"). 2) Hic sensus diminutus ita ab ipso explicatur ut confessio laicalis "non sit sacramentum perfectum" (ex quo videtur sequi ipsam esse sacramentum imperfectum, seu veram confessionem sacramentalem, quae est pars vel initium sacramenti, sed non ipsum sacramentum), sed sit "sacramentale quoddam, ut aqua benedicta" (ex quo sequitur ipsam nec esse proprie pars vel initium sacramenti sed merum sacramentale, ut aqua benedicta aliaque quae nunc dicuntur sacramentalia prout opponuntur sacramentis). Hinc, unum de duobus: vel illam diminutam sacramentalitatem S. Thomas intelligit duplici modo scilicet tum pro inchoatione sacramenti tum pro mero sacramentali, vel eam intelligit tantum hoc secundo modo per quem nempe ipse intendat explicare primam suam assertionem, quasi dicat: Confessio laicalis est quodammodo sacramentalis, seu non est proprie dictum sacramentum ("sacramentum perfectum," i.e. verum), sed merum sacramentale sicut aqua benedicta. 3) Rationem in qua ea diminuta sacramentalitas fundatur S. Doctor constanter assignat votum sacramenti ("ex desiderio sacerdotis", "eo quod propositum confitendi implevit", "debet facere quod ex parte sua est, scilicet confiteri cui potest", "laicus vicem sacerdotis supplet").

Si littera S. Thomae accipitur in secundo sensu, scilicet de mero *sacramentali*, nulla est difficultas, quoniam si inter sacramentalia numeratur a theologis "confessio generalis", a fortiori quis concedet inter sacramentalia reponendam esse eam privatam confessionem quae fit laico in extrema necessitate ex ipso desiderio sacerdotis et voto sacramenti. Si vero accipiatur in priori sensu propriae dictae sacramentalitatis, confessio laicalis, etsi proprie non sit pars sacramenti aut inchoatio sacramenti, vere dicitur sacramentalis, ratione ipsius voti sacramenti, sic enim est ipsum sacramentum in voto (etsi non sit ipsum sacramentum perfectum, i.e. etsi per eam non perficiatur, seu non fiat sacramentum, uti in confessione apud sacerdotem facta), non secus ac ipsa perfecta contritio ex qua illa laicalis confessio

procedit. In hoc sensu S. Doctor in eodem Commento tribuit ipsum nomen sacramenti perfectae contritioni, ratione voti sacramenti, scribens: "Res sacramenti alicujus ultima est non tantum quam efficit actualiter dispensatum, sed etiam quam efficit in proposito existens, sicut patet de baptismo in adultis; et ideo cum *poenitentia in proposito existens sacramentum*, efficiat remissionem peccatorum non solum quoad poenam, sed etiam quod culpam; remissio peccatorum utroque modo est res ipsius poenitentiae sacramenti: quae aliquando tempore praecedit sacramentum exterius, aliquando autem ipso sacramento efficitur" (*In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 3*).

Nec majorem sacramentalitatem in confessione laicali implicat comparatio quam S. Thomas in primo ex supra relatis locis instituit inter Baptismum et Poenitentiam quantum ad ministrum ex officio et ministrum necessitatis; nam ea comparatio non in omnibus tenet, ut patet ex secundo loco supra allegato, in quo S. Doctor explicat disparitatem inter laicum baptizantem et laicum suscipientem confessionem, quae, ut ait, "non est sacramentum perfectum, quia deest ei id quod est ex parte sacerdotis."

Haec igitur doctrina S. Thomae, de sacramentalitate laicalis confessionis, intelligi proprie debet de sacramentalitate ipsius actus contritionis, in ea confessione inclusi, prout continet votum sacramenti, ad normam eorum quae senior Thomas docet in *Summa contra Gentiles*, 4, 72, ubi, iterum premens paritatem inter Baptismum et Poenitentiam ac tacita omni mentione laicalis confessionis, in ipsum solum propositum sacerdotalis confessionis et votum sacramenti oculum figit, scribens: "Sicut sine baptismo, in quo operatur passio Christi, non potest hominibus esse salus, vel realiter suscepto, vel secundum propositum desiderato, 'quando necessitas, non contemptus, sacramentum excludit' [cf. Aug. De bapt. c. Don. iv, xxii]; ita peccantibus post baptismum salus esse non potest nisi clavibus ecclesiae se subiiciant, vel actu confitendo et iudicium ministrorum ecclesiae subeundo, *vel saltem huius rei propositum habendo*. . . Sicut baptismus efficaciam aliquam habet ad remissionem peccati *etiam antequam actu suscipiatur, dum est in proposito ipsum suscipiendi*, — licet postmodum plenior effectum conferat et in adeptione gratiae et in remissione culpae, cum actu suscipitur; et quandoque in ipsa susceptione baptismi confertur gratia, et remittitur culpa, ei cui prius remissa non fuit, — sic et claves Ecclesiae efficaciam habent in aliquo antequam eis se actu subiiciat, *si tamen habeat propositum ut se eis subiiciat*; plenior tamen gratiam et remissionem consequitur dum se eis actu subiicit confitendo, et absolutionem percipiendo; et nihil prohibet quin ali-

quando virtute clavium alicui confesso in ipsa absolute gratia conferatur, per quam ei culpa dimittitur."

Ad necessitatem laicalis confessionis quod attinet, difficultas gravior apparet, imo haec dicenda est unica vera difficultas in hac doctrina S. Thomae junioris. Difficultas autem duplex est: an revera S. Doctor docuerit eam necessitatem, et qua ductus ratione eam tenuerit.

Ad primam quidam negant, dicentes S. Thomam inculcare tantum liceitatem et magnam utilitatem illius confessionis; ita *Soto O.P.*,⁵⁰ *Salmanticenses* (Disp. 12, dub. 5, n. 54), *Billuart O.P.* (Diss. 6, a. 1) et *Pègues O.P.*⁵¹ Alii vero affirmant, magis vel minus explicitè; ita *Laurain* (p. 39), *Teetaert* (omnino asseveranter, p. 325-331), *Bernard* (Dict. Théol. Cath., art. Confession, col. 901), *Vacandard* (ibid., col. 878), *Diekamp* (p. 360), *Boyer* (p. 375), *Daffara* (p. 547).

Prima opinio fundatur in logica connexionione doctrinae S. Thomae; quomodo enim potuit S. Doctor habere ut necessariam, confessionem quam denegat esse partem sacramenti aut putare necessariam esse recursum ad ministrum cui denegat potestatem absolvendi?⁵² Attamen, alteram opinionem vehementer suadet tum ipsa littera S. Doctoris ("Debet facere quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest", "Magis debet eligere laico confiteri", "Plus pertinet ad necessitatem confessionis actus quam ille cui fit confessio"); tum ipsa communis sententia praecipuarum auctoritatum illius aetatis, signanter Pseudo-Augustini (quem S. Doctor Augustinum ipsum esse putavit) et Petri Lombardi (quem S. Doctor commentatur), a quorum sensu inverisimile est juniorem Thomam recedere voluisse dum tamen eisdem aut fortioribus utitur expressionibus (Petrus Lombardus: "Si defuerit sacerdos, proximo vel socio est facienda confessio"; S. Thomas: "Debet facere quod ex parte sua est, scilicet conteri et confiteri cui potest");

⁵⁰ In 4 Sent., dist. 18, q. 4, a. 1, in fine: "Quamvis in solutione ad primum [S. Thomas] dicat, quod quando necessitas imminet, debent poenitentes in absentia sacerdotis confiteri laico: *verbum* 'debet' non sonat praeceptum, ut nonnulli ex Summistis arbitrantur, sed decentiam, quae tempore S. Thomae erat frequentius in usu" (In 4 Sent., l. 1, Venetiis, 1575, p. 866).

⁵¹ Commentaire Français littéral de la Somme Théologique, t. 19, Toulouse-Paris, 1930, p. 268 sq.: "Il est donc permis, aux yeux de saint Thomas, et c'est même chose bonne, chose excellente, chose souverainement opportune, de recourir à un laïque . . . pour lui faire sa confession comme on la ferait au prêtre . . . , quand aucun prêtre ne se trouve là et que cependant le précepte divin de la confession sacramentelle s'impose".

⁵² Posset fortasse aliquis in confirmationem adducere etiam *Apocryphum S. Thomae*, In ep. Jacobi c. 5, ad verba "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra": "*Glossa*. Quotidiana et levia coaequalibus: gravioris culpa immunditiam sacerdoti pandamus: et quando jusserit ipse, purgare curemus. . . *Non tenetur* homo confiteri venialia intentione cuius oppositum sit transgressio. . . Confessio autem quoad mortalia est in praeepto, quoad venialia in consilio. Ideo de mortalibus debet fieri presbytero, sed de venialibus potest fieri socio, quia non necessario requirit virtutem clavium. Unde generalis confessio venialium, secundum usum Ecclesiae, fit quotidie illis qui non sunt presbyteri, in Prima, in Completorio, in Missa."

tum ipsa insistencia qua S. Thomas conatur explicare aliqualem illam sacramentalitatem laicalis confessionis, cui videtur subesse scopus justificandi, meliori quo posset modo, eius ipsam necessitatem, communiter a doctoribus admissam; tum interpretatio aliquorum doctorum S. Thomae fere coaevorum, uti Durandi a S. Porciano († 1333), Astesani († 1330) (cf. infra, p. 720) et ipsius Petri de Tarantasia O.P. (subinde Innocentii V; † 1276),⁵³ qui ita intelligunt et impugnant S. Thomae sententiam.

Ad alteram vero difficultatem, qua scilicet ductus ratione S. Thomas potuerit necessitatem laicalis confessionis docere, cum potius contrarium sequatur ex ipsius praedictis principiis,⁵⁴ non alia videtur assignari posse quam praedictus extrinsecus influxus aliorum doctorum (praecipue Pseudo-Augustini et Petri Lombardi) et juvenilis ac pedissequus character Commentarii super Sententias. Etsi definitivam aut maturiorem sententiam S. Thomas in Summa Theologica dare non potuerit, morte praereptus, ex ipso tamen citato loco C. Gent. 72, in quo de laicali confessione prorsus silet et nonnisi ipsius voti sacramenti necessitatem appellat, conicere licet S. Doctorem laicalis confessionis necessitatem in Summa Theologica explicitè abiecturum fuisse, si eam revera juvenis commentator docuit.

Alexander Halensis († 1245), admissa utilitate laicalis confessionis, denegat explicitè tum ejus sacramentalitatem tum ejus necessitatem.

Summa Theologiae, pars 4, q. 19, memb. 1, a. 1 (ed. Coloniensis, 1622, p. 596): "Dicendum . . . quod licet, imo expedit quandoque confiteri peccata sua alii quam sacerdoti ut scilicet iuветur ab eo, vel oratione, vel instructione, ut erubescat peccata sua et humilietur confessione tali et sic mereatur erubescencia et humiliatione. Sed haec confessio *non est sacramentalis*, licet sit opus virtutis, sed illa solum, quae ordinata est ad reconciliationem, quae fit per absolutionem et ligationem, quae potestas est solis sacerdotibus tradita: unde confessio solis sacerdotibus est facienda. Ad illud quod objicitur quod cum [confessio] sit necessitatis, debuit omnibus committi, dicendum quod non oportuit nec debuit; non debuit, quia absolvere dicit actum alicujus personae auctoritatem habentis: non oportuit, quia nullus volens habere sacerdotem et eo carens, privatur salute: *sufficit enim sibi voluntas confitendi*".

⁵³In 4 Sententiarum, dist. 17: "In articulo tamen illo [necessitatis] dicunt quidam quod tenetur etiam laico confiteri. Alii dicunt quod non: quod puto verius et ideo iudicandum est de eo sicut de alio illo qui non habet copiam confessionis" (Bibl. Brugensis, Codex 187, p. 76^v; apud *Teetaert*, La confession aux laïques, p. 405, in nota).

⁵⁴Ex ipsa enim supradicta sacramentalitate illius confessionis solum sequitur esse necessarium votum sacramenti, non vero votum sacramenti expressum per laicalem confessionem.

Bonaventura († 1274) eandem prorsus profert sententiam ac ejus magister Halensis.

In 4 Sent., dist. 17, pars 3, a. 1, q. 1: "Dicendum quod est loqui de confessione dupliciter: uno modo, prout est opus virtutis directe repugnans hypocrisi, in quo quis seipsum accusat, ne alius quam sit appareat, vel etiam mala sua aperit ad morbi investigandam curationem; et *hoc modo confessio cuilibet potest fieri*, qui potest adiuvere instruendo vel orando, de quo homo potest erubescere et humiliari, et ille exemplo humiliationis meliorari, non peccatorum cognitione depravari; et sic quis potest peccatum suum cuilibet confiteri, *sive clerico sive laico*. . . Alio modo confessio est opus sacramentale, prout ordinatur ad reconciliationem, quae fit per absolutionem et ligationem; et quoniam haec potestas collata est solis sacerdotibus . . . , ideo haec nulli nisi solis sacerdotibus est facienda. . . Ad illud quod obicitur, quod, cum [confessio] sit necessitatis, debuit omnibus committi, dicendum quod non oportuit nec debuit. Non debuit, quia absolvere dicit actum alicujus personae auctoritatem habentis. Non etiam oportuit, quia nullus volens habere sacerdotem et eo carens privatur salute: *sufficit enim sibi voluntas confitendi*; et ut voluntas ejus exterius appareat, dat Magister consilium quod confiteatur proprio socio, *non quia confessio illa sacramentum Ecclesiae sit*, sed ut talis ostendat se perfectam habere voluntatem et facere quod in se est."⁵⁵

Ibid., q. 2: "Dicendum quod, sicut supra tactum est de *confessione non sacramentali*, quae quidem fit ad peccati recognitionem et erubescentiam, cum non spectet ad aliquem determinate, sed ad omnem qui prodesse potest, sine licentia et mandato potest peccator cui vult ad libitum confiteri; dum tamen sit de fidelibus numero, sive sit laicus sive sit sacerdos, sive saecularis sive religiosus, ita quod non sit vel excommunicatus vel praecisus."⁵⁶

In 4 Sent. dist. 17, pars 3, dub. 1: "Non fit socio [illa confessio] ut suppleatur locus sacerdotis vel *confessio-sacramentum* ex hoc habeatur, sed ut voluntas confitentis probetur et innotescat, ut totum quod in se est facit. — *Dixerunt tamen aliqui* [probabiliter alludit ad Albertum M.] quod aliquo modo absolvitur iste in ista confessione. Dicunt enim quod quinque modis habetur potestas absolvendi, scilicet auctoritate, et sic est Dei; excellentia, et sic est Christi hominis; potestate sive auctoritate commissa, et sic est sacerdotis; merito vitae, et sic est iusti et sancti; et virtute unitatis ecclesiasticae, et sic est cuiuslibet viri fidelis. *Et ideo dicunt quod talis confessio quodam modo est*

⁵⁵ Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 434 sq.

⁵⁶ Ibid., p. 437.

sacramentum Ecclesiae. — Probabilius tamen est dicere quod non sit sacramentum Ecclesiae, cum deficiat ibi formale, scilicet potestas clavis, sed est aliquid loco eius.⁵⁷

In hac igitur periodo, omnes admittunt utilitatem et efficacitatem confessionis laicalis de mortalibus, saltem in casu periculi et absentiae sacerdotis (venialia dicuntur accusari posse indifferenter sacerdoti vel laico etiam extra praedictum casum necessitatis, etsi quidam dicant praefendum esse ministerium sacerdotis). Plures, signanter ut videtur S. Thomas, tenent necessitatem illius confessionis, sicut anteriores doctores, imo S. Thomas, conatur tali necessitati substernere theoreticum aliquod fundamentum, tribuens illi aliquam rationem sacramentalitatis; alii vero, signanter Alex. Halensis et Bonaventura, negant illam necessitatem ejusque praedictum fundamentum (Albertus M. vero negat necessitatem sed admittit, imo exaggerat, sacramentalitatem).

Nihilominus nullus doctor tribuit illi confessioni stricte dictam sacramentalitatem, ita nempe ut dicatur ipsa esse pars aut inchoatio quaedam ipsius sacramenti Poenitentiae, uti ea quae fit sacerdoti, et multo minus ita ut dicatur laicus proprie absolvere ex clavium potestate. Omnes enim insistent in hoc quod soli sacerdotes habent potestatem. Rationes autem, in quibus omnes fundant necessitatem aut meram utilitatem laicalis confessionis, sunt eadem quas vidimus in praecedenti periodo (supra, p. 707), scilicet ratio satisfactionis, inhaerentis confessioni ob erubescitiam et humiliationem, et ratio relationis ad sacramentum, seu voti *sacerdotalis absolutionis*; haec secunda ratio maxime inculcatur quia jam, opera praesertim Alberti M. et S. Thomae, attentio theologorum dirigitur ad *absolutionem tanquam praecipuum ac formale elementum sacramenti Poenitentiae*.

Et haec eadem consideratio causa fuit quare quidam, ut Alex. Halensis, Albertus M. et Bonaventura, incoeperint reicere necessitatem confessionis laicalis, alii vero, nominatim S. Thomas, auctoritate Pseudo-Augustini et Petri Lombardi praecipue commoti, hanc necessitatem salvare conati sint, eam fundantes in aliqua illius confessionis sacramentalitate, proveniente ex sua relatione ad sacerdotalem absolutionem.

A saec. 14 ad Conc. Trid. praevaluit paulatim sententia negans necessitatem laicalis confessionis, ac inde ipsa praxis in desuetudinem abiit. Etsi enim doctores loquantur de duplici opinione in hac re, generatim probabiliores saltem reputant opinionem negantem.

Scotus († 1308) et *Richardus a Mediavilla* († c. 1300), sententiam

⁵⁷ *Ibid.*, p. 449.

confratrum Halensis et Bonaventurae ultro amplectuntur, ac distinctius defendunt, ita ut Scotus eousque procedat ut dubitet de ipsa licetate confessionis laicalis.⁵⁸ *Guilelmus Parisiensis* O.P. († 1314), Dialogus de septem sacramentis (Parisiis, 1515, p. 30): "Confiteatur deo vel laico si habuerit". *Astesanus* O.F.M. († circa 1330), Summa astesana, l. 4, tit. 13, q. 2: "Utrum in casu necessitatis quo presbyter deesset sit necessarium layco confiteri? Thom. in iv suo videtur dicere quod sic. Sed tenendum est quod non". *Durandus a S. Porciano* O.P. († 1333), In 4 Sent., dist. 17, q. 12, alludens ad S. Thomam, ait: "Si autem non habeatur copia sacerdotis, sic dicunt quidam quod tenetur laicis confiteri: quorum ratio est, quia in sacramento confessionis non solum est aliquid ex parte ministri sed etiam est aliquid ex parte confitentis . . . et utrumque concurrat ad plenitudinem sacramenti". *S. Antoninus* O.P. († 1459), Summ. theol. mor., pars. 3, t. 17, c. 1: "Non sacerdos etsi possit audire in casu mortis non tamen absolvere". *Sylvester Prierias* O.P. († 1523), Summa sylvestrina, ad v. Confessor, 1, 1: "In necessitate confiteri laico non est praeceptum sed consilium". *Dom. Soto* O.P. († 1560), In 4 Sent., dist. 18, q. 4, a. 1, tribuens eandem sententiam S. Thomae (cf. supra, p. 716), scribit: "In nullo prorsus eventu necessarium est confiteri laico. . . Quondam in ecclesia usus viguit confitendi laicis in absentia sacerdotis. . . At vero persuadere mihi non possum quod fuerit in usu confiteri peccata occultissima et gravissima, quae alicujus essent infamiae: nam cum illic nullum esset sacramentum . . . incredibile est quod sua sponte homines sine aliquo fructu pudenda conscientiae aliis propalarent."

Quidquid sit de hac Soti admiratione, ea praxis non videtur totaliter extincta esse nisi circa finem saec. 16, cum Gregorius XIII, Clemens VIII et Urbanus VIII, ut reprimerent abusus connexos cum doctrina Protestantium de universali laicorum sacerdotio, jusserunt ut a Sacrae Inquisitionis tribunali prosequerentur omnes qui, sacerdotio non

⁵⁸ Opus Oxoniense, In 4 Sent., dist. 14, q. 4, Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 155: "Nihil pertinens ad sacramentum Poenitentiae, potest a laico dispensari, sicut nec confectio Eucharistiae; et ideo confessio, quae est dispositio praevia ad Sacramentum Poenitentiae, ut dicitur postea, facta laico, nihil valet virtute operis operati. *Et adhuc dubium est, an sit in detrimentum salutis, quia illa revelatio non potest esse confessionalis.*"

Ibid., dist. 17, q. un., p. 564: "Quia accusatio ad hoc ex praecepto fit, et non ad aliud, ut sequatur sententia, et laicus nullam habet sententiarum auctoritatem in isto foro, sequitur quod nullum praeceptum est de accusando se laico; et forte utilis esset non accusare se illi, si posset aequalem verecundiam habere apud se recogitando eadem peccata, et sic aequae puniri. Et si diceret aliquis quod necessarium est non confiteri laico, quia nulli licet diffamare se, nec prodere peccatum suum occultum, maxime quando ille cui prodit, non praesumitur celator secreti, nec scit melius consulere peccatori, quam ipsemet sibi; forte enim propter consilium requirendum, liceret alicui revelare peccatum suum alicui laico discretiori. *Sed nec hoc patet, quia consilium posset inquiri, posito casu in universali de aliquo, absque revelatione peccati sui.*"

insigniti, attemptarent missam celebrare aut confessiones audire et absolvere (cf. supra, p. 617).

Iuvenit ad brevem summam redigere praecipuas lineas totius historico-theologicae evolutionis laicalis confessionis.

Haec evolutio secuta est pari passu cum ipsa evolutione poenitentialis disciplinae, secundum diversum momentum quod successive acceperunt, in mente doctorum et praxi fidelium, quatuor elementa quibus constat sacramentum Poenitentiae, satisfactio scilicet, confessio, contritio et absolutio.

In *prima periodo*, saec. 8–10, introducitur et commendatur laicalis confessio de *venialibus*, praecipue auctoritate *Bedae*. Ratio fuit crescens momentum quod assumpsit confessio in exercitio privatae poenitentiae, declinante poenitentia publica et minuente ipso rigore primitivae poenitentiae privatae. Ideo vero confessio laicalis de mortalibus nondum introducta fuit, quia confessio adhuc considerabatur potius ut subordinata satisfactio, seu *ut medium accipiendi satisfactionem*, quod erat praecipuum elementum eousque consideratum in disciplina poenitentiali, nec alius agnosci poterat competens iudex in hac materia praeter sacerdotem qui habet clavem sacramentalis iudicii.

In *secunda periodo*, saec. 11, fit transitus ad confessionem laicalem etiam de *mortalibus*, cuius praecipuus assertor est Pseudo-Augustinus. Ratio fuit quia confessio jam considerari coepit secundum seipsam ut principale elementum Poenitentiae, seu non tam ut subordinata satisfactio, tanquam medium accipiendi illam, sed potius *ut necessarius quidam modus satisfactionis*, ratione erubescitiae et humiliationis in ea contentae. Talis autem est confessio sive fiat sacerdoti, sive laico; unde, concludebatur quod in absentia sacerdotis, facienda est laico.

In *tertia periodo*, saec. 12, inculcatur ipsa *necessitas* talis confessionis, signanti modo a *Petro Lombardo*. Ratio unde haec necessitas deducitur est praecipue quia confessio est insignis manifestatio illius *contritionis*, quae hoc tempore consideratur ut principale elementum Poenitentiae.

In *quarta periodo*, saec. 13, asseritur a quibusdam, ut *Alberto M. et S. Thoma*, quaedam sacramentalitas laicalis confessionis, quae a S. Thoma videtur poni ut fundamentum necessitatis illius; alii vero, ut *Halensis et Bonaventura*, negant tum sacramentalitatem tum necessitatem illius; quae denegatio subsequenti tempore increvit donec praevaluerit. Ratio talis vicissitudinis, qua confessio laicalis tunc attigit culmen suae evolutionis sub indole sacramentalitatis et simul novit initium sui occasus ob denegatam ejus necessitatem, reponenda est in ipso culmine evolutionis doctrinae poenitentialis prout, opera ipsius

S. Thomae, praevaluit eo tempore consideratio *absolutionis*, ut praecipui elementi Poenitentiae sacramentalis. Hinc enim, ex una parte S. Thomas recte deduxit quamdam sacramentalitatem confessionis laicalis prout includit votum sacerdotalis absolutionis, ac ita conatus est tribuere sufficiens fundamentum necessitati illius confessionis eousque a doctoribus assertae, ex alia vero parte alii doctores, ut Halensis, Albertus M. et Bonaventura, recte quoque deduxerunt negationem necessitatis illius confessionis.

Ex dictis manifesto apparet *H. Ch. Lea* aliosque *Liberales* male interpretasse praxim laicalis confessionis tanquam vestigium et signum non agnitae a priori Ecclesia potestatis clavium (cf. supra, p. 695 sq.). E contrario, intima illius praxis origo quaerenda est in ipsa fide sacramenti Poenitentiae, quod ex poenitentis confessione et sacerdotis absolutione coalescit; ea enim praxis ostendit quanta fides haberetur in necessitate sacramentalis confessionis et quanta vis tribueretur actibus ipsius poenitentis, prout praesertim fiunt cum ordine ad sacerdotalem absolutionem. Id praeterea ostendit quanta sit convenientia divini praecepti sacramentalis confessionis cum intimis exigentiis humanae naturae, quae veluti instinctive recurrit ad peccatorum manifestationem, tanquam ad aptissimum quoddam expiationis medium, ratione humiliationis in eo contentae (cf. dicta in art. 36, tom. 2, p. 416-421).

Et hae quidem rationes tales sunt, ut abstracte et per se loquendo jugiter commendent liceitatem et utilitatem laicalis confessionis, quamvis ex variis circumstantiis, tum ecclesiasticae consuetudinis, tum socialium morum, tum individualium dispositionum, ea confessio nonnisi raro nunc prodesse potest, praesertim si agatur de peccatis occultis.

Inter doctores posttridentinos, alii severius, alii mitius iudicant *de liceitate et utilitate talis confessionis*. Quidam (post ipsum *Scotum*, supra cit., in p. 720, qui de illius liceitate inepte dubitabat eo ipso tempore quo communiter doctores admittebant ejus saltem utilitatem) durius omnino loquuntur. Ita *Benedictus XIV*, scribens: "Merito. . . Navarrus. . . Gregorius de Valentia . . . aliique . . . concludunt, nisi excusetur ab ignorantia, in praesenti rerum statu, graviter eum peccare qui etiam in casu necessitatis peccata sua confitetur laico: quia sine ulla causa semetipsum infamat, et fortasse praebet aliis occasionem de se suspicandi quod adhaereat Lutheranorum haeresi" (De synodo dioec., l. 7, c. 16, n. 11). Moderatius *Soto* ait eam confessionem "jam non esse in usu neque esse consulendam: quia certe fructus aut nullus est, aut perexiguus" (In 4 Sent., dist. 18, q. 4, a. 1). Rectius *Suarez*, relatis oppositis sententiis Scoti et Bonaventurae de non

consulenda aut consulenda tali confessione, ait: "Sed neutrum censeo posse simpliciter affirmari, sed considerandas esse circumstantias rerum et personarum. Nam si persona indigeat consilio et auxilio, et alia sit prudens, a quo possit utilitas et secretum sine alio gravi detrimento sperari, optimum erit hoc medio uti; nam illa qualiscunque infamia majori spirituali utilitate compensatur, et in reliquo, homo potest cedere juri suo. Si autem illae circumstantiae non concurrant, melius erit soli Deo confiteri" (Disp. 24, sect. 1, n. 12). Huic Suaresii iudicio videntur communius consentire moderni, ut *Laurain* (op. cit., p. 66 sq.), *Pègues* (Commentaire littéral de la Somme Théologique, t. 19, Parisiis, 1930, p. 266 sq. 270, ubi res exponitur sub luce doctrinae S. Thomae), *Pesch* (n. 415) et inter Moralistas *Cappello* qui ait: "Si [confessio laico] fiat . . . ob animi demissionem sive humilitatem, nullum est peccatum, dummodo absit scandalum aliudve incommodum. In praxi nec suadenda nec permittenda, sed generatim prohibenda est huiusmodi confessio" (n. 273).

ART. 99. Utrum Ad Validam Hujus Sacramenti Administrationem Non Sufficiat Potestas Ordinis Sed Requiritur Etiam Distincta Potestas Jurisdictionis (Suppl., q. 8, a. 4 et 6; q. 17, a. 2, ad 2; q. 19, a. 6; q. 20, a. 1, corp. et ad 1; a. 2; a. 3, ad 3; 2-2, q. 39, a. 3; C. Gent. 4, 72; Quodlib. 12, q. 18, a. 30).

STATUS QUAESTIONIS

Definitio ac mutua distinctio utriusque potestatis, ordinis et jurisdictionis, pertinet directe ad tractatum De Ecclesia vel De Ordine. Satis sit hic recolere communes descriptiones et distinctiones quae apud auctores circumferuntur.

Potestas ordinis est potestas administrandi sacra, signanter conficiendi sacramenta, principaliter Eucharistiam. Confertur per Sacramentum Ordinis (inde ejus nomen). Consistit physice in ipsa forma characteris Ordinis, moraliter vero in iuribus conficiendi et administrandi sacra, in ipso characteris proxime vel remote fundatis. Dividi potest, ex parte saltem objecti, in sacramentalem et non sacramentalem, prout ordinatur ad confectionem et administrationem sacramentorum vel aliorum sacrorum; potestas sacramentalis dividitur in eam quae est circa Corpus Christi physicum (per consecrationem Eucharisticam) et eam quae est circa corpus Christi Mysticum (per confectionem aliorum sacramentorum). Haec potestas tota consistit in conficiendo et tradendo aliquid sacrum, nullatenus vero in regendo, vel imponendo, vel imperando, vel iudicando (sic qui baptizat, vel ungit,

vel consecrat, non imponit obligationem aliquam, sed mere conficit et applicat signum sacramentale), et in hoc praecise est ejus distinctio a potestate jurisdictionis.

Potestas jurisdictionis igitur tota consistit in jus dicendo, seu in jus condendo vel imponendo. Consistit in qualitate morali. Dividitur primo, in potestatem legislativam, judicialem et coactivam. Secundo, dividitur in potestatem *in foro externo* (quae regulat visibiles relationes et actiones fidelium prout sunt pars ecclesiasticae societatis) et potestatem *in foro interno* (quae regulat invisibiles actiones conscientiae et internas relationes ad Deum); haec subdividitur in *sacramentalem et extrasacramentalem* prout exercetur intra vel extra actum sacramentalis confessionis. Tertio, utraque potestas tam fori externi quam interni, sive sacramentalis sive extrasacramentalis, dividitur, ex parte modi quo obtinetur, in *ordinariam et delegatam* prout adnectitur officio vel committitur personae; ordinaria quidem subdividitur in propriam et vicariam, delegata vero in a jure vel ab homine.

In art. praec. statuimus in ministro Poenitentiae requiri potestatem ordinis, ita ut, ex nulla ipsius Ecclesiae dispositione vel dispensatione, possit aliquis non sacerdos hoc sacramentum valide conficere seu administrare. Quaeritur in praesenti an praeter potestatem ordinis requiratur etiam potestas jurisdictionis. *Quae quidem quaestio tripliciter intelligi potest:*

1. *De ipsa existentia potestatis jurisdictionis.* Utrum scilicet ad valide conficiendum hoc sacramentum, secus ac cetera sacramenta, requiratur in ministro talis completa potestas quae quomodolibet *includat utramque ordinis ac jurisdictionis potestatem.*

2. *De potestatis jurisdictionis dependentia ab ecclesiastica auctoritate.* Utrum scilicet haec potestas ita dependeat ab ecclesiastica auctoritate ut, antecederet ad concessionem hujus auctoritatis et vi solius ordinationis, sacerdos *nequeat valide conficere sacramentum*, etsi hoc sit exercitium ipsius potestatis ordinis quam habet quidem vi solius ordinationis.

3. *De modo illius dependentiae.* Utrum scilicet potestas jurisdictionis pendeat ab ecclesiastica auctoritate *tamquam a propria causa conferente*, non vero tamquam a mera conditione removente impedimentum ad validum exercitium potestatis, jam collatae in ipsa ordinatione, una cum potestate ordinis.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, *seu de ipsa existentia potestatis jurisdictionis, tres habentur sententiae:*

PRIMA SENTENTIA, negativa, est haereticorum, nominatim *Protestantium*, qui negant simpliciter existentiam potestatis jurisdictionis (imo omnem veram clavium potestatem, tam jurisdictionis quam ordinis), reducentes sacerdotalem absolutionem ad nudum quoddam ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti (cf. art. 1, tom. 1, p. 50–52).

SECUNDA SENTENTIA, negativa, est quorundam theologorum praetridentinorum, vim potestatis clavium multum extenuantium, quorum quidam antiquiores, ut *Petrus Lombardus, Gratianus, Petrus Pictaviensis et Praepositinus*, ipsam potestatem clavium simpliciter consideratam (tam ut ordinis quam ut jurisdictionis) reducebant fere ad jus declarandi remissionem peccatorum, jam factam per praecedentem contritionem (cf. art. 91, p. 259–261), alii vero posteriores, ut *Paludanus, Abulensis, Sylvester et Navarrus* (de quibus iterum infra), admissa propria efficacitate potestatis ordinis, videntur suppressere distinctam potestatem jurisdictionis, eam fere confundentes cum potestate ordinis, saltem accepta jurisdictione in habitu.

TERCIA SENTENTIA, affirmativa, est communis apud doctores catholicos, saltem post Conc. Trid. Quae quidem, quatenus contra Protestantes defendit veram indolem jurisdictionalem seu judicialem absolutionis, est *de fide* definita in *Conc. Trid.* (sess. 14, can. 3 et 9, cf. art. 1, tom. 1, p. 50–52); quatenus vero contra Petrum Lombardum aliosque coevos doctores asserit veram efficaciam illius jurisdictionis, est *theologice certa* (cf. art. 91, p. 269 sq.); quatenus tandem contra Abulensem aliosque docet distinctionem utriusque potestatis ordinis et jurisdictionis, est sola conformis doctrinae Conc. Tridentini.

QUOAD SECUNDAM QUESTIONEM, seu de *dependentia sacramentalis jurisdictionis ab auctoritate Ecclesiae, tres iterum habentur sententiae.*

PRIMA SENTENTIA, negativa, eam dependentiam simpliciter reicit, docens sacerdotes recipere in ipsa ordinatione (ad verba “Accipe Spiritum S . . .”) sufficientem potestatem ad valide absolvendum, quae, utpote sacramentalis, nequit ab Ecclesia impediri. Ob Ecclesiae quidem prohibitionem, auferentem aut limitantem licitatem absolutionis, sacramentum potest fieri invalidum ex parte subjecti, illicitum accedentis ad sacerdotem non approbatum, non tamen ex parte ipsius sacerdotis, ita ut, si poenitens in bona fide accedat, absolutio sit valida.

Hanc sententiam jam proposuerunt *tempore S. Thomae* quidam, quos reticito nomine refert S. Doctor, scribens: “Quidam dicunt quod

quilibet sacerdos potest absolvere quemlibet a quolibet peccato; et licet non bene faciat absolvendo, tamen absolutus est. Et ratio horum fuit, quia simul datur presbytero in sua ordinatione potestas consecrandi Corpus Christi, et potestas clavium; et ideo sicut potest consecrare quamlibet hostiam, ita potest absolvere quemlibet" (*Quodlib. 12, q. 18, a. 30, infra cit., p. 736*; eosdem S. Thomas breviter commemorat etiam in *C. Gent. 4, 72, cit. ibid.*: "Ut quidam mentiuntur"). Idem clarius docuit subinde *Richardus archiep. Armachanus* († 1360; Summa in quaestionibus Armenorum, l. 11, c. 1 et 2), faventibus *Durando* († 1334; In 4 Sent., dist. 19, q. 2), qui id valde probabile dicit, et *Almaino* († 1515; In 4 Sent., dist. 18, q. unica), qui in id inclinat.

Post Conc. Trid. eandem sententiam resuscitarunt *Jansenistae*. *Conc. Pistoriense*, callide distinguens inter necessitatem et convenientiam, docuit dependentiam sacramenti a potestate Ecclesiae ortam esse non ex necessitate rei sed ex convenientia, ad praecavendas scilicet confusiones et perturbaciones, quae, post institutionem dioecesium et parochiarum, fierent, si potestas absolvendi exerceretur indiscriminatum et non potius in solos subditos uniuscujusque pastoris. Quam doctrinam ut erroneam damnavit Pius VI infra referendus (p. 732).

SECUNDA SENTENTIA, negativa. Plures theologi, praecipue ante Conc. Trid., praedictam sententiam de independentia absolutionis ab Ecclesiae potestate restrinxerunt ad aliquem specialem casum.

Quidam, ut *Durandus, Paludanus, Capreolus, Cano, Armilla et Ruardus* (apud Vazquez, In 3 p., q. 93, a. 1, dub. 3, et Suarez, Disp. 26, sect. 4, n. 6), id restrinxerunt ad *casum articuli mortis*, docentes ad absolvendos moribundos sacerdotem non indigere jurisdictione ab Ecclesia sed eam habere de jure divino, vi solius ordinationis. Quod deduci potest tum ex ipsa ratione extremae necessitatis, periclitaretur enim salus animarum si in eo casu valor sacramenti esset alligatus consensui ecclesiasticae auctoritatis, tum a signo, nam de facto numquam Ecclesia attentavit denegare jurisdictionem ad absolvendum in articulo mortis.

Quidam eam sententiam limitarunt ad casum *confessionis non necessariae*, seu quae non sit de praecepto sed libere a poenitente instituitur, qualis est confessio de venialibus, vel de mortalibus jam confessis, vel quae fit tempore quo non urget praeceptum confitendi. Ratio est quia ipsa libertas materiae evacuat rationem imperii et jurisdictionis in actu sacerdotis; cum enim sacerdos nequeat cogere poenitentem ad confessionem materiae liberae, nec ligare illum ad satisfactionem de illis peccatis faciendam, non videtur ad quid sit necessaria jurisdictio.

Et quidem *aliqui* videntur id asserere generaliter de omni confessione libere instituta, seu de tribus praedictis casibus; ita quidam, quos reticito nomine memorat Suarez (Disp. 24, sect. 2, n. 4) ex Medina (Cod. de Confessione). *Aliqui*, ut *Paludanus*, *Ledesma* et *Vasquez* (In 3 p., q. 93, a. 1, dub. 6) id asserunt de confessione tam mortalium jam confessorum quam venialium, quia utraque sunt materia libera. *Plures*, ut *S. Thomas* (saltem juxta interpretationem Suaresii, etsi non secundum veritatem; cf. infra), *Durandus*, *Capreolus*, *Cajetanus* (Opusc., t. 1, tr. 7; Summa, ad v. Absolutio), *Cano*, *D. Soto*, *Hyquaeus*, id asserunt explicitè de solis peccatis venialibus (quidam, ut Soto, explicitè negant de mortalibus jam confessis, eo quod haec, utpote mortalia, sint per se materia necessaria, etsi per accidens, quia jam confessa, evadant materia libera). Nota tamen hanc sententiam non esse confundendam cum alia (infra referenda, in p. 767–770) Suaresii, Lugonis, Salmanticensium et plurium aliorum qui, admissa necessitate jurisdictionis Ecclesiae, dicunt hanc quoad venialia concessam esse ab Ecclesia omnibus sacerdotibus ex jure communi et immemorabili consuetudine.

Ceterum alii alias afferunt rationes et explicationes. Quidam dicunt sacerdotem habere potestatem absolvendi a venialibus, vi ipsius potestatis ordinis, eo quod ad remissionem venialium non est necessaria potestas clavium, cum per quodlibet sacramentum, ratione collationis gratiae, venialia remittantur (ita in *textu S. Thomae*, infra referendo), vel eo quod in confessione venialium nulla jurisdictio involvatur cum poenitens nequeat cogi ad eam confessionem nec, data confessione, ad satisfaciendum de illis (ita *Soto*). *Paludanus et Capreolus* videntur dicere quod jurisdictio quoad venialia confertur a Deo in ipsa ordinatione, Ecclesia vero potest eam impedire, si autem de facto non impedit, valet absolutio sacerdotis quin indigeat ullam ab Ecclesia accipere jurisdictionem. *Cajetanus* ait sacerdotem habere jurisdictionem in venialia ex hoc ipso quod poenitens se voluntarie illi subicit, sic enim designatio subjecti, quae requiritur ad jurisdictionem exercendam, fit per ipsum poenitentem. *Vasquez* ait Ecclesiam non posse reservare peccata venialia, adeoque nec dare jurisdictionem ad illa.

Ad rem *D. SOTO*: “Ad tertium sunt qui respondeant universos sacerdotes, dum ordinantur, jurisdictionem accipere ad absolvendum a venialibus, ac perinde ab illis mortalibus quorum legitima absolutio praecessit, eo quod non sunt necessaria materia confessionis. At vero quamvis disputatio forsitan sit de nomine tantum, libentius dicerem nullam prorsus jurisdictionem sacerdotes cum caractere accipere, sed tantum potestatem ordinis. Possunt nihilominus omnes a venialibus absolvere: quia ad id nulla opus habent jurisdictione: jurisdictio enim nulla est, ubi nulla invenitur cogendi vis.

“Et neque ad confessionem venialium ullus cogi potest, neque dum illa tantum

confitetur, cogitur omnia dicere, neque ullam acceptare poenitentiam: absolutio ergo illa licet sacramentalis sit, non tamen jurisdictione indiget, atque is mihi apparet sensus verborum S. Thomae in 4. d. 18. quaest. 2. art. 3. ad tertium, ubi ait, quod remissio venialium sequitur potestatem ordinis: hoc est, ad remissionem illorum etiam per sacramentalem absolutionem, nihil aliud requiritur, quam sola potestas ordinis. Ad absolvendum vero a mortalibus, etiam si eorum alias absolutio praecesserit, arbitror ex suo genere jurisdictionem requiri: quare eam non censeo posse a simplici sacerdote fieri".⁶⁹

M. CANO: "Probabilissimum est, quemlibet sacerdotem in mortis articulo habere auctoritatem absolvendi iure divino. Idque asseruit Paludanus dist. 20. quaest. 1. art. 2., Durandus dist. 19. quaest. 5., Capreolus eadem dist. art. 5 ad 4. Id quoque Divus Thomas sentire videtur, dist. 19. quaest. 1. art. 3. quaest. 1. et dist. 20. art. 1. quaest. 2. Atque est praeterea rationi consentaneum, quia Deus non deficit in necessariis; nullus enim providus gubernator in necessariis deficit: ergo quemadmodum providit, ut in articulo mortis quicumque posset licite baptizare, non obstante quacumque ecclesiastica censura et prohibitione: ita etiam cavet, ut in eodem articulo quilibet sacerdos licite absolveret: cum utrumque sit Sacramentum necessitatis, utrumque iure divino praeceptum. Est insuper alia ratio, qua id confirmari possit: quod auctore Divo Augustino 4. lib. De baptismo contra Donatistas cap. 24., 'Quod universa tenet Ecclesia semperque retentum est, nec a Pontificibus aut Conciliis tempore aliquo post apostolos definitum, traditione Christi et apostolorum rectissime creditur constitutum.' At quod quilibet sacerdos in mortis articulo quemlibet possit absolvere, semper in Ecclesia observatum est, nec nova aliqua hominum constitutione sancitum: a Christo igitur et apostolis est institutum.

"Praeterea, Ecclesia non posset hoc rescindere et abrogare, ferendo scilicet contrariam legem: ergo est de iure divino. Antecedens suadet: quia seclusa quacumque Ecclesiae lege, talis abrogatio esset contra rectam rationem, si (ut verum est) poenitentia est Sacramentum ad salutem necessarium. Sic igitur rationi maxime consentaneum est, *quacumque sacerdotem* in articulo mortis poenitentiae ministrum iure divino esse constitutum. Quo etiam fit, per Ecclesiae censuram talem auctoritatem abrogari non posse."⁶⁹

S. Thomas, Suppl., q. 22, a. 4, ad 3, scribit: "Etiam in foro confessionis aliquis non potest seipsum absolvere, nec superiorem, nec aequalem, de mortali, nisi ex commissione sibi facta. De venialibus autem potest, quia venialia ex quibuslibet sacramentis gratiam conferentibus remittuntur; unde *remissio venialium sequitur potestatem ordinis.*"

Hic textus prout sonat videtur negare necessitatem jurisdictionis quoad confessionem venialium, praecipue ob ultima verba. "Remissio venialium sequitur potestatem ordinis" et in hoc sensu S. Thomam intelligunt plures post *Suarez*⁶¹ eo vel magis quod aliqui insignes ejus

⁶⁹ In 4 Sent., dist. 18, q. 4, a. 2, ad 3, Venetiis, 1575, t. 1, p. 871 sq.

⁶⁰ Relectio de Poenitentiae sacramento, pars. 5, n. 78 sq., Opera theologica, v. 3, Romae, 1900, p. 358 sq.

⁶¹ Disp. 26, sect. 5, n. 3: "Etiam D. Thomas . . . indicat potestatem ordinis ad hoc sufficere. Nihilominus falsa est opinio".

Ipse *Pègues*, O. P. sic interpretatur S. Thomam, imo videtur ingenue admittere eam opinionem, scribens: "On remarquera en passant, ce point de doctrine touché ici par saint Thomas, où nous voyons qu'aux yeux du saint Docteur, la juridiction ne serait requise, dans l'administration du sacrement de pénitence, que s'il s'agit d'absolution à donner portant sur les péchés mortels. Il suit de là que dans les confessions où ne sont

discipuli, ut Capreolus, Cajetanus et Soto, eandem tenent sententiam. Attamen, parum verisimile est S. Doctorem id docere in aliquo textu mere occasionali et transeunti, contra generalem et repetitam ipsius affirmationem quod duplex requiritur potestas ad validitatem absolutionis et quod usus clavium nequit consistere absque designatione subjecti per Ecclesiam: *Suppl.*, q. 8, a. 4 (cit. supra, in p. 740): “*De necessitate hujus sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem*”; q. 17, a. 2, ad 2 (cit. in p. 734 sq.): “*Clavis cum ordine datur; sed executio clavis indiget materia debita, quae est plebs subdita per jurisdictionem*” (cf. q. 19, a. 6, cit. ibid.); q. 20, a. 1, ad 1 (cit. ibid.): “*Ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis et potestas jurisdictionis*” (cf. 2-2, q. 39, a. 3; Quodlib. 12, q. 18, a. 30, cit. in p. 736). *Billuart* (diss. 6, a. 2) et *Prümmer* (n. 408) dicunt S. Thomam intelligendum esse vel de remissione venialium extrasacramentali vel de praxi sui temporis juxta quam sacerdos non indigebat peculiari concessione jurisdictionis quoad venialia, eo quod haec ex consuetudine et jure communi concedebatur omnibus sacerdotibus eo ipso quod essent ordinati. Quam quidem praxim et sententiam affirmant plures auctores posteriores, uti *Suarez*, *Lugo*, *Salmanticenses* (cf. infra, p. 767 sq.).

Haec altera explicatio est unica quae convenit textui et contextui S. Thomae, cujus verba ita glossari possunt: “*In foro confessionis aliquis non potest seipsum absolvere ullo modo, ut patet, nec potest absolvere alios, praecipue superiores aut aequales, de mortalibus, nisi ex distincta et speciali commissione; de venialibus autem potest alios absolvere absque speciali commissione, ex sola generali commissione, quae ideo omnibus datur ab Ecclesia in ipsa ordinatione quia venialia possunt auferri per quodlibet sacramentum; unde dici potest remissio venialium sequi potestatem ordinis tum quia fit per omnia sacramenta, etiam per ea quae non important jurisdictionem, tum quia jurisdictio, quae requiritur in sacramento Poenitentiae, datur a jure communi omnibus sacerdotibus in ipsa ordinatione, ac ita est unita seu sequitur potestatem ordinis.*”

TERTIA SENTENTIA, affirmativa, quae est communissima inter theologos post Conc. Trid., docet simpliciter dependentiam sacramentalis jurisdictionis et valoris sacramenti ab auctoritate Ecclesiae. Et quidem, quatenus id refertur ad confessionem materiae necessariae, seu peccatorum mortalium nondum confessorum, est *saltem theologice*

accusés que des péchés véniels, tout prêtre aurait le pouvoir de confesser et d'absoudre” (Commentaire de la Somme Théologique, v. 19, Paris, 1930, p. 488).

certum ex Ecclesiae documentis mox citandis (ipse Pius VI contrariam sententiam dicit erroneam; S. Thomas et Suarez: "Erroneam"; Galtier: "Saltem erroneam"; quidam, ut Lugo, Pesch, Diekamp, Bellacasa, videntur illam habere ut haeticam); quatenus vero id refertur ad omnem confessionem, etiam ac signanter materiae non necessariae (i.e. peccatorum venialium, et mortalium jam confessorum), *vix hodie absque temeritate* denegari potest, ob generalem affirmationem tum Conc. Trid. tum praecipue *Codicis J. C.* (can. 872 infra cit., coll. cum can. 873 sq.).⁶²

Conc. Later. IV, cap. 21: "Omnis utriusque sexus fidelis . . . confiteatur *proprio sacerdoti*. . . Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, *cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare*" (Denz. 437).

Conc. Flor., Decretum pro Armenis: "Minister hujus sacramenti est sacerdos habens auctoritatem absolvendi *vel ordinariam vel ex commissione superioris*" (Denz. 699).

Conc. Trid., *sess. 14, cap. 7*, declarat nullitatem absolutionis sacerdotis, carentis jurisdictione Ecclesiae, atque in necessitate hujus jurisdictionis fundat jus et disciplinam de reservatione peccatorum: "Quoniam igitur *natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur*, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet *irisdictionem*. Magnopere vero ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolventur, unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare. Neque dubitandum esset, quando omnia, quae a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, 'in aedificationem' tamen, 'non in destructionem' [2 Cor 13, 10] liceat pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinae auctori-

⁶² Ad rem *Merkelbach* (n. 578): "Jurisdictio etiam requiritur ad absolvendum a peccatis venialibus, quidquid aliqui olim dixerint. Quod *iam omnino certum est* ex can. 872 simul cum can. 874." Ne id tamen confundas cum ulteriori et adhuc disputata quaestione (de qua infra, in p. 767-770), an de facto jurisdictio quoad absolutionem venialium detur ab Ecclesia omnibus sacerdotibus ex jure consuetudinis absque expressa et distincta concessione.

tati non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt; extra quem articulum sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant" (Denz. 903).

Ibid., can. 11: "Si quis dixerit, episcopus non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat: A. S." (Denz. 921). Hic directe definitur, ut de fide, invalidam esse absolutionem peccati ab episcopo reservati; ex quo immediate sequitur "valorem sacramenti subesse jurisdictioni Ecclesiae", quae quidem illatio est tam immediata ut, potiusquam illatio, haberi possit ut aequivalentia, ac propterea ea propositio a quibusdam, ut Galtier, dicitur *saltem* theologicè certa, ab aliis etiam ut de fide haberi videtur.

Sess. 23 de Reformatione, cap. 15: "Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta synodus, nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus".

Catechismus Conc. Trid., pars 2, c. 5, q. 54 sq., post verba citata in art. praec. (p. 617 sq.) ait: "Verum quanta olim religione in antiquissima Ecclesia jus ordinarii Sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum decretis facile intelligitur, quibus cautum est, ne quis Episcopus, aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere audeat sine ipsius auctoritate, qui illi praeesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Ita vero ab Apostolo sancitum est, quum Tito praecipit, ut in singulis civitatibus Sacerdotes constitueret, qui scilicet doctrinae et sacramentorum caelesti pabulo fideles alerent et educarent. . . Quamquam, si mortis periculum imminet et proprii Sacerdotis facultas non datur, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum fuisse Concilium Tridentinum docet, unicuique Sacerdoti licere non solum omni peccatorum generi, cujuscumque potestatis sit, peccata condonare, sed etiam ab excommunicationis vinculo solvere."

Rituale Romanum, t. 3, c. 1 De sacr. Poenitentiae, n. 1: "Minister

denique est Sacerdos habens potestatem absolvendi vel ordinariam vel delegatam. Sed in periculo mortis omnes Sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit Sacerdos approbatus.”

Ibid., n. 24: “Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis et censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio): sed prius, si potest, cui debet, satisfaciatur: ac si periculum evaserit, et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur; cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.”

Pius VI, Constit. “Auctorem fidei” a. 1794, damnavit supradictam sententiam *Conc. Pistoriensis*: “Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enuntiat, ‘post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii sive iure quodam personali’, propterea quod ‘aliter confusio induceretur et perturbatio’; quatenus post institutas dioeceses et parochias enuntiat tantummodo, ‘conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos’; sic intellecta, tanquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat, nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam: — falsa, temeraria, perniciose. Tridentino contraria et iniuriosa, erronea” (Denz. 1537).

Praeterea damnavit consequentem errorem *de reservatione peccatorum* per Ecclesiam: “Propositio synodi asserens ‘reservationem casuum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem’: — falsa, temeraria, male sonans, perniciose, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva. Item, de spe, quam ostendit fore, ‘ut reformato rituali et ordine poenitentiae nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes’; prout attendita generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (sess. 14, c. 7) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare: — propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans et iniuriosa” (Denz. 1544 sq.).

Codex J. C., can. 872: “Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive

ordinaria sive delegata, in poenitentem." *Can. 882*: "In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884, 2252." Cf. can. 873-884; in can. 876, 879, 881, § 1. 884, saepius inculcatur validitatem absolutionis pendere ab Ecclesiae voluntate.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, *seu de modo quo sacramentalis jurisdictio dependet ab auctoritate ecclesiastica, an nempe ab ea dependeat tanquam a propria causa conferente, triplex iterum datur sententia seu explicatio.*

PRIMA SENTENTIA, negativa, quam tenent Paludanus, Abulensis, Sylvester et magis explicite Navarrus (Summa, c. 4, n. 20; c. 7, n. 259 sq.) apud Suarez, docet jurisdictionem sacramentalem pendere ab auctoritate ecclesiastica, tantum tanquam a *conditione removente prohibens.*

Distinguit nempe inter jurisdictionem *in habitu* et jurisdictionem *in actu*, ac dicit priorem accipi in ipsa ordinatione et vix distingui ab ipsa potestate ordinis, alteram vero dari per subsequentem Ecclesiae deputationem, quae ita se haberet ut conditio vel causa complens jurisdictionem. Addit tamen *Navarrus* quod, si non interveniret prohibitio Ecclesiae, sacerdos vi ipsius ordinationis haberet potestatem jurisdictionis expeditam etiam in actu; cujus ratio est sive quia in ipsa ordinatione assignantur sacerdoti, ut subditi, omnes peccatores modo generali, sive quia ipse voluntarius recursus poenitentis ad sacerdotem est conditio sufficiens ad hoc ut ab ipso Christo deducatur in actum jurisdictio sacerdotalis. Ex qua explicatione sequitur quod Ecclesia non tam sit causa complens jurisdictionem, quam conditio removens impedimentum quod ipsa posuit.

Magis adhuc extrema esset ea opinio juxta quam sacerdos, vi ordinationis, haberet actu completam et perfectam jurisdictionem absolventi quemlibet, cujus tamen validum exercitium alligatur voluntati Ecclesiae. In hac opinione, quae ceteroquin dici potest de mente istorum doctorum nec nisi verbis ab eorum sententia differt, Ecclesia se haberet pure et simpliciter ut conditio removens prohibens quod esset ipsum jus, a Christo sibi concessum, impediendi aut limitandi validum exercitium sacramentalis jurisdictionis.

SECUNDA SENTENTIA, negativa sed moderata, quam tenent Hostiensis, Angelus et Major (In 4 Sent., dist. 19, q. 1) apud Suarez, docet sacramentalem jurisdictionem pendere ab Ecclesia tanquam a

causa quodammodo complente jurisdictionem jam acceptam in ordinatione.

Distinguit scilicet inter jurisdictionem *incohatam seu imperfectam*, quae datur in ipsa ordinatione una cum potestate ordinis, et jurisdictionem *completam seu perfectam*, quae consurgit ex applicatione jam habitae jurisdictionis ad propriam materiam, seu ad subjectum, per concessionem Ecclesiae designantis subditos quos sacerdos absolvere potest. Haec opinio in eo differt a tertia et communi sententia, mox referenda, quod renuat designationem subjecti per Ecclesiam considerare ut collationem ipsius potestatis jurisdictionis, et quod consideret potestatem ordinis ut jam imbibentem potestatem jurisdictionis, antecedenter ad distinctam Ecclesiae concessionem.

TERTIA SENTENTIA, affirmativa, quam tenent *S. Thomas, Albertus M., Bonaventura, Soto, Ledesma, Cano, Medina, Suarez, Salmanticenses, Billuart, Pesch, Galtier, Diekamp, Huarte, Boyer, Hervé* alique moderni communiter, docet sacramentalem jurisdictionem absolventi (saltem a mortalibus nondum confessis) pendere ab Ecclesiae auctoritate *tanquam a propria causa conferente* eam. Sacerdos scilicet, proprie loquendo, in ipsa ordinatione accipit solam ordinis potestatem, nullo vero modo potestatem jurisdictionis, quam obtinet subinde ab ipsa Ecclesia per distinctum actum concessionis.

In hac igitur sententia fit perfecta distinctio inter duplicem illam potestatem, quarum altera solum ac perfecte datur in ipsa ordinatione, altera solum ac perfecte datur subinde per distinctam Ecclesiae collationem. Ceterum, admittitur primam illam ordinis potestatem fundare aptitudinem et exigentiam ad habendam alteram jurisdictionis potestatem, eo quod ordinet ad ponendum actum absolutivum peccatorum, qui est necessario judicialis seu jurisdictionalis, sed negatur eam aptitudinem vocari posse ullo modo potestatem jurisdictionis.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 8, a. 6*: “Quilibet sacerdos, quantum est de virtute clavium, *habet potestatem indifferenter in omnes*, et quantum ad omnia peccata; sed quod non possit omnes ab omnibus peccatis absolvere, hoc est quia *per ordinationem Ecclesiae habet jurisdictionem limitatam, vel omnino nullam habet*. Sed quia necessitas legem non habet, ideo quando necessitatis articulus imminet, per Ecclesiae ordinationem non impeditur quin absolvere possit, ex quo habet claves etiam sacramentaliter; et tantum consequitur ex absolute alterius, sicut si a proprio sacerdote absolveretur.”

Suppl., q. 17, a. 2, ad 2: “Omnis potestas spiritualis datur cum aliqua consecratione. Et ideo clavis cum ordine datur; sed executio clavis indiget materia debita, quae est plebs subdita per jurisdictio-

nem; et ideo *antequam jurisdictionem habeat, habet claves, sed non habet actum clavium*. Et quia clavis per actum definitur, ideo in definitione clavis ponitur aliquid ad jurisdictionem pertinens.”

Suppl., q. 19, a. 6: “In omnibus praedictis [schismaticis, haereticis et excommunicatis] manet clavium potestas quantum ad essentiam; *sed usus impeditur ex defectu materiae*. Cum enim usus clavium in utente praelationem requirat respectu ejus in quem utitur, ut supra dictum est (quaest. XVII, art. 2 ad 2), propria materia, in quam exercetur usus clavium, est homo subditus. Et quia per ordinationem Ecclesiae unus subditur alteri, ideo etiam per Ecclesiae praelatos potest subtrahi alicui ille qui erat ei subjectus. Unde cum Ecclesia haereticos, et schismaticos, et alios hujusmodi privet, subtrahendo subditos vel simpliciter, vel quantum ad aliquid, quantum ad hoc quod privati sunt, non possunt usum clavium habere.”

Suppl., q. 20, a. 1, ad 1: “Ad absolutionem a peccato requiritur duplex potestas, scilicet potestas ordinis et potestas jurisdictionis. *Prima quidem potestas aequaliter est in omnibus sacerdotibus, non autem secunda*. Et ideo ubi Dominus dedit omnibus apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate quae consequitur ordinem; unde et sacerdotibus, quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro singulariter dedit potestatem dimittendi peccata, ut intelligatur quod ipse prae aliis habet potestatem jurisdictionis. Potestas autem ordinis, quantum est de se, se extendit ad omnes absolvendos. Et ideo indeterminate Dominus dicit: ‘Quorum remiseritis peccata’, intelligens tamen quod usus illius potestatis esse deberet, praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem.”

2-2, q. 39, a. 3: “Duplex est spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est quae per aliquam consecrationem confertur. Omnes autem consecrationes Ecclesiae sunt immobiles, manente re quae consecratur; sicut etiam patet in rebus inanimatis; nam altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum. Et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur: quod patet ex hoc quod rediens ad Ecclesiam, non iterum consecratur. Sed quia potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundum quod movetur a potestate superiori, ut etiam in rebus naturalibus patet; inde est quod tales usum potestatis amittunt, ita scilicet quod non liceat eis sua potestate uti. Si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus; quia in his homo non operatur nisi

sicut instrumentum Dei; unde effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque conferentis sacramentum. *Potestas autem jurisdictionalis est quae ex simplici injunctioe hominis conjertur*; et talis potestas non immobiliter adhaeret; unde in schismaticis et haereticis non manet; unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid huiusmodi; quod si fecerint, nihil est actum. Cum ergo dicitur, tales non habere potestatem spirituales, intelligendum est vel de *potestate secunda*, vel si referatur ad primam potestatem, non est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum usum ejus."

C. Gentes. 4, 72: "Minister Ecclesiae in usu clavium iudicium quoddam exercet. Nulli autem iudicium committitur nisi in sibi subiectos. Unde manifestum est quod non quilibet sacerdos quemlibet potest absolvere a peccato, ut quidam mentiuntur: sed eum tantum in quem accepit potestatem."

Quodlibetum 12, q. 18, a. 30: "Quidam dicunt quod quilibet sacerdos potest absolvere quemlibet a quolibet peccato; et licet non bene faciat absolvendo, tamen absolutus est. Et ratio horum fuit, quia simul datur presbytero in sua ordinatione potestas consecrandi corpus Christi, et potestas clavium; et ideo, sicut potest consecrare quamlibet hostiam, ita potest absolvere quemlibet, sed hoc est erroneum, quia nullus potest absolvere propria auctoritate nisi eum qui est aliquo modo sibi subditus; quia actus fiunt in materia propria, et *absolutio sacramentalis habet iudicium annexum*; et hoc, scilicet iudicium, non est nisi in subditos et inferiores. Qui ergo non habet subditum, non potest absolvere: et sic *jurisdictio dat materiam sacerdoti determinatam*; secus autem est de hostia, quae est materia determinata. Cui ergo nulla cura committitur, *habet clavem ligatam, ut juristae dicunt*, scilicet quia non habet omnino materiam."

ALBERTUS M., In 4 Sent., dist. 17, a. 40: "Duo sunt quae complent potestatem absolventi, scilicet ordo, et jurisdictio. Et sacerdos ex ordine non habet nisi unum illorum, et jurisdictione caret, nisi ei committatur: et hoc est quod dicitur, quod 'licet sacerdos habeat alas, tamen habet eas ligatas, et volare non potest, nisi laxentur per jurisdictionem'."⁶³

BONAVENTURA, In 4 Sent. dist. 19, a. 2, q. 2: "Sicut de potentia viva est loqui dupliciter: *vel quantum ad essentiam vel quantum ad usum*; et quantum ad essentiam fundatur haec potentia radicaliter in anima nec animam deserit unquam; quantum ad usum vero exigit organum bene dispositum et medium illuminatum: sic in proposito est intelligendum quod, si loquamur de potentia solvendi quantum ad essentiam, sic radicaliter est in ipsa anima sicut et character, nec videtur ab illo differre nisi secundum relationem quamdam: et hoc modo inseparabiliter se tenet cum sacerdotali Ordine. Alio modo possumus loqui quantum ad usum, et

⁶³ Opera omnia, v. 29, Parisiis, 1894, p. 725.

hoc modo necessario requiritur . . . auctoritas iurisdictionis. . . Sacerdos enim est mediator, et in quantum mediator inferior est Deo et superior poenitente et arbiter et iudex homini constitutus loco Dei ad parcendum sive solvendum et ad puniendum; talis autem iudicatio non est sine aliqua iurisdictione in eum qui iudicatur, quia nemo potest aliquid iudicare nisi qui iudex eius constituitur ab eo qui potest. Et ideo *iurisdictione est tamquam vis motiva ipsius clavis sive manus*; hac autem deficiente, quae clavem moveat, etsi adsit clavis, nunquam aperiet: et si amittitur haec iurisdictione, cessat clavis executio.

"Haec autem amittitur dupliciter: vel per ablationem subditorum quantum ad rem, et sic est in schismaticis, haereticis, praecisis, fornicariis notoriis, excommunicatis et huiusmodi; vel quantum ad ablationem secundum rem et secundum spem, et hoc est in degradatis, quibus sine spe recuperandi aufertur. Unde et haeretici et excommunicati dicuntur habere manum ligatam, sed degradati amputatam. Ideo dico quod, *etsi clavis quantum ad esse Ordinem consequatur, tamen quantum ad executionem sequitur . . . iurisdictionem.*"⁶⁴

SUAREZ: "Secunda sententia . . . quam ego verissimam censeo, est, potestatem iurisdictionis esse distinctam a potestate ordinis tam in essentia quam in modo, seu tempore quo confertur; nam potestas ordinis, ut diximus, datur per impressionem characteris, ideoque et necessario comparatur per ordinationem sacerdotis, et immutabilis ac indelebilis permanet. Potestas vero iurisdictionis solum moraliter datur per extrinsecam concessionem, aut alicujus ecclesiastici muneris collationem, per quam aliquis, pastor vel superior aliorum constituitur, alii vero ejus subditi efficiuntur. Ideoque potestas haec extra sacramentum Ordinis datur, et (infra Summum Pontificem) immediate per hominem confertur. . .

"Solutus character Ordinis, ut extenditur ad corpus Christi mysticum, valde improprie appellatur iurisdictione, etiam habitualis, vel inchoata, quia solum est quasi quaedam potestas ad sanctificandos fideles, qui in peccato existunt; quae tamen non potest exercere suum actum, nisi per modum iudicii et sententiae, et ideo requirit conjunctam potestatem iurisdictionis, ut efficaciter operetur; ipsa tamen proprie non est iurisdictione, imo neque est simpliciter necessaria ad habendam potestatem iurisdictionis in hoc foro; nam parochus non sacerdos habet integram iurisdictionem, quamvis non habeat potestatem remittendi peccata, quae in ordinatione confertur, et ideo non possit per se actum illius iurisdictionis exercere, sed solum eam alteri delegare; quia ad exercitium talis actus est simpliciter necessaria potestas ordinis. Unde possumus considerare, talem esse actum harum potestatum, ut simul sit et sententia, et executio seu effectio illius remissionis, qua sacerdos iudicat dignum eum, in quem sententiam profert; et ideo et *iurisdictionem requirit ad moralitatem sententiae, ut sic dicam, et potestatem sanctificativam, seu remissivam peccati, ad efficacitatem sententiae.* Est enim necessaria ad hanc executionem supernaturalis efficientia conferendi gratiam, ad quam accipiunt vim supernaturalem ministri, qui ad hoc officium consecrantur, ex vi suae ordinationis; ubi hanc tantum recipiunt potestatem, quam ut exercent, iurisdictione indigent, quae est potestas moralis ad dicendum jus. Optime ergo hae potestates his nominibus discernuntur, et potestas, quae ex vi characteris datur, *dicitur potestas ordinis, non iurisdictionis.* . .

"Ex his ergo satis constat primo, has potestates esse in re ipsa distinctas, eo modo, quo in his rebus moralibus potest inveniri huiusmodi distinctio. Patet, quia sunt mutuo separabiles; nam et potestas ordinis potest sine iurisdictione inveniri, et iurisdictione sine potestate ordinis, ut satis declaratum est; hoc autem est signum realis distinctionis, ut ex metaphysica constat. Secundo, constat ex dictis, potestatem iurisdictionis non dari ex vi ordinationis sacerdotis; in quo etiam a potestate ordinis differt, quae per sacramentum datur, et ideo 'potestas sacramentalis' appellatur a D. Thoma., 2. 2, quae. 39, art. 4, ubi alteram potestatem, quam vocat

⁶⁴Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 490 sq.

'jurisdictionalem, ex simplici injunctioe hominis' conferri dicit, et ideo esse mutabilem, quod non habet prior potestas."⁶⁵

LUGO: "Omnes explicandi modi [apud theologos] in re ipsa parum differre videntur; melior tamen, et communior est, *qui in ordinatione dicit conferri potestatem ordinis postea vero potestatem jurisdictionis*. Nam licet ipsa potestas ordinis possit dici jurisdictio inchoata: est tamen quasi remota: et aliunde *illa, quae postea datur, non debet appellari mera applicatio materiae, sed vera collatio potestatis, et jurisdictionis*: nam si per illam fiunt aliqui subditi hujus sacerdotis, non potest non fieri ipse superior eorum: superior enim, et subditus sunt correlativi, nec potest unus non fieri superior, quando alter fit subditus: sicut e contra non potest in ordinatione sacerdos fieri proprie, et in rigore superior, quando proprie non accipit subditos: unde cum nulli tunc ei dentur subditi, non dicitur proprie tunc accipere jurisdictionem, seu superioritatem, sed potestatem solam ordinis.

"Imo illi etiam, qui dicunt, postea solum poni applicationem materiae, eo ipso debent concedere postea dari jurisdictionem: nam materia, quae postea applicatur, sunt subditi, quos solos potest sacerdos absolvere: non potest autem poni subditus de novo, ut diximus, quin de novo fiat superior illius; nam velle, quod Petrus sit sub Paulo est velle quod Paulus sit supra Petrum, seu sit superior Petri; ergo *ipsa applicatio, quam vocant materia, est collatio potestatis jurisdictionis*. Unde apparet jam clare discrimen hujus sacramenti ab aliis, in quibus per applicationem materiae non tribuitur potestas, aut jurisdictio, ut in Eucharistia, applicatio panis, et vini consecrandi non est collatio potestatis; jam enim sacerdos supponitur cum tota potestate, etiamsi non habeat panem, et vinum: at vero in hoc sacramento absque subditis absolvendis non habet sacerdos totam potestatem ad absolvendum, non enim habet jurisdictionem, et superioritatem, quae est potestas quaedam, ut constat, quare non est mirum, quod in hoc sacramento requiratur aliqua potestas praeter illam, quae data fuit in ordinatione."⁶⁶

SALMANTICENSES: "Dicendum est, verba illa ["Accipite Spiritum S. Quorum remisistis, etc."] propriissime solum significare potestatem physicam absolvendi, quae cum ordinis caractere, aut ejus extensione coincidit; non vero potestatem moralem ferendi juridicam sententiam in jam subditos. Utraque autem potestas desideratur ad actualiter judicandum, quae si separentur, nullum exercent iudicium. Itaque videmus in episcopo ac parochio nondum ordinatis, quod etsi gaudeant potestate morali jurisdictionis, nequeunt per se ipsos solvere aut ligare iudicice ex defectu potestatis physicae ordinis; et eodem modo sacerdos physica ordinis potestate insignitus, incapax est absolvendi defectu potestatis moralis. Et ratio est: quia *quoties duplex formalitas splendet in actu, duplex alia debet illi correspondere ex parte principii*, ut universali inductione constat. Cum ergo absolutio sit actus physicus vere, et realiter media gratia culpam dissolvens, insuperque de fide sit, hanc absolutionem esse jurisdictionalem, eo quod hoc sacramentum sit institutum per modum iudicii, prout diffinitum est in Tridentino; oportet *ex parte principii duplicem potestatem illi correspondere, physicam ordinis, et moralem jurisdictionis*, atque qualibet deficiente nulla erit absolutio."⁶⁷

"Ecclesia non potest directe impedire potestatem absolvendi, et ligandi, quemadmodum nec potestatem consecrandi; potest tamen indirecte removendo materiam, in quam potestas illa exercenda erat; *ab illis quippe sacerdotibus* [haereticis et schismaticis] *aufert jurisdictionem*; hac autem sublata, cum plebs subjecta in foro poenitentiae non relinquatur, impeditur clavium usus, qui est actus jurisdictionis. Sicut qui panem, et vinum tolleret, indirecte usum potestatis consecrative removeret. . . Potestas spiritualis activa in actum prodire non potest, dum deficit

⁶⁵ De Poenitentia, disp. 16, sect. 3, n. 7. 27. 29, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 348. 355. 356. Cf. disp. 24, sect. 2, n. 6 sq., ibid., p. 525 sq.

⁶⁶ De Poenitentia, disp. 15, sect. 2, n. 21, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 824.

⁶⁷ De Poenitentia, Disp. 12, dub. 6. § 4, n. 75, Cursus Theol., t. 20, Parisiis, 1883, p. 756 sq.

materia, circa quam actus exercendus est. Non enim usus clavium impeditur, quia potestas ligandi, et solvendi quoad entitatem removeatur ab excommunicato vitando, sed ex defectu materiae; quemadmodum potestas baptizandi tollitur, dum aqua removeatur.⁷⁶⁸

BILLUART: "Quidam volunt omnem sacerdotem, vi suae ordinationis, jure divino accipere potestatem absolvendi completam et perfectam, quantum est ex parte principii, non tamen completam ex parte materiae, seu subditorum, qui nisi ab Ecclesia assignentur, talis potestas non est valide reducibilis ad actum. Unde juxta hanc sententiam potestas jurisdictionis, quantum est ex se, seu ex parte principii, non est distincta a potestate ordinis. . . Alii volunt *jurisdictionem esse potestatem distinctam a potestate ordinis ex parte principii*; quia, inquit, in ordinatione confertur quidem potestas physica completa ad producendam gratiam, non autem moralis, qualis tamen est jurisdictio; ut patet in iudicibus humanis, qui, licet habeant omnia requisita in esse physico ad iudicandum, puta scientiam, prudentiam, etc., indigent tamen adhuc jurisdictione quae ex parte ipsius iudicis se tenet, et non tantum ex parte materiae quae illi est subjecta. Et *hic modus loquendi videtur conformior concilio et D. Thomae*. Est autem haec jurisdictio secundum illos, deputatio legitima ad exercendum munus confessarii, absolvendo a peccatis modo iudiciali poenitentem tanquam subditos.

"Caeterum utraque sententia est probabilis, et in rigore videtur tantum esse disputatio de nomine; sive enim illa jurisdictio sit distincta a potestate ordinis ex parte principii, sive tantum ex parte materiae, conveniunt auctores utriusque sententiae potestatem ordinis sine illa esse tantum incompletam et in actu primo, nec valide reducibilem ad actum secundum, nisi ab Ecclesia accedat deputatio legitima et assignatio subditorum."⁷⁶⁹

CONCLUSIO

Conclusio 1. Ad valide conficiendum sacramentum Poenitentiae, secus ac cetera sacramenta, requiritur in ministro vera potestas jurisdictionis, quae est quid distinctum ab ipsa potestate ordinis.

Probat.

PRIMO, quod in ministro hujus sacramenti requiratur quomodolibet potestas jurisdictionis, sequitur, ut ait *Conc. Trid.* (cap. 7, cit. in p. 730), ex ipsa iudiciali natura hujus sacramenti, de qua dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 131-135); nequit enim actus iudicialis procedere nisi a iudiciali potestate, cum actus et potentia sint correlativa et ab actu potentia specificetur. Unde, quidquid sit de modo quo ipsa distinguatur a potestate ordinis, certum est potestatem, vi cuius minister hujus sacramenti agit, habere veram et proprie dictam indolem potestatis jurisdictionis, secus ac in ceteris sacramentis quae nullum important actum iudiciale.

Et in hoc quidem apparet una ex praecipuis differentiis inter duo sacramenta remissionis peccatorum, Baptismum scilicet et Poeni-

⁷⁶⁸ *Ibid.*, dub. 4, § 2, n. 40, p. 733 sq.

⁷⁶⁹ De Poenitentia, diss. 6, a. 2, § 1, *Cursus Theol.*, t. 9, Parisiis, 1904, p. 355 sq.

tentiam, ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 132). Unde non valet obicere quod, cum remissio peccatorum sit effectus physicus, sufficit potestas physica, qualis est potestas ordinis, nec requiritur potestas moralis, qualis est potestas jurisdictionis; nam remissio peccatorum, etsi physicus effectus, facienda est modo judiciali seu morali in hoc sacramento, secus ac in ceteris.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 8, a. 4*: "Alia sacramenta non consistunt in hoc quod ad sacramentum accedens aliquid agat, sed solum ut recipiat, sicut patet in baptismo, et hujusmodi; sed actus recipientis requiritur ad percipiendam utilitatem sacramenti in eo qui est suae voluntatis arbiter constitutus, quasi removens prohibens, scilicet fictionem. Sed in poenitentia actus accedentis ad sacramentum est de substantia sacramenti, eo quod contritio, confessio et satisfactio sunt poenitentiae partes, quae sunt actus poenitentis; actus autem nostri, cum in nobis principium habeant, non possunt nobis ab aliis dispensari, nisi per imperium.

"Unde oportet quod ille qui dispensator hujus sacramenti constituitur, sit talis qui possit imperare aliquid agendum. Imperium autem non competit alicui in alium, nisi ei qui habet super eum jurisdictionem. Et ideo *de necessitate hujus sacramenti est, non solum ut minister habeat ordinem, sicut in aliis sacramentis, sed etiam quod habeat jurisdictionem*. Et ideo sicut ille qui non est sacerdos, non potest hoc sacramentum conferre, ita nec ille qui non habet jurisdictionem. Et propter hoc oportet, sicut sacerdoti, ita proprio sacerdoti confessionem fieri; cum enim sacerdos non absolvat, nisi ligando ad aliquid faciendum, ille solus potest absolvere qui potest per imperium ad aliquid faciendum ligare."

SECUNDO, quod potestas jurisdictionis sit distincta a potestate ordinis, nec cum ipsa identificetur aut in ipsa imbibatur, sequitur:

1. *Ex ipsa natura utriusque potestatis.*

Nam, ut dictum est in Statu Quaestionis (p. 723), potestas ordinis secundum se est ea quae confert habilitatem ad agenda sacra, et signanter ad conficienda sacramenta seu instrumenta gratiae et ad conferendam gratiam per eadem sacramenta, potestas vero jurisdictionis secundum se est ea quae confert habilitatem ad regendum, imperandum, judicandum. Facere autem et conferre non sunt idem ac regere et judicare, etsi possint concurrere in eundem materialiter actum, ita ut aliquid fiat aut tradatur judicando, vel judicetur aliquid tradendo. Unde non refert quod in hoc sacramento utraque potestas concurrat in eundem actum nec possit exerceri nisi per eundem materialiter actum, ita quod non possit sacerdos tradere gratiam remis-

sivam peccatorum nisi absolvendo seu judicando, nec possit absolvere seu judicare nisi tradendo gratiam remissivam peccatorum; stat enim quod utriusque formalitati quae habetur in actu, scilicet remissioni peccatorum et sententiae judiciali absolutivae, debeat ex parte principii correspondere duplex distincta potestas, quaemadmodum duplici formalitati quae habetur in eadem substantia colorata, substantiae scilicet et colori, correspondet ex parte principii cognoscentis distincta facultas intellectus et sensus (cf. infra, p. 746 sq.).

2. *Ex separabilitate utriusque potestatis.*

Quae enim ab invicem separari possunt, a fortiori ab invicem distinguuntur. Jamvero potest aliquis habere potestatem jurisdictionis eamque aliis communicare, qui nondum habet potestatem ordinis nec ideo potest administrare sacramentum Poenitentiae, ut patet de episcopo vel parcho electo qui nondum sit ordinatus, et vicissim potest quis habere potestatem ordinis quin habeat potestatem jurisdictionis, ut patet ex antiqua variaque praxi Ecclesiae, juxta quam Poenitentiae administratio non quibuscumque ordinatis competit, sed soli episcopo vel presbyteris ab eo designatis (antiqua disciplina), aut "proprio sacerdoti" (Conc. Later. IV), aut "habenti auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris" (Conc. Flor.), aut "ordinariam vel subdelegatam habenti jurisdictionem" (Conc. Trid.), aut habenti "potestatem jurisdictionis sive ordinariam sive delegatam", quarum prima "cessat amissione officii", alteram vero "confert Ordinarius loci", qui potest eam "certis quibusdam circumscribere finibus" necnon "revocare aut suspendere" (Codex J. C., can. 872; 873, § 3; 874, § 1; 878, § 1; 880, § 1).

3. *Ex diverso modo quo utraque potestas subicitur ecclesiasticae auctoritati.*

Nam validus usus potestatis jurisdictionis pendet a voluntate Ecclesiae, ut docet Conc. Trid. (sess. 14, cap. 7 et can. 11), cui tamen nequaquam subicitur validus usus potestatis ordinis, ut patet de confectione Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae, Extremae Unctionis. Quod si dicatur cum quibusdam theologis validitatem horum etiam sacramentorum subici Ecclesiae, hoc erit non ex parte ministri, quatenus Ecclesia possit ipsam ejus potestatem alligare, sed ratione materiae et formae, quam, juxta illos theologos, potest Ecclesia mutare seu determinare.

Conclusio 2. Potestas jurisdictionis dependet ab auctoritate Ecclesiae quoad validum ejus exercitium, ita ut saltem non ita conferatur in ipsa ordinatione ut sit secundum se expedita ad validum exercitium. Idque valet simpliciter de

omni confessione seu absolutione, sive quoad omnem casum, nominatim quoad casum articuli mortis, sive relate ad omnem materiam etiam non necessariam, nominatim relate ad peccata venialia et mortalia jam confessa.

Probatur.

1. *Ex signanti doctrina Conc. Trid.* (sess. 14, cap. 7 et can. 11), *Codicis J. C.* et aliorum documentorum Ecclesiae supra relatorum (p. 730–733), in quibus dicitur invalidam esse absolutionem ministri non habentis eam potestatem jurisdictionis quae ab Ecclesia, mediante officio (ordinaria jurisdictione) vel personali commissione (delegata jurisdictione), confertur.

2. *Ex antiqua et constanti praxi Ecclesiae* reservandi ministerium Poenitentiae quibusdam ministris aut reservandi quaedam peccata (primaeva disciplina ministerii episcopalis, institutio presbyteri poenitentiarum, lex lateranensis de proprio sacerdote, determinatio ministri habentis ordinariam vel delegatam jurisdictionem per Conc. Flor., Conc. Trid. et Codicem J. C., magis determinata disciplina Codicis, reservatio peccatorum). Ipsa antiquitas et constantia hujus praxis est signum quod agatur non tantum de licito sed etiam de valido usu potestatis jurisdictionis.

3. *Ex ipsa ratione potestatis jurisdictionis.* Nam in qualibet ordinata societate validus usus jurisdictionis pendet, tamquam ex proprio fonte, a suprema auctoritate illius societatis. Nec refert quod potestas in casu sit fori interni et sacramentalis, nam non inde evacuatur in ea propria indoles jurisdictionis; ex quo patet discrimen a potestate ordinis quae, cum sit mere sacramentalis et instrumentalis, seu nullum importans judiciale characterem, nequaquam pendet ab Ecclesiae rectoribus quoad suam validitatem.

In cujus signum, ut observat *S. Thomas, Suppl., q. 20, a. 1, ad 1* (supra cit., p. 735), Christus "Petro singulariter dedit potestatem dimittendi peccata [Matth. 16, 19: 'Et tibi dabo claves . . . et quodcumque ligaveris. . .'] ut intelligatur quod ipse prae aliis habet potestatem jurisdictionis . . . [Apostolis vero aliisque sacerdotibus] indeterminate Dominus dicit [Joan. 20, 23; cf. Matth. 18, 18]: 'Quorum remisit peccata', intelligens . . . quod usus illius potestatis esse deberet, praesupposita potestate Petro collata, secundum ipsius ordinationem."

Observat *Suarez*: "Valorem hujus sacramenti ex parte ministri pendere ex aliqua concessione vel prohibitione Ecclesiae . . . est *singulare huic sacramento inter caetera*. Nam in aliis quantumvis

Ecclesia removeat ministrum a sacro ministerio alicujus sacramenti, nihilominus sacramentum, ab illo datum, validum est, licet ille peccat ministrando, quia nulla conditio sublata fuit necessaria ad sacramentum, licet usus fuerit prohibitus; in hoc autem sacramento, si Ecclesia non concedat, vel auferat jurisdictionem, et hoc modo prohibeat ministerium, non solum peccat sacerdos qui tentat absolvere, sed etiam nihil facit, ut aperte docuit Concilium Tridentinum. Et ratio est, quia illa non est tantum prohibitio, sed etiam ablatio alicujus conditionis, seu potestatis necessariae in ministro ad valorem talis actus, quam potestatem nos diximus esse jurisdictionem. . . *Neque hinc sequitur Ecclesiam mutare aliquid substantiale in ministerio hujus sacramenti*; quia requisita ad valorem hujus sacramenti ex institutione Christi semper eadem sunt, et illis concurrentibus, non potest Ecclesia impedire, quominus sacramentum validum sit, neque etiam quod sine illis fiat; potest tamen facere, ut hic homo habeat vel non habeat omnia necessaria ex institutione Christi ad faciendum hoc sacramentum. Nam unum ex his requisitis est, quod jurisdictionem et subditum habeat, quod pendet ex concessione vel ablatione Ecclesiae”.⁷⁰

Ex iisdem rationibus deducitur validitatem confessionis subici auctoritati Ecclesiae, simpliciter et absque restrictione, seu in omni casu, etiam *articuli mortis*, et quoad omnem materiam, etiam liberam, seu *peccata venialia et mortalia jam confessa*. In omni enim confessione involvitur exercitium ejusdem potestatis jurisdictionis, quae ab Ecclesiae auctoritate necessario dependet. Unde *Conc. Trid.*, generaliter et absque ulla casus vel materiae distinctione, asserit “nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem”, et similiter *Codex J. C.* id manifesto supponit in can. 872–884, agens de quibuslibet confessionibus ac poenitentibus et conferens omnibus sacerdotibus facultatem absolvendi in periculo mortis (can. 882; cf. *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 7).

Rationes autem ab adversariis supra (p. 726) invocatae *quoad articulum mortis*, nullius sunt momenti. Nam ratio extremae necessitatis non ostendit Christum debuisse pervertere monarchicum ordinem Ecclesiae, immediate concedens omnibus sacerdotibus potestatem jurisdictionis pro illo articulo; nec ex non concessa tali potestate sequitur quod periclitetur salus animarum, nam, ob assistentiam sibi promissam, Ecclesia nequit deficere in suo supremo officio attemperandi remedia salutis necessitatibus animarum. Nec aliud praecise ostendit

⁷⁰ De Poenitentia, disp. 24, sect. 2, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 526.

immemorabilis illa lex et consuetudo (Conc. Trid., sess. 14, cap. 7) levandi omnem casuum reservationem aut jurisdictionis defectum in periculo mortis, ex qua adversarii illegitime deducunt divinam originem hujus exemptionis (cf. Suppl., q. 8, a. 6, cit. in p. 734; item, *ibid.*, ad 1).

Similiter praecipua ratio quae adducitur *quoad materiam liberam*, nihil probat. Quamvis enim hujus materiae confessio non sit necessaria, tamen, semel libere instituta confessione, poenitens cadit sub jurisdictione ministri nec potest nisi jurisdictionaliter absolvi; quae quidem jurisdictione pendet ab Ecclesiae auctoritate. Unde inepte obicit *Soto* quod sacerdos nequit obligare poenitentem ad confessionem venialium nec cogere ad satisfaciendum pro illis, nam ipse actus absolutionis aut denegationis absolutionis (ratione indispositionis) importat exercitium jurisdictionis seu potestatem jurisdictionalem solvendi atque ligandi; ceterum, sacerdos etiam judicat de satisfactione facienda pro venialibus eamque vere imponit, ut dictum est in art. 73 sq. (tom. 3, p. 404 sqq.).

Ratio vero quae adducitur in textu S. Thomae (etsi, ut dictum est supra, in p. 729, ab ipso S. Doctore in hoc sensu non assumatur), quia scilicet peccata venialia possunt deleri per quodlibet sacramentum, probat tantum quod non est necesse ea remitti per sacramentum Poenitentiae et quod proinde ad ea remittenda sufficit potestas ordinis applicans quodlibet sacramentum, sed non probat quod in ipso sacramento Poenitentiae ea peccata possint remitti aliter quam judicialiter seu jurisdictionaliter.

Ad rationem *Cajetani* dicendum quod voluntarius recursus poenitentis ad sacerdotem non est sufficiens ad hoc ut sacerdos obtineat in ipsum jurisdictionem, quia poenitens nequit dare jurisdictionem quam non habet et ceteroquin omnis jurisdictio debet pendere a potestate Ecclesiae (cf. *infra*, p. 746 sq.).

Ad rationem *Vasquesii*, Ecclesiam nempe non posse reservare venialia, adeoque nec dare jurisdictionem ad illa, respondetur quod Ecclesia potest prohibere aliquem ne valide audiat confessiones quorumlibet peccatorum, ut de facto prohibet excommunicatos (cf. Codicem J. C., can. 873, § 3), et hoc sensu improprie et indirecte reservare omnia venialia, et similiter potest eandem jurisdictionem concedere.

Huic rationi *Vasquesii* jam respondebat *Suarez*: "Addo etiam, aliquando Ecclesiam privare sacerdotem hac jurisdictione; nam ex communi sententia excommunicatus sacerdos nunquam valide absolvit, etiamsi de solis venialibus absolvat (loquor autem nunc de nominatim

denunciato), quod etiam certius videtur de sacerdote degradato; ergo signum est esse privatum hac jurisdictione; ergo non habet illam a jure divino.⁷⁷¹ Item *Lugo*, redarguens inconsequentiam Vasquesii scribit: "Id quod [*Vasquez*] . . . ut certum supponit, neminem unquam concessurum, quod reservatio poenitentialis valde fieret, concedunt multi: non quidem, ita ut poenitens maneat obligatus ad confitendum veniale; sed ita, ut absolutio data a sacerdote inferiori non valeret. Ita *Suarez* . . . *Coninch* . . . *Nunnus* . . . *Miranda* . . . *Gratius* . . . *Homobonus* . . . *Bonacina* . . . et alii plures. Imo agentes de effectu excommunicationis majoris, quatenus privat jurisdictione, et administratione sacramentorum, absque ulla distinctione dicunt, omnia sacramenta collata ab excommunicato non tolerato esse valida praeter unum sacramentum poenitentiae, quod nunquam est validum: quia caret omni jurisdictione. *Et ipsemet Vasquez* in tract. de excommunicatione, sic etiam generaliter loquitur dub. 4. num. 3. dicens, solum in extrema necessitate validum esse: in praesenti tamen propter consequentiam ad suam sententiam dixit, peccare quidem excommunicatum vitandum absolvendo a venialibus, absolutionem tamen validam fore.⁷⁷²

Conclusio 3. Potestas jurisdictionis dependet ab auctoritate Ecclesiae non tanquam a mera conditione removente impedimentum validi exercitii, nec tanquam a conditione vel causa complente inchoatam seu imperfectam jurisdictionem, sed tanquam a propria causa simpliciter conferente, ita ut, vi solius ordinationis et antecederet ad Ecclesiae commissionem, sacerdos nullam proprie dictam habeat jurisdictionem, etiam in solo habitu seu ligatam, aut imperfectam seu inchoatam.

Probat.

Sacerdos potestatem jurisdictionis accipit *vel* ab ipsa ordinatione seu per sacramentum Ordinis una cum ipsa potestate ordinis, vel non ab ipsa ordinatione sed *vel* ab ipso poenitente, prout istius voluntarius recursus ad sacerdotem determinat eo ipso subjectum potestatis sacerdotis quae illico evadit potestas jurisdictionis, *vel* immediate ab ipso Christo, *vel* ab Ecclesia per ipsius commissionem ad audiendas confessiones. Atqui sacerdos non accipit potestatem jurisdictionis in ipsa ordinatione, neque subinde a poenitente, neque subinde immediate a Christo. Ergo eam accipit ab Ecclesia, quae propterea se habet ut propria causa jurisdictionem conferens.

⁷⁷¹De Poenitentia, disp. 26, sect. 5, n. 5, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 552.

⁷⁷²De Poenitentia, disp. 18, sect. 3, n. 44, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 214.

Ad minorem. Ut incipiamus a facilioribus:

1. Certum est sacerdotem non accipere jurisdictionem immediate *ab ipso Christo* post ordinationem, idque a nullo theologo denegatur quia talis collationis non est assignabilis nec ratio, nec causa, nec ritus, nec tempus; ex revelatione enim scimus Christum intervenire in collationem potestatis sacerdotalis per solum sacramentum Ordinis. Ceterum si talis collatio daretur, Ecclesia non posset invalidare usum illius potestatis.

2. Ex ipso voluntario *recursu et subjectione poenitentis* ad sacerdotem nequit resultare potestas jurisdictionis in sacerdote; nam ipsa voluntaria subjectio poenitentis nec est iurisdictio sacerdotis nec hanc producere seu conferre potest, cum nemo det quod non habet. Nec valet recurrere ad exemplum iudicis arbitri, qui talis constituitur ex conventionem partium; nam, ex una parte hoc sacramentale iudicium non est contentiosum sed criminale, in quo proinde non agitur de contentione juris inter Deum et poenitentem sed de condemnatione vel absolutione poenitentis qui se habet non ut vindicans jus suum sed ut reus accusatus, et ex alia parte, etiam si ageretur de iudicio contentioso, deberet intervenire conventio Dei et hominis in eligendum sacerdotem ut iudicem arbitrum, quae tamen nulla datur nec in revelatione ullibi indicatur.

Unde falsa est sententia *Cajetani*⁷³ qui videtur deducere jurisdictionem sacerdotis ex ipso *recursu poenitentis*, etsi id restringat ad solos tres casus: absolutionis nempe a venialibus, absolutionis a mortalibus confessis et absolutionis latae in ipsum S. Pontificem. Ceterum, haec *Cajetani* sententia potest explicari in hoc sensu quod in tribus praedictis casibus non requiratur proprie dicta iurisdictio, alia ab ea quae quomodolibet includatur in ipsa potestate ordinis, sed sufficit voluntaria poenitentis subjectio, ad expeditum usum illius; ac propterea *Cajetanum* reposuimus inter eos qui negant dependentiam validitatis confessionis materiae liberae a potestate Ecclesiae (cf. in p. 726 sq.) ac refutavimus in *Concl. praec.* (cf. in p. 744).

3. In ipsa ordinatione et ex vi sacramenti Ordinis, nulla confertur proprie dicta potestas jurisdictionis, sed sola ordinis potestas.

Primo enim, formale et per se objectum atque effectus ordinationis

⁷³ Opusc., tom. 1, tract. 7: "Alio modo invenitur iurisdictio ex parte eius qui iudicandus est, sicut contingit in iudicio arbitratorum, a partibus tantum potestatem habentium, ex hoc ipso quod illis se submitunt in illa causa. In ministro vero sacramenti poenitentiae, cum ordinaria vel delegata a superiore potestate est minister, licet inveniat potestas iurisditionis primo modo, ad administrandum tamen sacramentum poenitentiae, sufficit potestas iurisditionis secundo modo".

est ipsa potestas ordinis; ad hoc quippe homo ordinatur in sacerdotium ut fiat habilis ad danda sacra, seu ad conficienda et ministranda sacramenta, ac principaliter Eucharistiam. Haec autem potestas non est eadem ac potestas jurisdictionis, cum sit ab ea adaequate distincta, imo separabilis, ut dictum est in Concl. 1. Nec dici potest ipsam saltem imbiberi aut necessario secum trahere potestatem jurisdictionis; nam, quamvis potestas ordinis, prout partialiter refertur ad sacramentum Poenitentiae, sit potestas ad sacramentaliter absolvendum, quod quidem fit per actum judiciale, tamen per se et formaliter respicit absolutionem tantum sub ratione sacramentalis remissionis peccatorum, non vero sub formali ratione actus judicialis, nec nisi remote ac materialiter refertur ad ipsum actum judiciale, quatenus nempe de facto ea sacramentalis remissio non aliter fiat quam judicialiter seu cum necessario concursu alterius potestatis quae est jurisdictio. Unde formaliter loquendo potestas ordinis in sacramento Poenitentiae non est potestas ad sacramentaliter absolvendum, sed ad sacramentaliter remittendum, cum necessario tamen concursu absolutivo seu judiciali alterius potestatis. Nullam ergo imbibit aut secum trahit, ex sua intestina exigentia, potestatem jurisdictionis, nec ullo modo jurisdictio proprie dici potest, etiam habitualiter et inchoative, quamvis, ob suam connexionem cum potestate jurisdictionis cujus concursum exigit ad exercitium sui actus remissivi, dici possit late loquendo "potestas jurisdictionalis", vel "potestas absolvendi a peccatis" (*Conc. Trid.*, sess. 23 de Reform. supra cit. in p. 731: "Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiunt"), vel "clavis ligata" (*S. Thomas*, Quodlib. 12, q. 18, a. 30), vel "clavis absque executione, absque actu, absque usu" (Suppl., q. 17, a. 2, ad 2; q. 19, a. 6; 2-2, q. 39, a. 3, cit. in p. 735 sq.).

Ad rem *Suarez* (supra cit., in p. 737): "Solus character Ordinis, ut extenditur ad corpus Christi mysticum, valde improprie appellatur jurisdictio, etiam habitualis, vel inchoata, quia solum est quasi quaedam potestas ad sanctificandos fideles, qui in peccato existunt; quae tamen non potest exercere suum actum, nisi per modum iudicii et sententiae, et ideo requirit conjunctam potestatem jurisdictionis, ut efficaciter operetur; ipsa tamen proprie non est jurisdictio".

Nec opponi potest quod nisi aliquid jurisdictionis imbiberetur in ipsa potestate ordinis aut cum ea daretur, haec conferretur imperfecta et mutilata, quod est inconveniens. Nam imprimis haec objectio retorqueri potest in ipsos adversarios, quia etiam si jurisdictio partialiter aut totaliter daretur cum potestate ordinis, utraque potestas adhuc esset imperfecta, seu saltem ligata nec ad actum expedita,

quoniam absque Ecclesiae voluntate, ut fatentur adversarii, non posset in actum transire. Ceterum, ipsa potestas jurisdictionis quae datur nondum habenti ordinem (ut episcopo electo et nondum in sacerdotium ordinato) est in sua ratione perfecta, licet separata a potestate ordinis; ergo vicissim potestas ordinis potest esse in se perfecta, etsi separata a potestate jurisdictionis et ita ligata quoad suum exercitium. Adde quod potestas ordinis primo et principaliter refertur ad Eucharistiam consecrandam (potiusquam ad Poenitentiam ceteraque sacramenta) et qua talis confertur omnino perfecta et expedita, quoniam non solum non dependet a consortio alterius potestatis, seu jurisdictionis, sed etiam nullo modo subicitur auctoritati Ecclesiae quantum ad validum exercitium sui actus.

Secundo, si in ipsa ordinatione praeter potestatem ordinis daretur potestas jurisdictionis, exercitium hujus potestatis non posset impediti a voluntate Ecclesiae, quemadmodum Ecclesia nequit invalidare exercitium potestatis ordinis ad consecrandam Eucharistiam, cum sit a Christo data in ipsa ordinatione. Nec opponi potest quod Ecclesia de facto impedit validum exercitium potestatis ordinis ad remittenda peccata in ipso sacramento Poenitentiae, nam hoc exercitium non impeditur directe ab ipsa Ecclesia sed praecise ab ipso defectu potestatis jurisdictionis, sine cujus consortio nequit potestas ordinis transire in proprium exercitium remissivum.

Tertio, per ipsam ordinationem nullatenus sacerdoti assignantur subditi potestatis ejus, ut patet vel ex eo quod subinde subditi ei assignentur ab Ecclesia, mediante officio pastoris vel alia personali commissione. Jamvero, absque subditis non concipitur potestas jurisdictionis (etsi non sit formaliter idem habere subditos et habere jurisdictionem), quia superior et subditi sunt correlativi. Ergo per ipsam ordinationem nullatenus sacerdoti confertur potestas jurisdictionis.

Nec valet in contrarium obicere cum *Ledesma* exemplum episcoporum titularium, aut cum *Vasquez* post *Paludanum* exemplum officialium qui olim dicebantur chartularii, qui scilicet sint jam constituti in potestate, etsi nondum habeant sibi subditos designatos (sicut illi qui hodie dicuntur "officiers en brevet", "ufficiali di riserva", "reserve officers"), aut exemplum parochi qui acquirit novos subditos quando aliqui eligunt domicilium in sua parochia. Nam episcopi titulares non habent jurisdictionem, sed tantum accipiunt potestatem ordinis ad confirmandum et ordinandum, cujus quidem potestatis exercitium nequit ab Ecclesia invalidari; officiales etiam chartularii proprie loquendo non habent potestatem jurisdictionis antequam

voceatur, ut ita dicatur, in servitium activum per designationem competentiae et subditorum, sed tantum habent ex suo gradu et dignitate quandam potentiam seu habilitatem ad hoc ut possit eis communicari iurisdictio, quae quidem potest praecise comparari cum potestate ordinis quam habet sacerdos antequam accipiat iurisditionem; parochus vero, jam habet iurisditionem indeterminate super omnes qui habitant, et quando habitant, intra limites sui territorii, unde cum novi inhabitantes accedunt, non accedit aut excrescit iurisdictio parochi, sed tantum extenditur ad illos jam habita iurisdictio, quatenus conditio inhabitationis contrahit ad ipsos indeterminatam illam designationem.

Ex dictis apparet ineptitudo *duarum adversariorum sententiarum supra relatarum* (in p. 733 sq.). Ceterum nec plane intelligitur quid ipsi sibi velint sub expressionibus et distinctionibus "Jurisdictio in habitu et iurisdictio in actu", "Jurisdictio inchoata et iurisdictio completa"; congruentius dicerent: "Jurisdictio et exercitium iurisditionis". Iurisdictio enim secundum se, prout est potestas, non est nisi aliquid habituale, unde inepte dicitur, *in priori sententia*, Ecclesiam dare iurisditionem in actu primo, imo nec dici deberet Ecclesiam dare actum iurisditionis cum actus procedat naturaliter ab ipsa potestate, sed dici potius deberet Ecclesiam permittere validum exercitium iurisditionis, seu non opponere impedimentum iurisditioni quae jam a sacerdote simpliciter possidetur vi ordinationis. Nec melius intelligitur quid sit illa inchoata seu imperfecta iurisdictio, quae asseritur *in altera sententia*, nam iurisdictio secundum se non habet gradus nec suscipit magis et minus; quod si dicatur iurisditionem imperfectam esse eam quae nondum applicatur materiae seu subjecto, quaeque fit perfecta per assignationem subditorum ex parte Ecclesiae, dicendum est iurisditionem quae actu careat subditis nullo modo esse iurisditionem (non enim datur superior nisi adsit inferior, nec rector nisi adsit subditus) et ipsam assignationem subjecti per Ecclesiam nihil aliud esse quam collationem ipsius potestatis iurisditionis, seu potius non fieri nisi ad modum unius cum ista.

Restat ut breviter respondeamus tribus objectionibus, seu praecipuis rationibus in quibus adversarii fundant suas opiniones:

DICES 1. Verba "*Accipe Spiritum S., quorum remisit . . .*", quae dicuntur in fine ordinationis sacerdotalis, manifestant quod in ipsa ordinatione et vi ordinationis sacerdos accipit potestatem iurisditionis absolvendi a peccatis. Et confirmatur ex eo quod per eadem verba ipsi Apostoli hanc potestatem a Christo acceperunt.

RESP. Ea verba saltem nunc, post Pii XII Constitutionem "Sacramentum Ordinis" 28 jan. 1948, non sunt sacramentalia seu effectiva, sed mere caeremonialia et declarativa; an autem antea essent etiam sacramentalia seu pertinuerint ad formam sacramenti Ordinis, disputatur. Ceterum, sive ut effectiva sive ut mere declarativa, ea verba non necessario significant ipsam potestatem jurisdictionis, sed possunt secundum se significare aut potestatem ordinis remittendi peccata aut potestatem jurisdictionis aut utramque; quod autem significant solam potestatem ordinis, utut dicentem radicalem habitudinem ad potestatem jurisdictionis (tamquam ad consortem potestatem, subinde ab Ecclesia accipiendam, sine qua actum suum exercere non potest), sequitur ex rationibus supra allegatis. Et in hoc sensu ipsum *Conc. Trid.*, sess. 23 De reformatione, cap. 15, ait "presbyteros in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipere" et *ibid.*, De sacramento Ordinis, can. 4, definit "per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde episcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum, et per eam imprimi characterem" (Denz. 964).

Inaniter autem adducitur in confirmationem potestas a Christo Apostolis tradita per eadem verba. Nam imprimis certum quidem est per haec verba Christum instituisse sacramentum Poenitentiae et utramque absolvendi potestatem (*Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 1 et can. 3), sed incertum est quomodo hanc potestatem Christus Apostolis communicaverit. Apostoli enim ordinati sunt sacerdotes in Ultima Coena, saltem quod attinet ad potestatem consecrandi Eucharistiam (*Conc. Trid.*, sess. 21, can. 2), an per sacramentum Ordinis vel per immediatam impressionem characteris, non constat. Cum autem subinde post Resurrectionem Christus instituit sacramentum Poenitentiae, tunc tantum dedit Apostolis potestatem absolvendi, an per aliam ordinationem, extendentem effectum primae ordinationis, vel immediate, non constat. Tunc autem Christus potuit vel dare Apostolis solam potestatem ordinis ad absolvendum ita ut potestas jurisdictionis conferretur eis subinde a Petro (ita S. Thomas, *Suppl.*, q. 20, a. 1, ad 1, cit. in p. 735; cf. in corp.), vel dare tunc etiam potestatem jurisdictionis sed dependenter a Petro seu mediante Petro, vel tandem dare illis eam potestatem immediate, i.e. non mediante Petro, sed ita ut esset privilegium quoddam pertinens ad personale munus Apostolatus. Aliis verbis, omnia sunt incerta aut dissimilia quoad modum quo collata est Apostolis potestas absolvendi et modum quo confertur ceteris sacerdotibus.

DICES 2. Si potestas jurisdictionis non daretur sacerdotibus immediate a Christo in ipsa ordinatione, sed per subsequentem com-

missionem S. Pontificis, nullus sacerdos posset absolvere ipsum S. Pontificem, nam Papa nequit fieri subjectus ei cui ipse communicat jurisdictionem, sicut enim ipse non habet jurisdictionem in semetipsum ita non potest eam aliis communicare.

RESP. Ob hanc rationem quidam, ut *Paludanus, Cano, Cajetanus, Gonet* (Hic tantum dicit: "Haec solutio probabilitate non caret"), *Straub et Lercher*⁴ dixerunt quod in hoc speciali casu jurisdictio datur sacerdoti immediate a Christo, cum non possit conferri ab ipso Papa, ita ut commissio S. Pontificis sit tantum conditio requisita ad hoc ut jurisdictio in S. Pontificem poenitentem descendat immediate a Deo in sacerdotem. Attamen, nulla est ratio recurrendi ad talem exceptionem; nam ex ipsa natura sacramentalis potestatis explicari potest quomodo S. Pontifex possit fieri subditus sacerdotis, cui ipse conulerit potestatem jurisdictionis.

Nam imprimis potestas absolvendi est non tantum jurisdictionis, sed *etiam ac principaliter ordinis*; haec autem ordinis potestas non confertur a S. Pontifice, sed a Christo per sacramentum Ordinis, et in hac potestate omnes sacerdotes sunt aequales; ex qua ratione, quam innuit S. Thomas in Suppl., q. 20, a. 3, ad 3, aliquatenus jam intelligi potest quomodo sacerdos possit exercere suam absolutionem in S. Pontificem, eo quod habeat jam a Christo potestatem ordinis remittendi peccata cuilibet peccatori, etsi per accidens non possit eam exercere nisi simul habeat ab ipso S. Pontifice potestatem jurisdictionis quae unice requiritur ut possit exerceri actus principalis potestatis ordinis. Attamen, quia haec responsio non totaliter evacuat difficultatem eo quod potestas jurisdictionis, etsi sit secundaria ac unice requiratur ad exercitium potestatis ordinis, tamen de facto et ipsa exercetur in S. Pontificem uti subditum, ideo S. Thomas ibidem addit aliam ac principalem rationem, seu indolem potestatis *fori interni*.

Potestas enim jurisdictionis in foro interno, maxime sacramentali,

⁴Ad rem *Lercher*: "Quaerunt etiam, a quo confessarius Summi Pontificis habeat jurisdictionem in ipsum. Sat communiter respondent: Pontifex, utens jurisdictione fori externi, confessario dat jurisdictionem in foro interno; et deinde Papa ut homo privatus et peccator confessario ut ministro Dei in tribunali poenitentiae se subijcit.—Huic explicationi ex ipsa indole jurisdictionis obstat, quod nemo jurisdictionem sive externi sive interni fori in seipsum habet, et ideo eam neque alteri dare potest. Ob hanc rationem *Straub* de Eccl. II n. 797 ss aliam explicationem profert: Sacerdos, quem Papa sibi confessarium elegit, jurisdictionem in ipsum *immediate a Christo* accipit, qui utique sacramentum etiam pro Papa instituit et propterea voluit, ut sacerdos electus gaudeat jurisdictione in Papam, quam ipse Christus solus dare potest.—Huic casui quoad modum conferendae jurisdictionis analogus est hic alter: Si quis a Papa habeat privilegium, ut absolvi possit a sacerdote quocumque, quem elegerit, etiam a sacerdote alias jurisdictionem non habente: sacerdos electus jurisdictionem *immediate a Papa* obtinet" (Instit. Dogm., v. 4, n. 484, Oeniponte, 1935, p. 572).

confertur a Papa non ut a causa principali sed *ut a causa instrumentali*, seu ut a vicario Christi, et semel sic accepta a sacerdote, ipsa non dependet quoad exercitium ab influxu Papae, sed exercetur instrumentaliter sub solo influxu divino; Papa autem, non secus ac quilibet alius peccator, cum sit subditus Dei in foro interno, subicitur eo ipso etiam instrumento Dei in tali foro, i.e. sacerdoti, etsi hic constituatur in ratione judicialis instrumenti per ipsam potestatem a Papa acceptam. Unde Papa dat jurisdictionem ut Pontifex, subditur vero absolventi sacerdoti non ut Pontifex sed ut persona privata seu ut peccator, "sicut unus medicus ab alio curatur, non in quantum medicus, sed in quantum infirmus" (S. Thomas).

In *foro externo* vero, in quo causae aguntur non directe inter hominem et Deum sed inter ipsos homines, S. Pontifex communicat aliis potestatem ut causa principalis, adeoque non potest alii committere potestatem in semetipsum et ei se subicere, secus non se subiceret Deo per alium, ut in iudicio sacramentali, sed se subiceret sibi metipso, quod est repugnans. Ceterum etiam in foro externo, in casu quo princeps non possideat plenitudinem potestatis, ut accidit in modernis republicis, contingere potest ut causa principis, qua privatae personae, iudicetur a iudicibus a seipso, qua principe, constitutis, ut in litibus de privata proprietate.

Ad rem S. Thomas, *Suppl.*, q. 20, a. 3, ad 3: "Judicium exterius est secundum homines, sed iudicium confessionis est quoad Deum, apud quem *aliquis redditur minor ex hoc quod peccat*, non autem apud hominum praelationes. Et ideo in exteriori iudicio sicut nullus in seipsum sententiam dare potest excommunicationis, ita nec alteri committere ut se excommunicet. Sed in foro conscientiae potest alteri committere suam absolutionem, qua ipse uti non possit. Vel dicendum quod *absolutio in foro confessionis est principaliter potestas clavium, et ex consequenti respicit jurisdictionem*; sed excommunicatio respicit totaliter jurisdictionem. Quantum autem ad potestatem ordinis omnes sunt aequales, non autem quantum ad jurisdictionem."

Ibid., q. 8, a. 4, ad 4: "Praelatis . . . concessum est . . . a jure quod possint sibi eligere proprios sacerdotes confessores, qui quantum ad hoc sunt eis superiores; *sicut etiam unus medicus ab alio curatur, non in quantum medicus, sed in quantum infirmus.*"

Apte *Billot*: "Nihil repugnat quominus a Pontifice qua tali derivat ad sacerdotem quemlibet iurisdictio fori interni super ipsam privatam Pontificis personam. Ratio est quia in foro interno, ubi non iudicatur de actibus humanis per ordinem ad legem humanam canonicam, sed per ordinem ad legem aeternam, Pontifex non est originalis fons iuris-

dictionis, sed merum medium quo a Christo iurisdictio provenit ad caeteros. Unde etiam dictum est supra, quod semel accepta potestate, omnis sacerdos iudicans in hoc foro, immediate subordinatur Deo et non habet in terra superiorem. Quia igitur in foro poenitentiae non valet nisi iurisdictio ipsius Dei, non solum hoc sensu quod a Deo dari debet, sed omnino hoc sensu quod solius Dei esse potest uti principaliter iudicantis: facile apparet cur sacerdos, quamvis mediante Pontifice iurisditionem fori interni accipiat, nullo tamen modo sit aut esse possit in eodem foro vicarius Pontificis: sed cum sit vicarius solius Christi iudicis, nihil obstat quominus in Pontificem qua hominem et peccatorem sacramentale iudicium exerceat. Nec est simile de foro externo in quo Papa principalis est legislator et iudex. Quare impossibile est ut det alteri facultatem iudicandi vel puniendi seipsum, nam iste alius ageret in Papam ut vicarius Papae; sed vicarius est una persona iuridica cum ordinario suo; idem igitur esset ac si Papa seipsum excommunicaret vel iudicaret, quod est contradictorium.”⁷⁵

DICES 3. Nequit intelligi quo proprio sensu dici possit Ecclesiam conferre potestatem iurisditionis; nam Ecclesia nihil aliud facit quam designare seu assignare subditos. Atqui assignare subditos non est conferre potestatem, sed potius hanc jam habitam supponit. Ergo Ecclesia proprie loquendo non confert potestatem.

RESP. Quidam doctores videntur negare minorem hujus objectionis, nam dicunt idem omnino esse assignare subditos et conferre potestatem; ita explicite *Huarte*: “Conferre alicui iurisditionem, ipsique assignare subditos, sunt unum idemque”, “Neque aliud est collatio iurisditionis quam assignatio subditorum” (De Poenit., n. 430 et 432). Attamen, id est nimis diminute dictum; etsi enim assignatio subditorum et collatio iurisditionis simul ac indivisibiliter fiant, cum subditus et superior sint correlativi, nec esse possit superior nisi sit subditus, tamen non ex hoc formaliter aliquis fit superior quod ei assignantur subditi, sed talis fit per communicationem ipsius juris utique in aliquem subditum, ita ut assignatio subditi involvatur in obliquo in ipsa communicatione juris et sit necessaria ejus conditio, quatenus collatio iurisditionis non est mera collatio juris ut sic, sed *collatio juris in alium*. Et in hoc sensu intelligendus est *S. Thomas* cum in Suppl., q. 19, a. 6 (cit. supra, in p. 735), loquitur de subtractione subditorum tanquam de subtractione ipsius potestatis iurisditionis; loquitur nempe non in sensu formali, sed materiali et identico, ut patet ex contextu tum immediato, ubi ait: “Cum usus clavium in utente *praelationem* [i.e. iurisditionem] requirat respectu ejus in quem

⁷⁵ De Ecclesiae sacramentis, tomus posterior, thes. 23, Romae, 1930, p. 231 sq.

utitur, ut supra dictum est (q. 17, a. 2, ad 2), propria materia, in quam exercetur usus clavium, est homo subditus", tum remoto, i.e. q. 17, a. 2, ad 2 (cit. in p. 734), ubi ait: "Clavis cum ordine datur; sed executio clavis indiget materia debita, quae est *plebs subdita per jurisdictionem*".

Unde negatur ratio adducta in majore argumenti; nam Ecclesia non mere assignat subditos, sed confert jus morale in subditos, dum eos assignat.

NOTA 1. DE FONTE HUIUS JURISDICTIONIS.

Primum principium seu fons unde derivat poenitentialis jurisdictio in omnes sacerdotes, abstracte et indefinite loquendo est ipsa Ecclesia cui Christus contulit omnem clavem potestatem, concrete vero ac determinate est ipsa suprema auctoritas ecclesiastica seu Romanus Pontifex.

Ipse S. Pontifex eam potestatem accipit, una cum suprema ac generali potestate Pontificatus, ab ipso Christo immediate, ita ut ejus jurisdictio sit non delegata sed ordinaria de jure divino, utpote adnexa ipsi officio supremi pastoris, a Christo constituto. Propterea haec jurisdictio est omnino independens ab omni alia et omnino absoluta et universalis quoad personas, causas seu peccata, loca, tempus, modum utendi immediate per se aut mediate per alios. Hanc supremam Papae praerogativam impugnarunt quidam mediaevales doctores in controversia de privilegiis Mendicantium, nominatim *Joannes de Polliaco*, damnatus a Joanne XXII (cf. infra, in p. 761), et *Wicleffitae atque Hussitae*.⁷⁶

Episcopus suam jurisdictionem poenitentialem accipit non vi ordinationis seu consecrationis, sed vi officii pastoris quod habet ex designatione S. Pontificis. Utrum autem haec designatio sit proprie dicta collatio muneris in mera conditio, qua posita, munus descendat a Deo, seu, utrum pastoralis jurisdictio hujus vel illius determinati episcopi sit de jure humano et papali an de jure divino, disputatur a doctoribus in tractatu De Ordine aut De Ecclesia (omnibus autem concedentibus divinam originem muneris episcopalis in communi), et ex hac generali quaestione de origine jurisdictionis singulorum episcoporum pendet solutio praesentis ac determinatae quaestionis de origine jurisdictionis episcopalis relate ad sacramentum Poeni-

⁷⁶ Inter interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas, juxta Bullam "Inter cunctas" 22 febr. 1418, haec legitur: "25. Item, utrum credat, auctoritatem jurisdictionis Papae, archiepiscopi et episcopi in solvendo et ligando esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiam si curam animarum habeat" (Denz. 675).

tentiae. Communior autem sententia cum S. Thoma (cf. Suppl., q. 20, a. 1, corp. et ad 1, cit. in p. 735; q. 26, a. 3; 2-2, q. 39, a. 3, cit. *ibid.*) tenet episcopalem jurisdictionem in individuo, seu prout participatur in hoc vel illo determinato episcopo, esse de jure humano.

Ad rem *Suarez*: "Certum esse existimo omnes Episcopos Ecclesiae habentes Episcopale et pastorale munus, habere illud per Summum Pontificem, seu dependenter ab illo . . . [Ex quo sequitur] jurisdictionem hanc [quoad sacr. Poenit.] non dari Episcopis immediate a Christo, sed per Summum Pontificem, et hoc sensu non habere illam divino, sed humano jure. Probatum primo, quia non habent illam ex vi consecrationis, sed ex vi sui muneris, ut ostensum est. Illud autem munus habent a Summo Pontifice, et juxta illius institutionem et modum. Dices: etiam Summus Pontifex habet jurisdictionem non ratione consecrationis, sed ratione muneris, quod munus etiam habet ab hominibus eligentibus ipsum. Respondetur, habere longe diverso modo; nam electores Pontificis non praebent munus, sed designant personam, cui Christus ipse immediate suas vices committit. Summus autem Pontifex vere confert inferioribus Episcopatum tamquam supremus dispensator, sicut confert alia Ecclesiastica beneficia. Et hinc est, ut Pontifex semel electus non possit per hominem sua potestate privari, neque integre, neque ex parte, quia non habet illam ab hominibus, sed a Christo; Episcopi autem possunt per Pontificem privari, aut transferri, et jurisdictio eorum potest limitari, prout Ecclesiae fuerit expediens. Unde etiam est alia manifesta differentia; nam jurisdictio Pontificia ex divina institutione certa et immutabilis est; jurisdictio autem Episcopalis ex vi solius juris divini non habet certum modum aut terminum, sed per Pontificem tacite vel expresse modum et determinationem recipit. Hoc ergo est signum manifestum, jurisdictionem hanc esse immediate ab homine".⁷⁷

NOTA 2. DE RESERVATIONE SEU LIMITATIONE HUIUS JURISDICTIONIS.

Cum concessio jurisdictionis sacramentalis fiat ab auctoritate ecclesiastica, et originaliter a Papa, patet eam multiplici modo reservari seu limitari posse, sive quoad personas, sive quoad materiam seu peccata, sive quoad loca et tempora, sive quoad modum ea utendi. Quamvis autem disciplina ecclesiastica in hac re varias in decursu saeculorum assumpserit formas, duas tamen generales secuta est lineas homogeneae alicujus evolutionis usque ad determinatam

⁷⁷De Poenitentia, disp. 25, sect. 1, n. 10 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 529 sq. Cf. *ibidem* totam sectionem 1, a n. 2 ad n. 14.

formam quam obtinet in hodierno Codice Juris Canonici. Prima est *limitatio ministrorum*, seu reservatio jurisdictionis quibusdam tantum ministris, quae quidem vocari potest disciplina de "proprio sacerdote" (accepta hac voce indistincte de eo cui ministerium confessionum peculiariter reservatur), altera est *limitatio ipsius objecti jurisdictionis* in ministro cui jurisdictionis conceditur, quae dicitur disciplina de "reservazione peccatorum seu casuum".

DISCIPLINA DE "PROPRIO SACERDOTE" incoepit ab initio Ecclesiae. Ut vidimus in art. praec. (p. 638 sq.), in primis saeculis ordinarius minister Poenitentiae fuit solus *episcopus*. Successerunt deinde *presbyteri poenitentiarum* (cf. *ibid.*, p. 639-646).

Inde a saec. 8 sermo est de confessione facienda "suo sacerdote" vel "proprio sacerdote", i.e. proprio pastori (episcopo vel parcho). *Chrodegangus Metensis* († 766), Regula canonicorum, c. 32: "Populus fidelis suam confessionem suo sacerdoti faciat . . . Monachi . . . confessionem faciant . . . episcopo aut priori suo" (M.L. 89, 1072). *Regino Prumensis* († 915), De eccl. disciplina, 1, 288: "[Peccator] ad proprium sacerdotem venire festinet, et humiliter confiteatur" (M.L. 132, 245); *ibid.* 1, 309: "Curandum summopere est ne quis fratrum coepiscoporumque nostrorum aut etiam presbyterorum in alterius civitate vel diaecesi poenitentem, vel sub manu positum sacerdotis, aut eum qui reconciliatum se dixerit, sine episcopi vel presbyteri testimonio et litteris, ad cuius pertinet parochiam, suscipiat" (*ibid.*, 253). *Urbanus II* († 1099) sequens emisit decretum, relatum a *Gratiano* (circa 1140; Decretum, pars 2, causa 9, q. 2, c. 2): "Placuit, ut deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti recipere ad poenitentiam sine ejus consensu, cui prius se commisit" (M.L. 187, 789). Quam disciplinam, jam ubique observatam, confirmavit saec. 13 *Conc. Later.* IV (a. 1215), cap. 21 De confessione facienda: "Omnis utriusque sexus fidelis . . . saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti. . . Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absolvere vel ligare" (Denz. 437).

Obicienti inconvenientia hujusmodi legis, obligantis ad confessionem faciendam apud determinatum sacerdotem, *S. Thomas* respondet: "In hoc quod oportet proprio sacerdoti confiteri, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur. Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam alteri confitendi, quia multi sunt adeo infirmi quod potius sine confessione morerentur quam tali sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias

subditorum per confessionem sciunt, multis damnationis laqueum injiciunt, et per consequens sibi ipsis" (*Suppl.*, q. 8, a. 4, ad 6).

"In casibus illis in quibus probabiliter timet poenitens periculum sibi vel sacerdoti ex confessione ei facta, debet recurrere ad superiorem, vel ab eodem petere licentiam alteri confitendi; quod si licentiam habere non possit, idem est iudicium quod de illo qui non habet copiam sacerdotis: unde magis debet eligere laicum, cui confiteatur. Nec in hoc transgreditur aliquis praeceptum Ecclesiae, quia praecepta juris positivi non se extendunt ultra intentionem praecipientis, quae est finis praecepti: hic autem est charitas, secundum Apostolum [1 Tim., 1, 5]. Nec etiam aliqua injuria fit sacerdoti, quia privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate" (*ibid.*, ad 5).

Recta interpretatio expressionis "Proprius sacerdos" in lege lateranensi, est: Sacerdos habens curam animarum, seu, ut dicitur in posterioribus documentis, habens jurisdictionem ordinariam et proximam (i.e. proprius parochus). Attamen ea expressio vario modo a doctoribus explicata aut accepta est.

S. Thomas proprium sacerdotem intelligit habentem jurisdictionem immediatam, i.e. Papam, episcopum, parochum: "Si aliquis impediatur quod alterius confessionem audire non possit propter jurisdictionis defectum, potest ei per quemcumque jurisdictionem habentem immediatam in illos committi quod confessionem audiat et absolvat, sive per ipsum sacerdotem [i.e. parochum], sive per episcopum, sive per papam" (*Suppl.*, q. 8, a. 5); "Super eandem plebem immediate sunt [etsi inaequali modo] et *sacerdos parochialis*, et *episcopus*, et *papa*, et quilibet eorum potest ea quae sunt jurisdictionis ad ipsum pertinentia, *alteri committere*. Sed si superior committat, qui et principalior est, dupliciter potest committere: aut ita quod eum vice sui constituat, sicut papa et episcopus suos poenitentiarios constituunt; et tunc talis est principalior quam inferior praelatus, sicut *poenitentiarius papae* quam episcopus, et *poenitentiarius episcopi* quam sacerdos parochialis, et magis tenetur ei confitens obedire; alio modo ut eum coadjutorem illius sacerdotis constituat; et quia coadjutor ordinatur ad eum cui adjutor datur, ideo coadjutor est minus principalis, et ideo poenitens non tantum obedire tenetur ei quantum proprio sacerdoti" (*ibid.*, ad 3).

In *Opusc. Contra impugnantes Dei cultum et religionem*, c. 23, S. Doctor, solvens objectionem Guilelmi de Sancto Amore et aliorum, scribit: "Ad illud quod postea objicitur, quod quilibet tenetur in anno semel confiteri proprio sacerdoti, dicendum quod *sacerdos proprius non solum est parochialis, sed etiam episcopus vel Papa*, ad quos

etiam magis pertinet cura ejus quam ad sacerdotem, ut multipliciter ostensum est. *Proprium enim hic non accipitur secundum quod dividitur contra commune, sed secundum quod dividitur contra alienum. Unde qui confessus est episcopo suo vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio sacerdoti.* Et praeterea per hoc non excluditur, si semel in anno confitetur sacerdoti proprio, scilicet parochiali dato, quin possit aliis vicibus aliis etiam confiteri qui potestatem habeant absolvendi”.

Albertus M., In 4 Sent., dist. 17, a. 41, eodem modo intelligit proprium sacerdotem, scilicet Ecclesiae pastorem, cum scribit: “Non possunt esse plures proprii [sacerdotes], sed unus solus est proprius: possunt tamen alii cooperari uni proprio”.⁷⁸ Sed in suo Compendio theologiae veritatis, l. 6, c. 27, extendens sensum vocis “Proprius sacerdos” ad omnem qui valide absolvere potest, scribit: “Dicendum . . . quod nullus potest absolvere poenitentem, nisi proprius sacerdos. *Proprius vero sacerdos dicitur sex modis.* Primo modo, ipse pastor Ecclesiae, ut Papa, Episcopus, et Curatus, quilibet in suis casibus. Secundo, per determinationem superioris, ut vicarii. Tertio, per privilegium quibusdam indultum. Quarto, per licentiam proprii sacerdotis. . . Quinto, propter necessitatem, quia instante mortis articulo quilibet sacerdos potest absolvere. Et peregrini absolvuntur ab illis apud quos sunt. Sexto, propter defectum sui sacerdotis, quando scilicet est idiota, vel proditor confessionis, vel quando solent mulieres confitentem provocare: tunc enim si non invenit aliquem qui auctoritatem habeat, efficitur ei sacerdos proprius, non quilibet, sed discretus, et honestus, et notus, vel ex ordine, vel ex persona”.⁷⁹

Bonaventura distinguit triplicem sensum: “Proprius sacerdos dicitur tripliciter: uno modo communissime, alio modo communiter et tertio modo proprie. *Communissime* dicitur proprius sacerdos quicumque potest confitentem absolvere, sive per propriam auctoritatem sive per commissionem vel demandationem, utpote sunt illi qui habent privilegium, dum praedicant, audiendi confessiones. *Communiter* vero dicitur proprius sacerdos omnibus ille qui ex propria auctoritate vel officio tamquam praelatus ordinarius potest absolvere, ut episcopus et sacerdos parochialis. *Proprie* vero dicitur proprius sacerdos ille qui administrat sacramenta et cui commissa est specialis cura; iste est sacerdos parochialis. Intellige igitur quod cuilibet horum licitum est confiteri; et proprio sacerdoti, scilicet parochiali, confessus non tenetur iterum confiteri; similiter confessus superiori qui curam habet,

⁷⁸ Opera omnia, v. 29, 1894, p. 727.

⁷⁹ Opera omnia, v. 34, Parisiis, 1895, p. 226.

dico quod non tenetur confiteri sacerdoti parochiali, nisi superior remittat, sed sufficit quod sacerdoti suo innotescat; et hoc dico, si fiat ex causa.”⁸⁰

Suarez sic varias posteriorum theologorum explicationes resumit ac discutit: “Declarandum est, quid nomine proprii sacerdotis in hac materia intelligendum sit; hac enim voce solent jura uti ad nominandum ordinarium ministrum hujus sacramenti, ut patet ex c. ‘Omnis utriusque sexus’. Distinguunt ergo multi Theologi *tres acceptiones hujus vocis*. *Prima est*, quae significat *omnem sacerdotem habentem jurisdictionem* in hoc foro, sive illam ordinariam habeat, sive delegatam, ita ut proprius dicatur, qui jus habet administrandi hoc sacramentum, quocumque titulo et modo illud habeat, distinguaturque ab eo qui omnino est quasi alienus ab hoc ministerio. Ita loquuntur *Bonav.* in 4, d. 17, 3 p. ejus, art. 1, q. 2; *Richard.*, art. 3, q. 1; *Palud.*, q. 3, art. 2; *Sylvest.*, verb. ‘Confessor’, 1, q. 1; imo juxta hanc expositionem interpretantur cap. ‘Omnis utriusque sexus’. Sed hoc aperte repugnat illi textui, in quo proprius sacerdos distinguitur ab alieno, etiamsi delegatam jurisdictionem habeat; neque in eodem textu admittenda est aequivocatio, quam *Paludanus* gratis et sine fundamento admittit; praesertim cum, juxta vocis ‘proprius’ proprietatem, non possit recte illi accomodari, qui ex proprio officio non habet animarum curam, sed tantum delegatam jurisdictionem. . .

“*Secundo* ergo vox illa significare dicitur *quemcumque pastorem animarum*, qui in hoc foro habet jurisdictionem ordinariam, sive illa sit proxima et immediata, qualis est in paroco, sive sit universalis et quasi remota, qualis est in Episcopo vel Summo Pontifice, ita ut non dicatur sacerdos proprius, ut distinguitur a communi, sed ut distinguitur ab alieno. Ita utuntur hac voce *Gabriel*, in 4, d. 17, q. 2, art. 2; *Med.*, Cod. de Confessione, q. de Confessione Fratris privilegiatis facta; *Soto*, d. 18, q. 4, art. 2, et juxta illam exponunt c. ‘Omnis utriusque sexus’. Estque satis probabilis haec expositio quamvis non necessaria. . . In rigorosa significatione proprius sacerdos dicitur, qui proximam curam et obligationem habet ex officio ministrandi fidelibus hoc sacramentum, ut bene notavit *Cano*, dicta Relect., p. 5 et 6, qui hoc modo exponit cap. ‘Omnis utriusque sexus’, et Extravag. Martin. V. . . Hoc ergo modo nunc de proprio sacerdote agimus”⁸¹

Ceterum de sensu legis lateranensis, quod attinet ad obligationem faciendi annuam confessionem apud *proprium parochum*, acriter ac diu *disputatum est ab antiquioribus theologis* inde a tempore celebris

⁸⁰In 4 Sent., dist. 17, pars 3, a. 1, q. 2, Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 437. Cf. ceteras determinaciones quae sequuntur ibidem, p. 437 sq.

⁸¹De Poenitentia, disp. 25, sect. 2, n. 1 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 532 sq.

controversiae saecularium doctorum Parisiensium, nominatim *Guilelmi de Sancto Amore* (liber De periculis novissimorum temporum, scriptus a. 1255), contra privilegia Ordinum Praedicatorum et Minorum, peculiariter in audiendis confessionibus.⁸² Vestigia hujus controversiae habes apud *S. Thomam* (Opusc. Contra impugnantes Dei cultum et religionem, nuper cit., p. 757; Suppl., q. 8, a. 5, cit. ibid.; Quodlib. 12, q. 18, a. 30, post verba citata supra in p. 736), *Albertum M.* (In 4 Sent., dist. 17, a. 40-45), *Bonaventuram* (In 4 Sent., dist. 17, pars 3, a. 1, q. 2, nuper rel.) et *Richardum de Mediavilla* († c. 1300).⁸³

A Guilelmo de Sancto Amore circumventus, *Innocentius IV*, in Bulla "Etsi animarum" 21 nov. 1254, revocavit privilegia Mendicantium, nominatim de audiendis confessionibus laicorum, statuens: "Si quis alieno sacerdoti iusta de causa sua voluerit confiteri peccata, secundum statuta generalis Concilii licentiam prius postulare ac obtinere debeat a proprio sacerdote . . . aliter namque ab ipso nec solvi nec ligari, cum duplex in iudicando funiculus, potestatis scilicet et scientiae, requiratur, quorum alterum saltem constat in alieno deficere sacerdote".⁸⁴ Subinde vero praedicta privilegia agnoverunt ac restituerunt tum *Alexander IV* († 1261) tum praecipue *Martinus IV* in celebri Bulla "Ad fructus uberes" 13 dec. 1281, qui tamen monet: "Volumus autem quod hii, qui fratribus confitebuntur eisdem, suis parochialibus presbyteris confiteri saltem semel in anno, prout generale Concilium statuit, nihilominus teneantur".⁸⁵ Posterius, progrediente controversia de hac re, *Benedictus XI* in Bulla "Inter cunctas" 17 febr. 1304 praedictam clausulam Martini IV abstulit, authentice declarans sensum obligationis lateranensis de confitendo apud proprium sacerdotem: "Nec confessi ipsis fratribus peccata illa, de quibus confessi sunt eis et absoluti, poenitentes de illis 'sacerdotibus propriis' teneantur (sicut etiam non tenentur) iterum confiteri: non obstante constitutione gene-

⁸² *Denifle-Chatelain*, Chartularium Universitatis Parisiensis, Parisiis, 1889, t. 1, passim. *M. Ferrad*, Maître Guillaume de St. Amour, l'université de Paris et les ordres mendiants au XIII^e siècle, Paris, 1896; Etude sur la vie et sur les oeuvres de Guillaume de St. Amour, Lons-le-Saunier, 1909.

⁸³ *A. Van den Wyngaert*, Querelles du clergé séculier et des ordres mendiants à l'Université de Paris au XIII^e siècle, in La France franciscaine, t. 5 (1922), p. 257-281. 369-397; t. 6 (1923), p. 47-70.

⁸⁴ *P. Gratien*, Ordres mendiants et clergé séculier à la fin du XIII^e siècle, in Etudes franciscaines, t. 36 (1924), p. 499-518.

⁸⁵ *F. M. Delorme*, Fr. Richardi de Mediavilla quaestio disputata De privilegio Martini Papae IV nunc primo edita, Quaracchi, 1925.

Chardon, Histoire des sacrements, Du sacrement de Pénitence, sect. 2, chap. 8, apud Migne, Theol. Cursus, t. 20, col. 426-433.

⁸⁶ *P. Bernard*, in Dict. Théol. Cath., art. Confession (Du Concile de Latran au Concile de Trente), col. 908 sq.

⁸⁷ Supra citata Quaestio de privilegio Martini V, edita a F. M. Delorme.

⁸⁸ Apud *Denifle-Chatelain*, op. cit., p. 269.

⁸⁹ Apud *Denifle-Chatelain*, ibid., p. 592.

ralis concilii, quae sano intellectu — ne sequatur absurdum, quod per poenitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat et quod liberatus debitor adhuc ad solvendum remaneat obligatus — intelligenda est, ut ex ea patet, de illis qui peccata sua confiteri aliis neglexerunt”.⁸⁶ Tandem controversiam clausit *Joannes XXII* per Constit. “Vas electionis” 21 julii 1321, damnans sequentes propositiones Joannis de Polliaco: “Quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quae confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti. — Quod stante statuto ‘Omnis utriusque sexus’ edito in Concilio generali [Later. IV] Romanus Pontifex non potest facere, quod parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum; imo nec Deus posset hoc facere; quia, ut dicebat, implicat contradictionem. — Quod Papa non potest dare generalem potestatem audiendi confessionem, immo nec Deus, quin confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit esse, ut praemittitur, parochialem curatum” (Denz. 491–493).

A Conc. Florentino ad Tridentinum, potiusquam distinctio inter proprium et alienum sacerdotem, maxime consideratur distinctio inter habentem jurisdictionem *ordinariam* et habentem jurisdictionem *delegatam* seu commissam. Haec distinctio fit a Conc. *Florentino* verbis “Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris” (desumptis ex S. Thomae Opusculo De articulis fidei et sacramentis Ecclesiae) et a Conc. *Tridentino* aptioribus verbis: “Ordinaria aut subdelegata jurisdictio”, ac retinetur in hodierno *Codice J. C.*, can. 872, sub strictiori expressione: “Potestas jurisdictionis, sive ordinaria sive delegata”.

Ad ipsam disciplinam quod attinet, lex lateranensis, intellecta de invaliditate confessionis factae apud non proprium sacerdotem, apparet mutata seu modificata in *Conc. Trid.* declarante invaliditatem solius confessionis factae apud sacerdotem qui nullam habeat jurisdictionem nec ordinariam nec delegatam.

In moderna disciplina *Codicis J. C.* lex de confessione facienda apud proprium sacerdotem, abolita vel prorsus immutata est; nam valide et licite nunc quis confitetur apud quemlibet sacerdotem legitime approbatum, qui habeat ordinariam vel delegatam jurisdictionem, quique proinde in hodierna disciplina vocari potest, si placet, “proprius sacerdos”, mutando sensum hujus nominis seu intelligendo sacerdotem qui habet quomodolibet jurisdictionem et cui quis potest et, pro casu, tenetur confiteri. *Can. 905* amplissime disponit: “Cuivis

⁸⁶ Extravagantes communes, V, De privilegiis, c. 1.

fideli integrum est confessario legitime approbato etiam alius ritus, cui maluerit, peccata sua confiteri." *Can. 906*, renovans legem lateranensem de annua confessione, prorsus tacet mentionem "proprii sacerdotis" et abrogat, si qua fuerit, proprie dictam obligationem confitendi apud determinatum pastorem seu ministrum.

Tota igitur reservatio seu limitatio hodie se habet ex parte ministri cui conceditur iurisdictio,⁸⁷ atque respicit sive modum quo confertur (ordinaria vel delegata iurisdictio), sive locum seu territorium, sive personas, sive casus. Quae omnia determinantur in *Codice J. C.*, praecipue can. 871-892 (generaliter) et 518-530 (quoad religiosos), et fuse explicantur a Moralisticis et Canonisticis.⁸⁸ Ceterum Codex, agens de limitatione delegatae iurisditionis et statuto principio de illius licitate, monet delegantes ne nimium suae concessionis limites coarctent: "Can. 878. — § 1. Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus. § 2. Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent."

DISCIPLINA DE "RESERVATIONE CASUUM SEU PECCATORUM" (ceteroquin non confundenda cum reservatione censurae) est alius legitimus modus limitandi iurisdictionem poenitentialem, ex parte nempe objecti seu materiae, cum nihil aliud sit quam denegatio potestatis absolvendi a quibusdam determinatis peccatis.⁸⁹

Hoc Ecclesiae jus, impugnatum a *Wicleff* (ut refert Thomas Waldensis, *De sacr.*, t. 2, c. 149, et non obscure innuitur in XXV et interrogationibus *Wicleffitis* et *Hussitis* proponendis, juxta Bullam "Inter cunctas", apud *Denz.* 675, cit. in p. 754), a *Protestantibus* (v. g. *Luthero*, *Serm. de sacr. Poenitentiae*, a. 1519) et a *Jansenistis Pistoriensibus*, vindicatur a *Conc. Trid.* (sess. 14, cap. 7 et can. 11), a *Rituali Romano* (t. 3, c. 1, n. 4. 13. 23) et a *Pio VI* (Constit. "Auctorem fidei," prop. 44 sq., cit. supra in p. 732).

⁸⁷ *Ab ipsa concessionem iurisdictionis* distinguas tum *approbationem* episcopi ad audiendas confessiones, a *Conc. Trid.* primo statutam (sess. 23, de Reformatione, cap. 15, supra cit. in p. 731) sed in hodierno *Codice J. C.* suppressam, saltem in sensu proprio et formali alicujus iudicii authenticici de idoneitate subjecti ad audiendas confessiones, distincti ab ipsa concessionem iurisdictionis, tum *licentiam* ad audiendas confessiones, datam a superiore religioso subdito jam iurisdictionem habenti. Cf. *Cappello*, n. 278 et 280.

⁸⁸ Cf. *Cappello*, n. 274-350 (ed. 1944); *Merkelbach*, n. 579-591. Quoad antiquiorem disciplinam confer *Suarez*, *De Poenitentia*, *Disp.* 25, sect. 2; *disp.* 26, sect. 1-3; *Lugo*, *De Poenitentia*, *disp.* 19.

⁸⁹ *Pressior definitio* continetur in his verbis *Codici J. C.*, can. 893: "Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum advocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes. Haec advocato dicitur *reservatio casuum*."

Ilius disciplinae plura indicia seu vestigia colligi possunt in documentis et in poenitentiali praxi antiquioris Ecclesiae usque ad primum medium aevum; attamen eorum sensus est indeterminatus et valor incertus, eo quod quandoque non constat an agatur de episcopali reservatione solius publicae nec sacramentalis reconciliationis, potiusquam ipsius sacramentalis absolutionis, et, cum agitur de reservatione ipsius absolutionis sacramentalis, non constat an id fiat determinate ratione particularium peccatorum et non potius generaliter ratione ipsius ministerii confessionis quod, saltem in prioribus saeculis, episcopo fere reservabatur. Idem dicendum de pluribus textibus qui adducuntur ex doctoribus saec. 12-13, ut ex ipso *Gratiano* (Decretum, pars. 2, causa 26, q. 6, c. 14; causa 33, q. 2, c. 15, M.L. 187, 1363 et 1517).

Quidam tamen doctores ejusdem aetatis loquuntur de reservatione casuum tanquam de re bene nota et satis consueta. Ita *S. Thomas, Suppl., q. 9, a. 2, ob. 4*: "Sacerdoti non debet fieri confessio de peccatis, nisi propter absolutionem. Sed quandoque sacerdos qui confessionem audit, potest de quibusdam peccatis absolvere, non de omnibus. Ergo ad minus in tali casu non oportet quod confessio sit integra" cui respondet *ad 4*: "Etiam si sacerdos non de omnibus possit absolvere, tamen tenetur poenitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpae cognoscat, et de illis de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat". *Ibid., q. 20, a. 2*: "Potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda. Sed quia ad usum hujusmodi potestatis, ut dictum est, requiritur jurisdictio, quae a majoribus in inferiores descendit; ideo potest superior aliqua sibi reservare, in quibus iudicium inferiori non committat; alias de quolibet potest simplex sacerdos absolvere, habens jurisdictionem. Sunt autem quinque casus in quibus oportet quod simplex sacerdos poenitentem ad superiorem remittat: primus est quando est sollemnis poenitentia imponenda, quia ejus minister proprius est episcopus; secundus est de excommunicatis, quando inferior sacerdos non potest absolvere; tertius, quando invenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad superiorem remittere; quartus quando est consuetudo in aliquo episcopatu quod enormia crimina ad terrorem reserventur episcopo; quia consuetudo dat, vel aufert in talibus potestatem."

Ceterum, proprie dicta casuum reservatio, cujus origo detegi potest jam saec. 8-9, nonnisi paulatim determinatas formas assumpsit. Ad haec *CAPPELLO*:

"*Origo casuum papalium reservationis* haec fuit. Inde a saec. VIII et IX non raro accidebat ut Episcopi, praesertim ubi agebatur de gravissimis peccatis a libris poenitentialibus haud memoratis, dubii essent circa congruam poenitentiam imponendam. Tunc reum ad Papam cum litteris remittebant, qui, casu perlecto, aut

personaliter absoluebat aut remittebat absolvendum poenitentia imposita ad Episcopum.⁹⁰ Id manifesto probant litterae Pontificis Alexandri II.⁹¹

“Primum exemplum reservationis reperitur in can. 10 Concilii *Claromontani*, ab *Innocentio II* an. 1130 celebrati. Qui canon deinceps receptus fuit a *Concilio Rhemensi* an. 1131, a *Concilio Pisano* an. 1135 et a *Concilio oecumenico Lateranen. II* an. 1139, hisce verbis: ‘Item placuit, ut si quis suadente diabolo huius sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat: et *nullus Episcoporum illum praesumat absolvere*, nisi mortis urgenti periculo: donec apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiet’⁹². . .

“A saec. XII Pontifices coeperunt exclusive cognoscere de criminibus incedi. ecclesiarum spoliationis ac monialium clausurae violationis. Saeculo XIII usque ad medium saeculum XIV casus papales reservationis pauci numerati sunt, sed eorum catalogus, haeresibus late serpentibus, deinde auctus est. Bulla in *Coena Domini*, quae an. 1364 *Urbano IV* Pontifice ortum habuit, septem casus S. Sedi reservatos exhibet. Hoc tempore clare distinguuntur *casus episcopales a papalibus*. Norma ad praxim rite deducta haec erat, ne simplex sacerdos, licet parochus. poenitentias pro peccatis gravibus daret, sed de his Episcopo et, in casibus difficilioribus, Papae referret. Post Avenione reditum catalogus Bullae *Coenae* auctus est, sub Iulio II primum, deinde sub Paulo III, donec *Urbanus VIII* horum casuum augendorum finem imposuit. Viginti casus reservati numerabantur. . .

“Primus casus *ratione sui* Papae reservatus, per legem generalem inductus videtur a *Sisto V* Const. ‘*Sanctum et Salutare*’, 5 ian. 1589, contra simoniae promotos et ordinantes. Quae Sixtina dispositio iterum confirmatur a *Clemente VII* Const. ‘*Romanum Pontificem*’, 28 febr. 1596. *Clemens VIII* Const. ‘*Religiosae*’, 19 iun. 1594, contra accipientes dona a regularibus et non restituentes, qui ‘restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientiae absolvi possunt’. Num casus iste esset vere reservatus, usque ad Codicem disputatum fuit. Communior et probabilior sententia negabat; quia, facta restitutione, absolutio concedi poterat a quocunque sacerdote approbato.⁹³ *Benedictus XIV* Const. ‘*Sacramentum poenitentiae*’, 16 iun. a. 1741, reservavit S. Sedi falsam confessarii accusationem de sollicitationis crimine. Qui casus adhuc manet in vigente disciplina Codicis. . .

“[*Quoad reservationes episcopales haec nota:*] Primis Ecclesiae saeculis, Episcopi soli ministri sacramenti poenitentiae erant. Saeculo V adiutores sacerdotes vocabantur, qui paulo post ministri habituales facti sunt, Episcopis publica poenitentia reservata. Cum paulatim poenitentia publica obsolesceret, ipsis demandabatur iudicium criminum graviorum, praesertim si notoria essent, quae vel relate ad priscam disciplinam publicae poenitentiae, vel ob consuetudinem exurgentem, vel speciali ipsorum malitia, examen Episcoporum diligentius posebant. In casibus singularibus Episcopi se ingerebant. Singularis est reservatio peccati homicidii S. Thomae, prioris S. Victoris, ex parte Stephani Parisiensis Episcopi: ‘Ego de toto reatu mihi soli absolutionem et poenitentiam reservavi’.⁹⁴

“Praxis introducta fuit recurrenti ad Episcopos non tantum ob publica crimina. sed etiam ob delicta occulta graviora. Reservationes episcopales peccatorum occultorum probabiliter introductae sunt, quando libri poenitentiales in desuetudinem abierunt.⁹⁵ Canon 28 Concilii Londinensis (a. 1102), curante *Anselmo*

⁹⁰ Cf. Thomassinum, De veteri et nova Ecclesiae disciplina, part. I, lib. 2, cap. 13, n. 1 ss.

⁹¹ Migne, P.L., CLXII, col. 31, epist. 18; col. 145, epist. 135.

⁹² Cfr. can. 29, C. 17, q. 4.

⁹³ Cfr. Ferraris, v. *Reservatio*, n. 14; Buceroni, *Comment.*, n. 11.

⁹⁴ Thomass., l. c., cap. 14, n. 2.

⁹⁵ Chrétien, *De poenit.*, p. 399.

Cantuariensi, primum exemplum occultae culpae Episcopo reservatae offert: peccatum sodomiae, ibi late diffusae. Paulatim numerus casuum reservatorum valde auctus fuit. Sufficit percurrere Synodos saeculi XIII: *Londinensem* a. 1200, *Arelatensem* a. 1275, *Santonensem* a. 1280, *Neumasensem* a. 1284, *Ravenmatensem* a. 1286. In Germania, opera praesertim Cardinalis *Campegi*, mos invaluit ut confessarii omnes absolvere possent a peccatis reservatis occultis, praeter homicidia, haereses et excommunicationes.⁹⁶

"*Conc. Trid.* potestatem R. Pontificis et Episcoporum reservandi casus diserte agnovit, nec eam restrinxit ad peccata publica, sed ad atrociora atque graviora crimina. Ad moderandos et reducendos catalogos reservatorum, *Clemens VIII* opportune intervenit per litteras *S. C. Ep. et Reg.* diei 9 ian. 1601, in quibus refertur monitum huius tenoris: 'Ne locorum Ordinarii, quibus ius hoc reservandorum casuum competit, pluribus quam opus sit reservationibus, subditis aut confessariis . . . sint onerosi, moneantur omnes ut paucos eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam animarumque sibi creditarum salutem, pro cuiusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse iudicaverint, reservent'. Die 26 nov. 1601 eadem S. Congreg. statuit, ut locorum Ordinarii 'atrociorum tantum et graviorum criminum absolutionem sibi reservent. . . Prohibet etiam, ne sibi superflue reservent casus in Bulla die *Coenae Domini* legi consueta contentos, neque alios Sedi Apostolicae specialiter reservatos'.⁹⁷ Eadem S. Congregatio in litteris encyclicis eadem die 26 nov. a. 1602 datis, haec, inter alia, praecipit: 'In peccatis carnalibus reservandis multa utantur (Ordinarii) circumspeditione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, suspensio aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant et sequantur rationem, quae, consideratis diligenter cuiusque provinciae ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur'.⁹⁸ S. Congregatio Concilii, cum Episcopo Bellicastrensis supra modum auxisset catalogum casuum reservatorum, die 29 ian. 1661, 'decem aut ad summum duodecim gravioribus exceptis, Episcopo arbitrio designandis, ceteros e catalogo deleri iussit'.⁹⁹¹⁰¹

Disciplina hodierna exhibetur in *Codice J. C.* can. 893–900, quorum commentarium legas apud doctores Morales et Juristas. Haec tamen observa:

Fundamentum reservationis est, juxta *Conc. Trid.*, ipsa Ecclesiae potestas concedendi et consequenter denegandi vel limitandi, sacramentalem jurisdictionem. *Finis* reservationis est duplex: primus ac principalis est finis *disciplinarius*, scilicet recta Ecclesiae gubernatio, quae exigit "ut atrociora quaedam et graviora crimina [quae nempe magis perturbant societatis ordinem] non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolvantur [ob ampliorem eorum prudentiam et auctoritatem]" (*Conc. Trid.*); alter ac secundarius finis est *medicinalis*, ut nempe fideles a majoribus criminibus salubriter deterreantur, scientes ea difficiliora absolvi (*Conc. Trid.*: "In aedificationem tamen, non in destructionem"; *S. Thomas*, supra cit.: "Enormia cri-

⁹⁶ Bened. XIV, *De synodo dioec.*, lib. V, cap. 5, n. 3.

⁹⁷ Benedictus XIV, *op. cit.*, lib. V, cap. 5, n. 4.

⁹⁸ Benedict. XIV, *l. c.*

⁹⁹ Benedict. XIV, *l. c.*: Ball.-Palm., V, n. 483.

¹ De sacramentis, v. 2, n. 364–366, Taurini-Romae, 1944, p. 333–336; cf. n. 409, *ibid.* p. 387 sq.

mina ad terrorem reservantur episcopo”). Quidam, ut *Ballerini-Palmieri* (Opus Morale, v. 5, n. 206 sqq.), addunt finem poenalem; alii vero, ut *Cappello* (n. 354), negant reservationem esse poenam in sensu proprio et juridico-canonico, etsi habeat ex natura rei aliquam rationem poenalem, seu poenosam poenitenti. *Objectum* reservationis sunt peccata gravia et quidem externa, quae sacramento necessario subicienda sunt, secus finis reservationis non attingeretur; unde proprie nequeunt reservari, vel si placet, frustra reservarentur, peccata venialia, peccata mortalia jam confessa et peccata dubia (cf. dicta contra Vasquez in p. 744 sq.; item *Suarez*, Disp. 29, sect. 3, n. 1-3; *Lugo*, Disp. 20, sect. 2).

NOTA 3. DE CONCESSIONE JURISDICTIONIS IN ARTICULO MORTIS.

Ut diximus in p. 743 sq. contra quosdam theologos (relatos in p. 726), concessio jurisdictionis in articulo mortis non est juris divini sed ecclesiastici, quod dici potest apostolicum, nam, ut ait *Conc. Trid.* (cap. 7), agens de reservatione jurisdictionis, “ne hac ipsa occasione aliquis pereat, *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit*, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt” (Denz. 903). Huc spectant quae in art. 92 contra quosdam doctores (cf. p. 303. 323. 325) diximus de numquam ab Ecclesia denegata venia in articulo mortis (p. 394-414), allegatis peculiariter documentis *Conc. Nicaeni I*, *Siricii P.*, *Innocentii I*, *Coelestini I* et *Leonis M.* (p. 400-407).

Rituale Romanum, t. 3, c. 1, n. 1 et 24 et *Codex J. C.*, can. 882 (cit. in p. 731-733), firmam Ecclesiae praxim et legem clare edicunt, quam, jam ante hodiernos canonistas, sic apte commentabatur *Suarez*: “[Ex dictis] concluditur, jurisdictionem, quam sacerdotes omnes habent in illo articulo, esse *delegatam*. Patet, quia non est ordinaria ex munere alicujus beneficii, aut ex officio sacerdotis, ut sic, ut ex dictis constat; ergo est delegata, quia omnis jurisdictio in hoc foro, vel delegata est, vel ordinaria. Item est ex concessione Ecclesiae tantum pro illa occasione; ergo est delegata. Est autem verisimile hanc delegationem *coepisse ab ipso Petro*, et per tacitam consensionem Pontificum prius continuatam fuisse, postea vero per expressam in ipso jure. . . Ex quo etiam fit, ut haec delegatio ex se *perpetua* sit, utpote a Summis Pontificibus facta, ideoque a nullo inferiori tolli, aut limitari possit, nisi a Summo Pontifice, a quo etiam nunquam revocabitur, quia esset intolerabilis error, quem nunquam Spiritus Sanctus in sua Ecclesia

permittet. Denique hinc etiam constat, per confessionem factam in articulo mortis cuicumque sacerdoti, *liberari hominem ab obligatione iterum confitendi illa peccata, per se loquendo*. Patet, quia haec delegatio est absoluta, ordinarie loquendo, quod addo propter casus reservatos, de quibus est speciale dubium, an semper, vel saltem aliquando absolutio in illo articulo solum concedatur sub onere comparandi, si periculum evaserint, quod infra videbimus; hic autem casus specialis declarat, in reliquis concessionem esse absolutam, ideoque simpliciter hominem absolvi, et a tali onere liberari.”

NOTA 4. DE CONCESSIONE JURISDICTIONIS QUOAD PECCATA VENIALIA.

Contra quosdam antiquiores (cf. in p. 726 sq.) diximus, etiam ad absolutionem peccatorum venialium requiri jurisdictionem et hanc non haberi jure divino et vi ordinationis, sed ex commissione auctoritatis ecclesiasticae (cf. in p. 743 sq.).

Alia vero est quaestio *utrum de facto Ecclesia* in ipsa ordinatione concedat omnibus sacerdotibus jurisdictionem absolvendi a venialibus (idem dic de mortalibus jam confessis, ob rationem paritatis), ex jure quodam communi et ex immemorabili consuetudine. Hoc affirmabant communissime theologi ante decretum Innocentii XI a. 1676, mox citandum.

Ad rem *Suarez*: “Antiqui Doctores supponunt de hoc esse consuetudinem Ecclesiae, ratione cujus cuilibet sacerdoti non specialiter prohibito licitum est de venialibus absolvere; et c. ‘Omnis utriusque’, ab omnibus intelligitur de confessione mortalium; et est certum, quia agit de praecepto annuae confessionis, de cujus necessitate tantum sunt peccata mortalia. Et ita etiam tandem dixit Medina. Nec Navarrus ab hac recepta sententia discedere audet. Eamque sentio habere locum etiam post decretum Concilii Tridentini; nam illud in hac parte etiam intelligendum est quoad confessiones de mortalibus nunquam confessis, quia caetera non sunt materia necessaria confessionis.”

Lugo: “Sicut omnes sacerdotes absolvunt in mortis articulo; sic omnes indifferenter videntur posse absolvere a peccatis venialibus et mortalibus jam confessis: ideo hoc punctum cum praecedente conjungemus. Et quidem de venialibus nonnulli dubitant, an sacerdotes simplices possint absque alia delegatione ab iis absolvere. *Communis tamen theologorum sententia id affirmat, et communis fidelium usus id habet*”.

²De Poenitentia, disp. 26, sect. 4, n. 8, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 551.

³Ibid., sect. 5, n. 2, p. 551.

⁴De Poenitentia, disp. 18, sect. 3, n. 41, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 213.

Salmanticenses: "Dicendum est . . . omnem sacerdotem simplicem posse ex jure communi absolvere a venialibus, et a mortalibus jam rite confessis. Haec assertio prout jacet est *adeo communis*, ut opus non sit ejus patronos singillatim referre".⁵

Innocentius XI in Decreto S. C. Concilii "Cum ad aures" 12 febr. 1679, contra quosdam abusos in administratione Eucharistiae et Poenitentiae, haec de absolutione venialium peccatorum edicit: "Cum ad aures sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit . . . [abusus, quo] quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut ordinario. . . S. Congregatio [Cardinalium Tridentini interpretum] . . . unanimi sententia ita censuit: . . . Non permittant [episcopi], ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab episcopo aut Ordinario. Si confessarii, etiam regulares, aut quicumque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo O. M. rationem reddituros esse, nec defuturam episcoporum aut ordinariorum justam et rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam regulares, etiam Societatis Jesu, facultate ipsis episcopis et ordinariis per hoc decretum per sedem apostolicam specialiter attributa".

Hinc theologi disputant an post hoc decretum absolutio a venialibus, absque speciali ministri approbatione, sit non tantum graviter illicita sed etiam invalida. Validitatem negant plures doctores tam antiqui quam moderni, uti, *Concina, Platel, Billuart, S. Alphonsus, Pesch, Lépicier, Prümmer, Aertnys-Damen, Merkelbach,*⁶ *Lercher* (n. 483), *Otten* (n. 231), *Bellacasa* (n. 909). Validitatem vero admittunt plures alii, uti *Holzmann, Viva, Palaus, Lacroix, Elbel, Cardenas, Salmanticenses, Tournely, Ballerini-Palmieri*. Alii, ut *Galtier* (n. 522), *Huarte* (n. 435), *Cappello* (n. 271), a decidenda quaestione abstinere. Prima sententia omnino praeferenda est, attento tenore tum verborum Tridentini, quae absque ulla peccatorum distinctione requirunt jurisdictionem in ministro, tum decreti Innocentii tam districte prohibentis absolutionem a venialibus cum defectu expressae jurisdictionis, tum Codicis J. C. absque ulla limitatione asserentis ad validam absolutionem requiri in ministro jurisdictionem, scripto vel verbis acceptam (can. 872 coll. cum can. 879).

BILLUART: "Quod . . . quidam, inter quos novissime Tournely, dicunt, Ecclesiam in hoc casu tacito consensu conferre jurisdictionem necessariam, plane gratuitum est et nullo fundamento nixum, praesertim post decretum Tridentini sess. 23, cap. 15 de Reformat. quo declarat generaliter nullum sacerdotem posse excipere confessiones saecularium sine episcopi approbatione. Quo decreto consuetudini

⁵ De Poenitentia, disp. 12, dub. 6, § 2, n. 68, *Cursus Theol.*, t. 20, Parisiis, 1883, p. 749 sq.

⁶ N. 578; nisi interpretandus sit ut supra, p. 730.

contrariae, si aliquando fuerit, derogatum est; quidam addunt esse abrogatam decreto Innocentii XI 26 februarii 1679.¹⁷

S. ALPHONSUS: "Prima sententia communissima negat [absolutionem a venialibus absque expressa jurisdictione esse invalidam]. . . Secunda vero sententia . . . affirmat. — Et hanc satis probabilem puto. Quia, posito quod simplices sacerdotes non habeant jurisdictionem a Christo, sed ab Ecclesia (ut supra); hodie, post decretum Innocentii, *non praesumitur velle eis conferre jurisdictionem*, cum ipsis expresse prohibeat uti tali jurisdictione."¹⁸

PESCH: "Talis usus, quamvis aliquando exstiterit, hodie in desuetudinem abiit. Ergo, quia illa ratio non iam valet, nullo modo nostra aetate simplices sacerdotes, utpote jurisdictione carentes, a venialibus absolvere posse videntur. Praeterea Innocentius XI d. 12 februarii 1679 decreto 'Cum ad aures' hoc districte inhibuit. . . *Consensus igitur summi pontificis retractatus* et consequenter iurisdictio omnis in hac materia sacerdotibus simplicibus sublata est".⁹

PRÜMMER: "Si revera temporibus S. Thomae talis iurisdictio generalis existebat, tamen ab Innocentio XI d. 12 Febr. 1679 *abolita est* Decreto 'Cum ad aures'. . . A iure ecclesiastico statuitur, ut iurisditionis concessio sit expressa sive verbis sive scripto; quare non sufficit concessio tacita vel praesumpta" (n. 408).

AERTNYS-DAMEN: "Quaer. . . An requiratur delegatio expressa pro peccatis venialibus et mortalibus jam remissis. Resp. Affirm. Etenim Codex sine ulla limitatione dicit ad Confessiones valide audiendas opus esse jurisdictione scripto vel verbis concessa. Sententia igitur contraria, olim ab aliquibus admissa, de jurisdictione hujusmodi in ipsa ordinatione sive a Christo, sive ex consuetudine ab Ecclesia concessa, *jam sustineri nequit*; quum novum jus de tali concessione nullam mentionem faciat" (n. 353).

SALMANTICENSES: "Si poenitens conscius hujus gravis obligationis, aut prohibitionis sub culpa lethali [quam continet decretum Innocentii XI], confessionem venialium coram simplici sacerdote emittat, nullum ac invalidum conficiet sacramentum: nequit enim sacramentum validum consistere interveniente culpa lethali commissa a poenitente in ipso actu confitendi. Quocirca difficultas solum devolvitur ad casum, in quo poenitens cum ignorantia illius accedit ad sacerdotem simplicem ut a venialibus absolvatur; an nimirum tunc confessio valida existat?"

"Affirmative igitur respondetur *cum communi consensu exponentium propositiones ab Innocentio XI damnatas*. . . Hujus resolutionis fundamentum nititur in prudentissima Ecclesiae gubernatione. quae nunquam nisi clarissimis verbis aut abstulit facultatem, quam semel concessit, aut annullavit ea, quae valida censuit ex traditione Apostolica, ac ipsius Ecclesiae praxi; atqui facultas absolvendi a venialibus competit sacerdoti simplici ex jure communi, vel ipsius Ecclesiae concessione, quae ex Apostolica traditione ac fidelium usu venialium confessionis simplici sacerdoti factas validas reputavit; aliundeque praedictum decretum nullum continet verbum, quo praedictae confessiones expresse annullentur, aut facultas absolvendi a venialibus simplici sacerdoti collata, ab eo removeatur: ergo praedicta confessio in vi hujus decreti valida relinquitur."¹⁰

BALLERINI-PALMIERI: "S. Alph. n. 543 . . . [ex decreto Innocentii XI] concludit, non solum vetitum fuisse Episcopis permittere, ut venialium confessio fiat sacerdoti non approbato ab Episcopo: sed id fuisse interdictum etiam ipsis sacerdotibus. At si Ecclesia interdixit, ne absolvant et iurisdictio (ut plures volunt)

¹ De Poenitentia, diss. 6, a. 2, § 2, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 362.

⁹ Opera Moralia, t. 3, n. 543, Romae, 1909, p. 562 sq.

¹⁰ Prael. Dogm., t. 7, n. 432, Friburgi Br., 1920, p. 213.

¹⁷ De Poenitentia, disp. 12, dub. 6, § 3, n. 72 sq., Cursus Theol., t. 20, Parisiis, 1883, p. 753 sq.

repetenda esset ex consensu Ecclesiae; non est putandum, Ecclesiam dare iurisdictionem illis, quibus absolvere interdicit. Verum 1° ex interdicto non tenet illatio ad ablationem potestatis. Et illa adhortatio, 'ne permittant', supponit potius actum, qui permittendus non est, esse ex se validum. 2° non probatur istud interdictum, de quo s. Doctor. Nam si referantur postrema verba ad immediate praecedentia, interdicitur 'permittere'; secus absurde necerentur, quia heic nominantur etiam parochi et confessarii, qui certe possunt a venialibus absolvere. Haec ergo referuntur ad antecedenter dicta de s. Communione, propter quae ratio fuit, cur et simplices sacerdotes nominarentur. Ergo non necessario intelligitur interdicta confessio venialium simplici sacerdoti. Et reipsa s. Alph. n. 543. fatetur, sententiam esse *communissimam*, quod *valide* absolvant, etiam post Innocentii XI. seu Congregationis Decretum.

"Ferraris v. 'Absolutio' art. 1. n. 62. scripserat, confessiones huiusmodi venialium apud simplicem sacerdotem esse *nullas et irritas* ex declaratione Benedicti XIV. in Const. 'Apostolica indulta' pag. 100. tom. 1.; sed id falso affirmari adventit adnotat eiusdem Ferraris ibid.; imo subdit, ex sententia Reiffenstuel, communiorum esse sententiam theologorum, quod iurisdictione sufficiens absolvendi valide a venialibus in ordinatione conferatur: licet ob plurima incommoda recte prohibitum sit, ne extra casum necessitatis hac facultate Sacerdotes utantur. Hoc certum est, sententiam de iurisdictione collata omnibus pro venialibus in ordinatione fere unanimiter et ceu certum tradi ab AA. consuevisse. Ita Bardi 'de Consec' disser. 4. cap. 17., et Io. Sanchez disp. 44. n. 34. Quae collatio non est putanda vi ipsius ordinationis fieri, sed per Ecclesiae concessionem."¹¹

ART. 100. Utrum Et Quomodo Efficacitas Hujus Sacramenti Pendeat A Ministro (In 4 Sent., dist. 18; q. 1, a. 3, q. 1; Suppl., q. 19, a. 5 et 6).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Efficacitas hujus sacramenti pendet a ministro ut a vera causa efficiendi instrumentali.

Probatum.

In tractatu De sacr. in gen., art. 33 (p. 429–431) probavimus ministrum cujuslibet sacramenti esse proprie dictam causam instrumentalem, et quidem physicam, gratiae sacramentalis, mediante confectione et applicatione sacramenti. Hoc autem peculiari ratione apparet in sacramentis sacerdotalibus (i.e. omnibus, exceptis Baptismo et Matrimonio), quae nempe confici non possunt nisi ab habente *ordinis potestatem*, consistentem in physico character; ex hoc enim sequitur ministrum influere modo potestativo, et quidem physice, frustra enim ei daretur peculiaris potestas, eaque physica, nisi per eam peculiariter influeret, et quidem physice.

Idipsum fortiori adhuc ratione apparet in hoc sacramento, et quidem

¹¹ Opus Theol. Morale, v. 5, n. 555, Prati, 1893, p. 276 sq.

dupliciter. Primo scilicet, quia potestati ordinis additur amplior *potestas judicialis*, qua ipsa potestas ordinis, aliter ac in Baptismo, determinatur ad agendum modo auctoritativo, utut adhuc instrumentali; ut enim ait Conc. Trid., “ab ipso [sacerdote] velut a iudice sententia pronuntiatur” (sess. 14, cap. 6); unde plene verificatur quod ait Pius V contra Baium “poenitentem vivificari ministerio sacerdotis absolutis” (Denz. 1058). Secundo, quia hoc sacramentum non consistit, sicut alia, in aliqua materia consecranda seu sanctificanda, sed in ipsis actibus poenitentis qui immediate sanctificantur per actum sacerdotis, ita ut “*tota vis sacramentalis consistat in ministro*”, ut ait S. Thomas (In 4 Sent., dist. 18, q. 1, a. 3, q. 1) et cum S. Doctore explicavimus in art. 96 (p. 561–563).

Conclusio 2. Efficacitas sacramenti pendet quidem ab intentione ministri, non ita tamen ut haec intentio possit coarctare vim absolutionis ad quaedam tantum peccata ac conferatur dimidiata absolutio.

Probat.

Intentio ministri quadrupliciter influit in efficacitatem hujus sacramenti: primo, quatenus generaliter absque intentione conficiendi *sacramentum*, omne sacramentum est invalidum; secundo, quatenus intentio ministri est quae reddit validam *absolutionem conditionatam*, eo quod in tali absolutione ipsa intentio secundum se procedat non conditionate sed absolute, ut explicatum est in art. 80 (tom. 3, p. 582 sqq.); tertio, quatenus absque intentione *absolutio* nequit esse actus judicialis; quarto, quatenus intentio est quae dirigit totam causam judicialem, seu examen dispositionum subjecti, prolationem sententiae et impositionem poenae seu satisfactionem cujus entitas et condiciones ex intentione ministri pensandae sunt.

Quidam, ut *Medina* (Cod. de confessione, q. 2) et *Aversa* (De Poenit., q. 12, sect. 4) apud Salmanticenses (Disp. 3, dub. 4, n. 196–200), docuerunt sacerdotem posse per intentionem conferre dimidiatam absolutionem, quidquid ceteroquin sit de quaestione an unum peccatum possit remitti sine alio (quod supra in art. 86 absolute negavimus). *Medina* quidem ait intentionem sacerdotis absolventis limitari ex ipsa natura sacramenti ad sola peccata confessa, non vero etiam ad omnia ex oblivione, tum quia nullus iudex fert sententiam in rem incognitam, tum quia, si absolutio ferretur etiam super peccata omnia ex oblivione, poenitens non teneretur haec subinde confiteri seu bis absolutioni subicere. *Aversa* vero ait validam esse absolutionem quae ex sacerdotis malitia dimidiata ab eo confertur, quatenus nempe inten-

dit absolvere tantum quaedam determinata peccat, inter ea quae poenitens confitetur; nam poenitens bona fide petit integram absolutionem ab omnibus peccatis, si ergo sacerdos malitiose limitat absolutionem, nequit poenitens cogi ad iterum confitenda peccata super quae jam cecidit absolutio, in casu quo poenitens subinde cognoverit fraudem confessarii.

Attamen, hae sententiae reiciendae sunt. Absolutio enim, ex objectiva et necessaria sacramenti intentione, cui non potest sacerdos subjectivam suam intentionem non conformare, fertur universaliter et indivise super omnia peccata quae actu sunt in conscientia poenitentis, sive sint manifestata sive omissa ex oblivione; non enim sacerdos absolvit peccata ut sic, sed peccata poenitentis, seu absolvit personam poenitentis a peccatis suis; unde ipsa etiam peccata omissa fiunt objectum absolutionis, etsi indirecte. Idque docetur ab ipso *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 5: "Reliqua . . . peccata, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: 'Ab occultis meis munda me, Domine' [Ps 18, 13]" (Denz. 900). Praeterea, absolutio non est valida, si non est reconciliativa seu remissiva, cum sit ipsa forma sacramenti remissivi et reconciliativi; jamvero, nequit fieri remissio unius peccati sine alio; ergo nequit unum peccatum sine alio absolvi; nec proinde dimidiata absolutio valida esse potest.

Ad *rationes Medinae* respondetur quod hoc iudicium fori interni, secus ac iudicium forense, fertur non tam in peccata allegata quam in peccatorem allegantem, vel, si placet, non tam in peccata allegata quam in conscientiam allegatam; unde cadit universaliter et indistincte super omnia quae de facto hunc hominem constituunt peccatorem, seu super omnia peccata quae de facto sunt in ejus conscientia, etsi quaedam oblivione tegantur. Ratio autem quare poenitens teneatur subinde omissa peccata accusare in alia confessione, non est quia nullatenus fuerint iudicata et absoluta, sed quia non fuerunt iudicata directe et homo tenetur omnia peccata singillatim ac directe subicere clavibus Ecclesiae, ut probavimus in art. 37, ubi de necessitate integrae confessionis. Ad rationem *Aversae* respondetur bonam fidem poenitentis facere non posse ut valida sit absolutio quae valida esse non potest, nec ceterum ea bona fides excusat poenitentem ab iterum confitendo peccata, quae nondum absoluta sunt.

Conclusio 3. Efficacitas hujus sacramenti non pendet a fide vel probitate ministri, nisi quatenus infidelis vel improbus minister privetur ab

Ecclesia ipsa potestate jurisdictionis, sine qua ipse nequit inamissibilem ordinis potestatem valide exercere.

Probatur prima pars ex dictis in tractatu De sacr. in gen., art. 39, ubi de independentia valoris sacramenti a fide et probitate ministri. Secunda vero pars sequitur ex dictis in art. praec., ubi de dependentia valoris absolutionis ab Ecclesiae voluntate et de collatione jurisdictionis sacramentalis ab ipsa Ecclesia.

Hac jurisdictione ab Ecclesia privantur omnes *excommunicati*¹² post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam (can. 873, § 3 et can. 2264), salva exceptione casus periculi mortis, in quo omnibus sacerdotibus delegatur potestas moribundos saltem valide absolventi a quibusvis peccatis et censuris (can. 882). De his confer S. Thomam, Suppl., q. 19, a. 5 et 6.

Disputant doctores utrum ministri Ecclesiae Schismaticae Orientalis retineant jurisdictionem (tum genericè tum peculiariter sacramentalem), quibusdam negantibus, ut *Thoma a Jesu* († 1609), *Ferraris* (Bibliotheca canonica, ad v. Schismaticus), *Fagnano*, *Lucarini* et *A. Straub*, pluribus vero, praesertim modernis, affirmantibus, ut *Verricelli*, *Petro Arcudio*, *Card. Albizzi*, *Brugère*¹³, *Boudinhon*¹⁴, *Ami du Clergé*¹⁵, *Lépiciér*¹⁶, *Deslandes*¹⁷, *Metz*¹⁸, *Congar*¹⁹. Quae sententia est longe probabilior; nam, etsi Orientales habendi sint ut vere Schismatici et, qua tales, excommunicati, juxta can. 2314, Ecclesia nunquam tulit in eos sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, adeoque non cadunt sub can. 873, § 3 et can. 2264, sed possunt considerari ut excommunicati tolerati, qui, juxta eosdem canones, non privantur jurisdictione.

ART. 101. Utrum Plures Ministri Possint Simul Eundem Poenitentem Absolvere, Ita Ut Idem Sacramentum Poenitentiae Proprie Concelebrent (Huc faciunt 3 p., q. 67, a. 6; q. 82, a. 2, ubi de concelebratione Baptismali et Eucharistica).

¹²Canon autem 2314 declarat: "Omnes a christiana fide *apostatae* et omnes et singuli *haeretici* aut *schismatici*, incurrunt ipso facto excommunicationem".

¹³De Ecclesia Christi, app. 16, p. 425.

¹⁴Primaute, schisme et juridiction, in Revue anglo-romaine, 1895, p. 348-357.

¹⁵1896, p. 1093; 1899, p. 376; 1912, p. 1077; 1914, p. 317; 1923, p. 760; 1927, p. 568.

¹⁶De Poenitentia, Romae, 1935, p. 297 sq.

¹⁷Les prêtres orthodoxes ont-ils la juridiction?, in Echos d'Orient, 1927, p. 385-395.

¹⁸Le clergé orthodoxe a-t-il la juridiction?, in Irenikon, 1928, p. 142-146.

¹⁹In Dict. Théol. Cath., Schisme, col. 1308-1310.

STATUS QUAESTIONIS

Tertia jam vice recurrit in theologia sacramentaria *quaestio de sic dicta CONCELEBRATIONE*, seu simultanea ejusdem sacramenti administratione per plures ministros. Eam enim jam discussimus quoad *Baptismum* in tractatu De Baptismo et Confirmatione (art. 14 de Baptismo, p. 177–180), ubi negavimus liceitatem et admisimus validitatem Baptismi collati a pluribus ministris, et quoad *Eucharistiam* in tractatu De Eucharistia (tom. 1, art. 41, p. 754–769), ubi admisimus tum validitatem tum liceitatem et usum eucharisticae concelebrationis. De simultanea administratione *Poenitentiae* generatim silent vel pauca admodum habent doctores, non excluso ipso *S. Thoma* qui tamen in *Summa Theologica* ad quaestiones de ministro et absolutione non pervenit, morte praeventus; agens ceteroquin de concelebratione Baptismi (3 p., q. 67, a. 6) et Eucharistiae (3 p., q. 82, a. 2), *S. Doctor* tradit principia ex quibus etiam praesens quaestio dirimi debet. *Suarez* rem breviter sed apte pertractat in sua Disp. 18, sect. 4, n. 4, agens de essentia et ritu hujus sacramenti. Primus, ut videtur, *Lugo* de hac re fusiori calamo scripsit in sua Disp. 13, sect. 7 per totam, dum agit de forma sacramenti; post ipsum, *Dicastillo*, Disp. 10, dub. 2, et *Salmanticenses*, in suo Commentario in 3 p., q. 84, a. 10 (ubi de iterabilitate sacr. Poenit.) rem fuse pertractant; inter modernos vix invenitur qui de hac re loquatur aut in ea immorari velit.

Quamvis, ex dictis de concelebratione Baptismi et Eucharistiae, facile prima fronte conici poterit quid etiam de simultanea sacramenti Poenitentiae administratione dicendum sit, negandam scilicet liceitatem et admittendam validitatem, tamen attente consideranti peculiarem indolem hujus sacramenti ejusque discrimen a duobus praedictis, non tam facile apparet in eo haberi posse proprie dictam concelebrationem seu simultaneam administrationem, ejusdem omnino sacramenti eidem personae. Baptismus enim nequit eidem personae administrari nisi semel, nec habet nisi unum indivisibilem effectum gratiae regenerativae; et similiter consecratio Eucharistica nequit cadere nisi semel et indivisibiliter super eandem materiam panis et vini, nec praeterea sacramentum Eucharistiae consistit in usu seu sanctificatione subjecti, sicut Baptismus ceteraque sacramenta. Sacramentum vero Poenitentiae consistit quidem in usu, non tamen alicujus corporalis materiae, sicut Baptismus, sed in actu poenitentis; potest pluries iterari, et quidem super eandem confessionem eademque peccata; habet pro effectu gratiam remissivam quae pluries secundum diversos gradus conferri potest. Ex quo videretur neganda proprie dicta concelebratio in hoc sacramento et admittenda potius sola materialis simultanea administra-

tio plurium sacramentorum, coalescentium ex pluribus (saltem formaliter) confessionibus et ex pluribus absolutionibus, a variis ministris collatis, vel ex una eademque confessione et pluribus absolutionibus.

Ex supradictis theologis qui hanc quaestionem aggrediuntur, omnes negant simultaneae absolutionis liceitatem (etiam Lugo, ut videtur) et admittunt validitatem, sed *Suarez* et *Salmanticenses* docent in casu non haberi nisi unum sacramentum, sicut in concelebratione Baptismali et Eucharistica, *Lugo* vero et *Dicastillo* volunt quandoque haberi plura sacramenta, ut in poenitente sui compote qui bona fide peteret absolvi distincte a pluribus simul sacerdotibus, quandoque vero unum, ut in casu moribundi sensibus destituti qui absolveretur simul a pluribus ministris concurrentibus (cf. verba Lugonis infra, p. 780 et 776), ideoque, ait Lugo (n. 173), "totum pendet ex intentione poenitentis", prout vult absolvi distincte a pluribus, vel tantum vult semel absolvi, quomodolibet id fiat.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Simultanea administratio sacramenti Poenitentiae, seu simultanea absolutio ejusdem poenitentis per plures sacerdotes, est per se valida, ita nempe quod omnes et singuli pronuntiantes formulam absolutionis super eandem confessionem vere absolvunt et vere conficiunt sacramentum.

Probatur ex eo quod nihil, *per se et ex parte uniuscujusque ministri*, obstat validitati sacramenti; habetur enim materia seu confessio, habetur etiam forma, habetur intentio absolvendi, nec aliunde deest in ipso poenitente intentio subiciendi suam confessionem unicuique ministro ejusque sententiae.

Nec obstat quod materia sit una, formae vero plures; nam materia seu confessio plurificatur virtualiter per respectum ad plures formas seu absolutiones, sicut fit etiam in successivis absolutionibus ejusdem confessionis per eundem sacerdotem, vel eorumdem saltem peccatorum per diversos sacerdotes; si enim eadem materia potest absolvi per successivas absolutiones, potest etiam absolvi per simultaneas absolutiones, cum ratio successionis vel simultaneitatis sit hic impertinens ad constitutionem sacramenti. Nec valet in contrarium instare adducendo exemplum formarum naturalium quae non possunt simul esse, sed tantum successive, in eadem materia; nam non est eadem ratio de formis compositorum artificialium, quale est sacramentum, et praeterea, ut probabitur contra Lugo in Concl. sequenti, plures absolutiones non concurrunt formaliter ut plures in

eandem confessionem ac si constituerent cum ea plura sacramenta, sed concurrunt formaliter ut unica forma unius sacramenti et ut una sententia unius iudicis.

Nec praeterea contra validitatem simultaneae absolutionis *obici potest* sive impossibilitas simul pronuntiandi ac terminandi plures formulas absolutionis, nam id impossibile non est, imo nec difficile si agatur de parvo numero absolventium; sive impossibilitas obtinendi eundem effectum ex pluribus causis totalibus ac independentibus, nam id impossibile non est ubi agatur de pluribus causis instrumentalibus, concurrentibus sub unica causa principali, ut explicatum est in tractatu De Eucharistia (tom. 1, p. 759 et 631; cf. *S. Thomam*, 3 p., q. 82, a. 2, ad 2 et 3; q. 67, a. 6, et *Comm. Cajetani* in h. l., n. 9 et 18).

Consulto diximus "*per se et ex parte ministrum*" nihil obstare validitati simultaneae administrationis; nam, cum haec administratio sit graviter illicita, ut probabitur in *Concl. 3*, potest *ex parte poenitentis*, id scientis, obstare mala dispositio seu sacrilegus accessus ad sacramentum, ex quo hoc invalidatur ob defectum requisitae attritionis (etiam in sententia eorum qui, ut Suarez, Lugo et Salmanticenses, admittunt sacramentum validum et informe); et in hoc habetur discrimen cum simultanea administratione Baptismi, quae nequit invalidari ab indispositione subjecti, cum ab hac nullatenus dependeat validitas hujus sacramenti. Ceterum, si poenitens bona fide petit simultaneam absolutionem, aut si agitur de moribundo sensibus destituto qui simul absolveretur a pluribus accedentibus sacerdotibus, simultanea administratio est valida.

Ad rem *SUAZES*: "Quoad hoc eadem est ratio de hoc sacramento, quae de baptismo, Eucharistia, etc. Possunt enim supra eandem confessionem simul cadere plures absolutiones a pluribus ministris prolatae; possunt, inquam, quantum spectat ad valorem sacramenti, quamvis non possit recte fieri, quia est contra morem universalis Ecclesiae, et contra convenientem usum hujus sacramenti; si tamen fiat, et aliud non obstat, validum erit sacramentum, ut suppono ex his quae infra de secreta confessione dicam. Non tamen erit multiplex, sed unum sacramentum, quia materia proxima est una, et absolutiones illae, licet materialiter sint plures concurrunt per modum unius, sicut in simili dixi de baptismo, et clarius est in Eucharistia. Unde a fortiori, etiamsi fingamus unam absolutionem cadere in plures confessiones eorundem peccatorum successive factas (simul enim fieri non possunt), erit unum sacramentum, quia illae confessiones valde materialiter sunt plures. moraliter vero est una confessio."²⁰

LUGO: "Non videtur dubium, quod absolutio utriusque esset valida, si uterque simul perficeret prolationem formae, et poenitens esset dispositus, quia utraque esset forma prolata a legitimo ministro super materiam debitam, et non esset major ratio, cur una absolutio haberet effectum, quam altera. Dixi tamen, si poenitens esset dispositus, quia cum ille modus accipiendi absolutionem a duobus, et con-

²⁰ De Poenitentia, disp. 18, sect. 4, n. 4, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 393.

fitendi simul utrique sit contra Ecclesiae consuetudinem, multi, quibus consentit Suarez in praesenti disp. VIII, sect. IV, n. 4, putant esse illicitum, et posse ex hac parte deficere dispositio necessaria in poenitente. Aliquando tamen cessat haec ratio, ut si moribundo, qui confessionem petiit, adveniant duo sacerdotes, et uterque illum sensibus destitutum absolvat; vel si in naufragio, aut incendio aliquis multis sacerdotibus praesentibus confiteatur, ut ab illis absolvatur, vel denique si bona fide id faceret existimans ita licere, in his enim, et similibus casibus locum potest habere haec quaestio, et tunc dicimus, utramque absolutionem concurrere ad gratiam sacramentalem, quia non est major ratio de una, quam de altera.

“Quod autem aliqui opponunt, repugnare duplicem causam adaequatam, qualis esset illa duplex absolutio, facile solvitur. Tum quia hae non sunt causae physicae, sed morales, ut suppono ex tractatu de sacramentis in genere: Tum quia licet singulae causae in actu primo essent sufficientes; de facto in actu secundo attemperaretur concursus unius propter praesentiam alterius, et causalitas, seu productio gratiae non esset duplex, sed unica adaequata procedens ab utraque causa; sicut quando de facto plures sacerdotes consecrant eandem hostiam: tum denique quia in nostro casu facilius dici posset, singulas absolutiones habere suum effectum diversum, ut videbimus.”²¹

Sedulo autem observa conditiones in quibus contingere possit valida administratio simultaneae absolutionis:

1. *Ex parte ministrorum* requiritur *primo* ut unusquisque proferat absolutionem, nec sufficit ut unus audiat confessionem, quasi ponens materiam, et alter pronuntiet absolutionem, seu ponat formam, sicut in ipsa concelebratione Baptismali non sufficit ut unus abluat et alter formulam pronuntiet (cf. tractatum De Baptismo, art. 14, p. 177); nam sacramentum consistit in materia simul et forma.

Secundo, requiritur ut forma absolutionis dicatur vel intendatur singulariter (Ego te absolvo, et non: Nos te absolvimus), quia, ut dictum est etiam quoad Baptismum (ibid., p. 178), minister sacramenti debet esse unus, quemadmodum ipse Christus, principalis agens, est unus, unde nequeunt ministri intendere absolvere collective.²²

Tertio requiritur ut ministri simul pronuntient ac terminent formam absolutionis, quia, secus, cum sacramentum illico operetur, ille solus absolutionem confert qui prius formulam terminat (cf. ibid., p. 178, et Tractatum De Eucharistia, tom. 1, p. 760 et 764 sq.). Nec ceteroquin dici potest alios subinde valide absolvere, non quidem ut concelebrantes sed successive eo quod eadem confessio possit subici pluribus successivis absolutionibus; nam, hic supponitur casus quo omnes ministri dirigant suam absolutionem in eandem individuum confessionem, a poenitente hic et nunc ad omnes ministros directam, unde absolutio ceterorum ministrorum cadit in materiam non amplius existentem, quippe quae munus suum absolvit, transiens in sacramentum confectum a ministro qui primus formam pronuntiavit. Ceterum pos-

²¹ De Poenitentia, disp. 13, sect. 7, n. 160, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 748 sq.

²² De hoc fuse disputat *Lugo*, Disp. 13, sect. 7, n. 176-190.

sunt alii ministri subinde iterato absolvere poenitentem, de novo subicientes peccata jam absoluta novae absolutioni, sed tunc sumus extra casum concelebrationis et habentur plura successiva sacramenta, tot quot sunt successivae absolutiones, reassumentes, ut ita dicatur, tanquam materiam novorum sacramentorum eandem confessionem quae supponitur moraliter perseverare et ad novas absolutiones ordinari.

Ad rem *Salmanticenses*: "Inquires cuinam illorum tribuenda sit absolutio, et consequenter Sacramenti collatio? Respondetur, quod illi, qui primo absolutionem terminavit; aliis enim nihil deferri debet, nec sua absolutione magis operati sunt, quam si ab illis non fuisset prolata. Et ratio est, quia forma Sacramentalis suppositis aliis requisitis operatur infallibiliter ad instar causae naturalis, quae applicata debitae materiae, illico introducit effectum: cum ergo in hypothese facta non sit nisi unica confessio, qui primo prolationem terminaverit, hic inducet absolutionis effectum; et consequenter huic tribuendum est Sacramentum, aliis perinde se habentibus, ac si non absolvissent. Si vero evenerit (quod raro fiet) ut omnes simul terminent verborum prolationem, quilibet eorum quantum est ex se absolveret, non tamen esset nisi unica formalis absolutio, ut de simul baptizantibus asseruit D. Thomas. 'Si autem' (verba sunt S. Doct.) 'omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent, aut aspergerent, etc., uterque quantum in se est, baptizaret. Nec traderent aliud, et aliud Sacramentum, sed Christus, qui est unus interius baptizans unum Sacramentum per utrumque conferret' ".²³

2. *Ex parte poenitentis* requiritur intentio, explicita vel implicita, confitendi pluribus ministris et a pluribus absolutionem accipiendi. Quod quidem accidere potest vel in homine mentis compote (intentio explicita) sed ignorante illiciteatate simultaneae absolutionis, quae ignorancia evacuat indispositionem subjecti et consequenter non obstat validitati sacramenti, vel in moribundo sensibus destituto (intentio implicita) qui censetur velle confiteri et absolvi indistincte a quibuslibet ministris, quomodolibet id fieri possit.

De hoc moribundi casu apte scribit *Lugo*: Si moribundo sensibus destituto, qui prius confessionem petiit, superveniant duo sacerdotes eumque simul absolvant, "uterque valide absolvit: quia poenitens, licet non petierit pluries absolvi, sed semel, voluit tamen absolvi, semel, sive ab uno, sive a pluribus semel absolventibus: ipse enim solum

²³ De Poenitentia, Comm. in 3 p., q. 84, a. 10, *Cursus Theol.*, t. 19, Parisiis, 1883, p. 357.

proposuit causam, et instituit iudicium eo modo, quo potuit: per illa autem petitionem absolutionis singuli sacerdotes acquisierunt jus, ut iudicarent et proferrent sententiam; dummodo non essent ab alio praeventi. Cum ergo uterque sacerdos sit iudex legitimus, et neuter ab altero sit praeventus, uterque potest valide iudicare, cum non inveniatur causam terminatam, sed pendentem, utraque absolutio erit valida, non tamen erit duplex sacramentum: quia non est duplex iudicium, sed idem terminatum simul per sententiam duorum iudicum: sicut hostia consecrata a duobus simul sacerdotibus, non esset duplex sacramentum simpliciter, sed unum sacramentum constitutum per duplicem formam, physice et materialiter, non formaliter, aut moraliter".²⁴

Conclusio 2. Simultaneae absolutiones, collatae uni poenitenti et super eandem confessionem, efficiunt unum tantum individuum sacramentum.

Probatur.

Ratio est *primo*, quia materia (seu tum confessio tum subjectum) est una, et omnes absolutiones, etsi materialiter plures, concurrunt super unam materiam (in Baptismali etiam concelebratione, etsi ablutiones sint plures, unificantur tamen in subjecto, nam una est persona quae pluribus abluatur); *secundo* et praecipue, quia, ut innuit *S. Thomas*, agens de ipsa concelebratione Baptismali, ipsa simultas formarum, seu absolutionum, facit ut omnes concurrant in unam significationem et in unam causalitatem, seu in unum signum gratiae actualiter collatae et in unum totale instrumentum gratiae, resultans ex pluribus partialibus instrumentis, per quae operatur unica virtus Christi agentis principalis, adeoque in unum sacramentum, quod nihil aliud est quam signum et causa gratiae (cf. tractatum De Eucharistia, tom. 1, p. 759 et 631).

Ad rem *S. Thomas*, 3 p., q. 67, a. 6: "Nec traderent aliud et aliud sacramentum [si plures simul baptizarent]; sed Christus, qui est unus interius baptizans, *unum sacramentum per utrumque conferret*" (cf. 3 p., q. 82, a. 2, ad 2 et 3, ubi est quaestio de concelebratione Eucharistica).

Obicit Lugo: "Hoc . . . argumentum [quoad secundam rationem] non videtur efficax . . . quia concreta accidentalia non petunt pluralitatem formae, ut multiplicentur, nam duo subjecta cum eadem albedine

²⁴Op. cit., n. 175, p. 753.

essent duo alba: ergo duo subjecta cum eadem significatione erunt duo signa".²⁵

Respondetur. Omne compositum petit pluralitatem formae ut multiplicetur, in eo ordine in quo multiplicatio fit. Duo alba habent eandem albedinem specificè, sed non eandem numerice, et sicut nonnisi numerice multiplicantur, ita nonnisi numericam formae multiplicationem requirunt. Duæ autem simultaneæ absolutiones ejusdem subjecti habent unicam individuam significationem et causalitatem, ut dictum est, desumptam ex unica individua causalitate Christi agentis principalis hic et nunc per duo instrumenta, et ideo sunt unicum individuum signum sacramentale.

Obicit secundo idem Lugo (quem sequitur *Dicastillo*): "Quidquid de baptismo dicatur, in nostro tamen casu [simultaneæ absolutionis] possunt esse aliquando duo sacramenta poenitentiae: *cum enim hoc sacramentum sit iudicium quoddam*, constans ex suis partibus, et sit ex sua institutione *multiplicabile super eisdem peccatis*, non apparet, cur non possit multiplicari in nostro casu, in quo iudex est diversus, et sententia diversa; quod enim potest opponi de unitate confessionis, et doloris, quæ est materia proxima, non obstat, quia infra dissequenti videbimus, eundem numero dolorem non retractatum, et moraliter perseverantem posse deservire ad plures absolutiones, et ad plura sacramenta poenitentiae. Confessio autem in nostro casu, licet physice, et materialiter videatur esse una, moraliter tamen, et virtualiter potest esse duplex: suppono enim, poenitentem voluisse confiteri utrique sacerdoti, et subjici utrique in hoc foro: nam si voluit uni soli confiteri, ab illo solo poterit valide absolvi, supposito ergo, quod utrique voluit confiteri, confessio illa fuit moraliter duplex: quia idem est dicere 'Confiteor vobis hoc peccatum', ac dicere, 'Confiteor tibi Petre', et 'confiteor etiam tibi Paule'; quo casu esset duplex confessio formaliter, et realiter. Sicut ergo illa forma: 'Ego vos absolvo', est virtualiter duplex, quia aequivalet his 'Ego te absolvo Petre', et, 'Ego te absolvo Paule': sic confessio illa copulativa, 'Confiteor vobis', erit duplex, et aequivalebit duabus confessionibus, quarum singulae fiant uni. Unde duplex confessio cum duplici absolutione sibi correspondente debet conflare duplex sacramentum diversum. Quamvis ergo de baptismo aliquis negaret, posse esse duplex sacramentum, eo quod baptismus non sit multiplicabilis, et reiterabilis ex sua institutione; de sacramento poenitentiae, quod multiplicabile, et reiterabile est, non debet id negari."²⁶

²⁵ De Poenitentia, disp. 13, sect. 7, n. 162, Disp. Schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 749.

²⁶ Ibid., n. 164, p. 749 sq.

Respondetur. Ex hoc quod Poenitentia sit iudicium quoddam, non sequitur quod simultanea ejus administratio sit multiplex sacramentum, tum quia ratio sacramenti excedit rationem iudicii, est enim instrumentum unius virtutis Christi quae potest per plura instrumenta hic et nunc indivisibiliter operari unum effectum, ut dictum est; tum quia, etiam in ratione iudicii, ministri operantur ut iudices instrumentales, iterum subordinati uni ac indivisibili iudicio Christi, per plura instrumenta judicialia principaliter iudicantis. Unicum igitur in simultanea absolutione habetur iudicium, quia unica est sententia principalis et unica causa discutienda, adeoque unum est sacramentum.

Similiter, ex hoc quod Poenitentia, aliter ac Baptismus, sit iterabilis ac possit in pluribus successivis sacramentis consistere, non sequitur quod simultanea ejus administratio sit plura sacramenta, praecise quia, ut dictum est, ipsa simultas absolutionum colligit varias absolutiones sub una ratione totalis instrumenti unius agentis principalis, hic et nunc per unicam virtutem indivisibiliter operantis, mediis pluribus instrumentis materialiter inter se distinctis.

Obicit tertio idem Lugo: "Non videtur negandum, posse aliquem, saltem si habeat solum *venialia, aut mortalia, a quibus jam antea fuit absolutus:* posse, inquam, confiteri seorsim duobus, faciendo cum illis confessionem generalem, eadem peccata dicendo hodie uni, et cras alteri, et postea finita confessione, accipere eadem die absolutionem ab utroque, mane ab uno, et vespere ab altero, et tunc futurum duplex sacramentum diversum: quod enim alteri etiam confiteatur, non impedit, quod huic etiam confiteri possit, et ab eodem absolvi.

"Finge ergo, finita confessione, utrumque sacerdotem reperiri in eodem loco, cur non posset poenitens ab utroque absolutionem petere ratione confessionis singulis factae? *cur ergo non posset uterque simul singuli in solidum absolvere, et diversum sacramentum conficere, sicut si successive absolverent?* Nam simultas, vel successio temporis per accidens videtur se habere: nec absolutio unius aufert potestatem ab altero, quia in hoc foro, etiam post unius sententiam, potest alius iudicare, et solus recursus ad ipsum facit, quod possit iudicare, et absolvere; cum ergo poenitens recurreret ad utrumque, uterque habet jus iudicandi, et proferendi sententiam, perinde ac si ad ipsum solum poenitens recurrisset.

"Idem ergo erit, quando simul utrique confitetur, quod enim seorsim illis confiteatur, vel uni coram altero: quod item aliis verbis unicuique, vel eisdem utrique, dicendo, recurro ad vos, confiteor vobis, etc. parum videtur referre; si tamen animum habet ad quemlibet recurrendi independentem ab altero, et ad singulos in solidum, sicut si seorsim recurreret, et singulis confiteretur.

“Unde consequenter infero, in illo casu *per utramque absolutionem conferri majorem gratiam, quam per unam solam*: quia non est, cur unum sacramentum impediatur a suo effectu producendo propter consortium alterius sacramenti: quare sicut absolutiones illae, si non simul, sed successive praestarentur, singulae darent effectum suum, et utraque conferret plus gratiae, quam una sola: sic simul exhibitae dabunt eundem effectum, quem darent successive, quia vere exercentur duo judicia, et proferuntur duae sententiae, quarum quaelibet debet habere effectum diversum.”²⁷

Respondetur. Ipsa simultas absolutionum nequaquam per accidens se habet in casu, quod attinet ad unitatem vel pluralitatem sacramenti; nam, ut dictum est, ratione simultatis plures absolutiones fiunt unicum instrumentum totale unius virtutis principalis agentis, indivisibiliter operantis unum effectum. Nec ceteroquin ipsa dualitas materiae, seu dimidiatae confessionis peccatorum venialium aut mortalium jam confessorum, sufficit ad multiplicandum sacramentum; nam materia principaliter et essentialiter unica manet, tum quia in hoc sacramento non tam agitur de absolvendis peccatis quam de absolvendo peccatore, tum quia omnia peccata conveniunt in unicam rationem offensae Dei, quam remove principaliter intendit sacramentum.

Ceterum, si concederetur quod in casu dimidiatae confessionis peccatorum venialium, aut mortalium jam confessorum, habentur plura sacramenta, non haberetur proprie dicta concelebratio, seu administratio ejusdem sacramenti per plures ministros, sed tantum materialis quaedam simultas plurium sacramentorum inter se distinctorum, coalescentium ex partialibus confessionibus et ex distinctis absolutionibus.

Praeterea, in hoc casu idem poenitens non perciperet tot gratiae effectus quot susciperet sacramenta seu absolutiones, ut male *infert Lugo*, sed unum tantum effectum, eo quod omnia illa sacramenta concurrerent in unam eandemque causalitatem, quae, unite ac indivisibiliter, descendit a Christo principaliter agente per plura instrumenta, et consequenter concurrerent in unum eundemque effectum, qui nequit bis simul causari. Nec refert quod plura habeantur sacramenta, quorum unumquodque est per se solum sufficiens ad causandum effectum; nam, ob simultatem causalitatis, fit ut unicus effectus procedat a pluribus sacramentis ut a pluribus causis totalibus, secundum quod sunt plura instrumenta unius causae principalis, actu et indivisibiliter operantis, ut dictum est in tractatu De Eucharistia (tom. 1, p. 631), de pluribus hostiis in eadem communione simul acceptis.

²⁷ *Ibid.*, n. 165 sq., p. 750.

Conclusio 3. Simultanea absolutio ejusdem poenitentis per plures sacerdotes est illicita.

Probatur iisdem fere rationibus quibus in tractatu De Baptismo (art. 14, p. 179) ostendimus illicetatem simultaneae administrationis illius sacramenti.

Primo enim, simultanea absolutio ejusdem poenitentis per plures sacerdotes est *contra morem universalis Ecclesiae*. Unde illicite adhiberetur, juxta *Conc. Trid.*, sess. 7, can. 13: "Si quis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari posse: A. S." (Denz. 856). Frustra autem hic adduceretur reconciliativa impositio manuum facta ad modum unius "ab episcopo et clero", de qua non semel loquitur *Cyprianus* (cf. supra, art. 98, p. 648); nam, etiam supposito quod ibi agatur de ipsa absoluteione sacramentali et non tantum de quadam caeremoniali absoluteione data ad finem publicae poenitentiae, impositio manuum, quatenus refertur ad clerum, intelligenda est non sacramentalis sed mere caeremonialis (qualis est impositio manuum quae a pluribus praesentibus sacerdotibus fit in ordinatione presbyterorum), ut suadet vel ipsa vox "clerus" quae verisimiliter includit etiam diaconos, qui sacramentaliter absolvi nequeunt.

Secundo, talis simultanea administratio ut illicita habetur a theologis qui de ea loquuntur, nominatim Suarez, Lugo et Salmanticensibus.

Tertio, ea non convenit *judiciali indoli* hujus sacramenti. Nam non convenit plures iudices eandem causam simul suscipere iudicandam, nisi forte iudicium collegialiter fiat, quod tamen, ut diximus supra (p. 777), repugnat rationi ministri Christi.

Quarto, idem modus administrationis non convenit rationi ministri Christi, etsi tamen non sit repugnans sicut est collegialis absolutio. Nam, sicut unus est Christus agens principale in sacramento et iudex principalis in absolvendo, ita convenit ut unus tantum sit, in unoquoque iudicio poenitentiali, minister qui Christum repraesentet et instrumentum per quod Christus operetur.

Nec valet obicere licetatem *concelebrationis Eucharisticae*. Nam, ut jam observatum est in tractatu De Baptismo (art. 14, p. 179), non est paritas in hoc inter Poenitentiam et Eucharistiam, sed potius inter Poenitentiam et Baptismum. Eucharistica enim concelebratio

est secundum morem Ecclesiae, commendatur ipso exemplo Christi, et convenit indoli illius sacramenti, prout est sacramentum unitatis ecclesiasticae quae maxime elucet in ipsa unitate omnium sacerdotum in sacerdotio Christi.

Item non valet obicere licitatem concelebrationis *Extremae Uncionis et Ordinis*. Nam etsi Poenitentia conveniat cum his in ratione sacramenti sacerdotalis, cujus nempe minister nequit esse laicus cuique proinde generice loquendo conveniret concelebratio tanquam signum unitatis ministrorum in sacerdotio Christi, tamen differt ab eis in sua specifica indole judiciali, cui, ut dictum est, non convenit simultanea plurium administratio. Adde quod concelebratio duorum illorum sacramentorum est secundum morem Ecclesiae.

Ceterum, etsi simultanea absolutio sit illicita, potest adesse casus in quo, ob inadvertentiam seu nescientiam ministrorum, absque ulla culpa ab eis ponatur. Fingi enim potest "contingentia instantis periculi, vel incendii, vel naufragii, aut alterius similis, in quo positus homo absolutionem enixe flagitet, audientibus pluribus Sacerdotibus, qui cito accurrere possint ad illi spiritualiter media absolutione subveniendum. Et quidem . . . contingere valet . . . ut [sacerdotes] se invicem lateant, et ignorent, sed quod unus v. gr. ex una parte sit, et alius ex alia, interposito obstaculo, ne se videant, cum tamen prope, et coram clamante sint . . . [Tunc] fatemur posse, imo et teneri poenitentem, seu confitentem absolvere, etsi simul contingat verba proferri: tunc enim neuter illorum scit absolutionem alterius, sed operantur ut veri ministri Christi impendendo absolutionem legitime petenti, ut supponitur. Et tantum abest quod injuriam irrogent Sacramento, quod potius accersendi, et puniendi forent, si in eo casu non absolverent."²⁵

ART. 102. Utrum Sacerdos Variis Pollere Debeat Dotibus Variisque Satisfacere Obligationibus Ut Licite Ac Convenienter Hoc Sacramentum Administret.

CONCLUSIO *affirmativa*

Explicatur.

Quae hucusque diximus respiciunt praecipue validam administrationem Poenitentiae. Ceterum, ad licitam et convenientem administrationem, plures ministro competunt sive dotes sive obligationes

²⁵ *Salmanticenses*, De Poenitentia, Comm. in 3 p., q. 84, a. 10, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 360.

proprie dictae, quae (si excipiantur obligationes imponendi satisfactionem et servandi sigillum, de quibus fuse egimus in art. 73 et 44) peculiare momentum, dogmaticum aut historicum, non habent, ac proinde Moralibus Theologis incumbit eas discernere et explicare.²⁹

Eae obligationes fundantur in variis muneribus quae in confessario distingui solent, praecipue in duobus fundamentalibus muneribus *judicis et medici* (quidam addunt munus doctoris; alii etiam munus patris), juxta *S. Thomam*, In 4 Sent., dist. 19 circa finem (Expositio textus): "Sacerdos debet perscrutare conscientiam peccatoris in confessione quasi medicus vulnus, et judex causam", *Catechismus Conc. Trid.* (pars 2, c. 5, n. 56), *Rituale Romanum* (t. 3, c. 1, n. 3) et *Codicem J. C.*, can. 888, § 1: "Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se *judicis pariter et medici* personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat".

Dividi solent in triplex caput, juxta ordinem administrationis:

1. *Obligationes antecedentes* confessionem, seu potius *dotes* requisitae in confessario. Tres numerantur: *scientia, prudentia, sanctitas*.

2. *Obligationes concomitantes* (quae magis directe referuntur ad munera *judicis et medici*). Quatuor numerari possunt, juxta quatuor partes sacramenti, scilicet obligatio interrogandi seu procurandi integritatem *confessionis*; obligatio disponendi ad validitatem et fructum sacramenti, seu procurandi sufficientem *contritionem*; obligatio imponendi *satisfactionem*; obligatio absolvendi dignos et denegandi *absolutionem* indispositis.

3. *Obligationes subsequentes*. Duae numerantur: obligatio *reparandi defectus* admissos in administratione, necnon damna inde consequentia tam pro poenitente quam pro tertio; obligatio servandi *sigillum sacramentale*.

²⁹ Inter antiquiores confer *Suarez*, Disp. 28. 32. 33, *Lugo*, Disp. 21. 22. 23, *Billuart*, Diss. 6, a. 9-10; inter modernos, *Ortolan*, in Dict. Théol. Cath., Confession (Questions morales et pratiques), col. 942-953, *Cappello*, n. 463 sqq., *Merkelbach*, n. 600 sqq., *Aertnys-Damen*, n. 433 sqq.

CAPUT X

DE GENERALI POTESTATE CLAVIUM

Absolutis jam his quae pertinent ad ipsam essentiam Poenitentiae, reliquum est ut in hoc et duobus sequentibus capitibus agamus *DE CONNEXIS CUM HOC SACRAMENTO*, scilicet de *potestate clavium largiori sensu accepta*, de *Indulgentiis* et de *Caeremoniis*, brevier quidem resumpto sermone de ipsa potestate clavis sacramentalis, tanquam ligamine hujus partis cum toto tractatu.

Quamvis potestas clavium intelligi soleat, in sensu stricto, sacramentalis ipsa potestas remittendi vel retinendi peccata, utpote principalis, reipsa tamen vox et conceptus latius patet in usu ecclesiastico ac traditionali; complectitur quippe duplicem etiam cognatam et secundariam potestatem ferendi *Excommunicationem* et concedendi *Indulgentias*. Haec enim tria includuntur in "clavibus regni coelorum", quas Christus tradidit Petro, et in potestate ligandi atque solvendi quam divinus Institutor concessit Ecclesiae in persona Petri et aliorum Apostolorum.

In praesenti capite agemus de ipsa generali notione potestatis clavis (art. 103), de discrimine sacramentalis potestatis clavium tum ab aliis duabus clavium potestatibus ferendi *Excommunicationem* et concedendi *Indulgentias*, tum a mera potestate forensi (art. 104), et de potestate ferendi *Excommunicationem* (art. 105), remissa quaestione de *Indulgentiis* ad sequens Caput XI, ob peculiare ejus momentum et materiae amplitudinem.

S. *Thomas* expendit totam materiam de potestate clavium in Suppl., q. 17–27, et quidem in q. 17–20 agit de potestate sacramentali (ubi admiscet quaestiones de effectu absolutionis et de ministro sacramenti, quas jam tractaverat sub alio aspectu in q. 8 et 10, ubi de ministro et effectu confessionis, quasque ordo materiae nos coegit superius expendere in Cap. VIII et IX), in q. 21–24 agit de *Excommunicatione*, in q. 25–27 agit de *Indulgentiis*.

ART. 103. Utrum Potestas Clavium Recte Definiatur: Potestas Ligandi Atque Solvendi, Qua Ecclesiasticus Judex Dignos Recipere,

Indignos Excludere Debet A Regno Coelorum (Suppl., q. 17; q. 19, a. 3; q. 22, a. 1; q. 37, a. 5, ad 2; C. Gent. 4, 72; In Matth., c. 16, vers. 19).

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur.

1. DEFINITIO NOMINALIS.

Deducta metaphora ex materiali instrumento quo ostium aperitur, vox "clavis", in usu tam profano quam sacro, assumpta est ad designandum dominium et auctoritatem. Ille, dominus domus aut rector civitatis habebatur, apud quem claves servabantur; mulieri, noviter nuptae, clavis domus tradebatur in signum possessionis ac matrisfamilias dignitatis; victoribus solebant claves civitatum in signum subjectionis tradi. In *Is. 22, 22* de Eliacim, in ministerium electo, dicit Dominus: "Et dabo *clavem domus David* super umerum ejus; et aperiet, et non erit qui claudat; et claudet et non erit qui aperiat." In *Apocalypsi* bis *clavis inferni* tribuitur ministris irae Dei, i.e. stellae et angelo: *9, 1*: "Vidi stellam de caelo cecidisse in terram, et data est ei clavis putei abyssi"; *20, 1*: "Vidi angelum praedicientem de caelo, habentem *clavem abyssi*"; bis vero clavis praedicentem de *potestate Christi*, tum in mortem et abyssum, tum generice: *1, 17 sq.*: "Ego sum primus et novissimus . . . et habeo claves mortis et abyssi", *3, 7*: "Haec dicit sanctus et verus, qui habet *clavem David*, qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit". In *Luc. 11, 52* Christus loquitur de "*clavi scientiae*": "Vae vobis legis peritis, quia tulistis *clavem scientiae*: ipsi non introistis et eos qui introibant prohibuistis."

In *verbis promissionis* Christus confert Petro "*claves regni caelorum*" cujus vim immediate explicat per potestatem ligandi atque solvendi (Matth. 16, 19), collatam etiam aliis Apostolis eorumque successoribus (Matth. 18, 18), quam subinde in *verbis institutionis* (Joan. 20, 23) magis determinat ad sensum potestatis remittendi ac retinendi peccata. Nomen igitur "potestas clavium" est in ipso Evangelio fundata; ratio ejus est quia, per potestatem a Christo Ecclesiae collatam, aperitur vel clauditur hominibus regnum coelorum, auferendo vel secus impedimenta quae prohibent ab ingressu illius regni. S. Thomas eam appellat "clavis" (Suppl., q. 17, a. 1 et 2, passim), "clavis Ecclesiae" (a. 1, corp. et ad 1), "potestas clavium" (a. 2, ob. 3); expressionem vero "clavis inferni" S. Doctor non simpliciter concedit (a. 1, ad 3). Etiam in documentis Ecclesiae similes voces recurrit; ita *Conc. Constantiense* loquitur de "clavibus"

(Denz. 634) et *Conc. Trid.* nominat "claves" ("finis clavium", "virtus clavium"), "claves Ecclesiae datae" (Denz. 925), "claves sacerdotum" (Denz. 905), "clavium ministerium" (Denz. 902).

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 17, a. 1*: "In corporalibus dicitur clavis instrumentum quo ostium aperitur. Regni autem ostium nobis per peccatum clauditur et quantum ad maculam, et quantum ad reatum poenae. Et ideo potestas qua tale obstaculum removetur, dicitur *clavis*. Haec autem potestas est in divina Trinitate per auctoritatem; et ideo dicitur a quibusdam quod habet *clavem auctoritatis*. Sed in Christo homine fuit haec potestas ad removendum praedictum obstaculum per meritum passionis, quae etiam dicitur januam aperire; et ideo dicitur habere secundum quosdam *claves excellentiae*. Et quia ex latere Christi dormientis in cruce sacramenta fluxerunt, quibus Ecclesia fabricatur, ideo in sacramentis Ecclesiae efficacia passionis manet. Et propter hoc etiam ministris Ecclesiae, qui sunt dispensatores sacramentorum, potestas aliqua ad praedictum obstaculum removendum est collata, non propria, sed virtute divina et passionis Christi: et haec potestas metaphorice *clavis Ecclesiae* dicitur, quae est *clavis ministerii*" (cf. In Matth. c. 16, ad v. 19; *Bonaventuram*, In 4 Sent., pars 1, a. 1, q. 1).

Ibid., ad 1: "Ostium caeli, quantum est de se, semper est apertum; sed alicui clausum dicitur propter impedimentum intrandi in caelum, quod in ipso est. Impedimentum autem totius humanae naturae ex peccato primi hominis consecutum, per passionem Christi amotum est; et ideo Joannes post passionem vidit in caelo ostium apertum [Apoc. 4, 1]. Sed adhuc quotidie alicui manet clausum propter peccatum originale quod contraxit, vel actuale quod commisit; et propter hoc indigemus sacramentis et *clavibus Ecclesiae*."

Ibid., ad 3: "*Clavis inferni*, qua aperitur et clauditur, est potestas gratiam conferendi, per quam homini aperitur infernus, ut de peccato educatur, quod est inferni porta; et clauditur, ne ultra homo in peccatum labatur gratia sustentatus. Potestas autem gratiam conferendi solius Dei est; et ideo clavem inferni sibi soli retinuit. Sed clavis inferni est potestas etiam dimittendi reatum poenae temporalis qui manet, per quem homo a regno prohibetur. Et ideo magis potest homini dari clavis regni quam clavis inferni; non enim idem sunt, ut ex dictis patet. Aliquis enim de inferno educitur per remissionem aeternae poenae, qui non statim in regnum introducitur propter reatum temporalis poenae, qui manet. Vel dicendum (ut quidam dicunt) quod *cadem est clavis inferni et caeli*, quia ex hoc ipso quod alicui aperitur unum, clauditur alterum, sed denominatur a digniori."

2. DEFINITIO REALIS.

S. Thomas hanc tradit definitionem potestatis clavis: *Potestas ligandi et solvendi, qua ecclesiasticus iudex dignos recipere, indignos excludere debet a regno coelorum* (Suppl., q. 17, a. 2, ob. 1).

Hanc definitionem S. Doctor sumit ex Petro Lombardo, qui eam accipit ex Glossa ordinaria in Hieronymum in h. l. *Petrus Lombardus*, Sent., l. 4, dist. 18, n. 2, ait: "Claves istae non sunt corporales, sed spirituales, scilicet discernendi scientia, et potentia iudicandi, id est, ligandi et solvendi; qua dignos recipere, et indignos debet excludere a regno ecclesiasticus iudex, qui sicut habet jus ligandi, ita solvendi" (M.L. 192, 885). *Beda*, In Matth. (16, 19), l. 3, c. 16: "Et tibi dabo claves regni caelorum, id est, discernendi scientiam potentiamque, qua dignos debeas in regnum recipere, et indignos secludere" (M.L. 92, 79). *Hieronymus*, In Matth. (16, 19), l. 3, c. 16, cit. supra in p. 633: "Alligat, vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii: sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietatem, scit qui ligandus sit, quive solvendus" (M.L. 26, 122).

S. Thomas aptitudinem illius definitionis sic ostendit: "Secundum Philosophum [De anima, l. 2], 'potentiae per actus definiuntur'. Unde cum clavis sit potentia quaedam, oportet quod per actum suum definiatur, et quod in actu objectum exprimitur, a quo speciem recipit actus, et modus agendi, ex quo apparet potentia ordinata. Actus autem potestatis spiritualis non est ut caelum aperiatur absolute, quia iam apertum est, ut dictum est (art. praec. ad 1), sed ut quantum ad hunc aperiatur; quod quidem ordinate fieri non potest, nisi ejus idoneitate, cui aperiendum est caelum, pensata. Et ideo in praedicta definitione clavis ponitur genus, scilicet 'potestas'; et subjectum potestatis, scilicet 'iudex ecclesiasticus'; et actus, scilicet 'excludere' et 'recipere'; secundum duos actus materialis clavis, qui sunt aperire et claudere; cujus objectum tangitur in hoc quod dicit, 'a regno'; modus autem in hoc quod dicit, 'dignos' et 'indignos'; nam dignitas et indignitas in illis in quos actus exercetur, pensatur" (*ibid.*, in corp.).

3. DIVISIO.

Ut omittamus impropriam acceptionem potestatis clavium, dictae de qualibet Ecclesiae potestate¹ (magisterii, jurisdictionis et ordinis), quam Christus in Luc. 11, 52, tribuit ipsis legis doctoribus ("Tulistis clavem scientiae"); iuxta modum loquendi Rabbiorum qui verba "solvere et ligare" intelligebant de authentica interpretatione legis, quae quidem quammaxime competit magisterio Ecclesiae), *proprie*

¹Ad hanc impropriam et latiore potestatem clavium seu potestatem ligandi atque

dicta clavium potestas, intellecta de potestate removendi vel secus, ea quae prohibent ingressum in regnum coelorum, duplex est: alia nempe *sacramentalis*, principalis et stricte dicta, qua removetur vel retinetur praecipuum ac immediatum impedimentum illius ingressus, scilicet peccatum; alia *non sacramentalis*, secundaria et late dicta, qua removetur vel retinetur secundarium ac remotum impedimentum, scilicet poena peccati (potestas concedendi Indulgentias) vel exclusio ab ecclesiastica unitate (potestas Excommunicationis).

POTESTAS CLAVIUM SACRAMENTALIS, quam S. Thomas appellat "clavem ministerii" vel "clavem ordinis" (q. 17, a. 1; q. 19, a. 3; q. 22, a. 1, ad 1), quaeque complectitur utramque potestate, ordinis et jurisdictionis, duplex est: Alia nempe est "*clavis scientiae*" (nomen ducens ex Luc. 11, 52: "Tulistis clavem scientiae"), quae respicit actus poenitentis (confessionem, contritionem, propositum satisfactionis) et consistit non ipsa scientia speculativa in sacerdote praerequisita, ut quidam dixerunt cum *Petro Lombardo* (quem refutat S. Thomas), sed in ipso auctoritativo iudicio de sufficientia dispositionis in poenitente, unde vocatur a S. Thoma "scientia discernendi" (q. 17, a. 3, ob. 4; cf. C. Gent. 4, 72), "auctoritas actum scientiae exercendi" (ibid., ad 2), "auctoritas discernendi" (Comm. In Matth., c. 16, ad v. 19), "auctoritas cognoscendi de culpa" (C. Gent. 4, 72). Alia est "*clavis potentiae*", cujus actus est ipsa absolutio aut denegatio absolutionis, unde a S. Thoma vocatur "potentia iudicandi" (q. 17, a. 3, ad 4) vel "potentia ligandi et solvendi" (C. Gent. 4, 72).

Ad hanc clavem reducendum est jus Ecclesiae *conferendi sacramentalem jurisdictionem* ministris, ut possint uti sua potestate ordinis, necnon eam certis limitibus circumscribendi seu *reservandi* (reservatio casuum), de qua dictum est in art. 99. Etsi enim haec Ecclesiae

solvendi, pertinet potestas apponendi impedimenta Matrimonio, solvendi Matrimonium ratum et non consummatum, privilegii Paulini, solvendi ab obligatione voti, necnon mutandi seu determinandi materiam et formam sacramentorum (si talis potestas cum quibusdam theologis admittatur).

De hac latiori acceptione hujusmodi potestatis, quae non raro occurrit in monumentis ecclesiasticae Traditionis, haec observat *Gallier*: "*Ligare et solvere*" non significat de se et directe 'retinere' tantum et 'dimittere peccata'; formula de se multo latius patet nec plene intellegitur significare etiam potestatem dimittendi peccata nisi quia aliunde scitur hujusmodi potestatem concessam esse a Christo. Nec tunc re vera [i.e. in Matth. 16, 19 et 18, 18], sed post resurrectionem, Ecclesia docet institutum esse 'praecipue' sacramentum poenitentiae (Trident. XIV. 1). Attamen, ex antiquissimo usu et traditione in Ecclesia, potestas retinendi et dimittendi peccata denominata est ex potestate ligandi et solvendi atque, ratione verbi ad Petrum, vocatur 'potestas clavium'. Is ergo sensus est ex usu restrictus. Hoc non obstante, formula 'ligare et solvere' diu servavit in lingua ecclesiastica *sensum valde latiore* quem ex usu semitico prae se ferebat, scilicet rigidum et strictum aut e contra benignum et facilem se habere in interpretando aut iudicando, non tantum doctrinas et leges, sed etiam hominum actiones et mores. Quod ne memoria excidat, ubi discernendum venit num certis in textibus agatur de potestate proprie dicta remittendi peccata" (De Poenitentia, n. 132, Parisiis, 1931, p. 88 sq.).

potestas non sit directe ipsa clavis, tamen est id a quo clavis partialiter dependet ac partialiter confertur, ac ita reducitur ad clavem tanquam ejus principium et fundamentum.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 17, a. 3*: "In omni actu qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo sunt necessaria ei qui debet actum illum exercere, scilicet iudicium de idoneitate recipientis, et expletio actus. Et ideo etiam in actu justitiae, per quem redditur alicui hoc quo dignus est, oportet esse iudicium quo discernatur an iste sit dignus et ipsa redditio; et ad utrumque horum auctoritas quaedam sive potestas exigitur. Non enim dare possumus nisi quod in potestate nostra habemus; nec iudicium dici potest, nisi vim coactivam habeat, eo quod iudicium ad unum jam terminatur; quae quidem determinatio in speculativis fit per virtutem primorum principiorum, quibus resisti non potest et in rebus practicis per vim imperativam in iudicante existentem.

"Et quia actus clavis requirit idoneitatem in eo in quem exercetur, quia recipit per clavem iudex ecclesiasticus dignos, et excludit indignos, ut ex dicta definitione patet (art. praec., arg. 1), ideo indiget iudicio discretionis, quo idoneitatem iudicet, et ipso receptionis actu; et ad utrumque horum potestas quaedam sive auctoritas requiritur. Et secundum hoc distinguuntur duae claves; quarum una pertinet ad iudicium de idoneitate ejus qui absolvendus est; et alia ad ipsam absolutionem. *Et haec duae claves non distinguuntur in essentia auctoritatis*, quia utrumque ex officio eis competit; sed ex comparatione ad actus, quorum unus alium praesupponit."

Ibid., ad 2: "*Circa clavem scientiae duplex est opinio*: quidam enim dixerunt quod scientia, secundum quod est habitus acquisitus vel infusus, dicitur hic clavis, et quod non est principalis clavis, sed in ordine ad aliam clavem dicitur clavis; et ideo quando est sine alia clavi, non dicitur clavis; sicut in viro litterato, qui non est sacerdos. Et licet hac clavi quandoque aliqui sacerdotes careant, quia neque habent scientiam acquisitam, neque infusam, qua absolvere et ligare possint, tamen quandoque industria naturali ad hoc utuntur, quae secundum eos *clavicula* dicitur, et sic scientia quamvis cum ordine non tradatur, traditur tamen cum ordine, quod sit clavis id quod prius non erat. Et haec videtur *opinio Magistri* fuisse.

"Sed hoc non videtur verbis Evangelii concordare, quae claves Petro dandas promittunt, et ita non solum una, sed duae in ordine dantur. Et propter hoc alia opinio est, quod scientia quae est habitus, non est clavis, sed *auctoritas actus scientiae exercendi; quae quandoque sine scientia est, quandoque autem scientia sine ipsa*; sicut patet etiam in

judiciis saecularibus: aliquis enim iudex saecularis habet auctoritatem iudicandi, qui non habet juris scientiam; et aliquis e contrario habet juris scientiam, qui non habet auctoritatem iudicandi. Et quia actus iudicii, ad quem aliquis ex auctoritate suscepta obligatur, non autem ex scientiae habitu, sine utroque bene fieri non potest; ideo auctoritas iudicandi, quae clavis est scientiae, sine scientia non potest sine peccato accipi, sed scientia sine auctoritate sine peccato haberi potest."

POTESTAS CLAVIUM NON SACRAMENTALIS dividitur in duas potestates, et quidem essentialiter distinctas: Alia est *potestas Indulgentiarum*, quae datur in beneficium, i.e. ad removendam poenam temporalem pro peccatis debitam ac ideo ad complendum, ut ita dicatur, effectum clavis sacramentalis (cf. infra, art. 109, p. 945); alia est *potestas Excommunicationis* (et consequentis absolutionis), quam S. Thomas (q. 19, a. 3; q. 22, a. 1, corp. et ad 1 et 2) appellat "clavis jurisdictionis in foro causarum seu judiciali" (ubi forum causarum sonat forum externum ac contentiosum, et iurisdictio intelligitur alia ab ea quae includitur in clavi sacramentali) quaeque datur in poenam.

De hac ultima scribit *Petrus Lombardus*, Sent., l. 4, dist. 18, n. 7: "Est et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem geritur, dum aliquis secundum canonicam disciplinam tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti, et satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiae a loco orationis, et sacramentorum communione, et fidelium consortio praescinditur, ut erubescat, et pudore sceleris, conversus poeniteat, 'ut' sic 'spiritus' ejus 'salvus sit', 1. Cor. 5. Quod si poenitentiam profitens resipuerit, negatae communioni admittitur, et Ecclesiae reconciliatur. Haec est autem Ecclesiae anathematizatio; hanc poenam illis qui digne percelluntur, infligit, quia gratia Dei et protectio illius amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, ut sit eis liberum ruere in interitum peccati, in quos etiam major diablo saeviendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiae, et benedictionum ac meritorum suffragia, eis nequaquam suffragari putantur" (M.L. 192, 887).

S. Thomas, Suppl., q. 19, a. 3: "Clavis est duplex: una quae se extendit ad ipsum caelum immediate, removendo impedimenta introitus in caelum per remissionem peccati, et haec vocatur clavis ordinis; et hanc soli sacerdotes habent, quia ipsi soli ordinantur populo in his quae directe sunt ad Deum. *Alia clavis est quae non directe se extendit ad ipsum caelum, sed mediante militante Ecclesia*, per quam aliquis ad caelum vadit, dum per eam aliquis excluditur vel admittitur ad consortium Ecclesiae militantis, per excommunicationem et absolu-

tionem; et haec vocatur clavis jurisdictionis in foro causarum: . . . Sed non proprie dicitur clavis caeli, sed quaedam dispositio ad ipsum.”

Suppl., q. 22, a. 1: “In foro conscientiae causa agitur inter hominem et Deum; in foro autem exterioris iudicii causa agitur hominis ad hominem. Et ideo absolutio vel ligatio quae unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum poenitentiae; sed illa quae hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet.”

Ibid., ad 1: “Excommunicatio non est actus clavis directe, sed magis respectu exterioris iudicii. Sed sententia excommunicationis, quamvis exteriori iudicio promulgetur, quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni, secundum quod Ecclesia militans est via ad triumphantem; ideo etiam talis jurisdictio, per quam homo excommunicare potest, *clavis potest dici*. Et secundum hoc a quibusdam distinguitur, quod est clavis ordinis, quam omnes sacerdotes habent; et clavis jurisdictionis in foro iudiciali, quam habent soli iudices exterioris fori. Utamque tamen Deus Petro contulit, et ab ipso in alios descendit, qui utramvis habent.”

4. *DISTINCTIO.*

Scotus duo docet, scilicet potestatem clavium (sacramentalem) distingui realiter et quoad essentiam a caractere sacerdotali, et similiter clavem potentiae et clavem scientiae distingui inter se realiter et quoad essentiam.

Ad rem ipse: “Dicunt quidam, quod istae claves sunt idem cum caractere Sacerdotali, et tunc esset facile videre, quomodo conferuntur cuilibet Sacerdoti in ejus ordinatione, sicut et characteres. Sed contra arguitur sic: illae sunt distinctae potestates, quarum una potest esse sine alia; sed potestas conficiendi corpus Christi, sive character Sacerdotii, ut ad hoc est, potest esse sine illa potestate, quae includitur in clavibus; ergo. . . Item (ut dictum est supra) character non potest esse nisi relatio; relatio autem non potest esse eadem ad plures terminos. Corpus Christi verum et mysticum, vel consecratio hujus, et absolutio illius sunt distincti termini; ergo illud, quod est relatio ad consecrationem, non est idem cum potestate ad absolutionem.

“Dico ergo, quod simpliciter sunt duae claves, ita quod absolute verum est illud verbum Christi: ‘Tibi dabo claves,’ etc. et possent de potentia Dei absoluta separari ab invicem. Sicut enim aliquis nunc praesidens potest committere alteri auctoritatem cognoscendi in causa,

non committendo sibi auctoritatem sentiendi in ea, ut si diceret: Committo tibi auctoritatem examinandi causam istam, et referas mihi ut sententiam. Posset etiam conferre auctoritatem sentiendi sine auctoritate cognoscendi, ut si diceret: Committo tibi, quod sine omni cognitione causae sententias, sicut placet; talis autem commissio non esset ordinata alicui, cui voluntas esset obliquabilis. Ita etiam posset Deus committere auctoritatem cognoscendi sine auctoritate sentiendi; et esset ista commissio ordinata simpliciter, si esset etiam in humanis. Posset etiam Deus de potentia absoluta alicui habenti voluntatem obliquabilem, committere auctoritatem sentiendi sine cognitione in causa. De potentia autem ordinata, sive de facto committitur utrumque cuilibet Sacerdoti Ecclesiastico ad minus complete ordinato. Quod pro tanto dico, quia si prius tempore datur sibi auctoritas celebrandi quam absolvendi, non est perfecte ordinatus, quantum ad utramque auctoritatem, si primo facto, omitteretur secundum.²

S. Thomas vero utramque essentialem distinctionem explicite negat, solam concedens distinctionem actuum.³ Character nempe, et potestas ordinis consecrandi Eucharistiam, et potestas clavis sacramentalis (complectens utramque potestatem ordinis et jurisdictionis), et, in hac potestate, clavis potentiae et clavis scientiae, sunt essentialiter unum et idem, atque distinguuntur tantum secundum ordinationem unius potestatis ad diversos actus, inter se subordinatos.

In ordinatione sacerdos suscipit physicum characterem, qui confert principaliter potestatem consecrandi Corpus Christi physicum, secundarie vero ac consequenter potestatem clavis sacramentalis, seu sanctificandi et purgandi a peccatis corpus Christi mysticum, quae iterum principaliter importat clavem potentiae, seu potestatem absolvendi, secundario vero, et ut aliquid ad illam ordinatum, clavem scientiae, seu potestatem discernendi et iudicandi eos qui sint absolvendi. Patet autem quod, quamvis potestas ordinis et potestas jurisdictionis, prout coalescunt in unicam clavem sacramentalem, sint essentialiter una potestas, tamen, si considerentur veluti abstracte et secundum se, essentialiter distinguuntur, ut dictum est in art. 99 (p. 739-741). Quod attinet vero ad utramque clavem non sacramentalem, ex ipso eorum objecto constat eas essentialiter distingui tum a clavi sacramentali (et consequenter a characterе sacerdotali) tum inter se.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 37, a. 5, ad 2*: "Dominus discipulis dedit potestatem sacerdotalem, quantum ad principalem actum, ante

² Opus Oxoniense, In 4 Sent., dist. 19, quaestio unica, Opera Omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 618 sq.

³ Cf. etiam *Ferrariensem*, Comm. in C. Gent. 4, 72 (ed. leonina, n. XII, ubi refutat Scotum) et *Salmanticenses*, Disp. 12, dub. 1, § 2, n. 4; dub. 3, § 1, n. 23; § 2, n. 28.

passionem in coena, quando dixit: 'Accipite et manducate', unde subjunxit: 'Hoc facite in meam commemorationem'. Sed post resurrectionem dedit eis potestatem sacerdotalem, quantum ad actum secundarium, qui est ligare et solvere."

Ibid., q. 17, a. 2, ad 1: "Ad duo, quorum unum est causa alterius, una potestas ordinatur; sicut in igne calor ad calefaciendum et dissolvendum. Et quia omnis gratia et remissio in corpore mystico ex capite suo provenit, ideo eadem potestas esse videtur per essentiam, qua sacerdos conficere potest [i.e. consecrare Eucharistiam], et qua potest solvere et ligare, si jurisdictio adsit; nec differt nisi ratione, secundum quod ad diversos effectus comparatur; sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactivus et liquefactivus. Et quia nihil est aliud character ordinis sacerdotalis quam potestas exercendi illud ad quod principaliter ordo sacerdotii ordinatur (sustinendo quod sit idem quod spiritualis potestas), ideo *character et potestas conficiendi et potestas clavium est unum et idem per essentiam, sed differt ratione.*"

Ibid., a. 3, ad 3: "Potestas conficiendi [Eucharistiam] est ad unum tantum actum alterius generis, et ideo non connumeratur clavibus, nec multiplicatur, sicut potestas clavium, quae est ad diversos actus, quamvis secundum potestatis sive auctoritatis essentiam sit una."

Ibid., in corp. "Hae duae claves [potentiae et scientiae] *non distinguuntur in essentia auctoritatis*, quia utrumque ex officio eis [sacerdotibus] competit; sed *ex comparatione ad actus*, quorum unus alium praesupponit."

Ibid., ad 1: "Ad unam seram aperiendam una clavis immediate ordinatur; sed non est inconveniens quod una ad actum alterius ordinetur. Et sic est in proposito. Secunda enim clavis, quae dicitur potestas ligandi et solvendi, est quae immediate seram aperit peccati; sed clavis quae dicitur scientia, ostendit cui aperienda sit sera illa."

Nota. Ex hoc quod clavis sacramentalis fundatur in characterе sacerdotali, sequitur quod in *Synagoga non fuit talis clavis, nec sacerdotes A. T. eam habuerint.*

Nec refert quod in antiqua lege fuerit verum sacerdotium et aliquale sacramentum ordinis, imo et sacramentum alicujus poenitentiae, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 40); nam, ut ait S. *Thomas* (*Suppl.*, q. 19, a. 1), "sacerdotii illius potestas non se extendebat ad caelestia, sed ad figuras caelestium" et "sacerdotes veteris legis habebant auctoritatem discernendi et judicandi, sed non ut admitteretur homo judicatus ab eis in caelestia, sed in figura caelestium", "nec habebant spiritualem potestatem, quia per sacramenta legalia non a culpis, sed ab irregularitatibus purgabant homines, ut ad manufactum

tabernaculum aditus purgatis per eos pateret"; unde in antiqua lege per sacramentum ordinis non conferebatur character,⁴ nec sacramentum poenitentiae consistebat in exercitio propriae dictae potestatis, tam ordinis quam jurisdictionis.

Nec erat in A. T. ipsa secundaria *clavis non sacramentalis*; non quidem potestas concedendi *Indulgentias*, quae consistit in applicatione meritorum Christi jam acquisitorum, nec etiam proprie dicta potestas *Excommunicationis*, quia sacerdotes non excludebant a caelestis, sed tantum a terreno et manufacto tabernaculo, quod erat figura caelestium et spiritualis tabernaculi novi testamenti.

Unde potestas clavium est simpliciter charisma novae legis, ac propterea simpliciter vocatur "*Clavis Ecclesiae*".

ART. 104. Utrum Stricte Dicta Potestas Clavium, Seu Clavis Sacramentalis, Signanter Distinguatur Ab Omni Alia Potestate, Tam Sacramentali Quam Extrasacramentali.

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur.

Hunc articulum ponimus, ad synthesim quandam vel complementum eorum quae de indole seu essentia sacramentalis potestatis ligandi atque solvendi sparsim, pro materiae exigentia, dicta sunt in variis articulis hujus tractatus.

1. Tres sunt potestates in Ecclesia, ordinis scilicet, magisterii et jurisdictionis. Potestas clavium sacramentalis, seu stricte dicta (de qua unice hic agimus), pertinet principaliter ad potestatem ordinis, tanquam secundarium ejus munus (ut dictum est in art. praec., p. 794), secundarie vero ad potestatem jurisdictionis (fori tamen interni ac sacramentalis); quae duae potestates, quamvis, abstracte ac divisim acceptae, essentialiter inter se distinguantur, tamen ita necessario convergunt in unam sacramentalem causalitatem, ut dici possint commiseri in unam potestatem, quatenus potestas jurisdictionis exigitur ut conditio ad hoc ut potestas ordinis possit exercere, modo judiciali, proprium actum peccatorum remissivum (cf. dicta in art. 99, p. 740 sq. 746 sq.). Haec clavium potestas, duplex munus seu actum exercet, actum nempe adjudicandi, seu discernendi dispositiones subjecti (qui est clavis scientiae), et actum judicandi, seu absolvendi (qui dicitur clavis potentiae).

⁴ Cf. tractatum De sac. in gen., art. 15, p. 266.

2. Qua parte potestas clavium est *jurisdictionalis*, distinguitur a potestate ordinis quae competit aliis sacramentis quaeque est non iudicativa sed mere ministerialis et applicativa, non excluso ipso Baptismo, qui tamen et ipse, non minus quam Poenitentia, ordinatur ad remissionem peccatorum. Cf. dicta in art. 1 (tom. 1, p. 132) de discrimine inter Baptismum et Poenitentiam.

3. Qua parte potestas clavium est *sacramentalis* (seu iudicatio conjuncta ordini), distinguitur tum a clave non sacramentali, seu potestate Excommunicationis et Indulgentiarum, tum a qualibet iudicatio forensi, tam civili quam ecclesiastica.

Omne autem discrimen inter forum forense et forum sacramentale in triplici principali discrimine fundatur. Primo nempe, illud est iudicium simpliciter *vindicativum*, hoc vero est etiam ac praecipue *reconciliativum*; secundo, illud est iudicium *coactivum*, quod totum agitur a iudice vindicante, hoc vero est iudicium *poenitentiale*, quod petitur et partialiter exhibetur ab ipso reo, suimet accusator et testis; tertio, in illo agitur de *culpa externa* (forum externum), in hoc vero de *culpa interna* et coram Deo (forum internum).

Triplex hoc discrimen sic assignatur a *S. Thoma, 3 p., q. 90, a. 2*: "Dictum est . . . supra (qu. lxxxv, art. 3, ad 3), quod alio modo fit recompensatio offensae in poenitentia, et in vindicativa iustitia. Nam in vindicativa iustitia fit recompensatio secundum arbitrium iudicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensi; sed in poenitentia fit recompensatio offensae secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei in quem peccatur, quia hic non quaeritur sola redintegratio aequalitatis iustitiae, sicut in iustitia vindicativa; sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6: "Poenitentia et vindicativa iustitia circa idem aliquo modo sunt, scilicet circa punitionem offensae; sed differunt in duobus. Primo, quia vindicativa proprie inest in iudice poenam infligente, quam reus quandoque invite sustinet; sed poenitentia est in ipso reo, qui voluntarius poenam sustinet pro culpa commissa. Secundo, quia vindicativa respicit offensam communiter; sed poenitentiae virtus respicit offensam Dei; unde oportet quod poenitentia consistat in emendatione offensae voluntarie assumpta, et talis qualis Deo competit. Sicut autem hominibus, qui vident ea quae foris parent, fit offensae recompensatio per aliqua exteriora; ita Deo qui intuetur cor, oportet quod incipiat recompensatio fieri in ipso cordis affectu."

In praedicto triplici fundamentali discrimine implicantur sequentes differentiae:

Quoad finem iudicii. In iudicio forensi finis est punitivus ac vindicativus; ordinatur enim ad bonum publicum, seu ad vindicandum et restaurandum ordinem societatis, laesum ac perturbatum per externam culpam. In iudicio vero sacramentali finis est praecipue medicinalis ac reconciliativus; ordinatur enim ad bonum privatum, seu ad reparandum internum vulnus peccati et restaurandam divinam amicitiam, seu interiorem ordinem animae ad Deum.

Quoad objectum seu materiam iudicii. In iudicio forensi agitur de culpa externa seu publica. In iudicio vero sacramentali agitur de culpa interna, quae est vera culpa, soli Deo nota et a solo Deo iudicabili vel ab instrumento Dei.

Quoad causam iudicalem. In causa forensi nullum activum influxum habet ipse reus, qui solum patitur aliorum accusationem et testimonium. Tota vero causa sacramentalis, praeter sententiam iudicalem, agitur ab ipso reo, qui fit etiam suae culpae accusator et testis, per actus confessionis et contritionis (ut dictum est in art. 3, tom 1, p. 162, et art. 4, ibid., p. 176. 178 sq.); est enim haec, causa quaedam poenitentialis, virtus autem poenitentiae est in reo, dum virtus iustitiae vindicativae est in iudice.

Quoad sententiam iudicalem. In iudicio forensi praecipue intenditur sententia condemnatoria, accidit vero, ob defectum probationis, quod sententia sit absolutoria; item, sententia condemnatoria simpliciter terminat causam; item, sententia absolutoria est talis simpliciter, nullam secus trahens punctionem seu satisfactionem. In iudicio vero sacramentali praecipue intenditur sententia absolutoria et non nisi per accidens, ob probatam indispositionem subjecti, fertur sententia condemnatoria seu potius ad tempus ligatoria, donec afferatur bona dispositio; item, haec sententia condemnatoria non simpliciter terminat causam, imo apertam relinquit, nam causa iterum necessario aperienda est donec terminetur per sententiam absolutoriam; item, haec absolutoria sententia non est talis simpliciter, sed simul importat ligationem quandam seu impositionem poenae satisfactoriae; ligat enim iudex humanus condemnando, ligat vero sacerdos, aut non absolvendo, aut satisfactionem absoluto imponendo.

Quoad effectum seu efficaciam sententiae. Forensis sententia cum absolvit, non facit innocentem, sed supponit ac declarat; sacramentalis vero sententia non supponit nec mere declarat, sed facit inno-

centem. Cujus vis et efficacitatis indolem, quam haec sententia habet ex sua sacramentalitate, fuse probavimus ac declaravimus tum in art. 79 (tom. 3, p. 545 sqq.) ubi de sensu formae absolutionis, tum praecipue in art. 91 (hic, in p. 270 sqq.) ubi de effectu hujus sacramenti.

ART. 105. Utrum Excommunicatio Sit Censura Seu Poena Medicinalis, Qua Quis Excluditur Ab Ecclesiastica Communione, Intra Limites A Canonibus Assignatos (Suppl., q. 21, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et sequenti articulo agitur *de potestate Ecclesiae quoad ferendam Excommunicationem*. Ecclesiae triplex competit potestas, ordinis nempe, magisterii et jurisdictionis. Potestas autem jurisdictionis triplex est: legislativa, judicialis et coactiva. Potestas vero coactiva, seu imponendi poenas, dividitur, juxta objectum seu poenas impositas, in potestatem imponendi poenas vindicativas et potestatem imponendi poenas medicinales seu censuras, et haec iterum respicit aut censuras generatim (seu tum interdictum, tum suspensionem, tum excommunicationem) aut peculiariter ipsam praecipuam poenam Excommunicationis.

Inter has autem coactivas potestates, sola potestas Excommunicationis dicitur *proprie clavis*, etsi in sensu latiori ac secundario (ut explicatum est in art. 103, p. 790 et 792); nam, quamvis et ipsa pertineat directe ad solum forum externum, tamen, ratione sui effectus seu separationis a bonis spiritualibus et ab ecclesiastica communionem in qua media salutis inveniuntur, ipsius interni fori limites quodammodo attingit (cf. Suppl., q. 21; a. 3, cit. in p. 816; q. 22, a. 1, ad 1, cit. in p. 793).

In praesenti articulo determinatur doctorum definitio de Excommunicatione, in sequenti vero defenditur contra haereticos competere Ecclesiae potestatem Excommunicationis.

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur praedicta definitio per duo ejus membra.

1. "CENSURA SEU POENA MEDICINALIS".

Cum finis poenae sit duplex, alius publicus (bonum societatis) et alius privatus (bonum ipsius delinquentis), juxta praevaletiam unius vel alterius finis, poena dicitur vindicativa vel medicinalis, quae ultima

consuevit vocari censura. Poenae *vindicativae* sunt, quoad clericos et religiosos: degradatio, depositio, privatio beneficii vel officii, etc. (12 poenae numerantur in Codice J. C., can. 2298); quoad omnes vero fideles, tam clericos quam laicos: privatio sepulturae ecclesiasticae, infamia juris, irregularitas ex delicto, poenae temporales, etc. (12 iterum poenae numerantur in can. 2291). Poena *medicinalis*, seu, nomine ipso canonico, censura, definitur a Codice, can. 2241, § 1: "Poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur".⁵ Tres determinatae censurae feruntur ab Ecclesia et nominatim in Codice, can. 2255, i.e. Excommunicatio, Interdictum et Suspendio. *Excommunicatio* definitur ab ipso Codice, can. 2257, § 1: "Censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in canonibus, qui sequuntur, enumerantur, quique separari nequeunt."

2. "QUA QUIS SEPARATUR AB ECCLESIASTICA COMMUNIONE INTRA LIMITES A CANONIBUS ASSIGNATOS".

Ad horum limitum intelligentiam, nota externam communionem cum fidelibus (nam interna communio, per gratiam et charitatem in Christo, non est objectum fori externi et Excommunicationis) aliam esse in sacris, aliam in civilibus. *Communio in sacris* intelligitur praecipue in his quae sunt media salutis sive ex opere operantis, i.e. communibus orationibus et satisfactionibus seu suffragiis, sive ex opere operato, i.e. sacrificio et sacramentis; secundarie vero in his quae cum mediis salutis directe vel indirecte connectuntur, ut sunt sacramentalia, officia liturgica, sepultura ecclesiastica, exercitium ecclesiasticae potestatis, fructus ecclesiastici (ut beneficia et pensiones), forum ecclesiasticum. *Communio* in civilibus intelligitur communicatio in his quae pertinent ad socialis vitae consuetudines, ut sunt cohabitatio, participatio ejusdem mensae, mutua salutatio, participatio ejusdem negotii vel officii, etc. (cf. infra, in p. 805).

Porro, cum Excommunicatio sit exercitium ecclesiasticae potestatis, ad hanc pertinet ejus modos ac limites adsignare. In quo quidem varia fuit, pro ecclesiis ac temporibus, disciplina canonum, salva semper exclusione a sacramentis et a communibus suffragiis, quae videtur ad ipsam essentiam Excommunicationis pertinere.

Imprimis notandum est excommunicationem nonnisi inde a saec. 12-13 assumpsisse sensum determinatae poenae canonicae, prout dis-

⁵ Eandem prorsus definitionem tradit *Suarez*, De censuris, disp. 1, sect. 1, et post ipsum *Benedictus XIV*, De syn. dioec., l. 10, c. 1, n. 1.

tinguitur ab aliis poenis, et peculiariter ab interdicto et suspensione. In antiquioribus canonibus "excommunicatio" vel "denegatio communionis" largiorem ac multiplicem sensum obtinebat, seu modo unam modo aliam importabat ex variis poenis, tam medicinalibus quam vindicativis, quibus fideles vel clerici excluduntur ab aliquo beneficio vel officio quod obtinent in ecclesiastica unitate. Oportet igitur ex contextu vel subjecta materia intelligere quae poena, seu ecclesiastici boni privatio, veniat sub nomine denegationis communionis in antiquis documentis.⁶

Pro qua interpretatione C. S. BERARDI in suis Commentariis in Jus Ecclesiasticum Universum (t. 4, pars 1, diss. 3, c. 5, Matriti, 1890, p. 231-234) sequentes regulas assignat, submissis quoque canonum referentiis, quas, brevitatis causa, omitimus:

"*Prima regula* est: quoties evenit, ut excommunicationis nomen conjunctum adpareat cum nomine poenitentiae, videbitur non indicta censura excommunicationis, sed denegata communicio illorum, quae competunt fidelibus minime dejectis in poenitentium gradus . . .

"*Secunda regula* est: quoties aliquis dicitur exclusus, non generaliter a communione, sed a communione 'sacra', intelligetur non proprie excommunicatus, sed tantum a suscipiendo *Eucharistiae Sacramento remotus*. . .

"*Tertia regula* est: ubi excommunicatio ad certum tempus indicta deprehendatur, erit potius *species poenitentiae, vel poenae*. . .

"*Quarta regula* est: si excommunicatio dicatur inflicta in perpetuum, multum interest, an in Clericis indicta fuerit, an in laicos. *Clerici* ea ratione excommunicati, potius intelliguntur e gradu suo *depositi*. . . Laici ea ratione excommunicati, potius censebuntur interdicti ab *Eucharistiae perceptione*. . . Id facile probatur ex eo, quod aliquando ob gravissima scelera apud veteres toto vitae tempore, atque in ipso mortis articulo *Eucharistia* denegaretur. . .

"*Quinta regula* est: si talis sit excommunicatio, quae feratur in Clericos, et dicatur inflicta donec sententia pronuncietur, erit potius *suspensio*, quam excommunicatio, adeo tamen ut illa suspensio ne censura quidem sit, sed singularis providentia, qua sacrorum dignitati, et decori consulatur. . . Hinc si forte *Episcopus* alteri suspectus de quodam gravissimo crimine videretur, ex. gr. haereseos, aut schismatis, multi se sponte olim ab ejusdem communione subducebant, eaque propter eatenus excommunicare illum dicebantur, quatenus epistolae salutorias, paschales, entronisticas, et similes ad eum non mitterent, aut ab eo missas non exciperent, quemadmodum se gessit Epiphanius cum Joanne Hierosolymitano, epist. 60. inter Hieronymianas. Similia, servata potestatis proportione, dici possunt de *Presbyteris, et minoribus ministris* constitutis in clero. . . Cur non et similia dicamus etiam de laicis, si forte ante sententiam, seu ante probatum crimen, et ob şolam criminis suspicionem excommunicati dicantur? Erunt ipsi hoc sensu excommunicati, ut arceantur interea ab *Eucharistia*, vel a quibusdam nobilibus Christianae communionis jurbus, ad quae non admittuntur non solum qui rei sunt, sed etiam qui non sunt undecumque digni, ac probati, propterea quod in hac parte consistat decor quidam debitus dignitati sacrorum. . .

⁶Cf. dicta in art. 92 (p. 395-407) de sensu *concedendae vel denegandae communionis* in documentis Conc. Illiberitani, Conc. Arelatensis, Conc. Ancyrani, Conc. Nicaeni, Sirici, Innocentii I, Coelestini I et Leonis M.

"*Sexta regula* est: quotiescumque Clerici dicuntur excommunicari, deinde contempta excommunicatione dicuntur dejecti de gradu suo, nomen illud excommunicationis de *suspensione* intelligitur. . . Etenim in coercitionibus suus ordo, gradusque servatur, ac de minore in majorem proceditur, et quamadmodum in Clericis depositio gravior est suspensione, ita vera excommunicatio gravior est depositione.

"*Septima regula*, et quidem superiori proxima est: si agatur de excommunicatione indicta in Clericos, vel Episcopos, distinguendum erit, an sit lata post suspensionem a sacris rebus; tum vero talis erit, ac si indicta esset in laicos; an sit indicta ante suspensionem; tum vero erit *suspensio*. . . Exceptio est in hanc rem, quoties agitur de crimine haereseos, utpote quod natura sui quemcumque reum excludit a tota communione Christiana, et in quo excommunicatio in tota sui amplitudine indicitur. . .

"*Octava regula* est: si agatur de canonibus recentioribus, qui confirmant veteres canones in ferenda excommunicatione, et non constet de novo indicto coercitionis genere, interpretandi ii sunt de ea ipsa excommunicationis specie, de qua vetusti canones intelliguntur. . .

"*Nona regula* est: si agatur de excommunicatione indicta in delicta quaedam leviora, nomine excommunicationis non alia excommunicatio venit, quam una ex levioribus, veluti *exclusio ex certis juribus nobilioribus*, et quidem juxta arbitrium judicis. . .

"*Decima regula* est: ubi excommunicatio indicitur, et contra violatores excommunicationis illius nova indicitur excommunicatio, prior excommunicatio est una ex levioribus, non *excommunicatio major*. . .

"*Undecima regula* est: ubi excommunicatio est a certo loco, erat *privatio quidem alicujus communionis*, non propria excommunicatio, cum excommunicatio propria a tota Ecclesia, et ab omnibus juribus communionis abscondat. . .

"*Duodecima et postrema regula* est: tum demum *excommunicatio proprie intelligitur*, cum dicitur quis excommunicari ab omni communione. . . item cum dicitur quis excommunicari a communione sanctae Ecclesiae. . . , aut cum dicitur excommunicari a communione Christiana. . . ; denique cum dicitur *Satanæ tradi*".

Determinatam notionem Excommunicationis prout distinguitur a *suspensione et interdicto*, prius induxit *Innocentius III* (1198-1216). Jam inde a saec. 13 facta est distinctio Excommunicationis in *MINOREM ET MAJOREM*, quarum prior excludebat a solis sacramentis, altera vero etiam a communicatione cum fidelibus, tam in sacris quam in civilibus. Ea minor excommunicatio jam amplius non viget, saltem ut poena ab ipso jure comminata, etsi episcopi possint reis infligere poenam privationis sacramentorum.

De ea distinctione haec habet *S. Thomas, Suppl., q. 21, a. 1*: "Ille qui per baptismum in Ecclesia ponitur, ad duo adscribitur, scilicet ad coetum fidelium, et ad participationem sacramentorum, et hoc secundum praesupponit primum, quia in sacramentis participandis etiam fideles communicant. Et ideo aliquis potest extra Ecclesiam fieri per excommunicationem dupliciter. Uno modo ita quod separaretur tantum a

participatione sacramentorum: et haec est *excommunicatio minor*. Alio modo ita quod excludatur ab utroque: et sic est *excommunicatio major*, quae hic definitur [in ob. 1: 'definitio excommunicationis a quibusdam posita: Excommunicatio est separatio a communione Ecclesiae quoad fructum, et suffragia generalia']. Non autem potest esse tertium, scilicet quod excludatur a communione fidelium, et non a participatione sacramentorum, ratione jam dicta: quia scilicet fideles in sacramentis communicant. Sed communicatio fidelium est duplex: quaedam in spiritualibus, sicut sunt mutuae orationes, et conventus ad sacra percipienda; quaedam in corporalibus actibus legitimis: quae quidem communicationes his versibus continentur:

Si pro delictis anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communicio, mensa negatur.

'Os', scilicet ne osculum detur; 'orare', ne cum excommunicatis oremus; 'vale', ne salutentur; 'communicio', ne scilicet in sacramentis cum ipsis aliquis communicet; 'mensa negatur', ne aliquis cum eis in mensa comedat. Praemissa ergo definitio importat separationem a sacramentis, in hoc quod dicit, 'quoad fructum'; et a communione fidelium quantum ad spiritualia in hoc quod dicit, 'et suffragia Ecclesiae communia'. Alia autem definitio invenitur, quae datur secundum separationem ab utrisque actibus, quae talis est: 'Excommunicatio est a qualibet licita communione fidelium separatio.'"

Ante *Martinum V* omnes excommunicati excommunicatione majori, erant vitandi. Martinus ipse in Conc. Constantiense (a. 1418) introduxit distinctionem inter *excommunicatos VITANDOS ET TOLERATOS*, quae hucusque viget et in novo Codice consecratur, can. 2258: "§ 1. Excommunicati alii sunt *vitandi*, alii *tolerati*. § 2. Nemo est vitandus, nisi fuerit nominatim a Sede Apostolica excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denunciata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum vitari debere, salvo praescripto can. 2343, § 1, n. 1." *Conc. Trid.*, Sess. 25, De Reform., c. 3, hanc distinctionem non commemorat sed simpliciter statuit: "Excommunicatus . . . quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit."

Sunt et aliae distinctiones, in Codice statutae et a juristis explicatae, quae respiciunt non ipsam excommunicationem in particulari, sed vel censuras in genere, ut distinctio in censuras *reservatas* et *non reservatas* (can. 2245, § 1), vel generalius omnes poenas etiam vindicativas,

ut distinctio in poenas latae vel ferendae sententiae (can. 2217, § 1, n. 2) et distinctio in poenas *a jure vel ab homine* (ibid., n. 3).

Alia celebris distinctio est inter *excommunicationem SIMPLICEM* (utique majorem) et *ANATHEMA*, seu excommunicationem solemnem, quibus antiquitus addebatur solemnior excommunicatio, dicta *MARANATHA* (a verbo syriaco quoad audit "Dominus venit"). Ipse *Codex J. C.*, can. 2257, distinguit inter excommunicationem et anathema: "Dicitur quoque anathema, praesertim si cum solemnitatibus infligatur quae in Pontificali Romano describuntur." *Pontificale Romanum*, Ordo Excommunicandi et Absolvendi, habet: "Notandum, quod duplex est excommunicatio, videlicet, minor, major, et anathema."

BENEDICTUS XIV, De synodo diocesana, l. 10, c. 1, n. 7, scribit: "Norunt omnes viri docti, tres olim fuisse species excommunicationis majoris . . . : prima dicebatur *excommunicatio simplex*; altera *anathema*; tertia *maranatha*, de qua frequens mentio occurrit in Annalibus Ordinis S. Benedicti conscriptis a patre Mabillon t. 4, in Appendice; in Historia Lotharingiae Calmet, t. 1, part. 2, p. 340; et in nova editione glossarii Caroli du Cangii, verb. 'Maranatha'. Simplex excommunicatio et anathema, in hoc dumtaxat inter se differebant, quod illa solo verbo preferretur; anathema vero pronuntiaretur celebri quadam solemnitate, pluribusque adhibitis caeremoniis, quae aptae forent ad ostendendam perpetrati sceleris enormitatem; maranatha autem hoc anathemati addebat, ut excommunicatus, solius Dei judicio relictus, ab Ecclesiae communione separatus permanere juberetur usque ad adventum Domini, seu ad diem iudicii; quod ex ipsa vocis etymologia elicit Aug. apud Suarez, de Censuris disp. 8, sect. 2, et explicarunt Patres concilii Tolet. IV, statim allegandi.

"Jam vero antiquissima *Synodus Gangrensis*, paulo post Nicaenam habita, omnes suorum viginti canonum transgressores anathemate percutit his verbis: 'anathema sit'; Collect. Harduini t. 1, col. 533, etc. . . Patres autem concilii Tolet. IV habiti an. 633, cui episcopi 62 interfuerunt, c. 75, t. 3 Collect. Harduini, col. 594, 'anathema', 'maranatha' in eos pronuntiarunt, qui adversus regnum, vel regem conjurarent, in quos hanc formidandam sententiam, ter repetitam, protulerunt: 'Hoc etiam tertio acclamamus, dicentes: Quicumque amodo ex nobis, vel cunctis Hispaniae populis, qualibet meditatione, vel studio, sacramentum fidei suae, quod pro patriae salute, gentisque, Gothorum statu, vel incolumitate regiae potestatis pollicitus est, violaverit, aut regem nece attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut praesumptione tyrannica regni fastigium usurpaverit, *anathema sit in conspectu Spiritus sancti, et martyrum Christi, atque ab Ecclesia catholica, quam perjurio profanaverit, efficiatur extraneus, et ab omni communione christianorum alienus*, neque partem justorum habeat, sed cum diabolo, et angelis ejus aeternis suppliciis condemnetur una cum eis, qui eadem conjurationem nituntur; ut par poena perditionis constringat, quos in perniciem prava societas copulat. Et ideo, si placet omnibus, qui adestis, haec tertio reiterata sententia, vestrae vocis eam consensu firmate. Ab universo clero, vel populo dictum est: Qui contra hanc nostram definitionem praesumpserit, *anathema, maranatha, hoc est, perditio in adventu Domini sit*, et cum Juda Scarioth partem habeat, et ipsi, et socii eorum: Amen.' Eamdemque anathematis sententiam, eodem ritu, ac iisdem fere verbis in eosdem regni, et regni proditores denuo latam legimus in concil. *Tolet. XVI* anni 693, c. 10, eod. t. 3 Collect. Harduini, col. 1801."¹

¹ Apud Migne, Theol. Curs., t. 25, Parisiis, 1841, col. 1213 sq.

HODIERNA DISCIPLINA, quoad limites seu effectus Excommunicationis, continetur in *Codice J. C.*, *can. 2257–2267*, et explicatur a juristis juxta notos versiculos:

*Res sacrae, ritus, communio, crypta, potestas
Praedia sacra, forum, civilia jura vetantur.*

Res sacrae intelliguntur sacramenta, quorum administratio (usus activus) vel receptio (usus passivus) excommunicatis prohibetur, salvo quibusdam exceptionibus (can. 2260 sq.). *Ritus* intelliguntur officia liturgica, quorum celebratio vel assistentia prohibetur excommunicatis, praecipue vitandis (can. 2259). *Communio* intelligitur communia Ecclesiae suffragia (publicae preces, divinum officium, sacrificium Missae, indulgentiae) (can. 2262). *Crypta* intelligitur ecclesiastica sepultura (can. 2260, § 2 coll. cum can. 1240, § 1, n. 2). *Potestas* intelligitur quicquid implicat jus aut exercitium ecclesiasticae jurisdictionis (can. 2263–2265). *Praedia sacra* intelliguntur fructus dignitatis, officii, pensionis, muneris, imo ipsamet dignitas, officium, beneficium, pensio, munus (can. 2266). *Forum* intelligitur communicatio in iudicio ecclesiastico, in quo excommunicatus nequit esse iudex, advocatus, actor, testis, etc. (can. 2263). *Civilia jura* intelliguntur communio in profanis (quae denegatur tantum excommunicatis vitandis) ac perstringuntur a juristis noto versiculo: "*Os, orare, vale, communio, mensa negatur*", cujus explanationem habes supra in p. 800 et in textu S. Thomae cit. in p. 802 sq. (in quo tamen vox "communio" accipitur pro communicatione in sacris); attamen communicatio in civilibus fieri potest licita ex variis causis quae numerantur in versiculo: "*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*" (i.e. spiritualis utilitas excommunicati vel aliorum, obligatio a lege imposita, ignorantia facti vel juris, ratio necessitatis).

Hoc temperamentum induxit *Gregorius VII* in Conc. Romano a. 1078, cujus statutum sic refertur in *Decreto Gratiani*, parte 2, causa 11, q. 3, c. 103: "Quoniam multos peccatis nostris exigentibus, pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim etiam necessitate, devicti misericordia anathematis sententiam ad tempus, prout possumus, opportune temperamus. Apostolica itaque auctoritate anathematis vinculo hos subtrahimus, videlicet uxores, liberos, servos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos servientes, et omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur, et eos, qui ignominanter excommunicatis communicant, sive illos, qui communicant cum eis, qui excommunicatis communicant. Quicumque autem orator, sive

peregrinus, aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non in sustentationem superbiae, sed humanitatis causa dare aliquid voluerit, non prohibemus" (M.L. 187, 878).

Hoc decretum sic explicat *S. Thomas, Suppl., q. 23, a. 1*: "*Duplex est excommunicatio*: una est *minor*, quae separat tantum a participatione sacramentorum, sed non a communione fidelium. Et ideo tali excommunicato licet communicare; sed non licet ei sacramenta conferre. Alia est *major* excommunicatio, et haec separat hominem a sacramentis Ecclesiae, et a communione fidelium. Et ideo tali excommunicatione excommunicato communicare non licet. Sed quia Ecclesia excommunicationem ad medelam, et non ad interitum, inducit, ideo excipiuntur ab hac generalitate quaedam, in quibus communicare licet, scilicet in his, quae pertinent ad salutem, quia de talibus homo licite potest cum excommunicato loqui; potest etiam et alia verba interserere, ut facilius salutis verba ex familiaritate recipiantur.

"Excipiuntur etiam quaedam personae, ad quas specialiter pertinet provisio excommunicati; scilicet *uxor, filius, servus, rusticus et serviens*. Sed hoc intelligendum est de filiis non emancipatis: alias tenerentur vitare patrem. De aliis autem intelligitur quod licet excommunicato communicare, si ante excommunicationem se ei subdiderant, non autem si post. Quidam autem intelligunt e converso, scilicet quod superiores possunt licite communicare inferioribus. Alii vero contrarium dicunt. Sed ad minus in his communicare eis debent in quibus sunt eis obligati, quia sicut inferiores obligantur ad obsequium superiorum, ita superiores ad providentiam inferiorum. Sunt etiam quidam casus excepti: sicut quando ignoratur excommunicatio; et quando aliqui sunt peregrini et viatores in terra excommunicatorum, qui licite possunt ab eis emere, vel etiam accipere eleemosynam. Et similiter si aliquis videat excommunicatum in necessitate; quia tunc ex praecepto charitatis tenetur ei providere. Et istas hoc versu continentur: '*Utile, lex, humile, res ignorata, necesse*'. Ut '*utile*' referatur ad verba salutis, '*lex*' ad matrimonium, '*humile*' ad subjectionem: caetera patent."

Ceterum, *Codex J. C.*, can. 2267, benignius statuit: "Communione in profanis cum *excommunicato vitando* fideles vitare debent, nisi agatur de conjuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et *generatim nisi rationabilis causa excuset*."

ART. 106. Utrum Ecclesiae Competat Potestas Ferendi Excommunicationem (Suppl., q. 21, a. 2; Comm. in Matth. 18, 18).

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Res est *de fide* contenta in ordinario magisterio et praxi Ecclesiae, et proposita a Conc. Constantiense contra *Wicleffitas* et *Hussitas*, cui concinunt condemnatio Leonis X lata contra sententiam Lutheri et declaratio Conc. Trid. mox referenda.

Haereses et Ecclesiae Documenta.

Hanc Ecclesiae potestatem peculiariter impugnarunt *Wicleffitae*, *Hussitae* et *Protestantes*; quibus addendi sunt *moderni Liberales*, seu quotquot generaliter coactivam Ecclesiae jurisdictionem reiciunt. Quorum sententia refertur et damnatur in sequentibus Ecclesiae documentis.

CONC. CONSTANTIENSE, *sess. 8* (a. 1415), sequentes *Wicleffi* propositiones damnavit: "11. Nullus praelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: et qui sic excommunicat, fit ex hoc haereticus vel excommunicatus. 12. Praelatus excommunicans clericum, qui appellavit ad regem vel ad concilium regni, eo ipso traditor est regis et regni. 13. Illi, qui dimittunt praedicare sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, et in Dei iudicio traditores Christi habebuntur. . . 30. Excommunicatio Papae vel cujuscumque praelati non est timenda quia est censura antichristi" (Denz. 591. 592. 593. 610).⁸

Idem, *sess. 15* (a. 1415), hanc *Hus* propositionem (prop. 19) damnavit: "Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis et interdicti ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, et viam praeparat antichristo. Signum autem evidens est, quod ab antichristo tales procedunt censurae, quae vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos, qui denudant nequitiam antichristi, qui clerum pro se maxime usurpabit" (Denz. 645).

Idem, inter *Interrogationes Wicleffitis et Hussitis faciendas*, hanc proponit: "Utrum credat, quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, praelati vel eorum vicarii in spiritalibus habeant

⁸Cf. quae de Excommunicatione scribit *Wicleff* in suo Tractatu De Ecclesia (cap. 7), now first edited from the manuscripts by Dr. I. Loserth, 1886, p. 152-157.

potestatem aggravandi et reaggravandi, interdictum ponendi et brachium saeculare invocandi; et quod illis censuris per inferiores sit oboediendum” (Denz. 682).

LEO X, Bulla “Exurge Domine” 15 junii 1520, hanc *Lutheri* propositionem (prop. 23) damnavit: “Excommunicationes sunt tantum externae poenae nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus” (Denz. 763).

Huic condemnationi sic *respondit Lutherus* in suo libello Assertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X novissimam damnatorum (a. 1520): “Hanc [propositionem] satis firmiter probavi in sermone de excommunicatione, etiam per ipsorummet verba, ubi papa dicit lib. 6. de sent. excommu.: medicinalem et non mortalem, non eradicantem esse excommunicationem. At si privaret spiritualibus communibus bonis, certe mortalis esset, quia animam separaret a Deo. Ego autem fortioribus nixus sum, quia in potestate hominis non est, ut quis credat vel non credat, sola autem fides vel incredulitas copulat vel separat animam ecclesiae Dei, sicut Christus dicit Marci ult.: Qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Nullus est vere articulorum, qui manifestioris sit veritatis, quam iste, ut ego non possim satis laudare divinam providentiam, quae draconem istum antiquum cum papa et rabidis papistis suis sic excaecavit, ut in tam claram veritatem etiam a se ipsis statutam impingerent, qua vel una caecitate totius huius Bullae auctoritatem non modo mihi, sed toti orbi merito contemptam reddiderunt.”

CONC. TRID., *sess. 25, De Reformatione, cap. 3*, haec habet: “Quamvis excommunicationis gladius *nervus sit ecclesiasticae disciplinae*, et ad continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen magnaue circumspectione exercendus est, quum experientia doceat, si temere aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, et perniciem potius parere quam salutem. . . Nefas autem sit saeculari cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, sub praetextu, quod contenta in praesenti decreto non sint observata; quum non ad saeculares, sed ad ecclesiasticos haec cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicumque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad sacramenta et communionem fidelium ac familiaritatem non recipiatur, sed, si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam de haeresi suspectum procedi possit.”

⁹ Opera latina (curavit H. Schmidt) v. 5, Francofurti ad M., 1868, p. 203.

PIUS IX, Syllabus, prop. 24, hanc damnavit *Liberalium* negationem coactivae potestatis Ecclesiae: "Ecclesia vis inferendae potestatem non habet" (Denz. 1724). Idem Pontifex, juxta nuper citatum Tridentini monitum de moderandis censuris, numerum excommunicationum *latae sententiae*, qui eousque magnopere excreverat, ad convenientiorem proportionem reduxit, per Constitutionem "Apostolicae Sedis".

CODEX J. C., can. 2214, eandem coactivam potestatem aptissime proponit, simul citans verba Conc. Trid. de moderatione et prudentia quibus illius potestatis exercitium ab Episcopis regulandum est (cf. etiam nuper citata verba ejusdem Concilii): "§ 1. Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis tum spiritualibus tum etiam temporalibus. § 2. Prae oculis autem habeatur monitum Conc. Trid. sess. XIII, de ref., cap. 1: 'Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse, atque ita praeesse sibi subditis oportere, ut non in eis dominantur, sed illos tanquam filios et fratres diligant elaborentque ut hortando et monendo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli est ab eis servanda praeceptio ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate disciplina, populis salutaris ac necessaria, conservetur et qui correcti fuerint, emendentur aut, si respiscere noluerint, ceteri, salubri in eos animadversionis exemplo, a vitii deterreantur'."

CONCLUSIO

Ecclesiae competit potestas ferendi Excommunicationem, eaque continetur tum generaliter in potestate jurisdictionis qua gaudet Ecclesia ut perfecta societas spiritualis, tum peculiariter in potestate ligandi atque solvendi a Christo ei collata.

Probatur 1. *EX INDOLE PERFECTAE SOCIETATIS.*

Ut probatur in tractatu De Ecclesia, Ecclesia est perfecta societas, et quidem spiritualis. Ergo, sicut omni perfectae societati, competit ei potestas coactiva (praeter quam legislativa et judicialis), et ita

quidem ut ipsa possit in subditos infligere etiam poenas spiritualis ordinis, qualis est excommunicatio.

Dices 1. Etsi competat Ecclesiae potestas coactiva, eaque convenienter ac sufficienter exerceatur per poenas temporales, omnino inconveniens est ut se extendat ad ipsas *poenas spirituales*, cum id potius obsit ipsi fini salutis ab Ecclesia prosequendo.

Resp. "Judicium Ecclesiae conforme debet esse iudicio Dei. Deus autem peccatores multipliciter punit, ut ad bonum eos trahat; uno modo flagellis castigando; alio modo hominem sibi relinquendo, ut, auxiliis subtractis, quibus a malo praepediebatur, suam infirmitatem cognoscat, et humilis ad Deum redeat, a quo superbus discesserat. Et quantum ad utrumque Ecclesia in excommunicationis sententia divinum iudicium imitatur. In quantum enim aliquem a communione fidelium separat, ut erubescat, imitatur divinum iudicium, quo per flagella castigat; in quantum autem a suffragiis, et aliis spiritualibus separat, imitatur divinum iudicium, quo hominem sibi relinquit, ut per humilitatem seipsum cognoscens ad Deum redeat" (*Suppl.*, q. 21, a. 2).

Dices 2 atque intes. Per Excommunicationem homo *traditur Satanae* ac veluti desperatus ponitur extra viam salutis; non licet autem Ecclesiae praecludere homini viam salutis.

Resp. "Ex hoc ipso quod aliquis suffragiis Ecclesiae privatur, triplex incommodum incurrit, per tria quae quis ex suffragiis Ecclesiae consequitur. Valent enim ad augmentum gratiae eis qui eam habent, vel ad merendum eis qui non habent: et quantum ad hoc Magister Sententiarum dicit [l. 4, dist. 18]: 'Gratia Dei per excommunicationem subtrahitur.' Valent etiam ad custodiam virtutis: et quantum ad hoc dicit quod 'protectio subtrahitur', non quod omnino a Dei providentia excludatur excommunicatus, sed ab illa protectione qua filios Ecclesiae specialiori modo cutodit. Valent etiam ad defensionem ab hoste: et quantum ad hoc dicit quod 'diabolo major potestas saeviendi in ipsum datur et spiritualiter et corporaliter.' Unde in primitiva Ecclesia, quando oportebat per signa homines ad fidem invitare, sicut Spiritus sancti donum visibili signi manifestabatur, ita et excommunicatio corporali vexatione a diabolo innotescebat. Nec est inconveniens si ille qui non est desperatus hosti detur, quia non datur quasi damnandus, sed quasi corrigendus; cum in potestate Ecclesiae sit ex ejus manu ipsum, cum voluerit, eripere" (*ibid.*, ad 3).

Dices 3 atque insistes. Ipsa indoles Excommunicationis officit tali Ecclesiae potestati. Nam Excommunicatio est quaedam *maledictio*, nec

licet homini maledicere quemquam, juxta *Rom. 12, 14*: "Nolite maledicere".

Resp. "Maledictio potest esse dupliciter: uno modo ita quod in malo quod irrogat, vel dicit, per intentionem sistat: et sic maledictio omnibus modis est prohibita. Alio modo ita quod malum quod quis maledicendo imprecatur, ad bonum illius ordinet qui maledicitur: et sic maledictio quandoque est licita et salutifera: sicut etiam medicus aliquod nocumentum infert infirmo, ut sectionem, per quam ab infirmitate liberetur" (*ibid.*, ad 1).

Probatur 2. *EX FUNDAMENTO SCRIPTURAE, SENSU TRADITIONIS ET PRAXI ECCLESIAE.*

Potestas excommunicandi fundatur in ipsa *Scriptura*.

Imprimis, ipsa potestas ligandi atque solvendi amplissime a Christo traditur Ecclesiae in persona Petri et Apostolorum (*Matth. 16, 19*: "Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis"; *18, 18*: "Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo"). Ergo extenditur quoque ad Excommunicationem, quae est ligamen quoddam spirituale.

Inepte tamen quidam theologi, ut *Salmanticenses*, ratione pericopes de fraterna correptione, de qua mox dicitur, interpretantur ea verba de sola potestate in foro externo (i.e. ferendi leges et censuras) et non etiam de potestate remissiva in foro sacramentali, ita evacuantes vim argumenti quod ex illis verbis desumpsimus in art. 1 (tom. 1, p. 71–77) pro existentia potestatis sacramentalis, nec attendentes sacramentalem illorum verborum interpretationem dari ab ipso *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 6 et can. 10 (*Denz. 902 et 920, cit. ibid.*, p. 67 sq.) necnon a *Catechismo Conc. Trid.*, 2 pars, c. 5, q. 10 (*cit. ibid.*, p. 69).

Salmanticenses, ad refellendam objectionem eorum qui ex verbis *Matth. 18, 18*, deducunt sacramentum Poenitentiae fuisse a Christo institutum ante resurrectionem, scribunt: "Concilii Patres . . . eo [textu *Matthaei*] non obsistente, decreverunt, seu explicarunt non usque ad resurrectionem factam fuisse institutionem Poenitentiae: ergo vel quia eo loco non fit mentio de potestate clavium, ut mox videbimus; vel quia esto sit ita, ibi tantum modo fit promissio instituendi postea Sacramenti, non vero ipsius realis institutio, ut aliqui docent, et est prima ad objectionem responsio. Secunda et literalior solutio tradita est a *D. Thoma* ad illum locum *Matthaei 18*, ubi affirmat, verba allegata debere intelligi de potestate forensi, et contentiosa,

ad puniendos contumaces excommunicatione, aut aliis Ecclesiasticis censuris. Cujus intelligentiae rationem desumpsit S. Doctor ex ipsomet textu: nam praemisso praecepto correctionis fraternae a Christo Domino, jubet adhiberi unum, vel duos testes, et quod si eos non audierit peccator, dicatur Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit illis sicut Ethnicus, et publicanus; id est, segregatus, et excommunicatus, et immediate subtexit: 'Amen dico vobis: Quaecumque alligaveritis super terram etc.', addidit D. Thomas: 'Sic dicitur alligare, quia non solvit, vel quia excommunicat'. Juxta quam expositionem omnino textui conformem distinguenda est Major objectionis, simul cum Minori, et negari debet Consequentia: si quidem concedimus potestatem alligandi, et solvendi per censuras fuisse Apostolis a Christo ante ipsius mortem concessam, non vero ad Sacramentaliter absolvendum, et hoc ex Evangelio ipso colligitur, ita Concilio infallibiliter decernente."¹⁰

Male autem Salmanticenses interpretantur in sensu exclusivo verba S. Thomae, quae sonant tantum affirmative, i.e. affirmant in Matth. 18, 18, agi de potestate excommunicandi sed nullatenus negant ibi agi etiam ac praecipue de potestate remittendi peccata. S. Doctor haec in eo loco dicit: "Deinde additur poena: "Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus." Ethnici sunt gentiles et infideles; publicani, qui tributa recipiunt, qui sunt publici peccatores. Unde quasi separati excommunicentur per sententiam Ecclesiae: quia Ecclesiam non audierunt: unde pro sola contumacia potest homo excommunicari. 'Amen dico vobis etc.' Hic ponitur efficacia hujus sententiae. Quia posset aliquis dicere: Quid curo ego, si Ecclesiae dicatur, et sim excommunicatus? ideo ostendit efficaciam istam: 'Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.' Supra dicta sunt Petro haec; hic autem dicitur toti Ecclesiae. Et dicitur alligare, vel quia non solvit, vel quia excommunicat."

Ceterum, jam superius *in eodem commentario, in Matth. 16, 19, eadem verba, dicta Petro, S. Doctor explicite retulerat ad sacramentalem absolutionem, scribens: "Intelligendum est: 'Quodcumque solveris'; idest, si ministerium absolutionis adhibes. Et dicit, 'Quodcumque'; quia non solum culpam, sed poenam. 'Solutum erit in coelis'; idest, habebitur tamquam absolutum in coelis, sicut est de baptismo: unde debet dicere sacerdos, Ego te absolvo, sicut Ego te baptizo. Sed potest quis quaerere qualiter ligat. Sciendum, quod sacerdos minister*

¹⁰ De Poenitentia, disp. 4, dub. 4, § 2, n. 152, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 334.

est Dei, et actio ministri dependet ab actu Domini: unde eo modo quo Dominus ligat et solvit, sic sacerdos ministerialiter. Solvit Deus infundendo gratiam, ligat non infundendo: sic sacerdos solvit sacramento, ministrando sacramentum; ligat vero non adhibendo. Aliter dicitur quod per coelos praesens Ecclesia designatur: unde: 'Quodcumque ligaveris', excommunicatione, 'vel solveris, erit solutum, vel ligatum', quoad administrationem sacramentorum Ecclesiae. Unde volunt, quod ista administratio, haec ligatio et absolutio sit super terram, ita quod non se extendat ad mortuos. Sed hoc reprobatur; quia non solum se extendit ad vivos, sed etiam ad mortuos: unde si ad utrumque referatur, sensus est: 'Quodcumque ligaveris super terram', tunc dico existens super terram, 'erit ligatum et in caelis'. Sed est alia quaestio, quia alibi habetur. Joan. XX, 23: 'Quorum remiseritis peccata, remittentur eis': hic vero solum hoc dicit Petro. Dicendum, quod immediate dedit Petro, alii vero a Petro recipiunt; ideo ne credantur ista solum dici Petro, dicit: 'Quorum remiseritis etc.' Et hac ratione Papa, qui est loco Sancti Petri, habet plenariam potestatem, alii vero ab ipso."

Similiter non semel alibi S. Doctor ad sacramenti Poenitentiae institutionem refert textum Matth. 16, 19. Ita in *Opusculo de forma absolutionis*, ex illis verbis deducit contra adversarium Anonymum legitimitatem formae absolutionis ("Ego te absolvo"). *Cap. 1*: "Inveni assertionem cujusdam valde temerariam, dicentis quod sacerdos absolvendo uti non debet hac forma: 'Ego te absolvo'. Quod quidem praesumptuosum judico, quia repugnat evangelicis dictis. Dicit enim Dominus Petro, Matth. XVI: 'Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis', quod ad usum clavium pertinere ostenditur." *Cap. 2*: "Alia ratio est de absolutione ab excommunicatione quae non est sacramentalis, sed magis judicariam jurisdictionem consequitur; et aliud de absolutione a peccatis in sacramento poenitentiae, quae consequitur potestatem clavium, et est sacramentalis. In illa enim verba habent efficaciam ab intentione dicentis, unde non refert quibuscumque verbis utatur ad exprimendam suam intentionem: in sacramentis autem verba habent efficaciam ex institutione divina, unde tenenda sunt verba determinata consonantia divinae institutioni, *institutioni autem dicentis*: 'Quodcumque solveris, etc.' ista conveniunt: 'Ego te absolvo,' sicut institutioni dicentis: 'Euntes docete omnes gentes, baptizantes, etc.' conveniunt ista verba: 'Ego te baptizo, etc.'"

Evangelica pericope de fraterna correptione, Matth. 18, 15–17 ("Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus"), ostendit potestatem Ecclesiae quoad Excommunicationem, praesertim

si ea pericope jungatur cum immediato contextu, seu cum praedictis verbis 18, 18, de potestate ligandi atque solvendi, quae a Christo immediate adduntur veluti in confirmationem et explicationem suae assertionis de habendo, ut ethnico et publicano, peccatore qui nolit acquiescere correptioni Ecclesiae, quia nempe quaecumque Ecclesia ligat in terra, ligantur etiam in caelo. Ceterum, ut dictum est in art. 1 (tom. 1, p. 72 et 75), ubi hanc pericopem retulimus et explicavimus, ea referri potest etiam, directe vel indirecte, ad ipsam sacramentalem potestatem remittendi peccata.

In *Act. 8, 20 sq.*, videri potest prima excommunicatio, lata a Petro in Simonem Magum, ob peccatum simoniae quod ab ipso nomen derivavit: "Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. *Non est tibi pars neque sors in sermone isto*; cor enim tuum non est rectum coram Deo."

In *1 Cor. 5, 3-5*, fertur a Paulo excommunicatio in incestuosum Corinthium ("Judicavi cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit"), qui in *2 Cor. 13, 2 sq.* ab eodem apostolo ab hac poena absolvitur, ut explicatum est in art. 1 (tom. 1, p. 87 sq.). Ibidem dictum est (cf. hic infra, p. 855) *Estium* secundum locum interpretare de concessione indulgentiae potiusquam de absolutione ab excommunicatione.

Segregationem a fidelium communione sonant etiam verba *2 Thess. 3, 6*: "Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis"; item, *2 Joan. 10*: "Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis".

Ut dictum est in art. praec. (p. 800 sq.), Excommunicatio nonnisi in medio aevo assumpsit formam canonicae ac determinatae poenae, prout distinguitur a suspensione et interdicto. Nihilominus haec poena, quoad suam essentiam separationis ab ecclesiastica unitate ejusque bonis, extitit inde ab initio Ecclesiae, uti derivatio et continuatio apostolicae disciplinae. De ea, tanquam de ecclesiastica consuetudine, loquuntur inter alios *Cyprianus*, *Hieronymus*, et *Augustinus* qui eam exhibet ut maximam poenam quae infligatur ab Ecclesia.

Cyprianus, *Epist. 62, 4*: "Interfici Deus jussit sacerdotibus suis non obtemperantes et iudicibus a se ad tempus constitutis non obaudientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc et circumcisio carnalis manebat. Nunc autem, quia circumcisio spiritalis esse apud fideles servos Dei coepit, *spiritali gladio superbi et contumaces necantur dum de Ecclesia ejiciuntur*. Neque enim vivere foris

possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in Ecclesia possit" (M.L. 4, 381 sq.).

Hieronymus, Epist. 14, 8 (ab Heliodorum monachum): "Mihi ante presbyterum sedere non licet: illi, si peccavero, licet tradere me Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit (1. Cor. 5. 5). Et in veteri quidem Lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus, lapidabatur a populo; aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore (Deut. 17. 12)" (M.L. 22, 352).

Augustinus, De correptione et gratia, 15, 46: "Corripiantur itaque a praepositis suis subditi fratres correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diversitate diversis, vel minoribus, vel amplioribus. Quia et ipsa quae damnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium, qua poena in Ecclesia nulla major est, potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere atque proficere. Neque enim scimus quid contingat sequenti die; aut ante finem vitae hujus de aliquo desperandum est; aut contradici Deo potest, ne respiciat et det poenitentiam, et accepto sacrificio spiritus contribulati cordisque contriti a reatu quamvis justae damnationis absolvat, damnatumque ipse non damnet. Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpent dira contagia, *separare ab ovibus sanis morbidam*: ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam" (M.L. 44, 944).

Quomodo autem talis poena varias assumpserit formas in disciplina Ecclesiae, dictum est in art. praec. (p. 800–806).

NOTA. PLURA SUNT QUAE A JURISTIS DISPUTANTUR VEL EXPLICANTUR CIRCA VARIAS CAUSAS EXCOMMUNICATIONIS (vel potius censurae in genere), praecipue circa objectum, ratione cujus ferri possit; circa ministrum, a quo ferri possit; circa subjectum, cui infligi possit; circa modum, quo auferri possit, seu absolutionem.

Ceterum, quia plura facile intelliguntur, utpote connaturaliter fluentia ex ipsa natura Excommunicationis, alia vero multa pendent a contingenti ac mutabili dispositione auctoritatis ecclesiasticae, in cujus arbitrio est excommunicationem condere ejusque limites ac modos definire, satis nobis erit afferre ex una parte litteram *S. Thomae*, in qua assignatur fundamentum dogmaticum praedictarum quaestionum, et ex alia parte litteram *Codici J. C.* in qua illarum hodiernae modalitates determinantur.

1. *OBJECTUM*, ratione cujus ferri possit excommunicatio, seu censura, est *peccatum grave, externum, conjunctum cum contumacia*.

S. Thomas, *Suppl.*, q. 21, a. 3: "Per excommunicationem iudex ecclesiasticus excommunicatus excludit a regno quodammodo. Unde cum non debeat a regno excludere nisi indignos, ut ex definitione clavis patuit (qu. XVII, art. 2); nec aliquis reddatur indignus, nisi pro peccatum mortale charitatem amiserit, quae est via ducens ad regnum; ideo nullus excommunicari debet nisi pro *peccato mortali*. Et quia in damnificando aliquem corporaliter, vel in rebus temporalibus, aliquis mortaliter peccat, et contra charitatem facit; ideo pro damno temporali illato Ecclesia aliquem excommunicare potest. Sed quia excommunicatio est gravissima poenarum, poenae autem medicinae sunt, secundum Philosophum [Ethic. 2, 3], sapientis autem medici est a levioribus incipere medicinis, et minus periculosis; ideo excommunicatio infligi non debet etiam pro peccato mortali, nisi *contumax* fuerit, vel non veniendo ad iudicium, vel ante terminationem iudicii sine licentia recedendo, vel determinationi non parendo. Tunc enim, postquam monitus fuerit, si obedire contempserit, contumax reputatur; et excommunicari debet a iudice jam non habente quid contra ipsum faciat amplius."

Codex J. C., can. 2242, § 1: "Censura punitur tantummodo delictum externum, grave, consummatum, cum contumacia coniunctum; potest autem ferri censura etiam in delinquentes ignotos".

Ratione illius conditionis "Consummatum", a Codice positae, accedere potest ut quis censuram incurrat postquam per contritionem vel confessionem removerit peccatum, ratione cuius censuram incurrit, si nempe consummatio peccati sequatur post acquisitum statum gratiae, ut si quis, propinato mulieri pharmaco quod post aliquot dies procurabit abortum, statim conteritur vel confitetur.

2. *MINISTER* valens ferre censuras *jure proprio* est omnis habens potestatem ordinariam in foro externo, *jure vero delegato*, omnis cui id conceditur ab habente ordinariam potestatem. Absolute loquendo, vir laicus potest ad censuras ferendas delegari, non vero mulier cum sit inhabilis ad quamlibet proprie dictam jurisdictionem exercendam in Ecclesia.

S. Thomas, *Suppl.*, q. 22, a. 1: "In foro conscientiae causa agit inter hominem et Deum; in foro autem exterioris iudicii causa agit hominis ad hominem. Et ideo absolutio vel ligatio quae unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum poenitentiae; sed illa quae hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet. Et ideo illi soli possunt excommunicare qui

habent jurisdictionem in foro judiciali. Et propter hoc *soli episcopi propria auctoritate*, et majores praelati, secundum communiorem opinionem, possunt excommunicare; sed presbyteri parochiales non nisi *ex commissione* eis facta, vel in certis casibus; sicut in furto, et rapina, et hujusmodi, in quibus est eis a jure concessum quod excommunicare possint. Alii autem dixerunt quod etiam sacerdotes parochiales possunt excommunicare. Sed praedicta opinio est rationabilior.”

Ibid., a. 2: “Sacramenta, in quibus gratia confertur, dispensare ad solos sacerdotes pertinet: et ideo ipsi soli possunt absolvere et ligare in foro poenitentiali. Sed excommunicatio non directe respicit gratiam, sed ex consequenti, in quantum homo suffragiis Ecclesiae privatur, quae ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant. Et ideo *etiam non sacerdotes*, dummodo jurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.”

Ibid., q. 19, a. 3, ad 4: “Mulier, secundum Apostolum, est in statu subjectionis. Et ideo non potest habere aliquam spiritualem jurisdictionem: quia etiam secundum Philosophum [Ethic. 8, 10] corruptio est urbanitatis, quando ad mulierem dominium pervenit. Unde *mulier non habet neque clavem ordinis, neque clavem jurisdictionis*. Sed committitur mulieri aliquis usus clavium, sicut habere correctionem in subditas mulieres, propter periculum quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent.”

Codex J. C., can. 2220: “§ 1. Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta imponendi, possunt quoque legi vel praecepto poenas adnectere; qui judiciali tantum, possunt solummodo poenas, legitime statutas, ad normam iuris applicare. § 2. Vicarius Generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas.” *Can. 2221*: “Legislativam habentes potestatem, possunt intra limites suae iurisdictionis, non solum legem a se vel a decessoribus latam, sed etiam, ob peculiaria rerum adiuncta, legem tam divinam, quam ecclesiasticam a superiore potestate latam, in territorio vigentem, congrua poena munire aut poenam lege statutam aggravare.” *Can. 118*: “Soli clerici possunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis ecclesiasticae et beneficia ac pensiones ecclesiasticas obtinere.”

Quoad mulierem controvertitur an Papa possit ei delegare jurisdictionem ferendi censuras. Affirmant plures, uti *Paludanus, Suarez, Laymann, Palaus, Lacroix*, et inter modernos *Ballerini* (in notis ad Gury, v. 2, n. 943); negant alii, uti *S. Thomas* (nuper cit.), *Soto*,¹¹

¹¹Ambigue tamen loquitur, scribens: “Ex commissione non video cur non possint [mulieres] hanc habere potestatem constituendi praecepta spiritualia . . . citra tamen excommunicationis censuram: nam haec facultas nunquam mulieribus commissa est, nec eis committere decet. Tametsi Paludanus, quia hoc est jus positivum, censeat eam quoque

Coninck, Salmanticenses, S. Alphonsus (l. 7, n. 12), *Billuart*, et inter modernos *Prümmer* (n. 479). *Innocentius III*, Epist. 187 (cit. in art. 98, p. 689), proscribens quarundam abbatissarum abusum benedicendi moniales, audiendi confessiones et publice praedicandi, hanc affert rationem: "Quia licet beatissima Virgo Maria dignior et excellentior fuit apostolis universis, non tamen illi, sed istis, Dominus claves regni caelorum commisit."

3. *SUBJECTUM* cui censura infligi potest est *homo viator, baptizatus, rationi compos dolique capax, subditus* ei qui censuram fert. Praeterea Excommunicatio, secus ac suspensio et interdictum, nequit ferri *in totam communitatem*, eo quod bona, quibus ipsa privat, sint bona personalia, nec justum est personaliter punire innocentem. Eadem persona potest *pluribus excommunicationibus* subici.

S. Thomas, Suppl., q. 22, a. 4: "Cum per jurisdictionem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu ejus in quem habet jurisdictionem, quia iudex est ejus; ideo nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel aequalem, jurisdictionem: et per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem, aut aequalem."

Ibid., a. 5: "Excommunicari non debet aliquis nisi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu consistit: actus autem non est communitatis, sed singularium personarum, ut frequenter. Et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, *non autem ipsa communitas*. Et si quandoque etiam actus sit alicujus totius multitudinis, ut quando multi navem trahunt, quam nullus per se trahere posset, tamen non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes. Et quia 'non est Dei, qui judicat omnem terram ut condemnet justum cum impio', ut dicitur Genes. XVIII, ideo Ecclesia, quae Dei iudicium imitari debet, satis provide statuit ut communitas non excommunicetur, ne cum loliis et zizaniis simul eradicetur et triticum." *Ibid., ad 2*: "Suspensio non tanta poena est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiae suffragiis, sicut excommunicati. Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur; sicut et totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato regis. Et ideo non est simile de excommunicatione et suspensione."

posse eis committi, cum committatur mere laico" (In 4 Sent., dist. 20, q. 1, a. 4. Venetiis, 1575, p. 958 sq.). Hinc *Ballerini* ait "non recte. . . Sotum a S. Alphonso pro sua opinione allegari." Attamen non recte idem auctor *ipsum S. Thomam ad suam sententiam trahere conatur* eo quod S. Doctor in fine citati textus dicat "committi mulieribus aliquem usum clavium, sicut habere correctionem in subditas mulieres"; ex priori enim parte ejusdem textus, in qua simpliciter denegatur mulieri "clavis jurisdictionis", patet *aliquem illum usum* clavium, non esse potestatem ipsam jurisdictionis, et multo minus excommunicationem vel censuram ferendi, sed actum correctionis, ex potestate dominativa procedentem, qui exercitium potestatis clavium imperfecte imitatur.

Ibid., a. 6: "Ille qui excommunicatus est una excommunicatione, potest iterum excommunicari vel per ejusdem excommunicationis iterationem ad majorem sui confusionem, ut sic a peccato resiliat, vel propter alias causas: et tunc tot sunt principales excommunicationes, quot causae pro quibus aliquis excommunicatur." *Ibid.*, ad 2: "Privatio, quamvis non recipiat magis et minus secundum se, recipit magis et minus secundum causam suam: et secundum hoc excommunicatio potest iterari; et magis est elongatus a suffragiis Ecclesiae qui pluries est excommunicatus quem qui semel tantum."

Codex J. C., can. 1226, § 1: "Poenae adnexae legi aut praecepto obnoxius est qui lege aut praecepto tenetur, nisi expresse eximatur." *Can. 2227*: "§ 1. Poena nonnisi a Romano Pontifice infligi aut declarari potest in eos de quibus in can. 1557, § 1.—§ 2. Nisi expresse nominentur, S. R. E. Cardinales sub lege poenali non comprehenduntur, nec Episcopi sub poenis latae sententiae suspensionis et interdicti." *Can. 2255*, § 2: "Excommunicatio afficere potest tantum personas físicas, et ideo, si quando feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint; interdictum et suspensio, etiam communitatem, ut personam moralem." *Can. 2224*: "§ 1. Ordinarie tot poenae quot delicta. § 2. Si tamen propter numerum delictorum nimius esset poenarum infligendarum cumulus, prudenti iudicis arbitrio relinquitur aut poenam omnium graviorem infligere, addita, si res ferat, aliqua poenitentia vel remedio poenali, aut poenas intra aequos terminos moderari, habita ratione numeri et gravitatis delictorum. § 3. Si poena constituta sit tum in conatum delicti tum in delictum consummatum, hoc admissio, infligi tantum debet poena in consummatum delictum statuta."

Ex dictis sequitur non posse excommunicari *res inanimatas aut bestias* (in quas potest tamen exerceri abjuratio seu exorcismus, ob daemonum infestationem), *daemones* (qui possunt exorcismo objurgari), *angelos*, animas *defunctorum* et a fortiori eorum corpora, *catechumenos*, *paganos*, *infantes* aut *amentes*, *S. Pontificem*.

Excommunicatio in mortuos lata, quae occurrit in historia Patrum vel ecclesiarum, non est intelligenda in sensu proprio jurisdictionali inflictionis poenae, sed in sensu prohibitionis ecclesiasticae sepulturae et publicorum suffragiorum, eo fine latae ut fideles discerent abhorreere crimina, quibus maculati fuerant quidam defuncti. "Huiusmodi est quod *S. Cyprianus* [Ep. 66, M.L. 4; 411] refert, se videlicet Victorem quemdam mortuum, ob crimen post eius decessum cognitum, excommunicasse, vetando ne pro illo fieret oblatio aut deprecatio in Ecclesia:

quod quidem sibi vult, Patrem hunc prohibuisse, ne pro illo defuncto suffragia solemniter persolverentur. Simile huic est quod de *S. Gregorio* [Dial., l. 4, c. 55] refertur, illum scilicet religiosum quemdam, ob nummos apud eundem inventos, sepultura ecclesiastica privasse, quod scilicet unus est ex effectibus excommunicationis: hoc quippe fecit ille, ad aliorum terrorem, necnon ad eius fratris adhuc viventis resipiscentiam, quae, ut ille refert, revera secuta est. Denique non alio modo intelligendum est quod narrat idem S. Pater [Ibid., l. 2, c. 23], de quibusdam sanctimonialibus, quibus quia linguam non satis frenaverant, S. Benedictus excommunicationem erat minatus; quae quidem cum se non emendassent, mox defunctae sunt, et in ecclesia sepultae. Cum vero diaconus clamaret ut non communicantes exirent, revera visae sunt egredi de ecclesia: scilicet hanc Deus visionem prae-buit, ad ostendendum quanta sit excommunicationis virtus in vivos latae.”¹² Cf. quae dicuntur infra de *absolutione mortuorum*.

4. *Modus* quo Excommunicatio, seu censura, aufertur, est *ABSOLUTIO*. Non ergo aufertur per dispensationem (quae est quidam actus gratiae), nec aufertur morte ferentis, aut morte rei, aut emendatione istius. *Non quilibet sacerdos* potest absolvere a censuris, sed tantum qui, juxta canones, habet ad hoc ordinariam vel delegatam jurisdictionem; ordinariam autem potestatem habent qui tulit censuram, qui ei succedit in officio, qui ei superior est. Absolutio dari potest *in foro externo aut in foro interno*. Si agitur de censura quae non impedit receptionem sacramentorum, uti suspensio, reus potest absolvi a peccatis, quin a censura absolvatur; si vero censura *impedit sacramentorum receptionem*, uti excommunicatio, nemo potest a peccatis absolvis nisi prius absolvatur a censura.

S. Thomas, Suppl., q. 24, a. 1, Sed contra: “Ejusdem potestatis est excommunicare, et excommunicatum absolvere. Sed sacerdotes inferiores non possunt suos subditos excommunicare. Ergo nec absolvere.” *Ad 1:* “Quamvis vinculum peccati sit majus simpliciter quam excommunicationis, tamen quoad aliquid vinculum excommunicationis est majus, inquantum non solum obligat quoad Deum, sed etiam in facie Ecclesiae. Et ideo in absolvendo ab excommunicatione requiritur jurisdictionis in exteriori foro, non autem in absoluteione a peccato: nec exigitur cautio juramenti, sicut exigitur in absoluteione ab excommunicatione; per juramentum enim controversiae quae sunt inter homines terminantur, secundum Apostolum.”

Ibid., ad 2: “Cum excommunicatus non sit particeps sacramentorum

¹² *Lépicier, De Poenitentia, Romae, 1935, p. 488 sq.*

Ecclesiae, sacerdos non potest absolvere excommunicatum a culpa, nisi sit prius absolutus ab excommunicatione."

Ibid., a. 2: "Utrum aliquis possit absolvi invitus. . . Malum culpae et poenae in hoc differunt, quod culpae principium est in nobis, quia omne peccatum voluntarium est, poenae autem principium quandoque extra nos est: non enim requiritur ad poenam quod sit voluntaria; imo magis est de ratione poenae quod sit contra voluntatem. Et ideo sicut peccata non committuntur nisi voluntate, ita non remittuntur alicui invito. Sed excommunicatio sicut in aliquem invitum ferri potest, ita etiam invitus ab ea absolvi poterit."

Ibid., ad 2: "Etiam manente contumacia, potest aliquis discrete excommunicationem iuste latam remittere, si videat saluti illius expedire, in cuius medicinam excommunicatio lata est."

Codex J. C., can. 2248: "§ 1. Quaelibet censura, semel contracta, tollitur tantum legitima absolutione. § 2. Absolutio denegari nequit cum primum delinquens a contumacia recesserit ad normam can. 2242, § 3". *Can.* 2250: "§ 1. Si agatur de censura quae non impedit Sacramentorum receptionem, censuratus, rite dispositus et a contumacia recedens, potest absolvi a peccatis, firma censura. § 2. Si vero agatur de censura quae impedit Sacramentorum receptionem, censuratus nequit absolvi a peccatis, nisi prius a censura absolutus fuerit. § 3. Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam adhiberi convenit in eisdem libris traditam."

Absolutio mortuorum, quae in usu est in Ecclesia inde saltem a *Conc. Constantinopolitano II* a. 553 (in sess. 5 discussa est quaestio de Excommunicatione mortuorum; cf. *Hejsele-Leclercq*, t. 3, 1re partie, p. 87 sq.), quaeque exhibetur etiam in *Rituale Romano*, De sacr. Poenitentiae, c. 4, sub titulo "Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum", consideranda est non ut proprius actus jurisdictionalis, sicut erat ipsa Excommunicatio inflictis homini dum viveret, nam in defunctos non habet amplius Ecclesia jurisdictionem, sed ut mera concessio ecclesiasticae sepulturae ac suffragiorum.

Ceterum in antiquis documentis talis absolutio quandoque fuit mera declaratio quod defunctus e vita discesserit non ligatus censuris. Talis videtur fuisse celebris absolutio *data defuncto Abaelardo a Petro Cluniacensi* ad petitionem Heloisae, et huic abbatissae missa ut appenderetur Abaelardi sepulchro: "Ego Petrus Cluniacensis, qui Petrum Abaelardum in monachum Cluniacensem suscepi, et corpus

ejus furtim delatum Heloisae abbatissae et monialibus Paracleti concessi, auctoritate omnipotentis Dei et omnium sanctorum absolvo eum pro officio ab omnibus peccatis suis” (M.L. 189, 428, in nota; cf. epist. 21 Heloisae et epist. 22 Petri Cluniacensis ad Heloisam, *ibid.*, 427–429).

CAPUT XI

DE INDULGENTIIS¹

1. OBJECTUM.

Materia de indulgentiis peculiariter connectitur cum tribus quaestionibus theologicis; primo scilicet cum tractatu de *Purgatorio*, cujus incolae maxime adjuvantur tum generaliter per suffragia tum particu-

¹Ex auctoribus hic relatis, peculiariter notandi sunt: quoad partem dogmaticam, *Cajetanus, Bellarminus, Suarez, Palmieri et Lépicier*; quoad partem historico-positivam, *Morinus, Amort, N. Paulus, Gallier, Poschmann*; quoad partem practicam, moderni *Beringer, Fanfani, Heylen, De Angelis*.

A. *D'Alès*, La doctrine des indulgences, in *Etudes*, 1915, v. 144, p. 289 sqq. 481 sqq.; v. 145, p. 30 sqq.; De Poenitentia, thes. 10, *Scholion*, Parisiis, 1926, p. 136-139.

S. *Alphonsus*, l. VI, n. 531-538.

E. *Amort*, De origine, progressu, valore ac fructu indulgentiarum, Augustae Vindelicorum, 1735. De hoc opere ait *Lépicier* (De poenit., p. 494, in nota): "Auctorem hunc pervolvere debet quisquis argumentum de Indulgentiis pertractandum suscipit."

C. *Balié*, De indulgentiis in disputationibus scholasticis "Quodlibet" nuncupatis, in *Antonianum*, vol. 25 (1950), p. 79-98.

Ballerini-Palmieri, De suffragiis et indulgentiis, n. 18-112, in *Opus theol. morale*, v. 5, Prati, 1893, p. 626-679.

Bellarminus, De indulgentiis, Opera omnia, Neapoli, 1872, t. 5, p. 109-171.

E. *Bendel*, Die kirchliche Ablass in seiner historischen Entwicklung, dogmatischen Auffassung und praktischen Anwendung, 1847.

F. *Beringer*, Die Ablässe, ihr Wesen und Gebrauch, ed. 15 P. A. *Steinen*, 2 voll., Paderborn, 1922, Appendix, 1930. Gallice transl. ex 15 ed. germanica a Ph. *Mazoyer*: Les Indulgences, leur nature et leur usage, 2 voll., Paris, 1925. Decretum S. Poenitentiarum, 11 julii 1925, "hoc opus [juxta gallicam translationem ipsi submissam] approbavit et, quoad Indulgentias inibi relatas, authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari permisit."

Billot, De sacramentis, t. 2, Romae, 1930, p. 239-245.

Billuart, Tractatus de indulgentiis, in *Cursus Theol.*, t. 9, Parisiis, 1904, p. 508-526.

Boudinhon, Sur l'histoire des indulgences, à propos d'un livre récent [i.e. operis H. Ch. *Lea*], in *Revue d'histoire et de littérature religieuse*, t. 3 (1898), p. 435-455; Manuel sur le jubilé de 1901, Paris, 1901; art. Indulgences, in *Encyclopedia of Religion and Ethics*, Edinburg, 1914.

J. B. *Bouvier*, Traité dogmatique et pratique des indulgences, des confréries et du jubilé, Tournai, 1844.

T. *Brieger* (protestans), art. Indulgenzen, In *Realencyklopädie für protest. Theologie*, t. 9.

A. *Bukowski*, Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie, Paderborn, 1911, p. 115-142 (ubi exponitur doctrina schismaticorum rutorum de indulgentiis eorumque argumenta contra doctrinam catholicam).

Cajetanus, Opuscula omnia (ed. Lugduni, 1581, t. 1), tract. 8 De indulgentiarum thesauro; tract. 9 De causa indulgentiarum; tract. 10 De suscipientibus indulgentias; tract. 15 De indulgentiis (ad Card. Iulium Medicem); tract. 16 De indulgentiis quaestiones sex. Plures quaestiones referuntur in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 359-368.

lariter per indulgentias; secundo, cum quaestione de *Satisfactio*ne superius persoluta in praesenti tractatu, nam satisfactio vicaria est unum ex fundamentis indulgentiarum; tertio, cum quaestione de *potestate clavium*, nam indulgentia importat exercitium hujusmodi

- Capetius*, Tractatus de indulgentiis, Insulis, 1599.
Cappello, De Poenitentia, n. 637-724.
P. Chrétien, De Poenitentia, n. 365-402, ed. 2, Metis, 1935.
S. Cipriani, Un importante trattato giansenistico sulle indulgenze e il Sinodo di Pistoia, in Divus Thomas (Piacenza), a. 52 (1949), p. 142-160.
Collectio precum piorumque operum quibus Romani Pontifices . . . indulgentias adnuerunt ab anno 1899 ad 1928, Romae, Polyglottis Vaticanis, 1929.
Collet, Traité historique, dogmatique et pratique des indulgences et du jubilé, Louvain, 1760. Idem opus, latine exaratum, refertur apud Migne, Theol. Cursus, t. 18, col. 513-690.
W. Conway, The Granting of an Indulgence in "Dubio Iuris," in The Irish Ecclesiastical Record, vol. 75 (1951), p. 361 sq.
M. Conte a Coronata, Inst. Juris Canonici, v. 1, n. 466-538.
Antonius Cordubensis, De fide, Ecclesia et Indulgentiis, Compluti, 1552.
S. De Angelis, De indulgentiis. Tractatus quoad earum naturam et usum, Colle Doa Bosco (Asti), (1946).
Decreta authentica S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1882 edita jussu et auctoritate SS. D. N. Leonis P. P. XIII, Ratisbonae, 1883.
H. De Jongh, Les grandes lignes de l'histoire des indulgences, in La Vie diocésaine, t. 6 (1912), p. 133-149. 225-239. 333-355.
G. Demaret, Indulgences à l'usage de tous les fidèles suivies d'un manuel de piété Paris, 1940.
J. B. Falise, Resolutiones authenticae S. C. Indulgentiarum, Lovanii, 1862.
L. I. Fanfani, De Indulgentiis. Manuale theorico-practicum ad normam Codicis Juris Canonici, ed. altera, Taurini-Romae, 1926; De Jubilaeo seu anno sancto vertente anno 1925, Taurini-Romae, 1924; De Rosario B. M. Virginis, Taurini-Romae, 1930.
A. Faucieux (A. Chollet), Les indulgences devant l'histoire et le droit canon, in Revue des sciences ecclésiastiques, a. 1887 sq.
P. Feron-Vrau, Petit traité pratique des indulgences, Paris (1924-1926).
Galtier, De Paenitentia, Appendix de indulgentiis, n. 577-612; in Dict. Apol. ar. Indulgences, col. 718-752; Les indulgences: origine et nature, à propos d'un ouvrage récent [i.e. operis Poschmann, de quo infra] in Gregorianum, vol. 31 (1950), p. 258-274.
F. Gillmann, Zur Ablasslehre der Frühscholastik, in Katholik, 1913, v. 1, p. 365 sqq.; 1915, vol. 1, p. 465 sqq.
E. Göller, Die päpstliche Poenitentiarie von ihrem Ursprung bis zu ihrer Umgestaltung unter Pius V, Rom, 1907; Der Ausbruch der Reformation und die spätmittelalterliche Ablasspraxis, Freiburg i. B., 1917.
A. Gougnard, Tractatus de indulgentiis, Mechliniae, 1933; De reformandis in materia indulgentiarum, Lovanii, 1939; Précisions en matière d'indulgences, in Collectanea Mechlinensia, t. 8 (1934); t. 13 (1939).
G. Grimaud, Ordo des indulgences plenières approuvé par la S. C. des Indulgences, Paris, 1904.
H. van Groessen, Leer en praktijk der Aflaten, Roermond, Maaseik, 1946.
F. E. Hagedorn, General Legislation on Indulgences, Washington, D. C., 1924.
V. Heylen, Tractatus de indulgentiis, editio sexta, Mechliniae, 1948.
J. Hügers, Die katholische Lehre von den Ablassen und deren geschichtlichen Entwicklung, Paderborn, 1914.
Hirscher, Die kath. Lehre von Ablass, Tübingen, 1841.
A. Janssen, La doctrine des Scolastiques sur l'efficacité des indulgences, in Nouvelle Revue théologique, 1922, p. 173 sqq. 244 sqq. 309 sqq.
M. Jugie, Theologia dogmatica Christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica disidentium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 369-389 (ubi exponitur doctrina et historia Indulgentiarum apud Schismaticos).
A. M. Königer, Ursprung des Ablasses: Festgabe für Knöpfer, München, 1907.
A. Kurz, Die kath. Lehre vom Ablass, Paderborn, 1900.

potestatis. Propterea haec materia a quibusdam appenditur tractatui De Purgatorio (ita Suarez ad finem illius tractatus agit prius de Suffragiis, subinde de indulgentiis; Conc. ipsum Tridentinum decretum de indulgentiis fert post Decretum de Purgatorio in sess. 25); ab

- J. Lacau*, *Précieux trésors des indulgences*, ed. 10, Turin-Rome, 1932.
- E. Laskowski*, *Beiträge zur Geschichte des spätmittelalterlichen Ablasswesens*, Breslau, 1929.
- Laurentius*, *Controversiae de indulgentiis*, Cracoviae, 1593.
- J. Lavorius*, *De indulgentiis*, 1707.
- H. Ch. Lea* (protestans), *A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church*, 3 vols. Philadelphia, 1896. In tertio hujus operis volumine, quod est praecipuum scriptum Protestantium contra doctrinam catholicam de indulgentiis, exhibetur indoles, origo et evolutio indulgentiarum, per 584 solidas paginas, magno eruditionis apparatu repletas sed omni sensu criticae aequitatis destitutas.
- A. Legrand*, in *Collationes Brugenses*, t. 25 (1920); *Florilegium seu fasciculus precum et indulgentiarum*, ed. 3, Brugis, 1941.
- Lehmkuhl*, *Theol. Moral.*, v. 2, ed. 1902, n. 523-564.
- Card. A. Lépicier*, *Tractatus de Poenitentia*, Romae, 1935, p. 491-576; *Le indulgenze: loro origine, natura e svolgimento*, Siena, 1897, transcriptum in galligam linguam sub ipsius auctoris regimine: *Les indulgences: leur origine, leur nature et leur développement*, 2 voll., Paris (1902).
- Lugo*, *De Poenitentia*, disp. 27.
- A. Magnin*, in *Dict. Théol. Cath.*, art. *Indulgences*, col. 1594-1636.
- A. Maurel*, *Le chrétien éclairé sur la nature et l'usage des indulgences*, Lyon, 1884.
- J. McCarthy*, *Gaining of Indulgences for the Souls in Purgatory*, in *The Irish Ecclesiastical Record*, vol. 70 (1948), p. 63-68.
- Theologia Mechliniensis*, *Tractatus de indulgentiis*, ed. 5, Mechlinae, 1933.
- Michael Medina*, *Disputatio de indulgentiis*, Venetiis, 1564.
- B. Melata*, *Manuale de Indulgentiis*, Romae, 1892.
- P. Meyer*, *De Abaten*, Roermond, 1924.
- A. Michel*, *Valeur des indulgences*, in *Ami du Clergé*, vol. 59 (1949), p. 739-742.
- S. Minderer*, *De indulgentiis in genere et in specie necnon de jubilaee*, Venetiis, 1764.
- P. Mocchegiani*, *Collectio indulgentiarum theologicæ, canonice et historice digesta*, Quaracchi, 1897; *De altaribus privilegiatis et de Agnis Dei*, *ibid.*, 1893; *Directorium Sanctae Crucis*, *ibid.*, 1897.
- Morinus*, *Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae*, l. 10, praecipue c. 21-23, Parisiis, 1651, p. 771-780.
- Martinus Navarrus*, *Commentarius de jubilaee et indulgentiis*, Opera, t. 1.
- Van Noort-Verhaar*, *De sacramentis*, II, n. 132-156.
- D. Palmieri*, *De Poenitentia*, *Appendix de indulgentiis*, Romae, 1879, p. 443-485.
- V. Palmieri* (Jansenista), *Trattato storico-dogmatico-critico delle indulgenze*, Pistoia, 1786. De hoc opere cf. *Cipriani*, supra relatum.
- P. M. Passerini*, *Tractatus de indulgentiis*, Venetiis, 1695.
- Paulianus*, *Tractatus de jubilaee et indulgentiis*, Romae, 1550.
- Nicolanus Paulus*, *Geschichte des Ablasses im Mittelalter*, 3 voll., Paderborn, 1922-1923. Scripsit praeterea opus: *Johann Tetzl, der Ablassprediger*, Mainz, 1899, de quo Galtier ait: "[Il] a complètement renouvelé l'histoire de la querelle des indulgences en Allemagne au temps de Luther" (*Dict. Apol.* art. *Indulgences*, col. 752). Item ab anno 1898 ad annum 1915 plures scripsit articulos in germanicis periodicis, praecipue in *Zeitschrift für kath. Theologie*, quorum praecipuis enumeratis, Galtier scribit (*ibid.* col. 751): "L'histoire la plus complète et la plus rigoureusement scientifique est désormais à chercher dans les nombreux articles publiés depuis 1899 par le Dr. Nicholas Paulus dans les diverses revues allemandes et en particulier dans la *Zeitschrift für kath. Theologie*."
- J. Perrone*, *Tractatus de indulgentiis*, in *Prael. Dogm.*, vol. 3, Parisiis, 1874, p. 353-381.
- Pesch*, *De poenit.*, *Appendix de indulgentiis*, n. 461-506.
- B. Poschmann*, *Der Ablass in Lichte des Bussgeschichte*, Bonn, 1948. De hoc opere cf. *K. Rahner*, *Recensio critica operis B. Poschmann*, in *Zeitschr. Kath. Theol.*, vol. 71 (1949), p. 481-490; et *Galtier*, nuper citatum.
- Preces et pia opera* . . . indulgentiis ditata, *Polyglottis Vaticanæ*, 1938 et 1950.

aliis adiungitur quaestioni de Satisfactione sacramentali (ita Lugo de indulgentiis agit sub titulo "De satisfactione, quae per indulgentias applicari solet"; item S. Alphonsus); ab aliis apponitur quaestioni de potestate clavium vel saltem de ministro sacramenti ejusque potestate (S. Thomas, Albertus M., Bonaventura,² Billot, Lépiciér, Hugon, Boyer); ab aliis generaliter ac indifferenter apponitur toti tractatui De Poenitentia, sub titulo "Appendix de Indulgentiis" (Billuart, qui tamen imponit titulum "Tractatus De Indulgentiis", Palmieri, Pesch, Galtier, Diekamp, Hervé).

Optimus, ut videtur, locus hujus materiae est Tractatus De Poenitentia, et quidem quaestio de potestate clavium, cujus ceteroquin potestas indulgentiarum non est quaedam appendix, sed vera pars, etsi secundaria. Multipliciter enim haec materia complet, nec quomodolibet respicit, tractatum De Poenitentia. Complet imprimis effectum hujus sacramenti seu absolutionis, adducens ad perfectum

A. *Prinzivalli*, Resolutiones seu decreta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1861 accurate collecta, Romae, 1862; *Raccolta* di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le S. Indulgenze, Roma, 1898; *Raccolta* di indulgenze concesse a tutti i fedeli dai Sommi Pontefici dall' Agosto 1898 al Dicembre 1909, Roma, 1910.

E. *J. Regatillo*, Las Indulgencias, 3 ed., Santander, 1947.

F. *Remy*, Les grandes indulgences pontificales aux Pays-Bas à la fin du moyen-âge (1300-1351). Essai sur leur histoire et leur importance, Louvain, 1928.

V. *Repa*, De thesauro meritorum disputatio dogmatica completens quaestiones de indulgentiis, de reparatione pro peccatis, de operibus supererogatoriis, in *Actibus Acad. Velehradensis*, t. 10 (1914-1919).

Reynerius, Tractatus de indulgentiis, Duari, 1626.

H. *Schmidt*, Bullarium Anni Sancti (Universitas Gregoriana, Textus et documenta. Series theologica, n. 28), Romae, 1949.

J. *Schneider*, Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae, necnon Summarium Indulgentiarum, Ratisbonae-Neo Eborac-Cincinnati, 1885.

J. M. *Schoofs*, Die lehre vom kirchlichen Ablass, Münster, 1857.

Scotus. "De indulgentiis Scotus in Commentariis suis de Sententiis Lombardi, in Quaestionibus Quodlibetalibus vel alibi non agit. In solis *Quaestionibus Miscellaneis*, quarum authenticitas autem non certo constat, occurrit nobis de eis in quaestione quarta (tom. 5, 370 ss) tractatus isque pulcherrimus." Ita *P. Minges, O.F.M.*, qui in opere I. D. Scoti doctrina philosophica et theologica, t. 2, Quaracchi, 1930, p. 65-66, doctrinam praedictarum Quaestionum Miscellaneorum compendio tradit. Cf. etiam *H de Montefortino*, J. D. Scoti Summa Theologica, 3 p., Suppl., q. 25-27, et q. 71, a. 10.

P. *Steinen*, Tractatus de indulgentiis lucrandis, 1912.

Suarez, De Poenitentia, disp. 49-57.

Theodorus a Spiritu Sancto, O.C.E., Tractatus dogmatico-moralis de indulgentiis, Romae, 1743; Tractatus historico-theologicus de jubileo, *ibid.*, 1750.

Zecchi, De indulgentiis et jubileo deque eorum origine, praestantia et utilitate, Coloniae, 1601.

Zerola, De jubileo et indulgentiis, Venetiis, 1600.

² Attamen *S. Thomas* (In 4 Sent., dist. 20-21), *Albertus M.* (*ibid.*, dist. 20) et praecipue *Bonaventura* (*ibid.*, dist. 20), quaestionem de indulgentiis miscent cum quaestionibus de satisfactione in genere et de satisfactione per poenam Purgatorii. In *Supplemento* autem tertiae partis S. Thomae, materia de indulgentiis ab his quaestionibus sejungitur ac omnino logice disponitur ut sequela potestatis clavium, una cum materia de Excommunicatione.

terminum remissionem ipsam peccatorum, quae nondum perfecta intelligitur donec etiam poena peccati totaliter extingatur, ac ita claudit seriem omnium causarum totalis remissionis peccatorum (quae sunt: sacramentum, tollens culpam et partem poenae; satisfactio sacramentalis, tollens relictam poenam ex opere operato; satisfactio tam personalis quam vicaria, tollens hanc poenam ex opere operantis; indulgentia, tollens eandem ex opere operato vicariae satisfactionis, solutae ex Ecclesiae potestate); complet subinde satisfactionem sacramentalem, nam indulgentia est alius modus obtinendi remissionem poenae ex opere operato extrasacramentaliter; complet tandem rationem et influxum potestatis clavium, quae ex sacramentali remissione peccatorum sese extendit ad extrasacramentalem remissionem poenae ex opere operato, ita ut medio quodam modo se habeat inter mere forensam jurisdictionem Ecclesiae et interiorem illam animarum jurisdictionem quae, conserta ordinis potestati, constituit propriissime claves regni coelorum.

Haec autem ultima ratio est formalis in indulgentia, quae nihil aliud est quam particulare quoddam, etsi secundarium, exercitium potestatis clavium in remissionem peccatorum.

Ex dictis patet quantum sit hujus quaestionis *momentum*, tum *practicum*, nam, ut ait Conc. Trid., "indulgentiarum usus est christiano populo maxime salutaris" ac ideo, ut monet Codex J. C., est "ab omnibus magni faciendus", tum *polemicum*, nam a dogmate indulgentiarum coepit ipsius Lutheri impugnatio et defectio a catholica unitate, et contra illud alii gregatim reformatores sua tela peculiariter converterunt, eo fine ut una cum eo everterent connexas veritates de Purgatorio, de suffragiis, de satisfactione et de ipso sacramento Poenitentiae, ac sese liberarent a Babylonica, ut aiunt, captivitate, frangentes claves Ecclesiae.

2. DIVISIO.

Hujus tractationis divisio fere continetur in ipsa definitione indulgentiae quam assignat *Codex J. C.*: "Remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii" (can. 911). In his verbis exprimitur tum existentia tum essentia indulgentiae secundum quatuor ejus causas, quarum considerationem sequenti ordine per 12 articulos distribuimus:

Existentia		
Essentia		art. 107
	<i>Causa formalis</i>	
	Dispensatio thesauri	art. 108
	Actus jurisdictionis	art. 109
	<i>Causa finalis</i>	
	Effectus, seu remissio poenae temporalis	art. 110
	Efficacitas, infallibilis et ex opere operato	art. 111
	Definitio Indulgentiae	art. 112
	Divisio Indulgentiae	art. 113
	<i>Causa efficiens, seu concedens</i>	
	Auctoritas concedentis	art. 114
	Causa seu motivum concessionis	art. 115
	<i>Causa materialis extrinseca, seu subjectum</i>	
	Applicabilitas defunctis	art. 116
	Conditiones requisitae in vivis	art. 117
	Discrimen inter Indulgentiam et Poenitentiam	art. 118

S. Thomas de hac materia agit in *Suppl.*, q. 25–27 (i.e. In 4 Sent., dist. 20, q. 1, a. 3–5), ubi de indulgentiae essentia et effectu (q. 25), ministro (q. 26), subjecto (q. 27). *Ibid.*, q. 71, a. 10, inter quaestiones de suffragiis agit de applicatione indulgentiarum ad defunctos. Praeterea, in *Quodlibeto* 2, q. 8, a. 16, fere omnia praedicta breviter resumit.

ART. 107. Utrum Ecclesia Habeat Potestatem Concedendi Indulgentias (*Suppl.*, q. 25, a. 1; *Quodlib.* 2, q. 8, a. 16).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de potestate Ecclesiae quatenus se extendit ad concessionem indulgentiarum, vel, si placet, de ipsa *EXISTENTIA INDULGENTIAE*. Ad quam quaestionem resolvendam necesse non est praemittere quaestionem de essentia, seu de scientifica definitione indulgentiae, in sequentibus articulis determinanda, sed sufficit habere communem ac vulgarem ejus notionem, juxta quam indulgentia a populo christiano intelligitur quaedam remissio poenae temporalis, obta extra sacramentum Baptismi vel Poenitentiae, ex quadam concessione superabundantium satisfactionum Christi et Sanctorum.

NOMEN INDULGENTIAE (juxta aliquos, ab *in*, privativa, et *urgeo* = non urgeo; juxta alios ab *indu*, quae est veterum forma pro *in*, et *algeo* seu *frigesco* = aliquid aegre, quasi frigesco, rogatus permitto, alioquin non concessurus; juxta Forcellini, opinative tamen, ab *in* et *dulceo* = dulcis seu facilis erga alios me praebeo), *in usu*

*profano*³ jam ab antiquo significavit, in sensu subiectivo, quamdam facilitatem seu lenitatem animi, et, in derivato sensu objectivo seu effectivo, gratiam, favorem, veniam, remissionem. Utraque significatio occurrit tum in bonam, tum etiam in malam partem, cum nempe plus benevolentiae aut favori tribuitur quam par est. *Cicero*, 1 *Leg.*, 13, 35: "Homines inter se naturali quadam indulgentia et benevolentia contineri". *Justin.*, 1, 9, 13: "Tributa et militiae vacationem in triennium permittunt: ut regnum, quod fraude quaesierant, indulgentia et largitionibus confirmarent".

Subinde vox assumpsit etiam *sensum juridicum* remissionis poenae. *Capitolin. Antonin.*, 6: "His, quos Hadrianus damnaverat, in senatu indulgentias [i.e. poenae remissionem] petit". In *Codice Theodosiano* (l. 9, t. 38 "De indulgentiis criminum") indulgentia est venia seu remissio quorundam criminum, quam christiani imperatores concedebant praecipue occasione paschalis celebrationis. (Cf. Baronium, *Annal.*, t. 4, sub ann. 385, n. 38.) Fertur *Constantinus* imperator indulgentiam seu remissionem reis concessisse occasione natalis Crispi et Helenae, filiorum ejus, similemque indulgentiam dedisse Donatistis exilio damnatis (cf. Baronium, *ibid.*, t. 3, sub ann. 321 et 322).

In *ipsa Scriptura* (versione Vulgata) nomen "Indulgentia" vel verbum "indulgeo", occurrit circiter 8 vicibus, ac refert triplicem sensum benevolentiae, liberationis a tributis, et spiritualis animi liberationis seu peccati remissionis.

In *primo sensu*, *Is.* 26, 15: "Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti; numquid glorificatus es?"; *ibid.*, 63, 7 et 9: "Miserationum Domini recordabor, laudem domini super omnibus, quae reddit nobis Dominus et super multitudinem bonorum domui Israel, quae largitus est eis secundum indulgentiam suam et secundum multitudinem miserationum suarum. . . In dilectione sua et in indulgentia sua ipse redemit eos et portavit et elevavit eos cunctis diebus saeculi." 1 *Cor.* 7, 6: "Hoc autem dico secundum indulgentiam [*συγγνώμη*, a *συγγνώσκω* = consentio, permitto, indulgeo, ignosco], non secundum imperium". In secundo sensu, 1 *Mach.* 10, 29: "Absolvo vos et omnes Judaeos a tributis et pretia salis indulgeo et coronas remitto et tertias seminis"; *ibid.*, 13, 37: "Parati sumus facere vobiscum pacem magnam et cribere praepositis regis remittere vobis quae indulsimus." In *tertio sensu*, *Judith* 8, 14: "Quia patiens Dominus est, in hoc ipso poeniteamus, et indulgentiam ejus fuis lacrymis postulemus". *Is.* 61, 1: "Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et prae-

³Cf. *Forcellini*, *Lexicon totius latinitatis*, ad v. *Indulgentia* et *Indulgeo*.

dicarem captivis indulgentiam [Septuaginta, ἀφεσις = dimissionem, dimissionem captivi, remissionem seu condonationem peccati: Luc. 4, 19; Marc. 3, 29; Hebr. 9, 22; Matth. 26, 28; Luc. 1, 77]. In *Luc. 4, 18 sq.* hic textus Isaiae sic refertur, mutato verbo "indulgentiam" in "remissionem" (dum in originali graeco idem verbum ἀφεσις habetur): "Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, praedicare captivis remissionem [ἀφεσις]".

In usum ecclesiasticum ea vox fortasse ex supradicta terminologia juridica derivavit, ut putat Bellarminus (De indulg., l. 1, c. 1) ad significandam extrasacramentalem poenae remissionem de qua agimus. Ceterum, nonnisi tardius ad hanc significationem restricta est, tanquam proprium ecclesiasticum nomen illius remissionis. Usque ad saec. 8, haec remissio nullum determinatum nomen habuit; a saec. 8, nomen "redemptio" in usu venit, cui subinde successit nomen "remissio", eo quod indulgentia prius conciperetur ad modum redemptionis seu commutationis in alia opere poenalia, subinde vero, minuente severitate impositarum conditionum, ipse conceptus remissionis clarius detectus est; in Decretali Alexandri III a. 1172 (c. 4) adhuc sermo est de "remissionibus". Jam circa initium saec. 13 in communi usu habetur nomen "indulgentia", ut constat vel ex ipso Conc. Later. IV can. 62, infra cit. (in p. 846). Etiam antea nomen illud occasionaliter occurrit, ut apud *Gerardum* presbyterum augustanum (circa finem saec. 10) in sua vita S. Udalrici (infra cit., p. 866), et in *Conc. Later. III* a. 1179 (cf. infra, p. 871). Quidam theologi saec. 13 adhibent indifferenter voces "indulgentia" et "relaxatio"; ita *Albertus M.* ("relaxatio", "indulgentia sive relaxatio") et *Bonaventura* ("indulgentia sive relaxatio", "relaxatio", "relaxatio satisfactionis"). *S. Thomas* adhibet uniformiter nomen "indulgentia". Quae vox, constanter subinde assumpta in documentis Ecclesiae, facta est theologica et canonica.

PARS NEGATIVA

Existentiam indulgentiae negarunt, vel, quod ad idem redit, indulgentiae naturam funditus pessumdarunt, praecipue *Protestantes*, qui imo ab impugnatione hujus dogmatis exordium sumpserunt suae rebellionis ac separationis ab Ecclesia. Eos praecesserunt *Wiclefiteae* et *Hussitae*, secutique sunt *Jansenistae* et moderniores *Schismatici Orientales*. Quamvis hi haeretici diversimode suam impugnationem proponant, tamen videntur omnes procedere ex eodem principio negationis vel pravae intellectionis tum potestatis clavium tum satisfactionis, quae sunt ipsa fundamenta indulgentiarum.

Variae sectae mediaevales, uti *Albigenses, Cathari, Petrobrussiani, Waldenses, Fraticelli*, negarunt sacramentum Poenitentiae et potestatem clavium, atque in hac negatione eo ipso indulgentias implicarunt, quin de eis directe ac signanter loquerentur.

Quidam tamen explicitè rejecerunt suffragia pro defunctis; ita *PETROBRUSSIANI*, de quibus Petrus abbas Cluniacensis († 1156) scribit: "Quintum capitulum [hujus haeresis] sacrificia, orationes, eleemosynas, et reliqua *bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta*, deridet, nec ea aliquem mortuorum vel in modico posse juvare affirmat. . .

"Excrevit enim malitia perfidorum, et quasi ex adipe iniquitas eorum prodiit, cum non solum vivorum saluti, sed etiam mortuorum spei invident, et universorum communes et publici hostes effecti, non tantum vivos occidere, sed et ipsos mortuos, si possibile esset, rursus extinguere moliantur. . . Leges divinae largitati praescribunt, et ne mortuis liber inter mortuos misereatur, coelestis censurae iudices interdicunt. Hoc faciunt quando altaris sacrificia, oblationes, orationes, eleemosynas, vel reliqua bonorum bona vivorum bonis mortuis prodesse non posse contendunt, et *Ecclesiae Christi tam celebrem, tam antiquum ab ipso Christo imo ante Christum ab ejus cultoribus observatum morem, universo orbe reclamante contemnunt. . .*

"Quid est, o haeretice, quod proponis? Non, inquit, prodesse possunt bona vivorum mortuis, *quia translatis e vita nec augeri queunt merita, nec minui*, quia extra vitam hanc non potest jam locus esse meritum, sed retributionum; nec ab aliquo potest sperare mortuus, quod dum in saeculo esset, non obtinuit vivus. Idcirco inania dico quaecumque a vivis pro mortuis fiunt, quia dum mortales per mortem universae carnis viam ad statum futuri saeculi transeunt, secum totum meritum suum, cui nihil possit adjici, ferunt."⁴

Historici sectae *WALDENSIUM* explicitè et concorditer testantur hos reiecisse indulgentias; quidam dicunt concilium ipsum Lateranense III a. 1179 sub Alexandro III hanc Waldensium propositionem damnasse: "Praelatorum indulgentias nullius sunt valoris".⁵ Hujusmodi

⁴ Tractatus contra Petrobrussianos, M.L. 189, 722 et 819 sq.

⁵ Notat tamen *Hefele-Leclercq*: "On a déjà supposé que les vaudois étaient en nombres des hérétiques menacés par le can. 27 du concile et, pour le prouver, on a cité ces paroles de l'auteur contemporain anglais Walter Mappes, qui assistait au concile de Latran par ordre du roi d'Angleterre Henri II: 'Vidimus in concilio romano sub Alexandro III celebrato Valdesios . . . , a primate ipsorum Valde dictos, qui fuerat civis Lugduni, etc.' Il est vrai qu'on s'occupait des vaudois pendant les délibérations du concile ainsi que nous le rapporte Walter Mappes, qui s'intéressa lui-même à cette affaire; ces vaudois avaient envoyé une ambassade au concile pour remettre une traduction de la Bible et solliciter une approbation de leur enseignement. Mais à la suite de l'interrogatoire qu'on fit subir aux ambassadeurs, on fut amené à les considérer comme

error videtur etiam innui in his verbis Professionis fidei Waldensibus praescriptae ab Innocentio III: "Peccatoribus vere poenitentibus veniam concedi a Deo credimus, et eis libentissime communicamus" (Denz. 424); communicatio enim seu reconciliatio ab Ecclesia dabatur signanter per remissionem poenae canonicae.

Eodem saeculo *ABAE LARDUS* († 1142) videtur denegasse, saltem episcopis indignis, potestatem concedendi indulgentias; attamen tota ejus doctrina de potestate clavium satis ambigua est ac variis interpretationibus ansam praebet (cf. supra art. 91, p. 250, et art. 98, p. 603).

In sua *Ethica*, c. 25, haec scribit: "Sunt nonnulli sacerdotum non tam per errorem, quam cupiditatem subjectos decipientes, ut pro nummorum oblatione satisfactionis injunctae poenas condonent vel relaxent; non tam attendentes quid velit Dominus, quam quid valeat nummus, de quibus ipse Dominus per prophetam conquerens ait: 'Sacerdotes mei non dixerunt: Ubi est Dominus? (Jer. ii, 6.)' Tanquam si diceret: Sed ubi est nummus? Nec solum sacerdotes, verum etiam ipsos principes sacerdotum, hoc est episcopos ita impudenter in hanc cupiditatem exardescere novimus; ut cum in dedicationibus ecclesiarum, vel in consecrationibus altarium, vel benedictionibus coemeteriorum, vel in aliquibus solemnitatibus populares habent conventus, unde copiosam oblationem expectant, in relaxandis poenitentis prodigi sunt; modo tertiam, modo quartam poenitentiae partem omnibus communitur indulgentes sub quadam scilicet specie charitatis; sed in veritate summae cupiditatis. Qui de sua se jactantes potestate, quam, ut ajunt, in Petro, vel Apostolis susceperunt, cum eis a Domino diceretur: 'Quorum remisistis peccata, remittentur eis; vel, quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis' (Joann. xx, 23), tunc maxime quod suum est agere gloriantur, cum hanc benignitatem subjectis impendant.

"Atque utinam id saltem pro ipsis, non pro nummis facerent, ut qualiscunque benignitas potius quam cupiditas videretur. Sed profecto si hoc in laude benignitatis habendum est, quod tertiam vel quartam poenitentiae partem relaxant, multo amplius eorum pietas praedicanda erit, si dimidiam vel totam ex integro poenitentiam dimitterent, sicut licere sibi profitentur, et [a] Domino concessum esse, et quasi in manibus eorum coelos esse positos secundum remissionis vel absolutionis peccatorum supra posita testimonia. Magnae denique impietatis e contrario arguendi videntur, cur non omnes subjectos ab omnibus absolvant peccatis, ut videlicet neminem illorum damnari permittant; si ita, inquam, in eorum potestate constitutum est, quae voluerint peccata dimittere vel retinere, vel coelos his, quibus decreverint aperire vel claudere; quod utique beatissimi praedicandi essent, si hos sibi, cum vellent, aperire possent. . .

"Cum ergo quaeritur, quae sit illa potestas, vel claves regni coelorum, quas apostolis Dominus tradidit, ac similiter eorum vicariis, scilicet episcopis, concessisse legitur, non parva quaestio videtur. Cum enim multi sint episcopi nec religionem, nec discretionem habentes, quamvis episcopalem habeant potestatem; quomodo eis aequae ut apostolis convenire dicemus: 'Quorum remisistis peccata, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt?' Nunquid si indiscrete vel supra modum velit episcopus poenam peccati augere vel relaxare, hoc in ejus est potestate; ut videlicet secundum ejus arbitrium poenas Deus disponat, ut quod minus puniendum est, ipse magis puniat, e converso, cum aequitatem rei magis quam hominum

des ignorants inoffensifs, non comme des hérétiques dangereux, et on les renvoya sans prononcer de verdict contre eux" (Histoire des Conciles, t. 5, 2me partie, Paris, 1913, p. 1108 sq.).

voluntatem Deus attendere debeat? Nunquid si episcopus per iram, vel odium quod habeat in aliquem, tantumdem eum poenitere decreverit de levioribus peccatis, quantum de gravioribus; vel poenam ejus in perpetuum extendere, vel nunquam ei relaxare staverit, quantumcumque ille poeniteat, nunquid hanc ejus sententiam Dominus confirmabit? *Quod itaque Dominus apostolis ait: 'Quorum remisistis peccata, remittuntur eis,' etc., ad personas eorum, non generaliter ad omnes episcopos referendum videtur, sicut et eis alibi ait: 'Vos estis lux mundi; et vos estis sal terrae' (Matth. V, 18), vel pleraque alia de personis eorum specialiter accipienda. Non enim hanc discretionem vel sanctitatem, quam apostolis Dominus dedit, successoribus eorum aequaliter concessit'* (M.L. 178, 672-674).

Saec. 13 non defuerunt QUIDAM THEOLOGI qui, pessime interpretantes naturam indulgentiae, ejus existentiam aequivalenter negarunt. Ad rem *Albertus M.*: "Quidam . . . dixerunt indulgentias omnino nihil valere, et eas esse jam fraudem qua mater decipiendo pueros suos provocat ad bonum, scilicet peregrinationes, et elemosynas, et auditum verbi Dei, et hujusmodi: et dederunt exemplum de matre provocante parvulos ad ambulandum quod utile est parvulis, et in fine viae promittendo ei pomum, et postea subtrahente: quae deceptio etiam pia est. Sed ista ad ludum puerorum distrahunt facta Ecclesiae: et hoc fere sapere haeresim puto."⁶ *S. Thomas* tamen hos doctores refert inter eos qui negant indulgentias tantum valere quantum pronuntiantur (cf. infra in art. 111, p. 990).

WICLEFF primus, ut videtur, explicite ac signanter negavit tum utilitatem indulgentiarum, tum potestatem Ecclesiae indulgentias concedendi, innixus negatione tum vicariae satisfactionis et thesauri Ecclesiae, tum verae potestatis ligandi atque solvendi apud praelatos Ecclesiae. Quem secuti sunt *Wicleffitae et Hussitae*.

Conc. Constantiense, sess. 8 (a. 1415), hanc *Wicleffi* propositionem (prop. 42) damnavit: "Fatuum est credere indulgentiis Papae et episcoporum" (Denz. 622). Inter Interrogationes *Wicleffitae et Hussitae* proponendas, hae leguntur: "26. Item, utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus et ipsis manus suas porrigentibus adiutrices. 27. Et utrum credat, quod ex tali concessione visitantes ecclesias ipsas et manus adiutrices eis porrigentes huiusmodi indulgentias consequi possint. 28. Item, utrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum huiusmodi indulgentias concedere possint" (Denz. 676-678).

In suo *Tractatu De Ecclesia* (exarato circa 1378-79), cap. 23 et ultimo, *WICLEFF* scribit: "Restat consequenter tractare de indulgentiis et absolucionibus a pena et culpa, in quibus videtur esse error apud simplices istam materiam igno-

⁶In 4 Sent., dist. 20, a. 17, Opera omnia, v. 29, Parisiis, 1894, p. 830.

rantes. . . Indulgere peccatoribus est Deo proprium, sicut et peccata dimittere . . . ; sed ab istis sensibus extractus est terminus et baptizatus in sensum alium partim per doctores theologie et partim per canonistas; quandoque enim secundum eos connotat remissionem pene . . . quandoque signat active concessionem, ut dominus papa indulsit subdito hoc vel illud, id est, concessit; aliquando autem signat active dispensationem, aliquando ius . . . et aliquando accipitur pro remittere vel condonare . . . Unde *omnes istas indulgentias trahunt et limitant ad praelatos ecclesie*. Unde statuunt sibi pro regula quod solus papa potest dare quoad locum et tempus indulgentias generales, episcopi autem habent potestatem limitatam faciendi indulgentias. . .

“Sumitur autem fundamentum huius sententiae ex ista *imaginacione fantastica*: Ponitur enim primo quod sunt supererogata merita sanctorum et specialiter Christi in celis infinita numero et valore, ultra quam requiritur ad eorum beatitudinem, et omnia ista vocantur *spiritualis thesaurus ecclesie* in capite eius reconditus. Ponitur secundo quod dominus papa, cum sit vicarius Christi in terra, *habet plenam potestatem distribuendi thesaurum illum fidelibus*, sed quod libuerit plus vel minus, nec licet diffidere quin potestas imperciendi ista spiritualia suffragia remaneat continue inexhausta, quia aliter deficeret Christus dando potestatem clavium suo vicario hic in terris. Tercio dicitur quod quando papa vel suus episcopus dispensat subditis de isto thesauro, commutando meritum beati loco meriti quo peccator mereretur remissionem peccati, tunc concedit indulgentiam plus vel minus.

“Et ex isto fundamento dicuntur hii *vendere peccata sua* et isti emere etiam pro pecunia et *seductus est populus* de cambio impossibili et infundabili propter fastum et questum adquisibilem sacerdoti. Et isti sententiae videtur sanctum Thomam annuere, super Quarto Sententiarum. . . Et illam sententiam sepe inculcant doctores decretorum ponentes quod indulgentia est liberalis et graciosus donatio de thesauro ecclesie, facta per vicarium Christi peccatoribus pro suis penis ad quas de iusticia obligantur. . .

“In ista materia sic procedam: Primo fundabo vel colorabo possibilitatem et probabilitatem illius sententiae, secundo obiciam multipliciter contra illam et tercio dicam quid videtur mihi probabiliter sustinendum. . . [Recitatis praedictis argumentis et objectionibus, quas dabimus infra, in p. 879 Wicleff concludit:]

“Praemissa humili protestacione de ecclesie veneracione, de humili suieccione et de suarum libertatum constanti defensione dico primo quod nemo est capax indulgentiae, nisi fuerit et de quanto fuerit dignus et dispositus per gratiam apud Deum. Patet ex hoc quod nemo si non Deus dat tales indulgentias qui non dat nisi caris suis quos sic prius habilitat. . . Dico quinto quod sacerdotes Christi *non habent potestatem donandi indulgentias secundum quantitatem temporis, nisi eis specialiter fuerit revelatum*. . . Ille ergo cui non fit ad hoc revelacio, qui spondet indigno apud Deum ex sibi dubio quod infra tantum tempus Deus miseretur eius, donando sibi plenam remissionem, stulte pangit, cum non habet evidentiam quod Deus illud concesserit. Dico sexto quod ex fide scripture in qua est omnis veritas non fundabitur quod licet vicario Christi cui non fit ad hoc specialis revelacio, ut donet diurnas indulgentias vel annales. Patet ex hoc quod ex scriptura que non obviat sibi ipsi foret talis indulgentia temptacio Dei et seduccio populi. Dico septimo quod prelati ecclesie debent in ista veritate catholica subiectos instruere, ne laici infideliter occupati circa minus utilia attendant superbiam et avariciam sacerdotum. . . Dico octavo quod sacerdotes Christi, licet habeant potestatem ad absolvendum subditos a pena et culpa, non tamen debent absolvere sub hac forma nec subiecti illud expetere, nisi hoc eis specialiter fuerit revelatum. . . *Quid . . . valet subiectos inopportune absolucionem talem expetere*, cum certe

debent credere quod correspondenter ad sua merita vel demerita taxabuntur?"

PETRUS DE OSMA in Hispania hanc emisit propositionem, damnatam a *Sixto IV* a. 1479: "Papa non potest indulgere alicui vivo [quidam legunt: viro] poenam purgatorii" (Denz. 729). Ita textus vulgatus; textus vero ipsius Bullae habet: "Et Romanum Pontificem purgatorii poenam remittere et super his quae universalis Ecclesia statuit dispensare non posse" (Cavallera, 1269). Cf. dicta in art. 53 (tom. 3, p. 157 sq.). *Tejada y Ramiro*, Coleccion de Cánones y de todos los Concilios de la iglesia de España y de América, t. 5, p. 48, sic errorem Osmae refert: "Claves Ecclesiae non possunt facere quod merita Christi vel sanctorum prosint alicui vivo vel mortuo in aliqua determinata quantitate: ideo determinatio indulgentiarum ex errore vel ex cupiditate procedit non quod illud intendat vel possit Papa".

JOANNES RUCHRATH et *WESSEL GANSFORT* in Germania circa idem tempus indulgentias denegarunt, prior eas dicens piam quandam fraudem, ab Ecclesia adhibitam ut foveretur apud fideles praxis operum meritoriorum, alter vero eas concipiens ut remissionem solius poenae ecclesiasticae.⁸

PROTESTANTES Wicleffitarum impugnationem et doctrinam magno cum strepitu resumpserunt. Ceterum, indulgentiarum negatio nihil habet peculiariter doctrinale apud ipsos, cum tota fundetur in negatione, ac logice sequatur ex impugnatione, ipsius duplicis fundamenti indulgentiae, scilicet potestatis ligandi atque solvendi (de qua diximus in art. 1 et 103) et existentiae ipsius satisfactionis (quam late exposuimus in art. 53, tom. 3, p. 143-156, cf. art. 55, p. 224, ubi dictum est tria a Novatoribus denegari, primo scilicet permanentiam reatus poenae temporalis post remissam culpam, secundo ac consequenter existentiam satisfactionis, tertio ac consequenter existentiam satisfactionis vicariae).

Restat ut audiamus quaedam eorum verba et reclamaciones tum contra ipsam doctrinam de indulgentiis tum contra abusus hujus doctrinae in Ecclesia.⁹

⁸ *Johannis Wyclif Tractatus de Ecclesia*, now first edited from the manuscripts, by Johann Loserth, London, 1886, p. 549-585. Confer varias objectiones Wicleffi infra, in p. 879. 908. 910 sq. 1097 sq.

⁹ Cf. *N. Paulus* in *Zeitschrift für kath. Theol.*, t. 24, p. 644 sqq.

⁹ De prima Lutheri impugnatione a. 1517, de 95 ejus thesibus quas in vigilia festi Omnium Sanctorum affixit ad valvas Ecclesiae Wittembergensis, ejusque controversiis cum catholicis doctoribus Tetzel, Eck, etc., videsis historicos, uti *Pastor*, *Histoire des papes* (trad. française), t. 8, ch. 7; *Grisar*, *Luther*, t. 1, c. 9; praecipue *Nicolaus Paulus*, *Johann Tetzel, der Ablassprediger, Moguntiae, 1899* (de quo opere ait *Galtier*, *Dict. Apol.*, art. *Indulgences*, col. 752: "[I] a complètement renouvelé l'histoire de la

LUTHERI praecipuae affirmationes exprimuntur sequentibus 6 propositionibus damnatis a Leone X in Bulla "Exurge Domine" 15 iunii 1520: "17. Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et Sanctorum. — 18. Indulgentiae sunt piae fraudes fidelium, et remissiones bonorum operum; et sunt de numero eorum, quae licent, et non de numero eorum, quae expediunt. — 19. Indulgentiae his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem poenae pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam. — 20. Seducuntur credentes indulgentias esse salutes et ad fructum spiritus utiles. — 21. Indulgentiae necessariae sunt solum publicis criminibus, et proprie conceduntur duris solummodo et impatientibus. — 22. Sex generibus hominum indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles: videlicet mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica, his, qui meliora operantur" (Denz. 757-762).

LUTHERUS huic condemnationi opposuit sequentes radicaliores declarationes illarum propositionum:

Ad prop. 17 observat: "Hunc [articulum] probavi sic, quia merita Christi sunt res vivae, spirituales et sacrae, quae iustificanc cor. Qui enim manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, vivet in aeternum. Verba et opera Christi omnibus sunt salutaria ad vitam, quicumque ea apprehenderit, nec possunt nisi fide apprehendi. Ideo nec ullus hominum habet ea in potestate sua, nisi solus ipse. Indulgentiae autem sunt remissiones satisfactionis, quae nihil faciunt ad iustificationem, ideo *insignis est blasphemia, merita Christi in hoc sordidum opus mortis ponere*. Praeter haec nullis Scripturis sua probant, sed *sola impia illa Extravagante Clemen. VI. ex opinionibus Thomae insulsissimis et meris figmentis concepta*.

"Ad haec merita Christi sunt necessaria et praecepta haberi, sicut et fides; sic I. Corinth. 1. dicit, nobis Christum esse Dei virtutem et Dei sapientiam, et Roma. 5.: Nos in solo sanguine eius iustificari, et Roma. 3.: Ipsum positum in propitiatorium in sanguine suo. Sed *indulgentiae nec necessariae, nec praeceptae sunt, sicut nec fidem habent, ideo nihil faciunt ad salutem prorsus*.

"Quod vero dicunt, merita Christi accipi dupliciter, uno modo per modum satisfactionis, alio per modum iustificationis, respondeo: *Quid mihi et istis figmentis scio merita Christi etiam accipi hodie per modum pecuniae*. Et in quo scelerum abusu non praetextuntur hodie merita Christi? Hac fingendi libidine quidvis e quovis facere licebit, etiam Deum ex ipso satana, quod et faciunt atque fecerunt impii isti indulgentiarum adulatores."¹⁰

Ad prop. 18 observat: "Erravi, fateor, ubi dixi indulgentias esse pias fraudes fidelium, sic enim a multis proverbio dici audieram, quos tunc imitabar. Revoco

querelle des indulgences en Allemagne au temps de Luther"). Rem breviter tradunt inter theologos *Lépiciet*, Les Indulgences, t. 2, ch. 8 "La révolte", Paris (1902), p. 193-233; *Galtier*, in Dict. Apol., art. Indulgences, col. 744-747; *E. Magnin*, in Dict. Théol. Cath., art. Indulgences, col. 1618 sq. Inter Protestantas confer *H. Ch. Lea*, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, v. 3, Philadelphia, 1896, p. 279-416.

¹⁰ Assertio omnium articulorum Martini Lutheri per Bullam Leonis X novissimum damnatorum, D. Martini Lutheri Opera Latina (curavit H. Schmidt), v. 5, Francofurti ad M., 1868, p. 199 sq.

ergo et dico, indulgentias esse impiissimas sceleratissimorum pontificum fraudes et imposturas, quibus et res et animas fidelium fallunt et perdunt. *Sed et hanc propositionem cum praecedente et quatuor sequentibus revocavi in libro de Captivitate Babylonica.* Probavi enim superius, satisfactionem aut nullam requiri a Deo, aut prorsus irremissibilem esse ab homine, quam requisierit, ideo indulgentias istas prorsus nihil esse. . . Revoco etiam quod dixi, eas esse de numero eorum, quae licent, hoc enim verum esset, si aliquid essent, quia, quod non est praeceptum nec consultum, prorsus nec expedit nec necessarium est, sed mere licitum et arbitrarium, at tales essent indulgentiae. Nunc autem dico eas esse de numero eorum, quae fallunt et perdunt, cum sint nihil nisi fraudes sceleratorum sanguisugarum populi Dei”.¹¹

Ad prop. 19. 20. 21. 22 observat: “Has propositiones, ut dixi, revocavi antea, rogavique et adhuc rogo omnes, tum bibliopolas tum lectores, ut ea, quae de indulgentiis disputata et scripta a me sunt, exurant, nesciebam enim tum, cum ea laborarem, papam esse antichristum, qui his et similibus operationibus erroris satana imperante orbem perderet Christianum. Fixa est sententia divina Psalm. 89: Visitabo in virga iniquitates eorum, qua indulgentiae, quae virgam iniquitates visitantem impiissime praesumunt remittere, funditus subvertuntur, et nihil nisi inane nomen esse monstrantur. Nec curanda hominum reproborum distinctio de cerebro suo conficta de poenis medicativis et satisfactoriis. Verba Psalmi clare docent, peccata et iniquitates virga visitari. Et nemo nisi insanus queat negare, virgam illam esse poenam pro peccatis inflictam, sive hanc satisfactionis sive alterius negotii dixeris. Non ergo credas, etiamsi angelus de coelo aliud docuerit, contra tam manifestam Scripturam, nedum si draco blasphemus de Curia Romana aliud fremat. Non remittet homo aut tollet visitationem huius virgae.”¹²

Praefatam suam indulgentiam erga doctrinam de indulgentiis, non minori acrimonia Lutherus jam retractaverat initio sui operis *De captivitate Babylonica*, exarati mense octobris 1520 (quatuor mensibus ante “Assertionem omnium articulorum . . .”), scribens: “Velim, nolim, cogor in dies eruditior fieri, tot tantisque Magistris certatim me urgentibus et exercentibus. De indulgentiis ante duos annos scripsi, sed sic, ut me nunc *mirum in modum poeniteat editi libelli.* Haerebam enim id temporis magna quadam superstitione Romanae tyrannidis, unde et *indulgentias non penitus reiiciendas esse censebam*, quas tanto hominum consensu cernebam comprobari. Nec mirum, quia solus tum volvebam hoc saxum. At postea, beneficio Sylvestri et Fratrum adiutus, qui strenue illas tutati sunt, intellexi, eas aliud non esse, quam meras adulatorum Romanorum imposturas, quibus et fidem Dei et pecunias hominum perderent. Atque utinam bibliopolis queam impetrare, et omnibus, qui legerunt, persuadere, ut universos libellos meos de indulgentiis exurant, et pro omnibus, quae de eis scripsi, hanc propositionem apprehendant: Indulgentiae sunt adulatorum Romanorum nequitiae.”¹³

MELANCHTHONIUS, Loci theologici, De satisfactione: “Ex illo veteri more [publicae ac disciplinariae poenitentiae] ortae sunt indulgentiae, quas sic vocant, quae nihil aliud sunt ac fuerunt, nisi *illarum publicarum poenarum condonationes.* Postea homines indocti aut etiam improbi vendiderunt indulgentias ingentibus promissis, quasi essent quaedam certiores et liberaliores remissiones magnorum delictorum et poenarum, et affinxerunt se in indulgentiis impertire aliis superflua merita sanctorum. Ita multa erant absurda in illis imposturis, quae facile iudicari possunt a piis et mediocriter eruditiss. Cum enim indulgentiae tantum sint relaxationes veterum canonum, *una cum illis canonibus antiquatae sunt et ipsae indulgentiae.* Erant autem illi canones ac mores humanae traditiones, et nihil ad remissionem culpae aut poenarum coram Deo pertinebant. Quare multo minus

¹¹ Ibid., p. 200–202.

¹² Ibid., p. 202 sq.

¹³ De Captivitate Babylonica ecclesiae, *ibid.*, p. 16. . .

indulgentiae illae pertinent ad remissionem culpae aut poenarum, nec opus est illos canones restituere, cum tantum fuerint humanae traditiones."¹⁴

CALVINUS, Instit. relig. christ., l. 3, c. 5: "De supplementis quae [catholici] ad satisfactiones adiungunt, nempe indulgentiis et purgatorio.

"*Ex hac . . . satisfactionis doctrina scaturiunt indulgentiae.* Nam quod ad satisfaciendum facultatibus nostris deest, istis suffici nugantur; atque eo prosiunt insaniae ut dispensationem esse definiant meritorum Christi et martyrum, quam papa suis bullis partitur. Etsi autem helleboro magis quam argumentis digni sunt, ut non magnum operae pretium sit tam frivolis erroribus refellendis incumbere, qui multis arietibus percussi sua sponte consenescere et inclinationem spectare incipiunt, quia tamen imperitis quibusdam utilis erit brevis refutatio, eam non omitam. Et sane quod tamdiu salvae constiterit indulgentiae, ac in tam impotenti et furiosa lascivia tam diuturnam impunitatem retinuerint, *id vero documento esse potest quam alta errorum nocte immersi fuerint aliquot saeculis homines.* Videbant se a papa et suis bulligerulis palam nec dissimulanter ludibrio haberi; quaestuosas nundinationes de animarum salute exerceri; pauculis nummis salutis pretium taxari; nihil gratuitum prostare; hac specie emungi se oblationibus, quae in scorta, in lenones, in comessiones turpiter absumerentur; summos indulgentiarum buccinatores, summos esse contemptores; monstrum istud maiori in dies licentia grassari ac luxuriari, nec finem ullum fieri; plumbum semper novum afferri, novos nummos elici. Excipebant tamen summa veneratione indulgentias, adorabant, redimebant; et qui cernebant inter alios acutius, existimabant tamen pias esse fraudes, quibus cum fructu aliquo falli possent. Tandem ubi orbis aliquantum sibi sapere permisit, frigent indulgentiae, et paulatim etiam congelascent, donec plane evanescant. . .

"*Thesaurus ecclesiae* vocant, Christi et sanctorum apostolorum martyrumque merita. Huius horrei radicalem custodiam (ut attigi) romano episcopo traditam fingunt, penes quem sit tantorum bonorum dispensatio, ut et ipse per se elargiri possit et elargienti iurisdictionem aliis delegare. Hinc nunc plenariae indulgentiae a papa, nunc certorum annorum; a cardinalibus, centum dierum; ab episcopis, quadraginta. Sunt autem illae (ut genuine describam) *sanguinis Christi profanatio, satanaeque ludibrium, quo christianum populum a Dei gratia, a vita quae est in Christo abducunt, et a vera salutis via avertant.* Qui enim poterat foedius profanari Christi sanguis, quam dum negatur sufficere ad peccatorum remissionem, ad reconciliationem, ad satisfactionem nisi velut arescentis et exhausti defectus aliunde suppleatur et sufficiatur?"¹⁵

ART. XXII INTER 39 ARTICULOS FIDEI ANGLICANAE, affirmat: "Doctrina Romanensium de Purgatorio, de Indulgentiis, de veneratione et adoratione tum Imaginum tum Reliquiarum, nec non de invocatione Sanctorum, res est futilis, inaniter conficta, et nullis Scripturarum testimoniis innitur, imo verbo Dei contradicit."

H. CH. LEA, inter moderniores, peculiariter doctrinam de Indulgentiis impugnavit, cum magno eruditionis apparatu sed cum parum critico iudicio totam questionem considerans, sub utroque aspectu dogmatico et historico, per integrum tertium volumen (629 paginis constans) sui operis *A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church*, 3 vols., Philadelphia, 1896.

En quaedam generales ejus assertiones: "Our survey of the resources of the Church in securing pardon for the sins of its children would be incomplete without

¹⁴ Corpus Reformatorum, v. 21, Philippi Melanthonis opera, Brunsvigae, 1854, col. 500 sq.

¹⁵ Corpus Reformatorum, v. 30, Joannis Calvinus Opera, v. 2, Brunsvigae, 1864, col. 490-492.

some account of the indulgences which it distributes so freely. *A system which aided largely in building up the autocracy of the Holy See and furnished it the means wherewith to establish its power as an Italian sovereign, which was the main-spring of the crusades, the proximate cause of the rebellion of John Huss and of the successful revolution of Luther, and which forms so prominent a part of Catholic observance to-day, is worthy of a more minute investigation than can be given to it here.*

"Prior to the council of Trent theologians had no hesitation in admitting that the Christian Fathers knew nothing of indulgences; there was, it is true, a baseless tradition ascribing to Gregory the Great an indulgence for visiting St. Peter's, but the strongest argument advanced in their support was that the Church issued them and would be deceiving the faithful if they were not valid. The Blessed Fisher of Rochester even goes so far as to admit that the value of indulgences is wholly dependent on purgatory, and, as purgatory was unknown, so were indulgences, until the refrigescence of Christian zeal rendered the severity of the canons unendurable, and men would rather abandon Christianity than submit to it. In fact, the protagonists in the conflict with Lutheranism conceded that *there was no point of Catholic doctrine so difficult to defend and so impossible to justify with proof.* Domingo Soto, about the middle of the sixteenth century, seems to be the first to meet the Lutheran assaults with the bold assertion that indulgences date from the time of the Apostles. This was evidently the only position which could be taken by an infallible Church involved in internecine strife with heretics, and in its final session the council of Trent felt compelled to assert that the power to grant indulgences was divinely conferred by Christ Himself and that it had been exercised from the most ancient times. This assertion was accepted as 'de fide'" (op. cit., v. 3, p. 3-5).

"Two causes have been at work to induce the assignment of an unduly early date to the introduction and development of indulgences. On the one hand, there has been the natural desire to justify the Tridentine assertion of their origin in the remotest times, and, on the other, there is the material furnished for this by the incurable tendency of unscrupulous ecclesiastics to manufacture evidences in support of any claims which interest may lead them to advance. We shall have ample opportunity to consider this latter feature hereafter, and need here only review its earlier and less skillful manifestations. The desire to find evidence of the use of indulgences in the primitive Church has led to the exhaustive scrutiny of all writings and documents from the apostolic period to the early middle ages, with the object of discovering facts or expressions which may be interpreted in favor of the foregone conclusion. Partly these have been alluded to (p. 5) in describing the various theories evolved by recent authors, and their value may be estimated by the curious list of early indulgences printed by Dr. Amort¹⁰" (ibid., p. 131).

CH. HODGE paulo ante Lea scribebat: "Praying for the dead is a superstitious practice, having no support from the Bible. It was one of the corruptions early introduced into the Church. . . The argument of most logical force to those who believe the premises whence it is derived, is drawn from the doctrine of satisfaction. . . In connection with this is to be taken the doctrine of indulgences. . .

"We have . . . a broad foundation laid for the whole doctrine of purgatory. God in the forgiveness of sin remits only the penalty of eternal death. There remain temporal pains to be endured in satisfaction of divine justice. If such satisfaction be not made in this world, it must be rendered in the next. The Church has the power of regulating these satisfactions, of directing what they shall be, of mitigating or commuting them in this life, and of lessening their severity or duration in the life to come. The infinite merits of Christ, and the superfluous merits of all the saints,

¹⁰Amort de Indulgent. I. 28 sqq.

gained by works of supererogation, form an inexhaustible treasury, from which the Pope and his subordinates may draw at discretion for the mitigation, or plenary dispensation, of all the satisfaction due for sin in the way of penance in this life, or the pains of purgatory in the life to come.

"Now when it is considered that the pains of purgatory are authoritatively and almost universally represented by Romanists to be intolerably severe, it will be seen that *no such engine of power, no such means of subjugating the people, or of exalting the priesthood has ever been claimed or conceded by man.* Men really invested with this power, of necessity, and of right, are the absolute masters of their fellow men; and those who wrongfully claim it, who assume without possessing it, are the greatest impostors (consciously or unconsciously) and the greatest tyrants the world ever saw."¹⁷

Moderniores Dogmatici Protestantés quaestionem de indulgentiis vir tangunt, vel eam breviter tantum memorant dum agunt de Purgatorio, ut utrumque dogma, una cum cognata doctrina de Satisfactione, uno ictu reiciant tanquam absque fundamento in Scripturis.

Ita L. BERKHOF (Praeses "Calvin Theological Seminary") scribit: "The Pope [according to the Roman Catholic Doctrine] is supposed to have jurisdiction over purgatory. It is his peculiar prerogative to grant indulgences, lightening the purgatorial sufferings or even terminating them. . . . The doctrine finds absolutely no support in Scripture, and moreover, rests on several false premises, such as (a) that we must add something to the work of Christ; (b) that our good works are meritorious in the strict sense of the word; (c) that we can perform works of supererogation, works in excess of the commands of duty; and (d) that the Church's power of the keys is absolute in a judicial sense. According to it the Church can shorten, alleviate, and even terminate the sufferings of purgatory."¹⁸

Non defuerunt tamen nec desunt *mitiores scriptores*.

Et imprimis quidam, advertunt frustraneum esse ex quibusdam indulgentiarum abusibus arguere contra ipsam earum legitimitatem, sed controversiam dirigendam esse ad ipsum dogmaticum fundamentum indulgentiarum scilicet potestatem ligandi atque solvendi.

Ad rem *Galtier*: "Les protestants sont-ils obligés de se rendre à ces considérations élémentaires et d'avouer que les abus auxquels a donné lieu la prédication des indulgences ne prouvent rien contre leur légitimité ou leur utilité. 'C'est faire la partie belle aux catholiques', dit *Diechhoff* (Der Ablassstreit, Gotha, 1886, cité per *N. Paulus*, dans *Johann Tetzl*, p. 105-109), 'que de concentrer la discussion sur la prétendue vente des indulgences ou sur la confusion produite et entretenue dans le peuple entre la remise de la faute et la remise de la peine. Sans parler de la facilité qu'il auront à montrer la fausseté ou l'exagération de ces accusations, c'est aller au-devant de leur distinction entre les abus et les principes, c'est reconnaître avec eux que, si la réforme du concile de Trente fut justifiée, la révolte de Luther du moins manqua

¹⁷ Systematic Theology (primo edita a. 1873), v. 3, p. 4, ch. 1, Grand Rapids, Mich.: Wm. B. Eerdmans, 1946, p. 752-754.

¹⁸ Systematic Theology (primo edita a. 1941), Grand Rapids, Mich.: Wm. B. Eerdmans, 1949 (fourth Revised and Enlarged Edition), p. 686 sq.

de fondement. Car la doctrine romaine, dans ce cas, demeure hors de cause et l'on renonce à soutenir les attaques dirigées contre elle par les promoteurs du protestantisme. La pratique en effet, telle que la promouvait Tetzl, est en correspondance parfaite avec cette doctrine, les adversaires de Luther en ont fourni la preuve évidente, et rien n'est plus facile aujourd'hui aux champions de l'Eglise romaine que de le démontrer encore' (loc. cit., p. 108-109). Et il conclut à la nécessité de reporter la discussion sur le terrain même du principe fondamental: l'Eglise a-t-elle le pouvoir de remettre elle-même le péché?"¹⁹

Praeterea quidam advocant aliquam speciem Purgatorii, seu necessitatem alicujus purgationis alterius vitae, uti cujusdam continuationis purgationis praesentis vitae; in qua quidem doctrina fit aliquis gressus, utut invitus et incertus, versus catholicas veritates de satisfactione et indulgentiis, cum dogmate Purgatorii intime connexas.

J. TH. MUELLER (professor in "Concordia Seminary", St. Louis, Mo.) testatur: "Among modern Protestant theologians *Kahnis* advocated the doctrine of purgatory. He writes: 'In the idea of a purgatory there undoubtedly is some truth, namely, that many Christians still need a purging. Great is the number of Christians of whom it cannot be said that Christ is their life. But they are drawn to Him and confess that which they have known of Him with a sincerity, disinterestedness, and faithfulness in conduct which ought to put to shame many Christians who are stronger in words than in works' (Pieper, *Christl. Dogmatik*, 3, 276)."²⁰

M. A. BROWN (professor in "The Union Theological Seminary", New York) scribit: "According to this view [i.e. the Catholic doctrine of Purgatory] the life after death is simply the continuation of the same process of training which has begun here. For the individual it involves a progressive purification from sin, through the application of the same principles of penance and indulgence which characterize the Catholic conception of salvation here. For the church at large it involves the extension to the life to come of the same law of helpfulness and service through which the highest Christian ideal is realized here. The explanation of the strong hold of the doctrine upon the faith of Catholics, in spite of the superstition and abuses by which it is disfigured, is to be found in the reality and naturalness given to the thought of the future by this extension of present ideals and standards. It is evident that, if the future life is to have the same hold upon the imagination of Protestants, Protestant theology, too, must make place in a similar way for the ideas of progress and of service which play so large a part in the Christian life of the present.

"The necessity for conceiving the future life as a life of progress is due in part to the immaturity and incompleteness of those who enter it; in part to the fact that our ideal of the finite life itself involves progress. The perfection for which we

¹⁹ In Dict. Apol., art. Indulgences, col. 749.

²⁰ Christian Dogmatics, St. Louis, Mo.: Concordia Publishing House, 1934, p. 618. Idem tamen *Mueller* ibidem addit: "However, a Protestant purgatory has no more Scriptural foundation than has the papistic purgatory. . . *Hafenreffer* writes: 'Everything that is ascribed to the satisfactions either of purgatory or of the intercession of the saints is detracted from the merit of Christ, which alone cleanses us from sin.' (*Doctr. Theol.*, p. 636). The Lutheran Church thus rejects the doctrine of purgatory as conflicting with that of justification by faith alone."

look is not the perfection which comes with the cessation of growth, but that which characterizes a development from which all that is hampering and abnormal has been removed; in which each new opportunity is instantly embraced, each new insight met with immediate response. In like manner, the necessity for conceiving the future life as a life of service is due in part to the difference of attainment and ability already referred to; in part to the character of the Christian ideal itself. It is not an ideal of receptivity alone, but of activity as well; and this activity for the Christian must take the form of service. What work God may have for us to do in the life to come we may not know; but we may be sure that in a universe which still includes suffering, ignorance and need, we shall not be left with idle hands."²¹

BAJUS saltem de natura Indulgentiarum pessime sentiisse constat ex sequenti propositione (prop. 60) damnata a *Pio V*: "Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus qui pretio sanguinis Christi a poenis pro peccatis debitibus liberemur" (Denz. 1060).

MICHAEL MOLINOS utilitatem saltem Indulgentiarum reiecit sequenti propositione (prop. 16) damnata ab *Innocentio XI*: "Non convenit indulgentias quaerere pro poena propriis peccatis debita; quia melius est divinae iustitiae satisfacere, quam divinam misericordiam quaerere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata nec meritoria, quia est velle crucem fugere" (Denz. 1236).

JANSENISTAE IN CONC. PISTORIENSE plures de Indulgentiis errores protulerunt, cum doctrina Protestantium intime connexos, quos sic resumit ac damnat *Pius VI* in Constit. "Auctorem fidei" 28 aug. 1794:

"40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti*; quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debita apud divinam iustitiam: — falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata.

"41. Item in eo, quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum*; quasi thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias non sint merita Christi et Sanctorum: — falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17 Lutheri damnata.

²¹ Christian Theology in Outline, New York: Charles Scribner's Sons, 1911, p. 421sq.

"42. Item in eo, quod superaddidit, *luctuosius adhuc esse, quod chimærea isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos*: — falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri.

"43. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc.: — temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa" (Denz. 1540–1543).

INTER SCHISMATICOS ORIENTALES doctrinam de indulgentiis impugnant plures moderniores theologi tam graeci, uti *Gregorius VI* patriarcha const.²², *Audrutsus*,²³ *Mesoloras*,²⁴ *Dyovuniotis*,²⁵ quam russi, ut *Malinowskii*,²⁶ *Titov*,²⁷ *Vinogradov*.²⁸ Hi doctores nonnisi ex Protestantibus mutuarunt tum rationes tum calumnias contra catholicam doctrinam et praxim de indulgentiis, quemadmodum ex iisdem Novatoribus mutuarunt ipsam negationem fundamenti indulgentiarum, scilicet thesauri Ecclesiae, et ipsius satisfactionis, ut dictum est in art. 53 (tom. 3, p. 161–165).

Ceterum asseri potest ipsam Ecclesiam Orientalem nequaquam indulgentias reiecisisse nec hodieum reicere, quemadmodum numquam reiecit ipsam doctrinam de Satisfactione (cf. *ibid.*, p. 162 sq.). Prima quidem impugnatio coepit saec. 18, attamen non contra ipsam doctrinam de indulgentiis sed contra concessionis abusus, quos Orientales affigebant Ecclesiae catholicae. Ita in Confessione fidei Synodi Constantinopolitanae a. 1727 legitur: "Potestatem in remittenda peccata, quae scripto fidelibus data ab orientali Christi Ecclesia vocatur *Charta condonativa* (συγχωροχάρτια), a Latinis vero indulgentia, a Christo sanctae Ecclesiae concessam esse profitendum est, chartarumque ejus modi usum fidelibus esse refugium (καταφυγήν) maxime salutare; concedi sane istas chartas condonativas in tota catholica Ecclesia et a quatuor sanctissimis patriarchis Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno et Hierosolymitano, parce tamen et cum spirituali prudentia, et quibus et quando oportet, quemadmodum in hisce negotiis ab orientali Ecclesia accurate observatur, dum e contra Latini hac in re insana licentia ac intemperanter progrediuntur, ex quo quot quan-

²² Epistola patriarchalis et Synodalis anni 1895.

²³ Δογματική, Athenis, 1907, p. 249; Συμβολική, Athenis, 1901, p. 235 sq. 309–313.

²⁴ Συμβολική, Athenis, 1904, t. 2, p. 314 sq. 319.

²⁵ Τὰ μυστήρια, Athenis, 1913, p. 146 sq.

²⁶ Summa orthodoxae dogmaticae theologiae (russice), Serghief-Possad, t. 2, p. 410.

²⁷ Explicatio majoris catechismi Philareti, Mosquae, 1908, p. 285.

²⁸ Principia religionis christianae, Mosquae, 1908, p. 285.

taque mala occidentali Ecclesiae consecuta fuerint, neminem omnino latet. Asserere autem potestatem illa concedendi *ad solum Romanum papam unice pertinere*, mendacium est manifestum insolensque Latinorum innovatio.²⁹

Ipsa praxis concedendi Indulgentias extitit et adhuc viget in Ecclesia Schismatica, etsi in nonnullis differat a praxi catholica.

Ad rem *Jugie*: "Quidquid theologi isti recentiores contra indulgentias proferant, certum omnino est earum usum in Ecclesia graeco-russica olim non fuisse inauditum, et nostris etiam diebus existere. Verum quidem est satisfactionis adversarios significationem indulgentiarum ejus-modi pervertere; sed non desunt adhuc inter dissidentes qui sanae doctrinae adhaereant veterumque theologorum vestigia premant. Primum quidem Graeco-Russi indulgentias semper concesserunt et adhuc concedunt sub forma relaxationis vel commutationis poenarum in antiquis canonibus vel libris paenitentialibus pro peccatorum varietate injunctarum. Jamdudum enim veterum canonum rigorem mitigarunt, epitimiaeque primitivis leviora decreverunt. Moribundis etiam, quibus epitimium quodcumque peragere impossibile est, indulgentia plenaria seu remissio omnium poenarum regulariter conceditur, sicut olim fiebat.

"Inde vero a saeculo XV, patriarchae orientales proprio motu indulgentias tum *intrasacramentales* tum *extrasacramentales* concedere incipiunt. Chartae enim condonativae (seu *συγχωροχάρτια*, seu *ἀφίσημα γράμματα*), quas fidelibus instanter petentibus distribuunt, duplicis sunt generis. Prima species *συγχωροχαρτίων litteris confessionalibus* Latinorum . . . fere respondet. Qui *συγχωροχάρτιον* ab uno ex quatuor patriarchis obtinuit, patrem suum spirituales adit, sua peccata corde contrito ei confitetur; et postquam peccatorum absolutionem juxta formam consuetam accepit, *συγχωροχάρτιον* confessori tradit, ut illud legat super caput ejus in sublationem et remissionem gravis satisfactionis (seu epitimii), quae secundum Patrum canones imponenda esset. Hoc *συγχωροχάρτιον*, ait Kursulas, qui de poena temporali . . . omnino catholice sentit, non tollit quidem reatum culpae (*τῶν ἀμαρτιῶν τὸ πταίσμα*), sed debitum delet, quod patres spirituales paenitentibus imponunt; ita ut qui indulgentiam hujusmodi acceperit, ab omni epitimio adimplendo liberatus sit. Subjicit tamen idem theologus plane congruere ut paenitens epitimium perficiat in cautelam peccatorum.

"Altera species *συγχωροχαρτίων* — et haec recentiori saltem tempore frequentior est — veram indulgentiam plenariam extrasacramentalem

²⁹ Apud Mansi-Petit, Coll. concil., t. 37, col. 904.

constituit. Datur siquidem sub forma plenissimae absolutionis omnium censurarum et peccatorum iis qui peccata sua patri spirituali confessi et ab eo absoluti epitimium conveniens acceperunt illudque, diligenter perfecerunt, vel perficere inceperunt. Vi hujus absolutionis, ab omni vinculo liberantur quod ab ingressu in caelum illos impedire posset. Haec indulgentiae species omnino similis est illae indulgentiae plenariae, quae apud nos, diebus festis solemnioribus, ex privilegio conceditur religiosis unius communitatis vel sodalibus alicujus piaefra-ternitatis. Differt autem ab indulgentiis in catholica Ecclesia communiter hodie concessis: 1° in hoc quod non offertur omnibus fidelibus indiscriminatim, sed conceditur tantum cuidam personae in particulari vel alicujus familiae communitatisve membris; 2° in hoc quod imperitur per modum simplicis absolutionis, quin aliquod opus pium a sub-jecto exercendum requiratur praeter sacramenti paenitentiae susceptionem.

“Defunctis etiam — et quidem sub eadem forma qua vivis, id est per modum verae absolutionis — indulgentiam plenariam concedunt tum Graeci, tum Russi, quasi Ecclesia militans veram jurisdictionem in mortuos habeat. In explicandis formulis indulgentiarum hujusmodi haud parum insudant hodierni poenae temporalis adversarii”^{20, 21}

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Ecclesiam habere *potestatem* concedendi indulgentias est *de fide*. Item de fide est *utilitas* seu salutaris efficacitas usus indulgentiarum. Utamque enim veritatem *Conc. Trid.* definivit in Decreto de indulgentiis, “anathemate damnans” negantes unam vel alteram.

Documenta Ecclesiae.

Dantur hic praecipua documenta doctrinalia; cetera, quae potius respiciunt historiam indulgentiarum, afferentur in Concl. (p. 871 sqq.).

²⁰ “Juxta Seredinskii, *De indulgentiis* (russice), Rigae, 1869, p. 15, plenaria absolutio quae defunctis impertitur, significat tantum defunctos ab Ecclesia, dum viverent, ab omnibus suis peccatis fuisse solutos. N. Bieliaev, *dissert. cit.* [Doctrina romano-catholica de pretensa satisfactione], in *Pravoslanyi Sobiesiednik*, 1876, t. II, p. 26, eandem tradit explicationem. Sed haec cum textu indulgentiae aegre congruit; formula enim adhibita veram intentionem absolvendi innuit. Praeterea notum est Byzantinos et Graecos sententiae excommunicationis tribuere effectus, tum in animam tum in corpus defunctorum donec ab Ecclesia legitime absolvantur. De hujusmodi formulis indulgentiae et absolutionis pro mortuis haec sentit Goarius: ‘Simplex est defuncti memoria, qua velut qualibet alia Ecclesiae prece, poenae relaxatio possit impetrari.’ *Op. cit.* [Eucho-logium Graecorum, Venetiis, 1730], p. 544. De alia explicatione hujus absolutionis a quibusdam theologis russis proposita sermo est in *Tractatu de novissimis*.”

²¹ Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 377–380.

URBANUS II in Concilio Claromontano a. 1095 primam, quae certo noscatur, concessionem ejusdem formae ac moderna indulgentia, fecit his verbis: "Nos . . . de misericordia Dei, et B. Petri et Pauli apostolorum auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos [infideles] arma susceperint [i.e. Cruciatii] immensas [quidam legunt: iniunctas] pro suis delictis poenitentias relaxamus" (Mansi, 20, 823).

CONC. LATER. IV a. 1215, cap. 62 haec statuit *contra abusum* in concessione indulgentiarum: "Quia per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum praelati facere non verentur, et claves ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur: decernimus ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras praecipimus moderari, quae pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur: cum Romanus pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare" (Mansi, 22, 1050 sq.).

BONIFACIUS VIII, Bulla Iubilaei "Antiquorum habet", 22 febr. 1300: "*Antiquorum habet fida relatio*, quod accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de urbe, concessae sunt magnae remissiones, et indulgentiae peccatorum. Nos igitur, qui juxta officii nostri debitum salutem appetimus, et procuramus libentius singulorum, *hujusmodi remissiones et indulgentias omnes et singulas ratas et gratas habentes*, ipsas auctoritate Apostolica confirmamus, et approbamus, et etiam innovamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Ut autem beatissimi Petrus et Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo ipsorum basilicae de urbe devotius fuerint a fidelibus frequentatae, et fideles ipsi spiritualium largitione munerum ex hujusmodi frequentatione magis senserint se refertos:

"Nos de omnipotentis Dei misericordia, et eorundem Apostolorum ejus meritis, et auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio, et Apostolicae plenitudine potestatis omnibus *in praesenti anno millesimo trecentesimo*, a festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi praeterito proxime inchoato, *et in quolibet anno centesimo secuturo*, ad basilicas ipsas accedentibus reverenter, vere poenitentibus, et confessis, vel qui vere poenitebunt, et confitebuntur in hujusmodi praesenti, et quolibet centesimo secuturo annis, *non solum plenam, et largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedemus, et concedimus veniam peccatorum*: Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgen-

tiae a nobis concessae fieri participes, si fuerint Romani, ad minus XXX. diebus continuis, seu interpolatis, et saltem semel in die: si vero peregrini fuerint, aut forenses, simili modo diebus XV. ad basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur, et indulgentiam efficacius consequetur, quo basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis, et constitutionis infringere, etc. Datum Romae apud sanctum Petrum, VIII. Cal. Mart. Pontif. nost. Ann 6" (Corpus Juris, Extrav. comm., cap. 1, de poenit. et remiss., 5, 9).

CONC. VIENNENSE a. 1312, *contra abusus quaestorum de indulgentiis*, decernit: "Ad haec, cum aliqui ex hujus modi quaestoribus, non sine multa temeritatis audacia et deceptione multiplici animarum indulgentias populo motu suo proprio de facto concedant, super votis dispensent, a perjuriis, homicidiis et peccatis aliis sibi confitentes absolvant, male oblata incerta data sibi aliqua pecuniae quantitate remittant, tertiam aut quartam partem de paenitentibus injunctis relaxent, animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum qui eleemosynas illis conferunt, de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahant et ad gaudia paradisi perducant, benefactoribus locorum, quorum quaestores existant remissionem plenariam peccatorum indulgeant, et aliqui ex ipsis eos a poena et a culpa (ut eorum verbis utamur) absolvant: nos abusus hujusmodi per quos censura vilescit ecclesiastica et clavium ecclesiae auctoritas ducitur in contemptum, omni modo aboleri volentes, ea per quoscumque quaestores fieri vel attentari de cetero districtius inhibemus, omnia et singula privilegia, si qua super praemissis vel eorum aliquo sint aliquibus locis, ordinibus vel personis quaestorum hujusmodi quomodocumque concessa, ne ipsorum praetextu sit eis materia talia ulterius praesumendi, auctoritate apostolica quantum ad praemissa penitus revocantes.

"Quaestores autem, qui deinceps vel aliquo praemissorum deliquerint vel alias, etiam quibuscumque suis privilegiis abusi fuerint, sic per locorum episcopos puniri volumus, nullo prorsus eisdem quaestoribus in hac parte privilegio suffragante, quod a suis temerariis ausibus, qui ubique (ut communis habet assertio), nimium excreverunt, poenae formidine propensius compescantur" (Clementinarum lib. 5, De poenitentibus et remissionibus, cap. 2 "Abusionibus").

CLEMENS VI, Bulla Iubilaei "Unigenitus Dei Filius", 25 jan. 1343: "Unigenitus Dei Filius . . . in ara crucis innocens immolatus non guttam sanguinis modicam, quae tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiose

velut quoddam profluvium noscitur effudisse ita, ut 'a planta pedis usque ad verticem capitis nulla sanitas' [Is 1, 6] inveniretur in ipso. Quantum ergo exinde, ut nec supervacua, inanis aut superflua tantae effusionis miseratio redderetur, *thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit*, volens suis thesaurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus, quo qui usi sunt, Dei amicitiae participes sunt effecti.

"Quem quidem thesaurum . . . per beatum Petrum coeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, *commisit fidelibus salubriter dispensandum*, et propriis et rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporali(bu)s pro peccatis debitae, tam generaliter, quam specialiter (prout cum Deo expedire cognoscerent), vere poenitentibus et confessis misericorditer applicandum.

"Ad cuius quidem thesauri cumulum beatae Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur, de cuius consumptione seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut praedictum est) merita, quam pro eo, quod quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum" (Denz. 550-552).

URBANUS VI in *Bulla Iubilaei "Salvator noster"*, 13 april. 1389, repetit verba Clementis VI.

CONC. CONSTANTIENSE a. 1414-1418, supra cit. in p. 833, indulgentiarum potestatem definivit contra *Wicleffitas et Hussitas*.

SIXTUS IV, *Bulla "Licet ea"*, 9 aug. 1479, damnavit supradictam (p. 835) propositionem *Petri de Osma*.

Idem in quadam bulla 3 aug. 1476, concedens indulgentiam pro defunctis *in favorem ecclesiae S. Petri Xanctonensis* (Sait-Pierre de Saintes, in Gallia), ait: "Et ut animarum salus eo tempore potius procuraretur, quo magis aliorum egent suffragiis et quo minus sibi ipsis proficere valent, *auctoritate apostolica de thesauro Ecclesiae animabus in purgatorio existentibus succurrere volentes*, quae per caritatem ab hac luce Christo unitae decesserunt ac quae, dum viverent, sibi ut huiusmodi indulgentia suffragaretur, meruerunt, paterno cupientes affectu, quantum cum Deo possumus, de divina misericordia confisi ac de plenitudine potestatis concedimus pariter ac indulgemus, ut si qui parentes, amici aut ceteri Christi fideles pietate commoti pro ipsis animabus purgatorio igni pro expiatione poenarum eisdem secundum divinam iustitiam debitaram expositis, durante dicto decennio

pro reparatione ecclesiae Xantonensi(s) certam pecuniarum quotam aut valorem iuxta decani et capituli dictae ecclesiae aut nostri collectoris ordinationem dictam ecclesiam visitando dederint aut per nuntios ab eisdem deputandos durante dicto decennio miserint, volumus ipsam *plenariam remissionem per modum suffragii ipsis animabus purgatorii*, pro quibus dictam quotam pecuniarum aut valorem persolverint, ut praefertur, pro relaxatione poenarum valere ac suffragari” (Denz. 723 a).

Idem *authenticam hujus bullae interpretationem* dedit in altera *bullae “Romani Pontificis”*, 27 nov. 1477, ad expellendos quorundam abusus falsasque interpretationes, scribens: “Nonnulli scripta nostra male interpretantes publice asseruerunt atque asserere non esse ultra opus pro animabus ipsis orare aut pia suffragia facere. Ex quo iam plurimi a bene agendo retrahebantur. [Quare] per brevia, ad diversos illarum partium praelatos scripsimus ut Christi fidelibus declarent ipsam *plenam indulgentiam pro animabus existentibus in purgatorio, per modum suffragii per nos fuisse concessam*, non ut per indulgentiam praedictam Christi fideles ipsi a piis et bonis operibus revocarentur, sed ut illa in modum suffragii animarum saluti prodesset, perindeque ea indulgentia proficeret ac si devotae orationes piaequae eleemosynae pro earundem animarum salute dicerentur et offerrentur.

“[Tum vehementer questus de malitia aut socordia prave detorquentium verba sua aut id ne fieret non prohibentium], non enim nos . . . ad supradictos praelatos scripsimus et declaravimus supradictam indulgentiam plenariam animabus in Purgatorio existentibus ac si fierent pro eisdem devotae orationes, piaequae eleemosynae efficerentur, videre prodesse, non quod intenderemus, prout nec intendimus neque etiam inferre vellemus indulgentiam non plus proficere aut valere quam eleemosynae et orationes, aut eleemosynas et orationes tantum proficere tantumque valere quantum indulgentia per modum suffragii, cum sciamus orationes et eleemosynas et indulgentiam per modum suffragii longe distare, sed eam perinde valere diximus, id est per eum modum, *per ac si*, id est, per quem orationes et eleemosynae valent. Et quoniam orationes et eleemosynae valent tanquam suffragia animabus impensa nos, quibus plenitudo potestatis ex alto est attributa, de thesauro universalis Ecclesiae qui ex Christi sanctorumque eius meritis constat, nobis commisso, *auxilium et suffragium animabus Purgatorii afferre cupientes supradictam concessimus indulgentiam*, ita tamen ut fideles ipsi pro eisdem animabus suffragium darent, quod ipsae defunctorum animae per se nequeant adimplere. . .

“Ut igitur sanctum et laudabile desiderium hoc nostrum a nullo

potest iure damnari, etiam intentio et sana mens quae non nisi ad apertum bonum intendit, impugnari per ambiguitatis medium non debet, cum, secundum theologiae disciplinae rationem, quaecumque propositio dubium intellectum in se continens semper in eo sensu sit accipienda in quo vera redditur locutio" (Cavallera, 1265).

LEO X in *Bulla "Exurge Domine"*, 15 jun. 1820, damnavit supra relatas (p. 836) sex *Lutheri propositiones*.

Idem in *Bulla "Cum postquam"* 9 nov. 1518, ad *Card. Cajetanum*, in causa Lutheri Legatum Apostolicum, docet: "Et ne de cetero quisquam ignorantiam doctrinae Romanae Ecclesiae circa huiusmodi indulgentias et illarum efficaciam allegare aut ignorantiae huiusmodi praetextu se excusare, aut protestatione conficta se iuvare, sed ut ipsi de notorio mendacio ut culpabiles convinci et merito damnari possint, per praesentes tibi significandum duximus, Romanam Ecclesiam, quam reliquae tanquam matrem sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem, Petri clavigeri successorem et Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clavium, quarum est aperire regnum coelorum tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta (*culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam*, culpam quidem mediante sacramento Poenitentiae, poenam vero temporalem pro actualibus peccatis secundum divinam iustitiam debitam *mediante ecclesiastica indulgentia*), posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui caritate iungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in purgatorio, indulgentias ex suprabundantia meritorum Christi et Sanctorum; ac tam pro vivis quam pro defunctis apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, *thesaurum meritorum Iesu Christi et Sanctorum dispensare, per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse*. Ac propterea omnes, tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena, secundum divinam iustitiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae et acquisitae indulgentiae aequivalet. Et ita ab omnibus teneri et praedicari debere sub excommunicationis latae sententiae poena . . . auctoritate apostolica earundem tenore praesentium decernimus" (Denz. 740 a).

Leo X hanc Bullam anno 1519 ad *Helvetios* misit cum epistula 30 aprilis 1519, in qua de Bullae doctrina ita iudicat tanquam (ut videtur) de *definitione ex cathedra*: "Romani Pontificis potestatem in huiusmodi indulgentiarum concessione iuxta Romanae Ecclesiae veram definitionem, quam ab omnibus teneri et praedicari debere . . . decrevimus, prout ex ipsis litteris, quas vobis consignari mandamus, plene videre et

severe curabitis. . . Verae determinationi Sanctae Romanae Ecclesiae et huius Sanctae Sedis, quae non permittit errores, firmiter adhaerebitis" (Denz. 740 b). Ipse etiam *Cajetanus*, In 3 p., q. 48, a. 5, ad 3, citans Bullam ait "doctrinam de efficacia indulgentiarum ex thesauro meritorum Christi et sanctorum . . . esse Romanae Ecclesiae doctrinam, et ab omnibus amplectendam, nuperrime Sanctissimus Dominus noster Leo Decimus, per suam decretalem ad me, nunc in Germania legatum, significavit . . . adhibitis censuris contra praedicantes oppositum".

CONC. TRIDENTINUM, sess. 25 (4 dec. 1563), Decretum de Indulgentiis: "Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, atque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, *eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*: in his tamen concedendis moderationem, iuxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.

"*Abusus vero qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, praesenti decreto generaliter statuit, pravos quaestus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusus causa fluxit, omnino abolendos esse. Ceteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant specialiter prohiberi; mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque huiusmodi abusus ecclesiae suae colligat, eosque in prima synodo provinciali referat, ut aliorum quoque episcoporum sententia, cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cuius auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiae expediet, statuatur; ut ita sanctarum indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur"* (Cavallera, 1271).

Sess. 21, Decretum de Reformatione, c. 9: "Quum multa a diversis antea conciliis, tam Lateranensi ac Lugdunensi, quam Viennensi, adversus pravos eleemosynarum quaestorum abusus remedia tunc adhibita posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia, potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo et querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur: statuit, ut posthac in quibuscumque Christianae reli-

gonis locis eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec ad officium huiusmodi exercendum ullatenus admittantur; non obstantibus privilegiis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis et quibusvis cuiuscunque gradus, status et dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. *Indulgentias vero aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit.* Quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi caritatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur, ut tandem coelestes hos *ecclesiae thesauros* non ad quaestum, sed ad pietatem exerceri omnes vere intelligant."

Circa Tridentinum decretum De Indulgentiis observat *BERINGER*: "Si le concile de Trent n'en dit pas plus sur les Indulgences, c'est uniquement parce qu'on ne pouvait pas alors, à cause de la mort imminente du Pape, différer d'avantage la clôture de l'assemblée. Dans ces conjonctures, la plupart des Pères, frappés des difficultés et de l'étendue de la matière, étaient d'avis qu'il valait mieux n'en pas parler que de provoquer de longues explications qui pourraient avoir des suites fâcheuses. Le premier cardinal légat, Morone, disait, de son côté, qu'il serait mieux de ne pas traiter la question, plutôt que de la faire superficiellement, d'une façon indigne d'un concile.

"Un grand nombre de Pères, cependant, désiraient qu'on en parlât, ne fût-ce que d'une manière succincte, puisque c'était le premier motif des plaintes de Luther. Ils craignirent que le silence n'affermît pas les protestants dans leurs erreurs, en leur donnant un prétexte de dire que le concile n'avait pas voulu traiter la question, parce que les Pères ne se sentaient pas la force de se prononcer sur ce sujet. En outre, quelques-uns exprimaient la crainte qu'une complète omission de la question ne finît par provoquer un nouveau concile. Les délégués de l'Empereur, en particulier, demandaient qu'on fit au moins quelque chose, si c'était possible, pour réfuter les protestants.

"Enfin, l'évêque de Modène, Aegidius Foscarari, maître du Sacré Palais, qui, sur l'ordre de Pie IV, assistait au concile, et coopéra à la composition du Catechisme romain ('ad parochos'), fit observer aux Pères que cette matière des Indulgences, quoique très étendue, pouvait être traitée brièvement, sans entrer dans les questions particulières, si importantes qu'elles fussent; que, pour en expliquer l'essentiel et défendre ainsi la doctrine catholique contre les hérétiques, il n'était pas nécessaire de discuter longuement, puisque la sainte Ecriture, la tradition et l'enseignement général de l'Ecole s'en expliquent assez clairement; qu'on pourrait, par conséquent, porter un décret qui ne ferait aucune difficulté. Son opinion fut généralement approuvée. Le concile le chargea, avec quelques autres évêques de formuler le décret en ce sens et d'y recommander spécialement à qui de droit de remédier aux anciens abus. Ce décret fut rédigé dans la nuit du 3 au 4 décembre; puis le 4 décembre, au matin, il fut approuvé et publié dans la congrégation générale, et, dans le courant de la journée, à la clôture du concile (*Actes du Concile et son Histoire*, par le cardinal Pallavicino, t. XXIV, c. 8)."³²

PIUS IV. Professio fidei Tridentina ex Bulla "Iniunctum nobis", 13 nov. 1564: "Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia

³² Les indulgences, trad. par Ph. Mazoyer sur la quinzième édition allemande, t. 1, Paris, 1925, p. 41.

relictam fuisse, illarumque usum christiano populo maxime salutarem esse affirmo" (Denz. 998). Eandem professionem praescripsit *Orientalibus* tum *Gregorius XIII* a. 1575 tum *Benedictus XIV* a. 1742 (cf. Denz. 1085 et 1471).

PIUS V a. 1567 damnavit supradictam (p. 842) propositionem *Baji*.

INNOCENTIUS XI a. 1687 damnavit supra relatam (ibid.) propositionem *Michaelis Molinos*.

PIUS VI, Constit. "Auctorem fidei", 28 aug. 1794, damnavit supra relatas (p. 842 sq.) quatuor propositiones *Conc. Pistoriensis*.

Sub *GREGORIO XVI*, Decr. S. C. Indulgentiarum, 28 jul. 1840 (*De indulgentia altaris privilegiati*), propositae ab episcopo S. Flori in Gallia quaestioni: "Utrum per indulgentiam altari privilegiato adnexam intelligenda sit indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii poenis, an vero tantum indulgentia quaedam secundum divinae misericordiae beneplacitum applicanda", respondit: "Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam, quae animam statim liberet ab omnibus purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet".²³

CODEX J. C. hanc Ecclesiae potestatem explicat ac determinat in l. 3, t. 4, c. 5 De Indulgentiis (can. 911-936), sermonem aperiens sequenti can. 911: "Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii."

Alia minora documenta, una cum generali praxi Ecclesiae, dabuntur infra in argumento Traditionis (p. 857 sqq., signanter 871 sqq.).

CONCLUSIO

Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias.

Probatur *EX TRADITIONALI SENSU ET PRAXI IPSIUS ECCLESIAE INTERPRETANTIS VIM ET EXTENSIONEM POTESTATIS CLAVIUM*.

²³Decr. auth., n. 283.

Quamvis, ut explicabitur in art. seq. (p. 885), existentia hujusmodi potestatis non necessario sequatur ex ipsa existentia thesauri, seu cumuli satisfactionum ad ecclesiasticam societatem pertinentium ac in utilitatem membrorum ejus erogandarum, tamen suspicari facile licet Christum spirituales hujusmodi divitias potestati ipsius Ecclesiae commisisse. Nam "ea . . . quae sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini praeest. Unde sicut aliquis consequeretur remissionem poenae, si alius pro eo satisfacisset, ita si satisfactio alterius sibi per eum qui potest, distribuatur" (*Suppl.*, q. 25, a. 1; cf. q. 26, a. 1).

Ponderando autem ipsa *VERBA EVANGELICA*, quibus Christus potestatem clavium contulit Ecclesiae, apparet hanc cum tali amplitudine exprimi, ut connaturaliter ad erogationem alicujus spiritualis thesauri per concessionem indulgentiarum extendatur. Verba enim *Matth. 16, 19*: "Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis" et *18, 18*: "Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo", sonant potestatem auferendi quodlibet ligamen seu impedimentum prohibens ab ingressu regni coelorum, nec ulla ceteroquin ligaminis determinatio aut restrictio colligi potest sive ex his sive ex aliis locis Evangelii. Hujusmodi autem ligamen est non solum ipsum peccatum, sed etiam poena temporalis pro peccato debita et post remissum peccatum, utut per sacramentum, adhuc relicta. Ergo Ecclesia habet potestatem auferendi ligamen poenae etiam extrasacramentaliter, quod nonnisi per gratiosam concessionem seu indulgentiam fieri potest.

Idipsum indirecte colligi potest ex ipsis verbis institutionis sacramenti Poenitentiae, quibus directe potestas sacramentalis collata est. scilicet *Joan. 20, 23*: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis". Cum enim plena peccati remissio nondum obtineatur donec et ipsa poena, peccati stipendium et effectus, remittatur, ipsa sacramentalis potestas remissiva peccati connaturaliter appellat, tanquam sui complementum, extrasacramentalem potestatem abstergendi reliquias poenarum per indulgentiam.

Ceterum, in hunc sensum extensionem potestatis clavium *Ecclesia in sua praxi interpretata est* inde quidem a tempore apostolico, etsi progressiva quadam determinatione et elucidatione.

AD TEMPUS APOSTOLICUM quod attinet, solet hic a pluribus theologis invocari textus Apostoli donantis seu indulgentis incestuoso Corinthio, *2 Cor. 2, 6-11*: "Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio haec quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, et consolamini, ne forte abundantiori tristitia absorbeat qui ejusmodi est. . .

Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego *quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*".

Ceterum, haec Pauli condonatio seu indulgentia variis patet interpretationibus. Quidam enim in ea vident absolutionem ab excommunicatione; alii, abbreviationem temporis canonicae poenitentiae; alii, ut *S. Thomas*,³⁴ *Suarez*,³⁵ *Estius*, *Pesch*, *Lépicier*, concessionem indulgentiae; alii ipsam sacramentalem absolutionem a peccatis, nam solet ille locus invocari etiam in quaestione de institutione sacramenti (cf. supra in art. 1, tom. 1, p. 87 sq.).

Recte dices has omnes absolutiones in ea Apostoli condonatione involvi, etsi indistincte ac diversimode: in ea indirecte involvi ipsam absolutionem a peccatis verisimile diximus in art. 1 (ibid., p. 88); in ipsa agi de absolutione ab excommunicatione ac pro tanto de abbreviatione poenae impositae illi incestuoso, manifestum est; in hac autem poenae condonatione implicari quoque quandam proprie dictam indulgentiae concessionem, probabile est, dummodo preemtorie non dicatur cum quibusdam, uti *Estio* (cit. in art. 1, ibid., p. 88), in eo textu agi manifeste ac exclusive de indulgentiae concessione.

Ad rem *GALTIER*: "De modo . . . quo intercesserit illa condonatio, nihil positive assertur (2 Cor. 2. 5-13) nec proinde potest quidquam ab ullo affirmari nisi consequenter ad deductiones aliunde ortas. Ex apostoli textu duo tantum certa habentur: — a) Eum qui tum Paulum tum fideles 'contristaverat' (λελύτρ. κεν), post 'objurgationem quae facta est ei a pluribus', in periculo fuisse ne 'abundantiori tristitia absorberetur', proptereaque Apostolum auctorem Corinthiis fuisse ut condonationem ei jam et consolationem exhiberent: quod jure dicas aequivalere 'reconciliationi' ab Ecclesia, qualem postea in Ecclesiis viguisse constat; at ex hoc ipso loco non constat quo modo factum fuerit nec utrum existimatum fuerit habere vim delendi peccatum in foro interno. — b) Condonationem illam, qualiscumque et quomodocumque fuerit, Corinthiis non valuisse nisi quatenus ab Apostolo praescripta et rata habita. Non ait enim *S. Paulus* eos jam condonasse, sed eis ipse potius auctor est ut jam condonent. 'Propter hoc — [ne absorbeatur tristitia] — obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem'. Quod illi fecerint, ipse jam nunc ratum habet: 'Cui aliquid donatis — [aut melius, cum *Tertulliano*: (Pud. XIII, 3), donaveritis] — et ego' . . .

"Si qua jam praecesserit 'condonatio', ut suggerere videtur v. 10, ea etiam fuit ab ipso apostolo. 'Nam et ego donavi, si quid donavi, propter vos'. Hoc enim bene intellegi non videtur nisi de aliqua reductione poenae in prima epistola incestuoso minatae, quam apostolus, inter duas epistolas, sive per *Timotheum* sive per *Titum*, significaverit se concedere. 'Propter eos', ad attenuandam scilicet Corinthiorum tristitiam et pudorem, concesserit incestuosum non 'tradi Satanae', ut prius

³⁴ *Suppl.*, q. 25, a. 1, *Sed contra*: "II. Cor. ii, 10: 'Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi'; Glossa interl.: 'Id est ac si Christus donasset.' Sed Christus poterat relaxare absque omni satisfactione poenae peccati, ut patet Joan. VIII de muliere adultera. Ergo et Paulus potuit. Ergo et papa potest, qui non est minoris potestatis in Ecclesia quam Paulus fuit."

³⁵ *Disp.* 49, sect. 2, n. 3: "Habemus igitur ex hoc loco indulgentiarum usum a Christo fuisse inchoatum".

decreverat (I Cor. V. 3-5). Benignitatem, qua usus est in attenuanda poena, vult nunc Corinthiis exemplo esse in condonatione faciendam.³⁶

CORNELY: "Ab haud paucis theologis inde a S. Thomae (cf. Summ. theol. Suppl. qu. 25. a. 1) aetate hic locus adhibetur, ut Ecclesiae potestatem vindicent concedendi indulgentias, i.e. remittendae poenae temporalis, quam etiam post culpae aeternaeque poenae reatum remissum peccator Deo adhuc solvere tenetur. *Neque immerito; quamvis enim de indulgentiis stricto sensu non agat, sufficiens tamen praebet doctrinae catholicae fundamentum.* Proxime et directe quidem sermo est de recipiendo incestuoso in Ecclesiam, vel iuxta hodiernum loquendi modum de solvendo excommunicationis vinculo, quod eo tempore, quo Paulus scripsit, nondum solutum fuisse tantum non omnes interpretes recte tenent; at haec receptio, quum fiat, antequam integra poena peccato debita sit soluta (cf. ad vv. 6, 7), est vera condonatio poenae temporalis ab Ecclesia impositae. *Cum hac vero remissione diuturnioris poenae ecclesiasticae coniunctam simul fuisse remissionem poenae Deo adhuc debitae iure concludimus;* S. Thomae enim argumentationem adoptantes dicere possumus: Nisi poena Deo debita simul esset remissa, Paulus poenam ecclesiasticam condonans peccatorem poenitentem magis damnificasset quam adiuvisset, quum eum ad graviores poenas in purgatorio solvendas obligasset; atqui hanc Pauli mentem non fuisse, clarum est."³⁷

QUOD ATTINET AD SENSUM ET PRAXIM ANTIQUIORIS ECCLESIAE, usque ad tempus *Conc. Later. IV* (a. 1215), in quo *modernus conceptus et praxis indulgentiarum manifeste observatur, haec generice praenotanda sunt:*

1. Etiam si non posset ostendi Ecclesiam unquam concessisse indulgentias, inde non necessario sequeretur eam huiusmodi potestatem non habere, cum aliud sit usus potestatis et aliud ipsa potestas.

2. Ipsam doctrinam de habita ab Ecclesia tali potestate, non esse in medio aevo a theologis confictam et inventam, ut volent Protestantes, facile ostendi potest sic dicto argumento praescriptionis, eo modo quo in tractatu *De sacr. in gen.* (art. 41, p. 520-522) ostendimus veritatem numeri septenarii sacramentorum, quia scilicet ex una parte, ob promissam Divini Fundatoris assistentiam, non potuit Ecclesia per tria saecula errare in re tanti momenti pertinente ad salutem animarum, et ex alia parte non potuit huiusmodi doctrina introduci absque disputatione, absque conflictu, absque alicujus Concilii definitione, uti de facto propagata est, veluti per connaturalem quandam evolutionem ac continuationem praeahitarum idearum.

3. Quod cum ipso *Conc. Trid.* asserimus, Ecclesiam nempe "anti-quissimis etiam temporibus illa [potestate] usam fuisse" (*Denz. 989*), non sic intelligendum est ac si eodem modo antiquitus Ecclesia ea potestate usa fuerit, quo nunc utitur; nam modus, salva rei substantia, variare potest pro temporum circumstantiis. Idque maxime contingere potuit in usu potestatis clavium, ut patet vel ex dictis in art. 42-45 de ipsa potestate sacramentali, prout connectitur cum quaestionibus

³⁶ De Paenitentia, n. 169, Parisiis, 1931, p. 115, in textu et in nota.

³⁷ In Ep. ad Corinthios altera et ad Galatas (2 Cor. 2, 11 sqq.), Parisiis, 1909, p. 70.

de sigillo et de poenitentia publica. Sicut enim exercitium fori interni facilius miscbatur exercitio fori externi, ita etiam concessio indulgentiae concessioni sacramentalis absolutionis; et similiter, sicut posterius benignior facta est poenitentialis Ecclesiae disciplina, suppressa severitate publicae poenitentiae et accuratissime protecto sigillo sacramentali, ita frequentior, abundantior et facilior in dies evasit concessio indulgentiarum, cujus necessitati vel utilitati aliter occurrebat antiquorum christianorum fervor et poenitentia.

Attento igitur modo, quo Ecclesia diversimode ea potestate usa est, TRES DISTINGUI POSSUNT PERIODI³⁸ quae tot signant gressus evolutionis Ecclesiae tum in sua praxi tum etiam in cognitione hujus dogmatis. In prima scilicet periodo, usque ad saec. 7, concessio indulgentiae fit sub forma *abbreviationis seu mitigationis* publicae poenitentiae; in secunda periodo, saec. 7–11, sub forma *redemptionis seu commutationis* poenitentiae canonicae in alia opera; in tertia periodo, saec. 11 seqq., sub forma *simplicis ac generalis remissionis*, seu sub propria ac determinata forma moderna indulgentiae, scilicet remissionis poenitentiae temporalis, concessae extra sacramentum omnibus qui certas condiciones adimpleant.

USQUE AD SAEC. VII CONCESSIO INDULGENTIARUM EXERCETUR SEU INVOLVITUR IN IPSA ABBREVIATIONE SEU MITIGATIONE PUBLICAE POENITENTIAE, VEL, SI PLACET, IN ANTICIPATA RECONCILIATIONE.

Ex dictis in superioribus (cf. art. 45, de publica poenitentia, tom. 2, p. 873 sq. et 977 sqq.; art. 92, p. 382–391, ubi de reconciliatione lapsorum; art. 98, p. 665–684, ubi de libello pacis), constat tempus expiationis publicae poenitentiae in pluribus casibus abbreviari consuevisse ex iudicio et auctoritate episcoporum (cf. signanter Conc. Ancyranum a. 314, can. 2 et 5; Conc. Arelatense a. 314, can. 12; Conc. Nicaenum a. 325, can. 12; Conc. Carthaginense a. 398, can. 4), idque vel ratione necessitatis, seu instantis mortis aut persecutionis, vel ratione excellentioris dispositionis quorundam poenitentium, vel ratione malae dispositionis aliorum perveracium poenitentium quibus longior aut gravior poenitentia nihil profuisset, vel ratione intercessionis martyrum, seu libelli pacis a martyribus concessi. In hac igitur mitigatione, theologi communiter vident aliquem usum indulgentiarum, vel aliquam concessionem indulgentiae propinquam. In qua tamen determinanda non uno modo loquuntur.

³⁸ De historia indulgentiarum confer peculiariter *Beringer, N. Paulus, Lépicier, Galtier, D'Allès, Magnin, Poschmann* in operibus supra citatis in p. 823–826.

Quidam videntur negare in hac mitigatione contineri proprie eam poenae remissionem quae est de essentia indulgentiae, etsi generaliter et confuse concedant huiusmodi mitigationem habuisse aliquem valorem etiam in foro interno ac pro tanto appropinquasse indulgentiae. Ratio illius negationis est quia saepe in concessione dictae mitigationis supponebatur poenam peccato debitam jam fuisse coram Deo expiatam ac remissam ex opere operantis poenitentis et quia mitigatio non sequeretur reconciliationem sed eam praecedebat vel cum hac coincidebat.

Ita E. MAGNIN scribens: "C'est . . . dans ces cas [de fautes les plus graves, comme l'adultère, l'homicide et l'idolâtrie] que nous trouvons les exemples les plus clairs de remises officielles de la peine due au péché, c'est-à-dire de mesures de miséricorde qui s'apparentent à nos indulgences. . . Les évêques pouvaient donc réduire la durée normale de la pénitence. Quelle était la valeur de cette rémission? N'avait-elle d'efficacité qu'au point de vue de la discipline ecclésiastique, au seul for externe? Nullement, car une telle condonation était faite, souvent, en considération des mérites des martyrs dont on affirmait la valeur d'intercession auprès de Dieu lui-même. . . La remise des peines canoniques fut . . . en usage courant à l'époque patristique. Mais ce n'était pas l'équivalent exact de l'indulgence au sens moderne, parce que, 1° l'on supposait souvent que la peine due au péché était déjà remise devant Dieu, à cause des mérites du pénitent, quand l'évêque intervenait; et que: 2° cette intervention épiscopale précédait la réconciliation ou plutôt se fondait avec elle au lieu de la suivre. Le développement de la pénitence du Ve au VIIIe siècle va amener avec la pratique des rédemptions un usage plus proche de notre discipline actuelle."³⁹

Alii usum indulgentiae admittunt in solo casu mitigationis publicae poenitentiae ratione libelli pacis a martyribus concessi. Ratio id negandi pro aliis casibus est quia, secus ac in casu libelli pacis, non constat Ecclesiam intendisse auferre poenam peccati potiusquam mere diminueri rigorem sacramentalis poenitentiae, ob varia motiva quibus etiam nunc confessarius non imponit nisi parvam poenitentiam. Ratio vero id concedendi pro casu libelli pacis est quia illa mitigatio concedebatur praecise ob merita et satisfactiones martyrum.

Ita D'Alès⁴⁰ et GALTIER qui scribit: "Ad rem nostram hac aetate pertinet praxis episcoporum relaxandi poenitentiam publicam peccatoribus in junctam vel injungendam. . . Attamen, cum non constet eos, sic agendo, intendisse peccatoribus procurare remissionem poenae se extendentem usque ad ablationem reatus coram ipso Deo, dici non potest eos egisse quidquam aliud ac sacerdos qui in actione sacramentali etiam nunc, propter varia motiva, non imponit nisi parvam poenitentiam."⁴¹ Ad indulgentiam e contra qualem intellegimus accedit quam proxime praxis reconciliandi sine mora peccatores qui a 'confessoribus' accepissent 'libellos pacis'. Per hos enim Ecclesia admittebat superabundantiam meritorum et satisfactionum ex tormentis habitam ita dispensari ut peccatores, ratione huiusmodi solutionis, 'pacem accipere' possent quasi ipsi Deo plene satisfacerent. . . Aliunde

³⁹ In Dict. Théol. Cath., art. Indulgences, col. 1595. 1598. 1600.

⁴⁰ De Poenitentia, thes. 10, Scholion, Parisiis, 1926, p. 137; La doctrine des indulgences, in Etudes, t. 145 (1915), p. 45 sqq.

⁴¹ Cf. D'Alès: La doctrine des indulgences, apud Etudes, t. 145 (1915), p. 45 sqq.

merita sic dispensata censebantur nisi post excessum martyrum non valere. Cf. S. Cypriani *epist.* 16.3; 21.3; 22.2.

"Nec obstat remissionem poenae in hoc casu concessam esse ab episcopo in ipso actu 'reconciliationis' quam diximus sacramentalem, nam per accidens est quod remissio poenae fiat sub ea vel alia forma; manet etiam, in eo casu, remissionem poenae factam esse *non praecise vi absolutionis sacramentalis*, sed ab episcopo absolvente, *vi et intuitu meritorum alienorum*, quod solum essentiale est indulgentiae: conceditur in ministracione sacramenti, sed non agit vi sacramenti."⁴²⁷⁴⁸

Alii usum verae indulgentiae admittunt in omni casu praedictae mitigationis poenitentiae publicae, etsi peculiariter in casu libelli pacis. Ita major pars theologorum, nominatim *Pesch, Lépicier, Jugie, Hervé* quorum ratio esse videtur quia, juxta Ecclesiae aestimationem, poenitentia publica censebatur sufficere debuisse ad totalem poenae temporalis extinctionem, unde, in praedictis poenitentiae publicae mitigationibus, Ecclesia censebatur supplere per indulgentiam extinctionem partis poenae nondum expiatae, secus pejorem fecisset conditionem poenitentium, eis auferens medium expiationis eosque remittens ad graviore poenas Purgatorii.

Ad rem *PESCH*: "Omnes . . . catholici unanimiter fere docent indulgentiam concessam fuisse poenitentibus, quoties iis aliquid de poenitentia canonica remittebatur. Hoc fiebat imprimis propter intercessionem martyrum, quorum passionem admittebantur loco satisfactionis ab ipsis peccatoribus praestandae. . . Statim quoque a primis conciliis potestatem inesse episcopis declaratum est ob rationabiles causas relaxandi aliquid de poenis canonicis pro peccatis debitis. . . Etiam moribundis relaxabantur poenae, ita ut, etiam si reconvalescerent, eas saltem omnes solvere non deberent. . . Atqui non possumus admittere voluisse ecclesiam ita relaxare poenas canonicas, ut poenitentes remitterentur ad multo graviore poenas purgatorii. Ergo admittenda est vera indulgentia."⁴⁴

LÉPICIER: "Luce clarius ostenditur et evincitur, in Ecclesia, usum viguisse, inde ab antiquis temporibus, ininterruptis vicibus, indulgentias, etsi sub diversis formis, concedendi. Recenseri . . . possunt . . . poenitentiales canones, a Conciliis vel Pontificibus identidem lati, quibus certa poenae mensura certis peccatis statuebatur, a quibus tamen episcopi, in parte saltem, dispensare consueverant."⁴⁵

"Si . . . nous étudions la pratique de l'Eglise à cette époque, nous constaterons que, dès le quatrième siècle, les évêques avaient le pouvoir d'abrèger, suivant qu'ils le jugeaient opportun, la durée de la pénitence; ils pouvaient même faire passer directement les pénitents du degré des *écouterants* à celui des *consistants*, sans passer par le degré intermédiaire des *prosternés*. C'était là une grande concession puisque la période de pénitence des *prosternés* était la plus longue et durait parfois jusqu'à quinze ans. . . Ce pouvoir, à cette époque, n'était pas chose nouvelle dans l'Eglise. Il existait depuis déjà longtemps, et les textes allégués témoignent en faveur de la pratique antérieure. Bien plus, comme on ne trouve aucune trace de l'introduction de cette discipline et que, d'autre part, elle n'a jamais soulevé de protestation, on peut sans témérité la faire remonter jusqu'au temps des Apôtres.

⁴² Contra, cf. *J. B. Umberg*, in *Stimmen der Zeit*, 1 (1914-15), p. 168 et *Paulus: Gesch. des Ablasses im Mittelalter*, t. 1, p. 4-5.

⁴³ De Poenitentia, n. 608, Parisiis, 1931, p. 462 sq. Cf. eundem *Galtier*, in *Dict. Apol.*, art. Indulgences, col. 729-731.

⁴⁴ Prael. Dogm., t. 7, n. 498 sq., Friburgi Br., 1920, p. 244-246.

⁴⁵ De Poenitentia, Romae, 1935, p. 508 sq.

“Cette pratique démontre non seulement que l’Eglise dispensait les pécheurs de subir l’épreuve des pénitences d’institution ecclésiastique, mais encore que, dans la plénitude de son pouvoir, elle abrégait et parfois remettait entièrement la peine, à l’égard de Dieu aussi bien qu’à l’égard des hommes, en raisons des satisfactions surabondantes du Christ et des saints. C’est ce qui résulte clairement des écrits des Pères et en particulier de ceux de saint Cyprien; d’ailleurs, s’il en était autrement, cette manière de faire n’aurait été que mensonge et tromperie. . .

“[Par l’acceptation du *libellus pacis*] on appliquait au pénitent les satisfactions du martyr, par la vertu des satisfactions infinies de Jésus-Christ et en union avec elles; le pénitent était absous de sa peine et rendu à la communion de l’Eglise: *en un mot, on lui accordait l’Indulgence*. Cette Indulgence accordée par les évêques était valable non seulement pour leur tribunal, au for externe, mais aussi devant le tribunal de Dieu, au for interne; la remission correspondait réellement et efficacement aux paroles prononcées. . . Si . . . nous comparons . . . [la] description des ‘memoriaux des martyrs’ avec ce que nous avons dit dans les deux premiers chapitres de cet ouvrage sur la véritable idée de l’Indulgence, nous devons en conclure que ce transfert, approuvé par l’évêque, *constituait une véritable Indulgence*. Nous y voyons, en effet, la remise d’une peine temporelle due aux péchés, cette remise accordée solennellement et officiellement reconnue par ceux à qui étaient confiées dans l’Eglise les clefs du royaume des cieux; remise faite en vertu et par l’application des mérites surabondants de Jésus-Christ et des saints. Cette identification du *libellus martyrum* avec la concession d’une véritable Indulgence est très explicitement confirmée par l’enseignement que le grand évêque de Carthage, saint Cyprien, nous a laissé dans ses divers écrits.”⁴⁶

Quidam, ut Amort, Palmieri, Beringer, Pesch, Jugie dicunt ipsam finalem absolutionem, qua terminabatur poenitentia publica, nihil aliud fuisse quam concessionem plenariae indulgentiae, qua Ecclesia intendebat remittere omnem relictam poenam, pro qua nempe peccator nondum fortasse per exercitium publicae poenitentiae plene satisfecisset; idque ex ea ratione colligunt quod illa absolutio esset vera absolutio peccatorum, non tamen sacramentalis absolutio a culpa (quippe quae dabatur, inquit, initio publicae poenitentiae), ergo absolutio a poena, seu indulgentia. Imo quidam ex praedictis auctoribus, signanter Palmieri, in hac sola finali absolutione usum indulgentiarum agnoscere videntur, ita ut variae mitigationes poenitentiae publicae, non secundum se importarent indulgentiam, sed prout accelerabant tempus finalis absolutionis in qua propria indulgentia concedebatur.

Ad rem *PALMIERI*: “Videamus an prioribus seculis ante VII usus hic extiterit concedendi indulgentias. Censem demonstrationem hujus rei idoneam esse, quam affert *Eusebius Amort* in suae Historiae Indulgentiarum Dissertatione praeliminarium § 2 seqq. . . . Sic expoliendam arbitramur demonstrationem laudati Theologi 1° In fine poenitentiae publicae, cum reconciliabantur poenitentes in Coena Domini, absolutionem eis Episcopus impertiebatur. Haec vero absolutio erat ab aliquo vinculo coram Deo: nam orationes et preces fundebat Episcopus Deo ut poenitentem solveret, similesque erant formulae huius absolutionis illis, quibus dabatur absolutio a peccatis. Non proinde 2° erat haec absolutio a debito peragenda poenitentiae, quam Ecclesia imposuerat; nam, praeter argumentum nunc allatum, tales absolutiones iis quoque adhibebantur qui plene functi essent poenitentia praescripta; in his autem remissio poenitentiae iam peractae non habebat locum. . .

⁴⁶ Les Indulgences, t. 1, Paris (1902), p. 211 sq. 249 sq.

Porro 3° haec absolutio, etsi identidem fuerit, universim tamen non erat absolutio a reatu culpae. Etenim non erat absolutio sacramentalis; nam dabatur generatim ab Episcopo iis, quorum confessiones non audiverat, sed qui e contrario aliis h. e. presbyteris confessi antea fuerant. . .

“[Sic igitur conficitur argumentum:] Peracta poenitentia dabatur absolutio efficax coram Deo, absolutio a peccatis, non vero a reatu culpae: ergo a reatu poenae. Notio vero huius absolutionis magis declaranda est. Nam quid praestabat haec absolutio, cum jam per poenitentiam tot annis actam factum esset satis divinae iustitiae? Atqui istud gratis tu affirmas, illudque est quod Ecclesia nosse nunquam poterat, ut proinde locus semper esset remissioni poenae, utique si supereset, quemadmodum et nunc supponitur cum huic vel illi indulgentia conceditur.

“Sane adverte primum quod intra eandem speciem peccatum potest esse magis vel minus grave secundum circumstantias, intentionem agentis et intensitatem actus interioris: attamen peccatis eiusdem speciei idem poenitentiae modus imponebatur. Deinde valor satisfactionis non ex solo opere externo libere quidem et devote suscepto, sed ex interiore animi fervore et humilitate dependet, quae profecto diversa esse poterant in poenitentibus eidem subiectis poenitentiae. Tertio ignorat Ecclesia quanta sit poena temporalis, reliqua post remissam culpam, debita cuilibet peccatori. Hinc consequencebatur quod etiam tunc, cum tempus poenitentiae a canonibus statutum integre et pie transactum fuisset, non constaret Ecclesiae an debito omnis poenae factum esset satis, imo satis temere id fuisset affirmatum. Locus igitur erat absolutioni a reliquo debito poenae. Itaque cum ab Ecclesia poenitentibus absolutio daretur, absolutio a peccatis coram Deo, quae idcirco mera ceremonia non erat, sed actus potestatis efficax coram Deo; erat idcirco remissio poenae, quae supereset, debita coram Deo.”⁴⁷

PESCH: “Concessio indulgentiarum primis saeculis apparet sub forma *mitigationis* poenitentiae publicae. Interdum enim poenitentes ‘reconciliabantur’, antequam integras satisfactiones praestitissent. Atqui haec reconciliatio ante impletam integram poenitentiam erat concessio indulgentiae. Ergo istis temporibus indulgentiae erant in usu. . .

“Unde *quidam theologi concluderunt reconciliationem ipsam fuisse indulgentiae concessionem*. Ita *Palmieri*: ‘Cum ab ecclesia poenitentibus absolutio daretur, absolutio a peccatis coram Deo, quae idcirco mera caerimonia non erat, sed actus potestatis efficax coram Deo; erat idcirco remissio poenae, quae supereset, debita coram Deo’ (De paen.² 514). — *Alii id negant*, quamvis concedant reconciliationem fuisse veram absolutionem coram Deo validam. Ita *Schmitz* (Der Katholik, 1885, I 368 sqq.), qui dicit ecclesiam in reconciliatione semper supposuisse Deo a poenitente plenam satisfactionem praestitam esse. Prior sententia verior videtur. Nam si satisfactio poenitentis necessario tanta supponebatur, ut omnis poena iam deleta esset, absolutio ecclesiae erat superflua, quia nihil erat absolvendum. Confundi videtur in hac sententia theoretica aestimatio de sufficientia satisfactionis cum sententia efficaci absolutionis. Dicendum igitur est in reconciliatione ecclesiam poenitentibus concessisse remissionem omnium poenarum, etiamsi forte a peccatore pro iis nondum plene satisfactum erat (cf. *Beringer-Hilgers* I, 41 sqq. 619 sqq.).”⁴⁸

JUGIE: “Ecclesia statuit satisfactionem rigorosam pro quibusdam peccatis gravioribus, quae ‘poenitentia publica’ sive ‘exomologesis’ dicta est; quae erat pars integrans sacramenti poenitentiae, prout tunc administrabatur respondebatque poenitentiae (seu ‘epitimio’), hodie a confessore impositae. Haec satisfactio,

⁴⁷ De Poenitentia, Appendix De Indulgentiis, § 2, n. 8 et 14, Romae, 1879, p. 459 et 465 sq.

⁴⁸ Prael. Dogm., t. 7, n. 496 sq., Friburgi Br., 1920, p. 243 sq.

secundum Ecclesiae aestimationem, sufficere debebat tum ad poenae temporalis solutionem, tum ad emendationem et curationem spiritualem poenitentis. Hac persoluta, poenitens Ecclesiae solemniter reconciliabatur, et si quid forte de poena temporali ei luendum coram Deo remansisset, hoc illi condonabat Ecclesia, sua plenissima potestate solvendi utens, ita ut haec reconciliatio, quam probabiliter praecesserat absolutio a culpa et a poena aeterna, *verae indulgentiae plenariae responderet atque aequivaleret.*⁹⁰

In unaquaque istarum opinionum aliquid veri habetur et aliquid falsi vel exaggerationis admiscetur, duabus quidem prioribus peccantibus per defectum, posterioribus vero per excessum.

Stando enim ad sola et nuda documenta, verum est quod aint priores non constare de intentione Ecclesiae concedendi veram indulgentiam seu remissionem poenae; nam praedictae mitigationes poenitentiae publicae multipliciter explicari possunt, quemadmodum et hodiernae mitigationes poenitentiae sacramentalis, quae nullam habent indulgentiae rationem. Ipsa quoque vis libellorum pacis, absolute loquendo reduci potest ad meram commendationem, quam pia mater Ecclesia libenter suscipiebat, ut abbreviaretur canonica poenitentia, confidens ceteroquin quod intercessiva vis orationum ac meritum martyrum maximi adiutorii esset poenitentibus in eorum satisfactione ex opere operantis et in concipiendis dispositionibus salutaris poenitentiae et sacramentalis absolutio. Ipsa denique finalis reconciliatio non probatur non fuisse sacramentalis absolutio, nec, si id probaretur (quod ceteroquin probabiliter admisimus in art. 45), sequeter necessario eam fuisse absolutioem a poena coram Deo, potiusquam mere canonicam reconciliationem cum Ecclesia, qua indiceretur finis poenitentiae sacramentalis et praeberetur jus ad ecclesiasticam et eucharisticam communionem.

Unde exercitium indulgentiae in illis mitigationibus, ex aliis quoque considerationibus, potiusquam ex solis ac nudis documentis, contra praedictas priores opiniones arguendum est.

Et primo quidem, etsi usus indulgentiarum non sit absolute necessarius in Ecclesia, cum extinctio poenae temporalis aliis etiam modis tam sacramentaliter quam extrasacramentaliter obtineri possit, inverisimile tamen videtur Ecclesiam tam excellentem et salutarem potestatem eo tempore nondum sibi agnovisse, aut agnita uti noluisse.

Praeterea, Conc. Trid. explicite docet Ecclesiam hac potestate "antiquissimis etiam temporibus usam fuisse" (Denz. 989), qua expressione recte praesumitur Concilium sese referre etiam ad priora Ecclesiae saecula, quemadmodum in similibus expressionibus de integritate confessionis: "Ecclesia semper intellexit" (Denz. 899),

⁹⁰ Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 371.

de sigillo sacramentali: "Ab antiquissimis Patribus secreta confessio, qua ab initio Ecclesia usa est, fuit semper commendata" (Denz. 901) et de casuum reservatione: "In Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis" (Denz. 903). Jamvero, non alius apparet modus quo Ecclesia usque ad saec. 7 potestate concedendi indulgentias usa fuerit quam per praedictas poenitentiae publicae mitigationes. Nec id convenienter restringi potest ad solum casum commendationis per libellos martyrum; nam, ut constat ex dictis in art. 98 (p. 666), haec praxis nec universalis fuit nec duravit ultra unum saeculum (circa a. 178-251); imo ex hoc ipso quod Ecclesia indulgentiam concesserit in casu libelli pacis, improbabile fit eam in hoc solo casu tali potestate uti voluisse, si eam cognoverit.

Praeterea, si admittatur Ecclesiam inde a saec. 7 indulgentias concessisse sub forma "redemptionis seu commutationis", ipsa lex continuitatis exigit ut easdem etiam antea concesserit, etsi sub alia forma, nec alia exhibetur probabilis forma concessionis quam praedicta mitigatio poenitentiae publicae.

Tandem, attendendo ad mentem Ecclesiae de indole et scopo publicae poenitentiae, positiva ratio colligi potest ex qua probabiliter deducatur illius mitigationem fuisse veram, utut minus distinctam, concessionem proprie dictae indulgentiae. Publica enim poenitentia concipiebatur ut medium sufficiens ad purgationem omnis poenae peccati, ita ut esset homini tanquam novus baptismus quo plene restitueretur in pristinam dignitatem et puritatem (cf. Const. Apost., l. 2, c. 41; Greg. Naz., Orat. 39, 17; Ambrosium, De Poenit. 2, 10, 95); consequenter, mitigatio illius poenitentiae non convenienter conciperetur rimare cum ea Ecclesiae mente (saltem in eo perfectionis ac fervoris tempore et abstrahendo a quibusdam casibus obstinationis et contumaciae quorundam peccatorum), nisi fuisset coniuncta cum quadam indulgentiae concessionem, qua nempe suppleretur ipse defectus continuationis poenitentiae in remissionem poenae temporalis nec ullatenus frustraretur praedictus finis poenitentiae publicae.

Ex his copulatis rationibus, et signanter ex ratione deducta ex verbis Tridentinis, probabile ac solidum conficitur argumentum pro asserta concessionem indulgentiae in mitigationibus poenitentiae publicae (cf. dicta in art. 45, tom. 2, p. 939. 941. 942. 957).

A SAEC. VII AD XI CONCESSIO INDULGENTIAE EXERCETUR SUB FORMA SIC DICTAE REDEMPTIONIS, SEU COMMUTATIONIS POENAE CANONICAE IN ALIA OPERA.

Cum enim eo tempore, labente paulatim ex suo vigore et plenitu-

dine poenitentia publica, non amplius imponeretur peccatori exclusio ab ecclesiastica communione, mitigatio canonicae poenitentiae non potuit amplius consistere in acceleratione publicae reconciliationis; unde formam assumpsit commutationis canonicarum poenarum in alia opera plus minusve poenalia et satisfactoria, quae habebantur pro aequivalentibus. Ratio hujusmodi mitigationis fuit ipsa difficultas exequendi poenas impositas in sic dicta poenitentia taxata (gallice: pénitence tarifée), quae, ut diximus in art. 45 (tom. 2, p. 868-890), paulatim suffecta fuerat poenitentiae publicae in celticis praecipue regionibus, opera Librorum Poenitentialium.

Praedictae commutationes vocatae sunt *ARRAE* (ab antiqua voce hibernica: arra = aequivalentia, substitutio) vel *REDEMPTIONES* (in Europa continentali); opera, in quae commutatio fiebat, erant vel actiones spirituales (praecipue jejunium et oratio), vel compensationes pecuniariae sub forma eleemosynae et stipendiorum Missae, vel peregrinationes ad Urbem Romam (ad sepulchra Apostolorum Petri et Pauli); sub nomine arreae vel redemptionis designabantur praecipue duo priora genera operum.

De his redemptionibus earumque abusibus aliquid dictum est in eodem art. 45 (tom. 2, p. 869 sq.).

Praeterea haec accipe ex *E. MAGNIN*, in Dict. Théol. Cath., art. Indulgences col. 1602 sq.: "Le régime introduit et propagé par les pénitentiels était encore trop rigoureux pour une société où le christianisme lutta avec peine pendant des siècles contre la barbarie. Il fallut des adoucissements et ici encore les pays celtes furent les initiateurs: 'D'assez bonne heure, sous l'empire de divers besoins qu'a bien fait ressortir M. Boudinhon, *Sur l'histoire de la pénitence*, dans la *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, 1897, t. ii, p. 503-506, le système des équivalences et commutations d'oeuvres s'est greffé sur celui de la pénitence tarifée. Ainsi plusieurs jours de jeûne isolés ou plus fréquemment consécutifs (*biduanae, triduanae superpositiones*) avec accompagnement de la récitation du psautier ou d'autres prières, de veilles pieuses, de genuflexions, de prostrations ou d'autres mortifications, certaines bien étranges (par exemple, dormir sur des orties, coucher *cum mortuo sancto in uno sepulchro*), pouvaient remplacer une pénitence primitivement imposée, moins sévère, mais plus longue, difficile ou impossible à accomplir pour certaines raisons. Ces commutations ou réductions de peines portaient le nom d'*arreae*, du vieil irlandais *arra*, qui signifie: équivalent, substitution.' Dom Gougau, *op. cit.* [Les chrétiens celtiques, Paris, 1911], p. 276. M. Kuno-Meyer a publié en 1894 un traité sur les *arreae*, rédigé au VIII^e siècle en vieil irlandais. *Revue celtique*, t. xv, p. 485-498. Au début, se trouve un *arremum* qui sauve une âme de l'enfer, c'est à-dire du purgatoire, moyennant 365 *Pater*, accompagnés d'autant de genuflexions et de coups de fouet, récités chaque jour jusqu'à la fin de l'année et un jeûne mensuel. Le c. xxvii de l'opuscule invoque les passages du Lévitique relatif au rachat des vœux. Cf. dom Gougau, *op. cit.*, p. 277.

"La pratique des commutations de peines canoniques dut passer d'Irlande en Angleterre au cours du même VIII^e siècle et donner lieu au singulier abus signalé par le 27 canon du concile tenu à Cloveshoe en l'année 747: il s'agit d'un riche qui se croyait exempté de toute pénitence par la psalmodie et les jeûnes dont de

bonnes âmes s'étaient chargées à sa place (peut-être à prix d'argent). Cf. *Histoire des conciles* de Hefele, trad. Leclercq, t. iii, p. 910.

"L'Occident continental connu, au viii et ix siècles, les *arrea* sous le nom de *redemptiones*. L'usage germanique du *wehrgeld* ou composition pécuniaire pour les crimes et délits dut favoriser grandement leur diffusion, d'autant plus que la loi canonique elle-même l'admettait comme pénalité principale ou comme complément de la pénitence ainsi que le prouvent les conciles de Berghampstead (697) et de Thionville (821). Cf. *Histoire des conciles* de Hefele, trad. Leclercq, t. iii, p. 588-589, t. iv, p. 32. Le premier de ces conciles n'est guère qu'une liste de *wehrgeld*; quand au second il établit toute une gradation de carêmes ou d'années de pénitence et de centaines de sous d'amende pour les voies de fait contre les soudiacres, diacres, prêtres et évêques.

"Les textes édités par Mgr. Schmitz contiennent de nombreux exemples de *redemptiones*. Parfois ces exemples peuvent être valable pour une époque un peu plus ancienne que celle que fixe le savant prélat, car, de nos jours, des érudits, tels que M. P. Fournier, attribuent plus de créance que lui aux en-têtes des manuscrits et tendent par conséquent à en reculer au moins la rédaction primitive.

"Un texte de la bibliothèque Vallicellane de Rome porte aux n. 104, 105 et 109 les indications suivantes:

"104. Si quis jejunare non potest quando jejunare debet, pro uno die in pane et aqua cantet cum venia psalmos L et sine venia LXX'.

"105. Si quis jejunare non potest per hebdomadam in pane et aqua, canat psalmos CCC genua flectendo et sine genua flectendo CCCXX; pro uno mense in pane et aqua canat cum venia psalmos mille CC, sine venia mille DC; IV et VI feria jejunet usque ad nonam', Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin*, p. 323.

"109. Si quis jejunare non potest et psalmos nescit, per diem det cibum quantum sumit tantum porrigat pro uno ane in pane et aqua et det solidos XXVI'. *Ibid.*, p. 326 et 563.

"Au n. 109, il s'agit de l'aumône de la nourriture d'un jour faite à un pauvre, on remarquera que l'illettré visé dans ce paragraphe jouit néanmoins d'une certaine aisance, indice d'un temps de noire ignorance! L'éditeur date ce pénitentiel de la première moitié du viii siècle, mais comme il s'agit d'un manuscrit de Rome, et qui d'ailleurs ne présente rien de spécifiquement romain, il est ici peut-être suspect d'antidater, cf. Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin*, p. 237, étant donnée son hypothèse d'une origine romaine des pénitentiels les plus anciens.

"Une addition au Vallicellanum, qui serait de la seconde moitié du viii siècle, cf. Schmitz, *ibid.*, p. 238, fait varier les compensations pécuniaires suivant les fortunes: 'Si quis forte non potuerit jejunare et habuerit unde dare ad remedium. Si dives fuerit pro 7 hebdomadibus det solidos XX. Si autem non habuerit tantum unde daret, det solidos X. Si autem multum pauper fuerit solidos det III, redimere vero non conturbet, quia jussimus XX solidos dare aut minus quia si dives fuerit facilius est illi dare solidos XX, quam pauperi solidos III.' Cf. Schmitz, *ibid.*, p. 360. On remarquera dans ce passage l'emploi du verbe *redimere*, dans un sens très particulier et sous une forme absolue qui indique que l'expression était dès lors courante."

Ad ROMANAS PEREGRINATIONES quod attinet, certum est jam saec. 7 ipsas frequentatas esse ex fine non tantum devotionali sed etiam poenitentiali, ab obtinendam scilicet peccatorum remissionem. Certum est pariter, inde saltem a saec. 9 eas consideratas fuisse ut commutationes pro poenitentia canonica, quatenus ipsi R. Pontifices, ratione durationis et poenositatis itineris, necnon manifestatae devo-

tionis erga SS. Apostolos, coeperint minorem exigere a peccatoribus poenam quam canones praescribebant.

Benedictus III (855–858) refert se cuidam fratricidae nonnisi quinque annorum poenitentiam imposuisse quia “ad sanctorum Apostolorum Petri et Pauli limina properavit”.⁵⁰ Ivo Carnotensis refert haec verba *Nicolai I* (858–867) in epist. ad Rivoladrum episc.: “Istum Wimarum ad apostolorum limina festinasse cognoscite, et poenitentiae modum pro perpetrato trium filiorum suorum homicidio sibi impostum manifestasse. Quorum quaedam temperavimus, eo quod suffragia apostolorum principis nutritoris nostri postulare devote festinavit” (M.L. 161, 700). *Joannes VIII* (872–882) exhortatur episcopum Widonem ad mitigandam gravissimam quam imposuerat poenitentiam cuidam peccatori qui ad Papam confugerat, “laborem itineris . . . considerans . . . et eo quod ad sanctos apostolos fecit confugium” (M.L. 126, 743). Gerardus, presbyter augustanus, in sua vita *S. Uldarici* refert hunc a. 971 Romam petiisse ibique indulgentiarum dona accepisse: “Zoam [i.e. vitam] in ultimis temporibus suam salvare cupiendo, animo decrevit, quamvis vires corporis de die in diem decrescere sentiret, ut limina apostolorum Petri et Pauli devota intentione laborasset visitare. . . Deo juvante, et sancto Petro apostolo, sine periculo Romam pervenit, votorumque ibi antea desistorum et promissionibus devotissime expletis, et gratissimorum emolumentorum et indulgentiarum donis acceptis . . . , felicem reditum iniit” (M.L. 135, 1042). *Canutus rex Anglorum* a. 1027 ex urbe Roma quam petierat, scribebat suis subditis: “Notifico vobis noviter me ivisse Romam, oraturum pro redemptione peccatorum meorum. . . Et ideo hoc maxime patravi, quia a sapientibus didici S. Petrum Apostolum magnam potestatem accepisse a Domino ligandi atque solvendi clavigerumque esse regni coelestis, et ideo specialiter ejus patrocinium apud Deum expetere valde utile duxi.”⁵¹

Quandonam tales peregrinationes coeperint assumi ut commutationes poenitentiae canonicae, non satis constat. *Guilelmus Altissiodorensis*⁵² et *S. Thomas*⁵³ hujus praxis institutorem dicunt Gregorium M. (590–604), quibus consentiunt plures alii (etiam inter modernos)

⁵⁰ Apud *N. Paulus*, Zeitschrift für Kath. Theol., 33 (1909), p. 304. Ibidem plura referuntur hujusmodi peregrinationum exempla.

⁵¹ Apud Ioannem Malmesburiensem, *Gesta Regum Anglorum*, I, 2, § 183.

⁵² Summa, 2, 4, 6, c. 9: “Beatus Gregorius instituit Romae huiusmodi relaxationes; et si aliquis est Romae per quadragesimas et sequitur processiones, habet de relaxationibus plusquam quinquaginta annos” (ed. Parisiis, 1500, fol. 281, col. 4).

⁵³ *Suppl.*, q. 25, a. 2: “. . . sicut quando dat papa indulgentiam, quod pergens ad unam ecclesiam habeat septem annos indulgentiae, cuiusmodi etiam indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt.”

ut *Bellarminus*, *Palmieri*,⁵⁴ *Pesch*⁵⁵ et *Lépiciér*, *contra Morinum*⁵⁶ dissentientem et impugnantem praedictorum antiquorum testimonium. Sententiae Altissiodorensis et S. Thomae videtur favere *Bonifacius VIII* in Bulla Jubilaei (supra cit. in p. 846).

In his igitur commutationibus seu redemptionibus, theologi communiter vident usum indulgentiarum, vel saltem aliquam Ecclesiae concessionem quae, magis adhuc quam praecedentes mitigationes publicae poenitentiae, indulgentiae appropinquet. Sed iterum non uno modo loquuntur.

Quidam, ut E. Magnin et Galtier, dicunt eas commutationes non fuisse proprie indulgentias, praecise quia non erant remissiones sed commutationes nec ullatenus constare mentem Ecclesiae fuisse supplere seu remittere poenam coram Deo; eos tamen appropinquasse indulgentiis iisque viam praeparasse eo quod importarent commutationem in faciliorem poenam, quae est quoddam initium remissionis.

Ad rem *MAGNIN*: "La rédemption est plus proche de notre indulgence que la réconciliation anticipée des premiers siècles, mais elle s'en distingue encore. Elle s'achemine vers l'indulgence: *a.* parce qu'elle est postérieure au pardon, accordé dorénavant au début des exercices pénitentiels; *b.* parce que si elle revêt d'abord plutôt la forme d'une commutation que celle d'une remise de peines, elle prend progressivement ce dernier caractère, le 'rachat' devenant de moins en moins difficile. La rédemption diffère de l'indulgence, parce que les conditions en sont déterminées par une intervention spéciale du prêtre dans chaque cas."⁵⁷

GALTIER: "Attamen haec omnia deficere adhuc videntur a ratione propria indulgentiarum — a) tum quia 'redemptiones' non sunt nisi 'commutationes' poenitentiarum jam impossibilem vel intolerabilem in alias faciliores, quin constet mentem fuisse Ecclesiae supplere id quod de rigore juris detrahebatur; — b) tum quia peregrinationes 'pro redimendis peccatis' assumebantur ex eadem intentione qua alia bona opera vel donationes aut eleemosinae fiebant 'pro redemptione peccatorum'; — c) tum tandem quia non constat Summos Pontifices, dum peccatoribus Romam peregrinantibus mitiores imponebant poenitentias, intendisse supplere ex thesauro et non rationem habuisse tantum tum devotionis praesentis, tum laboris in peregrinatione jam tolerati. Sed haec sunt sane initia indulgentiarum tum in genere, tum in specie, earum quae mox cruciatis et postea Romam in jubileo peregrinantibus conceduntur."⁵⁸

⁵⁴ De Poenitentia, Appendix de Indulgentiis, Romae, 1879, p. 453-455.

⁵⁵ Prael. Dogm., t. 7, n. 500, Friburgi Br., 1920, p. 246 sq.

⁵⁶ Comm. histor. de Poenit., l. 10, c. 20, n. 10: "Refert Guilelmus [Altissiodorensis] velut ex Sancto Gregorio quod exscripsimus, nonnullique post ipsum Scholastici celebres. Sed apud Sanctum Gregorium ista nunquam occurrunt, nec quid aliud quod aliquatenus hoc confirmet. Mirum esset morem, qui si est aliquis, debuit esse frequentissimus, propter sui commoditatem et utilitatem, apud Sanctum istum deprehendi, de quo nec eo tempore, nec multis ante et post seculis, nulla memoria, nullum vestigium, nulla umbra. At Guilelmus Altissiodorensis testatur Sanctum Gregorium ita statuise, et celebres Scholastici vel illius auctoritate fulti, vel eodem codice quo usus est, persuasi, idem affirmant. Quis nescit qua critice valerent in antiquis operibus discernendis et dispungendis plerique istorum seculorum auctores?" (Parisiis, 1651, p. 770).

⁵⁷ In Dict. Théol. Cath., art. Indulgences, col. 1606.

⁵⁸ De Poenitentia, n. 609, Parisiis, 1931, p. 464.

"Si [l'indulgence] . . . se trouve en germe dans toutes ces rémissions et commutations de peines qui ont précédé, toutefois elle n'y apparaît pas encore dans sa forme propre et caractéristique. . . Non pas qu'il y manque l'intention de remettre la peine au for divin comme au for ecclésiastique : dans l'Eglise, cette correspondance entre la terre et le ciel, en matière de péché et d'absolution, n'a jamais été mise en question et, encore qu'on ne le dise pas, on y pense toujours. L'exclusive mention de l'indulgence canonique n'est donc point par elle-même exclusive de l'indulgence divine. Non pas d'avantage que la rédemption diffère surtout de l'indulgence pour s'être d'abord produite au for privé et sous le contrôle chaque fois exigé d'un confesseur. Il y peut avoir aussi des indulgences strictement personnelles; le prêtre, quand il sanctionne ou accorde une commutation de peine, agit au nom de l'Eglise, qui l'approuve et lui donne juridiction. Nous avons vu enfin que le système de la 'rédemption' n'avait pas tardé à être généralisé par les conciles. . .

"Mais il manque autre chose à ces réductions ou rédemptions de peines pour constituer de véritables indulgences. Celles-ci, nous l'avons dit, sont de véritables faveurs accordées gratuitement aux intéressés. *Qui oserait en dire autant des commutations?* Ce qui paraît et frappe d'abord dans ces dernières, c'est la substitution d'oeuvres moins onéreuses à des peines devenues ou considérées comme excessives ou intolérables. . .

"Il ne nous paraît pas possible d'affirmer l'existence, au cours des siècles qui ont suivi, *d'une pratique ou d'un usage quelconque pareillement analogue à celui de nos indulgences*. Des préparations, des acheminements voilà, sans en excepter les 'rédemptions' du moyen âge, tout ce que l'on trouve. Ces dernières toutefois, *si elles ne sont pas encore les indulgences* — nous avons dit pourquoi — y aboutissent. Le passage est même si naturel de la commutation gracieuse à la rémission gratuite; il se fait si spontanément et si insensiblement que, pendant longtemps, les deux systèmes coexistent et se complètent. . .

"D'autre part, il est bien évident que, à la commutation de peine, en quoi consiste la 'rédemption', correspond un adoucissement et donc une rémission au moins partielle. Les contemporains ont bien raisons de parler à ce propos de 'alleviatio', 'levigatio', 'relaxatio poenitentiae'. . . A ce point de vue, 'rédemption' et 'indulgence' sont donc bien identiques. Mais elles ne le sont aussi qu'à ce point de vue, et l'identité entre elles n'est donc pas complète. C'est seulement à mesure que la disproportion s'accrut entre la peine due et l'oeuvre substituée, que l'indulgence se dégagea et apparut dans sa forme propre. Moins il fut demandé au fidèle, et plus, dans l'acquittement de la dette, l'apport de l'Eglise fut considérable. Le jour vint enfin où de ces deux facteurs le premier ne fut plus considéré comme directement opérant et l'indulgence dès lors exista sans mélange aucun de 'rédemption' ou de commutation."⁵⁰

Alii vero, et quidem communiter dogmatici (Palmieri, Pesch, Lépicier, Jugie, etc.), dicunt eas commutationes fuisse veras indulgentias. Rationes sunt, quia secus Ecclesia pejorem fecisset conditionem eorum quibus tales redemptiones concedebat, auferens ab eis partem poenitentiae quae eis profuisset in expiationem poenae ex opere operantis; quia eos induxisset in talem errorem ut putarent se esse absolutos a poena coram Deo; quia poena imposita a confessario nequit ab aliis auferri aut commutari, nisi hoc sensu quod concedatur indulgentia,

⁵⁰ In Dict. Apol., art. Indulgences, col. 729 et 731 sq.

qua concessione aufertur finis satisfactionis sacramentalis et ideo necessitas eam implendi.

Ad rem *PALMIERI*: "A saec. VII usus inceptit redemptionis poenitentiae canonice, qui usus usque ad initium sec. XIII perduravit, quamdiu scilicet canones poenitentiales vigorem practicum obtinuerunt in foro sacramentali: qua de re cf. Morinum Lib. X. cc. 16. seqq. Haec porro redemptio, facta auctoritate Ecclesiae, erat commutatio quaedam poenitentiae gravioris in leviolem, cum eodem tamen beneficio remissionis debiti poenae, quae proinde remissio, facta commutatione, gratis ex parte concedi ab Ecclesia credebatur. Nihil igitur prohibebat quod poenitentiae canonicae commutarentur in alia opera e.g. visitationis Ecclesiarum, elemosynae in usus pios, atque haec agentibus concederetur remissio poenae, quae responderet uni, duobus, tribus annis transactis in poenitentia canonica."⁶⁰

LÉPICIER: "Ces rachats, compensations ou commutations se faisaient avec la sanction parfois tacite, mais le plus souvent explicite, de l'Eglise. D'autre part, il serait à la fois impie et absurde de prétendre que l'Eglise voulait tromper ses enfans en leur persuadant que leur peine était expiée et qu'ils étaient en règle avec la justice de Dieu, alors qu'il en aurait été autrement. Ce qui nous oblige à conclure que ces commutations étaient de véritables Indulgences; en récitant ces prières, en faisant des aumônes, en se soumettant à ces exercices de pénitence, le pécheur, d'ailleurs véritablement contrit de ses fautes, était libéré de la peine qui lui restait à payer à la justice de Dieu après le pardon de la culpée; et cela, pour une part, en vertu des mérites surabondants de Jésus-Christ et des saints. . .

"Nous voyons là [dans les pèlerinages à Rome] comment le souverain Pontife, de la plénitude de son autorité apostolique, en considération de la foi du pèlerin comme cause principale, mais aussi en vertu de la protection des saints Apôtres, comme principe efficace de satisfaction, dispense un pécheur d'une partie de la peine que, suivant les saints canons, il aurait dû accomplir. *Et qu'est cela, sinon une indulgence?*"⁶¹

JUGIE: "Progrediente tempore, indulgentia sub nova forma, sed semper intra sacramentum, concessa est, quatenus scilicet antiquae satisfactiones canonicae, quae nimis rigorosae erant, in alia opera pia mitiora commutatae sunt, v.g., in visitationes ecclesiarum, pias peregrinationes etc.; quae opera antiquis poenitentibus censebantur aequivalentia, quamvis in ratione satisfactionis laboriosae aequivalentia revera non essent; sed *Ecclesia ex suo thesauro supplebat*. Huiusmodi commutationes regulariter decernebat confessor respectu suorum poenitentium, secundum indicationes relatas in libris poenitentiales dictos et attentis dispositionibus indole- quae jusque contentis."⁶²

PESCH apte notat non omnes commutationes, eo tempore usitatas, considerandas esse ut indulgentias, sed eas tantum quae fiebant a legitima auctoritate: "Si . . . fideles, qui non obligantur ad poenitentias canonicas, earum loco ad delenda peccata sua alia pia opera suscipiebant, haec non potuit esse indulgentia, quamvis paulatim mos oriretur computationes instituendi inter cetera opera pia et poenitentias canonicas. . . Hae igitur et similes commutationes et computationes non solum privata tantum auctoritate nitebantur, sed etiam facile ad superstitiones et disciplinae ecclesiasticae relaxationem ducere poterant, maxime si elemosynis poenitentiae redimebantur vel aliis elemosynae dabantur, ut ipsi pro poenitente opera satisfactoria peragerent, quia hoc genere redemptionis divites facile omnia opera poenitentia redimere poterant. Unde variae synodi provinciales has redemptiones omnino interdixerunt (cf. *Binterim*, *Denkwürdigkeiten* V, part. 3, p.

⁶⁰ De Poenitentia, Appendix de Indulgentiis, § 2, n. 7, Romae, 1879, p. 458.

⁶¹ Les indulgences, t. 1, Paris (1902), p. 291 sq. 297.

⁶² Theologia Christianorum Orientalium t. 3, Parisiis, 1930, p. 372.

168 sqq.). Quae vero de his redemptionibus vel commutationibus habentur in libris poenitentialibus, non majoris auctoritatis sunt quam libri ipsi. Ergo hae omnes commutationes considerari nequeunt ut indulgentiae (cf. *Schmitz*, Bussbücher I 144 sqq.), sed eae tantum, quae ab auctoritate ecclesiastica approbatae erant (cf. *Berlinger-Hilgers* I 53 sq.).¹⁰³

De his commutationibus eodem modo ratiocinandum est ac supra de mitigationibus publicae poenitentiae, et fortiori quidem ratione quo magis appropinquamus tempori quo indulgentiae sub hodierna forma conferri coeperunt. Eas nempe commutationes fuisse veras indulgentias suaderi debet non ex nuda documentorum observatione, sed ex aliis etiam copulatis rationibus, scilicet ex agnitione et usu hujusmodi potestatis in antiqua Ecclesia, ex lege continuitatis (nam concessio commutationis poenae connaturaliter evoluta est in formam simplicis remissionis seu hodiernae indulgentiae, ostendens eandem rem quoad substantiam assumpsisse novum modum), ex affirmatione Tridentina.

Addi potest ratio quam innuit *Palmieri*,¹⁰⁴ quod scilicet praedictae commutationes, seu sacramentalis poenitentiae relaxationes, quando fiebant non ab ipso confessario sed ab aliis, puta a Papa in romanis peregrinationibus, non poterant esse nisi verae indulgentiae; nam solus confessarius, cujus iudicium est irreformabile, potest directe poenitentiam a se impositam relaxare aut commutare, alii vero id non possunt nisi indirecte, scilicet concedendo indulgentiam qua auferitur poena expianda, seu objectum ipsum poenitentiae sacramentalis, ac ita exoneratur poenitens ab imposita poenitentia exequenda, juxta probabilem quorundam doctorum sententiam quam retulimus et discussimus in art. 73 (tom. 3, p. 409–413).

Ratio autem a *Magnin* et *Galtier* in contrarium invocata, scilicet ipsa natura commutationis, quae videtur excludere propriam indolem remissionis seu indulgentiae, non urget. Nam commutatio in illis redemptionibus potest intelligi vel improprie, in sensu nempe impositionis conditionum, quae hodie etiam requiruntur ad lucrandas indulgentias, quaeque, cum sint aliunde poenales et satisfactoriae, important quamdam materialem commutationem; vel partialiter, quatenus nempe una pars poenae temporalis intelligeretur simpliciter remitti ex thesauro Ecclesiae, et alia pars intelligeretur simpliciter irremissa relinqui, ab ipso poenitente expianda. Idque signanter confirmatur ex ipsa doctrina et modo loquendi theologorum saec. 13, uti *Alberti M.* et *Bonaventurae*, qui adhuc loquuntur de commutatione, quo tempore doctrina et usus indulgentiarum jam clari et definiti apparent.

¹⁰³ Prael. Dogm., t. 7, n. 501, Friburgi Br., 1920, p. 247.

¹⁰⁴ Op. cit., p. 458.

ALBERTUS M. scribit: "Magistri definiunt relaxationem [seu indulgentiam] sic: 'Relaxatio est satisfactio maioris in minorem competens et discreta commutatio'. Dein contra hanc definitionem sibi obicit: "Relaxatio dicit remissionem: commutatio autem non est remissio, sed exactio alterius pro illo aequalis in quantitate, vel valore, vel utroque: ergo relaxatio non est commutatio: ergo mala [est illa] definitio". Respondet autem: "[Etsi ea definitio non sit perfecta] tamen sustinendo [eam] . . . , dico . . . , quod commutatio in minus est cum remissione: et quia Ecclesia exigit aliquid sibi proficuum in necessitate, ideo ponitur ibi commutatio."⁶⁵

BONAVENTURA scribit: "Secundum triplex meritum [scilicet nostrae contritionis, Christi et Ecclesiae] triplex fit poenae condonatio, ut sic currat misericordia cum iustitia; et in qualibet est commutatio maioris in minus. Unde poena aeterna primo mutatur in temporalem in remissione culpae; secundo temporalis magna et supra vires in poenam competentem viribus commutatur in sacerdotis absolute; tertio vero commutatur poena, ad quam tenetur iudicio Ecclesiae, adhuc in minorem in relaxatione, et pro alio residuo merita Ecclesiae satisfaciunt, ita quod in nullo praeiudicatur iustitiae."⁶⁶

Ipsa indulgentia, Cruciatis subinde concessa a Summis Pontificibus *Urbano II, Alexandro III et Innocentio III*, eundem conceptum retinet cujusdam materialis commutationis, quatenus iter transmarinum dicitur esse loco praestandae satisfactionis. Idem dicendum de simili concessione facta ab *Alexandro III in Conc. Later. III a. 1179*, can. 27, in favorem eorum qui arma susceperint contra Catharos: "Nos etiam de misericordia Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, fidelibus Christianis, qui contra eos arma susceperint, et ad episcoporum, seu aliorum praelatorum consilium, ad eos decertando expugnandos, *biennium de poenitentia injuncta relaxamus*: aut si longiorem ibi moram habuerint, episcoporum discretioni, quibus hujus rei causa fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, secundum modum laboris, *major eis indulgentia tribuatur*" (Mansi, 22, 232 sq.).

INDE A SAEC. XI EXEUNTE SUCCEDIT CONCESSIO INDULGENTIARUM SUB MODERNA FORMA SIMPLICIS AC GENERALIS REMISSIONIS.

Ex una parte nempe ratio aut elementum commutationis magis ac magis evanescit, dum faciliora opera imposita pro indulgentiarum acquisitione clarius ostendunt propriam indolem merae conditionis, et ex alia parte ipsae concessiones assumunt generalem ac determinatum characterem alicujus favoris oblati indistincte omnibus qui certas adimpleant conditiones (dum praecedentes commutationes erant particulares concessiones, factae individuis poenitentibus, pro determinatis poenis seu peccatis).

⁶⁵ In 4 Sent., dist. 20, a. 16, Opera omnia, v. 29, Parisiis, 1894, p. 847 sq.

⁶⁶ In 4 Sent., dist. 20, pars 2, a. unic., q. 2, Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 521.

Certae hujus generis indulgentiae incipiunt circa finem saec. 11, inter quas celeberrima, et forte prima omnium, est ea quam cruciatis concessit *Urbanus II* a. 1095; hinc incipiunt celeriter multiplicari indulgentiae concessae tum a S. Pontifice tum ab episcopis, tum plenariae tum praesertim partiales. Usus ipse *vocis indulgentiae* tunc confirmatus est; doctrina a theologis saec. 13, determinata est. Eodem tempore etiam conceptus et doctrina "*thesauri Ecclesiae*" vulgari coepit, ut dicitur in art. seq. (p. 894).

Doctrina ipsa documentorum Ecclesiae exposita est supra in Parte Affirmativa (p. 845–853). Restat ut ecclesiasticam praxim, tum ante tum post Conc. Trid., ad historicum rei complementum breviter exponamus.

INDULGENTIAE PRO CRUCIATIS celebriores sunt inter similes relaxationes factas saec. 11–12, imo ipsae solae fuerunt eo tempore plenariae indulgentiae. Prima lata est ab *Urano II* in Concilio Claramontano a. 1095 (cf. supra, in p. 846). Eadem concessio subinde facta est in Bullis pro Cruciatibus, emissis ab *Eugenio III* a. 1145, *Alexandro III* a. 1165, *Gregorio VIII* a. 1187, et *Caelestino III* a. 1195 qui ait: "Sive autem supervixerint sive mortui fuerint de omnibus peccatis suis, de quibus rectam confessionem fecerint, impositae satisfactionis relaxationem de omnipotenti Dei misericordia et apostolorum Petri et Pauli auctoritate et nostra se noverint habituros".⁶⁷

Innocentius III in Bulla Cruciatum lata in Conc. Later. IV (a. 1215) eandem indulgentiam extendit ad eos etiam qui suis subsidiis opus Cruciatorum adjuvant: "Nos igitur omnipotentis Dei misericordia, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit, potestate, omnibus qui laborem propriis personis subierint et expensis [in favorem Terrae Sanctae], plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione justorum salutis aeternae pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint; et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus et concedimus esse participes, juxta qualitatem subsidii, et devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terrae de bonis suis congrue ministrabunt, aut consilium

⁶⁷ Apud *E. Göller*, *Der Ausbruch der Reformation und die spätmittelalterliche Ablasspraxis*, Freiburg, 1917, p. 96.

et auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere in communi universalis Synodus omnium beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Amen" (Mansi, 22, 1067).

INDULGENTIAE ELEEMOSYNARUM, concessae his qui oblationes offerrent praecipue pro extractione sive ecclesiarum aliorumque locorum piorum, sive aedificiorum publicae utilitati inservientium, uti pontium et hospitorum.⁸⁸

Haec indulgentiae, inde ab initio tam late ac facile multiplicatae sunt, ut non paucos inducerent abusus, quos reprimere conatum est ipsum *Conc. Later. IV* (cap. 62, cit. in p. 846: "Per indiscretas et superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnuntur, et poenitentialis satisfactio enervatur").

Contra easdem indulgentias plus aequo, ni dicatur haeretice, invehit *Abaelardus* († 1142; supra cit. in p. 832); eadem posterius occasio fuerunt majoris recriminationis Lutheri aliorumque Novatorum.

Quod attinet ad *quantitatem remissae poenae* alii aliter procedebant; prius remissa est aliqua fractio poenitentiae, scilicet quarta pars, vel tertia pars, vel media pars; subinde determinatio dierum numerus, scilicet 8, vel 10, vel 40 dies, vel unus annus.⁸⁹ *Conc. Later. IV* in supradicto cap. 62 decernit "ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum . . . ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat".

⁸⁸De his indulgentiis *Alexander III* († 1181) rescripsit: "Quod autem consulisti, utrum remissiones, quae fiunt in dedicationibus ecclesiarum aut conferentibus ad aedificationem pontium, aliis prosint quam his qui remittentibus subsunt, hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod, cum a non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones praedictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus, ut prosint, proprii iudices specialiter indulerint" (Decret. Greg. I. 5, tit. 38, c. 4).

De iisdem scribit *S. Thomas, Suppl., q. 25, a. 2, ad 3*: "Quando datur indulgentia indeterminate ei qui dat auxilium ad fabricam ecclesiae, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat: et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam indulgentiam, non autem dives, quem non decet ad opus tam pium et fructuosum ita parum dare: sicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere, si ei obolum daret." *Ibid. a. 3*: "Temporalia ad spiritualia ordinantur; quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant; sicut constructio ecclesiarum, et pontium, et aliarum eleemosynarum largitio. Et per hoc patet quod non sit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali."

⁸⁹Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 25, a. 2, ad 4*: "Si in aliqua ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in ecclesia beati Petri quadraginta dierum, tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur." *Ibid., a. 3, ad 2*: "Quicumque orat pro rege Franciae, habet decem dies de indulgentia a papa Innocentio IV".

*INDULGENTIA JUBILAEI*¹⁰ est prima, quae noscitur, indulgentia plenaria, modo generali concessa fidelibus, post indulgentias cruciatae. Primo lata a Bonifacio VIII a. 1300, originem habet ex quadam evolutione antiquarum indulgentiarum peregrinationum Romanarum ad limina seu sepulchra Apostolorum.

Ut vidimus supra (p. 864–867), inde a saec. 7 ad saec. 11 remissiones seu commutationes canonicae poenitentiae adnexae sunt hujusmodi peregrinationibus. Saec. 12 *Paschalis II* (1099–1118), Urbani II successor, occasione synodi romanae a. 1116 concessit indulgentiam 40 dierum omnibus qui “propter concilium et animarum suarum remedium apostolorum limina visitaverunt”.¹¹ *Alexander III* (1159–1181) in Epistola ad episcopos Sueciae concedit peregrinantibus ad limina Apostolorum indulgentiam unius anni, si veniant ex Europa continentali, duorum annorum si ex Anglia, trium annorum si ex remotiori Suecia, habita scilicet ratione longioris et difficilioris itineris: “Noveritis quod cum unusquisque secundum laborem suum debeat mercedem accipere, *apostolorum limina visitantibus citra mare annum, Anglicis biennium, vestratibus* autem quia remotissimi sunt: et quia se constituerunt sedi apostolicae censuales; et cum majori labore accedunt *triennium de injuncta poenitentia peccatorum*, de quibus vere compuncti sunt et confessi, de beatorum Petri et Pauli potestate confisi auctoritate apostolica relaxamus. Non autem dubium est quin illis qui non veniunt et censum solvant solutio ipsa ad remissionem valeat delictorum” (M.L. 200, 1316).

Bonifacius VIII, 22 febr. 1300, sub impulsu cujusdam popularis motus et persuasionis Romanorum (juxta quam, visitantes limina Apostolorum, decurrense eo anno centenario, lucrarentur plenariam indulgentiam), Bullam “Antiquorum habet” (supra cit., p. 846 sq.) emanavit qua, confirmans a praedecessoribus datas indulgentias peregrinantibus ad limina Apostolorum, concessit optatam plenariam indulgentiam, *aperiens ecclesiasticam consuetudinem Jubilaeorum*. Occasione sequentis jubilaei *Clemens VI*, in Bulla “Unigenitus Dei

¹⁰ *Navarrus*, Comment. de Jubilaeo, Romae, 1575; *Viva*, De Jubilaeo, Patavii, 1709; *Soldati*, L'anno santo, Roma, 1875; *V. Prinzivalli*, Gli anni santi, Appunti storici con molte note inedite tratte dagli Archivi di Roma, Roma, 1899; *Boudinhon*, Le Jubilé, in Canoniste contemporain, février-juin, 1900; *Bartieu*, De Jubilaeo, Bruxelles, 1901; *Beringer*, Les indulgences (traduction par Ph. Mazoyer), t. 1, Parisii, 1925, n. 994 sqq.; *Lépiciér*, Les indulgences, t. 2 (Histoire des Indulgences, chap. 6, Le grand jubilé), Paris (1902), p. 97 sqq.; *H. Schmidt*, Bullarium anni sancti, Romae, 1949; *P. Brezzi*, Storia degli anni sancti, Milano, 1949; *G. Castelli*, Gli anni santi (il grande perdono), Rocca S. Casciano, 1949; *E. de Moreau*, Les “années saintes”, in Nouvelle Revue Théologique, vol. 72 (1950), p. 225–233; *P. McBride*, The first Holy Year, in The Irish Ecclesiastical Record, vol. 73 (1950), p. 193–217; *D. J. Herlihy*, The Holy Year, ibid., p. 1–12.

¹¹ Cit. a *N. Paulus*, Zeitschrift für Kath. theol., 33 (1909), p. 14.

Filius" 25 jan. 1343 magnifice exposuit doctrinam de Ecclesiae thesauro, indulgentiarum fundamento, quam repetiit *Urbanus VI* in Bulla "Salvator noster" 13 april. 1389 occasione tertii jubilai (cf. supra, in p. 847 sq.).

De successione et modificatione jubilaorum per subsequentes aetates haec accipe ex BERINGER:

"En 1342, les Romains envoyèrent une députation au pape Clément VI, qui résidait à Avignon, pour le prier de vouloir bien abréger le terme de cent ans fixé par Boniface VIII pour le retour du jubilé, attendu que ce laps de temps était beaucoup trop long pour la durée ordinaire de la vie humaine. Le Pape daigna accueillir favorablement cette demande et, par une bulle de 1343, il ordonna que cette faveur extraordinaire serait désormais accordé *tous les cinquante ans*. Ce laps de temps parut, pour les mêmes motifs, trop long au pape Urbain VI, qui résolut de faire revenir ce temps de grâce *tous les trentetrois ans*, en souvenir des années de la vie mortelle de Notre-Seigneur Jésus-Christ. Il publia donc un Jubilé pour l'an 1390; mais, à cause du schisme d'Occident, qui troublait alors la paix de l'Eglise, cet appel du Souverain Pontife ne fut entendu que par peu de monde.

"Conformément à cette ordonnance, le Jubilé suivant eut lieu en 1423 sous Martin V. Le pape Nicolas V crut devoir remettre en vigueur le décret de Clément VI autorisant seulement *tous les cinquante ans* la faveur de l'année sainte; et il annonça le jubilé pour l'année 1450. L'affluence des pèlerins à Rome fut immense pendant toute cette année-là. Ce retour aux prescriptions de 1343 n'obtint pas l'assentiment des successeurs de Nicolas V.

"Paul II arrêta (1470) qu'à l'avenir le Jubilé serait célébré *tous les vingt-cinq ans*. En conséquence, l'année 1475 devint une année jubilaire, et, depuis lors, on a maintenu ce terme qui, aujourd'hui encore, a force de loi. Cependant, ni Pie VII en 1800, ni Pie IX en 1850 et en 1875, ne purent accorder à Rome un Jubilé solennel, à cause du malheur des temps. En 1825, Léon XII a célébré l'unique Jubilé ordinaire qui ait eu lieu à Rome au cours du XIX siècle. . .

"Dans l'origine, le Jubilé ordinaire ne se célébrait qu'à Rome, et la visite réelle des tombeaux des Apôtres était une condition indispensable pour participer à ses faveurs. Mais, après l'année sainte de 1390, publiée à Rome par Urbain VI, son successeur Boniface IX fit de plus larges concessions: il accorda aux villes de Munich et de Cologne, d'abord et, peu après, à celles de Magdebourg, de Meissen et de Prague, un privilège jusqu'alors inoui: non seulement les habitants de ces villes, mais encore les étrangers, pouvaient y gagner l'Indulgence du Jubilé par la visite de certaines églises et par l'accomplissement des autres conditions. Aussitôt des multitudes innombrables accoururent de tous côtés à ces centres privilégiés. — Après la clôture de l'année jubilaire de 1450 à Rome, les Polonais et les Lithuaniens obtinrent une concession semblable par l'entremise du cardinal-archevêque de Cracovie. Cependant, pour jouir de cette faveur, ils devaient contribuer aux frais de la guerre contre les Turcs, et donner à cet effet une aumône équivalant à la moitié ou au quart de ce que leur aurait coûté le voyage à Rome.

"Alexandre VI, par une bulle spéciale, étendit le Jubilé de 1500 à tous les chrétiens éloignés de Rome. En conséquence, on pouvait en tous lieux participer à la grande Indulgence jubilaire, mais toujours à la condition pour chaque fidèle de contribuer, pour une somme déterminée, aux frais de la guerre contre les Turcs. Depuis lors la coutume s'est établie que, dans l'année qui suit immédiatement le Jubilé ou l'année sainte de Rome, le Souverain Pontife l'étend à tout l'univers catholique, non pas cependant pour une année tout entière, mais pour une période moins longue. La contribution pécuniaire fut supprimée, les Papes voulant éviter

l'ombre même de la recherche de quelque intérêt temporel. — Se conformant à cette coutume, les papes Benoît XIV en 1751, Pie VI, en 1776, Léon XII, en 1826, accordèrent un Jubilé universel de six mois, aussitôt après la clôture de l'année sainte à Rome; mais Pie IX, voyant que les circonstances ne permettaient pas le pèlerinage des fidèles au tombeau des Apôtres, publia pour toute la chrétienté et pour l'année entière le Jubilé de 1875. Après l'année jubilaire de 1900, Léon XIII accorda, pour le monde entier et pour six mois de l'année 1901, l'Indulgence du Jubilé.

“Au cours des temps, les Papes se virent dans l'occasion d'accorder, entre ces jubilés périodiques, des Jubilés *extraordinaires*. Des circonstances spéciales, des événements particuliers — avènement d'un nouveau Pape, situation grave intéressant toute la chrétienté ou au moins tout un pays, épreuves, fléaux, graves dangers. etc. . . — telles furent les occasions de ces Jubilés. Ainsi, le pape Pie IV, après avoir réussi, non sans grande peine, à continuer le Concile de Trente interrompu depuis huit ans, publia, en 1560, un Jubilé universel pour attirer par les prières de toute la chrétienté l'assistance du Saint-Esprit sur cette auguste assemblée. Ainsi le pape Sixte V, à l'occasion de son élévation au Saint-Siège, en 1585, accorda d'abord à Rome, puis à tout l'univers un Jubilé de quinze jours afin d'implorer le secours du ciel sur son administration. L'exemple de ce Pape a été suivi par la plupart de ses successeurs: et, actuellement, il est d'usage, à moins qu'on ne sorte immédiatement d'un Jubilé ou qu'on ne soit à la veille d'une année jubilaire, que chaque nouveau Pape accorde, à l'occasion de son exaltation, un jubilé de quinze jours ou davantage, à Rome d'abord, puis à tous les fidèles du monde catholique.”⁷²

INDULGENTIAE PRO DEFUNCTIS. De his dicitur in art. 116 (p. 1092 sqq.), ubi fit specialis quaestio de hac re.

POST CONCILIUM TRIDENTINUM concessionnes praedictarum omnium indulgentiarum, nedum diminutae ob Novatorum impugnationes, potius in dies multiplicatae sunt, ita ut hodie nullum fere bonum opus, aut devotio, alicujus momenti habeatur quod non sit indulgentia ditatum.⁷³ Nihilominus, ad praecavendos veteres quaestorum aut praelatorum abusos, quos severe damnaverant Conc. Later. IV, Conc. Viennense et solemnius Conc. Tridentinum (supra citata in p. 846 sq. 851 sq.), S. Sedes magis in dies districte regulavit usum hujusmodi potestatis.

Conc. ipsum Trid., sess. 21, Decr. de Reform. (cit. in p. 851 sq.), suppressit, semel pro semper, officium quaestorum eleemosynarum in causa indulgentiarum, has reservans Ordinariis locorum. *Pius IV*, in bulla “Decet Romanum Pontificem” a. 1562, jussit ut omnes indulgentiarum concessionnes essent prorsus gratuitaes. *Pius V*, in bulla “Etsi Dominus” a. 1567 suppressit omnes indulgentias eleemosynarum, addita in posteriori bulla “Quam plenum” a. 1569 excommunicatione in omnes quaestum facientes ex indulgentiis, quae poena adhuc serva-

⁷² Les indulgences (traduction par Ph. Mazoyer), t. 1, n. 996-999, Paris, 1925, p. 572-575.

⁷³ Cf. tres collectiones ipsius S. Sedis, de quibus in pag. seq. et varios tractatus practicos de indulgentiis, uti *Beringer*, *Fanfani*, *Heylen*, *De Angelis*, *Regatillo*, supra relatos in p. 823-826.

tur in Codice J. C. (can. 2327) ut excommunicatio simpliciter reservata S. Sedis. *Clemens VIII* († 1605) provisorie erexit specialem Congregationem de Indulgentiis, quam definitive stabilivit *Clemens IX* per bullam "In ipsis Pontificatus nostri" 6 jul. 1669 sub titulo S. C. de Indulgentiis et Reliquiis; anteriori autem tempore, S. Sedes indulgentias concedebat per varia dicasteria, uti S. C. de Propaganda Fide, S. C. Rituum, Secretariam Brevium et Memorialium. *Pius X*, Motu Proprio "Quae in Ecclesiae bonum" 28 jan. 1904 S. C. de Indulgentiis et Reliquiis suppressit seu potius adnexit S. C. Rituum; subinde per Constitutionem "Sapienti Consilio" 20 jun. 1908 istius attributiones circa indulgentias transtulit ad S. Officium, attributiones vero circa reliquias retinuit apud S. C. Rituum. Tandem *Benedictus XV*, Motu Proprio "Alloquentes" 25 mart. 1917, et in *Codice J. C.* (can. 258 § 2), materiam de indulgentiis transtulit ad S. Poenitentiarium (Officium de Indulgentiis) "salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa eadem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt."

A. 1882 editum est opus "*Decreta authentica* S. C. Indulgentiis sacrisque reliquiis praepositae ab anno 1668 ad annum 1882 edita jussu et auctoritate SS. D. N. Leonis P. XIII".⁷⁴ A. 1898 S. C. de Indulgentiis et Reliquiis edidit opus "*Raccolta di orazioni e pie opere, per le quali sono state concesse dai SS. Pontefici le SS. Indulgenze*". Cum autem subinde valde excreverit numerus concessionum, S. Poenitentiarium a. 1929 edidit aliud opus "Collectio Precum piorumque operum quibus R. Pontifices . . . indulgentias adnexerunt ab anno 1899 ad 1928" (Romae, typis Polyglottis Vaticanis, 1929). Ob eandem rationem S. Poenitentiarium decreto a. 1937 ultimam quae extat collectionem edidit cui titulus "*Praeces et pia opera in favorem omnium Christifidelium vel quorundam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita*" (Typis Polyglottis Vaticanis, 1938); nova editio prodiit a. 1950, praemissis priori titulo verbis: *Enchiridion Indulgentiarum*.

De hujus ultimae collectionis momento scribit *V. Heylen*: "Recursum ad duas collectiones remanebat ergo necessarius; quod sane non carebat incommodis. Incommodum vero cessavit per publici juris factam novam i.e. anni 1938, collectionem, siquidem juxta praefixum praenotandum 1 haec collectio complectitur indulgentias *generales* a Summis Pontificibus *pro toto orbe* usque ad *integrum annum 1937* concessas in favorem aut omnium christifidelium aut quorundam coetuum, pro quibus lucrands non requiritur neque benedictio ab aliquo sacerdote regulari vel saeculari, facultate pollente, pietatis objectis impertita, neque visitatio alicujus pii loci determinati, neque inscriptio alicui pie sodalitati'.

⁷⁴ Observat *V. Heylen*: "Utique sperare licet S. Poenitentiarium mox daturam esse editionem authenticam *Rescriptorum* pro indulgentiis concessis piis fidelium associationibus Ultima editio generalis data est Ratisbonae, anno 1885. Permultae novae concessionones exinde factae sunt, quarum plures prodierunt in periodicis ut v.g. in *Nouvelle Revue Theologique* vel *Acta Sanctae Sedis* aliisque operibus privatis, sed *nulla* habetur *Collectio authentica* earum" (Tractatus de Indulgentiis, ed. sexta, Mechliniae, 1948, p. 4, in nota).

“Agitur ergo unice de concessionibus *generalibus* a Romanis Pontificibus factis. Salva hac animadversione, nova Collectio cujus titulus ‘Preces et pia opera in favorem omnium fidelium vel quorundam coetuum personarum indulgentiis ditata et opportune recognita’, Romae, 1938 . . . magnum habet momentum, nam: 1° preces et pia opera absque benedictione, visitatione aut inscriptione indulgentiis ditata quae cum aliqua immutatione in hac Collectione publicantur, non secundum veterem sed secundum novam concessionum formam indulgentiis potiuntur (praenotandum); 2° ea vero quae in hac ultima collectione non recensentur indulgentias amittunt (ib.); 3° si quod dubium, praesertim circa sensum concessionum vel acquirendarum indulgentiarum condiciones, forte oboriatur, praeterquam ex regulis in hac materia generalibus etiam ex hac collectione erit dirimendum.”¹⁸

CODEX J. C. disciplinam et legem Ecclesiae in hac materia determinavit in l. 3, t. 4, c. 5 De Indulgentiis, per duos articulos, quorum prior agit de indulgentiarum concessionem (can. 911–924), alter de indulgentiis acquirendis (can. 925–936). Cf. etiam alios canones relatos in Indice analytico-alphabetico, ad v. Indulgentiae.

RESPONSIO

Objectiones ab adversariis, praecipue Protestantibus, allatae, *vel vertunt circa fundamentum indulgentiae*, tam remotum (i.e. potestatem clavium in genere et dogma satisfactionis), quam proximum (i.e. existentiam thesauri Ecclesiae), et istarum objectionum priores jam praeoccupavimus tum in art. 1 et 103, ubi de potestate clavium, tum in art. 53 et 55, ubi de satisfactione, ceteras vero refellemus in sequenti articulo (p. 908–918), ubi de thesauro Ecclesiae; *vel impugnant directe ipsam potestatem dispensandi thesaurum per indulgentias*. Hae autem objectiones vel sunt argumenta directa, quibus tali potestati denegatur fundamentum Scripturisticum et Traditionale, et has jam evertimus per ipsam Conclusionis probationem, nuper allatam, vel sunt argumenta indirecta, deducta ab absurdis aut inconvenientibus talis potestatis, et haec quidem restat breviter refellere, remissa ampliori expositione responsionis ad sequentes articulos.

Obj. 1 AB ABSURDIS. Si Papa haberet potestatem concedendi indulgentias, *primo* haberet potestatem super omnes papas qui sunt in coelo vel in purgatorio, de eorum satisfactione disponendo vel illis satisfactiones applicando, quod est absurdum, cum par in parem non habeat potestatem. *Secundo* posset sibi ipsi commode remittere totam poenam debitam pro suis peccatis. *Tertio*, ejus potestas esset infinita, ob infinitatem thesauri de quo disponderet et indefinitum numerum subjectorum quibus posset illum dispensare. *Quarto*, ipse in conscientia

¹⁸ Tractatus de Indulgentiis, ed. sexta Mechliniae, 1948, p. 3–5.

tia deberet ex charitate indulgentias quantum potest, i.e. absque mensura et limite, omnibus concedere. *Quinto*, posset indulgentiam toti Ecclesiae plene concedere et ita evacuare ac claudere Purgatorium.

Haec, inter alia absurda, sibi videtur argute colligere *WYCLEFF*, praecursor Protestantium, scribens:

"[Plura] inconvenientia sequuntur ex dicta palliacione potestatis papalis. . . Patet . . . per hoc quod pape singuli citra Christum sunt paris potestatis; cum ergo par in parem non habet imperium, videtur quod papa superstes non habet potestatem super omnes papas in purgatorio et in celo. Illi enim sunt excellentiores quia Deo propiores et cariores. Ideo oportet quod papa superstes serviat eis et non imperatorie concedat quod Petrus vel alius beatus mereatur amico suo quantumcunque sibi placuerit limitare. . .

"[*Praeterea* Papa] posset facere opus suum esse quantumcunque meritorium sibi placuerit, quia limitare beatis quod sibi assisterent quantumcunque voluerit promerendo. Stultus enim foret qui propter fastum vel questum plus beneficeret alteri minus digno, quam eciam beneficeret sibi ipsi, et si dicatur quod potestas non datur ut sic beneficiat sibi ipsi, patet quod Deus dat potestatem solum ad bonum suo predestinato. . .

"[*Praeterea* sequeretur] quod potestas pape sit potentia infinita . . . , tum quia super totum thesaurum ecclesie dominatur papa, qui thesaurus est quodammodo infinitus, tum quia non est dare quot personis potest papa thesaurum illum distribuere nec ad quantum. . .

"[*Praeterea*] videtur quod papa debet ex consciencia facere generaliter illud opus misericordie spiritualis, nam potens relevare fratrem suum et inexcusabiliter differens usque ad mortem corporalem fratris sui est reus homicidii, ergo multo magis differens liberare fratrem a morte spirituali, cuiusmodi est quicumque papa avarus de indulgentia generali; nec valet dicere quod potestas prelati in isto vilesceret, quia generaliter potentatus ex beneficii percensione fit carior. Quam ergo excusacionem haberet qui a dampnacione perpetua posset proximum liberare quem debet diligere ut se ipsum, et tamen sine ratione omittit? Numquid ille cui preceptum est eciam in sabbato extrahere bovem fratris de puteo non incurret prevaricacionem, si negligit liberare animam proximi ab inferno? Si ignorancia voluntatis divine excusat, quomodo alicui concedere talem indulgentiam papa temptat? . . .

"[*Praeterea*] papa potest remittere medietatem vel terciam partem tocius penitencie aut quamcunque partem ejus aliquotam (ut dicit ista posicio et perdoniste preconizant) in patria, sed si hoc potest tunc potest totalem penitenciam omnino remittere, et sicut de una persona, sic de totali ecclesia; ergo potest preservare totalem ecclesiam ab omni pena purgatorii vel inferni. Hic dicunt decretiste communiter quod papa non remittit regulariter secundum partem quantum sit quotam, ut tetigi per Hostiensem superius et recitat glossa in decretis, XIII, q. II, super capitulo 'Tempus'; et ista scola videtur sompniata ut populus habeat continue aliquid redimendum. Contra istud queritur, primo utrum papa potest de plenitudine potestatis sue pro quocunque opere eque merito in persona habente tantum de culpa et eque capaci venie tantum peccatum remittere? Si potest, pono quod concedat cuicumque vere confesso et contrito facienti elemosinam ut quatuor, remissionem peccati ut quatuor, et indulgentiam ut quatuor, et pono insuper quod quilibet peccator iam militantis ecclesie multiplicet elemosinas, quousque totum peccatum suum sit dimissum et pena remissa, sicut faciliter hoc ordinato posset contingere. Illo ergo statuto pro lege perpetua facilius excluderetur dyabolus a punicione hominum in inferno et tolleretur omnis punicio in purgatorio, et per

idem liberarentur per tales indulgentias mortui puniti vel in purgatorio vel in inferno."¹⁶

Resp. Primo, Ex hoc quod Papa habet jurisdictionem dispensandi merita a sanctis relicta Ecclesiae, non sequitur quod habeat jurisdictionem super ipsos sanctos, etsi tamen vere habeat protestativas claves regni coelorum, juxta verba Christi. In favorem autem animarum Purgatorii (non vero inferni, ut fingit Wicleff) indulgentiae conceduntur non per modum imperii seu absolutionis sed tantum per modum suffragii, ut explicabitur in art. 109.

Secundo, ut dicitur in art. 109 (p. 942 sq.) Papa potest et ipse frui indulgentiis quas aliis concedit, et quidem ob easdem rationes et in eadem mensura.

Tertio, ut dicitur in art. 115, potestas Papae limitatur per justas causas quae ad valide concedendas indulgentias requiruntur.

Quarto, cum usus indulgentiarum non sit absolute necessarius ad extinctionem poenae temporalis quae aliis quoque mediis fieri potest, Papa non tenetur ad indulgentias concedendas nisi ex quadam decencia, juxta rationabiles causas et limites, quorum ipse solus iudex est et in quibus judicandis non caret generali assistentia Spiritus S.

Quinto, ad valide concedendas indulgentias requiritur justa causa, regulans tempora et mensuras (cf. art. 115, p. 1078 sq.) adeoque Papa nequit modo generali et indiscriminato totum thesaurum simul effundere in universam Ecclesiam (cf. *ibid.*, p. 1079. 1087); ex quo ceteroquin, etiam si fieri posset, non necessario sequeretur Purgatorium evacuari, cum effectus indulgentiarum non totus ab omnibus de facto necessario suscipiatur (cf. art. 111, p. 1020–1023).

Obj. 2 AB INCONVENIENTIBUS. Si Papa posset concedere indulgentias, *primo* evacuetur ratio justitiae divinae, quae exigit ut quantitati culpae respondeat quantitas poenae. *Secundo*, Papa dispensaret a poena ad quam Deus obligat dum absolvit a culpa; nequit autem inferior absolvere ab eo quod superior imponit. *Tertio*, concederetur Papae potestas excellentiae, quae est solius Christi et ad quam pertinet ut sine sacramentis effectus sacramentorum tradatur. *Quarto*, talis potestas produceret innumeros abusos, quales de facto ejus usurpatio produxit inde a medio aevo. *Quinto*, talis potestas esset non in aedificationem sed in destructionem, quia tolleretur satisfactionem ex opere operantis, quae ad nostram utilitatem et ad profectum virtutis a Deo instituta est.

Hanc objectionem emphatice urget *H. CH. LEA* in ultimo sui voluminis de indulgentiis capite (chap. 15. Influence of indulgences), ostendens, more suo,

¹⁶ Iohannis Wyclif tractatus de Ecclesia, now first edited from the manuscripts by I. Loserth, London, 1886, p. 566–573.

quantam moralitatis ac disciplinae relaxationem indulgentiae induxerint. Circa finem hujus diatribae, hanc mirabilem proponit historicam synthesim remissoriae ac relaxatoriae disciplinae Ecclesiae et usurpati exercitii potestatis clavium:

"In reviewing this long history of the intermediation of the Church between man and his Creator *the most salient feature is the complete change in its attitude.* Its earliest efforts were directed to inducing the sinner to reconcile himself with God by contrition for his misdeeds and by amendment. It felt its mission to be to train its members to righteousness and to enforce, by sharp discipline if necessary, a code of morality unknown to the Gentile world. In this it pretended to no supernatural power to save, but it spoke in the name of Christ and held out to each man the alternative of endless bliss or torment; it relieved him of no responsibility and left him to make his choice at his peril, only prescribing the means by which he could placate an offended God. If hardened and unrepentant, it excluded him from its pale; if contrite, the prayers of the congregation interceded for him, and, after death, prayers and the Eucharist served as a propitiation in preparation for the day of judgment.

"In the modern Church all this is changed. Step by step it has abandoned its function as the guardian of morality and has devoted itself to smoothing and broadening the steep and narrow path. In each successive age it has claimed that the increasing wickedness of man renders impossible the maintenance of the old severity, and by condescending to that wickedness it has stimulated rather than repressed the evil. Its effort has been, not to make men better, but to save them from the consequences of their sins. The power which it claims as entrusted to it by God has been wielded to elude and not to vindicate the justice of God. Deeming its mission to be the saving of souls, it has mattered little how that end was attained in accordance with the artificial theories of scholastic theology as interpreted by the rules of moral theology. If the sinner cannot be induced to abandon his sin he can at least be kept in ignorance that he sins; *his fear of hell can be removed by absolution, and of purgatory by an indulgence;* his conscience can be soothed and he can be kept in obedience to the kindly Mother Church whose benignity thus assures him of heaven without imposing burdens on earth too heavy for his weakness.

"We have followed the development of this through the ages and have watched the process through which it advanced step by step to its present completeness. We have seen how fortuitous much of this advance has been, and yet how skillfully it has been adapted to the demands of human fragility; *how the Church has conquered by yielding, and has preserved its ascendancy by lightening its yoke when that did not affect its supremacy.* Thus each advance made in the claim to supernatural power, and to stand in the place of God, has been followed by a *relaxation in the requirements of pardon,* and the populations have been trained to look to the Church as the dispenser of salvation.

"The revolt of the sixteenth century was the most fortunate event for both parties to the strife. . . . When the effort to reduce the rebellion proved futile, and, after half a century of struggle, the Church realized that it was to remain face to face with a competitor, it commenced to strip for the conflict by abandoning that which most weighted it down. On the one hand it lightened the burden of the confessional by the subtleties of probabilism and casuistry and suppressed the Jansenistic opposition to these new devices; on the other, it renounced the pecuniary profits which had furnished so large a portion of its revenues. It abated nothing of its claims, while effecting a retreat from a position no longer tenable, but *it exercised those claims in a manner to bind its followers to it closer.* Skilled to avail itself of the baser as well as the higher human impulses, *its spiritual treasure, no longer exchangeable for temporal wealth, was dispensed with greater liberality than ever,* and every sinner was made to feel that if he escaped the penalty of his

sins he owed this to the unbought liberality of the Vicegerent of God. Thus the tie between the Church and its children has been strengthened, its organization has been perfected, and there is no reason to doubt that it has entered upon a new career of even wider influence and prosperity than those which have preceded it. Many times in its history has the Church shown its marvellous skill in meeting the vicissitudes which threatened it, but never has its adaptability to new conditions been manifested more ably than in the long development, not even yet concluded, of the counter-Reformation."⁷⁷

Resp. Primo, "remissio quae per indulgentias fit, non tollit quantitatem poenae ad culpam, quia pro culpa unius alius sponte poenam sustinuit" (*Suppl.*, q. 25, a. 1, ad 1). Indulgentia scilicet non supprimit satisfactionem, sed substituit nostrae satisfactioni satisfactionem Christi et Sanctorum, acceptam ex thesauro Ecclesiae.

Secundo, "ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae; sed datur ei unde debitum solvat" (*ibid.*, ad 2). Indulgentia scilicet, etsi detur per modum absolutionis et sit verus actus jurisdictionis, ut dicitur in art. 109 (p. 918 sqq.), non est simpliciter dicta absolutio, sed substituta et vicaria solutio.

Tertio, "effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus: et hic effectus non inducitur per indulgentias; sed faciens indulgentias poenam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiae communibus, ut ex dictis patet" (*ibid.*, ad 3). Ex hac differentia inter effectum sacramenti et effectum indulgentiae, patet discrimen inter potestatem excellentiae Christi quoad effectum sacramenti et potestatem Ecclesiae quoad concessionem indulgentiarum.

Quarto, abusus qui ex humana malitia vel fragilitate possunt contingere in exercitio cujuslibet potestatis, etiam sacramentalis, quique facilius forte verificari possunt in concessione indulgentiarum (cf. infra, art. 115, p. 1076 sq.), non arguunt defectum potestatis, cum sint aliquid accidentale et abunde ceteroquin compensentur maximis bonis quae ex indulgentiis proveniunt fidelibus. Ceterum hujusmodi abusus, qui praecipue ante Conc. Trid. irrepserunt, magno vigore Ecclesia jugiter condemnavit, ut constat ex solemnibus documentis Conc. Lat. IV, Viennensis, Tridentini, et Codicis J. C. Unde, ut quidam ex ipsis Protestantibus agnoscunt (cf. supra, p. 840 sq.), frustra ex talibus abusus arguitur contra legitimitatem et convenientiam indulgentiarum.

Quinto, "majus remedium praebetur contra peccata vitanda ex gratia quam ex assuetudine nostrorum operum. Et quia ex affectu,

⁷⁷ A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, Philadelphia, 1896, vol. 3, p. 582-584.

quem accipiens indulgentias concipit ad causam pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur; ideo etiam per indulgentias remedium ad peccata vitanda datur. Et ideo non est in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur. Tamen consulendum est eis qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus poenitentiae injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito poenae essent immunes; et praecipue quia quandoque sunt plurium debitores quam credant" (*ibid.*, ad 4).

Scilicet, insignes fructus spirituales, quos ex indulgentiis fideles consequuntur, ostendunt potestatem et usum indulgentiarum non esse in destructionem sed in aedificationem.

Et *imprimis* ipsa remissio poenae, in qua reatus peccati subsistit, magnum emolumentum est, expurgans animam ab omni reatu eamque magis Deo acceptabilem reddens.

Praeterea, haec remissio nequaquam eximit fideles ab operibus satisfactoriis tum quia ipsi nesciunt quantam poenam coram Deo luendam habeant et "quandoque sunt plurium debitores quam credunt", tum quia nihilominus tenentur ad satisfactionem sacramentalem praestandam, saltem ex dispositione Ecclesiae (ut dictum est in art. 73, tom. 3, p. 411), tum quia Ecclesia in concedendis indulgentiis apponit condiciones bonorum operum, quae omnia sunt satisfactoria quaeque, si pro quibusdam supererogaverint, concurrunt ad augendum thesaurum Ecclesiae. Apte notat *Suarez*: "Quamvis fortasse aliqui occasione [indulgentiarum] satisfactiones aliquas, vel poenitentiae opera pro peccatis suis facere omittant, id tamen est per accidens, et, ut ego opinor, spirituales viri, dum indulgentias lucrantur, potius inde magis excitantur et promptiores redduntur ad poenitentiae opera; qui vero illa occasione haec omittunt, vel aequa facilitate id facerent, vel diutius in suis peccatis manerent sine indulgentiarum usu" (Disp. 49, sect. 5, n. 5).

Praeterea, ut observat *S. Thomas*, indulgentiae multipliciter concurrunt, plusquam alia bona opera personalia, ad disponendum hominem ad gratiam et consequenter ad remedium contra peccata eorumque remissionem, quae est proprius finis satisfactionis tam vindicativus quam medicinalis. Nam "ex affectu, quem accipiens indulgentias concipit ad causam pro qua indulgentia datur, ad gratiam disponitur"; causa enim haec sunt ipsae veritates quae fundant indulgentias, scilicet necessitas satisfactionis (quae includit veritates iustitiae et misericordiae divinae), satisfactio vicaria (quae includit dogma communionis sanctorum), thesaurus Ecclesiae (qui divitias

satisfactionis Christi ejusque membrorum ostendit in unitate corporis mystici), potestas clavium (cujus tota vis et amplitudo elucet in concessione indulgentiarum); affectus vero, qui ex consideratione harum veritatum concipitur, est cordis contritio, studium virtutum et orationis, opera mortificationis et misericordiae, usus sacramentorum, veneratio et oboedientia pastoribus, devotio et amor matris Ecclesiae, cultus Christi et sanctorum.

“Historia quoque ipsa est testis insignium fructuum indulgentiarum, et maxime jubilaorum. Neque enim soli scriptores catholici, ut *Bellarminus*, *Bourdaloue*, *Wiseman*, vix verba invenire posse videntur ad digne praedicandos fructus iubilaeorum, quos suis oculis viderunt, sed etiam *d’Alembert* affirmabat iubilaeo anni 1775 revolutionem gallicam per viginti annos retardatam esse. *Voltaire* vero de eodem iubilaeo dixisse fertur: ‘Encore un jubilé pareil, et c’en est fait de la philosophie.’ Mirum igitur non est, quod S. Ignatius in quadam epistula scribit: ‘Dei amorem et coelum quaerentibus indulgentiae sunt ingens thesaurus et gemmae pretiosae’ (cf. *Beringer-Hilgers* I 98 sqq. 588 sqq.).”⁷⁸

Unde scite *Conc. Trid.* asserit “indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem” esse, et *Codex J. C.* (can. 911) monet ut “omnes magni faciant indulgentias.”⁷⁹

Ceterum, ut apte animadvertit *Galtier*: “non ita . . . extollenda est utilitas indulgentiarum ut putentur saluti aut perfectioni animarum necessariae, vel fideles lucrando indulgentiis multis toti intenti minus insistant operibus quibus ipsi, gratia adjuti, medeantur vulneribus peccati manentibus et merita sibi acquirant ad vitam aeternam. Indulgentiae enim de se nullam vim medicinalem habent, proindeque linquant fideles omnibus suis passionibus obnoxios, ita ut possit quis multas sibi aut defunctis lucrari indulgentias nec tamen agere in se contra peccatum. Hinc S. Thomas, postquam ait ‘non esse in destructionem indulgentias dare, nisi inordinate dentur’, recte notat: ‘Tamen, consulendum est eis, qui indulgentias consequuntur, ne propter hoc ab operibus paenitentiae injunctis abstineant, ut etiam ex his remedium consequantur, quamvis a debito poenae essent immunes’ (*Suppl.*, q. 25, a. 1, ad 4m).

“Imo, ad eos qui indulgentiis acquirendis, quia per eas removetur debitum poenae quo homo retardatur ab adeptione summi boni,

⁷⁸ *Pesch*, *Prael. Dogm.*, t. 7, n. 505, *Friburgi Br.*, 1920, p. 249.

⁷⁹ De convenientia et utilitate indulgentiarum cf. *Suarez*, *Disp.* 49, sect. 5, n. 3-8; *Galtier*, *De Paenitentia*, n. 604, et art. *Indulgences*, in *Dict. Apol.*, col. 749-751; *Lépiciér*, *Les indulgences*, Paris (1902), t. 2, chap. 7, p. 141-173; chap. 9, p. 250-288. ubi respondetur supradictis objectionibus H. Ch. Lea.

vellent, omnibus aliis operibus dimissis, vacari, respondet dicendum, 'quod, quamvis indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis: quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis' (*ibid.*, q. 25, a. 2, ad 2m).

"Hinc conclusio quam ducit pro religiosis: 'propter indulgentias, ait, non debet dissolvi regularis observantia, quia religiosi magis merentur religionem suam servando, quantum ad praemium vitae aeternae, quam indulgentias acquirendo; quamvis minus quantum ad dimissionem poenae, quod est minus bonum' (*ibid.*, q. 27, a. 2, ad 2m)."⁸⁰

ART. 108. Utrum Indulgentia Sit Dispensatio Thesauri Ecclesiae (Suppl., q. 25, a. 1; Quodlibetum 2, q. 8, a. 16).⁸¹

STATUS QUAESTIONIS

Incipit quaestio de *ESSENTIA INDULGENTIAE*, et primo de ejus *MATERIA SEU OBJECTO*, quod est sic dictus thesaurus Ecclesiae.

Quidam auctores quaestionem de thesauro Ecclesiae praeponunt quaestioni de existentia indulgentiae, tanquam hujus existentiae fundamentum. Consultius vero cum Suarez et Lugo videtur ea postponenda, tanquam aliquid pertinens ad essentiam seu naturam indulgentiae. Nam, quamvis existentia indulgentiae praesupponat existentiam thesauri qui per eam dispensatur, tamen ex existentia thesauri non necessario sequitur existentia potestatis Ecclesiae in dispensationem illius (etsi, supposita clavium potestate, possit inde valide conici et confirmari), ut patet ex antiquo testamento in quo etiam extabat superabundantia satisfactionum Sanctorum, quam tamen non poterat Synagoga dispensare ob defectum potestatis clavium; sed potius ex existentia potestatis concedendi indulgentias sequitur existentia alicujus thesauri qui per indulgentias dispensari queat, cum non possit aliter concipi hujusmodi extrasacramentalis remissio poenae per potestatem Ecclesiae. Unde quaestio de thesauro (cujus ceterum existentia et essentia aptius consideratur in aliis locis, puta ubi de communione sanctorum vel de satisfactione)

⁸⁰ De Paenitentia, n. 605, Parisii, 1931, p. 461.

⁸¹ Cf. *Cajetanum*, Quaestiones de thesauro indulgentiarum, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 355-363; *Suarez*, De Poenitentia, disp. 51 per totam; *Lugo*, De Poenitentia, disp. 27, sect. 3 et 4; *Billuart*, Tractatus de Indulgentiis, diss. unica, a. 2; *Perone*, Tractatus de Indulgentiis, propositio 3; *Galtier*, De Paenitentia, thes. 46; *Pesch*, De Paenitentia, Appendix de indulgentiis, prop. 34.

implicatur in quaestione de essentia indulgentiae, tanquam materia seu objectum circa quod indulgentia versatur, vel ex quo Ecclesia hauriat unde poenas remittat, vel quod per indulgentiam dispensetur.

Hinc apparet logicus processus horum articulorum; in praecedenti enim articulo stabilivimus argumento Traditionis existentiam indulgentiae, seu alicujus potestatis qua Ecclesia possit quomodolibet et extrasacramentaliter remittere poenam temporalem (in quo consistit ipsa vulgaris definitio indulgentiae); hic jam determinando essentiam hujus potestatis et incipiendo ab ejus materia seu objecto, stabilimus hoc esse ipsum thesaurum Ecclesiae, ita ut indulgentia sit remissio poenae ex thesauro Ecclesiae, vel dispensatio thesauri Ecclesiae; in sequentibus vero, ulterius determinando eam essentiam ex parte ipsius formae, seu modi potestatis, dicemus eam remissionem esse verum actum jurisdictionis ac fieri per modum absolutionis aut suffragii.

THESAURUS ECCLESIAE, deducta metaphora ex temporalibus divitiis, intelligitur quidam cumulus spiritualium valorum, moraliter perseverantium, ad Ecclesiam proprio jure pertinentium et in utilitatem ejus membrorum erogandorum. Pressius intelligitur *superabundantia quaedam satisfactionum* Christi et sanctorum, ex acceptatione divina ordinata ad hoc ut possit prodesse singulis fidelibus, quibus debite applicetur, in extinctionem propriae satisfactionis.

Ad expellendas confusiones et ambiguitates, observa thesaurum Ecclesiae posse tripliciter accipi: primo nempe generalissime pro omnibus bonis spiritualibus, quibus, vi communionis sanctorum, fideles ad invicem juvantur, scilicet *oratione, merito et satisfactione*; secundo, generaliter seu pro solis bonis quae implicant quoddam jus ex parte subjecti et fundantur in quadam improprie dicta justitia Dei ad homines, seu *merito et satisfactione*; tertio, particulariter et proprie, seu pro solo bono *satisfactionis*, et quidem prout est aliquid superabundanter relictum, praeter id quod de sua satisfactione justis sibi aliisque applicant per satisfactionem vicariam et id quod de satisfactione Christi nobis applicatur per sacrificium Missae et per sacramenta Baptismi et Poenitentiae. Haec ultima acceptio, sola convenit quaestioni de indulgentiis et documentis Ecclesiae in praesenti materia, ut constabit ex dicendis infra in Conclusionibus, signanter in Concl. 3. Juxta quae sic *thesaurus* definitur: Superabundantia satisfactionum Christi, B. Virginis et sanctorum, relicta post factam applicationem earundem satisfactionum ex opere operantis et ex opere operato sacramenti et sacrificii, quae ex divina ordinatione

committitur Ecclesiae tanquam proprium ejus bonum, potestative ab ipsa erogandum fidelibus per modum indulgentiae. *Breviter ac proprie: Superabundantia satisfactionum Christi et sanctorum, prout ab Ecclesia possidetur et per solam viam indulgentiae dispensatur.*⁸²

De thesauro hic tria quaeruntur:

1. *An sit*, seu an vere existat praedicta superabundantia spiritualium valorum, ex ordinatione Dei pertinentium ad Ecclesiam et in ejus membrorum utilitatem erogabilem.

2. *Quid sit*, seu quibusnam spiritualibus valoribus constet, an nempe tam meritis quam satisfactionibus, et tam Christi quam Sanctorum.

3. *Quomodo applicetur* seu dispensetur, an nempe per indulgentias et ita quidem ut indulgentia fiat tantum per dispensationem thesauri et tantummodo per indulgentiam thesaurus dispensetur.

PARS AFFIRMATIVA et PARS NEGATIVA

Nota theologica et documenta Ecclesiae

Ecclesiae documenta dedimus in art. praec. (p. 847–853), utpote intime connexa cum praecipua fidei doctrina de potestate Ecclesiae circa indulgentias. Ea sunt documenta *Clementis VI* (prima explicita ac solemnitas Ecclesiae declaratio, a qua ceterae dependent), *Urbani VI*, *Sixti IV*, *Leonis X*, *Conc. Trid.* (sess. 21), *Pii VI* et *Codicis J. C.*

Ad notam theologiam quod attinet, ex praedictis documentis, haec eruuntur:

1. Existentia *thesauri*, *coalescentis saltem ex meritis seu satisfactionibus Christi*, est *saltem theologice certa*. Dicimus “theologice certa”, tum quia necessario et directe connectitur cum potestate concedendi indulgentias quae est de fide, tum quia illius negatio est directe damnata a Leone X inter graviores Lutheri errores et reicitur ut “falsa” a Pio VI contra Conc. Pistoriense. Dicimus “saltem theologice certa” tum ob solemnitatem qua doctrina thesauri proponitur in documentis Ecclesiae inde a Clemente VI, ita ut videatur appropinquare definitionibus fidei, tum quia de facto a non paucis theologis habetur ut etiam de fide, aut proxima fidei.

Quidam quippe eam dicunt *saltem doctrinam catholicam* (i.e. quae saltem sine temeritate nequit negari); ita Van Noort-Verhaar et Hervé. Alii eam dicunt *theologice certam*; ita inter alios Pesch,

⁸² Apte *Pesch* (n. 485) thesaurum definit: “Cumulus satisfactionum Christi et sanctorum, quas ecclesia per indulgentias dispensare potest”.

Galtier ("Etsi non est de fide definita, tamen est omnino certa"), Diekamp ("Doctrina catholica certa"), Piolanti. Alii eam dicunt *proximam fidei*; ita Perrone, Boyer. Alii eam dicunt *saltem fidei proximam*; ita Lercher. Alii eam dicunt *de fide*; ita Suarez (referens Cajetanum, utrumque Soto, Paludanum, Medinam, Cordubam), Lugo, et inter modernos Palmieri ("Est profecto credenda"), Lépicier, Hugon.

Unde inepte scribebat *H. Holden* († 1662), anglus et doctor Sorbonicus: "Catholica . . . doctrina uno verbo continetur, indulgentias conferendi potestatem ab ipsomet Christo Ecclesiae concessam fuisse. . . Cetera autem omnia *dubia sunt, et a theologis in utramque partem agitata*: nimirum, an sit thesaurus aliquis meritorum et satisfactionum in Ecclesia . . . , cujus dispensatores sint Romanus Pontifex, et reliqui Ecclesiae pastores. . ." (Divinae fidei analysis, c. 6, § 3, apud Migne, Theol. Cursus, t. 6, col. 835 sq.). Vix enim unus noscitur inter theologos qui doctrinam thesauri negaverit, scilicet *Franciscus Mayron* qui ceteroquin scripsit antequam doctrina thesauri primo explicite proponeretur a Clemente VI.

2. Quod praeterea thesaurus coalescat etiam *ex meritis seu satisfactionibus B. Virginis et Sanctorum*, videtur ita certe affirmandum ut contrarium *sit saltem temerarium*, nam id constanter affirmatur in iisdem Ecclesiae documentis (Clemens VI, Urbanus VI, Sixtus IV, Leo X, Pius V, Pius VI; valde signantia sunt verba Clementis, quem repetit Urbanus, et verba Leonis, quem repetit Pius VI).

Auctores generatim non distinguunt inter satisfactiones Christi et satisfactiones sanctorum, atque supradictas notas theologicas assignant existentiae thesauri coalescentis ex satisfactionibus Christi et Sanctorum. Suarez et Lépicier, distinguentes inter duas satisfactiones, dicunt doctrinam esse de fide quoad satisfactiones Christi, certam vero (i.e. theologice certam, ut videtur) quoad satisfactionem Sanctorum. Similiter Hugon, facta ea distinctione, etiam alteram partem habet ut theologice certam ("Certum et exploratum est in doctrina catholica").

Ceterum nullus theologus de hoc unquam dubitavit, si excipiatur, quoad tempus praecedens Clementem VI, tum praefatus *Franciscus de Mayronis*, tum *Durandus a S. Porciano* († 1334) qui thesaurum Ecclesiae restringit ad sola merita Christi.

3. Quod a thesauro non sint excludendae *satisfactiones sanctorum (accepta nempe satisfactione in sensu proprio* prout distinguitur a merito et impetratione), seu quod verba "merita sanctorum inclusa in thesauro" non sint accipienda tantum de proprie dictis meritis et

de impetrationibus, ad exclusionem satisfactionum, est doctrina non solum communissima inter theologos, sed etiam unice conveniens sensui fidelium et documentis Ecclesiae. Unde contraria sententia paucorum obscuriorum theologorum, a Suarezio memoratorum, nequit excusari *ab aliqua temeritate* (Suarez de ea ait: "Falsam et cavendam censeo"). Cf. infra p. 890 et 899-901.

ERRORES ET OPINIONES.

1. *QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM de existentia thesauri*, hanc, utpote connexam cum doctrina de indulgentiis, concorditer reiciunt omnes negatores indulgentiarum, signanter *Wicleffitae, Protestantantes et Jansenistae*, ut constat ex dictis in art. praec. (p. 833-843). Wicleffi peculiare rationes dabuntur infra in Responsione (p. 908-911).

Inter doctores catholicos vix unus noscitur qui existentiam thesauri negaverit, admissio tamen dogmate de indulgentiis, scilicet *Franciscus Mayron O.F.M.* (vel de Mayronis; † 1327; Scoti alumnus; vocatus: "doctor acutus et illuminatus, magister abstractionum"), qui tamen scripsit antequam doctrina thesauri primo explicite proponeretur a Clemente VI ac propterea a quibusdam ut Medina, excusatur a censura. Ratio quam ille theologus adducit (In 4 Sent., dist. 19, q. 2) est quia praterita merita, tum Christi tum sanctorum, proprium ac sufficiens praemium habuerunt per retributionem gloriae tum accidentalis (ut in Christo, qui solum meruit corporis glorificationem et nominis exaltationem) tum essentialis (ut in caeteris beatis qui ex suis meritis consecuti sunt determinatum ac proportionatum gradum visionis beatificae), adeoque nihil superest quod aliis fidelibus prodesse et thesaurum Ecclesiae constituere possit. Potuit fortasse hunc theologum movere alia ratio deducta ex sententia Scoti, reductentis merita Christi ad quandam mensuram valoris finiti, ex quo facilius convinci potuerit nihil de illis superesse in utilitatem Ecclesiae praeter ipsam redemptionem generaliter acquisitam et individualiter applicatam in sacramentis (cf. infra, obj. 4, p. 911 sq.).⁸³

2. *QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM de essentia*, seu de bonis constituentibus thesaurum Ecclesiae, non unus est modus loquendi theologorum.

Et imprimis *Durandus a S. Porciano* († 1334), scribens paulo ante bullam Clementis VI (a. 1343), contra communem aliorum sententiam, docuit thesaurum constare *solis meritis Christi* ad ex-

⁸³ Cf. *Cajetanum*, Quaestiones de thesauro indulgentiarum, quaesitum 3, n. 1, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 361; *Suarez*, Disp. 51, sect. 1, n. 1.

clusionem meritorum Sanctorum (In 4 Sent., dist. 20, q. 3). Praecipua autem ejus ratio, jam invocata a supradicto Mayrone, est quia merita sanctorum consequuntur suam retributionem (nunc quoad praemium saltem essentiale, et in futuro, seu in die resurrectionis, quoad reliquum praemium accidentale), adeoque nihil praeterea superest aliis profuturum, eo vel magis quod merita sanctorum, secus ac Christi, sunt undequaque finita.⁸⁴ Quam sententiam diximus supra, saltem temerariam.

Alii pauci, quos Suarez (Disp. 48, sect. 2, n. 1) innominatim vocat "quidam moderni theologi" (quosque retulimus etiam in art. 55, tom. 3, p. 225), quia docent unum non posse satisfacere pro alio sed tantum suffragari per viam meriti et impetrationis, docent thesaurum Ecclesiae, qui per indulgentias erogatur, non constare ex *satisfactionibus sanctorum*, sed tantum ex eorum meritis et impetrationibus.

Quam sententiam, non longe distantem a sententia Durandi, sic apte exponit *SUAREZ*: "Dixerunt . . . aliqui, ut supra vidimus agendo de suffragiis [Disp. 48, sect. 2, n. 1], haec opera etiam quoad vim satisfaciendi ita esse propria ipsius justii operantis, seu patientis, ut nullus justus praeter Christum possit alteri donare illa sub hac ratione, seu pro alio solvere, aut satisfacere. Juxta quam opinionem consequenter dicendum est, thesaurum Ecclesiae non constare ex satisfactionibus Sanctorum, neque est illis applicari aliquid per indulgentias ad solutionem temporalium reatum. *In quo multum accedit illa sententia ad Durandi sensum.* Differre tamen potest ab illo, dicendo, merita Sanctorum, quatenus habent vim impetrandi aliquid, merendo etiam illud de congruo aliis, sub ea ratione manere reposita in thesauro Ecclesiae; nam sub eadem dici possunt superabundantia seu superflua, quia sufficientia sunt ad impetrandum et obtinendum a Deo ex praedicta ratione meriti plura beneficia, quam de facto Deus propter illa contulerit justis, seu Ecclesiae, quod videtur satis ad salvanda verba Pontificum.

"Nam Clemens VI, in extrav. citata, non de satisfactione, sed de meritis loquitur. Item non loquitur solum de excellentioribus Sanctis, qui superabundantes solent habere satisfactiones, sed in universum de omnibus electis a primo justo, usque ad ultimum, et omnium merita dicit adminiculum praestare; certum est autem non omnes habuisse superfluas satisfactiones, aliqui fere nullus eorum purgatorium adiiisset; loquitur ergo de meritis quoad vim impetrandi seu merendi de congruo. Item subdit, hunc thesaurum Ecclesiae, non solum ex ea parte qua infinitus est propter Christi merita, sed etiam ex qua parte constat ex meritis Sanctorum, consumi non posse, quia 'quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.' Quae ratio supponit, quaelibet merita Sanctorum, etiam quae in ipsis praemiantur de condigno, conferre aliquid ad cumulum thesauri; alioqui si ex satisfactionibus constaret, non esset verum in universum, omnem satisfactionem, quae consumitur per applicationes, seu solutiones pro aliquibus factas, ex eorum meritis restaurari, quia saepissime accidere potest ut multi eorum nullas habeant superfluas satisfactiones. Denique accedit in favorem hujus sententiae, quod juxta illam facillime solvuntur rationes dubitandi . . . [propositae a Mayrone et Durando], ut consideranti facile patebit.

⁸⁴ Cf. Cajetanum, l. c., et *Suarez*, Disp. 51, sect. 2, n. 1.

"Quod si aliquis objiciat, quia juxta hanc sententiam non poterit ex meritis Sanctorum fieri solutio, et consequenter thesaurus Ecclesiae, ut constans ex illis, nihil confert ad indulgentias concedendas. Responderi potest concedendo priorem partem et denegando posteriorem; propria enim solutio pro debito poenae revera non fit nisi per aliquam satisfactionem; nihilominus tamen Sanctorum merita in thesauro Ecclesiae reposita conferre possunt, ut fiant remissio poenae sine propria satisfactione, vel absque ulla solutione, vel per solutionem factam ex sola Christi satisfactione."⁸⁵

Alii, ut *Suarez* (Disp. 51, sect. 3, n. 4. 5. 14. 18) et *Lugo* (Disp. 27, sect. 4, n. 48 sq. 53), dicunt thesaurum constare non solum satisfactionibus sed *etiam meritis* tum Christi tum sanctorum; addunt tamen per indulgentias thesaurum dispensari sub ratione meriti et satisfactionis Christi et sub ratione non meriti sed solius satisfactionis sanctorum.

Alii tandem, ut *Cajetanus*, *Billuart*, *Billot*, *Lépicier*, *Hugon*, etsi non omnes rem distincte proponant, tamen, tum ex modo quo loquuntur (i.e. insisterent ac fere exclusive de satisfactionibus) tum ex eorum principiis in quaestione de satisfactione (poenam scilicet peccati non ex meritis sed ex sola satisfactione auferri posse), docent thesaurum componi *ex solis satisfactionibus*, nullatenus vero ex meritis, tam Christi quam Sanctorum. Quae discrepantia non est mere verbalis, quasi nempe respiciat tantum latiore vel strictiorem acceptionem thesauri (de qua diximus in p. 886), nam ex ea pendet subsequens quaestio utrum indulgentiae sint applicatio solius satisfactionis an etiam meriti Christi et sanctorum.

3. *QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM de modo quo thesaurus applicetur*, non desunt discrepantiae inter doctores.

Quidam antiquiores *contra communem sententiam negarunt thesaurum applicari per indulgentias*, vel, si placet, negarunt indulgentiam consistere in applicatione thesauri; quae sententia fundatur in ipsa negatione thesauri aut indulgentiae, vel vix differt ab ea. Et quidem, *alii* (cf. Henricum Gandavensem, Quodl. 15, q. 2) dixerunt indulgentias non concedi ex alienis meritis ac satisfactionibus, sed juxta merita et labores eorum quibus conceduntur (quod est aequivalenter negare ipsas indulgentias); *Mayron* (supra relatus), negans explicite existentiam thesauri, docet indulgentias dari ex gratuita remissione per potestatem a Deo Ecclesiae concessam.

Ceterum inter patronos communis sententiae iterum apparet praefata triplex opinio de bonis quibus constat thesaurus; nam supradicti innominati theologi volunt per indulgentias applicari solas impetra-

⁸⁵ De Poenitentia, disp. 51, sect. 2, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1042 sq.

tiones et merita sanctorum, non vero eorum satisfactiones quae non sunt inclusae in thesauro, sicut satisfactiones Christi; Suarez vero et Lugo volunt per indulgentias applicari tum merita et satisfactiones Christi tum satisfactiones sanctorum, non vero merita istorum, etsi sint inclusa in thesauro; alii vero dicunt solas satisfactiones, non vero merita, tum Christi tum sanctorum, applicari per indulgentias, cum ipsae solae contineantur in thesauro proprie dicto.

Quidam contra communem sententiam docuerunt indulgentias fieri non tantum per dispensationem thesauri, sed etiam per simplicem et immediatam remissionem, ita ut Ecclesia possit remittere poenam, ope indulgentiae, aut per dispensationem thesauri (seu ad modum solutionis), aut per simplicem remissionem (seu ad modum absolutionis), aut utroque modo simul.

Ita sententiam *Medinae* (De Indulgentiis, disp. 8, c. 40-42) referunt Lugo et Suarez qui scribit: "Medina . . . expresse ait, potestatem Ecclesiae ad concedendas indulgentias per se non pendere ex thesauro, nec necessario illum requirere, quia alias non esset ad indulgentias necessaria jurisdictio, sed sola dispensatio, seu solutio ex thesauro. Unde concludit, aliquando concedi indulgentias absque applicatione thesauri, et tunc dicit fieri per modum potestatis; aliquando vero fieri ex thesauro, quod vocat per modum auxilii; saepe vero utroque modo simul fieri non negat, imo hunc concedit esse frequentioremodum concedendi indulgentias".⁸⁰

Quidam contra communem sententiam dixerunt thesaurum, prout constat tum ex meritis Christi tum ex meritis sanctorum, dispensari non solum per indulgentias sed etiam per sacramenta et ex opere operantis. Ita praecipue *Marsilius* (In 4 Sent., q. 21), qui determinate docet thesaurum distribui etiam per sacramentum Poenitentiae in quo fit solutio poenae temporalis.

Communis vero sententia docet nonnisi per indulgentias dispensari thesaurum, saltem prout importat satisfactiones sanctorum; ad satisfactiones vero Christi quod attinet, plures, ut *Suarez*⁸¹ et

⁸⁰ De Poenitentia, disp. 51, sect. 3, n. 2, Opera omnia, Parisiis, 1866, p. 1049.

⁸¹ "Distinguendum est ergo inter thesaurum constantem ex Christi meritis, vel Sanctorum. Et de priori dicendum est, multis aliis modis, seu per alia media dispensari, praeter indulgentias, nimirum per sacramenta et per sacrificium, et per alia etiam opera fidelium. Unde interdum dispensatur hic thesaurus, ut ad Christum spectat, per homines ministros Christi, interdum vero immediate ab ipso Christo; quoties enim culpa vel poena remittitur, vel aliquod gratiae beneficium nobis praestatur, thesaurus meritorum Christi nobis applicatur, seu distribuitur; constat autem hoc saepe fieri interius et immediate ab ipso Christo, aliquando vero interventu hominum per ministerium sacramentorum" (Ibid., sect. 4, n. 1, p. 1056).

Lugo, dicunt thesaurum applicari etiam per alia media, i.e. per sacramenta et ex opere operantis, alii vero videntur simpliciter docere thesaurum, acceptum secundum omnia sua elementa, non dispensari nisi per indulgentiam, nam thesaurum definiunt praecise per superabundantiam satisfactionum (non meritorum) Christi et sanctorum, quae relinquitur praeter id quod applicatur tam ex opere operantis quam ex opere operato sacramentorum.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Existit thesaurus Ecclesiae, seu superabundantia satisfactionum Christi et Sanctorum, ex ordinatione Dei pertinentium ad Ecclesiam et in utilitatem membrorum ejus erogabilium.

Probatur 1. *EX SENSU ECCLESIAE.*

Allusio ad spiritualem hunc thesaurum, vel origo hujus conceptus, invenitur fortasse in sequentibus verbis Scripturae de pretio meritorum et satisfactionum Christi quibus redempti sumus: *1 Cor. 6, 20*: "Empti enim estis pretio magno"; *7, 22 sq.*: "Qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum"; *2 Cor. 8, 9*: "[Christus] propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis"; *1 Petr. 1, 18 sq.*: "Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis . . . , sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi".

Proprius ad theologicum conceptum thesauri Ecclesiae accedunt quaedam expressiones Origenis et Chrysostomi, loquentium de martyribus eorumque passionibus tanquam de thesauro Ecclesiae, adhibita ipsa voce "thesaurus", imo ipsa expressione "thesaurus Ecclesiae". *Origenes*, In Num., hom. 10, 2: "Diem debemus, quia hostiae martyrum non offeruntur pro nobis, idcirco manent in nobis peccata nostra. . . Et ideo etiam diabolus, sciens per passionem martyrii remissionem fieri peccatorum, non vult nobis publicas gentilium persecutiones movere. . . Haec non facit inimicus, vel quod ipse gloriae invidet, vel fortassis quod ille qui omnia praevidet, praenoscit nos non esse idoneos ad martyrium tolerandum. Scit tamen Dominus qui sunt ejus, et in quibus non speratur, habet ille thesauros suos" (M.G. 12, 638 sq.). *Chrysostomus*, Homilia in SS. Martyres Juveninum et Maximinum: "Nuper beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat: hodie vero per sanctorum militum in acie exercitum Christi constituit; nuper quadriga martyrum, hodie biga. Impar eorum est aetas, sed una fides; varia certamina, sed eadem fortitudo:

illi tempore superiores, isti recentiores. Ejusmodi est *thesaurus Ecclesiae* [τῆς Ἐκκλησίας ὁ θησαυρὸς], novas et veteres habet margaritas: sed una omnium est pulchritudo. . . Temporis diuturnitate opes, quae ad corpora spectant, facile intereunt: vestimenta enim absumuntur, domus destruuntur, et aurum rubigine consumitur. . . At non sic se res habet *in spiritualibus thesauris*, de martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suae gloriae fulgorem emittunt et radios" (M.G. 50, 571 sq.).

Distinctus tamen conceptus et determinata doctrina sub ea expressione contenta, coepit vulgari saec. 13. Quisnam ea primus usus fuerit non constat; invenitur jam apud *Albertum M.*⁸⁸ († 1280), *Hugonem de S. Caro* († 1263; scribentem circa 1230) et *Alex. Halensem*⁸⁹ († 1245); si igitur verba Halensis non sunt genuina, ut quidam putant, expressio probabiliter tribuenda est Hugoni de S. Caro, tanquam primo auctori.⁹⁰

Quidquid sit, ea formula mox transivit in ipsa documenta Ecclesiae, inde a bulla *Clementis VI* a. 1343 (supra cit. in p. 847 sq.): "Thesaurum militanti Ecclesiae acquisivit"; cf. Urbanum VI, Sixtum IV, Leonem X, Conc. Trid., Pium VI et Codicem J. C., supra cit., in p. 848-853), una cum ipsa doctrina, quae tam explicite ac determinate proponitur a magisterio ecclesiastico ut sit saltem theologie certa, ut supra dictum est.

Probatur 2. *EX IPSA EXISTENTIA INDULGENTIARUM*, seu potestatis Ecclesiae concedendi indulgentias. Nam, ut dicitur in Concl. 3, nonnisi per applicationem hujusmodi thesauri talis concessio ex-

⁸⁸ In 4 Sent., dist. 20, a. 16: "Dicendum, quod diffinitiones datae [a Magistris de indulgentia] satis possunt sustineri. Si quis tamen hanc dare vellet, scilicet quod 'indulgentia sive relaxatio est remissio poenae injunctae ex vi clavium, et thesauro supererogationis peccatorum procedens:' puto, quod melius diffiniret. Quia tunc ibi est *remissio* ut genus. Sed quia est remissio culpae quam solus facit Deus, et remissio poenae quam Deus et homo faciunt, ideo additur, *poenae*. Quia autem iterum poena est aeterna quam remittit Deus, et temporalis poena satisfactionis injunctae quam remittit homo, ideo additur, *injunctae*. Quia vero hanc remissionem tantum facere potest habens jurisdictionem et claves, ideo additur, *ex vi clavium*. Quia vero non potest remitti debite et discrete pro peccatis injunctum uni nisi fiat recompensatio per alterum qui plus debito facit, ideo subjungit, *ex thesauro supererogationis peccatorum procedens*. In hoc enim thesauro habet Ecclesia divitias meritorum et passionis Christi, et gloriosae virginis Mariae, et omnium Apostolorum, et Martyrum, et sanctorum Dei vivorum et mortuorum. Et pro utilitate et necessitate Ecclesiae possunt impendi in suffragia eorum qui serviunt Ecclesiae in sua necessitate. Et ideo hanc diffinitionem meliorem aliis judico" (Opera omnia, v. 29, Parisiis, 1894, p. 848).

⁸⁹ Summa, 4 p., q. 23, a. 2, m. 3: "Indulgentiae et relaxationes fiunt de meritis supererogationis membrorum Christi, et maxime de supererogationibus meritorum Christi, quae sunt thesaurus spiritualis Ecclesiae" (ed. Coloniae, 1622, t. 4, p. 637).

⁹⁰ Ita censet *N. Paulus*, Theologie und Glaube, VI, 478, Paderborn, 1914; idem putat *Diekamp* (§ 55, n. 1, circa finem).

plicari potest, ita ut corrue[n]te thesauro tanquam fundamento, corruat indulgentia.

Ad rem *Cajetanus*: "Hinc sumenda est necessitas quaesiti thesauri. . . Ad remissionem [enim] peccatorum, sive quoad culpam sive quoad poenam, per sacramenta habendam, exigitur thesaurus aliquis, puta meritorum passionis Christi remanentium in divina acceptatione. Ergo a fortiori ad remissionem peccatorum quoad poenam tantum per indulgentiam, exigitur aliquis similis thesaurus. — Antecedens patet discurrendo per sacramenta et Ecclesiae doctrinam, quam diximus. — Consequens vero ex se est satis evidens: quoniam omnis ratio exposcit quod divina providentia, si subicientibus se sacramentis ordinavit non remitti poenam peccatorum nisi computando poenam Christi pro his quibus remittitur, multo magis ordinavit non remitti poenas peccatorum per indulgentias nisi computando alienas poenas pro acquirentibus indulgentias; quandoquidem submittere se indulgentiis multo minus est quam submittere se sacramentis. Est igitur ad efficaciam indulgentiarum thesaurus aliquis necessarius, non minus quam ad efficaciam sacramentorum."⁹¹

Probatur 3. *EX DIRECTA RATIONE S. THOMAE*, seu ex unitate corporis mystici et consequenti communiōe sanctorum, tanquam ex causa et fundamento thesauri.

"Ratio [existentiae thesauri] . . . est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus poenitentiae supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum, et multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo poenarum poterat explari, si eis deberetur: quorum meritorum tanta est copia quod omnem poenam debitam nunc viventibus excedunt: et praecipue propter meritum Christi, quod, etsi in sacramentis operatur, non tamen efficaciam ejus in sacramentis includitur, sed sua infinitate excedit efficaciam sacramentorum. Dictum est autem supra (quaest. xiii, art. 2), quod unus pro alio satisfacere potest. Sancti autem, in quibus superabundantia operum satisfactionis invenitur, non determinate pro isto, qui remissione indiget, hujusmodi opera fecerunt (alias absque omni indulgentia consequeretur remissionem), sed communiter pro tota Ecclesia; sicut Apostolus ait se 'adimplere ea quae desunt passionum Christi in corpore suo pro Ecclesia', ad quam scribit. Et sic praedicta merita sunt communia totius Ecclesiae" (*Suppl.*, q. 25, a. 1).⁹²

In posteriori suo opere, *Quodlib.* 2, q. 8, a. 16, S. Doctor similiter

⁹¹ Quaestiones de thesauro indulgentiarum, quaesitum primum, n. 6, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 360.

⁹² Cf. textus S. Thomae de vicaria satisfactione, citatos in art. 55, tom. 3, p. 237-239.

scribit: "Opus unius potest esse satisfactorium pro alio, ad quem per intentionem facientis refertur. Christus autem pro Ecclesia sua sanguinem suum fudit, et multa alia fecit et sustinuit quorum aestimatio est infiniti valoris, propter dignitatem personae; unde dicitur Sapient. vii, 14, quod 'infinite est' in illa 'thesaurus hominibus'. Similiter etiam et omnes alii Sancti intentionem habuerunt in his quae passi sunt et fecerunt propter Deum, ut hoc esset ad utilitatem non solum sui, sed etiam totius Ecclesiae. Totus ergo iste thesaurus est in dispensatione ejus qui praeest generali Ecclesiae; unde Petro Dominus claves regni coelorum commisit, Matth. xv. Quando ergo utilitas vel necessitas ipsius Ecclesiae hoc exposcit, potest ille qui praeest Ecclesiae, de ista infinitate thesauri communicare alicui qui per caritatem fit membrum Ecclesiae, de praedicto thesauro quantum sibi visum fuerit opportunum, vel usque ad totalem remissionem poenarum, vel usque ad aliquam certam quantitatem; ita scilicet quod passio Christi et aliorum Sanctorum ei imputetur ac si ipse passus esset quantum sufficeret ad remissionem sui peccati, sicut contingit cum unus pro alio satisfacit, ut dictum est."

Rationes igitur hujusmodi thesauri, seu potius elementa quibus ipse constituitur, sunt ex una parte *superabundantia satisfactionum* Christi et Sanctorum et ex alia parte *ordinatio hujus superabundantiae in bonum totius Ecclesiae* et singulorum ejus membrorum.

Primum elementum patet ex infinitate satisfactionum Christi, ex maxima plenitudine satisfactionum B. Virginis, quae commensuratur ejus quasi infinitae dignitati prout est Mater Dei, et ex abundantia satisfactionum aliorum sanctorum, sive in coelis viventium sive adhuc in terra degentium. Christus enim et B. Virgo, utpote sine ullo peccato, nihil pro seipsis satisfacere debuerunt, adeoque omnes suas satisfactiones intactas reliquerunt, quae possint aliis prodesse; multae etiam animae justorum plus patiuntur quam requiratur ad extinguendam poenam temporalem debitam pro propriis peccatis, ut signanter patet de sanctis qui ab Ecclesia canonizantur et de aliis sanctioribus animabus.

Alterum elementum, seu divina ordinatio talium satisfactionum in bonum totius Ecclesiae, sequitur ex dogmate de *communione sanctorum* seu de unitate corporis mystici in Christo redemptore, de qua dictum est in art. 55 (tom. 3, p. 227 sqq.) et in qua ibidem fundavimus existentiam satisfactionis vicariae; sicut enim passio Christi tota ordinatur in satisfactivam redemptionem peccatorum, ita et passionem membrorum ejus, seu quotquot in unum mysticum corpus sub Christo redemptore coadunantur.

Ea autem ordinatio non est intelligenda in sensu subjectivo et ex parte sanctorum, quasi nempe ipsi sancti directe et explicite debeant referre in bonum Ecclesiae, ac veluti transmittere in ejus thesaurum, quidquid relictum est de propria satisfactione, nam justus non est dominus valoris actus sui nisi dum illum agit, non vero postea, nec ideo quisquam potest transferre suam satisfactionem in favorem eorum qui peccabunt in futuro tempore (ut patet ex ipsa generali doctrina de vicaria satisfactione qua individualiter, cum volumus, satisfacimus pro hac vel illa persona), sed intelligenda est potius *ex parte Dei et in sensu objectivo ac ontologico*, quatenus nempe includatur necessario in ipsa satisfactiva communione sanctorum in uno Capite Redemptore, quae est a Deo volita et ordinata in ipsa constitutione corporis mystici et remotius in ipso decreto Redemptivae Incarnationis.

Hoc modo intelligenda sunt quae scribit *S. Thomas de intentione sanctorum continuatam ad fideles*, quibus indulgentia conceditur, per intentionem praelati qui eam concedit:

Suppl., q. 25, a. 2, ad 5: “Causa [in indulgentiis concedendis] non requiritur ad hoc quod secundum eam mensurari debeat remissio poenae; sed ad hoc quod *intentio illorum quorum merita communicantur, ad istum pervenire possit*. Bonum autem unius communicatur alteri dupliciter: uno modo per charitatem; et sic etiam sine indulgentiis aliquis est omnium bonorum particeps quae fiunt, si in charitate sit. Alio modo per intentionem facientis; et sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro utilitate Ecclesiae operatus est, ad istum continuari.”

Ibid., q. 26, a. 1: “Indulgentiae effectum habent, secundum quod opera satisfactoria unius alteri computantur, non solum ex vi charitatis, sed etiam *ex intentione operantis aliquo modo directa ad ipsum*. Sed intentio alicujus potest ad alterum dirigi tripliciter: aut in speciali, aut in generali, aut in singulari. In singulari quidem sicut cum quis pro alio satisfacit determinate: et sic quilibet potest alteri sua opera communicare. In speciali autem, sicut cum quis orat pro congregatione sua, et familiaribus, et benefactoribus; et ad hoc etiam ordinat sua opera satisfactoria: et sic ille qui congregationi praeest, potest opera illa alii communicare, applicando intentionem illorum qui sunt de congregatione sua ad hunc determinate. Sed in generali, sicut cum quis opera sua ordinat ad bonum Ecclesiae in generali; et sic ille qui praeest Ecclesiae generaliter, potest opera illa communicare, applicando intentionem suam ad hunc, vel illum. Et quia homo est pars congregationis, et congregatio est pars Ecclesiae, ideo *in intentione*

privati boni includitur intentio boni congregationis, et boni totius Ecclesiae. Et ideo ille qui praest Ecclesiae, potest communicare ea quae sunt congregationis, et hujus hominis; et ille qui praest congregationi, potest communicare ea quae sunt hujus hominis; sed non convertitur.

“Sed neque prima communicatio, neque secunda, indulgentia dicitur, sed solum tertia, propter duo: primo quia per illas communicationes quamvis homo solvatur a reatu poenae quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex praecepto Ecclesiae: sed per tertiam communicationem homo etiam ab hoc debito solvitur; secundo quia in una persona, vel in una congregatione non est indeficientia meritorum, ut sibi, et omnibus aliis valere possint: unde iste non absolvitur a poena debita pro toto, nisi tantum determinate pro eo fiat, quantum debeat. Sed in Ecclesia tota est indeficientia meritorum, praecipue propter meritum Christi. Et ideo solus ille qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentias facere.”

Hinc habes unde cum grano salis iudices et admittas *diversum modum loquendi Suaresii et Lugonis*, quem ita refert ipse LUGO:

“Quomodo autem satisfactiones praeteritae Sanctorum possint nunc prodesse de condigno: Resp. Suar. d. sect. ii. n. 17. ad 2. *Durandi*, rationem esse: quia *ipsimet Sancti in hac vita habuerunt intentionem, saltem virtuaalem*, eas applicandi aliis qui indigerent. Haec autem ratio difficilis est. Primo, quia etiamsi aliquis justus positive vellet, suum jejunium non reponi in Ecclesiae thesauro, quia se indignum v.g. aestimaret, cujus opera in thesauro manerent, adhuc reponeretur, si ipse non indigeret nec alteri applicaret: ergo id non oritur ex illa voluntate, vel applicatione virtuali, quam habuerat. Secundo et a priori: quia ego nunc non possum applicare jejunium meum praesens pro peccato Petri futuro; non enim sum dominus operis nisi dum actu operor, ut supra vidimus: Ergo Sancti dum erant in hac vita, non potuerunt valide applicare suas satisfactiones pro necessitatibus futuris. Ad quid ergo attendi debet ad eorum implicitam, aut virtuaalem intentionem, si etiam expressa et formalis nihil valerent?

“Resp. secundo idem Suar. *Ecclesiam veluti jure hereditario succedere in ejusmodi bonis suorum filiorum*, quae ipsi aliis non dederunt. Sed contra hoc etiam est, quod haeres non potest habere plus juris, quam haberet ipse defunctus si viveret: sed ipsemet justus si viveret, non posset nunc applicare suum opus praeteritum pro me: ergo neque Ecclesia, ut haeres illius, poterit applicare.

“Dicendum ergo videtur, hanc applicationem *non fieri ab ipsis Sanctis, sed a Deo*, qui manet nunc Dominus illorum operum, et potest nunc ea applicare. Dices: Illemet, qui fecit opus bonum, non est postea dominus illius: ergo nec Deus. Resp. negando consequentiam. Nam valde diverso modo Deus est dominus illius operis, ac homo. Quia homo est solum dominus quasi active, quatenus potest illud facere, quando potest facere, et non facere: Deus autem est etiam Dominus alio modo, quatenus condigne potest moveri, et non moveri ad remittendam alteri poenam intuitu poenae alienae: aequum enim est, ut, si heri ille innocens laudabiliter passus est: hodie, quando ejus frater deliquit, computetur poena hesterni fratris innocentis pro illa, quam hodie iste debebat, et absolvatur iste intuitu poenae. quam ejus frater innocens heri laudabiliter sustinuit. Hoc ergo dominium semper manet penes Deum quod non est posse facere opus pro hoc, vel illo, sed posse

moveri de condigno ad remittendam reo poenam intuitu poenae, quam frater innocens laudabiliter passus est. Itaque Papa nomine Dei, non nomine Sanctorum, applicat eorum satisfactiones necessitatibus praesentibus.”⁹³

Conclusio 2. *Proprie dictus thesaurus Ecclesiae, qui per indulgentias applicatur, constat solis satisfactionibus tum Christi tum Sanctorum; seu in hoc thesauro continentur 1. non solum spirituales valores Christi sed etiam Sanctorum, 2. ipsae satisfactiones Sanctorum, prout distinguuntur a meritis et impetrationibus, 3. tantum hae satisfactiones, non vero impetrationes et merita tam Sanctorum quam ipsius Christi.*

Probat per partes contra tres priores opiniones supra relatas (in p. 889–891).

1A PARS: In thesauro continentur non tantum spirituales valores Christi, sed etiam Sanctorum (contra Durandum).

Id constat tam clare ex ipsis documentis Ecclesiae, ut contrarium sit saltem temerarium, ut supra dictum est (p. 888). Pecualiter notabilia sunt verba *Clementis VI*, determinate includentis in thesauro merita tum B. Virginis tum omnium beatorum etiam antiqui testamenti (“a primo iusto usque ad ultimum”), tum omnium justorum in terris adhuc degentium (“quanto plures [homines] ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum”).

Ratio theologica est eadem quam ex unitate corporis mystici assignavimus cum S. Thoma in *Concl. praec.* (p. 896). *Objectiones* vero, quae praecipue contra hanc partem, signanter a Wicleffo, Mayrone et Durando, afferuntur, solvantur infra in *Responsione* (p. 908 sqq.), ubi tota amplitudo hujus communis doctrinae patebit.

*2A PARS: In thesauro continentur ipsae satisfactiones Sanctorum, nec proinde dici potest spirituales valores Sanctorum qui continentur in thesauro esse solummodo eorum impetrationes et merita*⁹⁴ (contra supradictos innominatos theologos). Etenim:

Primo, id unice convenit tum communissimae doctrinae theologorum, tum communi sensui fidelium, tum obvio sensui documentorum Ecclesiae. Haec enim asserunt indulgentias ab Ecclesia concedi et poenas ab ea remitti “ex superabundantia meritorum Christi et Sanctorum” (Leo X, bulla ad Card. Cajetanum), et thesaurum esse id “unde Papa dat indulgentias” (Leo X, prop. 17 Lutheri; Pius VI, Codex

⁹³De Poenitentia, disp. 27, sect. 3, n. 36 sq., Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 495 sq.

⁹⁴Cum homo non possit mereri pro alio de condigno, meritum hic intelligitur de congruo, quod parum differt ab ipsa impetratione.

J. C.); jamvero expressio "id *ex quo*, vel *unde* indulgentia conceditur" indicat non causam impetrandem sed pretium ipsum solutionis.

Nec valet obicere quod documenta Ecclesiae loquuntur solummodo de meritis Sanctorum, nam pariter loquuntur solummodo de meritis Christi, et tamen etiam Christi satisfactiones sunt in thesauro, ut ipsi adversarii fatentur, unde vox meriti sumitur in sensu generalioris alicujus valoris supernaturalis, non determinando an agatur proprie de merito vel satisfactione, quemadmodum solet accipi etiam a theologis et ab ipso S. Thoma (*Suppl.*, q. 13, a. 2, ad 1, ubi, loquens de satisfactione, ait: "Quantum ad poenae remissionem unus alteri potest mereri");⁹⁵ cujus acceptionis ratio est tum quia satisfactio et meritum procedunt eodem modo, seu per modum juris ad mercedem, tum quia conjuncta inveniuntur in eodem actu, eo quod omne opus satisfactorium sit simul meritum.

Ad rem *Suarez*: "Neque in eo haesitandum est, quod praedicti Pontifices nomine meritorum, et non satisfactionum utuntur; nam eodem modo loquuntur de Christi meritis, solentque ipsae satisfactiones merita appellari, tum quia nostra satisfactio ad Deum fit per modum cujusdam meriti, quia non fit per compensationem omnino aequalem secundum aequalitatem physicam rei ad rem inter ipsas poenas; sic enim minor est poena hujus vitae quam purgatorii; sed fit per aequalitatem, seu proportionem moralem, quia poena hujus vitae voluntarie accepta et cum talibus circumstantiis habet valorem moraliter aequivalentem poenae purgatorii, in quo ad modum meriti se habet, ideoque solet meritum appellari. Tum etiam ratione subjecti seu propter identitatem cum merito; nam satisfactio fieri solet per opus meritum, ut supra diximus; ideo, licet meritum et satisfactio, ratione formali, et per habitudines ad suos terminos, distinguantur, nihilominus sub nomine meritorum simpliciter illa opera, quae utramque rationem habent, comprehendere solent."⁹⁶

Secundo, thesaurus dispensatur per indulgentias; jamvero si in thesauro non essent satisfactiones sanctorum, nihil in eo contineretur quod dispensari possit per indulgentias, cum ipsae impetrationes et merita non dispensentur per indulgentias. Nam imprimis, indulgentiae dispensant aliquid per modum absolutionis vel solutionis ex potestate clavium quae operatur ex propria vi, absque extrinseco adminiculo alicujus meriti vel impetrationis; ceterum ad obtinendum fructum meritorum et impetrationis sanctorum, non est necessarius usus alicujus potestatis, cum quaelibet privata persona possit illum obtinere, repraesentando Deo merita sanctorum et impetrationes quas ipsi

⁹⁵ De Poenitentia, disp. 51, sect. 2, n. 14, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1045.

solverunt vel solvunt pro tota Ecclesia. Praeterea, dispensatio thesauri per indulgentias fit per modum solutionis alicujus pretii moralis seu stricte dicti juris; jamvero sola vicaria satisfactio importat stricte dictum jus, non vero meritum pro aliis et multo minus impetratio, nam homo satisfacit pro aliis de condigno (in quo strictum jus importatur), nequit vero mereri pro aliis nisi de congruo (in quo strictum jus non importatur).

Tertio, dispensatio thesauri per indulgentias habet pro fine extinctionem poenae temporalis; ad hanc autem extinctionem maxime ordinatur satisfactio, tanquam ad proprium et connaturalem effectum; ergo si quid reponendum sit in illo thesauro, maxime est ipsa satisfactio.

Quarto, unica ratio quae invocari posset, et a praefatis theologis invocata est, ad excludendas ex thesauro satisfactiones sanctorum, esset negatio proprie dictae satisfactionis vicariae inter homines, quia nempe solus Christus possit proprie satisfacere pro aliis. Jamvero ea ratio est falsa, imo temeraria ut dictum est in art. 55 (tom. 3, p. 223 sqq.).

Quinto, si sanctorum superabundantes satisfactiones non essent in thesauro asservatae in utilitatem aliorum, ipsae sine ullo fructu in aeternum manerent et frustra sancti tot redemptivos labores sustulissent; quod minime congruit tum divinae providentiae et justitiae, tum dogmati de communionem sanctorum in uno corpore mystico.

3A PARS: In thesauro continentur solae satisfactiones, adeoque a thesauro excludenda sunt tum impetrationes tum etiam merita, sive sanctorum sive ipsius Christi (contra Suarez et Lugo).

Primo quoad merita sanctorum. Illud tantum continetur in thesauro, quod ex thesauro per potestatem Ecclesiae dispensari potest; frustra enim diceretur in eo contineri si dispensari non possit, cum tota ratio thesauri, ut constat ex ipsa metaphora unde nomen deducitur, est quidam cumulus spiritualium divitiarum, quo frui possint Ecclesiae membra. Atqui, fatentibus adversariis, merita Sanctorum nequeunt dispensari per potestatem Ecclesiae, seu per indulgentias. Ergo non sunt in thesauro.

Minor sic ostenditur ab ipso *Suaresio*: "Thesaurus Ecclesiae, ut constans ex meritis Sanctorum sub propria et formali ratione meriti a satisfactione distincta, nihil per se confert ad effectum indulgentiae, unde necessarius non est ad indulgentiarum concessionem. Probatur, quia imprimis indulgentiae nullo modo nituntur meritis Sanctorum

sub ea ratione consideratis, quia Sancti nec meruerunt Ecclesiae potestatem concedendi indulgentias, sicut meruit Christus, nec meruerunt ut nobis remitteretur poena omnino gratis, sine ulla satisfactione, vel propria, vel aliena nobis appropriata; quia hoc sub nullius meritum cadit, ut dictum est in materia de satisfactione, et ex secunda assertionem posita colligi etiam potest. Neque etiam meruerunt, ut satisfactiones suae pro aliis oblatae acceptarentur a Deo; nam haec conditio ex lege ab ipso Deo data supponitur ante omne eorum meritum et satisfactionem, et ad summum fundatur in solius Christi meritis; ergo merita Sanctorum, ut merita sunt, nulla ratione per se concurrunt ad effectum indulgentiae.

“Rursus, si opera Sanctorum considerentur ut meritoria de condigno, in solis ipsis operantibus habent effectum; si vero considerentur, quatenus respectu aliorum possunt esse meritoria de congruo, sic nihil conferre possunt ad effectum indulgentiae, tum quia ille effectus fit infallibili lege, et servata aequitate iustitiae respectu Dei; in huiusmodi autem effectibus nihil per se operatur meritum de congruo, ut patet in effectu conferendo per sacramentum; nam si rite applicetur, et non inveniatur obicem, impertinens est meritum de congruo cuiusque Sancti, ut habeat suum effectum; tum etiam quia meritum de congruo nunquam habet effectum in alio, nisi adjuncta petitione, quam iuvat ipsum meritum ad efficaciam impetrationis; petitio vero ipsa necessaria est, ut ordinet tale meritum ad talem effectum, ad quem ex natura sua non ordinatur, ut suppono ex materia de merito. Per indulgentias autem non fit, ut Sancti petant pro nobis effectum indulgentiae, neque hoc est necessarium, neque id potest efficaciter praestare qui concedit indulgentiam, ut per se est evidens; ergo. Possunt quidem petere et impetrare nobis dispositionem convenientem ad lucranda indulgentiam, et nos etiam possumus petere a Deo propter merita Sanctorum eandem dispositionem; tamen hic concursus et est remotus ac per accidens ad effectum indulgentiae, et non est ex vi ipsius indulgentiae, ut dictum est.”⁹⁰

Praeterea, id quod continetur in thesauro habet rationem alicujus veri pretii moralis, seu juris stricte dicti, ut constat tum ex ipsa metaphora thesauri tum ex fine ad quem thesaurus ordinatur, scilicet ad solvendum pro poena temporali. Atqui, ut fatetur ipse Suarez in textu nuper citato, sola vicaria satisfactio importat stricte dictum jus, non vero meritum pro aliis, et multo minus impetratio, nam homo potest pro aliis satisfacere de condigno (in quo strictum jus importatur) sed nequit pro aliis mereri nisi de congruo (in quo strictum

⁹⁰ De Poenitentia, disp. 51, sect. 3, n. 18, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1055 sq.

jus non importatur). Ergo in thesauro solae satisfactiones sanctorum inveniuntur, non vero eorum merita et impetrationes.

Secundo quoad merita in genere, tum Christi tum sanctorum.

Id quod est in thesauro ordinatur ad solutionem poenae. Atqui sola satisfactio ordinatur ad solutionem poenae, non vero merita, utut Christi. Ergo sola satisfactio continetur in thesauro, non vero merita, sive sanctorum sive etiam Christi.

Minor pate ex essentiali indole et distinctione satisfactionis et meriti. Satisfactio enim est solutio ad extinguendam poenam, meritum vero est jus ad obtinendum praemium. Unde contraria sententia adversariorum videtur fundari in quadam confusione meriti et satisfactionis.

Nec valet opponere aliquem posse mereri extinctionem poenae. *Nam* proprium objectum meriti est gratia (qua utique subinde satisfacere possumus, quippe quae sit fundamentum nostrae satisfactionis), non vero immediata extinctio poenae, secus Deus non obtineret solutionem poenae, nec ordini justitiae divinae satisfaceret, quae, ut non semel docet S. Thomas, exigit ut culpa per poenam reparetur, unde videmus ipsum Christum nostras poenas redemisse non per viam meriti aut impetrationis immediatae extinctionis poenae, sed per ipsam suae poenae solutionem. Quapropter, opera Christi sunt in proprie dicto thesauro Ecclesiae, de quo loquimur, sub sola ratione satisfactionis ordinatae ad poenae nostrae solutionem, non vero sub formali ratione meriti, etsi ipsa Christi merita fuerint causa cur constitueretur in Ecclesia ipse thesaurus suarum aliorumque sanctorum satisfactionum et conferretur Ecclesiae potestas illum dispensandi per indulgentias, quemadmodum causa fuerunt cur instituerentur sacramenta Baptismi et Poenitentiae, ut per ea duplicato modo ab Ecclesia eadem Ipsius infinitae satisfactiones dispensarentur in sacramentalem extinctionem poenae temporalis.

Unde inepte Suarez ex hoc causali influxu meritorum Christi, prout est fundamentum ipsius thesauri et potestatis Ecclesiae in ejus dispensationem, deducit ipsam eorum inclusionem in thesauro (Disp. 51, sect. 3, n. 4). Ceterum, et ipse vim supradictae minoris nostri argumenti agnoscere videtur dum subinde, etsi adhuc adhaerens suae affirmationi, scribit: "Et quidem, si aliqua ex his rationibus [scilicet meriti et satisfactionis] excludenda esset, potius in hoc effectu removenda esset ratio meriti, et ratio satisfactionis retinenda, quia unusquisque effectus per causam maxime propriam et accommodatam fieri debet; propria autem causa, et maxime accommodata ad remissionem unius poenae, est passio seu oblatio aequivalentis poenae;

ratio autem meriti proprius ordinatur ad obtinendum bonum, quam ad malum vitandum. Re tamen vera, neutra ex his rationibus ab hoc opere et effectu excludenda est, tum quia sicut propter maiorem iustitiae perfectionem, saltem extensivam, voluit Christus nos utroque titulo redimere, ita etiam voluit in singulis effectibus redemptionis utroque titulo operari respective, seu juxta uniuscujusque effectus capacitatem; tum etiam quia uterque titulus est in praesenti suo modo necessarius, satisfactio ad condignam et proportionatam compensationem poenae debitae, ut dictum est, meritum vero ad obtinendum ut talis modus applicationis esset efficax, et ut potestas clavium, a qua manat, acceptaretur a Deo, essetque efficax apud ipsum; hoc enim totum fundatum est in Christi iustitia, et hoc posterius, si proprie loquamur, magis spectat ad rationem meriti et praemii quam ad rationem satisfactionis.⁹⁷

Ad rem CAJETANUS: "Circa . . . quaesitum, ex quibus constet thesaurus unde fiunt indulgentiae, ratio dubitandi est, quoniam, interdum merita, interdum passiones, interdum satisfactiones dicuntur esse ea quae sunt in hoc thesauro reposita. Veritas autem, ut patebit, formaliter explicatur per *satisfactiones superfluas*.

"Ad cuius evidentiam, non aliunde quam ex fundamento prius posito procedendum est, ex hoc scilicet quod indulgentiae succedunt loco poenitentialium satisfactionum. Hoc enim dictum oportet *cum grano salis* sumere. In poenitentiali siquidem satisfactione digne executata, puta ieiunio, considerandum est quadruplex officium: habet enim huiusmodi opus quatuor officia, scilicet bonificandi, medendi, merendi et satisfaciendi. Nam ex hoc quod est opus bonum bonificat operantem, et disponit illum ad alia bona opera; ex eo vero quod est tale opus, puta ieiunium, medicinam praebet contra carnis concupiscentiam, sicut eleemosyna contra avaritiam, etc.; ex eo autem quod a caritate procedit, meritorium est vitae aeternae; et ex eo demum quod poenale est, satisfactorium est pro poena temporali pro peccato debita; solvitur enim poena, absque omni contradictione, per opus poenale ut sic. *Indulgentia autem non succedit loco satisfactionis poenitentialis nisi quoad ultimum officium, quod est satisfacere*: nam ex vi indulgentiae non fit homo bonus, nec medicatur, nec meretur, sed solummodo solvit poenam quam per poenitentiam solvisset. . .

"Ex hoc igitur quod indulgentia pura succedit satisfactioni poenitentiali solummodo quoad vim satisfactivam, manifeste sequitur quod thesaurus indulgentiarum *thesaurus est satisfactorium*. Quae quia per opera poenalia et meritoria fiunt, ideo idem dicitur thesaurus passionum et *meritorum quatenus satisfactoria sunt*. Rationabile autem . . . monstratur esse debere esse thesaurum hunc thesaurum satisfactionum, seu meritorum quatenus satisfactoria, ex eo quod unus pro alio et in temporalibus et in spiritualibus satisfacere potest; non medicatur autem, nec fit bonus, nec meretur unus pro alio. *Sunt igitur ea quae sunt reposita in hoc thesauro satisfactiones.*"⁹⁸

Conclusio 3. Per indulgentias dispensatur thesaurus Ecclesiae, et ita quidem ut per indulgentiam dispensetur solummodo thesaurus et solummodo per indulgentias thesaurus dispensetur.

⁹⁷ De Poenitentia, disp. 51, sect. 3, n. 9, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1051.

⁹⁸ Quaestiones de thesauro indulgentiarum, quaesitum secundum, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 360.

Probatur per partes contra tres opiniones supra relatas (in p. 891 sq.).

1A PARS: Per indulgentias dispensatur thesaurus Ecclesiae (contra Mayronem).

Id constat *primo* ex documentis Ecclesiae quae quotiescumque loquuntur de indulgentiis, thesaurum appellant, tanquam fundamentum et tanquam id ex quo ejus effectus hauritur; *secundo*, ex identitate indolis et finis utriusque; indulgentia enim ordinatur ad extinguendam poenam temporalem, quae nonnisi ex applicatione seu dispensatione superabundantium satisfactionum fieri potest; hae autem satisfactiones continentur de facto in thesauro Ecclesiae; ergo per indulgentias hic thesaurus dispensatur.

Unde nequit dici, cum supradictis antiquioribus (p. 891), indulgentias extinguere poenas non ex alienis meritis sed juxta merita et labores eorum quibus conceduntur; hoc enim est negare ipsam rationem indulgentiae, quae ad hoc praecise conceditur, ut suppleatur quodammodo ex opere operato id quod ex opere operantis praestari deberet ab ipso subjecto. Nec dici potest cum Mayrone (ibid.) indulgentias consistere in gratuita remissione poenae per potestatem a Deo Ecclesiae concessam; hoc enim non solum evacuat necessitatem thesauri, quem ceteroquin Mayron explicite negat, sed etiam impossibile est ob supradictam necessitatem satisfactionis sine qua culpa non reparatur.

Ex dictis autem in praecedenti conclusione de bonis quae in thesauro continentur, sequitur per indulgentias dispensari non impetrationes, nec proprie merita, sive sanctorum sive ipsius Christi, sed solas satisfactiones, quippe quae solae in thesauro contineantur.

2A PARS: Per indulgentias nonnisi thesaurus dispensatur, seu indulgentia consistit in sola dispensatione thesauri, non vero etiam in simplici et immediata remissione, ut voluit Medina.

Nam *primo*, documenta Ecclesiae cum loquuntur de indulgentiis non aliam poenae solutionem proponunt quam eam quae fiat ex thesauro. Nec valet opponere nonnisi inde a Clemente VI doctrinam thesauri ab Ecclesia proponi, cum tamen indulgentiae jam antea concederentur, adeoque ad modum simplicis remissionis; nam aliud est explicite primo declarare et aliud est primo facere, Clemens autem primo explicite declaravit quod semper factum fuerat, quia aliter fieri non potest; imo ipse Clemens, proposita existentia et efficacitate thesauri, immediate subjungit: "Quod Bonifacius Papa VIII . . .

attenta consideratione revolvens . . . , incorruptibilem thesaurum hujusmodi . . . voluit aperire [per concessionem indulgentiae plenariae in primo anno jubilaei]" (Corpus Juris, Extrav. comm., cap. 2, de poenit. et remiss.).

Secundo, certum est indulgentiam pro defunctis non fieri per simplicem remissionem, sed per condignam solutionem satisfactionis ex thesauro desumptae; ergo ex analogia idem dici debet de indulgentiis pro vivis.

Tertio, ut non semel jam dictum est, si indulgentia fieret per simplicem remissionem, evacuaretur necessitas satisfactionis, cum tamen providentia et justitia divina requirunt ut culpa non reparetur nisi per poenam.

Objectio vero Medinae, quod nempe si indulgentia consisteret in solutione seu compensatione, non esset actus jurisdictionis Ecclesiae, non concludit; nam, ut explicabitur in art. seq., actus jurisdictionis est compossibilis cum solutione seu compensatione, quod quidem in indulgentia fit per hoc quod Ecclesia confert fidelibus jus ut Deus, apud quem thesaurus Ecclesiae asservatur, illum aperiat, solvatque, ex contentis in eo satisfactionibus, pretium poenae quae a fidelibus expiari deberet.

3A PARS: Solummodo per indulgentias thesaurus dispensatur, sive quoad satisfactiones sanctorum, sive etiam quoad satisfactiones Christi, ita ut idem sit dispensari thesaurum, et indulgentiam concedi (contra Marsilium, Suarez et Lugo).

Quod attinet ad *satisfactiones sanctorum*, res clara videtur, contra Marsilium supra relatam (p. 892). Nam alius modus hauriendi divitias thesauri, citra indulgentias, duplex esset: Vel nempe ex privata quadam auctoritate et *quasi ex opere operantis*, sive scilicet impetrando a Deo vel a sanctis ipsis ut aliquid de eorum satisfactionibus concedatur; hoc autem fieri nequit, tum quia ipsi sancti non habent amplius jus in superabundantiam suae satisfactionis (justus enim tunc tantum est dominus valoris sui actus, cum illum agit), tum quia Deus tradidit illum thesaurum ipsi Ecclesiae, tanquam ipsius possessionem, unde rationem ipsam thesauri destrueret si aliter de eo disponderet quam per potestatem Ecclesiae. Vel ex ipsius Ecclesiae auctoritate *per opus operatum sacramentorum*; sed neque hoc fieri potest quia, cum sacramenta sint Ecclesiae fundamenta, nequit in eis nisi meritum et satisfactio Christi applicari ejusque virtus operari, nec ulla ratione suaderi potest in hoc fieri exceptionem in favorem sacramenti Poenitentiae (ut vult

Marsilius), cum potius Ecclesia proponens virtutem sacramentorum, passim de sola applicatione meritorum Christi loquatur, et Conc. Trid., loquens de sacramento Poenitentiae, solum dicat in eo "lapsus post baptismum beneficium mortis Christi applicari" (Denz. 894).

Quod autem attinet ad *satisfactiones ipsius Christi*, res videtur prima fronte difficile sustineri posse, nam quotiescumque fit remissio poenae tum ex opere operato sacramentorum tum ex opere operantis individuae satisfactionis, sine dubio satisfactio Christi applicatur. Nihilominus, attentis tum documentis Ecclesiae, tum formali ratione thesauri, tum diverso modo influendi ejusdem satisfactionis Christi, apparet ipsas Christi satisfactiones, *formaliter ut sunt in thesauro*, nonnisi per indulgentias applicari.

Ecclesiae enim documenta non loquuntur de thesauro nisi in connexionem cum quaestione de indulgentiis, imo ex ipso dogmate de indulgentiis conceptus hujus thesauri originatus est, quasi idem sit concedere indulgentias et applicare thesaurum; cum vero agitur de satisfactione ex opere operantis invocatur generaliter meritum Christi vel vicaria Christi satisfactio, et similiter cum fit sermo de efficacia sacramentorum invocatur generice meritum Christi et virtus passionis ejus. *Conc. Trid.* indulgentias veluti definit per ipsum thesaurum, eas appellans "coelestes Ecclesiae thesauros" (sess. 21, de reform., c. 9).

Satisfactio Christi certissime continetur seu applicatur tum in nostra satisfactione ex opere operantis (tam individuali quam vicaria) tum in sacramentali remissione poenae tam aeternae quam temporalis per Baptismum et Poenitentiam; attamen, id fit sub diversa ratione ab ea sub qua eadem satisfactio continetur in thesauro et applicatur per indulgentias. Christus enim semel pro semper pro redemptione omnis peccati et pro extinctione omnis poenae satisfacit, condigna et adaequata satisfactione, quae facta est bonum Dei et pretium Deo solutum, nullatenus a Deo appropriatum seu commissum Ecclesiae, quod quidem applicatur ab ipso Deo ut causa principali, mediante Ecclesia in sacramentis ut ministra et instrumento. Sed prout Christi infinita satisfactio est non solum adaequata et condigna, sed etiam de condignitate et infinite superabundans, pro quanto nempe ejus simpliciter dicta infinitas superat infinitatem secundum quid peccati ejusque poenae, *sub hac ratione ea satisfactio refuit in thesaurum*, seu assumit indolem cujusdam cumuli divitiarum ac constituit thesaurum, *qui a Deo appropriatur Ecclesiae*, ut ipsa sit non merum instrumentum sed propria causa dispensans et administrans. Nec ceterum satisfactio Christi, prout reponitur in thesauro, aliquid subtrahit

infinitati ejusdem prout applicatur in opere operantis et in sacramentis, aut ratione illius ullatenus ipsa minuitur, sed aequa infinitas ex utraque parte subsistit, cum infinitum finiri non possit.

Unde, adhuc ex parte satisfactionum Christi, verum est, thesaurum nonnisi per indulgentias dispensari, et velle rem aliter concipere est praetermittere ipsum proprium conceptum thesauri, inductum in theologiam per ipsa Ecclesiae documenta atque thesaurum accipere in latiori quodam et improprio sensu de quo supra dictum est (p. 886 sq.).

RESPONSIO

Obj. 1 cum Wicleff. Satisfactiones Christi et sanctorum jam transierunt; unde nihil actu remanet quo possit constitui thesaurus.

Ad rem *Wicleff*: "Videtur quod supererogata merita Christi et membrorum suorum olim transierunt, et per consequens vel non sunt vel, si sunt pro suo tempore, sunt extra potestatem ordinariam iam superstitis Romani pontificis. Quid (queso) valet fingere quod iste Gregorius XI. ordinavit et instituit ut ymmolacio Ysaac et cetera merita patrum tantum precedencium in utroque testamento valeret ad ordinationem suam cognato suo iam mortuo? Non enim valet fingere mendacia infundabilia propter extollenciam potestatis. Quomodo (rogo) est copia meritorum que non sunt, aut quomodo tam determinate lapsa in preteritum cum omnibus suis appendiciis sunt in potestate nostra, cum omnis actus quem nos ipsi fecimus preterit potestatem nostram? Quomodo ergo distribuit ipse ista opera que non sunt in potestate sua? Nec valet fingere quod distribuit fructus istorum operum, quia illi non sunt nisi premia que sunt beatitudines quas non est in potestate sua a beatis auferre vel peccatoribus donare, quia tunc bonificaret eos, quod foret deliramentum asserere."⁹⁹

Resp. Inepta valde est hujusmodi objectio; nam cum satisfactio sit ens morale, potest moraliter perseverare, cumque tota fundetur in divina acceptatione, quae ei vim et existentiam praebet, in eadem divina acceptatione et memoria perseverare potest, non secus ac merita ad gloriam quae retribuuntur nobis in futuro.

Obj. 2. Si id verum esset, sequeretur etiam in antiquo testamento fuisse thesaurum, coalescentem ex meritis Abraham, Isaac, Jacob, David aliorumque patriarcharum et prophetarum, imo et ipsius Christi

⁹⁹ Iohannis Wyclif tractatus de Ecclesia, now first edited from the manuscripts by I. Loserth, London, 1886, p. 564.

venturi, cujus merita jam erant in mente Dei praevisa ac praedestinata. Absentia autem thesauri in A. T. patet vel ex eo quod nullus propheta illum suspicatus sit, nec ulla Pontificum auctoritas illum per indulgentias applicare attentaverit.

Resp. In veteri testamento fuit quidem superabundantia satisfactionum sanctorum, sed non fuit proprie thesaurus, quia illa superabundantia nondum erat a Deo appropriata ecclesiae, i.e. synagogae, seu ordinata ad hoc ut posset prodesse singulis fidelibus quibus applicaretur. Et ratio est, tum quia nondum erant actu acquisite satisfactiones Christi, quae sunt praecipua poecunia valorizans ceteras ac veluti essentialiter replens et constituens thesaurum; tum quia nondum erat constitutum corpus mysticum, in ara crucis generatum ex sponsalibus Christi cum Ecclesia, cui antiqui sancti nonnisi in figura et spe pertinebant; tum quia consequenter nondum erat data ecclesiae potestas ligandi atque solvendi quae est effectus sacerdotii Christi in sacrificio crucis consummati (cf. supra, art. 103, p. 795 sq.). Unde fideles antiqui testamenti sanctificabantur quidem per figuralia sacramenta ex virtute significatae fidei in futura merita et satisfactiones Christi, sed nondum participabant alicui thesauro ex Christi aliorumque sanctorum satisfactionibus cumulado et per potestatem solvendi distribuendo.

Non tamen frustranea fuit superabundantia satisfactionum illorum sanctorum, nam et ipsae pertinent ad hunc novi testamenti thesaurum, qui tunc jam coepit cumulari donec per satisfactiones Christi et futurorum sanctorum perficeretur secundum ipsam thesauri rationem, ut per Ecclesiae potestatem elargiri posset. Cujus quidem thesauri elargitionis praecessit in antiqua lege materialis quaedam figura, in celebratione scilicet anni quinquagesimi, qui dicebatur annus jubilaei et in quo Israelitae ad suas singuli possessiones revertebantur (cf. Lev. 25, 10 sq.).

Ad rem *Suarez*: "Potestas haec ad dispensandum thesaurum supernaturalis est, et a solo Deo concedi potuit, et nulla auctoritate aut sufficienti ratione constat esse concessam ante adventum Christi, quia neque in Veteri Testamento est ulla mentio illius, unde certum est non esse propriam illius legis, quatenus distinguebatur a lege naturali; neque etiam est ita conjuncta ex natura rei cum supremo sacerdotio, quale potuit esse in lege naturae, ut solo discursu et ratione colligi possit. Quamvis enim verum sit bonorum communium distributionem pertinere ad eum qui praeest communitati, id tamen intelligendum est, respectu illius temporis, in quo facienda est distributio; licet autem satisfactiones fidelium thesaurizari coeperint a principio mundi,

non tamen ut statim distribueretur ille thesaurus, sed tempore a Deo statuto; quod autem esset illud tempus, non potuerunt homines cognoscere, nisi ex divina revelatione, de qua nulla mentio, vel traditio habita est usque ad tempus legis gratiae. Et potest sufficiens congruentia reddi, vel ex perfectione hujus legis, in qua abundantius communicatur divina gratia, et liberalior fit remissio, vel ex eo quod ante Christi mortem nondum erat thesaurus ille consummatus quoad Christi merita, a quibus omne aliud meritum et satisfactio virtutem accipit; ipse enim Christus nobis meruit ut talis potestas hominibus, et ut talis dispensatio vel distributio thesauri acceptaretur a Deo; et ideo ante exhibitum in re ipsa Christi meritum, non est hominibus facta tam liberalis concessio. Nec tamen propterea inutilis fuit illa collectio, seu inchoatio thesauri, quae ante tempus legis gratiae facta est, quia suo tempore fructum suum habiturus erat, quando dispensator Evangelicus proferre posset de thesauro suo nova et vetera, ad instar prudentis patrisfamilias, de quo loquitur Christus, Matthae. 13.¹

Obj. 3 *cum Wicleff, Mayrone et Durando.* Opus perfecte remuneratum in uno, nihil amplius habet quo possit remunerari in alio. Jamvero, merita Christi et sanctorum jam obtinuerunt in ipsis completum suum effectum et perfectam remunerationem. Ergo nihil de eis manet quod dici possit asservari in aliquo thesauro, in ulteriorem utilitatem aliorum, nisi dicatur Deus privare beatos aliquo gradu suae beatitudinis eosque defraudare in aliorum utilitatem.

Minor facile constat. Nam Christus ipse semel pro semper, per sua merita et satisfactiones, solvit debitum pro peccato et obtinuit redemptionem totius mundi; praeterea, in seipso Christus homo obtinuit pro suis meritis completam corporis glorificationem et nominis exaltationem (ita Mayron). Beati etiam jam obtinuerunt praemium tum essentielle (beatificam visionem), tum accidentale aut in re (ut aureolam, auram, coronam, etc.) aut in jure (resurrectionem et glorificationem corporis), nec ullus datur gradus meritorum eorum qui per haec praemia non sit jam adaequate satisfactus (ita Wicleff, Mayron et Durandus).

Ad rem *Wicleff*: "Omnibus beatis diffinitum est a Deo premium beatitudinis correspondentem ad omnia merita sua, quae adhuc manent in fructu, sed aliqua merita, requisita ad beatitudinem patriarcharum, non subiacent potestati huius Gregorii sic distribuere ratione premii ex eis limitati; ergo nec alia. Assumptum patet, tum quia nihil est oculos in meritis beatorum, tum quia beati habent gaudium et sic premium accidentale de quocunque bono quod fecerint. Minor autem

¹ De Poenitentia, disp. 51, sect. 2, n. 20, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1047 sq.

sic ostenditur: In facta distributione meriti stricte requisiti ad beatitudinem essentialem diminueretur de illa beatitudine correspondentem, quam iniuriam non potest papa facere, sicut nec Christus potest concives suos sic depauperare.”²

Resp. Minor praefati argumenti est partialiter falsa in se, et totaliter falsa in suo supposito.

Et primo est *in se falsa*, qua parte asserit meritum Christi jam adaequate obtinuisse debitam remunerationem. Nam imprimis accidentalis gloria glorificationis corporis et exaltationis nominis, cum sit quid finitum, in immensum excedit ad infinito merito Christi; praeterea, redemptionem mundi Christus obtinuit in actu primo sed adhuc complenda est in actu secundo per applicationem meritorum ejus ad unumquemque hominem; tandem, ipse effectus redemptionis totaliter consideratus, prout nempe est quodammodo infinitus sive ex parte peccati, quod est infinitum, sive ex parte numeri hominum quibus valet applicari, qui est potentialiter infinitus seu indefinitus, excedit a valore meriti Christi quod gaudet excellentiori infinitate, ut explicatum est in art. 50 (tom. 3, p. 84 sq.).

Secundo, et magis ad rem, ea minor est *falsa in suo supposito*; nam, confundens meritum cum satisfactione, supponit nos dicere thesaurum constare ex solis proprie dictis meritis sanctorum, aut supponit effectum satisfactionis esse praemium gloriae. Jamvero non sola merita sanctorum sed etiam eorum satisfactiones (imo revera hae solae) constituunt thesaurum, et effectus satisfactionis est sola poenae extinctio, non vero retributio gloriae tam essentialis quam accidentalis, quae est proprius effectus meriti. Constat autem multas esse satisfactiones sanctorum, quorum effectum ipsi sancti consequi non potuerunt eo quod superexcesserunt poenas ab ipsis luendas, et a fortiori infinitas esse tum Christi, tum etiam B. Virginis (infinitas secundum quid), satisfactiones, quarum Ipsi nullum in se effectum percipere potuerunt, utpote impeccabiles et nulli poenae obnoxii.

Obj. 4 (*ex quadam opinione Scoti et Durandi, in favorem sententiae Mayronis*). Merita Christi non sunt simpliciter infiniti valoris sed tantum maximi valoris, ut docent Scotus et Durandus; hic autem valor, quantumvis magnus, fortasse exhauritur per ipsum opus redemptionis et per tot sacramenta instituta et tot beneficia, hominibus collata aut conferenda usque ad finem mundi tam per opus operantis quam per opus operatum sacramenti et sacrificii; unde ex nulla

² Op. cit., p. 564 sq.

ratione constare potest adhuc aliquid de eo valore manere quod possit constituere thesaurum Ecclesiae, distribuendum fidelibus per indulgentias. Ceterum, si quis diceret valorem meritum Christi, ex quo praecipue constat thesaurus, esse simpliciter infinitum, sequeretur hunc thesaurum etiam post diem iudicii esse perpetuo duraturum et sine condigno praemio mansurum, quod repugnat tum justitiae tum potentiae Dei qui non posset thesaurum illum exhaurire et merita in eo contenta condigne remunerare.

Resp. apte Suarez: “[Quod obicitur ex opinione Scoti et Durandi], valorem meritum Christi non esse infinitum ad meritum et satisfactionem, convincitur . . . alienum esse a verbis Pauli, et mente Pontificis, et communiore sensu Ecclesiae, et graviorum Doctorum, fundato in excellentia personae Christi; de qua re latius diximus in [tractatu] . . . de Incarnatione. Adde denique etiam illos Doctores non negare thesaurum hunc ut constantem ex meritis et satisfactionibus Christi, quia, licet negent valorem meritum Christi simpliciter esse infinitum ex dignitate personae operantis, non tamen negant quamdam infinitatem quasi syncategorematicam ex parte divinae acceptationis, quia potuerunt illa Christi opera acceptari a Deo ad majus et majus praemium, seu majorem et majorem remissionem peccatorum in infinitum. Unde etiam non negant, nec negare possunt Christi opera de facto acceptata esse a Deo tanquam sufficientia ad redimenda, quoad culpas et poenas, omnia peccata hominum, quae a principio mundi fuerunt, et nunc sunt, et erunt usque ad finem seculi, cum id expresse Scripturae doceant infinitis locis, praesertim . . . 1 Joan. 2, Actorum item 4, et ad Ephes. 1.

“Ex hoc autem principio evidenter sequitur, thesaurum meritum et satisfactionum Christi non esse exhaustum, neque exhauriendum esse usque ad finem seculi, quantumcunque per indulgentias, vel per alia media ex illo persolvantur et remittantur poenae debita peccatis hominum; nam, licet fingatur esse actus finitus, ad minimum tantus est, quantus ad omnia illa peccata, et omnia debita eorum compensanda necessarius ac sufficiens est. Alioqui si objectio esset alicujus momenti, etiam timere possemus, ne sacramentorum virtus ad remittenda peccata et poenas eorum amitteretur, consumpto jam toto thesauro divitiarum Christi.

“Neque ullo modo dicere potest Catholicus, ex meritis et satisfactionibus Christi solum esse in thesauro repositum id, quod sufficit ad compensandas omnes gratias, vel remissiones cum effectu donandas usque ad diem iudicii per sacramenta vel sacrificia, tum quia necesse

est ut valeat ad redimenda omnia peccata quae aliquando erunt, etiam ea quae nunquam remittentur, alias non fuisset sufficiens redemptor omnium; tum etiam quia non solum ad effectum sacramentorum, et sacrificii, sed etiam ad omnem gratiam vel remissionem, quae alia quacunque via hominibus datur, efficax est, alioqui non fuisset Christus perfectus et universalis redemptor quoad efficaciam. . . Unde consequenter fatendum est, etiam post diem iudicii perpetuo duraturum hunc thesaurum, et in eo futuras esse satisfactiones sufficientes ad infinita alia peccata remittenda, et indulgentias in infinitum concedendas. Neque id est otiosum, sicut potentia Dei non est otiosa, etiamsi infinita possit operari, quae non operatur, quia est attributum quoddam connaturale ipsi Deo pertinens ad perfectionem ejus; ita enim infinitus valor propriorum operum est quasi naturalis proprietas Dei hominis, pertinens ad perfectionem ejus³.

Obj. 5. Si Christi merita et satisfactiones sunt infinita, satisfactiones sanctorum *nequeunt poni in thesauro*, cum ita thesaurus sit jam infinite repletus, nec infinito fieri possit additio; vel saltem *frustra ponerentur in thesauro*, cum inde valor thesauri crescere non possit, ob eandem rationem suae infinitatis; vel saltem *frustra nobis applicarentur*, cum non possent nobis prodesse eo quod in omni elargitione thesauri intervenit necessario etiam applicatio satisfactionis Christi quae, utpote efficacior et infinita, tollit omnem poenam, nihil relinquens quod per sanctorum satisfactiones auferri possit; vel saltem *inconvenienter nobis applicarentur*, cum sufficiat satisfactio Christi cujus influxus debet solus ostendi et inculcari, utpote unius Redemptoris et universalis causae salutis.

Resp. 1. Satisfactiones sanctorum *possunt poni in thesauro*, quia, etsi infinito non possit fieri additio intensive, quasi augendo illud, potest fieri extensive, ponendo aliquid praeter illud. Sicut enim in mundo praeter ens infinitum (Deum) potest poni ens finitum (creatura), ex qua additione non habetur plus entis sed plus entium, seu plura entia, ita in illo thesauro praeter infinitam Christi satisfactionem potest poni finita satisfactio sanctorum, ex qua additione non habetur plus satisfactionis sed plus satisfactionum, seu plures satisfactiones.

2. Satisfactiones sanctorum *non frustra ponuntur in thesauro*, quia, etsi non possint augere ejus valorem intensive, augent tamen extensive, ita ut plures satisfactiones habeantur, ut jam dictum est et illus-

³De Poenitentia, disp. 51, sect. 1, n. 7-9, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1039 sq.

tratur ex eadem comparatione cum ente mundano quod non frustra a Deo creatur, quia multiplicat entia, etsi non augeat ens.

3. Satisfactiones sanctorum *non frustra nobis applicantur* quia habent proprium influxum satisfactivum, etsi dependenter ab ipsa satisfactione Christi quae cum eis et per eas applicatur; non enim repugnat duas causas eundem producere effectum, dummodo sint invicem subordinatae.

Quidam, ad eludendam hanc objectionem dicunt erogationes thesauri quandoque fieri ex solis satisfactionibus Christi, quandoque ex solis satisfactionibus sanctorum, quandoque partialiter ex utrisque; idque aliqui dicunt pendere a causa ob quam indulgentia datur (dicunt nempe minorem rationem requiri ad hoc ut concedatur indulgentia ex copulatis satisfactionibus Christi et sanctorum, quam requireretur si in thesauro adessent solae Christi satisfactiones, quia ex abundantiori thesauro facilius potest major erogatio fieri, stante eadem causa seu ratione), alii vero (ut Suarez) dicunt id pendere ab intentione concedentis seu Ecclesiae quae potest, prout vult, applicare vel solas Christi satisfactiones vel solas satisfactiones sanctorum, vel utrasque simul.

Ad rem *SUAERZ*: "*Sed inquirere aliquis, quae satisfactio, Christine, an Sanctorum, applicetur per indulgentiam ex hoc thesauro absolute concessam. Quidam hoc discernunt ex causa indulgentiae, nam interdum (inquiunt) est tam gravis, ut per se sufficiat ad applicandam tantum Christi satisfactionem, etiamsi illa sola esset in thesauro, et tunc aiunt illam applicari. Aliquando vero causa non est ita sufficiens, sed ex vi ejus minor remitteretur, si sola Christi satisfactio esset in thesauro; et tunc ut indulgentia integram habeat effectum, suppletur aliquid ex satisfactionibus Sanctorum, quia ex locupletiori thesauro facilius potest major erogatio fieri, stante eadem causa. Et hic quidem dicendi modus non est impossibilis: cur enim non potuit Deus, ex cujus voluntate haec omnia maxime pendent, hujusmodi legem ferre circa modum hujus applicationis?*

"Nihilominus mihi incerta res est, quia nec in usu habet aliquod fundamentum, nec in verbis Pontificum, qui in suis bullis indistincte loquuntur de thesauro; nec in re ipsa, cum thesaurus ex solis satisfactionibus Christi ditissimus sit, et inconsumptibilis; et ideo augmentum illud quasi extensivum ex satisfactionibus Sanctorum parum videatur referre ad augendum effectum, stante eadem causa; hoc enim maxime habet locum in thesauro finito, ubi timeri potest ne consumatur. Alias quo in thesauro major esset copia satisfactionum Sanctorum, eo posset ex illo major indulgentia concedi, stante eadem causa, quod est alienum a mente Pontificum concedentium indulgentias, et Theologorum dicentium, tantum valere quantum sonant, si causa sufficiat; non enim putant unquam minui effectum indulgentiae ob inopiam vel diminutionem thesauri, cum absolute infinitus sit.

"Videtur ergo mihi imprimis *solutio haec fieri ex his, vel illis satisfactionibus, juxta intentionem applicantis*; ita enim in sacramentis et sacrificio fit ex sola satisfactione Christi, quia haec fuit intentio ejus. Et eodem modo possent Pontifices concedere indulgentiam ex solis satisfactionibus Christi, quia dispensatio illius thesauri non est illis commissa cum limitatione ad hanc vel illam satisfactionem, nec ad omnes simul; ubi est enim haec limitatio? cum Christus absolute com-

miserit claves, et dixerit: 'Quodcumque solveris'. Et eadem ratione censeo posse applicari per indulgentias solam satisfactionem Sanctorum, ut sint proprium pretium solutionis, quia revera sufficiunt ad condignam satisfactionem et solutionem, ut supra ostensum est in suffragiis; et alias potestas clavium quoad actum indulgentiae aequae indifferenter illas comprehendit. Dico autem: 'Ut sint proprium pretium solutionis'; quia satisfactio Christi, ut principalis et universalis causa concurrans cum nostris satisfactionibus, et dans illis perfectionem et efficaciam, nunquam potest excludi. . . Regulariter eutem non conceditur illo modo indulgentia, quia satisfactiones Sanctorum finitae sunt et possunt deesse.

*"Quando vero intentio concedentis determinata non est, sed absolute fit de thesauro, vel de satisfactionibus Christi et Sanctorum, incertum mihi est quomodo fiat applicatio; probabile est enim quod proxime fiat ex satisfactionibus Sanctorum, si sufficiant, quia sunt veluti causa proxima, et Deus operatur per illam, quando potest; probabile item est semper applicari etiam immediate satisfactionem Christi propter ejus eminentiam ac dignitatem. Ac denique dici potest, ex toto illo thesauro per modum unius fieri solutionem, indistincte concurrentibus satisfactionibus Christi et Sanctorum ut causis partialibus, non partialitate effectus, sed causae. Melius tamen est hoc relinquere divino iudicio et arbitrio, quam de re incerta definitam sententiam proferre."*⁴

Attamen, istae explicationes reiciendae sunt, utpote nec necessariae ad eludendam objectionem, nam haec sufficienter expellitur per supra-dictum simultaneum influxum plurium causarum subordinate in eundem effectum concurrentium, nec verae, quia satisfactio Christi est principale ac essentielle elementum quo constituitur thesaurus, adeoque satisfactiones sanctorum sunt considerandae et applicandae una simul et ad modum unius cum satisfactione Christi immediate applicata, sicut accidentale sequitur principale; quod etiam ex eo suadet quod, si ipsae per se solas possent applicari, posset ex ea parte paulatim minui et exhauriri thesaurus, saltem ut constans ex illis individuis satisfactionibus. Unde omnino dicendum est, juxta explicationem quam, saltem ut possibilem, profert ipse Suarez in fine citati textus, "*ex toto illo thesauro per modum unius fieri solutionem, indistincte concurrentibus satisfactionibus Christi et Sanctorum*", et quidem non ut causis partialibus, ut addit Suarez ibidem, sed ut causis totalibus ad invicem subordinatis et in eundem effectum concurrentibus.

4. Satisfactiones sanctorum *convenienter nobis applicantur*, nec efficiunt ostensioni sufficientiae satisfactionis Christi, unius et universalis Redemptoris.

Prima convenientia illius applicationis est quia per eam ostenditur et extenditur dogma *vicariae satisfactionis*, de quo dictum est in art. 55; sic enim nihil de justorum satisfactionibus deperditur aut incassum evadit, sed omnes attingunt finem suum expiatorium.

Secundo, inde ostenditur et fovetur *unitas corporis mystici* membrorum

⁴De Poenitentia, disp. 51, sect. 3, n. 16, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1054 sq.

umque assimilatio cum Capite. "Videmus enim divinam providentiam disposuisse quod Christi membra, praesertim praecipua, sibi assimilarentur quantum fas est. Unde, sicut sunt sancti quidam aliorum curatores, quidam aliorum doctores, quidam qui pro aliis merentur (de congruo tamen), quidam qui pro aliis impetrant; ita quidam sunt alienarum poenarum satisfactores, ita ut assimilentur Christo etiam in hoc quod pro aliis passus est, dum et ipsi, qui patiuntur plus quam demerentur, pro aliis satisfaciunt".⁵

Tertio, inde nullatenus minoratur aut offuscatur *vis aut dignitas satisfactionis Christi*, sed e converso magis extenditur et exaltatur, sicut perfectio et dignitas capitis extollitur per perfectionem membrorum, et excellentia ducis per virtutem militum. Eodem modo universalitas et omnipotentia causalitatis divinae nihil detrimenti capit ex consortio subordinatae causae creatae, in qua potius vividius ostendit suam virtutem veluti per duplicatum influxum, et, in hac eadem materia de satisfactione, efficacitas passionis Christi nihil detrimenti capit ex subordinata nostra satisfactione, tam individuali quam vicaria, sed potius in ea extenditur ac potentiatur, ut constat ex dictis in art. 53 et 55 contra eosdem Novatores eorumque asseclas. Ceterum facile constant magnae differentiae, quae intercedunt inter satisfactiones Christi et satisfactiones sanctorum prout concurrunt ad constituendum hunc thesaurum; illae enim concurrunt necessario, infinite et simpliciter, hae vero (si excipiantur ex parte satisfactiones B. Virginis) concurrunt non necessario, nec infinite, nec simpliciter sed supererogatorie, seu in ea mensura quam non exigit satisfactio pro propriis peccatis.

Obj. 6. Saltem superabundantia satisfactionis sanctorum nimis exigua est ut debeat computari in thesauro Ecclesiae, tum quia parvus est numerus sanctorum animarum in comparatione communium fidelium, qui indigent expiatione; tum quia magnae satisfactiones exiguntur ad extinctionem poenae temporalis, ut patet ex duratione et acerbitate poenarum quibus illa expiatur in Purgatorio; tum quia multae animae sanctiores applicant individualiter pro aliis plures ex suis satisfactionibus, quae ideo, utpote jam compensatae, nequeunt supererogatorie reponi in thesauro; tum quia ceteroquin, parum illud quod manet reponendum in thesauro paulatim exinguitur et exhauritur per continuatas indulgentiarum concessiones.

Resp. 1. Ipsae satisfactiones solius B. Virginis tantum cumulum efficiunt, qui quandam attingat infinitatem, sicut ipsa dignitas Divinae

⁵ *Cajetanus*, Quaestiones de thesauro indulgentiarum, Quaesitum tertium, n. 8, editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 362.

Maternitatis, ex qua vis satisfactionis mensuratur, est secundum quid infinita, cum attingat ad limina Deitatis. Numerus sanctorum animarum, inde a tempore patriarcharum, imo ab Adamo redempto, non parvus est; ceterum, cum vis satisfactionis pendeat non ex sola poenaltate actus, sed etiam indirecte ex ejus bonitate seu perfectione, quatenus nempe opera perfectiora solent esse etiam poenalia (ut explicatum est in art. 64, tom. 3, p. 321), satisfactiones paucarum animarum sanctorum facile adaequant ac superexcedunt multorum hominum expiandas poenalitates.

2. Non tanta exigitur poena in satisfactione hujus vitae, quanta exigitur pro eodem peccato in satisfactione Purgatorii; nam poena voluntarie assumpta in satisfactionem, multo plus valet ad extinctionem debiti peccati quam eadem inflictă a justitia divina in altera vita. Cf. dicta in art. 54 (tom. 3, p. 215–218).

3. Multae habentur satisfactiones quae a sanctis non fuerunt individualiter applicatae huic vel illi fidei, quaeque proinde confluunt in thesaurum Ecclesiae. Praeterea, ipsae satisfactiones ab eis jam individualiter translatae, adhuc sub alia ratione applicari intelligi possunt, scilicet prout copulantur satisfactioni Christi in unitate corporis mystici, ex qua participant rationem infinitatis, ab infinitate copulatae satisfactionis Christi.

4. Ex parte satisfactionum B. Virginis vix concipitur quod thesaurus exhauriri possit, cum sint quasi infinitae; sicut enim dignitas Divinae Maternitatis excedit gratias omnium sanctorum, utpote altioris prorsus ordinis, ita satisfactio B. Virginis excedit omnes satisfactiones praestandas pro omnibus peccatis nec unquam ab eis aequari poterit, quantumvis intendantur aut multiplicentur. Pariter, valor satisfactionis ipsius Ecclesiae, collective sumptae, nequit unquam per applicationem thesauri exhauriri, cum totalis sanctitas ac dignitas sponsae Christi, quam Ipse sibi elegit “non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata” (Eph. 5, 27), jugiter superexcedat omnes maculas et debita membrorum Ecclesiae; quo enim magis augmentur debita peccatorum atque Ecclesiae satisfactiones pro eis applicantur, eo simul hae satisfactiones increscent, multiplicatis jugiter actibus bonis singulorum fidelium, maxime sanctorum (cf. Clementem VI, supra in p. 848). Tandem ipsae singulares satisfactiones individuorum fidelium, quamvis per multiplicatas thesauri elargitiones exhauri posse videantur, tamen prout, ex conjunctione cum ipsius Christi satisfactione, participant quandam infinitatem, ut nuper dictum est, numquam exhauriri possunt.

Et hoc quidem colectivo ac indiviso modo, concipienda est illarum satisfactionum applicatio, ne detur locus inani scrupulo aut imaginationi (cf. dicta supra, p. 915).

Ad rem apte *LEHMKUHL*: "Multi difficultatem in eo inveniunt, si quaeritur, quo modo satisfactiones Sanctorum in indulgentiis concurrant, et utrum semper cooperentur, annon. Equidem plane puto, eas semper cooperari, atque mihi videor rem considerare posse hac ratione: Deus certo in omni remissione poenae temporalis, quum moveatur meritis et satisfactionibus Christi, ad *quaelibet* Christi opera respicit. Quamquam enim singula opera infiniti sint meriti atque infinitae virtutis satisfactoriae, tamen re ipsa Deus non tantum propter poenas infantiae Christi, sed etiam propter labores in vita publica exantlatos, propter cruciatum in cruce toleratos poenas peccatis hominum debitas relaxat. Verum Christus non est solus in hac singulari persona, sed sibi corpus mysticum Sanctorum adiunxit. Quum primum igitur Deus invenit superabundantes satisfactiones in corpore Christi mystico, haec etiam, eaque omnia, quae exstant, respicit, quotiescunque poenas temporales relaxat. Semper enim totum Christum, i. e. Christum cum mystico suo corpore respicit, sibi que in toto Christo complacet: et sicut nulla est ratio, cur in acceptatione vicaria satisfactionum Christi excludat unquam ullum opus Christi, ita nulla est ratio, cur unquam excludat ullum opus superabundans Sanctorum, quod exstat. Utut sit minimum, non est nihil; utut minimum valeat ad relaxandas poenas, tamen valet aliquid, neque unquam timendum est, ne virtus satisfactoria exhauriatur. Quantumvis paucae et parvae fuerint satisfactiones Sanctorum, — re quidem vera non tam paucae sunt — *ex conjunctione satisfactionum Christi totus thesaurus est et manet infinitus et inexhaustus*".⁶

Item *PESCH*, explicans verba Lehmkühl: "Licet satisfactiones sanctorum in se sint finitae, [inexhausta eorum applicatio] facile explicari potest hoc modo Deus, quando concedit indulgentias, eas non ita concedit, ut dicat: Haec indulgentia conceditur propter satisfactiones S. Petri, neque quicquam amplius pro his satisfactionibus postulari potest, et similiter de satisfactionibus aliorum sanctorum. Sed potius dicendus est Deus in omni absolute poenarum respicere totum cumulum satisfactionum, prout in ecclesia existit, non ut tot et tot unitates inter se plane separatas, sed ut opera totius corporis mystici, cuius omnes actiones quodammodo sunt actiones Christi. Nam haec omnia Deo placent non altiter quam ex intima eorum cum Christo coniunctione, et ita satisfactio Christi tamquam causa universalis dat satisfactionibus sanctorum dignitatem et efficaciam, et in omnibus his Christus honoratur. Rursum Christi merita et satisfactiones non ita distribuuntur, ut aliquid ex his dematur, quod postea non iam existat, sed propter infinitum eorum valorem Deus semper paratus est ad novas gratias concedendas, ut divisio se habeat solum ex parte effectus. Hoc igitur modo etiam thesaurus sanctorum est inexhaustus (cf. *Lehmkühl* II¹³, n. 667, nota)."⁷

ART. 109. Utrum Indulgentia Sit Actus Verae Potestatis, Exercitii Per Modum Absolutionis Quoad Vivos, Per Modum Vero Suffragii Quoad Defunctos (Suppl., q. 25, a. 1, ad 2 et 3; q. 27, a. 4, ad 1 et 2; q. 71, a. 10).

STATUS QUAESTIONIS

Diximus in art. praec. indulgentiam esse dispensationem thesauri

⁶ Theologia moralis, v. 2, n. 531, Friburgi Br., 1903, p. 374 in nota.

⁷ Prael. Dogm., t. 7, n. 489, Friburgi Br., 1920, p. 240.

per auctoritatem ecclesiasticam. *Quaestio nunc est de indole hujus actus, dispensativi simul ac potestativi*, atque difficultas provenit praecise ex his duobus ejusdem actus aspectibus, qui videntur se invicem excludere; si enim est dispensatio, videtur non esse verus actus *auctoritatis*, sed merus actus possessionis, ut constat in eo qui bona sua aliis dispensat; quod si dicatur esse dispensatio facta subjectis a rectore societatis ex publicis bonis, adhuc manet difficultas, nam defuncti non sunt subditi Ecclesiae et tamen veram suscipiunt indulgentiam. Praeterea, etiam admissa potestativa indole hujus concessionis quoad vivos, difficultas est utrum sit reducenda ad potestatem ordinis an *jurisdictionis*; et, si ad jurisdictionem, an sit praeterea actus potestatis *judicialis*, cui videtur iterum obstare ipsa ratio dispensationis seu solutionis pretii ex thesauro; et, si concedatur potestas judicialis, an sit verus actus *absolutionis*, cui maxime videtur obstare eadem ratio solutionis pretii necnon necessarium discrimen ab absolute poenae in sacramento Poenitentiae.

Hae, summis labiis, sunt difficultates quae vexant theologos in explicanda potestativa indole indulgentiae, quam omnes coguntur admittere, saltem juxta generales lineas quas breviter formulavimus cum ipso Codice J. C. in textu hujus articuli.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

EX IPSIS ECCLESIAE DOCUMENTIS, recitatis in art. 107 (p. 845-853), duo haec pro certa habenda sunt:

1. Indulgentia est actus *potestatis clavium*. Hoc docetur tum implicite vel aequivalenter, quotiescumque dicuntur indulgentiae concedi ex auctoritate Apostolorum Petri et Pauli, ex plenitudine apostolicae potestatis, ex potestate a Christo accepta (Urbanus II, Bonifacius VIII, Sixtus IV, Conc. Trid.), ob manifestam allusionem ad verba "Quodcumque ligaveris. . . Quaecumque alligaveris . . .", tum explicite sub directa expressione "potestatis clavium" vel simili (Conc. Later. IV, Conc. Viennense, Clemens VI, Leo X, Gregorius XVI); Leo X explicat etiam sensum hujusmodi "potestatis clavium, quarum est aperire regnum coelorum tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, culpam scilicet et poenam pro actualibus peccatis debitam, mediante ecclesiastica indulgentia".

2. Ea potestas exercetur relate ad vivos "*per modum absolutionis*", relate vero ad defunctos "*per modum suffragii*". *Sixtus IV* primus expressionem "per modum suffragii" solemniter adhibuit, eamque authentice explicavit in Bulla "Romani Pontificis": "Neque [ex hac

formula] . . . inferre volumus indulgentiam non plus proficere ac valere quam eleemosynae et orationes, aut eleemosynas et orationes tantum proficere tantumque valere quantum indulgentia *per modum suffragii* . . . , sed eam perinde valere diximus, id est per eum modum, *per ac si*, id est, per quem orationes et eleemosynae valent." *Leo X* subinde primus utraque simul formula utitur: "Per modum absolutionis indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre"; quam repetit *Codex J. C.*: "Pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii".

Ceterum, istae formulae originem habent ex ipsis doctoribus saec. 13. *S. Thomas* eas in ipsis terminis non adhibet sed utitur expressione: "Indulgentiae principaliter et directe prosunt vivis, secundario et indirecte defunctis" (Suppl., q. 71, a. 10, cit. infra, in p. 954). *Bonaventura* vero adhibet ipsas formulas "Per modum iudicii" quoad vivos, "per modum suffragii" quoad defunctos; huic alteri substituit etiam formulas "Per modum deprecationis" et "Per modum adiutorii".

Ad rem ipse, In 4 Sent., dist. 20, pars 2, art. un., q. 5: "Quantum . . . ad auctoritatem iudicandi, cum illi [defuncti] iam exierint forum Ecclesiae et ecclesiasticum iudicium, videtur quod eis non possit fieri absolutio nisi *per modum deprecationis*, et ita, proprie loquendo, non fit eis relaxatio; sed si large dicatur relaxatio [i.e. indulgentia] cuiusque auxilii impensio et bonorum Ecclesiae communicatio, sic potest eis relaxatio fieri; sed hoc non tenet *per modum iudicii*, sed *potius suffragii*. . . Ad illud quod obicitur, quod potest, dicendum quod verum est *per modum adiutorii et suffragii*. Tamen ad illud quod obicitur de potestate clavis, quod potest usque ad aperitionem caeli, dicendum quod si intelligatur *per modum iudicii*, non habet veritatem, nisi quantum ad eos qui sunt de Ecclesia militante; si *quantum ad adiutorium*, sic quantum ad omnes homines qui sunt extra caelum."¹

THEOLOGI, PRAESERTIM MODERNIORES, IN SEQUENTIA FERRE CONVENIUNT, si excipiatur unus vel alter ex antiquioribus doctoribus, aut unus vel alter obscurus aut ineptus modus loquendi etiam apud modernos.

1. Indulgentia est actus *VERAE POTESTATIS*, non vero tantummodo exercitium aliquod juris possessionis, quo quis elargitur aliis propria bona.

2. Est actus *POTESTATIS CLAVIUM*, etsi secundarius.

3. *NON IMPORTAT EXERCITIUM POTESTATIS ORDINIS*. Pro contraria sententia Suarez refert *Hostiensem* et *Durandum* (In 4

¹ Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 527.

Sent., dist. 20, q. 3 et 5). Quorum ratio videtur esse quia indulgentias conferre competit omnibus et solis sacerdotibus, nam ex una parte soli sacerdotes acceperunt potestatem remittendi peccata, adeoque sive quoad culpam sive quoad poenam, et ex alia parte nemo potest relaxare poenam injunctam a sacerdote in foro sacramentali nisi ipse qui eam imposuit vel qui aequalem aut superiorem habet auctoritatem in illo foro, adeoque solus sacerdos.

4. *Est verus actus JURISDICTIONIS.* In contrarium *Suarez* refert *Durandum* (ibid.), cujus doctrinam et rationes sic exhibet: "Addit praeterea Durand. hanc potestatem, vel actum ejus non esse jurisdictionis, sed *cujusdam alterius curae vel providentiae pastoralis*; sunt enim haec duo distincta. Ut, verbi gratia, in Praelato religionis, dispensare bona religionis, ut de eis eleemosynas facere, vel curare infirmos, aut quid simile, non est actus jurisdictionis, sed est aliqua cura pastoralis muneris. Sic, inquit, indulgentiarum concessio solum est dispensatio Ecclesiastici thesauri ad subveniendum spiritualiter indigentibus; non est ergo actus jurisdictionis, sed potius dici potest paterna quaedam misericordia. Unde et Pontifices, cum indulgentias concedunt, dicunt se illas misericorditer largiri. Et confirmat, quia si esset actus jurisdictionis, posset exerceri etiam in invitum, quod de indulgentia dici non potest. Secundo confirmat, quia si esset actus jurisdictionis, non posset indulgentia frui, qui illam concedit, quia nemo potest exercere jurisdictionem in seipsum; consequens autem est falsum et contra Ecclesiae usum. Tertio confirmare id possumus, quia Ecclesia concedit indulgentias defunctis, in quos jurisdictionem non habet."⁹

Accensendi sunt *quidam alii, etiam inter modernos*, qui, leviter ponderantes verba "per modum suffragii" seu auxilii, eorumque authenticam explicationem datam a Sixto IV, nec distinguentes inter ipsam concessionem indulgentiae et ejus applicationem subjecto, dicunt, vel videntur sentire, *indulgentiam concessam pro defunctis non esse proprie dictum actum jurisdictionis*, quia, ut ab omnibus fere conceditur, Papa non habet in defunctos jurisdictionem. Ita *J. Mac Guinness*: "Licet . . . non habeatur hic [i.e. in indulgentia pro defunctis] exercitium jurisdictionis in subditos, adest tamen actus administrationis seu distributionis circa bona communia, *quae lato sensu vocari potest jurisdictio*".¹⁰ Quae vix differunt a praedicta sententia Durandi. Ambigue in hac re loquuntur *Billuart* (art. 6), *Billot* (ed. 1930, p.

⁹ De Poenitentia, disp. 49, sect. 3, n. 2, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 993.

¹⁰ Commentarii Theologici, t. 3, Parisiis, 1935, p. 477.

141), *Galtier* (n. 599), *Hugon* (art. 2), *Boyer* (p. 280 et 388), quod attinet nempe ad indulgentiam pro defunctis.

Imo recenter *Poschmann*, in suo opere de origine et natura indulgentiarum (supra relato, in p. 825), negat ipsam *indulgentiam pro vivis* esse verum actum jurisdictionis eamque reducit ad meram Ecclesiae impetrationem seu orationem. Quam sententiam sic introducit ac breviter resumit *Galtier* in sua illius operis recensione:

“Comme dit expressément Léon X dans sa bulle sur les Indulgences, [l’Eglise] . . . accorde [les indulgences aux vivants] ‘per modum absolutionis.’ Mais, là, précisément, surgit la question du sens auquel se doit entendre cette expression. L’origine en est lointaine. Elle remonte à l’époque où, en concédant des indulgences, on faisait profession ‘d’absoudre,’ de dispenser de la peine temporelle imposée par l’Eglise. Mais, aujourd’hui et depuis le temps où il n’y a plus de peine semblable à remettre, l’expression peut-elle conserver la même signification? Et, si elle ne l’a plus, quel sens convient-il de lui donner? Le code canonique continue à l’employer et à distinguer ainsi les indulgences: ‘indulgentias . . . ecclesiastica auctoritas . . . concedit, pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii’ (can. 911). Que faut-il entendre par là?

“Le livre du Dr Poschmann est tout ordonné, peut-on dire, à l’expliquer. La concession des indulgences ne lui paraît pas impliquer que l’Eglise entende remettre directement elle-même la peine temporelle restant due au for divin. Se fondant sur le fait de indulgences plénières indéfiniment gagnées par les fidèles et s’autorisant des origines des la formule ‘per modum absolutionis,’ il conclut que, par ce mot d’absolution, on n’entend en réalité qu’une prière, qu’un ‘suffrage’ de l’Eglise. sollicitant elle-même, en faveur de qui gagne l’indulgence, la remise par Dieu de la peine temporelle restant à acquitter. Même aux vivants, les indulgences plénières ne profiteraient effectivement que dans la mesure où il plairait à Dieu d’accepter les prières ou suffrages faits par l’Eglise en leur faveur. Ainsi d’ailleurs, apparaîtraient-elles en continuité directe avec les ‘supplications’ de l’Eglise ancienne en faveur des pénitents: elles ne feraient que les aider à obtenir le pardon divin.”^{10a}

Explicite vero, vel aequivalenter, indulgentiam etiam pro defunctis importare actum jurisdictionis, etsi exercitum non circa ipsos defunctos, docent *Suarez* (disp. 49, sect. 3, n. 9; disp. 53, sect. 3, n. 15), *Pesch* (n. 477), *Diekamp* (§ 55, n. 4 et 5), *Cappello* (n. 648, 2 et 3), *Van Noort-Verhaar* (n. 152), *Piolanti* (p. 320), *Lépiciér* (p. 576), *Heylen* (p. 9) et *Beringer* (qui signanter hoc exprimit in verbis citandis infra in p. 960).

5. Est actus jurisdictionis *NON SACRAMENTALIS*, seu in foro extrasacramentali.

6. Est actus jurisdictionis *IN FORO INTERNO*, saltem ex parte effectus, qui est remissio poenae coram Deo.

Hoc omnes nunc admittunt. De ipso autem exercitio actus, utrum sit fori interni aut externi, alii aliter loquuntur, fortasse ob imprecisionem vel elasticitatem, tum theologicam tum canonicam, sensus harum formularum.

^{10a} Les indulgences: origine et nature, à propos d’un ouvrage récent, in *Gregorianum*, vol. 31 (1950), p. 268 sq.

Plures enim tantummodo loquuntur de "foro Dei", nec apparet an simpliciter iudicent concessionem indulgentiae esse actum fori interni aut externi; ita Billuart (art. 1), Pesch (n. 470 et 506) et ipsi moralistae communiter, qui dicunt indulgentiam valere "non solum in foro ecclesiastico, sed etiam in foro Dei".

*Alii expresse dicunt concessionem indulgentiae pertinere ad forum non externum sed *internum* (vel poenitentiale, vel conscientiae); ita plures antiquiores, signanter S. Thomas, Cajetanus et Suarez.*

*Suarez ait: "Indulgentiarum . . . remissio, quamvis extra sacramentum fiat, et *respectu illius* aliquando dici soleat non pertinere ad internum forum, tamen revera pertinet ad internum bonum animae, proximeque disponit hominem ad gloriam consequendam, tollendo impedimenta illius".¹¹ Paulo inferius assimilat potestatem concedendi indulgentias potestati dispensandi in votis ("Etiam quando Papa dispensat in votis, non solvit quod ipse ligavit, sed quod ligavit Deus"), quae juxta omnes pertinet ad forum internum.*

*Cajetanus: "[Oportet] distinguere inter forum poenitentiale, et forum extrinsecae iurisdictionis ecclesiasticae. Papa enim, licet sit quasi princeps in foro ecclesiasticae iurisdictionis exterioris (cuius signum est quod est solutus ecclesiasticis poenis et legibus ut princeps), in foro tamen poenitentiali est subditus: unde et potest et solvi et ligari a sacerdote in foro poenitentiali, et potest et debet sibi negari absolutio, sicut et reliquis fide accedentibus ad sacramentum poenitentiae. Poena autem temporalis pro peccatis actualibus post contritionem et confessionem debita *non spectat ad extrinsecum forum, sed ad forum poenitentiale*. Quod etiam ex eo patet quod est eiusdem rationis cum suis aliis partibus, quae remissae sunt ex virtute clavium vel per satisfactionem poenitentialem. Unde quoad hoc non habet Papa a Christo potestatem tanquam princeps, sed tanquam minister."¹²*

*S. Thomas, loquens de potestate excommunicandi, dicit eam esse iurisdictionem "in foro causarum", vel "in foro iudiciali", vel "in foro exterioris iudicii", vel "in foro exteriori" (Suppl., q. 19, a. 3; q. 22, a. 1, corp. et ad 1), illudque forum opponit "foro conscientiae"; distinctionem autem utriusque fori, exterioris et conscientiae, sic assignat: "*In foro conscientiae causa agitur inter hominem et Deum; in foro autem exterioris iudicii causa agitur hominis ad hominem*. Et ideo absolutio vel ligatio quae unum hominem obligat quoad Deum tantum, pertinet ad forum poenitentiae; sed illa quae hominem obligat*

¹¹ De Poenitentia, disp. 51, sect. 3, n. 11, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1053.

¹² Quaestiones de thesauro indulgentiarum, quaesitum primum, n. 3, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 359.

in comparatione ad alios homines ad forum publicum exterioris iudicii pertinet. Et quia homo per excommunicationem a communione fidelium separatur, ideo excommunicatio *ad forum exterius* pertinet" (*Suppl.*, q. 22, a. 1). Agens subinde de indulgentiis, S. Doctor ait quod "remissio [quae fit per eas] quantum ad forum Ecclesiae, valet etiam quantum ad *forum Dei*" et quod indulgentiae "valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei" (*Suppl.*, q. 25, a. 1). Manifestum autem est expressiones "*forum Dei*" et "*iudicium Dei*" referri ad ea in quibus "causa agitur inter hominem et Deum", adeoque ad "*forum conscientiae*" seu internum, de quo in nuper relato textu *Suppl.*, q. 22, a. 1.

Ceterum S. Doctor excludit potestatem indulgentiarum pertinere ad intimius forum internum quod vocat "*forum confessionis*", vel "*forum poenitentiale*", vel "*forum poenitentiae*" (*Suppl.*, q. 22, a. 1; q. 25, a. 2, ad 1; q. 26, a. 2; q. 27, a. 1 et a. 2, ad 2), scribens: "Clavis, sicut supra dictum est (quaest. XIX, art. 3), est duplex, scilicet ordinis, et jurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est: et quia sacramentorum effectus non sunt determinati ab homine, sed a Deo; ideo non potest taxare sacerdos quantum per clavem ordinis in foro confessionis de poena debita dimittatur; sed tantum dimittitur, quantum Deus ordinavit. Sed clavis jurisdictionis non est quid sacramentale, et effectus ejus arbitrio hominis subjacet: et hujusmodi clavis effectus est remissio quae est per indulgentias: cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae" (*Suppl.*, q. 25, a. 2, ad 1).

Unde S. Thomas totam clavium potestatem dispescit per *tria fora*, duo interna et unum externum, ita ut potestas, absolvendi a peccatis sit *in foro interno sacramentali* (seu poenitentiali), potestas concedendi indulgentias sit *in foro interno extrasacramentali*, et potestas excommunicandi sit *in foro externo*.

Quidam tandem moderni dicunt potestatem concedendi indulgentias esse jurisdictionem *fori externi* (etsi doceant, cum ceteris doctoribus, indulgentiam habere effectum coram Deo seu in "*foro Dei*" seu auferre poenam peccati a Deo statutam). Ita *Van Noort-Verhaar*, scribens: "Ad concessionem indulgentiarum non sufficit jurisdictio in foro sacramentali (aut generatim in foro interno tantum), sed requiritur jurisdictio in foro externo" (n. 135). Item *Lépicier* docet tum excommunicationem tum indulgentiam pertinere ad potestatem clavium "quatenus exercetur in foro causarum" (editio 1935, p. 271. 471. 491. 531), quae verba referunt expressionem adhibitam a S. Thoma quoad solam excommunicationem; explicite potestatem indulgentiae vocat "clavem

jurisdictionis in foro externo" (p. 540), addens: "Haec [i.e. sacramenta] in foro interno, ad gratiam comparandam, illae vero [i.e. indulgentiae] in foro externo, ad poenam tollendam, operantur" (p. 545). Item *Heylen* scribit: "Remissio poenae temporalis in indulgentia fit potestate clavium, sed extra sacramentum poenitentiae, imo in foro externo".¹³

7. *Est actus potestatis MINISTERIALIS*, quatenus saltem Papa non distribuit bona sua, aut beneficia quae ipse condidit, sed administrat et dispensat bona Dei, seu merita Christi et sanctorum. Ad rem *Cajetanus*: "Quoad hoc non habet Papa a Christo potestatem tanquam princeps, sed tanquam minister".¹⁴ Quidam loquuntur etiam de potestate stricte ministeriali seu instrumentali, qualis est etiam potestas sacramentalis absolutionis; ita *Suarez*: "In quo se habet Pontifex, ut minister et instrumentum Christi".

8. *QUOAD DEFUNCTOS EXERCETUR NON "PER MODUM ABSOLUTIONIS" SED "PER MODUM SUFFRAGII"*, i.e. non est actus jurisdictionis (et a fortiori judicialis) qui exercentur circa ipsos defunctos (cum Ecclesia non habeat jurisdictionem in defunctos), etsi sit actus quidam jurisdictionis.

Contradicunt tamen partialiter tum quidam qui videntur negare omne jurisdictionis exercitium in hac concessione, ut *Durandus* alique supradicti (p. 921 sq.), tum unus vel alter ex antiquioribus qui non videntur ullum inconueniens invenire in eo quod dicatur Ecclesiam habere jurisdictionem in defunctos. Ita explicitè *Bonaventura*, probata et amplexa communi sententia, addit: "Si quis autem contendat vicarium Iesu Christi habere iudiciariam potestatem super eos qui sunt in purgatorio, non est ei multum improbe resistendum, dum tamen hoc dicit ratio vel auctoritas manifesta."¹⁵

Ceterum, in ipsa communi sententia non unus est modus explicandi formulam "per modum suffragii," ut exponetur in Concl. 8.

9. *QUOAD VIVOS EXERCETUR "PER MODUM ABSOLUTIONIS"*.

HIC HABETUR PRINCIPALIS DISSENSUS INTER DOCTORES, qui ad duo reduci potest, inter se intime connexa: an scilicet concessio indulgentiae sit actus non solum jurisdictionalis sed etiam *judicialis*, et an consequenter sit non tantum solutio, utut jurisdictionaliter facta (ita ut expressio "ad modum absolutionis" sonet

¹³ Tractatus de indulgentiis, Mechliniae, 1948, p. 8.

¹⁴ Op. cit., p. 346.

¹⁵ In 4 Sent., dist. 20, pars 2, a. un., q. 5, Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 528.

tantum aliquam similitudinem), sed vera et *proprie dicta absolutio* (ita ut ea expressio significet identitatem).

Difficultas et dissensus provenit ex ipsa ratione solutionis (seu compensationis poenae ex thesauro Ecclesiae), quae est de essentia indulgentiae quaeque videtur excludere rationem actus judicialis et sententiae proprie absolutoriae; ex alia vero parte indulgentia quandoque confertur verbis absolutoriis (Indulgemus, Remittimus) et in ipsis documentis Ecclesiae dicitur fieri "per modum absolutionis".¹⁶ Hinc *duplex opinio* inter theologos, aliis (nunc numerosioribus) dicentibus indulgentiam esse stricte dictam absolutionem, etsi coniunctam solutioni, aliis vero (nunc paucioribus) dicentibus indulgentiam non esse stricte dictam absolutionem, sed solutionem jurisdictionaliter factam ac pro tanto attingentem modum quandam absolutionis.

Ceterum, quia ipsa notio proprie dictae absolutionis, a qua resolutio hujus quaestionis dependet, fluctuans est apud varios doctores (nam quidam ad eam requirunt actum potestatis judicialis, alii vero videntur contenti esse de actu potestatis jurisdictionis in genere) et quia moderni defensores geminarum opinionum descendunt ad quasdam determinaciones, antiquioribus ignotas, utilius videtur potius historicam ac logicam illarum evolutionem breviter considerare.

APUD DOCTORES MEDII Aevi qui maxime conceptum indulgentiae expoliverunt, et signanter apud Albertum M., Bonaventuram et S. Thomam, indulgentia concipitur ut solutio facta ex Ecclesiae thesauro per actum potestatis clavium. Duae proponuntur notae, scilicet solutio et absolutio; Bonaventura absolutionis notam subordinat notae solutionis; S. Thomas explicite asserit indulgentiam non consistere in sententia judiciali nec esse simpliciter dictam absolutionem a poena sed concessionem thesauri unde homo solvere possit debitum poenae.

Albertus M. sic definit indulgentiam: "Indulgentia sive relaxatio est remissio poenae injunctae ex vi clavium, et thesauro supererogationis perfectorum procedens".¹⁷ Loquens de conditionibus requisitis ad indulgentiam, ait: "Duae autem sunt ex parte dantis; quorum prima est dantis auctoritas ex jurisdictione quam habet. . . Alia est pia causa dantem movens. . . Alia duo exiguntur ex parte gratiae vel Ecclesiae . . . , scilicet abundantia thesauri meritorum . . . et justa aesti-

¹⁶ Difficultas fere evacuat si quis diceret indulgentiam fieri aut posse fieri non ex dispensatione thesauri sed ex immediata potestativa concessionem Ecclesiae, nam ita facilius concipitur actus judicialis et vera absolutio; sed hanc peregrinam *Mayronis et Medinae sententiam*, fundatam in ipsa negatione vel non necessitate thesauri, exclusimus in art. praec. (cf. p. 891 sq. 905 sq.).

¹⁷ In 4 Sent., dist. 20, a. 16, supra cit. in p. 894, in nota.

matio solutionis ejus, pro qua indulgentia est instituta".¹⁸ Hic nihil explicitè dicitur, quod attinet ad solutionem praesentis controversiae, sed tantum proponuntur duae notae quibus, juxta omnes, integratur conceptus indulgentiae, scilicet actus jurisdictionis et solutio ex thesauro Ecclesiae.

Bonaventura scribit: "Relaxatio [seu indulgentia] dicit thesauri communicationem et ulterius auctoritatem".¹⁹ "Ad illud quod obicitur, quod inferior non absolvit ab eo quod ligat superior, dicendum quod *non absolvit omnino condonando, sed pro eo solvendo* de ecclesiastico thesauro".²⁰ S. Doctor subordinat conceptum absolutionis conceptui solutionis, quasi dicat: indulgentia est absolutio solutiva, seu mediante solutione. Ceterum, ipsam vocem absolutionis ipse accipit pro remissione seu solutione poenae, ita ut sensus sit: indulgentia est remissio seu solutio poenae per solutionem thesauri, auctoritative factam ab Ecclesia. Propterea, agens subinde de indulgentia pro defunctis, loquitur de *absolutione eis facta per modum deprecationis* et non per modum iudicii, scribens: "Cum illi iam exierint forum Ecclesiae et ecclesiasticum iudicium, videtur quod eis non possit fieri absolutio nisi per modum deprecationis, et ita, proprie loquendo, non fit eis relaxatio; sed si large dicatur relaxatio cuiuscumque auxilii impensio et bonorum Ecclesiae communicatio, sic potest eis relaxatio fieri; sed hoc non tenet per modum iudicii, sed potius suffragii."²¹ Cum S. Doctor loquitur de indulgentia erga vivos tanquam de exercitio "judicialiae potestatis", intelligit tantum jurisdictionem, et non proprie iudiciariam potestatem prout est determinata species jurisdictionis, ut patet ex toto contextu.²²

Unde doctrina Bonaventurae ad hanc reducitur: Indulgentia est thesauri solutio facta ab Ecclesia per modum auctoritatis pro vivis, per modum deprecatorii auxilii pro defunctis in quos Ecclesia non censetur habere auctoritatem. S. Doctor nunquam dicit, aut intelligit, indulgentiam pro vivis esse stricte dictam absolutionem, intellectam pro actu respiciente immediate ipsam poenam, sed potius id implicite excludit, concipiens indulgentiam immediate ac praecipue ut solutionem thesauri factam ex auctoritate Ecclesiae.

¹⁸ Ibid., a. 17.

¹⁹ In 4 Sent., dist. 20, pars 2, a. un., q. 3, Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 523.

²⁰ Ibid., q. 2, p. 521.

²¹ Ibid., q. 5, p. 527.

²² Cf. q. 5, in qua ea expressio non semel recurrit. Ibidem etiam occurrit expressio "judicialia absolutio", quae non est accipienda in stricto sensu "sententiae judicialis", sed mere significat remissionem poenae ("absolutionem") factam per actum jurisdictionis ("judiciariam").

S. Thomas clarioribus expressionibus hoc proponit.

Suppl., q. 25, a. 1, ad 2: "Ille qui indulgentias suscipit, non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae; sed datur ei unde debitum solvat." Unde S. Doctor docet indulgentiam non esse absolutionem simpliciter seu proprie dictam, sed solutionem. Voluntarie autem *Billuart* verba "Non absolvitur simpliciter loquendo" sic glossat: Absolvitur vere, sed non simpliciter, quia simul solvitur aliquid (Diss. unica, a. 3, Petes 2: "Id est, non sic absolvitur quin solvatur aliquid pro debito"); nam ipsa grammaticalis constructio verborum et oppositio implicata in ipsa particula "sed", quae adhibetur loco "quia", videtur tollere omnem ambiguitatem; non enim dicitur: Non absolvitur simpliciter, quia praestatur solutio; nec etiam dicitur: Non absolvitur simpliciter, sed praestatur solutio; sed dicitur: Non absolvitur, simpliciter loquendo (de absolutione), sed praestatur solutio, i.e. non agitur de simpliciter seu proprie dicta absolutione, sed potius de solutione pretii.

Ceterum, si qua maneret ambiguitas in eo textu, expelleretur ex verbis quae ibidem sequuntur in resp. ad 3, et in quibus S. Doctor, instituens oppositionem inter absolutionem sacramentalem et concessionem indulgentiae quantum ad effectum remissionis poenae, ait illam habere immediate hunc effectum, indulgentiam vero non respicere immediate hunc effectum sed solutionem debiti ex thesauro Ecclesiae: "Effectus sacramentalis absolutionis est diminutio reatus: et hic effectus non inducitur per indulgentias; sed faciens indulgentias poenam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiae communibus, ut ex dictis patet (in corp. art.)." Inepte igitur *Lépicier* (ed. 1935, p. 528) recurrit ad verba S. Doctoris, *ibid.*, q. 26, a. 4: "Indulgentiae . . . remittunt poenam"; nam modum, quo haec remissio fiat, S. Doctor explicaverat antea tum in verbis nuper citatis, tum in corpore ejusdem articuli, scilicet per solutionem, seu communium honorum "distributionem singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini praeest."

Idem docet S. Doctor inferius, q. 27, a. 4, ad 1: "Episcopus potest accipere sibi suffragia Ecclesiae quae aliis dispensat, quorum effectus immediatus est remissio poenae per indulgentias, et non jurisdictionis", i.e. ideo ipse episcopus potest participare fructui indulgentiae a se fidelibus concessae, quia, quamvis indulgentia sit actus jurisdictionis quem nemo potest in semetipsum exercere, tamen remissio poenae est effectus immediatus non ipsius jurisdictionis, quae involvitur in indulgentia, sed suffragii seu solutionis ex thesauro Ecclesiae, quae consti-

tuit indulgentiam et qua mediante actus jurisdictionis exercetur et attingit remissionem poenae.

Tandem ibidem, *ad 2*, S. Doctor, instituens oppositionem inter excommunicationem et indulgentiam, docet explicite indulgentiam non esse prolationem "sententiae" (seu absolutionem proprie dictam), sed "quandam dispensationem" (seu debiti solutionem): "Excommunicatio profertur per modum sententiae, quam nullus in seipsum ferre potest, eo quod in iudicio non potest idem esse iudex et reus. Indulgentia autem non per modum sententiae datur, sed per modum dispensationis cujusdam, quam homo potest facere ad seipsum."

Eandem doctrinam S. Doctor servavit in posteriori suo opere *Quodlibeto 2 (q. 8, a. 16)*,²³ scribens: "Quando . . . utilitas vel necessitas ipsius Ecclesiae hoc exposcit, potest ille qui praeest Ecclesiae, de ista infinitate thesauri communicare alicui, qui per caritatem fit membrum Ecclesiae, de praedicto thesauro quantum sibi visum fuerit opportunum, vel usque ad totalem remissionem poenarum, vel usque ad aliquam certam quantitatem; ita scilicet quod passio Christi et aliorum Sanctorum ei imputetur ac si ipse passus esset quantum sufficeret ad remissionem sui peccati, sicut contingit cum unus pro alio satisfacit, ut dictum est."

Tam evidens est S. Thomam habere solutionem pretii ex thesauro tanquam primarium et immediatum elementum indulgentiae, ut *D. Soto* hoc perspiciens, sibi persuaserit doctrinam Angelici ita complendam vel explicandam esse, ut inculcetur etiam conceptus absolutionis, ne videatur deficiens et incompleta. Scribit enim: "[Alia] opinio est [praeter opinionem Mayronis negantis thesaurum ac docentis indulgentiam esse meram ac directam absolutionem sine solutione ex thesauro], quam *D. Thomas et Bonaventura ac doctores communiter* amplectuntur, dicentes concessionem indulgentiarum non esse aliud quam applicationem thesauri ecclesiae, quo solvitur poena illius qui illas recipit. . . Haec autem opinio, nisi sano modo explicetur, non videtur consona indulgentiarum nomini, et potestati: nam indulgere idem est quod remittere, relaxare, ignoscere, et veniam dare."²⁴

Ab hac authentica et communi antiquorum doctrina, *PLURES THEOLOGI DISCEDERE COEPERUNT INDE A CAJETANO* sub influxu, ut videtur, tum supradictae sententiae paucorum doctorum (cf. art. praec., p. 889. 891 sq.), qui ita thesauri Ecclesiae existen-

²³ Composito a. 1269, ut determinant eruditi, nominatim *T. A. Destrez*, Les disputes quodlibétiques de saint Thomas . . . , in *Mélanges thomistes* (Bibliothèque thomiste, III), Le Saulchoir, Kain (Belgique), 1923, p. 51.

²⁴ In 4 Sent., dist. 21, q. 1, a. 2, Venetiis, 1575, t. 1, p. 980.

tiam (*Mayron*) vel ejus momentum (alii) suppresserunt, ut docerent indulgentiam non dispensari ex thesauro, vel saltem non necessario ex thesauro dispensari, sed esse vel posse consistere in simplici absolute poenae per potestatem Ecclesiae absque ulla solutione, tum contrariae sententiae *Durandi* (cf. supra, p. 921) negantis indulgentiam esse actum jurisdictionis eamque reducentis ad meram solutionem ex thesauro Ecclesiae.

Hinc enim *Cajetanus* sententiam quandam mediam proposuit, juxta quam indulgentia est tum absolutio, respectum illius qui eam suscipit eo quod nihil ipse solvat, tum solutio, respectu Christi et sanctorum qui revera solvunt de suis satisfactionibus, principaliter tamen et essentialiter dicenda est absolutio.

Ad rem ipse *CAJETANUS*: "Ad evidentiam . . . specificae naturae ipsius indulgentiae oportet nosse duo concurrere ad indulgentiam, absolutionem a poenitentia iniuncta et dispensationem spiritualis thesauri, applicando poenam Christi et sanctorum ad hunc, cui datur indulgentia. . . Verum multum interest ad naturam indulgentiae cognoscendam, an *primum indulgentia sit absolutio, an dispensatio*. Nam si indulgentia primo consistat in absolutione, dispensatio thesauri accessorie concurrat ad indulgentiam: ut quia Ecclesia non potest libere relaxare debitam Deo poenam pro peccato in illum commissio, ad hoc, ut remissio sua sit efficac. iungit absolutio dispensationem poenarum solutarum a Christo et Sanctis. applicando aliquid earum huic, et aliquid illi. . . Si autem primum indulgentia sit dispensatio praedicti thesauri, absolutio ab iniuncta poenitentia accessorie concurrat ad indulgentiam: ex eo namque quod applicatur mihi per indulgentiam tantum de poena recondita in thesauro, sequitur quod sum absolutus ab aequivalenti poena, quam debebam Deo pro peccatis meis exolvere.

"Quid autem horum verius sit, non ex ratione sed ex facto pendet, nam rationi consentaneum est, quod Ecclesia utroque modo potest indulgentias facere: sed an de facto indulgentias altero tantum, et quo aut utroque modo faciat. scire oportet si indulgentiae natura cognoscenda est. . . Est igitur indulgentia qua de facto olim usa est, et nunc utitur Ecclesia unius rationis: et est principaliter et essentialiter absolutio iudicialis in foro poenitentiali, annexam habens communionem thesauri passionum Christi et Sanctorum. . . *Indulgentia est essentialiter absolutio: cui annexitur dispensatio Ecclesiastici thesauri ad hoc, ut absolutio a poena, sit efficac. non solum quo ad Ecclesiam, sed etiam coram Deo.*"²⁵

Hanc sententiam postea secuti sunt ac calculo suae auctoritatis confirmarunt praecipue *D. Soto* et *Bellarminus*.

Soto, post verba nuper citata, sic sententiam Cajetani refert et amplectitur: "Melius ergo Cajetanus in opusculo. 21. quaestionum. q. 1. ait, quod indulgentiarum concessio est quidem absolutio, et remissio respectu illius, qui indulgentiam suscipit, quia ille non solvit, sed est solutio respectu Christi et sanctorum, qui solverunt pro eo. Tametsi postea in tractatu . . . ad Iulium medicem cap. 6. plurium verborum consumat, utrum principaliter sit absolutio quam dispensatio, an vero dispensatio, quam absolutio. . . [Dicendum quod] si

²⁵ Opuscula omnia, tract. 15 De indulgentiis (ad Card. Iulium Medicem), c. 6, (ed. Lugduni, 1581, t. 1), p. 92, col. 1, et p. 93, col. 1 et 2.

sola applicarentur sanctorum merita, non esset absolutio, sed tantum applicatio pretii, quo fieret solutio. Sed quia Christus contulit ecclesiae potestatem applicandi sanctorum merita, *dicitur quodammodo virtute illorum fieri absolutio*. Ex his sequitur . . . [quod] indulgentiarum concessio *non ita est mera absolutio, quin solutio interveniat*.²⁶

Bellarminus, citatis antiquorum opinionibus quorum quidam dicunt indulgentiam consistere in solutione, alii in absolutione, scribit: "Posteriores theologi definierunt utrumque simul in indulgentiis reperiri, absolutionem et solutionem; neque veteres theologos scholasticos negasse judicariam absolutionem, quamvis solutionis tantum fere meminerint, neque vetustissimos Patres negasse solutionem ex thesauro, licet solius absolutionis meminisse videantur".²⁷

Ceterum, S. Doctor, post Cajetanum (nuper cit.), admittit indulgentiam fieri posse per solutionem absque proprie dicta absolutione, scribens: "Quamvis in indulgentiis absolutio cum solutione ordinarie conjungatur, posset tamen summus pontifex indulgentiam concedere per solam solutionem. . . Nam quemadmodum defunctis indulgentiae conceduntur per hoc solum quod summus pontifex applicat ex thesauro quantum satis est ad compensandam poenam, quam illi in purgatorio luituri erant: sic etiam posset viventi alicui applicare satisfactionem ex thesauro Ecclesiae, et eo modo eum liberare a debito poena *etiamsi non proprie illum absolveret*".²⁸

Si quis consideret tum S. Thomam tum Bonaventuram dicere ac repetere ad satietatem indulgentiam esse exercitium potestatis clavium et actum jurisdictionis (imo S. Bonaventuram loqui de judiciaria potestate), videbit totam differentiam inter illos et hos moderniores doctores in eo esse quod isti magis insistunt in conceptu absolutionis, indulgentiam conantur definire directe per ipsam absolutionem et in ea videre quandam proprie dictam absolutionem, deprimentes conceptum solutionis ex thesauro ac si solutio sit aliquid tantummodo collaterale, connotatum ac praesuppositum.

Posterius, inde a Suarezio haec sententia magis determinatur, donec ultimas praecisiones obtinuerit apud modernos.

Suarez igitur ulteriorem gressum faciens in via, aperta, ut ipse ait, a Bellarmino, docet indulgentiam pro vivis habere "*veram rationem absolutionis*", qua nempe Papa "*immediate liberat subditum a reatu poenae*, utens potestate jurisdictionis ad hoc sibi concessa . . . [ita ut] *non interveniat propria donatio alienae satisfactionis, facta ei cui*

²⁶ Op. cit., p. 980 sq.

²⁷ De indulgentiis, l. 1, c. 5, Opera omnia, Neapoli, 1872, t. 5, p. 120.

²⁸ Ibid., p. 121.

conceditur indulgentia, sed interveniat potius condonatio proprii reatus in virtute satisfactionis repositae in thesauro Ecclesiae". Parum autem refert, addit Suarez, utrum necne haec proprie dicta absolutio dicenda sit vera sententia judicialis, etsi non immerito ipsa "dici possit quaedam sententia interlocutoria, et absolutoria, quae iudex profert sine strepitu iudicii contentiosi" (Disp. 49, sect. 4).

Ad indulgentiam *pro defunctis* quod attinet, Suarez docet eam non esse absolutionem sed tamen "esse actum jurisdictionis . . . cui actui magis accommodatur exemplum illud de collatione beneficii, qui non oritur proprie ex potestate super personam, cui beneficium datur, sed ex potestate super beneficium quod datur, quae sub jurisdictione late sumpta comprehenditur . . . [adeoque] indulgentiam concedi defuncto . . . solum per modum suffragii, et cujusdam distributionis bonorum communium, non vero per modum absolutionis, quae requirit potestatem judicariam, atque adeo jurisdictionem in ipsam personam, quae absolvitur" (Disp. 53, sect. 2, n. 6; cf. n. 7).

Tandem Suarez asserit contra Bellarminum indulgentiam definiendam esse in communi et *per unicam definitionem*, prout convenit tam vivis quam defunctis, idque per solum actum clavium seu jurisdictionis liberantem a poena, tacita mentione absolutionis quae convenit tantum uni speciei, i.e. indulgentiae pro vivis. Unde hanc proponit *definitionem indulgentiae in communi*: "Est quidam actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu poenae temporalis extra sacramentum" (Disp. 49, sect. 4, n. 1).

Ad rem ipse SUAREZ: "Potest esse alia sententia, quae distinguendum putet inter indulgentiam pro vivis, et pro defunctis, et priorem asserat esse *veram et judicariam absolutionem*; posteriorem autem minime, sed esse tantum subsidium quoddam, quod per modum suffragii pro defunctis offertur. Indulgentia autem in communi (juxta hanc sententiam) definienda non est, sed dividenda in illa duo membra, quia sunt diversarum rationum, et distinctorum generum, per quae singula dividenda sunt. Hanc opinionem obiter attigisse videtur *Bellarmin.*, lib. 2 de Purgator., c. 16, ubi ait, indulgentiam pro defunctis nihil aliud esse quam applicationem satisfactionum Christi, et Sanctorum; nam propterea dicitur concedi per modum suffragii, non absolutionis. Expressius docuit, et egregie explicavit hanc sententiam idem illustrissimus Cardinalis in opere, quod post hoc confectum ad nostras manus pervenit, lib. 1 de Indulgent., c. 5. . .

"Doctrina hujus . . . sententiae quoad illa duo membra nobis probatur; quoad definitionem autem indulgentiae in communi, aliquid ei addendum est, quod in definitione a nobis data est insinuatum. Explico singula. Nam imprimis verum censeo indulgentias vivorum esse absolutiones a reatu poenae temporalis . . .; nam Pontifex concedens vivo indulgentiam pro seipso, non donat illi tantam quantitatem satisfactionis, ut eam possit pro suis peccatis offerre, et per eam solvere poenam debitam, sed *immediate liberat subditum a tali reatu poenae, utens potestate jurisdictionis ad hoc sibi concessa, et ideo ibi non intervenit propria donatio alienae satisfactionis* facta ei, cui conceditur indulgentia; sed intervenit potius condonatio proprii reatus in virtute satisfactionis repositae in thesauro Ecclesiae; neque etiam intervenit quasi oblatio illius satisfactionis facta Deo, ut ipse remittat alteri

poenam, ad eum modum quo in suffragiis fieri solet; sed intervenit etiam remissio facta a Christi Vicario, vice ipsius Christi, seu (quod idem est) facta a Christo per ipsum; ergo nihil ibi deest ad veram rationem absolutionis, et remissionis. Denique hic modus esse possibilis, et maxime consentaneus potestati clavium Ecclesiae, et communi modo, ac formae, quo illa exercetur, et nullum habet inconveniens; cur ergo negandus est?

“Neque vero multum curandum est, an vera ratio iudicii et sententiae in concessione indulgentiae intercedat, tum quia hic *non concedimus esse absolutionem per modum particularis sententiae*, qualis proferri solet inter partes, servato iudiciario ordine juxta exigentiam talis fori, quomodo remissio sacramentalis est vera absolutio; sed contendimus *esse absolutionem, id est, efficacem remissionem poenae immediate factam per voluntatem et declarationem Vicarii Christi utentis potestate jurisdictionis sibi a Christo concessa*. Tum etiam, quia *non immerito talis concessio potest dici quaedam sententia interlocutoria, et absolutoria, quam iudex profert sine strepitu iudicii contentiosi, aut vindicativi*, utendo benigna condonatione propter justas causas, et simul, ac in actu exercito, ut sic dicam, bona ex communi thesauro applicando, quantum necessarium est; haec enim sententia partem hanc non excludit, ut recte sensit Bellarm. supra, interpretans auctores ejus. . .

“Indulgentiae pro vivis, et defunctis non ita sunt diversarum rationum, quin *sub aliqua communi convenire possint*. Neque enim quando de indulgentia abstracte et in communi loquimur, aequivoce loquimur, solumque utimur communi nomine, sed conceptum aliquem habemus communem, ratione cujus multi effectus, causae, et proprietates utrique indulgentiae communes sunt. Propter hanc ergo causam non sum usus in definitione [supra relata, in p. praec.] nomine absolutionis, et applicationis, sed in communi dixi, *esse actum clavium, quo mediante liberatur peccator a reatu poenae temporalis; nam hoc utrique indulgentiae convenit, quatenus ea liberatio fieri potest et per modum absolutionis, et per modum suffragii, distinguiturque per hoc genus indulgentia quaelibet ab omnibus suffragiis, quae indulgentiae non sunt; nam illa non sunt actus clavium, aut jurisdictionis; non enim fundantur in potestate solvendi a Christo data, sed sunt actus charitatis, in cujus unione et communicatione fundantur. Continenturque sub ea definitione non tantum indulgentia concessa omni viventi pro seipso, vel pro alio defuncto, sed etiam pro alio vivo; nam haec etiam per modum suffragii concedi solet, ut infra declarabimus, non tamen sine actu jurisdictionis, et usu clavium.*

“Aliquibus autem videtur genus hoc non fuisse declarandum per actum jurisdictionis, quia definitiones debent esse communes omnium conceptiones, et ideo dari non debent per ea, quae in controversia versantur, quale est, an indulgentia sit jurisdictionis actus. Verumtamen non censeo de unius vel alterius dicto curandum, quando caeterorum omnium est concors sententia, atque ita fundata, ut singulare dictum unius non probabile habeat fundamentum. Hujusmodi autem esse existimo sententiam hanc, quod indulgentia sit actus jurisdictionis; et ideo merito ac securissime potuit loco generis constitui. Quod si quis velit amplius ab opinionibus abstinere, dicat, indulgentiam esse concessionem virtute clavium factam, qua mediante liberatur peccator ex opere operato, seu ad modum ejus, a reatu poenae temporalis extra sacramentum.¹²⁹

Major pars recentiorum theologorum hanc Suarezii doctrinam secuti sunt, eam ulterius determinando, addendo nempe quod indulgentia pro vivis est vera sententia *judicialis*, quamvis exercita non per formam iudicii, et quod in ea intervenit *duplex actus jurisdictionis*, alter abso-

¹²⁹ De Poenitentia, disp. 49, sect. 4, n. 9–11, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 998–1000.

lutionis immediate in ipsum hominem, alter solutionis, factae Deo.

Unde horum doctrina ad haec capita reduci potest: 1. Indulgentia pro vivis est vera et proprie dicta absolutio; 2. Est vera sententia judicialis, non tamen exercita per formam iudicii, i.e. ut conclusio particularis causae examinatae ac discussae, sed ut quaedam sententia interlocutoria, generalis et conditionata, quam iudex veluti in antecessum profert in omnes qui certas condiciones adimpleverint; 3. Refertur immediate ad ipsam poenam quae solvitur (i.e. est directa absolutio et remissio poenae) et ad ipsum hominem qui ab ea solvitur (i.e. homo directe a poena absolvitur); 4. Supponit tamen concomitantem solutionem pretii seu dispensationem thesauri factam per actum jurisdictionis; 5. Unde coalescit ex duplici actu jurisdictionis, i.e. ex sententia absolutiva in ipsum hominem prolata et ex auctoritativa thesauri solutione Deo oblata; 6. Indulgentia vero pro defunctis constat tantum secundo hoc actu jurisdictionis, i.e. non absolute defuncti sed solutione thesauri.

Ita inter alios modernos³⁰ docent (etsi non omnes eadem claritate, distinctione aut asseverantia loquantur), *Palmieri*, *Pesch*, *Hurter*, *Lépiciér*, *Hugon* (minus clare), *Diekamp* (minus clare), *Van Noort-Verhaar*, *Lercher*, *Mac Guinness*, *Bellacasa*, *Boyer*, *Polanti*, *Beringer*, *Noldin*, *Prümmer*, *Vermeersch*, *Cappello*, *Heylen*, *M. Conte a Coronata*. Quorum argumenta apte compendiatur Boyer, mox citandus.

Ad rem *PALMIERI*: "Remissionem . . . poenae potest extra Sacramentum alteri obtinere duplici modo. Primo quidem quatenus iustus satisfactiones suas pro altero offerat Deo, vel Deum precibus flectat ut huic poena temporalis vel pars eius condonetur a Deo. . . Alter est . . . modus, quatenus scilicet actu quodam potestatis quis alterum liberet ab obligatione poenae, quemadmodum e.g. iudex auctoritative potest condonare poenam reo. Iam vero hic est modus, quo in Ecclesia fidelibus indulgentia conceditur: absolvit scilicet Ecclesia fideles ab obligatione poenae, certis positis conditionibus, potestate, quam credit sibi divinitus competere. . . Haec quidem absolutio non datur per modum particularis sententiae, quae cognitionem causae requirit, sed *per modum sententiae generalis*, ut valeat in iis omnibus, in quibus debita conditiones reperiuntur. Et sane cognitio causae nec requiritur pro impositione poenae per sententiam generalem, ut liquet in censuris latae sententiae; multo ergo minus requiritur pro concedendo favore. Sed satis est quod *hypothetice feratur sententia*, valitura actu, si debitae adsint condiciones: Deus autem, qui ratam tandem habere debet eam remissionem, novit an exstet necne conditio."³¹

PESCH: "Recte . . . dicitur indulgentia vivis concedi per actum iudicialis potestatis (licet non per formam iudicii). Iudicis enim est auctoritative aliquem ligare aut solvere. Sicut igitur per supremam suam potestatem iudicalem statuere potest excommunicationem ipso facto incurrendam, ita summus pontifex concedit indulgentiam certis positis conditionibus lucrandam. Ergo *non per modum particu-*

³⁰ *Lugo*, *Wirceburgenses*, *Billuart* aliique post Suarez sed minus recentes, qui eandem sententiam tenent, non tam determinate loquuntur.

³¹ De Poenitentia, Appendix de indulgentiis, § 1, n. 6 sq., Romae, 1879, p. 447.

laris sententiae et absolute, sed per modum universalis legis et conditionate haec absolutio fit, et 'talis concessio potest dici quaedam sententia interlocutoria et absolutoria, quam iudex profert sine strepitu iudicii contentiosi aut vindicativi, utendo benigna condonatione propter iustas causas' (*Suarez* disp. 49, sect. 4, n. 10. Cf. *Bellarminus*, De indulg. l. 1, c. 6, obi. 4). Ex altera autem parte indulgentia non est mera absolutio, sed adiunctam habet solutionem. In hoc enim ordine salutis Deus nullum reatum sive culpa sive poenae remittit sine satisfactione. Ita ipsa etiam sacramentalis absolutio fit per applicationem satisfactionum Christi. Simili modo indulgentia conceditur ita, ut Deo offerantur satisfactiones Christi et sanctorum, quas satisfactiones summus pontifex nomine Dei applicat et fideles a reatu poenae temporalis absolvit. . .

"*Pro defunctis autem in purgatorio existentibus indulgentiae non valent nisi per modum solutionis*; nam iurisdictionem in illos ecclesia non iam habet, neque umquam aliter ecclesia dat indulgentiam defunctis nisi mediantibus vivis, ita ut concessio indulgentiae in favorem defunctorum pro termino directo non habeat defunctos, sicut absolutio habet vivos, sed potius ipsum vivum, qui proxime acquirit ius et facultatem Deo nomine ecclesiae offerendi satisfactionem ex thesauro ecclesiae, et dein reapse hanc satisfactionem Deo pro defunctis suppliciter offert (cf. *Suarez* disp. 53, sect. 3, n. 15)".³²

VAN NOORT-VERHAAR: "*Indulgentia pro vivis* conceditur per modum absolutionis. — Indulgentia est actus iurisdictionis (*et quidem judicialis*), quo Pontifex vi clavium absolvit hominem a poena temporali, et simul (iterum vi clavium) ex thesauro ecclesiae Deo tantum solvit pro hoc homine, quantum illi dimisit. Indulgentia igitur, vivis applicata, *duplici constat actu iurisdictionis*: absolutione in hominem, et solutione in Deum. Ita communior explicatio.

"*Indulgentia pro defunctis* conceditur per modum suffragii. — Quum defuncti non amplius sint de foro ecclesiae (dixit enim Christus: 'quodcumque solveris super terram'), S. Pontifex non potest actum iurisdictionis in defunctum exercere: non potest ergo defunctum absolvere a poena temporali. Nihilominus potest S. Pontifex, posita iusta causa, aliquid haurire ex thesauro ecclesiae et Deum orare, ut hanc solutionem pro tali defuncto acceptare velit. In applicatione igitur in defunctum, *unus tantum habetur actus iurisdictionis*, scil. impensio thesauri ecclesiae. Ulterius vivus, qui iustam causam hujus impensionis posuit, Deum etiam nomine ecclesiae rogat, ut solutionem illam pro defuncto acceptare velit. Et ita intelligitur, quo sensu ipsa ecclesia dicat defunctis applicari indulgentias per modum suffragii, non ita scil. ac si esset suffragium nudum, sed tale suffragium quod fit offerendo solutionem ex thesauro ecclesiae, ideoque non est idem ac simplex oratio. qua fideles Deum orant ut defunctis satisfactiones Christi ad eorum liberationem applicare velit, nam in indulgentia offertur solutio, et quidem ab ecclesia."³³

PIOLANTI: "*Indulgentia pro vivis* conceditur per modum absolutionis. Ecclesia potestate clavium *immediate attingit reatum poenae temporalis* et ab eo absolvit fidelem simulque hauriens ex communi aerario tantum Deo solvit, quantum paenitenti dimisit. Indulgentia igitur vivis concessa implicat *duplicem iurisdictionis actum*, absolutionis in hominem, solutionis in Deum. . .

"*Indulgentia pro defunctis* conceditur per modum suffragii. Cum Ecclesia nullum exercere possit iurisdictionis actum in defunctum, utpote qui extra forum suum constitutus, nequit illum absolvere a poena temporali, attamen potest aliquid haurire e communi aerario, quo vi communionis Sanctorum etiam defuncti fruuntur, et Deum suppliciter orare ut hanc solutionem pro tali defuncto acceptam habeat. In applicanda igitur indulgentia pro defunctis *unus tantum deprehenditur actus iurisdic-*

³² Prael. Dogm., t. 7, n. 475-477, Friburgi Br., 1920, p. 232 sq.

³³ De sacramentis, II, n. 151 sq., Hilversum in Hollandia, 1940, p. 102 sq.

tionis, impensio nimirum thesauri Ecclesiae. Vivus autem indulgentiam pro defunctis lucrans ulterius Deum rogat ut thesauri Ecclesiae dilargitionem quasi paenae purgatoriae illius defuncti commutationem benigne accipiat. Hoc profecto est suffragium per antonomasiam, quippe quod non mera fidelium oratio, sed prex quae innititur condigna solutione pretii ex thesauro Ecclesiae.¹³⁴

CAPPELLO: "Certum est indulgentiam vivis concessam esse *veram absolutionem*, factam, potestate iurisdictionis, non autem merum et simplex suffragium, quod Ecclesia suppliciter Deo offert, ut Deus respectu meritorum Christi benigne remittere velit poenas temporales. Igitur indulgentias concedere est satisfactiones Christi alicui auctoritative applicare . . . [Praeterea] indulgentia recte dicitur vivis concedi *per actum potestatis iudicialis, quamvis non per formam iudicii*. Indulgentia ita concessa *non est mera absolutio, sed adiunctam habet solutionem*. Nam in praesenti ordine salutis Deus nullum reatum sive culpae sive poenae remittit sine satisfactione. Sic ipsa etiam sacramentalis absolutio fit per applicationem satisfactionum Christi. Simili modo indulgentia ita conceditur, ut Deo offerantur satisfactiones Christi et Sanctorum, quas R. Pontifex applicat ex thesauro Ecclesiae et fideles a reatu poenae temporalis absolvit. . .

"Pro *animabus in purgatorio* existentibus indulgentiae non valent *nisi per modum suffragii sive solutionis*. Nam iurisdictionem in illos Ecclesia non habet, nec unquam aliter ipsa indulgentiam pro defunctis concedit nisi mediantibus vivis, ita ut eiusmodi concessio pro termino directo non habeat defunctos, *sicut absolutio habet vivos*, sed potius ipsum vivum, qui proxime acquirit ius et facultatem Deo nomine Ecclesiae offerendi satisfactionem ex thesauro Ecclesiae, et dein reapse hanc satisfactionem Deo pro defunctis suppliciter offert. Hinc rectissime dicitur indulgentia pro defunctis concedi per modum suffragii, seu per modum alicuius auxilii satisfactorii; nam suffragium idem est ac auxilium, quo fideles animabus purgatorii subveniunt, sive per meritum bonorum operum sive per impetrationem sive per satisfactionem."¹³⁵

BOYER aliorum etiam argumenta sic apte compendiat: "Indulgentia pro vivis conceditur per modum absolutionis. Modus enim absolutionis in eo est quod, positis ponendis, *actio Ecclesiae directe et immediate attingit reatum poenae* eumque tollit secundum extensionem indulgentiae, sicut quando iudex poenam totam vel partem poenae condonat. Atqui hic est modus indulgentiae pro vivis; quod constat: 1° ex documentis. Codex enim Iuris hoc explicitè determinat; Alexander III cum declararet indulgentiam non nisi pro subiectis valere, rationem dat: 'cum a non suo iudice nullus ligari valeat vel absolvi'; plures indulgentiae formula quadam absolutionis conceduntur: 2° ex natura rei. Ut modo enim ostendimus, potestas a Christo Ecclesiae concessa extenditur ad ipsam remissionem poenae. Proinde, ubi habeatur subiectum Ecclesiae, quod requisitas condiciones adimpleverit, exercitium potestatis immediate et ex opere operato, quamquam extra sacramentaliter, effectum suum obtinet. Nec tamen concessio indulgentiae cognitionem causae in particulari supponit, sed *quemadmodum amnistiae generales aliquando ab auctoritate civili promittuntur*, ita indulgentia pro debitoribus poenae temporalis generatim dari potest.

"Neque obstat quod *cum absolutione coniungatur solutio* ex thesauro Ecclesiae desumpta, *sicut ad veram absolutionem* sacramentalem non obstat quod praesupponantur merita Christi, ex quibus potestas sacerdotum virtutem accipit. Auctoritas non existeret concedendi indulgentias si thesaurus satisfactionum non praesto esset, quia, in ordine iustitiae et misericordiae in quo sumus, remissio ulla non fit sine sufficienti satisfactione sive ipsius peccatoris sive alius pro ipso."¹³⁶

¹³⁴ De Sacramentis, v. 1, Romae-Taurini, 1945, p. 319 sq.

¹³⁵ De Sacramentis, v. 2, n. 647 sq., Taurini-Romae, 1944, p. 671-673.

¹³⁶ De Paenitentia, thes. 33, Romae, 1942, p. 387 sq.

NOSTRO AUTEM AEVO facta est a quibusdam doctoribus explicita reactio contra hanc indulgentiae conceptionem, a Suaresio praecipue post Cajetanum et Bellarminum inductam, necnon decisis reductis ad conceptum antiquorum, nominatim S. Thomae. Hanc reactionem primus, ut videtur, Billot explicite incoepit, ac decise prosecutus est Galtier, faventibus quibusdam aliis, ut Merkelbach, Daffara, et Fanfani (minus clare).

Haec sententia, quam et nos defendemus in Concl. 9, docet indulgentiam pro vivis secundum suam essentiam *non esse proprie dictam absolutionem*, seu judicialem sententiam directe ac immediate respicientem poenam quae solvitur vel personam quae a poena solvitur (etsi talis etiam esset indulgentia quae concedebatur in medio aevo, cum et quatenus simul cum poena divina auferebat poenam canonicam), sed esse *directe et immediate auctoritativam solutionem ex thesauro Ecclesiae*, seu actum jurisdictionis (non actum proprie judicialem) quo Ecclesia dispensat satisfactionem thesauri pro poena debita ei cui indulgentia conceditur, ac ita *indirecte ac mediate* (seu mediante hac dispensatione) solvit, vel si placet absolvit, fidelem a sua poena.

De indole vero indulgentiae *pro defunctis*, ejusque distinctione ab indulgentiis pro vivis, hi doctores non tam clare ac perspicue loquuntur imo non apparet an revera admittant eam esse proprie dictum actum jurisdictionis, etsi detur ad modum suffragii.

Billot, quem sequitur et explicat *Galtier*, docet indulgentiam, si attendatur tum vis vocis (indulgeo = remitto, relaxo) tum modus quo antiquitus concedebatur, est quidem vera absolutio sed ita refertur tantum ad poenas canonicas, vel satisfactionem sacramentaliter impositam, quae per talem absolutionem antiquitus remittebatur. Si vero attendatur ipsa essentia indulgentiae, prout est remotio ipsius poenae divinae ex thesauro Ecclesiae, quae sola nunc fit cum non amplius per indulgentias remittatur simul poenitentia sacramentaliter imposita, indulgentia non est proprie absolutio sed mera auctoritativa solutio seu dispensatio thesauri Ecclesiae.

Ad rem ipse *BILLOT*: "Si essentialem rationem indulgentiae consideres, nihil aliud erit quam solutio ex publico aerario pro debitis privatorum, et hoc modo definiti potest: *Largitio a praelato de communi Ecclesiae thesauro facta, ad extinctionem reatus poenae temporalis quae post remissum quoad culpam peccatum adhuc est residua.*"³¹

Cui concinit *GALTIER*: "Multi, attento formulae ["Per modum absolutionis"] sensu tantum logico et formali, eam ita intelligunt ut per indulgentiam fidelis directe absolvatur a suo reatu poenae. . . Attamen haec opinio parum placet . . . quia est *contra primitivam notionem indulgentiarum, qualis invenitur apud scholasticos*

³¹ De Ecclesiae sacramentis, tomus posterior, Romae, 1930, p. 241.

omnes, in specie apud S. Thomam. . . Alia proinde opinio magis placet, quae, formulam 'per modum absolutionis' intelligens sensu suo historico, dicit absolutionem non esse proprie nisi a poena ecclesiastica injuncta vel injungenda. Ratio est quia olim, ubi hujusmodi formula coepit esse in usu, indulgentia, etsi . . . censebatur valere etiam apud Deum, tamen dicebatur esse proprie relaxatio a poenitentis injunctis. . .

"Nunc autem utrum absolutio . . . sit de essentia indulgentiae consideratae non jam secundum suam primitivam rationem sed secundum notionem suam praecisam et praxim actualem, potius etiam cum cl. Billot respondendum videtur negative. Placet proinde omnino definitio ab eodem prolata: 'Largitio a praelato de communi Ecclesiae aulario in ordine ad extinctionem poenae temporalis'. . . Ubi vides admitti indulgentiam pro vivis jam *non esse per modum absolutionis* [intellige = proprie dictam absolutionem] *sed tantum per modum solutionis*. Quod fieri posse jam ultro concedebat Bellarminus. . . Ut concludamus: modus agendi indulgentiarum, quem Bellarminus admittebat possibilem, videtur manere solus realis inde a tempore quo concedens indulgentiam nullam rationem habet poenarum injunctarum a quibus olim dicebatur esse absolutio. Manet proinde remissionem reatus poenae Deo debitae produci *per potestatem clavium, quatenus per eam largitio fit ex thesauro Ecclesiae quantum satis est ad ejus extinctionem.*"³⁸

MERKELBACH (n. 671): "Concessio fit ex thesauro Ecclesiae, i. e. ex satisfactionibus superabundantibus Christi et Sanctorum, quas Ecclesia dispensare potest fidelibus ob communionem Sanctorum. . . Unde indulgentia est nisi *indirecta absolutio poenarum; directe et formaliter est concessio ex aulario Ecclesiae, ex qua sequitur remissio poenae: pro vivis fit per modum solutionis auctoritative factae et ipsis applicatae, quatenus Ecclesia ex thesauro suo solvit loco suorum fidelium satisfactiones ab ipsis praestandas* (q. 25, a. 1 et ad 2 et 3); pro defunctis in quos auctoritatem iurisdictionis non habet, per modum suffragii tantum, quatenus solutionem offert Deo, simul deprecando ut eam defunctis applicare dignetur."

DAFFARA: "Indulgentia est actus auctoritatis ecclesiasticae. . . Est tamen actus iurisdictionis, non ordinis. . . Remissiones istae indulgentiarum fiunt 'pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii'. Sed indulgentia non est simplex absolutio, neque simplex suffragium. Nam ille qui indulgentias suscipit *non absolvitur, simpliciter loquendo, a debito poenae, sed datur ei unde debitum solvat*. Revera solvit, id est offert condignas satisfactiones Deo pro poenis temporalibus, quae supersunt, quamvis non de suo, sed de bonis Ecclesiae communibus (Suppl., q. 25, a. 1 ad 2 et 3). Et quia est *non per modum iudicii*, in quo nullus potest esse reus et iudex, *sed per modum dispensationis* bonorum Ecclesiae. ideo ille qui aliis indulgentias dispensat, sibi ipsi quoque eas applicare potest (Ib. q. 27, a. 4). . .

"Vivis indulgentiae applicantur, ut dictum est, per modum solutionis et absolutionis: solutionis, quatenus ex thesauro Ecclesiae datur unde poenae debitum solvi queat; absolutionis, quatenus Ecclesia, pro potestate qua pollet in fideles sibi subditos, iuridice decernit absolutionem seu relaxationem poenae temporalis *mediante solutione praedicti pretii*. Defunctis vero applicantur per modum solutionis et suffragii: quatenus de communibus Ecclesiae bonis suppliciter Deo offertur pretium, quo solvi potest poenae temporalis debitum. Sed Ecclesia iam non habet in mortuos illam potestatem iurisdictionis, qua potest iudicialiter solvere vivos."³⁹

³⁸ De Paenitentia, thes. 47, n. 596-598, Parisiis, 1931, p. 454-456. Cf. eundem Galtier, in Dict. Apol., art. Indulgences, col. 721 sq.; item, Les indulgences: origine et nature, à propos d'un ouvrage récent, in Gregorianum, v. 31 (1950), p. 258-274, praecipue p. 270 sq.

³⁹ De Sacramentis et novissimis, Appendix de indulgentiis, n. 805 et 810 (Taurini), 1944, p. 532-554. 558.

FANFANI: "Vivis indulgentiae applicantur 'per modum absolutionis' (can. 911), idest per legitimum actum iudicalem, *vi cuius satisfactiones Christi et Sanctorum directe ab Ecclesia ponuntur in substitutionem poenae temporalis peccatis lucrantis indulgentiam debitae*. Defunctis vero indulgentiae nonnisi 'per modum suffragii' applicantur (can. 911), idest satisfactiones Christi et Sanctorum exhibendo Deo tanquam pretium sufficiens pro debito poenae a defunctis adhuc luendae, ipsumque deprecando ut benigne velit eas acceptare in substitutionem talis poenae, atque animabus purgatorii applicare.

"Concessio indulgentiarum est, ex parte Ecclesiae, *actus iurisdictionis* (cfr. n. 5). *quo bona communia, idest satisfactiones Christi et Sanctorum, fidelibus dispensantur ut facilius a poenis temporalibus peccatis debitis liberentur*. Recolatur . . . quod erga fideles viatores, cum subiiciantur immediate iurisdictioni S. Pontificis, S. Pontifex habet plenam potestatem eos ligandi atque solvendi, pro sua prudentia, a quocunque vinculo spirituali. . . Et ideo, etiam quoad indulgentias, fidelibus viatoribus Ecclesia definitively eas applicare potest, idest *per modum verae solutionis seu absolutionis a reatu poenae*, quia ipsi veri sunt subditi; — defunctis autem, quia non amplius sunt subditi, nonnisi per modum oblationis seu suffragii Ecclesia indulgentias applicare potest, deprecando scilicet Deum ut benigne velit acceptare in substitutionem poenae temporalis a defunctis luendae pretium satisfactionum Christi et Sanctorum, quod ipsa offert; nullimode definitively determinando et quasi, ut ita dicam, praecipiendo ut huiusmodi substitutio fiat. — Eo ferme modo quo rex Italiae, habens duos subditos in carceribus detentos quorum unus in proprio dominio sit, alter in Hispania, potest quidem liberare per modum absolutionis reum, qui in carceribus regni detinetur, pronuntians sua suprema auctoritate gratiam super illo; sed reum detentum in Hispania, nonnisi per modum suffragii, intercedendo scilicet pro eo apud Hispaniarum regem ut dignetur ipsum liberare."⁴⁰

CONCLUSIO

Conclusio 1. Indulgentia est actus verae seu auctoritativae potestatis, nec tantum exercitium juris possessionis quo quis elargiatur aliis propria bona.

Probatum ex eo quod indulgentia non sit quaedam translatio priorum bonorum ad alterum, sed elargitio bonorum communium societatis, facta a communitate ad ipsa sua membra; quod fieri nequit nisi per actum rectoris communitatis prout ex una parte habet jus elargiendi bona communia et ex alia parte habet potestatem in ipsa membra communitatis, quibus per exercitium iustitiae distributivae confert communia bona. Ceterum id sequitur ex ipsa ratione potestatis clavium, quae in Indulgentia involvitur, ut mox dicetur.

Conclusio 2. Indulgentia est actus potestatis clavium, etsi secundariae et indirectae.

Probatum ex hoc quod indulgentia removet aliquod impedimentum ingressus in regnum coelorum, seu poenam temporalem, ut explicatum

⁴⁰ De indulgentiis, n. 29, Taurini-Romae, 1926, p. 31 sq.

est in art. 103, agendo generice de potestate clavium. Ut dictum est supra (p. 919), id explicite continetur in ipsis Ecclesiae documentis.

Conclusio 3. Indulgentia non est actus potestatis ordinis, nec etiam importat aut supponit exercitium hujus potestatis, sicut absolutio sacramentalis.

Probat.

Quod indulgentia *non sit actus potestatis ordinis*, constat ex eo quod:

1. Indulgentia ordinatur ad auferendam solam poenam temporalem, non vero, sicut potestas ordinis, ad auferendam culpam, aut poenam aeternam, aut ipsam poenam temporalem prout est objectum ejusdem actus solventis peccatum sub utraque ratione culpae et poenae.

2. Indulgentia non exercetur sacramentaliter, potestas vero ordinis ordinatur ad sacramenta conficienda.

3. Indulgentia conceditur per actum qui etiam post mortem concedentis valere pergit, exercitium vero potestatis ordinis exhauritur in ipsa positione actus.

4. Indulgentia, secus ac potestas ordinis, supponit subditos.

5. Potestas concedendi indulgentias, secus ac potestas ordinis, potest extendi, minui, auferri.

6. Indulgentiae potestas non necessario habetur ab habente ordinem, ut patet de diaconis, presbyteris et ipsis episcopis sive titularibus, sive residentialibus ante captam possessionem; et e contrario non habens ordinem potest habere potestatem concedendi indulgentias, ut patet de S. Pontifice, electo nec adhuc ordinato, et ex concessione hujusmodi potestatis olim facta archidiaconis et cardinalibus diaconis.⁴

Quod indulgentia *non supponat potestatem ordinis*, patet similiter ex eo quod:

1. Potestas ordinis praerequiritur tantum ad confectionem sacramentorum, et consequenter ordinatur tantum ad proprium effectum sacramentorum qui est conferre gratiam, auferre culpam, poenam aeternam et ipsam poenam temporalem ad modum unius cum ipsa ablatione culpae.

2. Indulgentiae possunt concedi a non habente potestatem ordinis, ut dictum est.

Ad rem S. Thomas, *Suppl.*, q. 25, a. 2, ad 1: "Clavis . . . est duplex, scilicet ordinis et jurisdictionis. Clavis ordinis sacramentale quoddam est . . . clavis [vero] jurisdictionis non est quid sacramentale . . .

⁴Ex novo Codice, can. 232, omnes Cardinales, etiam qui dicuntur diaconi, non eliguntur nisi "ex viris saltem in ordine presbyteratus constitutis".

et hujusmodi clavis effectus est remissio quae est per indulgentias, cum non pertineat ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae. Et ideo etiam legati non sacerdotes indulgentias facere possunt." *Ibid.*, q. 26, a. 2: "Potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem, ut supra dictum est. Et quia diaconi, et alii non sacerdotes possunt habere jurisdictionem vel commissam, sicut legati, vel ordinariam, sicut electi; ideo possunt indulgentias facere etiam non sacerdotes, quamvis non possint absolvere in poenitentiali foro; quod est ordinis."

Ex quibus patet solutio duarum rationum supra adductarum pro *contraria sententia Durandi* (cf. in p. 920 sq.). Nam solis quidem sacerdotibus competit potestas simpliciter ac proprie remittendi peccatum, quod fit sacramentaliter sive quoad culpam sive quoad poenam, sed etiam aliis potest competere potestas remittendi poenam relictam post peccatum simpliciter remissum, eo vel magis quod, ut dictum est in art. 53 (tom. 3, p. 205 sq.), haec poena post peccati remissionem non habet amplius rationem reatus poenae simpliciter dictae. Quod autem obicitur solum sacerdotem posse relaxare poenitentiam sacramentaliter impositam, non officit concessioni indulgentiae per non sacerdotes, nam in antiqua praxi concedendi indulgentias cum relaxatione sacramentalis poenitentiae, haec non directe auferebatur, quasi rescindendo iudicium sacerdotale, sed tantum indirecte, quatenus per extinctionem poenae coram Deo, auferebatur eo ipso necessitas sacramentalis satisfactionis, annuente ipsa Ecclesia.

Conclusio 4. Indulgentia est verus actus potestatis jurisdictionis, etiam prout conceditur in suffragium defunctorum.

Probat.

INDULGENTIAM PRO VIVIS esse verum actum jurisdictionis, sequitur ex eo quod indulgentia:

1. Est vera potestas, ut dictum est in Concl. 1; atqui non ordinis; ergo jurisdictionis.
2. Est potestas clavium, ut dictum est in Concl. 2; atqui non est clavis ordinis; ergo est clavis jurisdictionis.
3. Est potestas supponens subditos, seu relata ad subditos; ergo est potestas jurisdictionis.
4. Est quaedam concessio privilegii, seu dispensationis a lege expandae poenae; ergo est iudicatio.
5. De iure ordinario nequit a concedente fieri nisi in locis propriae jurisdictionis (cf. Codicem J. C., can. 239, § 1, n. 24; 274, n. 2; 349,

§ 2, n. 2; 914; 915), cujus rei non alia conveniens ratio cogitari potest quam quia est actus jurisdictionis.

6. Documenta Ecclesiae manifeste non aliam potestatem quam jurisdictionis supponunt cum loquuntur de potestate ligandi atque solvendi, exercita per indulgentias. Praeterea magis directe id proponitur tum ab *Alexandro III* († 1181) scribente: "Cum a non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi, remissiones praedictas [i.e. indulgentias] prodesse arbitramur, quibus ut prosint *proprii iudices* specialiter indulserunt" (Decret. Greg., l. 5, t. 38, c. 4), tum a *Leone X* et *Codice J. C.* dicentibus indulgentiam pro vivis concedi "per modum absolutionis", qui certe saltem jurisdictionem sonat (imo quibusdam videtur sonare etiam proprie dictam iudiciariam potestatem), tum a *Codice J. C.* concedente cardinalibus et episcopis potestatem faciendi indulgentias in locis et quoad personas "suae jurisdictionis" (can. 239, § 1, n. 24; can. 349, § 2, n. 2). Concordant etiam theologi omnes (si excipiatur Durandus), quorum quidam, ut *Suarez* (cit. in p. 932), indulgentiam definiunt in recto per ipsum actum jurisdictionis; *S. Thomas*, Suppl., q. 25, a. 2, ad 1 (supra cit., p. 940), indulgentiam vocat "clavem jurisdictionis"; *ibid.*, q. 26, a. 2, ait: "Potestas faciendi indulgentiam sequitur jurisdictionem", et a. 4: "Facere indulgentias pertinet ad jurisdictionem".

Ad supradictas (p. 921) rationes Durandi respondetur:

1. Ex hoc quod indulgentia non sit lex quaedam obligativa, sed dispensatio beneficii seu elargitio thesauri Ecclesiae, non sequitur eam non esse actum jurisdictionis; nam iurisdictio dupliciter a principe exerceri potest, cogendo vel benefaciendo, ligando vel solvendo, ut patet in legibus de privilegiis et dispensationibus. Est igitur indulgentia exercitium quoddam jurisdictionis seu potestatis solvendi, quemadmodum et ipsa sacramentalis absolutio a culpa, cui tamen aliunde correspondet etiam actus jurisdictionis obligativae per negationem absolutionis et per impositionem poenitentiae sacramentalis.

2. Ex hoc quod *praelatus possit et ipse frui indulgentia*, quam subditis concedit, non sequitur indulgentiam non esse actum jurisdictionis; nam praelatus fruitur indulgentia non tanquam subiectum cui conceditur (secus exerceret jurisdictionem in seipsum, quod repugnat), sed tanquam utens bono aliquo a semetipso generaliter concesso membris societatis, de cuius numero et ipse est. Idque fortiori ratione intelligitur tum ex eo quod, ut dicitur in Concl. 6, concessio indulgentiae est iurisdictio in foro interno quod Papa regulat mere ut minister Christi, ita ut ipse possit ut praelatus concedere et ut peccator suscipere (cf. dicta in art. 99, p. 751 sq., in

simili quaestione quo sensu Papa possit absolvi a sacerdote cui ipse jurisdictionem concedit); tum ex eo quod, ut dicitur contra plures theologos in Concl. 9, indulgentia non est proprie absolutio respiciens immediate ipsum subjectum a poena solvendum, sed jurisdictionalis dispensatio thesauri qua mediante subjectum a poena liberatur, ita ut haec liberatio sit immediatus effectus non jurisdictionis sed dispensationis per jurisdictionem obtentam, unde ipse Papa potest immediatum effectum hujus dispensationis in se suscipere, non ut est jurisdictionalis sed praecisive ut est dispensatio seu elargitio, quemadmodum si Papa abrogaret aliquam legem generalem ad quam et ipse de facto tenetur (directe vel indirecte, juxta varias doctorum sententias relatas in art. 37, tom. 2, p. 501–503), inde et ipse ab ea observanda eximeretur, non ut subditus cui favor concederetur sed mere ut subjectum cui concomitanter favor contingeret, sublato fundamento ratione cujus observationi illius legis tenebatur.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 27, a. 4, ad 1*: “Actum jurisdictionis non potest aliquis in seipsum exercere; sed eis quae auctoritas jurisdictionis dantur aliis, potest etiam praelatus uti tam in temporibus, quam in spiritualibus; sicut etiam sacerdos sibi Eucharistiam accipit, quam aliis dat. Et ita etiam episcopus potest accipere si suffragia Ecclesiae quae aliis dispensat, quorum effectus immediatus est remissio poenae per indulgentias, et non jurisdictionis” (cf. supra, p. 928 sq.).

ETIAM INDULGENTIAM PRO DEFUNCTIS esse proprie dictum actum jurisdictionis sequitur ex eo quod:

1. Documenta Ecclesiae non distinguunt quoad hoc inter indulgentias pro vivis et indulgentias pro defunctis, sed indulgentiam in communi proponunt ut exercitium potestatis clavium (cf. Sixtum IV, Leonem X, Gregorium XVI et Codicem J. C., cit. in art. 107, p. 848 et 853); imo *Leo X* et *Gregorius XVI* concessionem indulgentiae pro defunctis vocant concessionem factam “potestate clavium” et “usum clavium potestatis”.

2. Ut dictum est supra (p. 921 sq.), id explicite vel aequivalenter docent communiter theologii, si pauci excipiantur qui ambigue loquuntur dum explicant formulam “per modum suffragii”.

3. Si indulgentia pro defunctis non esset actus jurisdictionis, essentialiter differret ab indulgentia pro vivis, et ita inepte ab auctoribus comprehenderetur sub eodem nomine et eadem definitione. Patet autem auctores non aequivoce loqui cum loquuntur de indulgentia et eandem rem velle definire cum conantur diversas indulgentiae assignare definitiones (cf. verba *Suaresii*, supra cit. in p. 933).

4. Ratio denegandi hujusmodi indulgentiis proprie dictam indolem jurisdictionalem, esset vel quia Ecclesia non habet jurisdictionem in defunctos vel quia indulgentiae pro defunctis conferuntur "per modum suffragii" ut docent documenta Ecclesiae et omnes theologi. Jamvero neutra ratio obstat. Nam, ut fusius explicabitur in Concl. 8, indulgentiae non conceduntur ipsis defunctis, sed vivis pro defunctis; et similiter conceptus suffragii, seu auxilii satisfactorii vel deprecatorii, non refertur ad ipsum actum concedentis indulgentiam, ac si non esset actus jurisdictionis sed mera deprecatio vel satisfactio directa ad Deum per exhibitionem thesauri Ecclesiae, sed refertur potius ad ipsum objectum, jurisdictionaliter vivis concessum, seu ad elargitas satisfactiones quas subinde ad modum suffragii, ex ipsa ordinatione et facultate Ecclesiae, vivi transferunt ad defunctos.

Conclusio 5. Indulgentia est actus jurisdictionis non sacramentalis, seu pertinet ad forum extrasacramentale.

Probat.

1. Omnis potestas sacramentalis ordinatur ad collationem gratiae, et hac mediante ad remissionem culpaе, et consequenter ad remissionem poenae aeternae et partis saltem poenae temporalis, ad modum unius ac dependenter a remissione culpaе. Indulgentia vero ordinatur ad solam remissionem poenae temporalis, relictæ post simpliciter remissum peccatum quoad omnem stricte dictum reatum, ut dictum est in Concl. 3.

2. Jurisdictio sacramentalis supponit potestatem ordinis, tum quia generaliter omne sacramentum (excepto, ob peculiarem rationem necessitatis, Baptismo, et, ob peculiarem indolem, Matrimonio) requirit potestatem ordinis, tum quia peculiariter ipsa jurisdictio sacramentalis non ad aliud exigitur quam ad reddendum expeditum ipsum exercitium potestatis ordinis, ut dictum est in art. 99 (p. 740 sq. 747) quoad absolutionem sacramentalem. Indulgentia vero non supponit potestatem ordinis, ut dictum est in Concl. 3.

3. In exercitio indulgentiae deest materia et determinata forma, ex quo duplici elemento omne sacramentum componitur.

4. Si indulgentia esset actus jurisdictionis sacramentalis, *vel pertineret* ad speciale aliquod sacramentum, distinctum a septem definitis ab Ecclesia, et tunc haberentur octo sacramenta; *vel pertineret* ad sacramentum Poenitentiae, cum quo affinitatem habet, et quidem: *aut esset* omnino idem cum eo, quod falsum est cum differat tum

essentia tum effectu; *aut esset* sacramentum specificè distinctum sed conveniens cum eo in generica ratione sacramenti remissivi, et hoc etiam est impossibile, tum quia iterum darentur octo sacramenta in Ecclesia, tum quia remissio quae fit per Poenitentiam et remissio quae fit per indulgentiam non conveniunt in unam rationem univocam, cum prima sit simpliciter remissio peccati secundum omnem reatus rationem, altera vero sit remissio solius poenae relictæ nec amplius habentis propriam rationem reatus; *aut esset* tantum aliquod complementum Poenitentiae, eo modo quo satisfactio sacramentalis est pars complens et integrans, et ita non potest esse tum quia hoc sacramentum jam integratur ab hac satisfactione in eadem linea remissionis poenae, tum quia sic indulgentia non esset amplius actus jurisdictionis distinctus ab absoluteione sacramentali quae est unica forma totius iudicii sacramentalis, etiam prout se extendit ad complementum satisfactionis sacramentalis.

Unde indulgentia dici potest tantummodo quaedam extrinseca appendix et extrasacramentale complementum Poenitentiae, quatenus, ut secundarium exercitium potestatis clavium, solvit hominem a materiali ligamine poenae, relictæ post ipsam completam solutionem peccati secundum utrumque reatum tam culpæ quam poenae. Propterea antiquitus indulgentia solebat adjungi administrationi Poenitentiae, imo per longum tempus assumpsit etiam formam remissionis satisfactionis sacramentalis, ut infra explicabitur (art. 110, p. 977 sq. 985-988).

Conclusio 6. Indulgentia dicenda est actus jurisdictionis in foro interno, nec tantum improprie et secundum quid, sed proprie et simpliciter, saltem accipiendo forum internum in sensu theologico et abstrahendo ab actuali sensu canonico.

Probatur.

Interna vel externa indoles alicujus fori dimetienda est ex indole ipsius objecti, seu causae quae in eo agitur, nam ex objecto specificatur actus, ita ut illud dicendum sit forum internum in quo, ut ait S. Thomas, "causa agitur inter hominem et Deum", seu cujus objectum est reatus vel obligatio quam homo incurrit in conscientia relate ad Deum, et illud sit forum externum in quo "causa agitur hominis ad hominem" (Suppl., q. 22, a. 1, cit. in p. 923 sq.), seu cujus objectum sit reatus vel obligatio quam homo incurrit in suis externis relationibus ad homines et humanam societatem. Atqui indulgentia, cum sit potestativa remissio ipsius poenae debitæ ratione peccati, ut probabitur art. 110, habet pro objecto causam quae agitur inter hominem et

Deum, seu obligationem quam homo incurrit in conscientia relate ad Deum. Ergo indulgentia pertinet ad forum internum, seu est actus jurisdictionis in foro interno.

Confirmatur, tum ex eo quod indulgentia complet effectum sacramenti Poenitentiae, quasi quaedam appendix vel extensio interni fori sacramentalis, unde antiquitus huic foro intime jungi solebat, ut nuper dictum est; tum ex paritate cum dispensatione super votis et impedimentis matrimonialibus occultis, quae juxta omnes pertinet ad forum internum; tum ex eo quod in indulgentiis Ecclesia agit non potestate propria sed vicaria, quae respicit forum internum; tum ex auctoritate insigniorum theologorum, uti S. Thomae, Cajetani et Suaresii, indulgentiam ad forum internum revocantium (cf. supra p. 923 sq.); tum ex vulgata expressione omnium doctorum de indulgentia remittente “in foro Dei” vel “coram Deo”.

SI AUTEM DE FORO INTERNO LOQUAMUR IN HODIERNO SENSU CANONICO, seu juxta actuale *Codicem* (in quo fit distinctio inter forum externum, forum internum extrasacramentale et forum internum sacramentale; cf. can. 196 et 258, § 1), quaestio est mere juridica, cum Codex possit vocem “forum internum extrasacramentale” accipere in strictiori sensu, quo concessio indulgentiae non comprehendatur. Unde res unice dimetienda est ex ipso Codice aut ex interpretatione canonistarum, qui tamen in hac re nihil explicitè dicunt.

Ad ipsum *Codicem* quod attinet, ipse favet interpretationi juxta quam sensus theologicus “fori interni extrasacramentalis” quadret cum sensu canonico, ita ut indulgentia pertineat ad hoc forum in sensu etiam canonico. Nam in can. 196 forum internum vocatur simpliciter forum conscientiae, ad quod pertinet remissio poenae. In can. 258, § 1, pro objecto fori interni assignantur “*gratiarum largitiones, absolutiones, dispensationes, commutationes*, sanationes, condonationes”; jamvero juxta can. 911 indulgentia est quaedam largitio seu “ex thesauro Ecclesiae concessio”, quae imo datur pro vivis “per modum absolutionis”, juxta can. 912 est quaedam “Ecclesiae thesauri dispensatio”, juxta can. 935 “pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, confessarii possunt in alia commutare” adeoque, si talis commutatio pertinet ad forum internum, ipsa etiam indulgentia videtur haberi ut objectum fori interni. Praeterea, in eodem canone 258, § 2, eidem S. Poenitentariae, cui juxta § 1 competunt praedictae attributiones fori interni, reservatur etiam causa indulgentiarum (“Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare quae spectant ad

usum et concessionem indulgentiarum”), nec praeposita vox “Insuper” necessario indicat indulgentias per se pertinere ad aliud forum, imo haec interpretatio excluditur ex explicato tenore § 1.

Variae etiam fori interni definitiones seu descriptiones, quas tradunt theologi practici, favent nostrae assertioni.

Cappello scribit: “In Ecclesia, *attento fine*, duplex est potestas: fori externi et fori interni (cf. can. 196). Potestas fori externi ea dicitur, quae primario, et directe respicit bonum publicum Ecclesiae; potestas fori interni refertur primario et directe ad bonum privatum fidelium.”¹² Jamvero potestas concedendi indulgentias refertur primario et directe ad bonum privatum fidelium. Cum tamen agit de indulgentiis (De Poenitentia, n. 638), *Cappello* nihil explicitè dicit de foro interno, sed tantum ait indulgentiam esse “remissionem poenae temporalis in foro Dei”.

Merkelbach (n. 569), praeter hanc distinctionem ex parte finis, inducit distinctionem ex parte modi quo potestas exercetur, ita quod potestas fori externi concedatur a Papa ut a causa principali et propria auctoritate, potestas vero fori interni concedatur a Papa ut a ministro Dei, exercenda ex auctoritate ipsius Dei. Quod iterum quadrat cum potestate concedendi indulgentias. Cum agit de indulgentiis idem auctor ait: “Valent autem indulgentiae non solum in foro externo coram Ecclesiae, ut olim quidam erronee dixerunt, sed etiam *in foro interno* et coram Deo” (n. 671), non tamen explicitè dicit ipsum actum concedendi indulgentiam esse exercitium fori interni.

Vermeersch scribit: “Praeter forum externum, habet Ecclesia etiam forum internum, in quo potestate vicaria Dei, dispensat et absolvit sive sine onere sive cum onere. . . In bonum singulorum Ecclesia donata est iudiciali et dispensativa quadam potestate fori interni, nomine Dei exercenda. Dum ea potestate utitur, absolutione, dispensatione, absolvit vel remittit *etiam interna peccata, et interna vota*. Atque in eodem foro, ubi causa inter Deum et hominem agitur, actus quoque interni praecipui possunt” (t. 1, n. 181). Haec etiam quadrant cum potestate concedendi indulgentias, etsi objectum fori interni quod explicitè invocatur (“*Etiam interna peccata et interna vota*”) sit nimis restrictum.

Aertnys-Damen ait: “Praeter potestatem legislativam et fori externi, accepit Ecclesia a Christo potestatem fori interni, quae ad jurisdictionem voluntariam pertinet, et qua *hominis causa privata ad*

¹² Summa juris publici ecclesiastici, n. 142, Romae, 1943, p. 137.

Deum agitur; ex hac potestate jurisdictionem in actus internos exercet, et habet proinde potestatem absolvendi a peccatis mere internis, dispensandi in votis mere internis etc.” (t. 1, n. 143).

Prümmer similiter ait: “Forum internum sumitur vel in stricto sensu, quando iurisdictio exercetur in solo sacramento poenitentiae: vocatur tunc forum sacramentale; vel in latiori sensu, quando iurisdictio exercetur etiam extra sacramentum poenitentiae, sed *pro sola conscientia privati hominis*. Vocatur tunc iurisdictio in foro conscientiae seu iurisdictio extrasacramentalis. Haec distinctio attendenda est praecipue in dispensationibus, quae aliquando dari nequeunt nisi in actu sacramentali confessionis; aliquando autem etiam extra sacramentum pro foro conscientiae licite dari possunt” (t. 3, n. 407).

Expressio Aertnys “Hominis causa privata ad Deum agitur” et praecipue expressio *Prümmer* “Pro sola conscientia privati hominis” minus quadrare videtur cum sententia juxta quam concessio indulgentiae est actus fori interni; nam haec concessio non solet respicere solam conscientiam privati hominis sed fit generaliter omnibus qui adimplent statutas condiciones, etsi effectus illius, seu poenae remissio, respiciat solam conscientiam uniuscujusque. Et haec fortasse ratio est quare quidam theologi, ut Van Noort-Verhaar, Lépicier et Heylen supra relati (p. 924 sq.), videantur explicite negare concessionem indulgentiae esse actum jurisdictionis in foro interno.

Conclusio 7. Potestas concedendi indulgentias est potestas vicaria, et hoc sensu ministerialis, non tamen proprie instrumentalis.

Probatum.

Quod ea potestas *sit non propria sed vicaria*, sequitur ex eo quod:

1. Est potestas fori interni seu conscientiae, quod subjacet Deo immediate, ac ideo vocari solet “forum Dei”.

2. Habet pro effectu remissionem poenae temporalis, quae est vinculum spirituale, quod a solo Deo solvi potest.

3. Importat dispensationem spiritualis thesauri satisfactionum Christi et sanctorum, quae ad Deum pertinent, tanquam ipsi Deo a sanctis solutae.

4. Exigit proportionatam causam ad validum suum exercitium, ut dicitur in art. 115, quod dici non posset si ipsa esset potestas propria.

Unde S. Pontifex indulgentias concedit non proprie ut princeps et dominus, sed ut vicarius et administrator; nec praefatus thesaurus aliter dicitur Ecclesiae thesaurus nisi quia est thesaurus ipsi commissus, seu fidelibus nomine Dei ab ipsa distribuendus.

Quod tamen non sit *mera potestas instrumentalis*, sicut absolutio sacramentalis, sequitur ex eo quod:

1. Non est potestas sacramentalis, etsi fori interni; sola enim sacramenta exigunt Deum ut causam principalem, quippe quae sint tum verae causae gratiae, quae sola virtute divina produci potest, tum columnae ac fundamenta Ecclesiae, quae nequit causare semetipsam.

2. Non habet pro effectu remissionem culpaе seu collationem gratiae, sed solam remissionem poenae temporalis, et quidem jam absolutae cum ipso peccato quoad formalem rationem reatus.

3. Importat dispensationem thesauri Ecclesiae, quod vere pertinet ad Ecclesiam veluti bonum proprium, etsi non transmissum sed commissum, seu non jure proprio ac possessionis sed jure vicario et administrationis.

4. Exercetur secundum arbitrium R. Pontificis, quod attinet ad modum, limites et conditiones, salva semper necessitate proportionati motivi; quod quidem excedit rationem causae instrumentalis.

Ceterum nullus theologus videtur huic parti explicite refragari; quod enim quidam dicunt Papam habere hanc potestatem "tanquam ministrum" (Cajetanus), imo "ut instrumentum Christi" (Suarez), intelligi potest in latiori sensu vicarii et administratoris, eo vel magis quod illi theologi id tantum transeunter dicant nec ponant directe quaestionem sub praefata distinctione.

Conclusio 8. Potestas concedendi indulgentias exercetur relate ad defuncto non "per modum absolutionis" sed "per modum suffragii", seu per actum jurisdictionis qui non attingit ipsos defunctos, sed vivos, quibus mediantibus transfertur ad defunctos elargitio thesauri, eo influendi modo quo transferuntur communia suffragia.

Probatur.

Quod haec indulgentia non fiat per modum absolutionis, certum est ex documentis Ecclesiae (cf. in p. 919 sq.) et declaratur ex hoc quod talis modus importat actum jurisdictionis attingentem ipsum subjectum quod dicitur absolvi, ut autem omnes doctores fatentur, concorditer cum verbis evangelicis "Quodcumque solveris super terram . . ." et cum ipsa sociali ac externa indole Ecclesiae, R. Pontifex non habet jurisdictionem in defunctos, quippe qui non sint amplius membra hujus visibilis Ecclesiae. Unde sicut non potest eos absolvere a peccatis aut excommunicare, ita nec eis indulgentias conferre aut quamlibet in eos exercere ligandi atque solvendi potestatem.

Nec valet opponere jurisdictionem voluntariam seu gratiosam (etsi non obligativam et contentiosam) posse a rectore exerceri etiam extra suum territorium; *nam*, etiam tunc nequit exerceri nisi circa subditos, animae vero exeuntium ex hoc saeculo non solum sunt extra territorium Ecclesiae, sed eo ipso amittunt etiam subditi rationem.

Frustra etiam opponeretur absolutio mortuorum in usu inde ab antiquis temporibus; *nam*, haec nihil est nisi mera concessio sepulturae ecclesiasticae et suffragiorum Ecclesiae, ut dictum est in p. 566 et in art. 106, p. 821. Sola ecclesia schismatica videtur attentare collationem cujusdam plenariae indulgentiae pro mortuis ad modum verae absolutionis, ut dictum est in p. 566 et in art. 107, p. 845.

Quod indulgentia "per modum suffragii" consistat in aliqua translatione elargitionis thesauri a vivis in defunctos, sequitur ex eo quod haec indulgentia est actus jurisdictionis nec potest exerceri circa defunctos, unde oportet ut prius exerceatur quodammodo circa vivos et exinde facta thesauri elargitio transferatur ad defunctos, nec aliter quam per modum suffragii seu per viam deprecationis et satisfactionis, cum non sit alia via excogitabilis. Ceterum, idipsum solide firmatur in ipsis documentis Ecclesiae; *nam Sixtus IV* (cit. in p. 849) ait se ex "plenitudine potestatis concessisse indulgentiam [pro defunctis], ita tamen ut fideles ipsi pro eisdem animabus suffragium darent", *Leo X* (cit. in p. 850) ait: "R. Pontificem, Petri clavigerum, pro defunctis apostolica auctoritate indulgentiam concedendo, *per modum suffragii, illam transferre*", *Codex J. C.*, can. 913, n. 2, utitur expressione "Indulgentias concedere, *defunctis applicabiles*" (i.e. Concedere indulgentias vivis quae sint ab ipsis applicabiles seu transferibiles ad defunctos) et in can. 930 statuit: "Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis, indulgentiae omnes a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet applicabiles sunt."

DE MODO AUTEM QUO TALIS TRANSLATIO FIAT QUATUOR AFFERUNTUR EXPLICATIONES:

PRIMA EXPLICATIO.

Quidam doctores, signanter *Billuart, Billot, Galtier* et *Boyer* (supra in p. 921 sq. relati inter probabiles negatores actus jurisdictionis in indulgentia pro defunctis), quibus accensendi videntur *Merkelbach* (cit. in p. 938), *Daffara* (cit. *ibid.*), *Fanfani* (cit. in p. 939), *Piolanti* (cit. in p. 935), *Van Noort-Verhaar* (cit. *ibid.*), *Lépiciér* (ed. 1935, p. 573), *Heylen* (ed. 1948, p. 9) (esti ex his quidam explicite admittant

actum jurisdictionis in indulgentia pro defunctis), talem afferunt exsanguem explicationem ut vix appareat quomodo in ea salvetur verus actus jurisdictionis, vera ipsa translatio elargitionis thesauri, vera distinctio inter publica suffragia Ecclesiae pro defunctis et indulgentias pro defunctis quoad modum efficacitatis, etsi indulgentiae dicantur multo efficaciores quoad effectum. Indulgentias enim illi doctores reducunt ad efficacioram quandam Ecclesiae deprecationem, habita ratione non solum generalis dignitatis Ecclesiae, sed etiam satisfactionum thesauri *quas Ecclesia quodammodo offert cum sua deprecatione*.

Ad rem *BILLUART*: "Distingue triplex suffragium, seu auxilium: unum meritorium, alterum impetratorium, tertium satisfactorium; et hoc ultimum hic intelligitur: unde applicare indulgentias defunctis per modum suffragii, est offerre Deo satisfactiones Christi et sanctorum in solutionem seu compensationem poenarum quas debent pati in purgatorio".⁴³

BILLOT: "Nihil habent defuncti quod amplius indulgeri possit per potestatem ecclesiasticam, quamvis adhuc *de thesauro militantis Ecclesiae possit depromi* quod eorum debitum extinguitur".⁴⁴

GALTIER: "Stat ergo [ex declaratione Sixti IV] indulgentias ab Ecclesia pro defunctis valere plus quam suffragia privata, sed non proficere animabus aliter seu per aliam viam aliove modo ac communia suffragia, scilicet Deum inclinando ut satisfactiones oblatas in compensationem acceptet et reatum poenae illis dimittat. Excessus proinde valoris, qui agnoscitur indulgentiis prae suffragiis privatorum, repetitur totus *ex eo quod oblatio satisfactionum compensatarum fiat ex thesauro Ecclesiae* et ab ea Ecclesia, cujus auctoritatem Deus voluit esse apud se tantam".⁴⁵

BOYER: "Indulgentiae pro defunctis conceduntur per modum suffragii. . . Ratio est quia animae defunctorum, quantumvis ad communionem sanctorum pertineant, non tamen amplius subiiciuntur Ecclesiae, quae proinde illas nec iudicare potest, nec punire, nec a poena directe liberare. Sed Ecclesia pro eis *Deum orare potest, qui dignetur ex thesauro meritorum Christi et sanctorum satisfactiones accipere*, loco poenae ab animabus purgatorii debitae. Cum vera Ecclesia, ut sponsa Christi, a Deo multum diligatur, suffragia sua exaudita certo habet secundum mensuram divini beneficii".⁴⁶

SECUNDA EXPLICATIO.

Suarez, firmiter tenens indulgentiam pro defunctis importare verum exercitium jurisdictionis, meliorem affert explicationem, saltem qua parte conatur salvare hoc jurisdictionis exercitium.

Docet nempe quod, quamvis indulgentia defunctis semper concessa fuerit et concedatur mediantibus vivis, per quandam translationem, seu ratione alicujus operis exequendi ab ipsis vivis, imo de facto aliter fieri non possit moraliter loquendo, tum quia solet imponi opus quod

⁴³ Tractatus de indulgentiis, a. 6, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 525.

⁴⁴ De Ecclesiae sacramentis, tomus posterior, Romae, 1930, p. 241.

⁴⁵ De Paenitentia, n. 599, Parisiis, 1931, p. 457.

⁴⁶ De Paenitentia, thes. 33, Romae, 1942, p. 388.

immediate ab animabus purgatorii exigi non potest, tum quia causa concedendi indulgentiam est aliqua utilitas seu profectus Ecclesiae militantis, tamen *formalis et essentialis ratio quare dicatur haec indulgentia esse "per modum suffragii et non absolutionis"* et *diferat ab indulgentia quae datur vivis "per modum absolutionis"*, non est quia datur praedicto modo mediato seu quia recipitur a subjecto mediante actione et applicatione alterius, ipso subjecto quasi passive tantum fructum recipiente; nam ex una parte non repugnat ut indulgentia concedatur defunctis non mediante opere vivorum sed immediate, eo quod non sit de ratione et necessitate indulgentiae ut exigatur aliquid opus ad eam obtinendam, et ex alia parte si Papa concederet indulgentiam uni viventi mediante alio vivente, haec non fieret per modum suffragii sed per modum absolutionis, eo quod ille cum sit subjectus Papae, consequeretur indulgentiam non ab alio vivente sed ab ipso Papa, mediante opere et applicatione alterius.

Unde *formalis ratio indulgentiae per modum suffragii, ejusque distinctionis ab indulgentia per modum absolutionis, quaerenda est in diverso modo causandi moraliter extinctionem poenae*, vel, si placet, in diverso modo quo Ecclesia solvit ex thesauro pretium pro illa poena. In utroque quidem casu Ecclesia ponit actum jurisdictionis, eo quod praestet pretium thesauri in quem habet potestatem, sed respectu vivorum, quippe qui sunt Ecclesiae subjecti, hic actus assumit rationem verae absolutionis, seu actus judicialis attingentis personam subjectam, ejusque efficacia est efficacia justitiae quasi vindicativae, cujus est punire et absolvere; respectu vero defunctorum, qui non sunt subditi, ille actus assumit tantum rationem pretii aequivalentis, Deo oblatus ut ipse remittat poenam, ejusque efficacia provenit ex quadam justitia per modum aequivalentis commutationis, fundatae in pacto et promissione divina, et exinde indulgentia dicitur esse "*per modum suffragii*"; in quo quidem modo nequaquam deest exercitium actus jurisdictionis, *quia licet Ecclesia non habeat potestatem in ipsum defunctum, eam tamen habet in thesaurum ex quo solvit pro defuncto*. Breviter: indulgentia in genere, formaliter et per se loquendo, est auctoritativa solutio thesauri, facta *immediate ipsi personae* quae fructum indulgentiae obtinet; indulgentia pro vivis est auctoritativa solutio thesauri *in subditum*, adeoque vera absolutio; indulgentia pro defunctis est auctoritativa solutio thesauri *in non subditum*, adeoque non per absolutionem, sed "*per modum suffragii*."

Ad rem ipse SUAREZ: "*Hinc infero . . . formalem ac praecisam rationem indulgentiae per modum suffragii non consistere in hoc, quod obtineatur media actione et applicatione alterius, ipso, qui eam lucratur, quasi passive tantum fructum recipiente; item infero, indulgentias defunctorum, formaliter loquendo, non ob*

hanc solam causam, esse per modum suffragii. Probatur utrumque ex dictis, quia interdum conceditur, vel concedi potest indulgentia uni viventi, ut eam pro alio lucretur, et nihilominus, quod respectu ejus, cui illa applicatur, sit vera absolutio, ut ostensum est; ergo aliquid aliud concurrit seu respectu defuncti, ratione cujus indulgentia illi concessa, non est absolutio. Ergo ex illa praecisa ratione non satis explicatur modus suffragii. Imo ulterius etiam existimo, indulgentiam per modum absolutionis, non satis explicari per hoc, quod directe et immediate conceditur alicui sine interventu actionis, vel obligationis alterius tertiae personae, quia quando in suffragio ex thesauro intervenit haec tertia persona, non est ipsa, quae dat indulgentiam, vel satisfactionem de thesauro communi applicat, sed Pontifex . . . ; ergo eadem ratione Pontifex, nulla interveniente tertia persona, vel actione ejus, potest illam concedere solum per modum suffragii.

"Ut autem res magis declaretur, dubitari non immerito potest, an sit de necessitate indulgentiae pro defunctis, ut concedatur medio aliquo vivente, qui aliquid operando, illam pro defuncto lucretur. Nam, si usum spectemus, videbitur hoc esse necessarium; nunquam enim indulgentiae pro defunctis aliter concessae sunt, ut constat ex historiis, seu concessionibus Pontificum supra citatis. Atque hinc fortasse ortum est, ut modus suffragii positus esse credatur in illo quasi circuitu, seu indirecta concessione, facta uni per applicationem alterius. In contrarium autem facit, quia *non est de ratione indulgentiae, ut exigatur aliquod opus ad obtinendam illam, sed potest Pontifex immediate illam concedere*, si aliunde supponatur motivum sufficiens; ergo potest Pontifex hoc modo concedere indulgentiam defunctis, sicut vivis; ergo potest non exigere actionem, vel applicationem tertiae personae. . . Cur enim, sicut ego offero immediate ipsi Deo meam privatam satisfactionem pro anima defuncti, ut Deus illi remittat poenam, non potest etiam Pontifex immediate offerre Deo satisfactionem de thesauro Ecclesiae, applicando illam animabus purgatorii, vel generaliter omnibus, vel specialiter aliquibus, ut Deus illis remittat tantam vel tantam poenam? Plane hoc non repugnat rationi suffragii, ut sic. . .

"Igitur ex dictis concludo, indulgentiam per modum suffragii, et per modum absolutionis, si caetera paria sint, non differre vel in quantitate effectus, vel in ejus infallibilitate, sed *in modo causandi moraliter illum effectum*. Nam quando indulgentia est per modum absolutionis, qui eam concedit, proxime et immediate remittit poenam tanquam minister Dei et iudex locum ejus tenens; quando vero solum est per modum suffragii, concedens non remittit poenam, sed *offert Deo pretium aequivalens, ut ipse remittat*. Unde fit ut in utraque intercedat ratio justitiae, sed diverso modo, nam in absolutione intercedit justitia quasi vindicativa ex parte absolventis; nam sicut ad illum spectat punire, ita et judicialiter absolvere. In posteriori vero modo solum *intervenit justitia per modum cujusdam aequivalentis commutationis fundatae in pacto et promissione divina.*"⁴¹

Attamen, haec Suaresii explicatio (quam etiam amplectitur *Coninck*), supprimendo necessitatem mediationis vivorum a formali ratione indulgentiae pro defunctis, supprimit eo ipso etiam rationem actus jurisdictionis, quam tamen Suarez asseveranter defendit, atque necessario reincidit in supradictam priorem explicationem, juxta quam nihil aliud in hac indulgentia relinquitur, nisi ratio deprecationis. Nam actus jurisdictionis necessario debet exerceri circa aliquem subditum, nequit autem in casu exerceri circa defunctos, ergo debet exerceri circa vivos; unde ipsa ratio jurisdictionis (non vero sola necessitas

⁴¹ De Poenitentia, disp. 53, sect. 3, n. 12-15, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1108 sq.

exequendi opus praescriptum ad acquirendam indulgentiam, ut gratis supponit ac fingit Suarez) exigit mediationem vivorum in indulgentia pro defunctis.

Frustra autem Suarez conatur salvare rationem actus jurisdictionis in ipsa actione Ecclesiae offerentis pretium *thesauri in quem habet potestatem*, tum quia ea actio vix est intelligibilis absque applicatione subjecto, tum quia saltem, absque hac applicatione, nequit esse actus jurisdictionis, de cujus ratione est imperare subjecto vel facere jus alicui subjecto; Ecclesia circa ipsum thesaurum habet jus possessionis, non jurisdictionis, et potest illum offerre seu exhibere Deo, sed nullam exercet jurisdictionem donec illum applicet alicui subdito.

Praeterea, etiam abstrahendo a ratione jurisdictionis, nequit ulla conveniens ratio excogitari unde proveniat in S. Pontificem tale jus ut possit (etsi absolute tantum loquendo, ut vult Suarez) indulgentiam defunctis immediate conferre ac veluti directe alienare in favorem defunctorum bona Ecclesiae concredita, cum tota ejus potestas referatur ad solam Ecclesiam militantem, et thesaurus satisfactionum sit bonum proprium istius Ecclesiae. Concessa vero praedicta vivorum mediatione, facilius intelligitur quomodo haec bona, semel a S. Pontifice competenti jure communicata suis subjectis, possint ex his mediate transferri ad defunctos, in virtute communionis sanctorum qua et ipsi eidem corpori mystico vincuntur.

Ceterum, in necessitatem hujusmodi mediationis collimant ipsa *documenta Ecclesiae* supra relata (in p. 950), idque satis clare exprimitur in sequentibus verbis S. Thomae, docentis indulgentias prodesse defunctis non principaliter et directe, sed *secundario et indirecte* (hac enim formaliori expressione utitur S. Doctor pro formula "per modum suffragii" qua utitur Bonaventura, ut dictum est supra, in p. 920):

"Indulgentia alicui prodesse potest dupliciter: uno modo principaliter; alio modo secundario. Principaliter quidem prodest ei qui indulgentiam accipit, scilicet qui facit hoc pro quo indulgentia datur, ut qui visitat limina alicujus sancti. Unde cum mortui non possint facere aliquid horum pro quibus indulgentiae dantur, eis directe indulgentiae valere non possunt. Secundario autem et indirecte prosunt ei pro quo aliquis facit illud quod est indulgentiae causa, quod quandoque contingere potest, quandoque autem non potest, secundum diversam indulgentiae formam. Si enim sit talis indulgentiae forma: 'Quicumque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia'; ille qui hoc facit, non potest fructum indulgentiae in alium transferre, quia ejus non est applicare ad aliquem intentionem Ecclesiae, per

quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiae valent, ut jam supra dictum est (quaest. XXVII, art. 3, ad 2). Si autem indulgentia sub hac forma fiat: 'Quicumque fecerit hoc, vel illud, ipse, et pater ejus, vel quicumque alius ei adjunctus, in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit', talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit. Non est enim aliqua ratio quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos. Nec tamen sequitur quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia ad hoc ut indulgentiae valeant, requiritur causa conveniens indulgentias faciendi, ut supra dictum est (qu. XXVI, art. 3)" (*Suppl.*, q. 71, a. 10).

Ad rem *Lugo*: "Hic modus dicendi [Suarezii] numquam mihi satisfacere potuit . . . [Nam] tota potestas Pontificis ad distribuendum thesaurum, cum sit auctoritas apostolica et pontificia, debet fundari, et includi in potestate, et munere summi Pastoris, quod accepit per illa Christi verba: 'Pasce oves meas'; Joannis XXI, 17. in quibus verbis non videtur inclusa ullo modo potestas distribuendi ex thesauro ad alios, nisi ad oves commissas: ibi enim data fuit clavis thesauri, nonnisi ut pastori, hoc est, in ordine ad pascendas oves, nec factus est dominus, sed oeconomus thesauri. Sicut, si dominus purfecturus relinqueret arcam pecuniae plenam apud oeconomum, data ei clave, ut interim provideat domesticis, dicens: Accipe hanc clavem, et provide domesticis meis; non potest oeconomus, de illa providere extraneis, aut solvere eorum debita. Cum ergo defuncti non sint oves Pontificis, nec ipse sit eorum pastor, non poterit illis dare de thesauro Ecclesiae, cujus claves accepit ad providendum ovibus sibi commissis. Confirmatur, et explicatur alio exemplo, quia, si gubernatori Romano princeps dederit triticum, ut ex eo provideat Romanis civibus: licet gubernator habeat potestatem in horreum commune et habeat claves, non tamen poterit illud aperire, ut subveniat civi Florentino, qui ad ejus curam non pertinet. Cum ergo Pontifex acceperit claves hujus horrei, vel thesauri, ad pascendas oves sibi commissas, non poterit ex eo aliis dispensare, qui ejus oves non sint. . .

"Aliter ergo explicanda videtur haec differentia, insistendo in verbis, et modo loquendi S. Th. et theologorum antiquiorum, nam S. Th. in IV dist. XLV. q. II. art. 3. quaestiunc. dicit, indulgentias concedi quidem defunctis, 'non directe et principaliter, sed tantum secundario et indirecte'. Quae verba satis explicant, Pontificem non posse concedere immediate indulgentiam defuncto, sed mediate et indirecte, quatenus illam, scilicet, potest concedere alicui subdito viventi, per

quem transferatur in defunctum. Hoc enim verbum usurpavit Leo X. in praedicta Decretali, dum dixit, indulgentiam aliquando per modum absolutionis concedi, aliquando vero per modum suffragii transferri: Quod verbum 'transferri' significat, hanc transmissionem debere fieri per alium, eo quod non possit illis immediate hoc beneficium conferri, quia subditi non sunt. Quod idem significant verba a summis Pontificibus apponi solita, scilicet, concedi defunctis 'per modum suffragii': hoc est, sicut fideles possunt propriis operibus piis subvenire et suffragari defunctis, sic concedi eis, ut possint per indulgentias sibi concessas defunctis subvenire, sicut per propria suffragia, et ad modum quo applicare illis solent opera satisfactoria, quae appellantur suffragia."⁴⁸

TERTIA EXPLICATIO.

Lugo, rejecta hac Suaresii explicatione et asserta necessitate praedictae mediationis vivorum et translationis thesauri per vivos ad defunctos, descendit ad determinandum *modum hujus mediationis*, ac docet quod Summus Pontifex ex virtute thesauri efficit ut *opera praestita a vivo* (cui dicitur concedi indulgentia applicabilis pro defuncto), quae secundum se sunt satisfactoria ex solo opere operantis, *fiant etiam satisfactoria ex opere operato*, si tamen applicantur seu transferuntur ad defunctos.

Ratio est quia hic modus ex una parte est secundum se possibilis, ut patet ex ipsa satisfactione sacramentali in qua nostra opera ita elevantur ut ex opere operato habeant effectum ultra condignitatem operis operantis, et ex alia parte est unicus quo possit sustineri praedicta mediatio ac defendi ab inconvenientibus quae ipsi obici possunt; si enim dicatur, cum aliis doctoribus, indulgentia prius conferri vivis ut ab his transferatur defunctis, sequeretur, primo, quod haberet suum effectum in ipsis vivis nec ideo amplius possit transferri; secundo, quod posset saltem vivus eam non transferre sed sibi eam applicare; tertio, quod, sicut ille potest immediate indulgentiam transferre defunctis, ita posset ipse S. Pontifex, adeoque frustranea esset mediatio.

Ad rem ipse *LUGO*: "Aliter ergo videtur, hoc explicari posse, si dicamus. Pontificem tunc *non concedere immediate indulgentiam defuncto, nec etiam viventi; sed solum ex thesauro ecclesiae elevare opera pia fidelium viventium, ita ut non solum sint satisfactoria ex opere operantis; sed etiam ex opere operato, si pro defuncto offerantur.*

"Non enim apparet repugnantia in hoc modo dispensandi thesaurum, ut sicut Christus Dominus, qui est supremus illius dispensator, aliquando applicat ex thesauro pretium solvendum pro aliquo, ut in baptismo, qui licet recipiatur per actum non satisfactorium, sed potius vel in somno, vel per actionem malam

⁴⁸ De Poenitentia, disp. 27, sect. 5, n. 61-64, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 504 sq.

venialiter; adhuc ex voluntate Christo confertur solutio totius poenae: aliquando vero Christus elevat satisfactiones nostras, ut ex opere operato, et ultra condignum habeant majorem effectum, supplendo ex thesauro id quod deest condignitatis in nostra satisfactione; prout confessarius nomine Christi elevat satisfactionem sacramentalem: sic Pontifex, qui est vicarius Christi, dispensat thesaurum utroque modo in utilitatem nostram: aliquando, scilicet, accipiendo ex thesauro ad solvendum pro aliquo, ut quando non petito aliquo opere, concedit indulgentiam propter causam praeteritam, ut saepe fit: aliquando vero petito opere satisfactorio, quod elevat ad majorem effectum satisfactionis supra condignum, sicut sacerdos elevat illa opera divisibiliter, prout successive fiunt, ita ut singulae orationes impositae, prout successive recitantur, successive afferant fructum aliquem ex opere operato: Pontifex vero, quia vult elevare totum illud opus ad aliquem effectum determinatum, v.g. ad decem annos indulgentiae, vel ad plenariam remissionem, quem effectum difficile esset distribuere inter singulas partes illius operis: ideo elevat totum opus per modum unius, et indivisibiliter, ut in ultima parte habeatur totus effectus.

"Qui etiam modus elevationis non videtur repugnare, ut constat in opere martyrii, quod est satisfactorium ex se: et rursus elevatur a Deo ad majorem effectum supra condignum, scilicet, ad remissionem totius poenae, pro qua satisfact ex opere operato: elevatur tamen indivisibiliter, ita ut totus effectus correspondeat toti operi per modum unius.

"Supposita ergo possibilitate hujusmodi elevationis, videntur facile omnia componi, si dicamus summum Pontificem, quando concedit indulgentiam pro defunctis ita elevare opus bonum et satisfactorium, quod exigit ab aliquo vivente, ut possit habere effectum satisfactionis ultra condignum. *Elevat* autem, non divisibiliter, sed indivisibiliter totum opus, ut in fine operis detur ejus fructus ex opere operato. Tunc autem non potest, qui indulgentiam lucratur, retinere sibi illius fructum, quando determinate conceditur pro defuncto: quia Pontifex non elevavit ad illum effectum satisfactionis majoris, nisi tale opus bonum quod pro defuncto offeratur: *si autem non offeratur pro defuncto, jam non est illud opus, quod Pontifex elevavit. . .*

"Denique *contra hunc modum explicandi non procedunt, quae contra alios opponebamus.* Nam imprimis Pontifex non dispensat thesaurum directe, et immediate pro non subditis, sed pro subditis, quorum satisfactiones directe elevat ad majorem valorem, qui major valor, per se loquendo, est in bonum ipsorum subditorum: quia per accidens est, quod alicujus operis valor sit in utilitatem defuncti in aliquo casu; per se autem utile est subdito, quod ejus satisfactiones possint habere majorem valorem, atque ideo quod universaliter possit Pontifex eas elevare. . . Constat etiam, quomodo non possit ille, qui indulgentiam pro defuncto lucratur, retinere illam sibi, cum non sit elevatum ejus opus ad majorem valorem, nisi tunc quando illud pro defuncto offert. Constat praeterea, quomodo non possit indulgentia concedi defuncto, nisi interveniente aliquo vivo, cujus opera bona eleventur ad majorem valorem satisfactionis, quam possit defuncto applicare modo explicato. Constat denique quomodo fructus ille non debeat prius fieri meus, ita ut applicetur mihi, ad hoc, ut ego eum possim defuncto applicare: sed debet fieri meus in actu primo, sicut satisfactio est mea, quatenus possum illam ponere et non ponere: sic valor ille est meus, quatenus possum ponere, et non ponere satisfactionem elevatam ad majorem valorem."⁴⁹

Attamen peregrina haec explicatio, utut ingeniosa, nec vera est nec necessaria.

⁴⁹Op. cit., n. 70-73, p. 507-509.

Non est vera, sed potius destructiva genuinae rationis indulgentiae per modum suffragii. Nam *primo* ipsa duplicat potestatem S. Pontificis, cui concedit ut possit tum dispensare thesaurum tum elevare pia opera ad rationem satisfactionis ex opere operato; ex quo scinditur tum generica unitas indulgentiae, prout convenit indulgentiae pro vivis et indulgentiae pro defunctis, nam in priori haberetur sola dispensatio thesauri, in altera vero etiam elevatio ad efficaciam ex opere operato; tum etiam ipsa specifica unitas indulgentiae pro defunctis, nam haec coalesceret ex duplici diverso actu potestativo, altero applicante thesaurum et altero elevante pias actiones ad efficaciam ex opere operato. Nec valet dicere hoc fieri una cum priori ac virtute illius, seu praedictam elevationem fieri ex ipsa virtute thesauri, nam, cum thesaurus nihil aliud sit quam mera aggregatio satisfactionum, perinde est ac dicere Christum, una cum jure distribuendi thesaurum, dedisse Ecclesiae etiam jus elevandi pias actiones ad efficaciam ex opere operato ut ita possit transferri thesaurus, adeoque praedicta duplicatio subsistit. *Secundo*, attribuit S. Pontifici quasi sacramentalem potestatem, quae est propria Christi, nam sola sacramenta, sacrificium et martyrium, a Christo instituta, sunt satisfactoria ex opere operato. *Tertio*, evacuat necessitatem thesauri ejusque essentialem habitudinem ad indulgentiam; nam, si Papa potest elevare pias actiones ut sint satisfactoriae ex opere operato, jam frustra quaeritur dispensatio thesauri ad extinguendam poenam, cum id fieri possit ex ipsa pia actione influente ex opere operato, vel saltem dici nequit indulgentiam vim suam derivare ex solo thesauro, sed tum ex thesauro tum ex pia actione elevata ad efficaciam ex opere operato. *Quarto*, totaliter evacuat ab indulgentia pro defunctis rationem suffragii, in documentis Ecclesiae praedicatam; nam solam relinquit efficaciam ex opere operato, nulla admixtam ratione impetrationis.

Ceterum Lugonis sententia nullum fere suffragium apud ceteros theologos obtinuit. Nonnisi unus vel alter videtur eam benigne aspicere, uti canonista *Matthaeus Conte a Coronata* scribens: "Hoc autem modo dici potest a Romano Pontifice concedi indulgentias pro defunctis, nempe Romanus Pontifex non concedit immediate indulgentias in hoc casu nec defunctis nec viventibus, sed solum ex thesauro Ecclesiae opera pia fidelium ditata indulgentiis pro defunctis elevat ad meritum superius ita ut non solum sint satisfactoria ex opere operantis, sicut alia opera pia fidelium oblata in suffragium pro defunctis, sed etiam ex opere operato."⁵⁰

De ea sententia observat *Palmieri*: "Oportuisset ut Lugus clarius

⁵⁰ Institutiones juris canonici, De sacramentis, v. 1, n. 471, Taurini-Romae, 1943, p. 511 sq.

decretaret elevationem actuum viventis factam a Pontifice, quam ipse excogitavit. Nam, sit quid video, vel est formula quaedam vix intelligibilis, vel si explicari potest per terminos communes, in id resolveretur, puto, quod nos affirmamus [cf. sequentem explicationem].”⁵¹ Re tamen vera, cum Lugo verbis nullatenus ambiguis loquatur, ejus sententia “vix intelligibilis” dicenda est.

Quod autem haec sententia *nullo modo sit necessaria* ad solvendas difficultates contra supradictam mediatam translationem indulgentiae ad defunctos, constabit ex modo dicendis.

QUARTA EXPLICATIO.

Ultima ac *conveniens explicatio* est, Ecclesiam in indulgentia pro defunctis, per actum jurisdictionis dispensare thesaurum vivis, seu suis subditis, sub ea tamen validitatis conditione ut hi eam dispensationem velint transferre defunctis, quae quidem translatio non aliter fit quam eo ipso modo quo ex privata auctoritate vivi transferunt defunctis vicarias suas satisfactiones personales, seu per modum suffragii. Ita, quoad rem, sentiunt inter alios *Palmieri, Beringer, Pesch* (cit. in p. 934 sq.), *Hugon* (ed. 1948, p. 634 sq.), *Cappello* (cit. in p. 936).

Ad rem *PALMIERI*: “Quaeritur conceptus clarus et distinctus indulgentiae pro defunctis: quid facit scilicet Pontifex cum indulgentiam concedit applicabilem pro defunctis. Disputat hac de re subtiliter Lugo disp. XXVII. sect. 5. quem iuverit consulere. Nobis res hoc pacto concipienda videtur. Actus Rom. Pontificis has indulgentias dispensantis non est, ut diximus, absolutio data defunctis, qui eius amplius iurisdictioni non subsunt, *neque tamen est simplex solutio seu exhibitio pretii Deo; nam intercedere debet aliquis actus pius vivorum, et dispensatio harum indulgentiarum ex thesauro est ipsa quoque actus potestatis clavium, quae solum erga fideles viventes, immediate saltem, exercetur.* Est ergo haec indulgentia solutio pro defunctis quidem, sed cum quodam exercitio auctoritatis erga viventes.

“In indulgentia pro vivis bonum opus, pro quo ea confertur, ponunt ii ipsi, quibus ipsa datur; in indulgentia pro defunctis, non hi, sed alii iisdem iuncti vinculo caritatis ponunt illud opus. Qui sicut possunt auctoritate propria applicare tum aliis, tum ipsis defunctis sua privata suffragia, ita auctoritate Ecclesiae possunt applicare defunctis indulgentias h. e. remissionem poenae quam ipsi acquirunt. Acquirunt autem non quatenus ipsis formaliter remissio poenae, quam ipsi debent, concedatur; sic enim non esset amplius locus remissioni alterius, sed acquirunt quatenus causam ponunt, propter quam facultas iis fit applicandi defunctis eam remissionem poenae, cuius valorem aequivalentem ex thesauro subministrat Ecclesia. Huc ergo redit concessio indulgentiae pro defunctis, ut sit actus potestatis clavium, quo fidei, aliquid pium opus praestanti, facultas fit applicandi defunctis eam remissionem poenae, cuius valorem, intuitu illius operis ex thesauro Ecclesiae subministrat Rom. Pontifex.

“Haec quidem applicatio a fidei fit eo ipso quod illud pium opus ponit cum ea intentione ut Deus velit eam remissionem poenae concedere defunctis, cuius valorem Ecclesia subministrat ex thesauro. Et quia Ecclesia relinquit fidei applica-

⁵¹ De Poenitentia, Appendix de indulgentiis, § 4, Romae, 1879, p. 481 sq.

tionem harum indulgentiarum ad defunctos, patet quod pro his indulgentiis necessaria est certe intentio eas lucrandi.”⁵²

BERINGER: “L’indulgence pour les défunts n’est point une simple solution, un simple paiement (‘solutio’) puisé au trésor de l’Eglise pour les défunts; car, s’il en était ainsi, l’Eglise pourrait mieux encore à son gré, sans l’intermédiaire d’un tiers encore vivant, appliquer les Indulgences aux défunts, et en outre, *l’Indulgence pour les défunts manquerait de l’élément essentiel de l’Indulgence, savoir l’emploi de la juridiction ecclésiastique.* Il faut donc dire que l’Indulgence pour les défunts est exclusivement un paiement puisé au trésor de l’Eglise, *qui profite aux âmes du purgatoire par l’intermédiaire d’un vivant.* Mais, pour que cette entremise existe, il faut qu’une autorité ecclésiastique légitime, *par un acte de son pouvoir de juridiction, accorde au vivant un droit sur une partie déterminée du trésor de l’Eglise* en vue de satisfaire et d’expié, et qu’en même temps elle l’autorise à appliquer cette partie du trésor de l’Eglise, non point à lui-même, mais aux âmes du purgatoire.

“De la sorte on s’explique que l’Indulgence pour les défunts, quoiqu’elle renferme et nécessite un acte de juridiction de l’Eglise, n’agit point comme une absolution juridique (‘per modum jurisdictionis’), mais par manière d’intercession (‘per modum suffragii’), et de telle sorte que l’intercession ne repose pas seulement sur l’autorité de l’Eglise et sur son crédit auprès de Dieu, mais aussi sur les mérites de Jésus-Christ et des saints. Et c’est précisément par l’intercession de la juridiction ecclésiastique que le vivant, qui gagne l’Indulgence pour les défunts, peut en tout droit s’appuyer sur ce titre infaillible en lui-même. La concession d’une Indulgence pour les défunts est donc un acte du pouvoir des clefs par lequel le fidèle, qui remplit les conditions fixées, est autorisé à appliquer aux défunts cette rémission pour laquelle l’Eglise ou le Pape acquitte, sur le trésor de l’Eglise, pour cette Indulgence, la valeur correspondante.”⁵³

Ceterum, ne haec ipsa explicatio inanis appareat et facilem ansam praebeat objectionibus quae Lugonem induxerunt ad excogitandam peregrinam ejus opinionem (cf. supra, p. 956), *SEDULO ATTENDE SEQUENTIA*:

Primo, indulgentia pro defuncto non sic conceditur vivo ut, quasi pro premio boni operis, *detur ei facultas veluti accipiendi ex thesauro* partem satisfactionis, eamque defunctis transferendi. Nam, ut recte observat *Lugo*, “hoc vere esset communicare subdito clavem thesauri, ut ex eo posset solvere immediate pro defuncto: quod non videtur possibile: quia, cum ipse Pontifex non possit ex thesauro accipere ad solvendum immediate pro defuncto, minus poterit alteri talem potestatem communicare, qualem ipse non habet: nec refert, quod id fiat in praemium operis exhibiti, quia non potest dare pro praemio id, quod ex se superat ejus potestatem: quare, cum ex commissione accepta, solum possit distribuere thesaurum ad pascendas proprias oves, non poterit ad praemiandum aliquem concedere, ut possit distribuere thesaurum ad alios fines.”⁵⁴

⁵² Op. cit., p. 480 sq.

⁵³ Les indulgences (trad. Ph. Mazoyer), t. 1, n. 40 sq., Paris, 1925, p. 37.

⁵⁴ De Poenitentia, disp. 27, sect. 5, n. 65, Disp. Schol., t. 5, Paris, 1893, p. 506.

Secundo, illa indulgentia *non applicatur vivo*, ut subinde ad defunctos transferatur, secus ipsa jam haberet suum effectum in vivo, nec ideo quidquam maneret quod posset in defunctos transferri; sed tantum dicitur concedi vivo pro defuncto, eo fere modo quo mea satisfactio vicaria, quam ex opere operantis transfero in defunctos, non sic dicitur mihi acquiri et fieri mea ut mihi applicetur, sed tantum ut pro mea a Deo computetur.

Unde *frustra obicit Lugo*: "Difficile intelligitur, quomodo possim ego transferre in alium satisfactionem ex thesauro mihi applicatam: deberet enim prius fieri mea, ut possem illam transferre: eo autem ipso, quod fiat mea, habet in me suum effectum remissionis poenae, qui effectus semel positus auferri non potest, nec redire poena semel remissa. Si autem nondum est facta mea illa satisfactio, sed solum jus ad illam, quod propter positionem operis injuncti acquisivi, quod jus transfero ego ad defunctum: ergo jam Pontifex non mihi, sed defuncto ipsi immediate applicat satisfactionem ex thesauro ex vi juris, quod ego in eum transtuli: quod videtur esse contra superius dicta: tum, quia hoc jam esset directe, et mediate concedere defuncto remissionem poenae, non indirecte et secundo: tum etiam, quia non potest Pontifex dare mihi jus, quo possim eum cogere ad id, [ad] quod non habet potestatem: quare, si ipse non potest dispensare thesaurum pro non subditis, non poterit obligari ad id faciendum, nec dare mihi jus, quo possim eum taliter obligare."⁵⁵

Tertio, illa indulgentia *non simpliciter conceditur vivo*, sed veluti conditionate, seu sub necessaria conditione translationis in defunctos, ita ut haec conditio imbibat intentionem ipsam suscipientis indulgentiam, tanquam requisitum validitatis.

Unde *inepte obicit Lugo*: "Si indulgentia illa prius, et immediate conceditur subdito viventi, cum facultate transferendi ad defunctum, si voluerit, sequitur, quod posset vivus illam retinere sibi, eamque sibi lucrari non transferendo ad defunctum: si enim datur prius illi, et fit propria illius cum facultate transferendi: ergo prius acquiritur illi jus ad illam partem satisfactionis: cur ergo non poterit illam sibi retinere?"⁵⁶

Quarto ac praecipue, ea indulgentia *nec proprie conceditur vivo*, quia isti conceditur quasi mediate et ad modum translationis, ut nempe possit fieri per ipsum translatio thesauri ad defunctos per viam suffragii. Aliis verbis: concessio facta vivo se habet *ad modum conditionis, sine qua non posset exerceri jurisdictionalis actus dispensationis*

⁵⁵ Ibid., n. 69, p. 507.

⁵⁶ Ibid., n. 68, p. 506 sq.

thesauri, deficiente subdito seu termino jurisdictionis; posita autem hac conditione, ea dispensatio quasi per spirituales pontem pertransit ad defunctos, jam conversa in verum suffragium in ipso processu vicariae translationis.

Unde indulgentia pro defunctis utramque imbibit rationem jurisdictionis et suffragii, in duplici tamen subordinata phasi; in priori enim momento, ipsa est actus verae jurisdictionis, attingens solummodo vivum, in altero autem est verum suffragium, attingens ipsum defunctum, sed, quia prius ordinatur ad secundum, sic complexive et ad modum unius vocatur *indulgentia per modum suffragii*, seu actus jurisdictionis transferens thesaurum ad modum suffragii, ita ut expressio "ad modum suffragii" non sit appositio minuens, sed potius augens, pro quanto ultra suffragium imbibitur verus actus jurisdictionis.

Conclusio 9. Potestas concedendi indulgentias exercetur relate ad vivos "per modum absolutionis", i.e. per actum jurisdictionis immediate attingentem ipsos vivos. Hic autem indulgentiae actus non est proprie dicta absolutio, seu judicialis sententia vel actus immediate efficiens extinctionem poenae, sed est absolutio improprie dicta, seu jurisdictionalis actus immediate dispensans thesaurum in solutionem pro debito poenae, et ita mediate attingens ipsam extinctionem poenae, et hoc sensu dicitur esse "per modum absolutionis".

Probat.

Circa primam conclusionis partem, nulla est peculiaris difficultas; quod enim indulgentia sit actus jurisdictionis probatum est in Concl. 4; quod immediate attingat ipsos vivos, secus ac defunctos, constat ex eo quod vivi sunt subditi Ecclesiae, adeoque subjectum immediate attingibile per indulgentiae concessionem, quae dicitur fieri ipsis vivis; quod tandem indulgentia recte dicatur fieri quomodolibet "per modum absolutionis", docetur explicite in documentis Ecclesiae et facile intelligitur tum ex parte finalis effectus qui est solutio a poena tum ex parte actus qui est saltem jurisdictionalis, ac saltem pro tanto convenit cum ipsa absolutione sacramentali.

Totum igitur negotium reducitur ad probandum quod talis indulgentia non est proprie dicta absolutio, in sensu explicato in Concl., in quo videntur communiter convenire adversarii.

1. *SI DOCUMENTA ECCLESIAE ATTENDANTUR* (quae citavimus in p. 845-853), ipsa nedum hanc Conclusionem infirmat, ei potius favent. Inde enim a tempore quo doctrina de thesauro coepit explicite ac solemniter ab Ecclesia proponi, dispensatio hujus thesauri

exhibetur tanquam essentialia ac primum elementum indulgentiae, quo mediante attingitur remissio poenae. *Clemens VI* ait Christum hunc thesaurum S. Pontifici "commisisse fidelibus [per indulgentias] salubriter dispensandum . . . pro remissione poenae temporalis"; ex quo recte colligitur indulgentiam esse actum quo dispensatur thesaurus ut, mediante hac dispensatione, sequatur remissio poenae. *Sixtus IV* ait: "De thesauro Ecclesiae, animabus in Purgatorio existentibus succurrere volentes, concedimus ac indulgemus ut si qui . . ."; ubi iterum thesaurus exhibetur ut id, quo mediante, indulgentia attingit effectum suum auxiliativum; nec refert quod agatur determinate de indulgentia pro defunctis, nam de facto exhibetur communis in dolens indulgentiae. *Leo X* ait "Romanum Pontificem indulgentiam concedendo, thesaurum dispensare . . . ac propterea omnes qui indulgentias consecuti fuerint a temporali poena liberari". *Pius VI* loquitur de indulgentia tanquam de "applicatione meritorum seu thesauri". *Codex J. C.* in can. 911 definit indulgentiam "remissionem poenae temporalis quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit" et in can. 912 pro eodem habet "thesauri dispensationem" et "indulgentiarum elargitionem".

Adversarii in favorem suae sententiae adducunt tum ipsum nomen "indulgentia" quod aequivalet nomini "Absolutio" (Indulgeo = Absolvo, remitto, relaxo) adeoque sonat immediatam attingentiam seu remissionem ipsius poenae; tum ipsam vocem "*absolutio*" adhibitam in antiquis documentis, signanter ab *Alexandro III* († 1181) qui, apponens quoque vocem "judex", scribit: "Cum a non suo *judice* ligari nullus valeat vel *absolvi*, remissiones praedictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus, ut prosint, proprii iudices specialiter indulerint" (cf. supra, p. 873, in nota); tum expressionem "*per modum absolutionis*" qua post Leonem X usus est ipse *Codex J. C.*

Attamen, nomen indulgentiae nihil probat, tum quia accipi potest in generali sensu concessionis, quae convenit etiam elargitioni thesauri, quo sensu videtur accipi a *Sixto IV* in verbis nuper recitatis; tum quia potest significare ipsam poenae remissionem in communi abstrahendo a modo quo fiat, immediate nempe vel mediante elargitione thesauri; tum quia, quando illa vox coepit in medio aevo usitari (una cum vocibus "Remissio" et "Relaxatio"), non solum fiebat remissio poenae coram Deo sed simul etiam dabatur remissio a poenis canonicis et a sacramentalibus satisfactionibus, seu, ut dicitur in ipsis documentis Ecclesiae "ab injunctis poenitentibus" (cf. infra art. seq., p. 985-988), relate ad quas vox indulgentiae habebat plenum sensum immediatae remissionis, seu strictae absolutionis. Ex

quo intelligitur quare potuerit illa vox tunc introduci et adhiberi in pleno sensu, ac postmodum, cessantibus illis remissionibus, adhuc apte retineri in diminuto sensu remissionis poenae mediante elargitione thesauri.

Idem dicendum est de cognata *voce absolutionis*, dicta de concessione indulgentiae, quae tamen fere obsolevit (forte ne fieret confusio cum absolutione sacramentali) ut cederet locum expressioni "*per modum absolutionis*". Quod autem in hac ipsius Codicis expressione appositio "per modum" non significet identitatem sed tantum aliquam similitudinem, apparet tum ex eo quod frustra ipsa adderetur si indulgentia esset stricte dicta absolutio, sicut non additur cum sermo est sive de absolutione sacramentali (can. 870: "In poenitentiae sacramento per iudicalem absolutionem remittuntur peccata") sive de absolutione a censuris (can. 2248, § 1: "Censura tollitur legitima absolutione"), tum ex parallelismo cum alia expressione, in eodem can. 911 adjuncta, "per modum suffragii", quae certe non significat identitatem inter suffragium et indulgentiam pro defunctis, sed tantum similitudinem.⁸⁷

Quae quidem similitudo in eo est quod indulgentia pro vivis, etsi deficiat a ratione absolutionis, quatenus non est immediata remissio, tamen cum ea convenit tum ex parte effectus, quia aequivalet absolutioni a poena, tum etiam ex parte actus, quatenus est verus actus jurisdictionis; ac propterea non dicitur absolutio, sed dicitur fieri "per modum absolutionis", ubi appositio "per modum" est conditio minuens sensum vocis absolutionis. Indulgentia vero pro defunctis, etsi plus habeat quam rationem meri suffragii, cum importet etiam verum actum jurisdictionis, tamen convenit cum suffragio quatenus finalem suum effectum extinctionis poenae non inducit nisi eo deprecativo vel satisfactivo modo, quo inducitur etiam per suffragium, ac propterea non dicitur simpliciter suffragium, sed dicitur "fieri per modum suffragii," ubi appositio "per modum" est potius conditio augens sensum vocis suffragii, innuens nempe exercitium actus jurisdictionis dispensantis satisfactiones thesauri, unde possit fieri suffragium.

2. *IPSA RATIO SOLUTIONIS*, seu administrationis thesauri, quae, juxta ipsos adversarios, intervenit in indulgentia et ex qua indulgentia repetit suam efficaciam, evacuat ab ea rationem proprie dictae absolutionis. Si enim Ecclesia directe et immediate poenam absolvit,

⁸⁷ Unde nemo facile assentietur *Boyer* scribenti: "Modus . . . absolutionis in eo est quod, positus ponendis, actio Ecclesiae directe et immediate attingit reatum poenae. . . Hic est modus indulgentiae pro vivis. . . *Codex enim Iuris hoc explicitè determinat*" (l. c. supra in p. 936).

jam frustra solvit ex thesauro, cum ipsa absolutio consequatur effectum; si vera Ecclesia solvit ex thesauro, jam frustra ulterius absolvit, cum ipsa solutio consequatur effectum, ratione exhibiti pretii vicariae satisfactionis.⁵⁸

Nec, ut expellantur inanes imaginationes, dici potest utramque solutionem et absolutionem posse simul inducere eundem effectum, tanquam duas causas concurrentes in unum. Nam duplex hypothesis imaginari potest: solutio nempe et absolutio vel concurrunt ut *causae coordinatae* vel ut *causae ad invicem subordinatae*. Si prius, vel concurrunt ut *causae partiales*, sed hoc est inexplicabile, tum quia non est assignabilis distinctus effectus utriusque, tum quia non esset amplius simpliciter verum indulgentiam esse applicationem thesauri, cum una saltem pars remissionis non fieret ex thesauro, tum quia scinderetur ipsa essentialis unitas indulgentiae quae coalesceret ex duplici distincto actu solutionis et absolutionis; vel concurrunt ut *duae causae totales*, et tunc frustraneus est iste concursus, cum utra causa per se solam sufficiat, et praeterea iterum profundius scinderetur essentialis unitas indulgentiae. *Alterum vero*, i.e. eas concurrere ut causas ad invicem subordinatas, dici non potest cum sint causae omnino disparatae, habentes disparatam virtutem et influxum; absolutio enim influit effective et immediate, seu tollendo poenam, solutio vero dispositive et mediate, seu conferens jus ut tollatur poena. Nec dici potest eas posse sic subordinari ut solutio thesauri disponat ad effectum et absolutio illum perficiat; nam, vel dicitur solutio thesauri sic disponere ut conferat jus ad poenae remissionem, et tunc nihil deest quominus illum causet, nec ideo esset mera dispositio sed causa moralis, non proinde subordinabilis sed frustraneae coordinata, ut dictum est; vel dicitur solutio thesauri sic disponere ut conferat jus ad obtinendam ipsam absolutionem, et tunc, praeterquam quod vix intelligitur ratio hujusmodi circuiti ad dandam poenae remissionem,

⁵⁸ Inde repellas sequens *Lugonis* subterfugium: "Pontifex, ut vicarius Christi, utrumque facit; scilicet, offert praetium ex thesauro pro illo debito, et rursus nomine Dei, cujus vicarius est, acceptat solutionem illam, et virtute illius liberat debitorem: ad utrumque enim potestate accepit, nec sufficeret potestas ad primum sine potestate ad secundum: quamvis enim offerret pretium ex Christi satisfactionibus, et Sanctorum, si tamen Deus nollet eam solutionem acceptare, debitor non liberaretur: *utrumque ergo facit: solvit, quatenus habet thesauri claves, et absolvit, quatenus est vicarius Dei*, cujus nomine acceptat illam solutionem" (De Poenitentia, disp. 27, sect. 1, n. 5, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 484).

In hac peregrina explicatione negatur ex una parte propria efficacia thesauri seu vicariae satisfactionis Christi et sanctorum, cum fiat pendula ab acceptance Pontificis, et ex alia parte conceditur ipsi potestas quae est solius Dei, i.e. acceptandi solutionem thesauri. Praeterea, vix intelligitur illa distinctio inter actum solvendi et actum acceptandi solutionem, positos ab eodem S. Pontifice; cum enim ipse solvit pretium ex intentione ut possit remitti poena, ipsa haec intentio est pretii acceptatio.

certe evacuatur ipsa ratio thesauri, seu cumuli vicariae satisfactionis habentis efficaciam ex semetipsa.

Quidam adversarii invocant hic paritatem cum ipsa absolutione sacramentali, ut ostendant rationem solutionis non ob stare rationi absolutionis. Ita *Boyer* scribens: "Neque obstat quod cum absolutione coniungatur solutio ex thesauro Ecclesiae desumpta, sicut ad veram absolutionem sacramentalem non obstat quod praesupponantur merita Christi, ex quibus potestas sacerdotum virtutem accipit".⁵⁹

Attamen negatur suppositum; nam in absolutione sacramentali nulla intervenit proprie dicta solutio, i.e. actualis quaedam dispensatio satisfactionum Christi et sanctorum, influens ad modum causae seu pretii soluti pro poena temporalis. Merita enim et satisfactiones Christi influunt in absolutionem sacramentalem, tantummodo remote et antecedenter, quatenus fuerunt causa cur constituerentur ipsa sacramenta ac conferretur eis virtus unde poenam remittere queant, sicut pariter causa fuerunt quare ipse thesaurus Ecclesiae constitueretur, ex quo Ecclesia posset per indulgentiam haurire ulterius pretium novae redemptionis poenae. In ipsa autem sacramenti Poenitentiae applicatione non habetur actualis influxus meritorum et satisfactionum Christi, tanquam causae moralis solventis pretium, ut contingit in concessione indulgentiae, sed tantum physicus influxus humanitatis Christi, conferens sacramento propriam efficaciam, ut in vi jam soluti pretii humanae redemptionis ejusque mediorum. Imo etiam in ipsa indulgentiae concessione, satisfactiones Christi non amplius influunt sub ista ratione, seu ut pretium redemptionis quo constitutus est thesaurus et collata est Ecclesiae potestas illum dispensandi, sed sub nova ratione cujusdam superabundantiae, constituentis thesaurum et ab ipsa Ecclesia actualiter solutae in verum pretium et propriam causam extinctionis poenae (cf. dicta in art. praec., p. 903. 907 sq.).

3. *IPSA ESSENTIALIS UNITAS CONCEPTUS INDULGENTIAE* excludit rationem absolutionis. Nam, fatentibus ipsis adversariis, indulgentia est essentialiter solutio ex thesauro, etsi addant eam esse etiam absolutionem. Jamvero, indulgentia nequit essentialiter esse simul solutionem et absolutionem; nam, cum duo hi conceptus sint distincti ac disparati, indulgentia, coalesceret ex duobus distinctis actibus jurisdictionis, adeoque non esset una essentia et unum ens, sed duo entia, ac ita scinderetur *specificam unitas* indulgentiae. Praterea, cum in indulgentia pro defunctis solus actus solutionis interveniat, ut fatentur adversarii, scinderetur etiam ipsa *generica unitas* indulgentiae, nec indulgentia esset unicus conceptus, unica definitione explica-

⁵⁹ De Paenitentia, thes. 33, Romae, 1942, p. 388.

bilis, ac aequivoce loqueremur, cum loquimur de indulgentia, cum tamen omnes doctores conentur indulgentiam ut unum quid accipere unaque definitione comprehendere.

Unde parum saltem scientifica est illa assertio quorumdam adversariorum (cf. supra, p. 934–936): indulgentiam pro vivis constare duplici actu jurisdictionis, solutione scilicet et absolutione, indulgentiam vero pro defunctis constare unico actu jurisdictionis, scilicet solutione.

4. *IPSE MODUS QUO CONCEDITUR INDULGENTIA*, ostendit eam non esse proprie dictam absolutionem. Nam proprie dicta absolutio est sententia judicialis; in indulgentia autem nulla causa instituitur nec ulla profertur sententia, sed fit mera liberalis concessio; unicum iudicium quod profertur circa reatum, tum culpae tum poenae, est iudicium sacramentale, nec tale iudicium repetitur aut duplicatur per indulgentiam.

Dicunt quidam adversarii quod in indulgentia habetur sententia judicialis, sed *non in forma iudicii*; attamen, quid per voluntariam hanc assertionem sibi velint, non explicant. Dicunt alii quod, etsi non habeatur formalis et particularis sententia, quae nempe sit conclusio particularis causae, discussae et examinatae, habetur tamen quaedam vera *sententia interlocutoria, generalis et conditionata*, quam iudex velut in antecessum profert in omnes qui certas condiciones adimpleverint; attamen, nullatenus apparet quomodo in hujusmodi generalibus et antecedentibus concessionibus salvetur ratio sententiae judicialis, de cujus essentia est ut sit forma iudicii, seu ultimus actus terminans, complens ac perficiens causam judicialem. Dicunt alii quod, etsi non habeatur proprie sententia judicialis, habetur tamen verus *actus potestatis judicialis* (qui sufficit ad rationem proprie dictae absolutionis), qualis est generalis amnistia quae fit quandoque a potestate civili; attamen, quilibet actus judicialis potestatis clauditur intra limites alicujus causae judicialis, quam vel praeparat vel agit vel absolvit, nec praedicta generalis amnistia procedit a potestate judiciali, sed tantum a generali ac suprema potestate gubernationis, elargiente indebitos favores ac privilegia, cum ipsa potestas judicialis, qua talis, non possit absolvere reum, sed debeat necessario exigere poenam; unde hoc ipsum exemplum amnistiae retorqueri potest in adversarios.

5. *IPSA DISTINCTIO INDULGENTIAE A SACRAMENTO POENITENTIAE*, ostendit indulgentiam non esse proprie dictam absolutionem. Nam de reatu poenae profertur iudicium et absolutio in hoc sacramento; non ergo datur aliud ac disparatum iudicium aut

absolutio de eadem causa, ac propterea in Baptismo solutio poenae non fit per sententiam judicalem.

Praeterea, si indulgentia esset proprie dicta absolutio, majorem haberet efficaciam quoad remissionem poenae quam ipsa sacramentalis absolutio ac concederetur S. Pontifici suprasacramentalem quandam potestatem, non instrumentaliter sed proprio arbitrio exercendam, quae appropinquat potestati excellentiae, soli Christo attributae.

Ad rem *Galtier*: “[Opinio adversariorum] ascribit concessioni indulgentiae efficacitatem ex opere operato veriolem et majorem quam quae sacramentali absolutio agnoscitur. Haec enim poenae temporalis reatum et ipsa remittit ex opere operato quidem, at proportionaliter tantum ad dispositionem paenitentis. Indulgentia vero, cum, ex dictis de ejus natura, producat eandem remissionem commensuratam, non dispositioni suscipientis, sed soli taxationi concedentis, eo ipso, data opinione de qua nunc, censenda esset agere verius et efficacius ex opere operato in eximas quam absolutio sacramentalis, et episcopus aut Summus Pontifex, ut concedens indulgentiam, tolleret suo solo actu voluntatis ligamen ab ipso Deo impositum, quod non potuit tollere ut minister sacramenti et vi ipsius sacramenti.”⁹⁰

6. *DOCTRINA S. THOMAE* et sensus aliorum antiquorum usque ad Cajetanum, necnon modus quo originem habuit ac fluctuante processit opinio adversariorum, juxta expositionem supra allatam (p. 929–936), confirmat veritatem nostrae conclusionis. Nec refert quod moderni fere gregatim eam opinionem sequi videantur, quoniam, praetermissa plurium ambigua positione et minus attentata hujus rei consideratione, numerus quidem allicit et quantitas premit, sed veritas non in numero latet nec pondere mensuratur.

ART. 110. Utrum Effectus Indulgentiae Sit Remissio Poenae Temporalis Coram Deo, Adeoque Non Ipsius Culpa, Nec Solius Poenae Canonicae (Suppl., q. 25, a. 1; q. 27, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *EFFECTU* indulgentiae, qui est ipse *FINIS* per eam intentus. In articulis praecedentibus vidimus indulgentiam esse actum jurisdictionis quo dispensatur thesaurus, vel, si placet, dispensationem thesauri (art. 108) factam per actum jurisdictionis (art. 109). Haec igitur thesauri dispensatio, active sumpta, pertinet ad ipsam essentialiam indulgentiae estque mera determinatio ipsius actus jurisdictionis; si vero accipiatur passive, est primus ac formalis effectus indulgentiae.

⁹⁰De Paenitentia, n. 596, Parisiis, 1931, p. 454 sq.

Cum tamen solutio pretii pro debito est de se immediate extinctiva ipsius debiti, quaestio de effectu indulgentiae practice identificatur cum quaestione de debito quod per indulgentiam extinguitur.

Porro debitum quod per peccatum homo incurrit, et impedimentum ingressus in regnum coelorum ad quod auferendum potestas clavium ordinatur, duplex est, scilicet reatus culpae (cui indivisibiliter conjungitur reatus poenae aeternae) et reatus poenae temporalis; haec autem considerari potest vel proprie ut poena Dei, vel ut poena canonica, sive sacramentaliter sive disciplinarily imposita ab Ecclesia. Hinc *duplex quaestio*, quae innuitur in textu articuli:

1. Utrum effectus indulgentiae sit remissio non ipsius culpae (sive mortalis sive venialis) aut poenae aeternae, sed solius poenae temporalis.

2. Utrum sit remissio non tantum poenae canonicae (sive impositae in foro interno a sacerdote in sacramentalem satisfactionem, sive illatae ab auctoritate ecclesiastica per legem disciplinarem), sed ipsius poenae qua homo ligatur apud Deum. Qua quaestione complentur dicta in art. 54 (tom. 3, p. 218 sq.) de variis modis quibus aufertur poena temporalis pro peccato debita.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM nulla fere invenitur inter doctores seria disceptatio aut dubitatio.

Protestantes enim aliique infra referendi qui docent effectum indulgentiae non esse remissionem poenae coram Deo sed solius poenae canonicae, a fortiori negant indulgentiam remittere culpam aut poenam aeternam.

Inter doctores vero catholicos nonnisi *quidam antiqui*, reticito nomine relati a S. Thoma, "dixerunt *indulgentias valere etiam existentibus in mortali peccato*, non quidem ad dimissionem poenae, quia nulli potest dimitti poena, nisi cui jam dimissa est culpa; qui enim non est consecutus operationem Dei in remissionem culpae, non potest consequi remissionem poenae a ministro Ecclesiae neque in indulgentiis, neque in foro poenitentiali; valent tamen eis ad acquirendam gratiam" (*Suppl.*, q. 27, a. 1).

Praeterea, quod attinet ad remissionem peccati venialis per indulgentias, *Scotus* ejusque discipuli docent reatum peccati, seu peccatum habituale permanens post actum peccati, nihil aliud esse quoad rem nisi debitum luendi poenam (cf. supra, art. 93, p. 432 et 450; art. 94, p. 480 et 489 sq.), ex quo necessario sequitur, quamvis forte id clare non dicant, *per indulgentiam remitti peccatum veniale*, eo quod remit-

tatur debitum poenae temporalis. *Paludanus* autem, quamvis contra Scotum admittat peccatum veniale habituale consistere non solum in reatu poenae sed etiam in distincto reatu culpae, seu macula (cf. supra art. 93, p. 430), putat ut probabile per indulgentias posse peccatum veniale remitti; sed videtur loqui tantum de efficacia actus contritionis, qui potest comitari susceptionem indulgentiae quique absque dubio aufert peccata venialia ex opere operantis. Ad rem ipse: "Potest etiam, ut videtur, per indulgentiam, in quantum habet rationem cuiusdam absolutionis, remitti veniale quoad culpam, sicut et per confessionem generalem non sacramentalem; sed ad hoc requiritur contritio. . . Sed aliqua contritio est plena, adiuncta papali absolutione, quae per se non esset, et coniuncta episcopali benedictione, quae per se non sufficeret" (In 4 Sent., dist. 21, q. 1, in fine).

Nota theologica et documenta Ecclesiae.

Effectum indulgentiae non esse remissionem peccati mortalis et poenae aeternae, est *theologicè certum*. Suarez vult id esse de fide ("Quae certe est de fide, ut existimo"); Galtier vero moderatius dicit: "Haec est doctrina catholica, de qua non fuit in Ecclesia ullum dubium".

Id patet tum ex doctrina fidei, juxta quam peccatum mortale post baptismum commissum non aufertur nisi per sacramentum Poenitentiae, tum ex obvio sensu documentorum Ecclesiae (communissima et indubitanti theologorum interpretatione declarato), in quibus remissio poenae temporalis constanter proponitur ut genuinus effectus indulgentiae (cf. infra, p. 975); quod enim jam clare docebat *Clemens VI* in bulla jubilaei "Unigenitus", nempe thesaurum dispensari "pro remissione poenae temporalis pro peccatis debitae", signanter proponit *Codex J. C.* (can. 911) definiens indulgentiam: "Remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet jam deletis". Nec obstat, ut explicabitur infra (p. 975-979) quod in pluribus antiquioribus documentis dicatur etiam per indulgentiam fieri remissionem peccatorum, imo remissionem *a culpa et a poena*.

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, jam inde a medio aevo extitit error docens effectum indulgentiae esse remissionem non poenae debitae coram Deo, sed solius poenae canonicae.

Quidam theologi mediaevales, quos reticito nomine refert et impugnat S. Thomas, eam sententiam expresse docuerunt. Ad rem S. Doctor: "Ab omnibus conceditur indulgentias aliquid valere,⁶¹ quia impium

⁶¹ Tamen, ut dictum est in art. 107 (p. 833) *Albertus M.* refert quosdam theologos

esset dicere quod Ecclesia aliquid vane faceret. Sed quidam dicunt quod non valent ad absolvendum a reatu poenae, quam quis in purgatorio secundum iudicium Dei meretur; sed valent ab absolvendum ab obligatione, qua sacerdos obligavit poenitentem ad poenam aliquam, vel ad quam etiam obligatur ex canonum statutis" (*Suppl.*, q. 25, a. 1).

Eandem sententiam subinde ex mente haeretica explicite proposuerunt *Petrus de Osmia, Protestantas* (nominatim Lutherus), *Baius*, et signanter *Jansenistae Pistorienses* (cf. supra, in art. 107, p. 842 sq.) qui determinate dixerunt "indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti . . . [et] scholasticos . . . clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum [Christi et sanctorum]" (Denz. 1540 sq.).

Inter moderniores doctores catholicos, ad eandem sententiam accessit *J. B. Hirscher* († 1864),⁶² qui in suo opere *Die kath. Lehre vom Ablass* (Tübingen, 1841, p. 9–16. 55 sqq.) docet indulgentiam concedere nihil aliud esse quam Ecclesiam declarare peccatorem sufficienter iam satisfecisse pro suis peccatis et consequenter absolvi ab ulteriori executione poenae canonicae. Quam sententiam sic recte iudicat *Pesch* (n. 469): "Haec est perversio doctrinae catholicae de indulgentiis".

Nota theologica et Documenta Ecclesiae.

Effectum indulgentiae esse remissionem non solum poenae canonicae sed ipsius poenae temporalis debitae pro peccatis coram Deo, est *saltem theologice certum*. Quidam id dicunt de fide; ita *Suarez*: "Hanc assertionem censeo certam de fide" et *Pesch*: "Illa doctrina pertinet ad fidem . . . [nam] contradictoria doctrina est ea, quam *Leo X* et *Pius VI* ut falsam damnarunt". Alii contenti sunt id dicere "doctrinam catholicam" (seu, cuius contraria est saltem temeraria), ita *Galtier*: "Dici potest pertinere ad doctrinam catholicam".

Re quidem vera, saltem nota theologicae certitudinis eruitur ex documentis Ecclesiae (relatis in p. 845–853), illum effectum explicite et constanter proponentibus, et signanter ex *Leone X*, damnante ut

denegasse indulgentiis omnem veram efficacitatem, *S. Thomas* vero illorum opinionem aliter ac mitius interpretatur (cf. in art. seq., p. 990).

⁶² Ut notat *Hurter* (*Nomenclator literarius*, t. 5, col. 1385–1388), huic doctori "defuit . . . solida in scientia theologica institutio [etsi plusquam per viginti annos theologiam moralem docuerit], quod eo tempore quo vixit non mirum, hinc non semel aberravit a sana doctrina. . . Hinc factum est ut ejus opiniones a pluribus merito gravi subjicerentur crisi. . . Ejus libellus die kirchlichen Zustände des Gegenwart, Tübingen 1849 in indicem II. proh. relatus fuit. . . Laborat [hic libellus] . . . idearum confusione et rationalismum spirat. Auctor vero laudabiliter iudicio s. Sedis se subiecit errorum retractavit."

errorem prop. 19 Lutheri, ex *Pio VI* damnante supradictam propositionem Conc. Pistoriensis ut "*falsam, temerariam, Christi meritis iniuriosam, dudum in art. 19 Lutheri damnatam*", et ex *Codice J. C.* ut simpliciter verum assumente quod indulgentia sit "remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis". Nec obstat quod in antiquioribus documentis dicatur indulgentiam seu remissionem dari "*de poenitentis injunctis*", ut explicabitur infra (in p. 985-988).

Unde inepte *FRANCISCUS VERONIUS* († 1649), etsi vixerit ante Pium VI, reiciens supradictam notam theologicam assignatam a Suaresio, videtur hanc doctrinam fere ad gradum probabilis opinionis detrudere, scribens: "De fide est potestatem esse in Ecclesia concedendi Indulgentias divinitus sibi traditam; quia sequitur ex regula fidei. E contrario sequitur: Non esse de fide catholica in usu seu concessione Indulgentiae prout de facto fit, remitti poenas temporales debitas post peccatum remissum in foro Dei, sive in Purgatorio, sive in hac vita; aut etiam Ecclesiam habere voluntatem, cum concedit Indulgentias, has poenas relaxandi, et de facto illas relaxari. Probatur 1°, quia hoc non proponitur a Tridentino. Et sane, cum quaestio sit de facto, seu quid velit Ecclesia relaxare, quomodo potest esse de fide? 2° probatur, quia variae sunt doctorum hac de re sententiae, relatae a Suariorum et aliorum. . .

"Sequitur 2° ne quidem esse de fide, loquendo de potestate, esse in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias, per quas remittuntur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitae apud Deum, sive in hac vita, sive in purgatorio; seu non est de fide catholica, posse Ecclesiam talem Indulgentiam concedere, ut per eam remittat reatum poenae temporalis apud Deum, immediate, ac per se, per solam relaxationem seu condonationem ipsius poenae luendae sive in purgatorio, sive in hac vita. Probatur 1°, quia Tridentinum hoc non proponit; 2°, ex diversis sententiis doctorum. D. Thomas in supplemento, quaestione 25, art. 1 . . . : 'Sed haec opinio non videtur vera, quia, etc.' Ita D. Thomas, referens, nec arguens haereseos hanc opinionem. 3° Probatur, quia nec Suarez . . . nec quivis alius quidquam affert, quo sufficienter probet [id] esse de fide, praesertim catholica. . .

"Subscribimus tamen iis, quae addit S. Thomas loco citato supplementi, relata praedicta opinione. 'Sed haec opinio non videtur vera . . . , etc.' Vide probationes hujus potestatis in Ecclesia fusissime apud Suarium, t. 4, disp. 48, sect. 1 et 2, petitas praesertim ex usu praesentis, et plurimum retro seculorum, pontificum romanorum Bullis pluribus, quas refert, concedentium Indulgentias, per quas remittantur fidelibus poenae pro peccatis remissis debitae apud Deum; quas probationes concedimus esse bonas. Sed non placet, quod habet ibidem Suarez, sect. illa 1, hanc doctrinam esse *de fide*. Nec haec praxis, ut jam diximus et iterum dicimus contra Suarium, sufficit ad fundandum hanc doctrinam esse de fide. Sicut nec praxis similis sufficit ad statuendum, satisfactiones pro aliis, aut thesaurum Ecclesiae, constantem ex satisfactionibus aut meritis sanctorum esse de fide, quae duo etiam supra negavimus esse de fide, maxime de fide catholica, de qua sola loquimur. *Imo sola probabilitas opinionis sufficit rectae et prudenti praxi statuendae in Ecclesia*, ut supra docte probavit Vasquez, ut in variis materiis, ita et in istis tribus sufficere posset, satisfactionis pro aliis, distributionis thesauri, et Indulgentiarum pro vivis, ut et, pro defunctis . . . ; et certum est sufficere pro multis Indulgentiis in particulari, ob causas non ita graves datas. . . In quibus etiam elargiendis pontificem prudenter, et proinde bene operari, pro certo est habendum."⁶³

⁶³ Regula fidei catholicae, c. 2, § 4, Apud Migne, Theol. Cursus, t. 1, col. 1062-1066.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Effectus indulgentiae est remissio non ipsius culpae, sive mortalis sive venialis, nec poenae aeternae, sed solius poenae temporalis.

Probatur 1a pars (*quod semper per indulgentiam non remittitur peccatum mortale*):

1. *Ex ipsa ratione thesauri*, prout hic constat et influit etiam ex satisfactionibus sanctorum. Nam ex una parte hae satisfactiones, utpote purorum hominum, non habent vim satisfactivam pro peccato mortali, secus ac satisfactio Christi, ut dictum est in art. 50 (tom. 3, p. 37 sqq.), et ex alia parte quando applicatur thesaurus semper influunt etiam satisfactiones sanctorum una cum Christi satisfactionibus, nec convenienter diceretur per thesaurum quandoque applicari solam Christi satisfactionem (i.e. ad remittendum peccatum mortale), quandoque vero etiam satisfactiones sanctorum (i.e. ad remittendam poenam temporalem), nam id minus congrueret tum unitati et indivisibilitati thesauri (cf. dicta in art. 108, p. 915. 917 sq.), tum ipsis documentis Ecclesiae, indiscriminatim asserentibus per indulgentias distribui thesaurum satisfactionum tum Christi tum sanctorum.

Hoc sensu intellectum, argumentum a quibusdam allatum ex ipsa ratione thesauri, suam vim habet persuasionis ac probabilitatis. Si quis tamen argueret ex sola ratione thesauri prout continet satisfactionem, argumentum non concluderet, quoniam satisfactio Christi valet ad satisfaciendum pro peccato mortali.

Et in hoc sensu *Suarez* illud argumentum intelligit ac impugnat, scribens: "Probatur . . . [haec conclusio] ab aliquibus, quia remissio indulgentiarum solum fit per dispensationem thesauri Ecclesiastici; thesaurus autem ille solum constat ex satisfactionibus Christi, et Sanctorum, quae tantum valent ad temporalem poenam propter peccatum debitam compensandam; ergo neque indulgentia, quae fit per dispensationem hujus thesauri, potest ultra hanc poenam extendi ad remissionem ipsius culpae mortalis. Haec vero ratio non est conveniens; nam licet satisfactiones Sanctorum solum valerent ad compensandam temporalem poenam, satisfactiones Christi, etiam ad aeternam poenam compensandam, et mortalem culpam delendam non solum aequivalentia, sed etiam superexcedentia sunt; ergo ex parte thesauri secundum se totum spectati non est inopia, sed abundantissimum pretium ad hujusmodi effectum.

"Unde, si de potentia absoluta loquamur, non dubito quin potuisset Christus concedere potestatem suo Vicario ad remittendas culpas,

etiam mortales, per simplicem concessionem veniae extra sacramentum, postulando etiam ex parte peccatoris solam attritionem; nam in hoc nulla est repugnantia, vel contradictio ex parte effectus. Nam etiam de fide certum est, Christum ipsum per potestatem excellentiae posse hoc facere. Neque etiam est repugnantia ex parte causae; quid enim obstat, quominus potuerit Christus participationem illius potestatis cum suo Vicario communicare? Illo autem casu posito, talis remissio esset indulgentia quaedam similis illi, quam descripsimus circa temporales poenas. . . Quod ergo in Ecclesia non sit potestas ad talem indulgentiam concedendam, *ex parte thesauri probari non potest*".⁶⁴

2. *Ex distinctione indulgentiae a sacramentis.* Ut enim dictum est in art. praec. (Concl. 5, p. 944 sq.), indulgentia non est sacramentum, seu actus jurisdictionis sacramentalis; si autem ipsa causaret remissionem peccati mortalis esset sacramentum, quia remissio peccati mortalis fit per infusionem gratiae quae est proprius effectus sacramentorum.

3. *Ex necessitate sacramenti Poenitentiae.* Est enim de fide non posse remitti peccatum mortale post Baptismum commissum, nisi per sacramentum Poenitentiae, in re vel voto susceptum (cf. art. 36, tom. 2, p. 360). Si autem indulgentia remitteret peccatum mortale, id verum non esset, quia haberentur duo media remissionis peccati mortalis.

Nec dici potest indulgentiam remittere hoc peccatum ex voto sacramenti Poenitentiae, sicut id efficit perfecta contritio. Nam tale votum non continetur nisi in aliquo actu de se justificante, seu solum in ipsa perfecta contritione (non enim ipsa voluntas lucrandi indulgentiam, aut ipsum propositum confitendi, aut etiam ipsa attritio, est actus de se justificativus); adeoque, eatenus indulgentia posset justificare in voto sacramenti quatenus praesupponeret contritionem; jamvero tunc non ipsa indulgentia justificaret, sed sola contritio, nam haec justificaret antequam quis lucratur indulgentiam, imo etiam si quis indulgentiam lucrari noluerit.

Pariter, frustra assereretur indulgentias posse influere in remissionem peccatorum modo saltem indirecto, impetrando nempe peccatoribus motum contritionis, quo ad justificationem perveniant. Nam, etsi Ecclesia possit offerre Deo sua sanctorumque merita per modum deprecationis, habentis rationem meriti de congruo pro justificatione impiorum, ea oblatio non esset indulgentia, quamvis forte ab Ecclesia adjungeretur ipsi concessioni indulgentiae. Inde *S. Thomas*, refutans assertionem supradictorum antiquorum theologorum (cf. in p. 969), scribit: "Sed hoc non videtur verum, quia quamvis merita illa quae per

⁶⁴ De Poenitentia, disp. 50, sect. 1, n. 2 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1006.

indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc dispensantur, sed determinantur ad remissionem poenae. Et ideo non valent existentibus in peccato mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis. Si autem fieret communicatio per hunc modum: 'Facio te participem meritorum totius Ecclesiae, vel unius congregationis, vel unius specialis personae'; sic possent valere ad merendum aliquid illi qui est in peccato mortali, ut praedicta opinio dicit" (*Suppl.*, q. 27, a. 1).

4. *Ex ipsis documentis Ecclesiae.*

Haec enim constanter et explicite dicunt indulgentias remittere poenam temporalem pro peccatis debitam, quandoque solam hanc poenae remissionem proponentes (cf. Clementem VI, Sixtum IV, Leonem X damnantem prop. 19 Lutheri, Pium VI, Codicem J. C.; cit. in art. 107, p. 847-853), nunquam vero significant ipsam culpam remitti per ipsam indulgentiam, imo hoc excludunt etiam quando adhibent *VULGATAS EXPRESSIONES "INDULGENTIA IN REMISSIONEM OMNIUM PECCATORUM" ET "INDULGENTIA A CULPA ET POENA"*, eo quod semper requirant conditionem contritionis et confessionis ad indulgentias lucrandas.

*Quoad usum harum formularum, haec nota:*⁶⁵

Formula "Remissio omnium peccatorum" invenitur in nonnullis etiam solemnibus documentis; ita in Bulla Cruciatæ lata ab Innocentio III in Conc. Later. IV: "Plenam suorum concedimus veniam peccatorum" (cf. supra, p. 872), in Bulla Jubilæi *Bonifacii VIII*: "Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de Urbe, concessae sunt magnae remissiones et indulgentiae peccatorum. . . Nos vere poenitentibus et confessis, non solum plenam et largiorem, imo plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum", et inter interrogationes jussu *Martini V* Wicleffitis proponendas: "Utrum credat, quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis ex causa pia et justa possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum".

Formula "Indulgentia a culpa et poena", necnon cognata ac fortior expressio "*Absolutio a culpa et poena*", vix invenitur in uno vel altero

⁶⁵ Cf. *N. Paulus*, Die Anfänge des sogenannten Ablasses von Schuld und Strafe, in Zeitschrift für kath. Theol. 23 (1899), p. 48 sqq. 423 sqq. 743 sqq.; 24 (1900), p. 182; 36 (1912), p. 67 sqq. 252 sqq.; *Galtier*, De Paenitentia, n. 587 sq., Parisiis, 1931, p. 446-448; item in Dict. Apol., art. Indulgences, col. 737-743; *E. Magnin*, in Dict. Théol. Cath., art. Indulgences, col. 1612-1614; *H. Ch. Lea*, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, Philadelphia, 1896, vol. 3, p. 54-85.

documento, et quidem recentioris temporis (cum jam de proprio effectu indulgentiae nullum erat dubium apud doctores).

Coelestinus V usus est fortiori illa expressione "Absolutio a culpa et a poena" in quadam bulla subinde rescissa a Bonifacio VIII († 1303). *Clemens V* in Conc. Viennense a. 1312 eandem expressionem memorat, ac videtur reprobare, dum damnat abusus "quaestorum indulgentiarum" qui "a poena et a culpa (ut eorum verbis utamur) absolvunt" (cf. supra, in p. 847). *Joannes XXII* († 1334) concessit "ut [in articulo mortis] confessor tuus, quem duxeris eligendum, omnium peccatorum, de quibus corde contritus et ore confessus exstiteris, ac poenarum etiam quibus tunc pro peccatis ipsis eris obnoxius, eam plenam remissionem . . . concedere valeat"; idem tamen Pontifex quosdam romanos quaestores his verbis damnavit: "Usurarios et concubinarios manifestos forma ecclesiae praetermissa et quosdam alios a poena et culpa, ut suis fatuis verbis et praesumptuosis utamur, absolverunt hactenus et absolvere in suarum et illorum animarum dispendium, se claves habere paradisi et inferni temerariis iactantes ausibus, moliuntur, nihilominus ad questus execrandos et illicitos tam per se quam per alios . . . extendendo damnabiliter et impudice".⁶⁶

In *Bulla Leonis X* ad Card. Cajetanum, post verba de "potestate clavium, quarum est aperire tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, *culpam scilicet et poenam* pro actualibus peccatis debitam, mediante ecclesiastica indulgentia" (sic textus refertur a Cavallera, n. 1266, aliter ac Denzinger, cit. supra, in p. 850), fit sermo de sola remissione poenae "Propterea omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huius modi consecuti fuerint a tanta temporali poena liberari quanta concessae et acquisitae indulgentiae aequivalet" (cf. prop. 19 Lutheri ab eodem Leone X damnatam).

Ceterum negari nequit hanc formulam in vulgarem usum transisse, opera praesertim "quaestorum indulgentiarum", qui ea saepe abutebantur, ut elemosynas a populo extorquerent; a compluribus tamen doctoribus, tam theologis quam canonistis, ea formula ut aequivoca reiciebatur; ita *Nicolaus Weigel*, deputatus ad promulgandam in Germania indulgentiam concessam a Conc. Basileensi (a. 1431-1449), declarabat: "Proprie loquendo non est indulgentia dicenda a pena et culpa, licet posset dici absolutio aliqua a pena et a culpa. . . Multum differt dicere: Hic absolvitur a pena et a culpa vigore indulgentie plenarie remissionis, et illi fit vel datur indulgentia a pena et a culpa. Nam primum potest optime concedi. Sacerdos namque suo modo dicitur absolvere a peccato et ita a culpa. Ex auctoritate dantis et

⁶⁶ Apud *E. Göller*, *Der Ausbruch der Reformation und die spätmittelalterliche Ablaspaxis*, Freiburg i. B., 1917, p. 69, nota 1.

habentis dare indulgentias etiam absolvit a pena, id est, remittit penam debitam pro peccato. Igitur hujusmodi loquendi modus potest admitti, scilicet quod plenaria indulgentia homo potest absolvi a pena et a culpa, sed quod daretur indulgentia a pena et a culpa, hoc non est concedendum. . . Ille modus loquendi a pena et a culpa est contrarius forme qua communiter Ecclesia utitur".⁶⁷

Quoad sensum earundem formularum, haec nota:

Certum est in documentis Ecclesiae, ubi eae formulae occurrunt, non agi de remissione culpae per ipsam indulgentiam qua talem, ut constat tum ex praerequisita conditione status gratiae (i.e. contritionis et confessionis), tum ex analogia aliorum coaevorum documentorum, quibus illa contradicere non possunt, tum ex ipsa improbatione illarum formularum, prout in eo sensu a quibusdam quaestoribus proponi videbantur.

Si quaeratur de earum *sensu theologico*, ipsae legitimari facile possunt, tum ex eo quod poena temporalis est quidam reatus peccati (ac pro tanto peccatum), adeoque ejus remissio est quaedam peccati remissio, vel quoddam complementum et plenitudo remissionis peccati; tum ex eo quod, cum indulgentia a poena supponat confessionem et absolutionem a peccato, ejus concessio, considerata ut unum totum morale cum absolutione a peccato quam praesupponit, dici potest remissio seu absolutio a culpa et a poena, i.e. remissio poenae post remissam culpa; tum ex eo quod, occasione indulgentiarum, ab Ecclesia praescribuntur vel a fidelibus sponte suscipiuntur varia opera quae inducunt vel fovent remissionem culpae, tam mortalis quam a fortiori venialis, ut sunt oratio, elemosyna et praecipue contritio atque confessio; tum ex eo quod una cum indulgentia interdum conceduntur concomitantes favores quae proximiorum habent connexionem cum ipsa culpae remissione (uti facultas absolventi a peccatis et censuris reservatis vel commutandi vota), ita ut concessio indulgentiae sonet complexum aliquod beneficium, cujus una pars refertur ad culpam et alia pars ad poenam remittendam.

Si vero quaeratur de *sensu historico*, et maxime de origine illarum formularum, videtur eas accipiendas esse in praedicto ultimo sensu; agitur nempe de ipsa culpae remissione, quae tamen tribueretur non ipsi indulgentiae qua tali, sed concomitantibus extraordinariis facultatibus quae una cum indulgentia concedebantur, ut nempe indulgentiae applicarentur a sacerdotibus in actu confessionis, ut fideles possent apud quemlibet sacerdotem confiteri, ut mediantibus sic dictis "litteris

⁶⁷ Apud N. Paulus, in Zeitschrift für kath. Theol., 23 (1899), p. 748.

confessionis” vel “confessionalibus” aliquis obtineret jus ut semel in vita posset sibi eligere confessarium, a quo sive absolutionem a peccatis sive plenariam indulgentiam de poenis consequeretur.

Ad rem *Galtier*: “Originem formula [‘Indulgentia a culpa et a poena’] habuit ex eo quod, in concessione primae indulgentiae plenariae quae facta est cruce signatis, per modum unius concedebatur tum facultas ut possent absolvi a peccatis suis, a culpa scilicet, a quolibet sacerdote, tum remissio omnis poenae peccato debitae. Hinc in populo dictum est cruce signatis concedi ‘indulgentiam a culpa et a poena’. Ubi postea, occasione jubilaei, plenaria etiam indulgentia concessa est, et quidem cum adjuncta pariter facultate absolutionis percipiendae a quolibet sacerdote, eadem formula in vulgari sermone appellata est.

“Adde usum tunc viguisse ut indulgentia illa plenaria jubilaei ‘applicaretur’ a sacerdote in ipsa confessione, sicuti nunc fit adhuc pro certis indulgentiis, v.gr. in articulo mortis, vel tertiariis in certis festis, lucrandis. Cum proinde ab eodem sacerdote, in eodem actu sacramentali, conferretur et absolutio a culpa et indulgentia seu remissio poenae, facile intelligitur invaluisse usum istius formulae complexivae.

“Praeterea, usus etiam invaluit ut, sub certis conditionibus vel elemosynis, concederentur ‘litterae’ quae dicebantur ‘confessionis’ aut ‘indulgentiae’ seu ‘confessionalia’. His autem facultas fiebat inpetranti ut — 1° semel in vita sua, a sacerdote sibi eligendo, obtineret tum absolutionem a peccatis suis quibuslibet etiam reservatis, tum applicationem indulgentiae plenariae, — 2° iterum, in articulo mortis, applicationem ejusdem indulgentiae. Hinc etiam intelligitur favorem istum complexum potuisse appellari indulgentiam a culpa et a poena.”⁶⁸

Ceterum, negandum non est ambiguitatem praedictarum formularum potuisse ingerere apud plures indoctos falsam persuasionem quod ipsa indulgentia secundum se esset causa remissionis ipsorum etiam peccatorum, eamque plebis illusionem fortasse fovisse inordinatam methodum vel culpabilem cupiditatem quorundam “quaestorum indulgentiarum”. Ad rem *Galtier*: “Que des confusions se soient produites dans l’esprit des fidèles ignorants; que plusieurs aient vu dans l’indulgence ‘a culpa et a poena’ un moyen commode et matériellement sûr de se décharger de toutes leurs dettes envers Dieu; que certains prédicateurs d’indulgences aient trop négligé de prévenir cette illusion déplorable et que leur préoccupation de faire rechercher et accepter l’indulgence ait même contribué à la répandre, c’est possible, personne ne songe à le contester, encore qu’on n’en ait aucune preuve (cf. *Paulus, Johann Tetzl*, p. 98–100, et *Zeitschr.*

⁶⁸ De Paenitentia, n. 588, Parisiis, 1931, p. 447 sq.

J. kath. Theol., XXXVI (1912), p. 268 et 277-279). C'est là une conséquence inévitable de la manière dont, pendant plusieurs siècles, les indulgences ont été présentées au peuple, et nous arrivons ainsi à la pratique dont nous avons dit que les apperances au moins justifiaient l'expression odieuse de la 'vente des indulgences'. Mais ce qu'on ne saurait admettre, c'est le principe posé par *Lea* (p. 65) que les formules, 'the language', suffisent à renseigner sur la foi du peuple. En matière d'histoire, d'histoire des institutions en particulier, il n'en est pas de plus faux et de plus dangereux. C'est oublier que les formules, les formules populaires surtout, ont d'abord une signification historique; le sens logique n'en est presque jamais adéquat au sens réel, et 'l'indulgence de la peine et de la culpée' en est une preuve de plus ajoutée à beaucoup d'autres".⁶⁹

Probatur 2a pars (quod nempe per indulgentiam non remittitur poena aeterna).

Nam indulgentia nequit remittere peccatum mortale; ergo nec potest remittere reatum poenae aeternae quippe qui, secus ac poena temporalis, sit inseparabilis a reatu culpae, nec incurrat aut auferatur nisi mediante commissione aut absolutione ipsius culpae (cf. dicta in art. 87, p. 95-100 sqq.).

DICES. Potest contingere ut quis indulgentiam lucretur in ipso instanti in quo ei remittitur poena aeterna una cum culpa mortali, ut si ei conceditur indulgentia sub conditione confessionis, aut si ei conceditur ut simul absolvatur tum a culpa per absolutionem sacramentalem tum a poena per indulgentiam. Jamvero in hoc saltem casu indulgentia concurrat in remissionem poenae aeternae; nam, ratione remissionis sacramentalis, poena aeterna commutatur in temporalem, et, ratione indulgentiae, haec poena temporalis auferatur vel minuitur ita ut dici possit quod, ratione indulgentiae, poena aeterna commutetur in minorem poenam temporalem aut simpliciter auferatur, ac pro tanto per indulgentiam remittatur.

RESP. In art. 53 (tom. 3, p. 195-208) diximus, juxta sententiam S. Thomae, remissionem poenae aeternae fieri simpliciter, non vero per ejus commutationem in poenam temporalem, et hanc poenam, ideo post remissum peccatum permanere, quia per peccatum homo incurrit duos ac separabiles poenae reatus, poenae scilicet aeternae et poenae temporalis. Unde ruit objectio quae tota deducitur ex falso supposito praedictae commutationis; in eo igitur casu, absolutio sacramentalis

⁶⁹In Dict. Apol., art. Indulgences, col. 743.

tollit poenam aeternam, necnon partem poenae temporalis, indulgentia subinde, saltem natura posteriori, tollit reliquam partem hujus poenae.

Ceterum, in sententia Suaresii et aliorum admittentium praedictam commutationem, objectio sic solvitur ab ipso *Suarez*: "Respondeo, etiam in his casibus indulgentiam proprie non versari circa aeternam poenam, sed tantum circa temporalem. Duplex enim causa, et duplex actio moralis, atque adeo duplex remissio ibi intervenit, licet utraque in eodem instanti fiat: prima causa est sacramentum, vel contritio, quae prius natura remittit culpam et consequenter poenam aeternam, eamque in tantam temporalem commutat, quantum est ex se; statim vero in secundo signo naturae applicatur alia causa, nimirum indulgentia, quae poenam ex priori remissione relictam, vel minuit, vel omnino aufert. Neque obstat, quia videtur sequi, in eodem instanti fieri reatum tantae poenae temporalis ex vi prioris commutationis, et tolli, vel diminui per posteriorem remissionem, quod juxta principia Metaphysicae videri potest impossibile; nam hoc moraliter spectandum est; nam revera in eodem instanti non fit introductio et mutatio in eodem reatu poenae temporalis; sed quia ex vi solius sacramenti, vel contritionis commutatio fiat in tantum reatum, ideo talis causa hunc tantum effectum moraliter habere dicitur; quia vero ratione indulgentiae fit, ut talis vel tantus reatus non introducatur, ideo remissio vel diminutio talis reatus temporalis dicitur esse effectus talis indulgentiae."⁷⁰

Probatur 3a pars (quod nempe per indulgentiam non remittitur peccatum veniale).

1. *Ex ipsa ratione thesauri*, prout hic constat et influit etiam ex satisfactionibus sanctorum. Valet enim, etiam quoad remissionem peccati venialis, ratio supra invocata quoad remissionem peccati mortalis (p. 973 sq.), quia satisfactiones sanctorum, ex quarum vi indulgentia operatur, non valent ad extinguendum reatum culpae, etiam venialis. Nam, ut dictum est in art. 51 et 52 (tom. 3, p. 126 et 135), quamvis, absolute loquendo, purus homo posset condigne satisfacere pro peccato veniali alieno, secus ac pro mortali, tamen de facto in praesenti ordine Providentiae id non potest.

2. *Ex distinctione indulgentiae a sacramentis*, signanter Poenitentiae. Indulgentia enim non est sacramentum, ut dictum est in art. praec. (p. 944 sq.); si autem ipsa remitteret peccatum veniale, esset sacramentum, quia id agere non posset nisi eo modo quo per sacramenta veniale remittitur.

⁷⁰ De Poenitentia, disp. 50, sect. 1, n. 9, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1009.

Nam, ex una parte hoc peccatum non remittitur nisi mediante gratia, seu per collationem alicujus auxilii excitantis ad eliciendum actum poenitentiae, quo formaliter aufertur macula peccati venialis, sic enim uniformiter remittitur peccatum veniale ex opere operato sacramenti, sacrificii, martyrii et sacramentalium, ut explicatum est in art. 93–95 (cf. in p. 458 sqq. 508 sqq. 535 sqq. 557 sq.); ex alia vero parte, indulgentia est verus actus potestativus, et quidem proprie dictae jurisdictionis, ut dictum est in art. praec. (p. 939–944), adeoque ipsa nequit praedictum gratiae auxilium inducere tantummodo per moralem quandam exigentiam, uti sacrificium, aut per modum infallibilis deprecationis, ut sacramentalia, sed deberet illum causare, si revera illum causaret, per proprium ac directum influxum, quemadmodum sacramenta, imo per jurisdictionalem influxum et per absolutoriam sententiam, sicut sacramentum Poenitentiae, et sic nihil esset unde indulgentia a sacramentis differret et nominatim a sacramento Poenitentiae distingueretur.

3. *Ex ipsis documentis Ecclesiae.*

Cum enim haec documenta nunquam distinguant inter mortalia et venialia, eadem ratione qua ab influxu indulgentiae excludunt mortalia, ut dictum est supra (p. 975–977), excludunt etiam venialia, nec aliam remissionem tribuunt indulgentiis quam extinctionem poenae temporalis.

Conclusio 2. Effectus indulgentiae non est remissio solium poenae canonicae, sed extinctio ipsius poenae temporalis qua homo ligatur apud Deum.

Probatur.

1. *Ex documentis Ecclesiae.* Ut dictum est supra (p. 971 sq.), haec conclusio continetur explicite in variis documentis relatis in art. 107 (p. 845–853), imo directe et auctoritative decisa est a Leone X et Pio VI, ita ut sit saltem theologice certa. Inepte autem quis in contrarium argueret ex formula “Indulgentia de injunctis poenitentiis”, quae adhibetur in antiquioribus documentis, nam haec respicit non ipsam essentiam indulgentiae sed tantum modum quo tunc concedebatur, ut explicabitur infra (p. 985–988).

2. *Ex Scriptura et Traditione.* Totum enim argumentum, quod in art. 107 (p. 853 sqq.) confecimus ad probandam existentiam potestatis Ecclesiae concedendi indulgentias, sub hac procedebat suppositione et hanc veritatem implicabat, indulgentiam nempe esse remissionem ipsius poenae temporalis in foro divino. Illud argumentum sic breviter compendiat S. *Thomas*, reiciens contrariam sententiam praedictorum

antiquorum dicentium indulgentiam esse remissionem solius poenae canonicae (cf. supra, p. 970 sq.): "Sed haec opinio non videtur vera... *quia est expresse contra privilegium Petro datum*, cui dictum est, ut quod in terra remitteret, in caelo remitteretur. Unde remissio quae fit quantum ad forum Ecclesiae valet etiam quantum ad forum Dei" (*Suppl.*, q. 25, a. 1).

3. *Ex doctrina de thesauro Ecclesiae*, de qua in art. 108. Tota enim ratio existentiae et necessitatis hujus thesauri, prout exhibetur in ipsis Ecclesiae documentis, in eo est ut habeatur fundamentum unde indulgentiae suam habeant vim et efficacitatem; jamvero, si indulgentia esset mera remissio poenae canonicae, utut sacramentaliter impositae, nulla esset necessitas ponendi hujusmodi thesaurum ex quo Ecclesia possit haurire compensativas satisfactiones, nam ex eadem potestate qua Ecclesia poenas canonicas, vel confessarius sacramentales poenitentias, imponit, possunt hujusmodi poenae auferri vel minui.

4. *Ex ratione indulgentiae pro defunctis*. Cum enim defuncti non amplius subiciantur jurisdictioni Ecclesiae, indulgentia in eorum favorem concessa nequit intendi aut conferri ad effectum remissionis poenae canonicae, sed solius poenae qua coram Deo ligantur in Purgatorio; ex quo, ratione tum analogiae tum etiam specificae unitatis indulgentiae, datur intelligi qui sit proprius effectus etiam indulgentiae pro vivis.

5. *Ex modo quo conceduntur ipsae indulgentiae pro vivis*. Etsi enim olim indulgentiae conferri solerent de injunctis poenitentiis, nunc saltem simpliciter conceduntur, ita ut valeant etiam pro iis qui nulla poena canonica, aut sacramentali poenitentia, ligantur, ut patet saltem de casu quo nulla confessio praerequiratur sed solus status gratiae, vel quo quis jam satisfactionem sacramentalem expleverit antequam absolvat conditiones statutas ad lucrandam indulgentiam. Unde finis et effectus indulgentiae non est remissio poenae canonicae aut sacramentalis poenitentiae.

6. *Ex eo quod quilibet confessarius potest, ex rationabili causa, remittere aliquid de poena*, a se vel ab alio confessario imposita, eam abbreviando seu commutando. Si enim indulgentia consisteret in remissione solius poenae canonicae, ea abbreviatio seu commutatio esset quaedam indulgentia, et quilibet confessarius posset indulgentiam concedere; quod est absonum et in Ecclesia inauditum.

7. *Ex eo quod potest Ecclesia per indulgentiam remittere extra-sacramentaliter poenam a confessario sacramentaliter impositam*, ut

constat saltem ex antiquis indulgentiis quae erant “de injunctis poenitentibus” (cf. infra, in p. 985–988). Id enim Ecclesia non posset, nisi per indulgentiam remitteret ipsam poenam coram Deo debitam. Nam secus, *primo*, dispensaret a complenda integritate sacramenti redderetque sacramentum mutilum, quod est contra jus divinum et naturam sacramenti; *secundo*, usurparet jura confessarii, cujus sententia, utpote procedens ab immediato vicario et instrumento Dei in iudicio sacramentali est irreformabilis a qualibet humana potestate; *tertio*, ut notat S. Thomas, “Ecclesia hujusmodi indulgentias faciens magis damnificaret quam adjuvaret, quia remitteret ad graviores poenas, scilicet purgatorii, absolvendo a poenitentibus injunctis”.

E contrario, posito quod Ecclesia per indulgentiam remittit poenam coram Deo, bene intelligitur, *primo*, quomodo sacramentum non maneat mutilum, quia principalis ratio quare sacramentum exigit complementum sacramentalis satisfactionis, est ut per eam perficiatur remissio poenae temporalis, et ideo, hac remissione per indulgentiam obtenta, subtrahitur praecipuum saltem fundamentum illius exigentiae; *secundo*, quomodo Ecclesia non usurpet jura confessarii, nam per indulgentiam nequaquam directe absolvit a poenitentia imposita a confessario, sed aliunde, remittendo poenam coram Deo, subtrahit praecipuam rationem unde exigitur sacramentalis satisfactio ac pro tanto subtrahit fundamentum unde exurgit necessitas eam exequendi; *tertio*, quomodo Ecclesia adjuvet ac gratificet fideles, eos solvens ab onere patiendi in hac vita vel in Purgatorio.

Quidam videntur despiciere *tertium inconueniens, adductum a S. Thoma*, vel non satis illud ponderare, dicentes ex remissione poenae canonicae non sequi Ecclesiam fideles damnificare, eos remittendo ad poenam purgatorii, nam plures sunt rationes ob quas utilis esset ea concessio, quemadmodum et ipse confessarius utiliter remittit seu mitigat satisfactionem sacramentalem, puta ob infirmam dispositionem poenitentis, quem melius est remittere ad longiorem poenam Purgatorii, quam periculo desperationis committere, cum dispendio ipsius salutis aeternae.

Ita *Lercher*, occasione textus 2 Cor. 2, 10, quem, ut diximus supra (p. 854 sq.), theologi sat communiter intelligunt de concessione indulgentiae, scribit: “Plures auctores putant, s. Paulum veram indulgentiam dedisse, quum incestuoso corinthio partem poenae ‘in persona Christi condonasset’ (2 Cor. 2, 10). Si Paulus, aiunt, hominem solum coram Ecclesia, et non etiam coram Deo a poena residua liberasset, benignitas Pauli fuisset crudelitas, quae hominem poenis gravioribus purgatorii addixisset. At consequentia desideratur.

Peccatori melius erat diutius in purgatorio satispati quam ex desperatione in periculo amittendae salutis versari; quod valet de multis aliis peccatoribus, monente *s. Raimundo de Peñaforte* (apud *N. Paulum* 1, 2): 'Si non potest gaudere sacerdos de omnimoda eius purgatione, gaudeat saltem, quia ipsum liberatum a gehenna ad purgatorium possit transmittere.' Illud 'in persona Christi' intelligi potest de jure a Christo accepto ligandi et solvendi poenas ecclesiasticas."⁷¹

Ratio S. Thomae nequaquam procedit de casu aliquo particulari, qualis est casus objectus, sed de modo quo indulgentia, ex sua ipsius natura, petit posse concedi, et de facto conceditur communiter ab Ecclesia, scilicet ut beneficium generale, in spiritualem utilitatem fidelium qui certas conditiones adimpleant. Talis autem concessio non esset in adiutorium sed in detrimentum Ecclesiae, quia esset subtractiva boni sacramentalis satisfactionis, quae ex opere operato extinguit Purgatorii poenas; nec refert quod fideles possent supplere per suas satisfactiones ex opere operantis, tum quia id est per accidens, nec removeret inconveniens subtractae satisfactionis sacramentalis, tum etiam quia talis satisfactio ex opere operantis a multis, ob humanam fragilitatem, omitteretur, sublato auxilio ipsius obligationis.

Ad rem apte *Suarez*: "Secunda ratio D. Thom. est, quia Ecclesia, concedendo indulgentias, magis damnificaret, quam juvaret fideles, quia absolveret eos a poenitentis injunctis et remitteret ad graviores poenas purgatorii. *Quae ratio optima profecto est*, et apud me non solum probat de facto non fieri talem modum remissionis, sed etiam fieri juste non posse per communes indulgentias; nam talis potestas esset in destructionem potius, quam in aedificationem. Atque in hoc est magna differentia inter poenitentias quae imponuntur in exteriori foro et in sacramentali, quia illae non ordinantur per se ad remissionem poenarum purgatorii, sed ad satisfactionem Ecclesiae, quamvis ex bono usu ipsius patientis possint etiam priorem effectum seu fructum habere, quo non privatur, etiamsi per Ecclesiam tales poenae remittantur, quia sua voluntate potest vel illas vel similes aequivalentes assumere; at vero poenitentia sacramentalis per se primo ordinatur ad satisfaciendum Deo et tollendam purgatorii poenam; et ideo si illa relaxetur et purgatorii poena non auferatur, non in commodum, sed in detrimentum potius peccatoris redundabit.

"Dices: etiam si relaxetur debitum talis poenae ortum ex praecepto confessoris, poterit poenitens sua voluntate illam assumere, et ita non sentiet detrimentum ex illa relaxatione. Respondetur primum, satis esse quod non sentiat commodum, ut talis indulgentia impertinens

⁷¹ Instit. theol. dogm., v. 4, n. 490, Oeniponte, 1935, p. 579.

sit; remissio enim publicae poenae saltem in rebus ad convictum humanum ordinatis, habet commodum, et ideo non est impertinens, quia ad hoc proxime ordinatur; indulgentia vero sacramentalis poenitentiae nec per se ordinatur ad haec exteriora commoda, neque ad illa per se utilis est; et ideo si neque spiritualem fructum affert, impertinens est. Deinde etiam moraliter detrimentum afferret, tum quia ablata obligatione, regulariter homines satisfactiones omittent; tum etiam, quia illudmet opus postea factum non esset satisfactorium ex opere operato, quia jam non habet ordinem ad claves.”⁷²

NOTA. DE FORMULA “INDULGENTIA DE INJUNCTIS POENITENTIIS”, seu de ejus usu ac sensu, necnon de connexionemissionis poenae coram Deo cum remissione poenae canonicae, per eandem indulgentiam peracta.

Olim indulgentia dicebatur fieri “de injunctis poenitentis”. Ut vidimus supra in art. 107 (p. 863–871), a saec. 7 ad saec. 11 concessio indulgentiae exercebatur sub forma redemptionis, seu commutationis poenae canonicae in alia opera satisfactoria. Adhuc saec. 13, teste Alberto M. (cit. in p. 871), theologi definiebant indulgentiam: “Satisfactionis majoris in minorem competens et discreta commutatio”. A saec. 12 ad saec. 14, etiam postquam successit indulgentia sub moderna forma non commutationis sed simplicis remissionis, indulgentiae concessio refertur explicitè ad poenas canonicas, imo exhibetur in frequentibus Ecclesiae documentis sub celebri illa expressione (aut alia aequivalenti): “*Indulgentia de injunctis poenitentis*”, quae quidem sonat relaxationem poenae canonicae.⁷³

Ita *Urbanus II*, qui forte primus indulgentiam sub praedicta remissionis forma concessit, in Conc. Claromontano a. 1095: “Injunctas sibi pro suis delictis poenitentias relaxamus” (cf. in p. 846); *Calixtus II* († 1124): “Remissionem viginti dierum de poenitentis suis . . . consequantur” (Apud Robert, Bullaire de Calixte II, t. 1, p. 260 sq.); *Innocentius II* († 1143): “Ipsis quadraginta dies poenitentiae sibi injunctae . . . remisimus” (M.L. 179, 127); *Alexander III*

⁷² De Poenitentia, disp. 50, sect. 3, n. 5, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1017 sq.

⁷³ Saepe adiungebatur verbum “*et injungendis*”. De quo observat *Beringer*: “Le mot souvent ajouté ‘et iniungendis’ se rapporterait . . . aux pénitences qui seraient encore à imposer au pécheur réconcilié. Car l’Eglise a toujours cru qu’une Indulgence gagnée remplaçait pour le chrétien, en totalité ou en partie, les pénitences, qui, sans cela, devaient lui être imposées d’après les anciens canons pénitentiels ou par le confesseur. Depuis Grégoire XIII, ou même depuis son prédécesseur Pie V, ces mots ‘et iniungendis’ furent avantageusement remplacés par les mots suivants: ‘Vel alias quomodolibet debitibus poenitentis’. Lainez [Disput. Trident., II, 126], dans un ‘votum’ très intéressant, se prononce contre cette clause ‘de injunctis poenitentis’, parce qu’elle donne plus facilement lieu à des malentendus” (Les indulgences [trad. Ph. Mazoyer], Paris, 1925, p. 28).

(† 1181): "Triennium de injuncta poenitentia peccatorum, de quibus vere compuncti sunt et confessi . . . relaxamus" (cf. supra, p. 874), "Annum unum illius poenitentiae, quam corde contrito et compuncto humiliter recepistis . . . relaxamus" (M.L. 200, 250); *Coelestinus III* a. 1195 loquitur de "impositae [in confessione] satisfactionis relaxatione" (cf. supra, p. 872); *Conc. Later. IV* a. 1215: "Quadraginta dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat" (cf. supra, p. 846); *Conc. Viennense* a. 1312: "De poenitentiis injunctis relaxent" (cf. supra, p. 847).

Ea formula paulatim obsolevit; deest in solemnibus documentis supra citatis (in p. 847-853), i.e. Clementis VI, *Conc. Const.*, Sixti IV, Leonis X, *Conc. Trid.*, Pii VI, *Codicis J. C.*; imo, postquam Leo X et Pius VI damnarunt Protestantes et Jansenistas asserentes indulgentiam non esse nisi poenae canonicae remissionem (cf. in p. 836. 842), illa formula vix potuit absque aliqua ambiguitate adhiberi.

Ex dictis in Conclusionem, de remissione poenae in foro divino per indulgentias, patet *sensum hujus formulae* non esse quod per indulgentiam fiat sola remissio poenae canonicae, sive mere disciplinaris, sive etiam sacramentaliter impositae (seu mera deobligatio ab exequenda sacramentali satisfactione). Ulterius tamen quaeri potest quomodo remissio ipsius etiam poenae canonicae jungatur, vel conjungi possit, cum remissione poenae in foro divino, in eadem indulgentiae concessione, ut inde justificetur vel explicetur sensus, saltem historicus, illius formulae "Indulgentia de injunctis poenitentiis."

Et *primo*, nullum est dubium Ecclesiam posse *poenas canonicas non sacramentales* simul remittere in concessione indulgentiae; hoc de facto faciebat in medio aevo, cum indulgentia dicebatur "de injunctis poenitentiis". Imo dicendum est quod, quamvis de essentia indulgentiae sit sola remissio poenae coram Deo, tamen haec, prout est auctoritativa concessio facta ab Ecclesia, extra forum sacramentale, secum trahit necessario etiam remissionem poenae canonicae, quia nequit Ecclesia considerare ut reum in foro Ecclesiae quem ipsa directe et extrasacramentaliter absolvit in foro Dei; potestas enim excommunicandi et potestas concedendi indulgentias pertinent ad eandem potestatem clavis extrasacramentalis, quam Ecclesia exercet proprio quodam jure nec tantum instrumentaliter, etsi prior sit fori externi et altera fori interni.

Propterea *S. Thomas* ait quod indulgentiae "valent et quantum ad forum Ecclesiae, et quantum ad iudicium Dei" (*Suppl.*, q. 25, a. 1), et, loquens de extinctione poenae quae fit per communicationem satis-

factionum alicujus congregationis, factam alicui a praelato illius congregationis, ait eam non esse indulgentiam "quia per illas communicationes quamvis homo solvatur a reatu poenae quantum ad Deum, tamen non solvitur a debito faciendi satisfactionem injunctam, ad quam obligatus est ex praecepto Ecclesiae" (ibid., q. 26, a. 1, cit. in art. 108, p. 897 sq.).

Nec refert quod nunc inter condiciones requisitas ad indulgentiam lucranda sit immunitas ab excommunicatione (can. 927 et 2262, § 1); nam Ecclesia non intendit dare indulgentias excommunicatis, sed si vellet eis dare, eo ipso simul auferret excommunicationem nec posset indulgentiam alicui excommunicato sic velle dare ut ille absolvetur a poena in foro Dei et simul adhuc retineat excommunicationem in foro Ecclesiae, intellecta excommunicatione ut proprie dicta poena peccati.⁷⁴

Secundo, de quaestione an per indulgentiam remittantur etiam *poenae sacramentaliter injunctae*, disputatur inter theologos, ut dictum est in art. 73 (tom. 3, p. 409–413). Post declarationes Benedicti XIV et Leonis XII, unum certum est, scilicet nunc, ratione indulgentiae, non excusari confessarium ab imponenda satisfactione, nec poenitentem ab ea exequenda, quod quidem non necessario pendet a natura rei seu ab intrinseca inefficacia indulgentiae, sed ex voluntate Ecclesiae, sub ea conditione nunc indulgentias concedentis ut non valeant subrogare sacramentalem satisfactionem. In medio aevo autem Ecclesia per indulgentiam deobligabat etiam ab implenda satisfactione sacramentali (modo supradicto in p. 982 sq.) et in hoc praecipue sensu indulgentia tunc dicebatur "ab injunctis poenitentiis" (cf. Suppl., q. 25, a. 1, corp. et ad 4); imo in hoc sensu, seu quatenus indirecte remittebat poenam sacramentalem (et a fortiori quatenus remittebat directe poenam disciplinarem), indulgentia proprius voca-

⁷⁴ Ceterum, ipsa ratio excommunicationis prout definitur exclusio a spiritualibus bonis Ecclesiae (cf. supra, art. 105, p. 799–806), opponitur concessioni indulgentiae. Ad rem *Suarez*: "Dico, excommunicationem privare hominem omni fructu et participatione indulgentiarum directa, et per modum absolutionis; loquor autem de excommunicatione formaliter et ratione sui, et non tantum ratione peccati mortalis, quem solet supponere. Nam licet contingat excommunicatum per contritionem redire ad statum gratiae, non poterit indulgentias lucrari, donec ab excommunicatione absolvetur, quia per excommunicationem privatur efficaciter omni communicatione Ecclesiastica, praesertim interna, et ex communibus Ecclesiae bonis. . . Dubitat vero Ludovic. Bonon., tract. de Indulg., n. 107, an Pontifex concedens alicui indulgentiam videatur approbare statum illius, cui fit concessio; in quo ipse respondet affirmative, citans Abbatem, Consil. 55. Quia censetur, vel declarare illum carere excommunicatione, aut certe absolvere illum, ne incapax sit indulgentiae. Sed in hoc sensu illa divisio non probatur, quia indulgentia supponit statum, seu capacitatem recipientis, non vero confert illum, nisi exprimat; et ideo, quoad hoc non est absoluta et efficax concessio, sed quasi conditionata, si per alium non steterit. Et propterea in concessione indulgentiae saepe conceditur potestas absolventi ab excommunicatione, vel ipsa etiam absolutio datur ad talem effectum" (De Poenitentia, disp. 52, sect. 2, n. 3, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1068).

batur indulgentia vel absolutio, juxta nativam vim horum vocabulorum, ut dictum est in art. praec. (p. 937 sq. 963 sq.).

Tertio, effectus indulgentiae non sic ligatur aut refertur ad impositas satisfactiones sacramentales ut per indulgentias non possit remitti, aut de facto non remittatur, nisi poena debita pro peccatis submissis sacramento poenitentiae, pro quibus nempe debetur sacramentalis satisfactio; sed per indulgentias remittuntur poenae quorumlibet peccatorum, etiam nondum sacramento subjectorum aut pro quibus jam est expleta sacramentalis satisfactio. Contraria autem sententia quorundam antiquiorum nulla solida fulcitur ratione ac fundatur in nimis stricta interpretatione illius formulae "Indulgentia datur de injunctis poenitentiis" quae antiquitus adhibebatur.

Ad rem *Suarez*: "Ecclesia non solum potest remittere hunc poenae reatum per indulgentias, postquam in sacramento est injuncta poenitentia pro peccatis, ex quibus ortum est tale debitum, sed etiam antequam ulla poenitentia sacramentalis injuncta sit, seu antequam talia peccata per confessionem sint delata ad sacramentale forum poenitentiae. Hanc etiam conclusionem existimo esse certam, et etiam in hoc Catholici non dissentiunt. Fundamentum a priori est idem, quia Christus Dominus dicens: 'Quodcumque solveris', non limitavit promissionem, seu potestatem ad reatum poenae, pro qua est sacramentalis poenitentia injuncta; ergo nec nos restringere id possumus contra vim verborum, et sine ullo fundamento auctoritatis, vel rationis. Imo adjungi etiam hic potest auctoritas totius Ecclesiae, quae ita intellexit hanc potestatem, ut ostendit usus plurium indulgentiarum, quae sub hac generali remissione conceduntur, et acceptantur. . .

"Ratio etiam est: nam, si Ecclesia extra sacramentum potest remittere reatum poenae apud Deum, non est, cur expectet, quod pro tali poena sacramentalis poenitentia injuncta sit; quid enim hoc refert ad usum illius potestatis? quamdiu enim satisfactio impleta non est, ita manet reatus et debitum poenae, ac si poenitentia injuncta non esset; si ergo Ecclesia potest remittere tale debitum post poenitentiam injunctam, et nondum impletam, idem etiam poterit, antequam poenitentia injuncta sit, quia non est majus vinculum, nec difficilius ad solvendum. Quin potius difficilius poterat remittere hanc poenam post poenitentiam injunctam, quia denuo est poena taxata, novaque obligatio imposita; si ergo, hac non obstante, potest illa poena remitti, a fortiori poterit antequam ullum iudicium sacramentale de illa latum sit."⁷⁶

⁷⁶ De Poenitentia, disp. 50, sect. 2, n. 3, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1011 sq.; cf. sect. 3, n. 8-21.

ART. 111. *Utrum Indulgentia Tantum Valeat Quantum Sonat, Sive Quoad Ejus Valorem, Sive Quoad Ejus Effectum, Sive Quoad Modum Operandi* (Suppl., q. 25, a. 2; q. 71 per totam, signanter a. 10).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *PROPRIA EFFICACITATE INDULGENTIAE*. In art. praec. consideravimus ipsam naturam effectus indulgentiae, seu quinam sit ille effectus, nunc vero inquirimus de effectus applicatione, quod quidem coincidit cum quaestione de efficacia indulgentiae tum quoad ejus valorem seu in actu primo, tum quoad ejus effectum seu in actu secundo, tum quoad modum quo hic effectus inducitur seu ex opere operato et infallibiliter.

Quaestio ab auctoribus, praesertim antiquioribus, poni solet sub formula "Utrum indulgentia tantum valeat quantum sonat" (Ita Cajetanus et Suarez; S. Thomas et Bonaventura, loco "quantum sonat" ponunt "quantum pronuntiatur", vel "quantum praedicatur", vel "quantum promittitur"), quae quaestio, etsi ex vi verborum referatur ad solam quantitatem valoris, tamen ab auctoribus intelligi etiam solet sive de effectum seu valoris applicatione, sive etiam de modo quo effectus inducitur.

Hinc TRIPLEX PONITUR QUAESTIO, in textu articuli breviter tacta:

1. Utrum valor indulgentiae, seu ejus efficacia in actu primo, mensuretur juxta ipsum tenorem formulae concessionis, et hoc sensu indulgentia tantum valeat quantum sonat. Hoc est: utrum tantus effectus intendatur concedi per indulgentiam, quantum exprimitur in ipsis verbis concessionis, ita ut si dicatur indulgentia esse plenaria, vel partialis, et iterum unius anni vel quinquaginta dierum, revera per eam intendatur conferri remissio poenae plenaria, aut partialis, aut correspondens uni anno vel quinquaginta diebus (interim abstrahendo a proprio sensu istarum expressionum, de quo, in p. 1039-1046), nec proinde quantitas remissionis sit ligata seu mensurata ab aliqua subintellecta conditione, ex natura rei aut ex intentione concedentis attendenda sive ex parte subjecti, uti ejus majori vel minori dignitate, sive ex parte operis exhibiti, uti ejus majori vel minori perfectione, sive ex parte causae concessionis, uti majori vel minori conformitate operis a subjecto praestiti cum praedicta causa concessionis.

2. Utrum effectus seu efficacia indulgentiae in actu secundo, sit

independens, tum quoad suum esse tum quoad suum gradum, a peculiari dignitate subjecti praeter statum gratiae, secus ac effectus sacramenti, et hoc iterum sensu indulgentia tantum valeat quantum sonat.

3. Utrum praedictus valor et effectus indulgentiae conferatur subiecto modo infallibili et ex opere operato, et hoc sensu iterum indulgentia tantum valeat quantum sonat.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM de interpretatione ipsius valoris et concessionis indulgentiae, a communi sententia, affirmante valorem mensurari juxta ipsum tenorem formulae concessionis, discedunt plures antiqui doctores, ut *Albertus M.* et *Bonaventura*, reticito nomine relati et impugnati a *S. Thoma* (Suppl., q. 25, a. 2), quorum triplex fuit modus dicendi.

“*QUIDAM . . . DICUNT* quod hujusmodi indulgentiae non tantum valent, quantum praedicantur, sed unicuique *tantum valent, quantum fides, et devotio sua exigit*. Sed dicunt quod Ecclesia ad hoc ita pronuntiat, ut quadam pia fraude homines ad beneficiendum alliciat; sicut mater quae promittens filio pomum, ipsum ad ambulandum provocat.”

Sensus est: quando Ecclesia concedit, v.g. indulgentiam 50 dierum non intendit praecise tantam indulgentiam conferre, sed subintelligit conditionem dignitatis ex parte subjecti, ita ut digniori indulgentia valeat magis (puta pro 40 diebus), minus digno vero valeat minus (puta pro 20 diebus), et tamen utiliter Ecclesia absolute promittit omnibus 50, etsi reipsa subintelligat praedictam conditionem, ut nempe provocet fideles ad exequenda pia opera, sicut mater parvulum pia fraude decipit, promittens ei pomum quod non est reapse data, ut ex illius desiderio infans provocetur ad ambulandum.

Haec sententia, quae a *S. Thoma* intelligitur de inadaequatione inter valorem realem indulgentiae et valorem declaratum a concedente, intelligitur ab *Alberto Magno* de ipsa negatione omnis valoris indulgentiae, praeter id quod competit unicuique ex mero opere operantis, ac propterea ab ipso vocatur haeresis seu negatio ipsius potestatis indulgentias concedendi (cf. in art. 107, p. 833). Ceterum, probe ab hac sententia distinguas mox referendam opinionem *Cajetani* et *Amort*, qui ex parte subjecti ad lucrandam indulgentiam exigunt non solum statum gratiae sed etiam aliquam actualem dignitatem seu piam dispositionem et studium satisfactionis. Non tamen negatur

aliquam haberi cognationem inter has sententias, quatenus sub aliqua ratione denegant plenam vim indulgentiae eamque a subjecti dignitate pendulam faciunt.

"*ALII DIXERUNT* quod [indulgentiae] valent tantum, quantum pronuntiantur, secundum justam aestimationem, non tamen dantis indulgentiam, qui nimis forte aestimat quod dat, aut secundum aestimationem recipientis, qui nimis parum aestimare posset quod datur; sed *secundum justam aestimationem, quae justa est secundum iudicium bonorum*, pensata conditione personae, et utilitate, et necessitate Ecclesiae: quia uno tempore Ecclesia plus indiget quam alio."

Sensus est: quando Ecclesia concedit, v.g. indulgentiam 50 dierum, haec non necessario importat remissionem correspondentem 50 diebus, sed tantam importat remissionem quanta aestimatur justa, non quidem secundum aestimationem concedentis aut accipientis qui possunt contrario modo rem aestimare, altero putante se nimis concedere, dando 50 dies pro opere praestito, altero putante se nimis parum accipere pro tali opere, sed secundum objectivam aestimationem prudentum, fundatam tum in conditione personae, cui pro opere praestito indulgentia conceditur, tum in utilitate et necessitate Ecclesiae, cui illud opus potest esse magis utile et necessarium uno tempore quam alio; ita, ad reapse consequendam remissionem 50 dierum major eleemosyna exigitur a divite quam a paupere et major in tempore quo Ecclesia pecunia indiget (puta ad finem erectionis locorum sacrorum vel belli contra haereticos) quam quando non indiget vel minus indiget.

Ita *ALBERTUS M.*, scribens: "[Quidam] plusquam oportuit contradicentes [his qui docent indulgentias nihil valere], dixerunt quod simpliciter sicut pronuntiantur indulgentiae, ita valent sine omni alia conditione intellecta vel dicta. Sed quia isti nimis bonum forum dant misericordiae Dei, ideo tertiae opinioni consentiendum mihi videtur, quae eligit viam mediam opinionum, scilicet quod indulgentiae valent sicut eas valere praedicat Ecclesia: sed sex exiguntur conditiones quae suppositae sunt vel dictae ab Ecclesia.

"Duae autem sunt *ex parte dantis*, quarum prima est dantis auctoritas. . . Alia est pia causa dantem movens, non privata, sed publica. . . Alia duo supponuntur *ex parte recipientis*, scilicet quod sit contritus et confessus in voto seu in proposito, et quod habeat fidem, quod hoc sibi possit fieri per clavium potestatem. . . Alia duo exiguntur *ex parte gratiae vel Ecclesiae* in qua fit remissio peccatorum, scilicet abundantia thesauri meritorum repositorum in thecis spiritualibus Ecclesiae. . . et justa aestimatio solutionis ejus, pro qua indulgentia est instituta. Justam autem voco aestimationem, non quae fit ad aestimationem recipientis indulgentiam, qui forte nimis parum aestimaret quod dat, sicut dixerunt quidam: nec etiam ad aestimationem dantis indulgentiam qui nimis parum datum forte aestimaret: et hoc dixerunt alii. *Sed voco justam aestimationem bonorum virorum secundum Ecclesiae necessitatem*, considerato tempore et facultate personae: quia uno tempore plus valet parum adiutorii, quam alio magnum: et plus est uni dare parum, quam alii multum."⁷⁶

⁷⁶In 4 Sent., dist. 20, a. 17, Opera omnia, v. 29, Parisiis, 1894, p. 850 sq.

Ad hanc eandem opinionem sub aliis expressionibus redire conantur *plures posteriores doctores*, ut dicitur in art. 115 (p. 1085. 1091).

“*ALII DICUNT* quod quantitas remissionis in indulgentiis non est mensuranda secundum devotionem tantum suscipientis, ut prima opinio dicebat; neque secundum quantitatem ejus quod datur, sicut dicebat secunda; sed *secundum causam pro qua indulgentia datur*, ex qua reputatur quis dignus ut talem indulgentiam consequatur. Unde secundum quod accedit ad illam causam, secundum hoc consequitur remissionem indulgentiae vel in toto, vel in parte.”

Sensus est: quando Ecclesia concedit, v.g. indulgentiam 50 dierum visitantibus aliquam determinatam ecclesiam, ille qui a remotiori loco venit ad hanc ecclesiam magis consequitur de ea indulgentia (puta 40 dies) quam ille qui venit ex propinquiori loco (puta 20 dies), eo quod prior magis appropinquat ad causam pro qua indulgentia concessa est, puta laborem peregrinationis, ratione cujus praelatus reputavit peregrinantes esse dignos ut gratiam indulgentiae acciperent.

Ita *BONAVENTURA* qui, refutatis duabus prioribus opinionibus, scribit: “Possumus igitur dicere quod quantitas indulgentiae attenditur respectu poenae, secundum quod habet rationem pretii vel debiti solvendi, non ratione antidoti vel purgationis scoriae peccati, quam necesse est amoveri per propriam poenam, ut puta per contritionem vel alicujus poenae perpeccionem. Haec autem quantitas mensuratur secundum rectum iudicium Summi Pontificis vel eius qui indulgentias facit. Ille autem qui dat indulgentias, cum eas tribuit, considerat causam pro qua reputat eum dignum tanta gratia; et *secundum quod plus vel minus accedunt homines ad illam causam, plus vel minus participant de indulgentia*; ut verbi gratia stationes Romae institutae sunt, ubi sunt indulgentiae determinatae. Hoc instituerunt sancti Patres propter peregrinos qui veniebant de locis remotis; nec existimaverunt dignum esse tanta gratia qui est natus iuxta ecclesiam, sicut eum qui longa venit via; unde nec tantam recipit indulgentiam, sed aliquantam.”⁷⁷

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM de independentia effectus indulgentiae a peculiari dignitate subjecti praeter statum gratiae, tam quoad suum esse quam quoad suum gradum, a communi sententia affirmativa dissentiunt praecipue *Cajetanus*, *Navarrus*⁷⁸ et *Amori*,⁷⁹ quatenus docent ad lucrandam indulgentiam requiri in subjecto non solum statum gratiae, tanquam conditionem (ut dicitur in art. 117), sed etiam quandam subjecti dignitatem coram Deo (uti fervorem devotionis et studium satisfactionis), a qua dignitate effectus indulgentiae dependet tanquam a proprie dicta dispositione, sicut effectus sacramenti dependet a subjecti dispositionibus. Ex quo ulterius sequitur

⁷⁷ In 4 Sent., dist. 20, pars. 2, a. un., q. 7, *Opera theologica selecta*, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 529 sq.

⁷⁸ Comment. de Jubilaeo, not. 21, Romae, 1575.

⁷⁹ De origine . . . indulgentiarum, pars 2, sect. 4, *Augustae Vindelicorum*, 1735, p. 208 sq.

ipsam quantitatem seu gradum effectus esse majorem vel minorem juxta gradum praedictae dispositionis, etsi prefati doctores in hanc ulteriorem conclusionem non insistant.

Rationes sunt: 1. Ille qui per se ipsum satisfacere negligit, indignus est qui ab amicis adjuvetur in propriis debitis solvendis (*Cajetanus*). 2. In omni bene ordinata republica, illi qui negligunt per se solvere sua debita, indigni censentur qui in hoc adjuventur ex publico thesauro, potius erogando volentibus nec potentibus suis debitis satisfacere (*Cajetanus*). 3. Nisi effectus indulgentiae penderet a praedicta dispositione, vilesceret imprimis studium poenitentiae et satisfactionis; ipsa deinde facilitas indulgentias acquirendi esset in detrimentum honoris et dignitatis ipsius indulgentiae; praestaretur tandem haereticis facilis ansa invehendi ac debacchandi contra doctrinam et usum indulgentiarum (*Navarrus* et *Amort*).

Ad rem *CAJETANUS*, qui, ut ipse fateri videtur, primus discessit a communi sententia:

"Circa suscipientes indulgentias dubium . . . occurrit . . . an, praeter gratiam, requiratur ex parte suscipientis aliqua alia dispositio. . . [In quo] quidem dubio, pro parte negativa est auctoritas *doctrinae communis* tenentis ad indulgentiam sufficere tria: auctoritatem in dante, gratiam in suscipiente, pietatem in causa. . .

"In hac quaestione, quia difficile admittitur oppositum eorum quae consuevimus, censorem desidero intellectum mundum ab opinionibus. Videtur siquidem mihi rationabiliter dici quod non sufficit sola gratia ex parte suscipientis ad veraciter consequendam indulgentiam coram Deo. Sunt siquidem confessi in gratia duplisis ordinis: quidam solliciti ad satisfaciendum per seipsos pro peccatis suis; quidam negligentes satisfacere per seipsos. Primi condignas poenitentias vel petunt a confessoribus sibi imponi, parati eas implere: vel sponte illas assumunt, dum continue student per sua sancta opera satisfacere, ieiunando, orando, eleemosynas dando, etc., ad hoc. Secundi vero parvissimam poenitentiam aut rogant, aut laeti suscipiunt: et, cum illam impleverint, quam sciunt esse minimam, non curant amplius de satisfaciendo, reputantes sibi sufficere quod non ibunt ad infernum. *Et hi sunt quibus indulgentiae non prosunt, iudicio meo.*

"Et ratio quae me movet est: Nullus indignus aliena satisfactione pro poena sibi debita, consequitur veraciter fructum indulgentiae. Sed quilibet in gratia constitutus negligens satisfacere per seipsum, est indignus aliena satisfactione [i.e. thesauri Christi et sanctorum] pro poena propriis peccatis debita. Ergo nullus constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, acquirit fructum indulgentiae. . .

"*Probatum minor: Primo*, sic. Indignus amicali adiutorio est indignus aliena satisfactione. Sed constitutus in gratia negligens satisfacere per seipsum, indignus est amicali adiutorio. Quoniam amicitiae ratio poscit quod 'amicorum sit idem velle et idem nolle': et propterea, si ego pro meipso nolo satisfacere, par est ut amicus quoque hoc nolit. Quin potius non amice peterem ut, me negligente satisfacere, ipse pro me pateretur. . . *Secundo* probatur eadem minor similiter ex habitudine ad communem Ecclesiae thesaurum. Quia in qualibet bene ordinata republica, quantumcumque rationalis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos aere alieno, negligentes tamen solvere indigni censerentur adiutorio thesauri: ex eo enim quod possunt de suo solvere et non

curant, indignos se reddunt tali sublevamine. Et nisi tales pro indignis haberentur, foveretur negligentia, quoniam alii horum exemplo ad similem negligentiam provocarentur: legis autem est facere non negligentes sed virtuosos. Cum igitur Ecclesia sit a Deo ordinata, aequum non est ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat: hoc enim vere esset enervare satisfactiones poenitentiales.

“Non prosunt igitur indulgentiae constitutis in gratia negligentibus satisfacere per seipsos, quoniam indigni sunt indulgentia: sed oportet, ultra gratiam, dispositos ipsos esse ut digni sint alienis satisfactionibus. Fiunt autem digni per hoc quod sunt parati per seipsos satisfacere: sic enim sunt digni amabili adiutorio ad satisfaciendum, parati autem ad satisfaciendum per seipsos sunt, non qui negligunt per seipsos satisfacere. sed illi soli quorum voluntas sic est ad satisfaciendum parata quod non retardat opus nisi impedita. . .

“Ad objectionem autem in oppositum dicitur, quantum ad *divum Thomam* spectat, quod aliorum opiniones secutus est: ut ipsemet, tria illa colligendo, explicat in IV Sent., dist. XX, qu. 1, art. 3, qu. 2. Quantum vero ad *communem doctrinam*, quia non nisi opinativa est, cum bona reverentia dictum sit, non inconvenit adinventis ab ipsis aliquid novi superaddi, quod sub forma indulgentiae latebat, et ratione probabili roboratur. Et scito quod *iuxta hunc dicendi modum solvuntur omnes quaestiones*: tam de nimis largo Dei foro; quam de omittendis suffragiis pro plenarie absolutis in morte; quam de admiratione sapientum, et de oblocutionibus detrahentium; et excitantur Christi fideles ad poenitentiae opera. *Nec aliquid admittit efficaciae indulgentiarum*: sicut nihil admittit efficaciae sacramentorum ex eo quod oportet accedentes ad illa esse digne dispositos, si fructuosa sibi esse volunt. Soli siquidem indigni indulgentia ab illius fructu, iuxta hunc dicendi modum, excluduntur.”⁸⁰

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM (non confundenda cum secunda) *de influxu ex opere operato et infallibiliter*, distinguas inter indulgentiam pro vivis et indulgentiam pro defunctis.

QUOAD INDULGENTIAM PRO VIVIS videntur convenire doctores in sententiam affirmativam, scilicet indulgentiam infallibiliter prodesse vivis (suppositis aliunde conditionibus ad causalitatem requisitis, tam ex parte causae quam ex parte subjecti, de quibus in art. 114–117, quarum praecipuae sunt auctoritas concedentis, ratio concessionis et status gratiae), quamvis non omnes easdem adhibeant expressiones, quibusdam docentibus indulgentiam prodesse necessario, aliis certo, aliis de condigno seu ex justitia, aliis infallibiliter, aliis ex opere operato, aliis ex opere operato et infallibiliter.

QUOAD INDULGENTIAM VERO PRO DEFUNCTIS, magna observatur apud doctores varietas modorum dicendi, quae commode reduci potest ad triplicem sententiam, alteram affirmantem infallibilitatem, alteram negantem, tertiam denique affirmantem simul et negantem sub diverso respectu seu potius utriusque elementa confundentem.

⁸⁰ Quaestiones de suscipientibus indulgentias, quaesitum primum, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 367 sq.

PRIMA SENTENTIA docet indulgentias infallibiliter prodesse defunctis, non secus ac vivis. Hanc sententiam ut "magis piam" proponit *D. Soto*, ut "admodum piam" *Bellarminus*,⁸¹ ut "longe veriore" *Suarez*, ut "omnibus consideratis praefereendam" *Pesch*, ut veram *Lugo*, *Lépicier*, *Beringer*, *De Augustinis*, *Piscetta-Gennaro*. Pro eadem *Suarez* merito refert *S. Thomam*, *Halensem*, *Bonaventuram*, *Majorem* et *Biel*.

Ratio est tum propria natura indulgentiae, prout est actus auctoritatis Ecclesiae nec mera deprecatio, tum tenor documentorum Ecclesiae (signanter Leonis X ad Card. Cajetanum) quae eodem modo loquuntur de indulgentiis pro defunctis ac de indulgentiis pro vivis.

Ceterum, cum hi auctores dicant hanc potestatem Ecclesiae non exerceri circa ipsos defunctos, etsi sit verus actus jurisdictionis (cf. art. 109), nec necessario importare infallibilitatem ipsius eventus, etsi vere habeat efficaciam infallibilem (ut explicabitur infra, p. 1019-1025), haec sententia non est confundenda cum exaggerata opinione vel praedicatione quorundam pietatis doctorum vel indulgentiarum quaestorum, qui utramque illam determinationem negabant, aut ignorabant, aut praetermittebant.

De qua opinione scribit *Diekamp*: "A nonnullis theologis et praedicatoribus indulgentiarum ea opinio recepta est, qua dicitur Romanum Pontificem etiam in animas in purgatorio degentes jurisdictionem habere atque sustineri posse, eum indulgentiam per modum auctoritatis ipsis applicare. Inde concludebant indulgentiam defunctis infallibiliter dari atque praeter eleemosynam pro indulgentia lucranda requisitam nihil amplius necessarium esse, atque hominem in statu peccati eam pro defunctis lucrari posse. Nonnulli igitur praedicatores quoad sensum id enuntiaverunt, quod istis verbis celeberrimis exprimitur: '*Cum aurum arcam onerat, ex igne anima evolat*'. Attamen major theologorum pars . . . [antiquioris] temporis et hodie omnes negant eventum tam certum esse. Nescimus, utrum anima speciali de causa ad tempus a remissione poenae excludatur."⁸²

Ad rem *SOTO*: "Est tamen hic *dubium solutu non facile*, utrum satisfactiones vivorum valeant illis [defunctis] de condigno; hoc est, de iustitia et lege certa, ita ut quemadmodum si iustus satisfaciat pro vivo existenti in gratia, de iustitia satisfacit, acsi pro se satisfaceret, eademque lege est certum Deum satisfactionem acceptare, ita sit sentiendum si vivus satisfaciat pro defuncto. Est enim a parte affirmativa argumentum, quod cum existentes in purgatorio eadem nobiscum sint charitate coniuncti, apparet, quod eodem modo satisfactio amicorum prosit de-

⁸¹ Attamen S. Doctor, fuse exposita hac quaestione, quam difficillimam appellat, non adhaeret huic sententiae prae contraria, sed tantum concludit: "Ex his sententiis neutram reprobare audeo; videtur enim prior admodum pia, posterior vero valde rationalis" (De indulgentiis, l. 1, c. 14, q. 4).

⁸² Theol. Dogm. (A. Hoffmann), v. 4, Parisiis, 1946, p. 378.

functis, sicut vivis. Ex altera tamen existit non infirmum argumentum quod cum sint iam extra viam, atque adeo non sint in statu merendi aut satisfaciendi, sed satisfaciendi in carcere inclusi non videtur lex certa, ut Deus acceptet satisfactiones, quae pro illis fiunt, nisi ipsi illas in legatis reliquerint, quia illae reputantur suae, reliquas vero acceptabit si pro sua misericordia voluerit, sicuti quandoque nostras audit orationes quandoque minime. *Certe res est dubia*, et quamvis clementius sit credere quod valeant de condigno, non tamen res usqueadeo est certa. Eadem forsitan ratione quis potest dicere de indulgentiis, quae conferuntur defunctis per modum suffragii videlicet, quod non tam infallibili certitudine prosint defunctis quam vivis. *Magis autem piuum est oppositum sentire*: nam parem auctoritatem Deus Ecclesiae tribuit applicandi thesaurum per modum suffragii defunctis, et per modum absolutionis vivis, sicuti et sacrificia offerre pro vivis et defunctis.⁸³

SUAREZ: "Putant . . . aliqui differentiam inter illos modos indulgentiae, in hoc proprie consistere, quod indulgentia per modum suffragii non est omnino infallibilis, sed pendens semper ex libera acceptatione et misericordia Dei; quae vero est per modum absolutionis, est infallibilis, tanquam proprius actus iustitiae. . . Haec vero sententia mihi non probatur, sed longe verius censeo indulgentiam concessam pro defuncto *tam infallibiliter habere in illo effectum, sicut habet in vivente*, quando pro illo conceditur, si caetera sint paria, id est, si in concedente supponatur potestas, et in pia causa sufficientia, seu proportio, et quod opus inunctum, seu conditio postulata sufficienter impleta sit; nam quod ex parte recipientis non possit esse obex, in animabus defunctorum supponimus, cum de solis illis loquamur, quae in purgatorio sunt. Hanc ergo sententiam ex modernis magis probat *Soto*, d. 21, q. 2, art. 3, et d. 45, q. 2, a. 3, et *Navar.*, dict. notab. 22, n. 18. Et *sine dubio fuit opinio S. Thomae*, in 4, d. 45, q. 2, art. 3, quaestiu. 2, ubi supposita forma indulgentiae sufficienti, ita dicit prodesse illam defuncto, sicut vivo. Idemque sentiunt *Alens.*, *Bonavent.*, *Major*, et *Gabr.*, . . . et alii Doctores, praesertim antiqui. Et iudicio meo colligitur aperte ex illa epist. Leonis X ad Cajetanum, [nam] . . . cum indistincte, eodemque tenore de vivis et defunctis loquatur, plane significat, aequae certam et infallibilem esse indulgentiam utrisque concessam.

"Deinde expendo verbum illius, 'Apostolica auctoritate'; omnis enim dispensatio auctoritate Apostolica facta, etiamsi jus ipsum divinum aliquo modo attingat, ut est dispensatio in voto, vel alia similis, valida est, si ex rationabili causa fiat; ergo etiam in praesenti dispensatio thesauri, quae fit auctoritate Apostolica pro defunctis, infallibiliter est valida, et efficax apud Deum, si ex rationabili causa fiat, ut supponimus. . . Nam clavis semper aperit, si non errat, id est, si rationabiliter id intendat, alioqui inepta esset clavis, et solum ex illius defectu et inefficacia non sequeretur effectus, quod plane repugnat verbis Christi. Si ergo indulgentia pro defunctis vere est actus clavium, cum procedat ab Apostolica auctoritate, efficax est et infallibilis, si ex rationabili causa fiat."⁸⁴

LUGO: "Aliqui dixerunt, concessionem per modum absolutionis significare infallibilitatem effectus, secus vero, quando fit per modum suffragii, quia, quando Pontifex indulgentiam vivo concedit, ipsemet accepto pretio ex thesauro, acceptat illud pro debito poenae, et profert sententiam absolutionis a priori debito, cum nondum inveniat sententiam a Christo prolatam, at vero mortuum, quem jam invenit iudicatum a Christo, et qui subditus ejus non est non potest judicialiter liberare, et absolvere, sed solum offerre pretium pro illo, ut Christus illud misericorditer acceptet. Unde effectum hunc non esse infallibilem, dixerunt Cajet. . . Cano . . . et Corduba. . .

⁸³ In 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 3, ed. Venetiis, 1575, t. 1, p. 1003.

⁸⁴ De Poenitentia, disp. 53, sect. 3, n. 1-3, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1103 sq.

"Hic tamen modus explicandi *multum derogat indulgentiarum valori*: nam, si oblato pretio, potest adhuc non acceptare, fere idem possent alii fideles in ordine ad defunctos, quod ipse Pontifex, omnes enim possent orare Deum, ut acceptaret aliquod pretium ex thesauro, et illud pro tali anima applicaret: quibus precibus diximus supra aliquando obtineri a Deo remissionem poenae per viam impetrationis. Unde illa sententia *non cohaeret satis cum locutionibus Pontificum*, qui effectum hujus indulgentiae pro defunctis *in eodem gradu collocare videntur, quoad certitudinem, cum effectus indulgentiae pro vivis*, ut constat ex verbis Leonis X. in . . . decretali ad Cajetanum missa, ubi dicit, quod Papa potest vivis et defunctis tollere impedimentum peccatorum, et aperire coelorum regnum, concedendo indulgentias. . . In quibus verbis, utrisque, vivis et defunctis, promittitur universaliter, et absque haesitatione indulgentiae effectus; dum tamen legitime et debite concessa et acquisita fuerit, quae conditio non significat, effectum habendum, si efficaciter acquisita fuerit, hoc est, acceptata a Deo quoad effectum; haec enim esset ridicula definitio, perinde ac si diceres: Habebit semper suum effectum, si Deus voluerit quod illum habeat: sed debet intelligi de acquisitione indulgentiae, prout distinguitur ab effectu, et illum antecedit: hoc est, quoties juxta potestatem acceptam, Papa illam concedit, et fideles legitime acquirunt illud jus quod indulgentia eis promittit, toties habituram suum effectum. Ratio autem est: quia, cum hic effectus, et haec potestas Pontificis fundetur in auctoritate apostolica, et utrisque detur indulgentia ex auctoritate apostolica, ut dixit Leo, necesse est, quod fundetur in promissione Christi, atque adeo, quod *sit infallibilis*, sicut et ipsa Christi promissio infallibilis est."⁸⁵

LÉPICIER: "Utrum indulgentiae prosint defunctis infallibiliter? *Resp. Affirmative*: nullum quippe est impedimentum ex parte defunctorum qui sunt in gratia confirmati, nec ratio est cur Deus, qui alia Ecclesiae suffragia semper acceptat, ut testatur S. Augustinus [Enchir. 110; De cura pro mortuis, 1 et 4], indulgentias non acceptet: unde et Angelicus nullam distinctionem facit quantum ad efficaciam indulgentiae vivis et defunctis concessae. Similiter dicendum est quod etsi, quantum ad consolationem et gaudium spirituale ex caritate proveniens, indulgentiae pro defunctis aequaliter omnibus prosint, tamen, quantum ad effectum satisfactionis et liberationis a poenis specialiter illis prosunt quibus a viventibus applicantur. . .

"Iuvat autem ponderare verba Leonis X, quibus indulgentias omnibus prodesse testatur, vivis scilicet per modum absolutionis, defunctis vero per modum suffragii. Enimvero, effatum est catholice certum, indulgentias vivis concessas, eisdem infallibiliter prodesse, dummodo omnes debitaе conditiones impleantur: *quidni defunctis etiam infallibiliter proderunt?* Porro, vix possunt explicitiora verba desiderari. Declarat enim Pontifex se, in virtute clavium, posse non modo culpam in poenitentiae sacramento, sed etiam poenam remittere, 'apostolica auctoritate thesaurum Iesu Christi et Sanctorum dispensando, et per modum absolutionis indulgentiam ipsam concedendo, vel per modum suffragii illam transferendo'. Comparari ergo valent indulgentiae vivis concessae, indulgentiis quae auctoritate clavium defunctis applicantur *quantum ad applicationis efficaciam*, licet modus applicationis sit diversus: his enim per modum suffragii illae transferuntur, illis autem per modum absolutionis conceduntur.

"Quae autem sequuntur verba expressius adhuc rem declarant. Revera, dicitur, 'omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena, secundum divinam iustitiam, pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessae et acquisitae indulgentiae aequivalet': *ubi profecto defuncti vivis aequiparantur, quantum ad infallibilem indulgentiarum effectum*. Quod autem de indulgentiis auctoritate Ecclesiae hic dicitur, hoc et de suffragiis quibuscumque etiam privata auctoritate factis pari ratione valet: *non*

⁸⁵ De Poenitentia, disp. 27, sect. 5, n. 59, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 503 sq.

enim ad hoc clavium potestas requiritur, ut indulgentia translata efficaciam sortiatur, sed ut thesaurus ipse, cuius dispensatio ad Ecclesiam pertinet, actu dispensetur, et quidem in casu dispensetur translativae; nam Indulgentia sic translata, non ex vi clavium, sed ex naturae suae indole, efficaciam obtinet, sive ex vi meritorum Christi et Sanctorum quae applicantur: unde, sicut clavium potestas non requiritur nisi ad translationem valide faciendam, non autem ut adiciat vim intrinsecam indulgentiae translatae, ita suffragia, privata auctoritate facta et in defunctos translata, nativam suam efficaciam infallibiliter sortiuntur."⁹⁸

PESCH: "Ad hanc difficultatem solvendam inservit, quod docent plurimi et maximi theologi, indulgentiam utpote auctoritative concessam habere per se effectum infallibilem, orationes vero simplices ex misericordiae acceptance Deum pendere, seu indulgentias valere de condigno, orationes vero de congruo tantum. . . Argumentum praecipuum est, quia Leo X dicit summum pontificem 'auctoritate apostolica indulgentiam concedendo . . . per modum suffragii illam transferre consuevisse', ex quibus verbis Suarez putat aperte sequi suam doctrinam. . . An potest Deus dare auctoritatem distribuendi thesaurum in utilitatem defunctorum et nihilominus, quando haec distributio auctoritative fit, eam reicere? Eo ipso igitur, quod Deus summo pontifici auctoritatem dedit defunctis indulgentiam applicandi, sese etiam promissione obligavit ad indulgentias pro defunctis acceptandas.

"Nihilominus alii hanc sententiam non admittunt vel dicunt indulgentias defunctis tantum prodesse secundum misericordem acceptance Deum; ergo non infallibiliter. Ita Caietanus. Pro qua sententia optima ratio haec est, quod, si indulgentiae defunctis infallibiliter prodesse, non deberet plenaria indulgentia saepius eidem defuncto applicari, id quod fideles facere et ecclesia approbare solet. Deinde si ne sacrificium quidem infallibilem efficaciam pro defunctis habet, ergo a fortiori non habent eam indulgentiae.

"At hoc exemplum non est valde urgens; nam fructus missae secundum obiectivas et immutabiles leges, licet nobis ignotas, a Deo determinatus est, neque summus pontifex sua auctoritate efficere potest, ut missa aliqua sit plus vel minus efficax in actu secundo; contra autem potest maiores vel minores indulgentias concedere, prout ei videtur. Ad priorem vero rationem multa responderi possunt. Imprimis enim altera sententia non ita certa est, ut non pium sit saepius haec suffragia praestare defunctis, praesertim cum hoc conditionate fiat, scilicet si defuncti iis indigeant; nisi enim indigent, aliis applicabuntur. Secundo saepe fideles ignorant, num revera praestiterint omnia, quae ad lucrandam totam indulgentiam necessaria sunt; ergo ad cautelam et conditionate novae indulgentiae applicatio rationabiliter fit. Tandem potest aliqua anima habere specialem obicem, quatenus ob certa eius peccata in hac vita commissa Deus eam excludat a communicatione suffragiorum, donec ira divina placata sit (cf. Lehmkuhl II", n. 668). Hoc autem non obest infallibilitati indulgentiarum, non magis quam obest efficaciae sacramentorum, quod gratiam non dent habenti obicem. Infallibilitas enim hic nihil aliud est nisi valor operis in actu primo ad satisfaciendum de condigno et generalis acceptatio divina vi promissionis factae, quae semper pro particulari casu annexam habet hanc condicionem: nisi obex ponatur.

"Itaque omnibus consideratis praeferenda videtur sententia prior, quia melius concordat cum verbis summorum pontificum, et quia magis commendat auctoritatem ecclesiae, divitias thesauri eius, caritatem et misericordiam Dei. Haec igitur sententia non praecipue in eo fundatur, quod alius pro alio de condigno satisfacere potest, sed in eo, quod romanus pontifex auctoritative concedit indulgentias pro defunctis. Si vero nolis hanc sententiam admittere, dicere poteris fidelem, qui

⁹⁸ De Poenitentia, Romae, 1935, p. 574-576. Cf. ejusdem auctoris Les Indulgences, Paris (1902), t. 1, p. 115-118.

indulgentiam Deo pro defunctis offerat, habere meliorem titulum et ideo certioorem confidentiam, quam qui sine indulgentia simpliciter Deum oret pro defunctis. At haec explicatio valde enervat conceptum indulgentiae."⁸⁷

BERINGER etsi minus clare, eandem sententiam, quoad suam essentiam proponit: "D'après la doctrine commune [?], les Indulgences profitent aux défunts non pas seulement en général, mais aussi à ceux en particulier pour qui elles sont offertes à Dieu et, en principe, elles leur sont appliquées dans toute leur valeur.

"Car, outre qu'un paiement — et l'Indulgence est un paiement — profite à celui pour lequel il est effectué, la communion des saints, dont les âmes du purgatoire font partie, nous donne ici une certitude plus grande encore que lorsqu'il s'agit de la communication des oeuvres satisfactoires entre les vivants. En effet, d'une part, l'obstacle de la coupe du péché ne se trouve pas dans ces âmes du purgatoire; d'autre part, il n'y a aucun motif d'affirmer que la volonté ou l'intention de celui qui offre ses suffrages pour les défunts n'est pas pleinement acceptée par Dieu, du moins en principe. C'est sur cela que reposent et la pratique générale de l'Eglise et la croyance des fidèles, que ces Indulgences profitent en réalité à ces âmes en particulier pour qui elles sont offertes. Il suffit de repeller l'Indulgence de l'autel privilégié, qui, nous le verrons ailleurs, ne peut être appliquée qu'à l'âme pour laquelle le prêtre offre le saint sacrifice.

"Il faut donc appliquer ici la règle formulée en général par saint *Thomas*: 'Les Indulgences valent ce qu'elles sont dites valoir, pourvu que, du côté de celui qui l'accorde, il y ait l'autorité et, du côté de celui qui la reçoit, l'état de grâce et, du côté de la cause, un motif pieux'. Il n'y a pas de raison pour restreindre cette règle aux Indulgences accordées aux vivants. La Décrétale de Léon X l'affirme plus clairement encore, et *Suarez* y joint cette remarque: 'Comme il (le Pape) parle ici sans distinguer entre les vivants et les défunts, il indique clairement que l'Indulgence est également certaine et infaillible pour les uns et pour les autres. En outre, remarquons l'expression 'par l'autorité apostolique': car toute dispense accordée par l'autorité apostolique, alors même qu'elle touche le droit divin lui-même, comme le fait la dispense d'un vœu ou une autre dispense semblable, est valide si elle est accordée par un motif raisonnable; donc, aussi dans le cas présent, la dispensation du trésor de l'Eglise, faite par l'autorité apostolique en faveur des défunts, est infailliblement valide et efficace auprès de Dieu, si elle est faite, comme nous le supposons, pour une cause raisonnable'.

"Toutefois, à propos de l'Indulgence plénière attachée à l'autel privilégié et qui est à bon droit regardée comme le plus sûr moyen de secourir les défunts, la Sacrée Congrégation des Indulgences a déclaré, le 28 juillet 1840: 'Par l'Indulgence de l'autel privilégié, si l'on considère l'intention de celui qui l'applique et l'usage du pouvoir des clefs, il faut entendre une Indulgence plénière qui peut délivrer aussitôt l'âme de toutes les peines du purgatoire; mais, si l'on considère l'application effective de cette Indulgence, il faut entendre par là une Indulgence dont la mesure correspond, du côté de la miséricorde divine, à l'acceptation des satisfactions offertes.' Mais cela, nous semble-t-il, veut dire seulement que l'Indulgence de l'autel privilégié appliquée à une âme ne l'introduit pas infailliblement tout aussitôt dans le ciel; mais, pour les motifs rappelés plus haut on peut espérer qu'il en est ainsi. En effet, ici, comme en général pour les Indulgences appliquées aux défunts, il ne s'agit pas d'un simple pardon accordé par la miséricorde, mais bien plutôt d'une remise de la dette, en vertu d'un paiement effectué en même temps et emprunté au trésor de l'Eglise.

"Pour les autres Indulgences appliquées aux défunts, il n'est pas non plus infailliblement certain qu'une Indulgence plénière soit équivalente à la remise de la dette.

⁸⁷ Prael. Dogm., t. 7, m. 478 sq., Friburgi Bg., 1920, p. 233 sq.

de toutes les peines du purgatoire que telle ou telle âme a encore à souffrir. Car il peut se faire que la mesure des peines dues à cette âme soit extraordinairement grande, ou que la personne vivante n'ait point accompli entièrement, avec zèle et piété, les oeuvres prescrites. Il n'est pas impossible, aussi, que, dans certains cas, la Providence divine retarde du moins pour quelque temps l'application du suffrage à telle ou telle âme du purgatoire, pour des motifs que Dieu seul connaît, par exemple parce que, sur la terre, cette âme a pris peu de soin de se rendre digne de ce secours, parce qu'elle a dédaigné les Indulgences, parce qu'elle n'a rien fait pour soulager les âmes du purgatoire. On comprend dès lors que, malgré leur confiance dans la valeur des Indulgences, l'Eglise et les fidèles s'emploient à appliquer aux défunts le plus grand nombre possible de ces Indulgences. Si les âmes que nous voulons secourir de la sorte sont déjà dans le ciel, la bonté et la sagesse de Dieu les feront servir à d'autres âmes, par exemple à nos parents défunts, conformément à notre intention ordinaire.⁷⁸⁸

SECUNDA SENTENTIA docet indulgentias non infallibiliter prodesse defunctis. Ita *Cajetanus, Cano, Corduba, Navarrus, Theodorus a Spiritu S., Billuart, Perrone, Hurter, Hugon, Galtier, Diekamp, Fanjani, Dafara*, quibus quoad rem accedunt fere omnes quos citabimus in sequenti sententia.

Rationes sunt: 1. Decretum S. C. Indulgentiarum (cit. infra, p. 1019) directe favet huic sententiae. 2. Nulla adest promissio divina, vi cujus Deus censeatur necessario acceptare indulgentiam pro defunctis. 3. Haec indulgentia non datur directe ipsis defunctis vi auctoritatis quam Ecclesia in eos non habet. 4. Ea fit per modum suffragii seu impetrationis, quam Deus non tenetur exaudire. 5. Anima ingrediens Purgatorium jam judicata est per sententiam definitivam et irreformabilem, ergo nequit ei amplius remitti poena infallibiliter et per modum justitiae, sed tantum ex mera liberalitate, secus Deus reformaret sententiam suam. 6. Alia suffragia quae applicantur ex opere operantis, necnon ipsum sacrificium Missae, non prosunt defunctis infallibiliter, ergo nec a fortiori indulgentia. 7. Si indulgentia infallibiliter prodesset defunctis, frustra pluries eidem defuncto applicaretur indulgentia plenaria, cum in eo nulla indispositio esse possit quae obstet illius consecutioni.

Ad rem *CAJETANUS*: "Ex hoc . . . ipso, quod indulgentia modum Ecclesiastici suffragii satisfactorii induit, una eadem est via, per quam Ecclesiae suffragia satisfactoria . . . ad defunctorum animas perducuntur, et per quam indulgentia per modum suffragii ad illas pervenit. Et via haec non est via iustitiae, sed via gratiae seu misericordiae. . ."

"Prima fronte apparet quod indulgentiae sicut et alia communia Ecclesiae suffragia omnibus in Purgatorio existentibus pro quibus fiunt, prosint. . . Si tamen diligentius perspexerimus, oppositum apparebit, sectando Augustini doctrinam in Enchiridio, et in lib. de Cura pro mor. ger. . . Videtur enim quod *Ecclesiae suffragia saltem specialia, et similiter indulgentiae*, quae ut specialia suffragia subrogantur, *illis solis defunctis prosint qui in hac vita meruerunt, ut in Purgatorio*

⁷⁸⁸ Les indulgences (trad. par. Ph. Mazoyer), t. 1, n. 44-46, Paris, 1925, p. 38-40.

haec illis prodessent. . . Videntur autem ad accidentalialia haec merita spectare, devotio magna ad claves Ecclesiae indulgentiae donativas, misericordia, sollicitudo ad satisfaciendum pro peccatis, studium ad suffragandum defunctis, et similia. . . Dicendum ergo videtur, quod omnes, qui in Purgatorio sunt, possunt Ecclesiae suffragiis et indulgentiis iuvari: sed de facto specialibus suffragiis et indulgentiis non omnes iuvantur, sed illi soli, qui hic meruerunt, ut illic iuvarentur. Communibus autem suffragiis pie puto omnes iuvari: plus tamen et minus secundum divinae dispositionis gratiam. Nam qui in hac vita defunctos oblivioni dant, satisfacere propriis peccatis negligunt, et sui ita sunt, ut vix cum gratia discedant, alienos a fructu omnium suffragiorum ibi crediderim: quamvis multa pro eis hic fiant, divina ulciscente iustitia huiusmodi duritiam cordis atque incuriam. . .

“Ex . . . praemissis [sequitur] . . . non omnes animas in Purgatorio oportere liberari propter plenariam indulgentiam illis concessam: tum quia multae earum sunt forte de illarum numero, quae hic non meruerunt, ut huiusmodi indulgentiae illis prodessent: tum, quia non constat, si huiusmodi indulgentia per modum suffragii coram divina acceptata sit gratia pro illa anima.”⁸⁰

BILLUART: “Petes . . . utrum Deus teneatur ex iustitia, seu certa lege, acceptare indulgentias applicatas defunctis? *R. negative;* quia ad hoc nullibi se obligavit: iudex autem supremus non tenetur acceptare commutationem poenae sibi debitae, nisi ad id promissione se obligaverit. Neque obstat promissio, Matth. 16: ‘Quodcumque solveris’, etc., haec enim spectat vivos duntaxat quibus applicantur indulgentiae per modum absolutionis; gratuito ergo et misericorditer acceptat Deus indulgentias applicatas defunctis; ea tamen acceptance posita, intervenit iustitia, quia satisfactiones de thesauro Ecclesiae sunt iusta compensatio et de condigno poenarum quas defuncti pati debent in purgatorio.

“Hinc inferes, *saltem probabilius, indulgentias applicatas defunctis non semper habere certum et infallibilem effectum;* cum enim Deus ex mera misericordia et liberalitate acceptet, non constat eum illas semper acceptare, sive in toto sive in parte. Et hic est sensus communis fidelium qui, applicata indulgentia plenaria alicui defuncto, puta sacrificium in altari privilegiato, nihilominus pro illo offerre alia sacrificia et orare pergunt.”⁸⁰

PERRONE: “Tam vivos quam defunctos Christi fideles esse subjectum capax Indulgentiarum, abunde constat ex dictis. Dispar tamen est utrorumque ratio in ordine ad illas. Etenim respectu viventium, si nihil obstat vel ex parte dantis, vel ex parte recipientis, vel etiam ex parte causae, *certus est ac infallibilis Indulgentiarum effectus,* cum sint vere iudicariae absolutiones, relaxationes et donationes ex potestate clavium provenientes, plane ut in absolutione sacramentali, quae ex eadem clavium potestate confertur. Respectu autem defunctorum, quoniam ipsi in Ecclesiae iuribus non sunt, sed solius Dei dominio subsunt, *non ita certus est earumdem Indulgentiarum effectus.* Nam Indulgentiae, quae pro ipsis conceduntur, uti iam paulo ante adnotavimus, solam habent rationem suffragii, precationis, oblationis vel solutionis; quam propterea Deus absolute respuere potest, cum non teneatur ex fidelitate eas acceptare. . . Non desunt tamen, qui contrarium sentiant. . .

“Atque hic obiter adnoto, ex doctrina quam juxta communem Theologorum sententiam adstruximus circa Indulgentias pro defunctis concessas, penitus evanescere incredulorum difficultatem, dum asserunt, spectato Indulgentiarum numero pro defunctis, arithmetice ostendi, nullam animam in Purgatorio detineri. Risu haec excipienda sunt; siquidem, *cum juxta doctrinam catholicam Indulgentiae pro defunctis infallibilem effectum non habeant,* atque ex Dei beneplacito pendeat

⁸⁰ Opuscula omnia, t. 1, tract. 16 De indulgentiis quaestiones sex, q. 5, Lugduni, 1581, p. 104, col. 1 sq., et p. 105, col. 1.

⁸⁰ Tract. de Indulgentiis, diss. unic., a. 6, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 525 sq.

ipsarum acceptatio, mathesis nullam potest supputationem instituere, nec problema solvere."⁹¹

HURTER: "Prosunt autem indulgentiae animabus non solum in genere, sed et in specie iis, quibus applicantur, quamvis *dubium sit, utrum infallibiliter et semper, et secundum totum earum valorem*. Ostendi enim nequit, Deum teneri illas acceptare. Probabile admodum est, etiam quoad indulgentiarum efficaciam valere regulam, quam relate ad alia suffragia statuit Augustinus: 'Sed eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possent prodesse, meruerunt. . . Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam relevari vel gravari'."⁹²

HUGON: "Deus non tenetur illas indulgentias acceptare, sed ex misericordia acceptat, quia preces Ecclesiae dignae sunt quae non respiciantur. Posita autem acceptatione intervenit quaedam justitia."⁹³ Prosequitur citans supra relata verba Billuart.

FANFANI: "Effectus indulgentiarum infallibilis quidem est, servatis servandis, respectu vivorum, cum auctoritative de ipsis Ecclesia valeat iudicare; *minime vero infallibilis est respectu animabus purgatorii*, quia Ecclesia non habet erga ipsas omnimodam competentiam in relaxando earum poenas: aliunde nulla est authentica promissio ex parte Dei se infallibiliter accepturum illas satisfactiones ex thesauro Ecclesiae depromptas et sibi oblatas pro liberatione defunctorum. Licet, satis fundatam spem habere debeamus quod etiam indulgentiae defunctis applicatae semper eis prosint, si non secundum totum, saltem secundum partem: tum quia oblationes istae Deo offeruntur non a privatis, sed ab Ecclesia, eius sponsa dilectissima et ad hoc officium praestandum electa; tum quia haec peragit Ecclesia pro animabus Deo dilectissimis; tum denique quia plus semper offert quam requiritur ad debitum solvendum, pretium, inquam, sanguinis Christi et satisfactionum superabundantium Sanctorum."⁹⁴

DAFFARA: "Non est certum quod Deus ex iustitia teneatur has indulgentias pro defunctis acceptare; nulla enim est promissio de hac re; nam verba: 'quodcumque solveritis etc.' (Matth. 18, 18) directe respiciunt vivos. Innituntur ideo sola misericordia Dei, sicut et suffragia. Huc spectant verba Decreti S. Congr. Indicis a. 1840 de 'altari privilegiato'. . . Hinc non potest indulgentiis, quae defunctis applicantur, *certus effectus infallibilis assignari*."⁹⁵

DIEKAMP: "A sola voluntate Dei dependet, utrum revera indulgentiam isti animae dispenset. Generaliter quidem praesumere licet Deum huiusmodi precibus obtemperare intendere. At utrum huic vel isti animae indulgentia ei per modum suffragii applicata revera concedatur, compertum non habemus. Ergo indulgentiae pro vivis quidem per modum absolutionis operantur et certo eis applicantur, si suscipiens omnes condiciones implevit; indulgentiae vero pro defunctis per modum suffragii operantur ideoque *certum eventum non habent*, licet vivus, qui animae defunctae eas applicare intendit, omnes condiciones impleverit."⁹⁶

GALTIER: "Utrum et in quo gradu Deus, intuitu indulgentiae certae animae applicatae, reatum ejus dimittat, non hominum est praejudicare. S. Congregatio indulgentiarum olim interrogata de efficacitate indulgentiae, quae dicitur altaris privilegiati, responsum dedit, cui sapientissime unusquisque stare potest. . . Mens

⁹¹ Tractatus de indulgentiis, scholia post prop. 4, n. 87, Prael. Dogm. v. 3, Parisiis, 1874, p. 380 sq. in textu et in nota.

⁹² Theol. Dogm. Comp., t. 3, n. 672, Oeniponte, 1891, p. 508.

⁹³ Tract. Dogm., v. 3, Parisiis, 1948, p. 634.

⁹⁴ De indulgentiis, Taurini-Romae, 1926, p. 33.

⁹⁵ De sacramentis et novissimis, n. 810 (Taurini), 1944, p. 558.

⁹⁶ Theol. Dogm. (ed. A. Hoffmann), v. 4, Parisiis-Tornaci-Romae, 1946, p. 377 sq.

. . . Summi Pontificis, dum concedit indulgentiam plenariam, est depromere, vi potestatis clavium, ex thesauro Ecclesiae, in favorem animae cui applicabitur, *quantum de se sit satis ad exsolvendum totum ejus debitum*; at, ex parte Dei, incertum manet *utrum et quo in gradu* Deus, intuitu hujusmodi oblationis, condonet animae pro qua supplicatur.

"Quidquid proinde apud auctores, sicut et apud non paucos olim indulgentiarum praedicatores," legitur de infallibili et instantanea liberatione animarum quibus indulgentia applicatur, divinatione potius innititur et amandandum est inter eas 'difficiliores ac subtiliores quaestiones, quae ad aedificationem non faciunt et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio,' quaeque propterea a Concilio Tridentino jubentur 'apud plebem rudem a popularibus concionibus secludi' (Sess. XXV: decret. de purgatorio D-B. 983; C. 1462). Imo, cum, admissa pro indulgentiis efficacitate *quae de se seu de lege ordinaria esset infallibilis*, vix intelligatur cur Summus Pontifex non statim liberaret a purgatorio omnes animas, ita ut post tot ac tantas indulgentias vix ibi detentae manerent eae quae propter motivum aliquid extraordinarium seclusae fuissent ab hoc beneficio consequendo, *opinio quae hujusmodi efficacitatem admittit adeo incerta est ut specie falsi saltem laboret, proindeque, suadente eodem concilio, melius non permittatur evulgari ac tractari.*"⁹⁸

TERTIA SENTENTIA media, ob rationes duarum praecedentium, conatur eas in unam componere, infelici tamen exitu, ut videtur, et cum dispendio claritatis et consequentiae, cum revera nihil aliud sit quam ipsa secunda sententia verbis ambigua dealbata. Docet enim efficaciam indulgentiae pro defunctis esse *infallibilem secundum se sed non de facto, vel in actu primo sed non in actu secundo, vel secundum vim concessionis sed non secundum applicationem, vel generaliter pro defunctis sed non pro determinata anima pro qua applicatur, vel, si pro determinata anima, non tamen quoad totum effectum*. Commune principium est, quod propria vis hujus indulgentiae repetenda est ex divino beneplacito, cum sit ad modum suffragii; communis conclusio est, quod nequit dici haec particularis indulgentia applicari huic determinato defuncto cum ea certitudine qua dicimus indulgentiam applicari alicui vivo. Propterea nihil differt haec sententia a praecedenti, nisi verbis aut formularum ambiguitate.

Eam proponunt plures moderni, uti *Van Noort-Verhaar, Lercher, Boyer, Piolanti, Lehmkühl* (ed. 1902, n. 532), *Cappello, Noldin-Schmitt, Heylen, De Angelis.*⁹⁹

Ad rem *VAN NOORT-VERHAAR*: "Quum . . . ostendi nequeat Deum teneri solutionem, pro defunctis ab ecclesia oblatam, accipere, quia non adest promissio, dicendum est hanc acceptationem a misericordia et liberalitate Dei pendere. Hinc: *a.* omnino certum est indulgentias defunctis generatim loquendo prodesse; *b.* moraliter certum est indulgentias defunctis determinatis, pro quibus offeruntur, saltem aliquatenus prodesse; *c.* minime certum est indulgentias defunctis determinatis

⁹⁸ Cf. *N. Paulus: Der Ablass für die Verstorbenen am Ausgange des Mittelalters*, apud ZSKT, XXIV (1900), p. 253-256, et *Johann Tetzl*, p. 138-149 et 159 sqq.

⁹⁹ De Paenitentia, n. 600, Parisiis, 1931, p. 457 sq. Cl. auctor idem fusius asserit in Dict. Apol., art. Indulgences, col. 722-724.

¹⁰⁰ Quidam alii, memoratis variis sententiis, rem in judicatum relinquunt, etsi videantur inclinare in secundam sententiam.

semper prodesse *secundum totum suum valorem*. Hunc esse sensum ecclesiae, patet tum ex praxi qua consuevit multas indulgentias etiam plenarias pro uno eodemque defuncto concedere atque offerre, tum ex responso S. Congr. de Indulg. circa sensum indulgentiae altaris privilegiati.¹

LERCHER: "Nihil dubium, quin suffragium Pontificis effectum infallibilem *pro defunctis in genere* habeat, licet hoc certo affirmari nequeat in ordine ad determinatam animam, cui indulgentia applicatur. Fieri enim potest, ut ex occulto Dei iudicio in determinato defuncto adsit obex impediens, quominus ipsi solutio ex thesauro prosit."²

PIOLANTI: "Ad effectum autem quod attinet, cum nulla Dei promissio ex fontibus revelationis colligi possit, dicendum est huiusmodi suffragii acceptationem ex divina misericordia et liberalitate pendere. Verum, quia vix credi potest Deum Ecclesiae suae oranti aurem avertere, haud falso existimatur has indulgentias a) semper aliquid prodesse, b) probabiliter pro determinatis defunctis valere, c) *mensura tamen Deo soli cognita*."³

NOLDIN-SCHMITT (n. 315): "Indulgentiae vis concessae, positus conditionibus ab ecclesia praescriptis, certum quidem et infallibilem effectum habent: illos enim auctoritate sua ecclesia absolvit; indulgentiae autem defunctis applicatae, positus omnibus conditionibus requisitis, *infallibilem quidem effectum habent*, quatenus Deus pro defunctis eas acceptat, *at infallibilem effectum non habent*, quatenus eas *determinatae animae*, pro qua offeruntur, vel *in ea mensura*, secundum quam offeruntur, applicat; haec applicatio a Dei beneplacito dependet."

DE ANGELIS: "*Magna ac difficilis quaestio . . . agitur inter Doctores an effectus indulgentiae pro defunctis sit infallibilis. . . Si inter sententias tot magni nominis Doctorum liceat mentem nostram aperire, audemus dicere, sicut non pauci opinantur, quod si quaestio ponatur generatim, an scilicet Deus indulgentias pro defunctis acceptet in satisfactionem poenae temporalis ab ipsis in purgatorio luendae, tuto affirmari potest eius effectum esse infallibilem.* Adest enim Ecclesiae thesaurus; adest Communio Sanctorum, ob quam unum membrum potest debitum pro alio solvere ac proinde fideles Ecclesiae militantis satisfacere possunt pro fidelibus Ecclesiae patientis; adest Christi promissio, in qua fundatur infallibile Ecclesiae magisterium; addi debet quod *indulgentia pro defunctis non est suffragium tantum* seu simplex oratio, sed est solutio i.e. oblatio Deo Christi et Sanctorum satisfactionum in solutionem debiti, quod animae in purgatorio degentes contraxerunt ob culpas in terra commissas; dubitari itaque nequit effectum indulgentiae pro defunctis esse infallibilem.

"*Si e contra quaestio ponatur singillatim, an scilicet Deus acceptet et revera applicet cuidam defuncto determinato indulgentiam quam nos offerimus et in mensura secundum quam ipsam offerimus, affirmari nequit effectum esse infallibilem; hoc pendet unice a beneplacito Dei.* Indulgentia enim haec, uti jam diximus, *sequitur suffragii naturam* et nullimode affirmari potest Deum teneri suffragia acceptare pro determinatis animabus vel in determinata mensura. Res clare comprobatur a . . . declaratione S. Congregationis Indulgentiarum."⁴

CAPPELLO (ed. 1944, n. 648), miscens in unum varia elementa trium sententiarum (ex Suarez, Galtier et Noldin), dicit se praeferre primam, sed eam de facto explicat in sensu secundae, juxta explicationem tertiae. Scribit enim: "*Magna oritur difficultas, quidnam R. Pontifex sua potestate efficiat, quando indulgentias pro defunctis concedit, cum certum sit etiam sine tali concessione posse fideles*

¹ De sacramentis, II, Hilversum in Hollandia, 1940, p. 103.

² Theol. Dogm., v. 4, n. 488, Oeniponte, 1935, p. 577.

³ De sacramentis, I, Romae-Taurini, 1945, p. 320.

⁴ De indulgentiis, Collé Don Bosco, 1946, p. 10-12.

Deum orare, ut defunctis satisfactiones Christi ad eorum liberationem applicare velit. Ad hanc difficultatem solvendam inservit, quod plures et gravissimi theologi docent, indulgentiam utpote auctoritative concessam habere effectum infallibilem, orationes e contra fidelium pendere ex misericordiae Dei acceptance, seu indulgentias valere de condigno, orationes de congruo tantum. S. Bellarminus hanc sententiam 'admodum piam' vocat. Alii censent indulgentias defunctis non prodesse infallibiliter, sed tantum secundum misericordem Dei acceptance.

"Praeferenda omnino videtur prior sententia, dummodo rite intelligatur. Infallibilitas hic nihil aliud est nisi valor operis in actu primo ad satisfaciendum de condigno et generalis acceptatio divina vi promissionis factae, quae semper pro particulari casu adnexam habet hanc conditionem: nisi obex ponatur. Seu, aliis verbis, indulgentiae defunctis applicatae, positis omnibus conditionibus, habent quidem infallibilem effectum, quatenus Deus pro defunctis eas acceptat; at infallibilem effectum non habent, quatenus eas determinatae animae, pro qua offeruntur, vel in ea mensura, secundum quam offeruntur, applicat: haec enim applicatio ex Dei beneplacito pendet.

"Utrum igitur et quo in gradu Deus, intuitu indulgentiae certae animae applicatae, reatum eius dimittat, non hominum est iudicare. . . Itaque mens R. Pontificis, dum concedit indulgentiam plenariam, est haurire, vi potestatis clavium, ex thesauro Ecclesiae, in favorem animae cui applicabitur, quantum de se sufficiat ad exsolvendum totum eius debitum; sed, ex parte Dei, incertum manet utrum et quo in gradu, Deus, intuitu huiusmodi oblationis, condonet animae pro qua supplicatur. Quae proinde apud nonnullos auctores leguntur de infallibili et instantanea liberatione animarum quibus indulgentia applicatur, divinatione potius inniuntur et amandanda sunt inter eas 'difficiliores ac subtiliores quaestiones, quae ad aedificationem non faciunt et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio', quaeque propterea a Concilio Trid. iubentur 'apud plebem rudem a popularibus concionibus secludi'."

CONCLUSIO

Conclusio 1. Valor indulgentiae, seu ejus efficacia in actu primo, mensuratur ex ipso tenore formulae concessionis, ita ut indulgentia ordinetur ad conferendum tantum effectum quantum exprimitur in ipsis verbis quibus conceditur, et hoc sensu indulgentia tantum valeat quantum sonat (Suppl., q. 25, a. 2).

Probatur.

Valor indulgentiae mensurandus est ex una parte ex virtute causae, unde indulgentia suam efficaciam derivat, nam quantitas effectus sequitur quantitatem causae, et ex alia parte ex modo quo virtus causae applicatur subjecto. Atqui ex una parte, causa, unde indulgentia suam efficaciam derivat, est thesaurus Ecclesiae, seu abundantia satisfactionum Christi et Sanctorum, non vero dignitas subjecti cui indulgentia conceditur, aut opus quod ab ipso praestatur pro lucranda indulgentia, aut ratio quare indulgentia concedatur, quippe quae se habent ut merae conditiones concessionis; et ex alia parte, modus quo thesaurus applicatur subjecto est ipsa voluntas

Ecclesiae expressa in formula concessionis. Ergo valor indulgentiae mensurandus est tum ex virtute thesauri tum ex voluntate Ecclesiae applicante virtutem thesauri. Atqui virtus thesauri est secundum se infinita, cum valeat ad quamlibet poenam extinguendam, voluntas vero Ecclesiae exprimitur in ipsa formula concessionis, nec est ratio quare dici possit Ecclesia minus velle conferre quam reapse verbis significat, cum quantitas concessionis pendeat a sola ejus voluntate nec ideo excusaretur a mendacio, quo praeterea enervaret robur suarum decisionum et documentorum. Ergo valor indulgentiae mensuratur ex ipso tenore formulae concessionis, ita ut tantum valeat quantum sonat.

Ad rem *S. Thomas*: "Quantitas effectus sequitur quantitatem suae causae. Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; non autem causa remissionis effectiva est vel devotio, vel labor, vel datum recipientis indulgentiam, aut causa pro qua datur indulgentia. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant. Et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur [i.e. ad modum conditionis] auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, et unio ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur, quod fit per charitatem, et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde quaecunque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi. Et ideo secundum alios est dicendum quod indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei, et proximi utilitatem" (*Suppl.*, q. 25, a. 2).

Inde ruit triplex opinio supradictorum antiquorum.

Prima enim opinio immerito supponit valorem indulgentiae pendere a dignitate subjecti, in quo requiritur quidem status gratiae, sed tanquam mera conditio ut possit ei fieri applicatio thesauri, qui est sola causa valoris indulgentiae. Ceterum, si valor indulgentiae penderet a dignitate subjecti, non posset Ecclesia, nisi mentiando, dicere se concedere tantam determinatam remissionem, puta 50 dierum, sed deberet indeterminate dicere se tantam concedere remissionem quantum a parte rei exigit dignitas singulorum fidelium.

Secunda opinio pariter falso supponit valorem indulgentiae *pendere a valore operis* praestiti a subjecto, tanquam a causa, cum opus illud sit mera conditio. Si id verum esset, indulgentia non esset amplius proprie dicta remissio poenae, sed potius mera commutatio; nec praeterea Ecclesia excusaretur a praedicto mendacio. Ceterum, accidere potest ut valor indulgentiae sit inaequalis juxta inaequalitatem operis praestiti, sed id refunditur in solam voluntatem Ecclesiae quae quandoque significat se, juxta illam inaequalitatem, inaequaliter distribuere thesaurum. Idque facilius contigit in medio aevo, quo tempore indulgentia concipiebatur non solum ut remissio sed etiam ut commutatio in alia bona opera; ita *Bonifacius VIII* in Bulla jubilaei (cit. supra, p. 847) declarat: "Unusquisque tamen plus merebitur, et indulgentiam efficacius consequetur, quo basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit".

Ad rem *S. Thomas*: "Ille qui est vicinus ecclesiae, et ecclesiae sacerdotes et clerici consequuntur tantam indulgentiam, sicut illi qui venirent a mille diebus; quia remissio non proportionatur labori, ut dictum est (in corp.), sed meritis quae dispensantur; sed ille qui plus laboraret, acquireret plus de merito. *Sed hoc intelligendum est quando indistincte indulgentia datur. Quandoque enim distinguitur*: sicut papa in generalibus absolutionibus, illis qui transeunt mare, dat quinque annos, aliis qui transeunt montes, tres, aliis unum. Nec tamen, quotiescumque vadit infra tempus indulgentiae, toties eam consequitur; quandoque enim ad determinatum tempus datur; ut cum dicitur: 'Quicumque vadit ad ecclesiam talem usque ad tale tempus, habeat tantum de indulgentia,' intelligitur semel tantum. Sed si in aliqua ecclesia sit indulgentia perennis, sicut in ecclesia beati Petri quadraginta dierum, tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiam consequitur" (*ibid.*, ad 4). Pariter, "*quando datur indulgentia indeterminate* ei qui dat auxilium ad fabricam ecclesiae, intelligitur tale auxilium quod sit conveniens ei qui auxilium dat: et secundum quod accedit ad hoc, secundum hoc plus, vel minus de indulgentia consequitur. Unde etiam aliquis pauper dans unum denarium consequitur totam indulgentiam, non autem dives, quem non decet ad opus tam pium et fructuosum ita parum dare: sicut non diceretur rex alicui homini auxilium facere, si ei obulum daret" (*ibid.*, ad 3).⁵

Obicit *Bonaventura*: "Alii [ut *S. Thomas*] dixerunt quod simpliciter tantum valent quantum promittitur, quia non consideratur hic emptio, sed Ecclesiae largitas; et aequa est hic conditio, quicumque sit ille

⁵ Cf. *Suarez*, disp. 52, sect. 8.

qui se disponat. Unde sicut dives, mittens ad tabernam, tantum habet de vino quantum habet vetula paupercula, si par pretium mittat, sic in ecclesiastica volunt intelligi indulgentia. — *Sed ista positio nimis videtur adhuc magnum forum facere de indulgentiis*, ac per hoc potius facit ad vilificationem ipsarum quam ad laudem.”⁶

Resp. S. Thomas: “Nec in hoc fit nimis magnum forum de misericordia Dei, ut quidam dicunt, nec divinae justitiae derogatur: quia nihil de poena dimittitur, sed potius poena alteri computatur” (*ibid., in corp.*). Quoad id quod Bonaventura obicit de vilificatione indulgentiarum, confer infra in resp. ad eandem objectionem *Navarri et Amort* (p. 1011 sq.).

Tertia opinio similiter falso supponit *causam pro qua conceditur indulgentia* esse causam a qua valor indulgentiae dependet vel cui hic valor proportionatur, cum revera non sit nisi conditio concessionis. Quod quidem patet non solum ex propria virtute thesauri, unci fundamenti indulgentiae, ut supra dictum est, sed etiam ex ipsa “consuetudine Ecclesiae, quae interdum majorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit; sicut rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur unus annus visitantibus ecclesiam unam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam papa facere voluerit, indulgentiam constituens. Unde quantitas remissionis indulgentiae non est mensuranda ex causa quae facit aliquem indulgentia dignum” (*ibid., in corp.*).

Conclusio 2. Effectus indulgentiae, seu ejus efficacia in actu secundo, est independens, sive quoad suum esse sive quoad suum gradum, a peculiari dignitate subjecti praeter statum gratiae, aliter ac effectus sacramenti, et hoc iterum sensu indulgentia tantum valet quantum sonat.

Probatur.

Effectus indulgentiae, seu remissio poenae temporalis, fit mediante solutione debiti ex thesauro Ecclesiae. Haec autem solutio, etsi requirat in subjecto statum gratiae, tanquam conditionem ut possit fieri ad illud translatio satisfactionum fundata in communione sanctorum (cf. infra, art. 117), non exigit specialem dignitatem aut devotionem, neque in ratione causae, cum tota causa efficacitatis indulgentiae sit ipse thesaurus (ut dictum est in Concl. praec.), neque in ratione dispositionis, cum solutio debiti sit aliquid extrinsecum nec consistat in aliqua forma suscepta in subjecto, sicut est gratia sanctificans per

⁶ In 4 Sent., dist. 20, pars 2, a. un., q. 6, Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 529.

quam fit remissio peccati in sacramento, neque etiam in ratione simplicis conditionis, nam ipse status gratiae, utpote fundamentum ex quo exurgit communio sanctorum, est sufficiens conditio ut possit fieri translatio meritorum et satisfactionum inter membra ejusdem corporis mystici.

Ergo effectus indulgentiae est independens a peculiari dignitate praeter statum gratiae, sive quoad suum esse sive consequenter quoad suum gradum; imo potiori ratione quoad suum gradum, quia, etiam si talis dignitas requireretur ad consequendum effectum indulgentiae, nequaquam se haberet ut dispositio, ut dictum est, sed ut mera conditio, nec ideo posset influere in gradum effectus, sicut non influit ipse status gratiae.

Ex quo patet *discrimen inter sacramentum et indulgentiam*. Nam sacramentum operatur directe per modum causae inducentis aliquam formam in subjecto, quae propterea dispositionem requirit et juxta gradum dispositionis augetur, dum indulgentia operatur per modum extrinsecae solutionis debiti, quae ideo solas extrinsecas condiciones requirit. Nec valet opponere ejusdem poenae remissionem fieri in ipso sacramento dependenter a dispositione subjecti; nam in sacramento haec remissio fit per modum directae ac efficientis causalitatis, quatenus elewantur actus poenitentis ad efficaciam satisfactivam ex opere operato, dum in indulgentia fit veluti indirecte et ab extrinseco per modum simplicis solutionis debiti.

DICES 1. Saltem gravior causa ex parte concedentis requiritur ut det indulgentiam (et a fortiori eandem prorsus indulgentiam) negligentibus quam illis qui student per seipsos satisfacere. Ergo saltem hoc modo bona dispositio influit in effectum indulgentiae ejusque gradum.

RESP. 1. Dato et non concesso antecedente, *negatur consequens, vel distinguitur*: Hoc modo bona dispositio influit in concessionem seu existentiam indulgentiae, quatenus refunditur in ipsam causam concessionis, *conceditur*; influit in ipsam causalitatem indulgentiae seu consecutionem effectus, *negatur*; undecunque enim exurgat proportionata causa, semel facta indulgentiae concessionem, ipsa pariter prodest negligentibus ac diligentibus, dummodo sint in statu gratiae et liberi a peccatis quorum poena extinguenda est.

2. Negatur ipsum antecedens. Nam *imprimis*, generalis causa cur concedantur indulgentiae, non est praemium bonorum operum aut dispositionum, sed adiutorium et utilitas fidelium, rationabiliter per illum favorem procuranda; hic autem finis obtinetur per concessionem

ejusdem indulgentiae sive diligentibus sive negligentibus, imo magis obtinetur in negligentibus tum quia ii impelluntur ad pia opera exequenda pro indulgentia lucranda, tum quia adjuvantur in expiatione poenae temporalis quam negligunt facere per semetipsos. *Secundo*, ut dicitur contra quosdam theologos in art. 115 (p. 1070 sqq.), non est de necessitate indulgentiae ut causa, pro qua datur, ejus quantitati proportionetur; unde sicut potest magna indulgentia adnecti parvo operi exequendo, ut dictum est supra (p. 1007), ita potest concedi minus bene dispositis. *Tertio*, absentia studii satisfactionis nequit proprie vocari indispositio relate ad indulgentiam, nam "non est contra rationem indulgentiae, velle etiam satisfactionem differre, donec per indulgentiam redimi possit, neque illa voluntas, cum peccaminosa non sit, facit hominem indignum hoc beneficio. Sicut in dispensatione voti aut legis, non fit aliquis indignus illa, eo quod, si licite valeat, cupiat levare debito; et causa, quae alioqui esset sufficiens ad dispensationem, non fit insufficientis respectu talis personae, propter illam voluntatem."⁷ *Quarto*, si causa concedendi indulgentias mensuranda esset juxta studium satisfaciendi per semetipsum, ita nempe ut facilius aut major indulgentia danda sit iis qui magis student satisfacere per semetipsos, sequeretur quod indulgentia maxime danda sit iis qui maxime ea non indigent, utpote soluti a poena per propriam satisfactionem, adeoque sequeretur quod indulgentia sit maxime necessaria ubi est maxime inutilis et frustranea, seu quod maxime sit necessaria ubi maxime non est necessaria; quod est absurdum et contradictorium in terminis.

DICES 2. Si effectus indulgentiae quoad suum gradum esset independens a bona dispositione, efficacia indulgentiae superaret efficacitatem ipsorum sacramentorum, et signanter Poenitentiae, quorum effectus mensuratur juxta gradum dispositionis.

RESP. Omne sacramentum superat indulgentiam tum ex parte causalitatis, quae in sententia thomistarum est ex opere operato physice, tum ex parte effectus qui est gratia sanctificans et "praemium essentialis, quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis" (Suppl., q. 25, a. 2, ad 2). Sacramentum Baptismi non minorem vim habet quam indulgentia, et quidem plenaria, ad extinguendam poenam temporalem; imo majorem habet, simpliciter loquendo, certitudinem et universalitatem, necnon meliorem causalitatem, scilicet directam in ipsum reatum et ex opere operato physice, dum indulgentia agit per modum solutionis debiti, potiusquam per modum directae remissionis, et ex opere operato moraliter. Sacramentum Poenitentiae, praeter hanc causalitatem directam et physicam, plenius adhuc agit in ipsam remis-

⁷ *Suarez*, De Poenitentia, disp. 52, sect. 9, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1097.

sionem poenae, quatenus elevat actus poenitentis ad eam extinguendam ex opere operato; nec refert quod indulgentia excellat secundum quid, qua parte ejus effectus non mensuratur juxta gradum dispositionis sicut effectus Poenitentiae.

DICES 3 cum Cajetano (supra cit., p. 993). Qui per seipsum satisfacere negligit, indignus est qui ab amicis adjuvetur in propriis debitis solvendis, sicut etiam in omni bene ordinata republica illi qui negligunt sua debita solvere, indigni censentur qui in hoc ex bonis aerarii publici adjuventur.

RESP. Ut jam dictum est, finis indulgentiae non est ut sit in praemium bonorum operum, sed in utilitatem fidelium et peculiariter in adjutorium indigentium. Unde "qui negligens est in subveniendo sibi ex propriis bonis vel actionibus, licet negative possit dici indignus, seu non dignus alieno subsidio, non tamen potest dici positive indignus aut repugnans huic subsidio, sed potius dicendus est indigens illo. Unde nec contra prudentiam, nec contra amicitiam erit, tale subsidium illi conferre: imo saepe potest esse opus prudentiae et amicitiae, maxime quando illud subsidium non ex necessariis, sed ex superabundantibus bonis confertur, sicut fit in dispensatione indulgentiarum. Neque per hoc fovetur negligentia aut tepiditas eorum, qui opera satisfactionis praetermittunt, sed suppletur et juvatur eorum fragilitas. Quod si ipsi inde sumunt occasionem remissius agendi, illud est accidentarium incommodum, cui aliis mediis occurrendum est".⁸

DICES 4 cum Navarro et Amort (supra relatis, p. 993). Nisi effectus indulgentiae penderet a bona dispositione et studio satisfaciendi, concessio indulgentiae esset potius in detrimentum quam in aedificationem, quia inde auferretur studium poenitentiae et bonorum operum, vilesceret ipsa aestimatio indulgentiae ob facilitatem eam acquirendi, daretur ansa impugnationi Protestantium contra utilitatem et convenientiam indulgentiarum.

RESP. Haec objectio est eadem quam ab ipsis Protestantibus audivimus in art. 107 (p. 880) contra ipsam existentiam indulgentiarum, cuique ibidem sufficienter satisfactum est. *S. Thomas* breviter respondet quod usus indulgentiae non nocet studio satisfactionis et bonorum operum, tum quia est incerta mensura poenae quam quis expianda habet; tum quia satisfactio praeter finem expiativum habet etiam finem medicinale; tum quia indulgentia disponit etiam indirecte ad consecutionem gratiae quae est fundamentum satisfactionis et reme-

⁸ *Suares*, De Poenitentia, disp. 52, sect. 9, n. 8, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1097 sq.

dium ad peccata vitanda, quod est ultimus finis satisfactionis (*Suppl.*, q. 25, a. 1, ad 4, cit. *ibid.*, p. 882 sq.); tum quia indulgentia qua talis non directe ordinatur ad consecutionem gratiae sicut alia opera, nam "quamvis indulgentiae multum valeant ad remissionem poenae, tamen alia opera satisfactionis sunt magis meritoria respectu praemii essentialis: quod in infinitum melius est quam dimissio poenae temporalis" (*ibid.*, a. 2, ad 2; cf. ob. 2 cui S. Doctor respondet).

Conclusio 3. Indulgentia prodest ex opere operato et infallibiliter, tam vivis quam defunctis (*Suppl.*, q. 25, a. 2; q. 71 per totam, signanter a. 10).

Probatur.

AD VIVOS QUOD ATTINET, non magna est difficultas nec ullus habetur dissensus theologorum, ut dictum est supra (p. 994), nam sententia quorundam antiquorum, uti Alberti M. et Bonaventurae (cf. in p. 990-992), refutata in Concl. 1, respicit non directe effectum indulgentiae sed ipsam ejus concessionem, quam limitat juxta conditionem operis a subjecto exequendi ad indulgentiam lucrandam.

Ut constat ex usu theologorum in quaestionibus de sacramento, sacrificio et martyrio, influxus ex opere operato duo importat: primo, quod effectus sequatur non praecise ratione moralis valoris operis quod exhibetur (utut infallibiliter), sed ratione exhibitionis ipsius operis; secundo, quod effectus sequatur infallibiliter, ad positionem praedicti operis (unde infallibilitas includitur in ipsa ratione influxus ex opere operato, nec juvat hic distinguere utramque quaestionem). Jamvero, utrumque habetur in applicatione indulgentiae pro vivis, non secus ac in sacramentis, etsi alio modo et conditione. Nam indulgentia suam efficaciam derivat, non ex aliquo valore morali sive concedentis sive subjecti (in quo status gratiae et impletio pii operis se habent ut merae conditiones requisitae ad validitatem concessionis seu applicationis causae), sed ex ipsa exhibitione hujus operis quod est actus ecclesiasticae jurisdictionis, solventis Deo efficacissimas satisfactiones thesauri in favorem alicujus subjecti.

Si autem ulterius quaeratur undenam proveniat infallibilis efficacia hujus actus *prout respicit ipsam poenae remissionem*, utrum nempe proveniat immediate ex vi ipsius actus an ex consequenti vi satisfactionis thesauri applicatae per illum actum, posset fortasse quis eligere primum (praecipue in sententia eorum qui dicunt indulgentiam pro vivis esse proprie dictam absolutionem) ac dicere indulgentiam habere infallibilem efficaciam in remissionem poenae non solum, nec

formaliter et immediate, ex ipsa infallibilitate efficaciae satisfactionis vicariae quae continetur in thesauro (nam haec infallibilitas pertinet secundum se ad influxum ex opere operantis), sed *ex propria vi ipsius actus potestatis*, quam Christus tradidit Ecclesiae una cum clavibus thesauri, ita ut, etiam si per impossibile satisfactio Christi contenta in thesauro et applicata per indulgentiam non esset secundum se infallibiliter extinctiva poenae temporalis, ipsa tamen ejus applicatio per potestatem Ecclesiae concedentis indulgentiam, hunc effectum infallibiliter operaretur, infallibilitate proveniente ex ipsa promissione Christi eam potestatem instituentis per verba "Quodcumque solveris, erit solutum".

Attamen, congruentius cum his quae diximus in art. 109 (Concl. 9, p. 962 sqq.), indulgentiam nempe non esse proprie dictam absolutiorem, sed remissionem poenae mediante solutione thesauri, videtur omnino eligendus secundus modus dicendi, scilicet infallibilitatem efficacitatis indulgentiae, relate ad ipsam remissionem poenae, *esse tantum mediatam, seu repetendam esse immediate ex ipsa nativa ac infallibili efficacia satisfactionis*, contentae in thesauro et infallibiliter applicatae subjecto per indulgentiam. Unde res sic explicanda est: Per actum potestativum, Ecclesia infallibiliter aperit thesaurum, ejusque satisfactiones appropriat huic vel illi subjecto, et hoc modo indulgentia infallibiliter operatur, sed haec infallibilitas respicit non ipsam remissionem poenae sed appropriationem satisfactionum thesauri huic subjecto, ita ut Deus necessario consideret eas satisfactiones ut habentes valorem pro tali subjecto; subinde, cum hae vicariae satisfactiones habeant ex seipsis infallibilem efficaciam expiativam relate ad subjectum cui transferuntur (ut patet saltem de satisfactione Christi, etsi quidam inepte id negent de aliorum justorum satisfactionibus, ut dictum est in art. 55, tom. 3, p. 225 sq. 234 sqq.; cf. art. 65, p. 325 sq.), remissio ipsius poenae infallibiliter subsequitur.

Nec inde sequitur ipsam indulgentiam non agere ex opere operato et infallibiliter, saltem relate ad remissionem poenae, nam indulgentia agit ex opere operato et infallibiliter tum immediate relate ad applicationem thesauri, tum mediate relate ad remissionem poenae. Quamvis enim haec remissio fiat immediate ex nativa vi satisfactionis, quae est opus operantis, tamen recte dicitur fieri mediate ex opere operato indulgentiae, quia ex hoc opere operato ponitur ipsa causa unde remissio poenae procedit ex opere operantis. Unde indulgentiae attribui potest, relate ad remissionem poenae, sic dicta causalitas dispositiva, quam quidam inepte tribuunt ipsis sacramentis relate ad effectum gratiae; indulgentia nempe causat, ex opere operato et infallibiliter, non ipsam

remissionem poenae, sed dispositionem infallibiliter exigentem illam, i.e. translationem vicariae satisfactionis; est enim indulgentia, primo ac per se, solutio thesauri.

Et haec videtur esse mens *S. Thomae*, totam efficacitatem indulgentiae repetentis ex applicatione thesauri, tanquam ex propria causa remissionis poenae: "Causa . . . remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam. . . Et ideo *secundum quod [illa merita] applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicentur isti, requiritur auctoritas dispensandi huiusmodi thesaurum . . .*" (*Suppl.*, q. 25, a. 2, extensius cit. in p. 1006).

Inde intelligitur discrimen inter opus operatum sacramenti et opus operatum indulgentiae, quoad respectivos effectus; sacramentum enim confert gratiam et remittit peccatum ex opere operato physice (in sententia thomistica) et immediate, indulgentia vero remittit poenam moraliter et mediate. Ceterum non est contra infallibilitatem utriusque influxus quod quandoque effectus non sequatur, ratione obicis seu indispositionis subjecti, quae, quoad influxum indulgentiae, est praesentia ipsius peccati cui poena temporalis debetur (cf. infra, art. 117, p. 1120 sq.).

AD DEFUNCTOS VERO QUOD ATTINET, de quibus est potissima difficultas et controversia, conclusio probatur a paritate cum indulgentia pro vivis.

Nam in indulgentia pro defunctis concurrunt tria elementa causalia, ex quibus ipsa indulgentia pro vivis derivat suam infallibilitatem; ergo indulgentia pro defunctis eandem habet infallibilitatem. Habetur enim *imprimis* verus *actus jurisdictionis* Ecclesiae dispensantis thesaurum, ut dictum est in art. 109 (p. 943 sq.), et hic actus obtinet infallibiliter immediatum suum effectum, qui est ipsa dispensatio thesauri, secus vera potestas non esset. *Secundo*, habetur eadem *virtus thesauri*, quae est de se infallibilis ad expiandas poenas, saltem qua parte continet satisfactiones Christi (nam quidam theologi inepte negant infallibilitatem vicariae satisfactionis praestitae ab aliis praeter Christum). *Tertio*, habetur ipsa thesauri *applicatio ad subjectum*, seu ad defunctos, etsi mediante vicaria vivorum translatione, ut dictum est ibidem (p. 949 sqq.) (in qua quidem translatione residet totum ac genuinum discrimen indulgentiae pro defunctis ab indulgentia pro vivis et ratio quare illa dicatur esse per modum suffragii, ut dictum est ibidem (p. 960–962), et haec praeterea applicatio fit infallibiliter; quod restat probandum.

Et in hoc quidem tertio elemento est tota difficultas et ad hoc tandem reducendum est *totum theologorum dissidium in hac re*, an scilicet ea translativa applicatio (ex qua tandem indulgentia obtinet, ut efficacia, quam veluti in actu primo habet ex duobus prioribus elementis, transeat in actum secundum ac consequatur effectum), fiat necessario et infallibiliter, ita nempe ut Deus certo velit considerare, ut appropriatas defunctis, satisfactiones in eorum favorem dispensatas ab Ecclesia, eadem quidem certitudine et eodem iustitiae titulo, quo eas considerat ut appropriatas vivis quando indulgentia conceditur pro vivis. Ceterum, haec difficultas ac controversia non respicit solam materiam de indulgentiis, sed etiam generaliter quaestionem de suffragiis, an nempe suffragia, seu vicariae satisfactiones, sive proveniant ex opere operantis, privato aut publico, sive pertineant ad opus operatum sacrificii Missae (cf. tractatum De Euch., tom. 2, p. 1066–1069. 1088 sq. 1103 sq. 1125. 1127) vel indulgentiae, transferantur ad defunctos infallibiliter vel secus.

Jamvero infallibilitas hujusmodi translationis QUOAD IPSA SUFFRAGIA IN GENERE affirmanda videtur cum pluribus theologis (uti Biel, Soto, cit. in p. 995 sq., Navarro, et Suarez, Disp. 48, sect. 6) contra alios (ut Cajetanum, Opusc., tract. 16, q. 5, Cano, Angelum, Medina, et Corduba). Nam imprimis magnus valor, quam Ecclesia tribuit satisfactoriis suffragiis et sacrificio pro defunctis, aegre intelligeretur, si haec suffragia non essent infallibilia, cum reducerentur ad generalem efficacitatem impetrationis. Praeterea, eadem ratio, in qua fundatur infallibilitas vicariae satisfactionis inter vivos, scilicet unio in eodem corpore mystico ratione cujus bona unius possint appropriari alteri, valet quoad defunctos, imo eo urgentius quo magis defuncti indigent auxilio bonorum communium, cum per seipsos satisfacere nequeant; nec obstat status termini, quia quamvis defuncti sint extra statum merendi et satisfaciendi, et ita “non sint simpliciter in statu viae; tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, inquantum scilicet eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione . . . [et quantum ad hoc] possunt ab aliis juvari” (*Suppl.*, q. 71, a. 2, ad 3).

Et haec etiam videtur sententia antiquorum, nominatim *S. Thomae*. *S. Doctor* in *Suppl.*, q. 71, quae tota est de suffragiis mortuorum, valorem et effectum horum suffragiorum deducit ex eodem fundamento ex quo procedit valor vicariae satisfactionis inter vivos (i.e. ex unitate corporis mystici) et huic constanter illum aequiparat, dicens etiam in suffragiis pro mortuis intervenire rationem “aequalitatis iustitiae”. Propterea praemittit *primum articulum*, in quo assignat rationem quare generaliter opera unius possint prodesse aliis, quia nempe,

ob "sanctorum communionem", "opus quod pro aliquo fit, efficitur ejus pro quo fit: et similiter opus quod est ejus qui mecum est unum, quodammodo est et meum. Unde non est contra *divinam justitiam*, si unus fructum percipit de operibus factis ab eo qui est unum secum in charitate, vel ab operibus pro se factis. Hoc etiam secundum humanam justitiam contingit ut satisfactio unius pro alio accipiatur" (ad 2; cf. in corp. et ad 4).

Subinde S. Doctor, applicans illud principium ad translationem satisfactionis ad defunctos, ait: "Charitas, quae est vinculum Ecclesiae membra uniens, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos, qui in charitate decedunt. Charitas enim, quae est vita animae, sicut anima est vita corporis, non finitur. 'Charitas nunquam excidit'. Similiter etiam mortui in memoriis hominum viventium vivunt. Et ideo intentio viventium ad eos dirigi potest. Et sic suffragia vivorum mortuis dupliciter prosunt, *sicut et vivis*, et propter charitatis unionem, et propter intentionem in eos directam. Non tamen sic eis valere credenda sunt vivorum suffragia, ut status eorum mutetur de miseria ad felicitatem, vel e converso; sed *valent ad diminutionem poenae*, vel aliquid hujusmodi, quod statum mortui non transmutat" (a. 2).

"Poena purgatorii est in supplementum satisfactionis quae non fuerat plene in corpore consummata. Et ideo, quia sicut ex dictis patet (art. 1 et 2 huj. quaest. et quaest. XIII, art. 2), opera unius possunt valere alteri ad satisfactionem, sive vivus, sive mortuus fuerit, non est dubium quin suffragia per vivos facta existentibus in purgatorio prosint" (a. 6; *ibid.*, ad 4, S. Doctor loquitur de "efficacia suffragiorum ex opere operato").

"Circa hoc [i.e. circa applicationem suffragiorum] fuit duplex opinio. Quidam enim, ut Praepositivus, dixerunt quod suffragia pro uno aliquo facta non magis prosunt ei pro quo fiunt, sed eis qui sunt magis digni: et ponebant exemplum de candela quae accenditur pro aliquo divite, quae non minus prodest eis, qui cum ipso sunt, quam ipsi diviti, et forte magis, si habent oculos clariores: et etiam de lectione, quae non magis prodest ei pro quo legitur, quam aliis qui simul cum eo audiunt, sed forte aliis magis qui sunt sensu capaciores. Et si eis objiceretur quod secundum hoc *ordinatio Ecclesiae esset vana, quae pro aliquibus specialiter orationes instituit*, dicebant quod hoc Ecclesia fecit ad excitandam devotionem fidelium, qui prouiores sunt ad facienda specialia suffragia, quam communia; et ferventius etiam pro suis propinquis orant, quam pro extraneis. Alii e contra dixerunt quod suffragia magis valent eis pro quibus fiunt. Utraque autem opinio secundum

aliquid veritatem habet. Valor enim suffragiorum pensari potest ex duobus. Valent enim uno modo ex virtute charitatis, quae facit omnia bona communia; et secundum hoc magis valent ei qui magis charitate est plenus, quamvis pro eo specialiter non fiant: et sic valor suffragiorum attenditur magis secundum quamdam interiorem consolationem, secundum quod unus in charitate existens de bonis alterius delectatur post mortem quantum ad diminutionem poenae; post mortem enim non est locus acquirendi gratiam, vel augendi, ad quod nobis in vita valent opera aliorum ex virtute charitatis. Alio modo valent suffragia ex hoc quod per intentionem unius alteri applicantur, et sic satisfactio unius alteri computatur; et hoc modo non est dubium quin magis valeant ei pro quo fiunt; *imo sic ei soli valent*. Satisfactio enim proprie ad remissionem poenae ordinatur. Unde quantum ad remissionem poenae praecipue valet suffragium ei pro quo fit. Et secundum hoc secunda opinio plus habet de veritate quam prima” (*ibid.*, a. 12).

“Si valor suffragiorum consideretur secundum quod valent ex virtute charitatis unientis membra Ecclesiae, suffragia pro multis facta tantum singulis prosunt ac si pro uno tantum fierent, quia charitas non minuitur, si dividatur effectus ejus in multos, imo magis augetur; et similiter etiam gaudium quanto pluribus est commune, fit majus, ut dicit Augustinus [Confess. 8, 4]. Et sic de uno bono facto non minus laetantur multi in purgatorio quam unus. Si autem consideretur valor suffragiorum, inquantum sunt satisfactiones quaedam per intentionem facientis translatae in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui quod pro eo singulariter fit, quam quod fit pro eo communiter, et pro multis aliis; sic enim effectus suffragiorum dividitur *ex divina justitia* inter eos pro quibus suffragia fiunt” (*ibid.*, a. 13).

Praeterea, S. Doctor efficaciam suffragiorum in genere *assimilat efficaciae sacrificii Missae*, oblatus tam pro vivis quam pro defunctis, quod imo vocat praecipuum suffragium; Missa autem habet infallibilem efficaciam, tam pro vivis, ut dictum est in tractatu De Eucharistia (tom. 2, p. 1064–1069), quam pro defunctis, ut dictum est ibidem (p. 1104) et sequitur etiam ex comparatione quam S. Thomas instituit inter sacrificium oblatum pro vivis et oblatum pro defunctis. S. Doctor enim sibi obicit: “Inter Ecclesiae suffragia praecipuum est Eucharistia. Sed Eucharistia, cum contineat totum Christum, habet quodammodo efficaciam infinitam. Ergo una oblatio Eucharistiae, quae communiter pro omnibus fit, valet ad plenam liberationem eorum qui sunt in purgatorio” (*ibid.*, a. 14, ob. 2); respondet autem: “Quamvis virtus Christi, qui continetur sub sacramento Eucharistiae, sit infinita, tamen determinatus est effectus ad quem illud sacramentum ordinatur. Unde

non oportet quod per unum altaris sacrificium tota poena eorum qui sunt in purgatorio expietur; *sicut etiam nec per unum sacrificium quod aliquis offert, liberatur a tota satisfactione debita pro peccatis*; unde et quandoque plures missae in satisfactionem unius peccati iunguntur” (*ibid.*, ad 2).

Praeterea infallibilitas translationis suffragiorum, *prout haec translatio intenditur in indulgentia pro defunctis*, sequitur etiam directe tum ex ipsa indole indulgentiae, tum ex modo loquendi documentorum Ecclesiae, tum ex verbis et doctrina S. Thomae.

Indulgentia enim est verus actus potestatis, seu exercitium potestatis clavium. Frustra autem Deus daret Ecclesiae potestatem concedendi indulgentiam in favorem defunctorum, si infallibilem effectum non haberet, sicut frustra daret potestatem in favorem vivorum, si haec infallibiliter non operaretur; frustranea autem potestas est nulla potestas. Nec juvat dicere indulgentiam pro defunctis habere infallibilem effectum saltem quantum ad hoc quod de facto dispensetur thesaurus ipsis vivis, ut subinde transferatur, etsi fallibiliter, ad defunctos, in qua quidem dispensatione consistit immediatus et formalis effectus indulgentiae (saltem in nostra sententia); nam, cum hic dispensationis effectus non ad aliud intendatur nisi ut applicetur subjecto et exinde sequatur remissio poenae, nisi haec applicatio infallibiliter fiat, adhuc frustranea manet illa potestas.

Ecclesiae quoque documenta ex una parte asserunt indulgentiam esse exercitium supremae potestatis clavium, et ex alia parte constanter referunt ejus influxum ad ipsam poenae remissionem. *Sixtus IV* in prima indulgentia defunctis concessa, cujus certum documentum habeamus (cf. infra, p. 1100), ait “auctoritate apostolica, de thesauro ecclesiae, animabus in Purgatorio existentibus succurrere se velle”, “de plenitudine potestatis . . . velle ipsam plenariam remissionem per modum suffragii . . . pro relaxatione poenarum valere ac suffragari”, declarans, ipsam expressionem per modum suffragii nequaquam detrudere vim indulgentiae ad rationem efficaciae orationis vel eleemosynae, “cum sciamus orationes et eleemosynas et indulgentiam per modum suffragii longe distare” (cf. ipsa documenta supra cit., p. 848 sq.). *Pius VI* contra Pistorienses docet indulgentiarum “applicationem transferri in defunctos”. *Codex J. C.* (can. 911) asserit “ecclesiasticam potestatem concedere defunctis remissionem poenae temporalis”.

Signantius ad rem faciunt expressiones adhibitae a *Leone X* in Bulla “Cum postquam” ad Card. Cajetanum (cit. in p. 850), ex quibus, ut ait Suarez, “iudicio meo colligitur aperte” praesens conclusio, et qui-

bus, ut ait Lépiciér, “vix possunt explicitiora verba desiderari”. Ait nempe S. Pontificem “tam pro vivis quam pro defunctis apostolica auctoritate indulgentiam concedere”, nulla facta distinctione quoad infallibilitatem concessionis, sed tantum quoad modum concedendi qui est absolutionis vel suffragii; imo, ad inculcandam potestativam indolem ipsius concessionis per modum suffragii, significat ipsum S. Pontificem ad defunctos “indulgentiam per modum suffragii transferre”; imo, utramque indulgentiam habere parem infallibilitatem satis significare videtur, continuo adjungens: “Ac propterea *omnes tam vivos quam defunctos*, qui veraciter omnes indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, *a tanta temporali poena, secundum divinam justitiam* pro peccatis suis actualibus debita liberari, *quanta concessae et acquisitae indulgentiae aequivaleat*”, ubi eadem mensura effectus et eadem ratio efficaciae, seu divina justitia nec mera liberalitas, tam pro vivis quam pro defunctis invocatur.

Opponitur quidem ac libentissime a patronis contrariae sententiae **DECRETUM S. C. INDULGENTIARUM** 28 julii 1840, in quo directe ac explicitè declaratur proprius valor indulgentiae plenariae altari privilegiato adnexae (quae considerari potest ut securior modus subveniendi defunctis) ac dicitur illius effectus pendere a Dei beneplacito et acceptatione: “Per indulgentiam altari privilegiato adnexam si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse indulgentiam cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet” (cf. supra, p. 853).

Etsi dissimulari nequeat vis hujus objectionis (quae tamen a Pesch et Lépiciér sub absoluto silentio praetermittitur), opinionem tamen adversariorum non necessario confirmat.

Nam *imprimis*, non minus nostra opinio confirmatur ex citatis verbis Leonis X, aequiparantis indulgentiam pro defunctis indulgentiae pro vivis quod attinet ad quantitatem effectus et ad rationem fundantem ejus applicationem, scilicet “divinam justitiam”; unde si qua esset vera discrepantia inter verba Leonis, loquentis de titulo justitiae, et verba S. C. Indulgentiarum loquentis tantum de divino beneplacito, potius standum esset priori documento quod non solum est ipsius S. Pontificis, sed etiam habetur ut documentum infallibile (cf. supra, p. 850 sq.).

Praeterea, illud decretum respicit unam tantum ac determinatam indulgentiam, scilicet indulgentiam plenariam altaris privilegiati, nec

de cetero refert ad divinum beneplacitum ipsam simpliciter consecutionem effectus, sed tantum ejus mensuram; unde ad summum ex illo decreto posset concludi sola negatio infallibilitatis applicationis ipsius mensurae indulgentiae plenariae altaris privilegiati.

Praeterea, decretum assertit etiam quod, si spectetur ipsa vis indulgentiae secundum se, imo ipse usus potestatis clavium, ea indulgentia tantum valet quantum sonat; cum autem addit effectum non necessario applicari in plena mensura, non assignat rationem unde proveniat hoc discrimen inter plenam virtutem causae et deficientem applicationem effectus; haec autem ratio convenienter assignari potest, quin negetur indulgentiam habere infallibilem effectum, eam reponendo in defectu alicujus conditionis requisitae ad consecutionem effectus indulgentiae; idque dupliciter:

Primo enim dici potest non improbabiliter, Deum exigere in defunctis pro lucranda indulgentia *quasdam peculiares condiciones* nobis ignotas. Sicut enim S. Pontifex potest quoad vivos alligare efficaciam indulgentiae quibusdam conditionibus, puta tali vel tali operi praestando, imo tali vel tali bonae dispositioni (juxta dicta in Concl. 1, p. 1007 sq.), ita fortasse ex divino beneplacito assignantur similes condiciones defunctis, qui S. Pontifici non subiciuntur; nec ceterum tales condiciones, a Deo appositae, respicerent ipsam concessionem indulgentiae, seu usum potestatis clavium, sed tantum consequentem ac infallibilem translationem ad defunctos ipsius dispensationis thesauri jam factae per usum clavium. Ad hujusmodi condiciones seu impedimenta revocatur inhabilitas ad suscipiendam talem translationem (vel statim, vel totaliter, vel statim et totaliter), quae in quibusdam animabus fingi vel conici potest, ratione peculiaris alicujus indignitatis antea vitae, sive ob magnitudinem peccatorum sive praecipue ob specialem negligentiam in satisfaciendo, vel in indulgentiis acquirendis, vel in suffragiis animabus Purgatorii praestandis. In hoc sensu non inepte intelligi potest nota restrictio efficacitatis suffragiorum, allata ab *Augustino* (quam pro se invocat Cajetanus, De indulg., tract. 16, q. 5): "Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel elemosynae in Ecclesia fiunt. Sed eis haec prosunt, qui cum viverent, ut haec sibi postea possint prodesse, meruerunt" (Enchir., 110, M.L. 40, 383 sq.; cf. reliqua verba cit. in tract. De Eucharistia, tom. 2, p. 1060); "Non omnino ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem" (Serm. 172, 2, M.L. 38, 936 sq.; cf. reliqua verba cit. ibidem).

Ceterum haec verba Augustini alii, ut *Soto* (In 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 3), *Suarez* (Disp. 48, sect. 6, n. 7) et *Lépicier* (De Poenit., Romae, 1935, p. 574), reicientes interpretationem Cajetani, interpretantur non de praedicta speciali dispositione quam defuncti haberint in vita, sed de solo statu gratiae, in quo decedentes, defuncti habiles facti sunt, et quidem aequali omnes habilitate, ut suffragia eis prodesse possint. Cui interpretationi favere videntur haec verba *S. Thomae*: "Homo dum in corpore vixit, meruit ut haec ei valerent post mortem: et ideo si post hanc vitam eis juvatur, nihilominus hoc procedit ex his quae in corpore gessit" (*Suppl.*, q. 71, a. 2, ad 1). "Ad hoc quod suffragium alicui valeat, requiritur ex parte ejus pro quo fit, capacitas hujusmodi valoris; et hanc homo acquisivit per opera propria, quae gessit in vita. Et sic *Augustinus* [Enchir. 110] loquitur. Requiritur nihilominus qualitas operis, quod prodesse debet; et hoc non pendet ex eo pro quo fit, sed magis ex eo qui facit vel exequendo, vel imperando" (*ibid.*, a. 3, ad 6). "Istud meritum [de quo loquitur *Augustinus*, in praefatis verbis] est conditionale: hoc enim modo sibi meruerunt quod sibi prodesse, si pro eis fierent; quod nihil aliud fuit quam facere se habiles ad recipiendum. Unde patet quod non directe meruerunt illud juvamen suffragiorum; sed per merita praecedentia se habilitaverunt ut fructum suffragiorum susciperent" (*ibid.*, a. 12, ad 2). Cf. a. 14, ad 1; 3 p., q. 52, a. 8, ad 1.

Secundo dici potest effectum indulgentiae partialiter impediri in defunctis *ex ipsa praesentia quorundam peccatorum venialium*, nondum quoad ipsam culpam remissorum, quae proinde se habent ut quidam obex (non proprie dictus, qualis est indispositio, sed improprie dictus, qualis est absentia conditionis), cum nequeat remitti reatus poenae antequam removeatur reatus culpae. Etenim, juxta sententiam *S. Thomae* expositam in art. 97 (p. 527–529; cf. etiam tractatum De Eucharistia, tom. 2, p. 1128), necesse non est ut anima ingrediatur Purgatorium jam exuta ab omni culpa veniali, sed contingere potest ut adhuc retineat quaedam venialia, eaque paulatim expiet in igne purgatorio mediantibus actibus charitatis. In quo casu et sententia, facile intelligitur indulgentiam quibusdam animabus non totaliter prodesse, seu non conferre remissionem poenae quae correspondet venialibus peccatis nondum quoad culpam remissis, non secus ac contingit quoad ipsam indulgentiam pro vivis.

In utroque autem casu et explicatione, non negatur aut restringitur infallibilitas ipsius efficaciae indulgentiae pro defunctis, sed tantum infallibilitas consecutionis effectus, quemadmodum ipsa sacramenta vere ac simpliciter dicuntur infallibilem habere efficaciam ex opere

operato, etsi, ratione obicis seu indispositionis subjecti, effectus ipse quandoque non sequatur; est tamen discrimen in hoc quod in sacramentis ex parte subjecti habetur duplex obex, alter ipsius validitatis (ut defectus intentionis), alter solius efficacitatis (ut defectus attritionis vel status gratiae⁹), in indulgentia vero habetur tantum primus obex, eo quod defectus requisitae conditionis (ut non executio operis praescripti, absentia status gratiae in vivis vel praedictae peculiaris dignitatis in defunctis, praesentia peccati venialis) impedit ipsam validam indulgentiae applicationem ad subjectum.

Cum autem de praedictis conditionibus indulgentiae defunctorum vix aliquid certi dici aut judicari possit, non mirum est incertum nobis esse fructum de facto applicatum per illam indulgentiam ejusque mensuram, ac propterea praedictum decretum S. C. Indulgentiarum asserere illius "mensuram, divinae misericordiae beneplacito et acceptioni respondere"; soli enim Dei beneplacito competit assignare peculiare conditiones requisitas ad illius applicationem in defunctis, solique Dei scientiae nosse praesentiam vel absentiam peccatorum venialium in aliqua determinata anima Purgatorii. Similem quandam assertionem profert, quoad applicationem ipsius sacrificii Missae pro defunctis, *Benedictus XV* in Epist. "Sodalitatem" (De sodalitate a Bona Morte) 31 maii 1921, dicens: "Considerandum praecipue est, fructus qui ex sacro percipiuntur, hominibus longe uberius vivis prodesse quam vita functis, cum iis, bene animatis et dispositis, *magis directe, certius, atque abundantius* quam his applicentur" (A.A.S., 13, 344).

S. Thomas huic sententiae manifeste suffragatur. Nam, loquens de indulgentia pro defunctis intra quaestionem de suffragiis in genere (Suppl., q. 71), efficaciam suffragiorum, quam, ut ostendimus supra (p. 1016), dicit esse "ex opere operato" (a. 6, ad 4) et fundari in "divina iustitia" (a. 1, ad 2 et 4; a. 13), applicat ad indulgentiam, significans praeterea hanc aequali ratione prodesse defunctis, qua prodest vivis: "Non enim est aliqua ratio quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos" (a. 10; cf. integrum textum in p. 954 sq.); subinde, obicienti quod ex hac translatione sequeretur S. Pontificem posse pro suo arbitrio liberare defunctum ab omni poena, quod videtur absurdum,

⁹ Ipse defectus melioris dispositionis se habet ut quidam obex ad majorem effectum consequendum, quia quantitas effectus, tum sacramenti, tum sacrificii, mensuratur juxta gradum dispositionis, quod non valet de quantitate effectus indulgentiae, ut dictum est in Concl. 2 (p. 1008 sqq.); propterea in tractatu De Eucharistia, tom. 2, p. 1089-1090, diximus etiam in defunctis applicationem fructus sacrificii Missae mensurari juxta eorum dispositionem.

respondet id non sequi quia S. Pontifex nequit concedere indulgentiam sine convenienti ratione: "Nec tamen sequitur quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia ad hoc ut indulgentiae valeant, requiritur causa conveniens indulgentias faciendi" (*ibid.*, *Sed contra et in corp.*), jamvero, si S. Doctor putaret indulgentiam non infallibiliter prodesse defunctis, connaturaliter et efficacius respondisset id non sequi quia mensura effectus, imo ipsa applicatio hujus indulgentiae, pendet a divino beneplacito.

RATIONIBUS AUTEM CONTRARIAE SENTENTIAE, SUPRA MEMORATIS (p. 1000), jam inter disputandum satisfactum est vel facilis patet responsio. Scilicet:

1. Decretum S. C. Indulgentiarum non necessario accipiendum est in sensu adversariorum et nimis confidenter a quibusdam invocatur, ut dictum est (p. 1019 sqq.).

2. Ipsa verba Christi "Quodcumque solveris . . . erit solutum", sicut continent potestatem concedendi indulgentias defunctis, ita ex hoc ipso continent promissionem acceptationis ex parte Dei, nec aliter continent acceptationem ipsius indulgentiae pro vivis.

3. Etsi indulgentia non detur directe ipsis defunctis nec sit actus potestatis exercitus circa ipsos defunctos, est tamen verus actus jurisdictionis, ut dictum est (in p. 1014).

4. Exinde sequitur hanc indulgentiam non esse meram impetrationem, sed veram pretii solutionem, et quidem jurisdictionalem; male autem infertur hanc indulgentiam esse per modum merae impetrationis ex eo quod dicatur esse per modum suffragii, ut constat ex dictis in art. 109 (p. 949 sqq., signanter p. 961 sq.) et in praesenti art. (p. 1015–1018).

5. Anima ingrediens Purgatorium jam accepit sententiam definitivam et irreformabilem quantum ad destinationem ultimi finis; quantum vero ad poenae expiationem, sic tantum accepit irreformabilem sententiam ut debeat Deo reddere usque ad ultimum quadrantem debitae expiationis, quod quidem facere potest vel per propriam satisfactionem vel per aliorum satisfactionem sibi praestitam, eo vel magis quod, ut semel et iterum audivimus a S. Thoma (cf. in p. 1015 sq.), ratione communionis sanctorum seu unitatis in corpore mystico, praestita satisfactio fit propria ipsius defuncti, quia "opus quod est ejus qui mecum est unum, quodammodo est et meum". Ceterum, haec ratio adversariorum, invocantium definitivam sententiam, si quid probaret, excluderet quoque infallibilitatem omnium suf-

fragiorum et sacrificii Missae relate ad defunctos, quam tamen plures adversarii admittere videntur et supra probavimus (p. 1015–1018).

6. Etiam suffragia, quae transferuntur ex opere operantis, necnon sacrificium Missae quod influit ex opere operato, habent effectum infallibilem, ut dictum est supra (ibidem) et in tractatu De Eucharistia (tom. 2, p. 1066–1069. 1088 sq. 1103 sq. 1125. 1127). Ceterum, etiam si ea suffragia non haberent infallibilem efficaciam, indulgentia hanc postularet ex sua specifica ratione potestativae translationis thesauri ad defunctos et ex sensu documentorum Ecclesiae, ut dictum est (p. 1018 sq.).

7. Ratio quare indulgentia plenaria merito pluries applicetur pro eodem defuncto, triplex assignari potest. *Primo* nempe quia nostra sententia non est ita certa ut excludat probabilitatem oppositae opinionis, ac ideo ad securitatem licite ac convenienter intenditur applicatio repetitae indulgentiae sub ea implicita conditione ut prosit si prima non profuit, eo vel magis quod, si prima profuit, altera prodesse potest aliis defunctis ex implicita intentione hominis transferentis vel Dei acceptantis, ne frustra applicetur thesaurus. Ut enim notat *S. Thomas*: “Credibile . . . est quod per divinam misericordiam, si aliquid de specialibus suffragiis supersit his pro quibus fiunt (ut si eis non indigeant), aliis dispensetur pro quibus non fiunt, si eis indigeant; ut patet per Damascenum¹⁰ sic dicentem: ‘Vere Deus tanquam justus commetietur impotenti possibilitatem; tanquam sapiens defectuum commutationem negotiabitur’; quae quidem negotiatio attenditur, si id quod deest uni, alteri suppleat” (*Suppl.*, q. 71, a. 14, ad 2). *Secundo*, quia quandoque contingit ut fideles non adimpleant, vel ignorent num adimpleverint omnes condiciones requisitas ad lucrandas tales indulgentias, maxime si dicatur statum gratiae esse ad id necessarium (cf. infra, art. 117, p. 1124–1132), unde rationabiliter fit reiterata applicatio, ad cautelam nempe et conditionate. *Tertio* ac praecipue, quia, ut dictum est supra (p. 1020–1022), infallibilitas efficaciae indulgentiae pro defunctis, non secus ac indulgentiae pro vivis, non infert infallibilitatem consecutionis effectus, ob defectum nempe applicationis proveniente ex aliquo obice, de cuius indole ac praesentia magis incerte judicatur quam quoad indulgentiam pro vivis.

Nec inde sequitur (ut expellamus ultimum scrupulum) hanc applicationem nil nisi verbis differre a sententia adversariorum, ac praecipue a tertia sententia media, quae affirmat indulgentiam pro

¹⁰ De his qui in fide dormierunt, § 25, M.G. 95, 272.

defunctis esse infallibilem tantummodo secundum se et in actu primo, et non de facto et in actu secundo. Nam essenziale discrimen est in hoc quod dicimus indulgentiam pro defunctis esse *non minus infallibilem quam indulgentia pro vivis*, quatenus utraque pariter fundatur, non proxime et formaliter in impetratione Ecclesiae et divino beneplacito, sed in ipsa efficaci potestate clavium necnon in divina justitia quae illius potestatis juribus satisfacit; cum qua quidem infallibili efficacia stat quod effectus consecutio non sit necessaria sed frustrabilis, tam in defunctis quam etiam in vivis, ob defectum alicujus conditionis qui impedit ipsam indulgentiae validitatem in vivis vel applicationem in defunctis, quemadmodum effectus ipsius sacramenti, non obstante infallibilitate efficaciae ex opere operato, est frustrabilis ob defectum dispositionis in subjecto. Quod si quis ex patronis secundae, et praecipue tertiae sententiae, sub discrepanti quidem expressione et imprecursori conceptu, non aliud intendat, ampliori ejus patrocinio suffragabitur nostra Conclusio.

Ceterum, facta ea distinctione inter infallibilem indulgentiae efficaciam et frustrabilitatem ejus effectus ex facili obice occurrente in subjecto, servatur ex una parte "sana de purgatorio doctrina, a sanctis Patribus et sacris Conciliis tradita", quam Tridentina Synodus "praecipit a Christifidelibus credi, teneri, doceri et ubique praedicari", et ex alia parte praeccluditur aditus quorundam asceticorum scriptorum exaggerationibus necnon "difficilioribus ac subtilioribus quaestionibus quae ad aedificationem non faciunt et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio" (Decretum de Purgatorio, Denz. 983). Quod quidem valet pariter quoad effectum indulgentiae pro vivis, signanter plenariae, cum nemo justus facile sibi demonstret qua mensura ac certitudine cor suum a venialibus purgaverit nec quisquam certe sibi statum ipsum gratiae repromittet, cum "nesciat homo utrum amore an odio dignus sit" (Eccl. 9, 1).

ART. 112. Utrum Indulgentia Rite Definiatur: Actus Potestatis Clavium, Solvens A Poena Temporalis Deo Debita, Per Extrasacramentalem Dispensationem Thesauri Ecclesiae.

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur.

Ex dictis in quatuor articulis praecedentibus (art. 108–111) jam logice colligi potest quomodo proprie definienda sit indulgentia, necnon recta haberi potest aestimatio de variis definitionibus aut descriptionibus quae apud auctores circumferuntur.

In duobus enim prioribus articulis determinata sunt duo *essentialia elementa* indulgentiae, scilicet *dispensatio thesauri* seu solutio pretii pro debito poenae, ex qua necessario sequitur solutio ipsius debiti seu remissio poenae temporalis (art. 108), et jurisdictionalis *actus potestatis clavium*, illum thesaurum dispensans (art. 109); inter quae quidem elementa, primum (dispensatio thesauri) se habet ut immediatus et formalis effectus alterius (actus potestatis clavium). In duobus vero postremis articulis (art. 110–111) dictum est de ipso ultimo, ac pro tanto principali, *effectu* ad quem indulgentia, seu potestativa thesauri dispensatio, essentialiter ordinatur, scilicet *remissione poenae temporalis in foro divino*. Oportet igitur ut proprie dicta indulgentiae definitio (seu oratio, quantum fieri potest breviter ac clare, exhibens essentiam rei, ac ideo omni et soli definito conveniens) tria haec includat elementa: actum potestatis clavium, dispensationem thesauri, remissionem poenae temporalis in foro divino, ita tamen ut duo priora ponantur in recto, utpote magis directe explicantia ipsam essentiam, tertium vero ponatur in obliquo (quatenus, cum causa et effectus, necnon potestas et objectum, sint correlativa, unum in alterius conceptu et definitione necessario recolitur), et praeterea ita ut primum elementum stet pro genere proximo, secundum vero pro differentia specifica.

Recte igitur indulgentia definiri potest: *Actus potestatis clavium, solvens a poena temporali Deo debita, per extrasacramentalem dispensationem thesauri Ecclesiae.*¹¹

In qua definitione *genus proximum* est: Actus potestatis clavium, solvens a poena temporali Deo debita; *differentia specifica* est: Per extrasacramentalem dispensationem thesauri Ecclesiae. Indè patet discrimen indulgentiae tum ab actu omnis potestatis quae non sit proprie clavis, scilicet potestatis imperandi, tam *regimini* quam *magisterii*; tum a clavi *Excommunicationis*, quae solvit tantum a poena canonica, tum a *clavi sacramentali* (tam solvente peccata et poenam aeternam, quam solvente poenam temporalem Deo debitam), quippe quae habet peculiarem aliquem ac instrumentalem influxum, alium ab eo qui competit indulgentiae, imo, stricte loquendo (ut dictum est in art. 108), non influit dispensando thesaurum Ecclesiae sed applicando efficientem virtutem Christi, quo sensu ipsa appositio "extrasacramentalem" non est necessaria in definitione, quamvis eam adjunxerimus sive claritatis gratia sive ad conciliandum majus doc-

¹¹ Potest de cetero haec eadem definitio duplici sequenti modo converti: Dispensatio thesauri Ecclesiae in remissionem poenae temporalis Deo debitae, facta extrasacramentaliter per actum potestatis clavium.—Remissio poenae temporalis Deo debitae, facta mediante dispensatione thesauri Ecclesiae per actum potestatis clavium.

torum suffragium, quorum quidam dicunt thesaurum Ecclesiae dispensari etiam per sacramenta.

Legitimitatem praedictae definitionis ostendit sequens conspectus, in quo exhibetur divisio potestatis per subalterna genera et species, usque ad infimum genus quod contrahitur per praedictam differentiam specificam ad speciem indulgentiae:

Potestas

- Potestas imperandi (Potestas imperii)
 - Potestas imperandi media exequenda (Potestas regiminis)
 - Potestas imperandi assensum praebendum (Potestas magisterii)
- Potestas ligandi atque solvendi ab impedimentis ingressus in regnum coelorum (Potestas clavium)
 - Potestas solvendi a principali et immediato impedimento seu a peccato et poena aeterna (Clavis sacramentalis, sive ordinis sive jurisdictionis)
 - Potestas solvendi a secundario et remoto impedimento.
 - Potestas solvendi a poena canonica seu ab exclusione ab ecclesiastica unitate (Clavis Excommunicationis)
 - Potestas solvendi a poena temporalis Deo debita pro peccato per sacramentalem applicationem virtutis Christi (Clavis sacramentalis)
 - per extrasacramentalem applicationem seu dispensationem thesauri Ecclesiae (Clavis indulgentiae)

Utrum autem indulgentia sit species infima, vel secus, ita nempe ut dividatur in indulgentiam pro vivis et indulgentiam pro defunctis tanquam in individua, vel tanquam in analogata (ita ut prior sit principale analogatum), vel tanquam genus in species subalternas, minoris momenti quaestio est. Prima tamen explicatio est praeferenda; nam in utraque indulgentia essentialia elementa sunt ejusdem indolis, scilicet actus potestatis clavium, dispensatio thesauri et remissio poenae. Quod autem dispensatio quoad defunctos fiat modo translativo per vivos, accidentarium est, quemadmodum non essentialiter mutaretur indoles indulgentiae si concederetur ut possit transferri ad alios vivos; de essentia enim indulgentiae est ut fiat auctoritativa dispensatio thesauri, vi cujus sequatur poenae remissio, quod autem inter utrumque intercedat translatio dispensati thesauri, seu mediata applicatio ad subjectum, per accidens et materialiter se habet ad utrumque, nec requiritur nisi ex conditione materiae seu subjecti. Ceterum, non diffitemur in sententia eorum qui volunt indulgentiam pro vivis esse veram et directam absolutionem a poena et indulgentiam pro defunctis meram solutionem pretii, has duas indulgentias accipendas esse ut duas distinctas species, vel saltem ut duo analogata, sed eam sententiam refutavimus in art. 109 (p. 962 sqq.).

Ex dictis patet quid dicendum sit de variis definitionibus a doctoribus assignatis, quarum notabiliores hic exhibentur:

PLURES MAGISTRI MEDIAEVALES indulgentiam definiebant: "*Satisfactionis majoris in minorem competens et discreta commutatio*". Sic refert Albertus M. (cit. in p. 871), qui eam approbat tantum ut imperfectam definitionem. Et revera proprius conceptus commutationis repugnat essentiae indulgentiae, impositio vero alicujus operis satisfactorii ad lucranda indulgentiam se habet ut mera conditio. Eo tamen tempore facilius accidere potuit ut doctores conciperent indulgentiam ut quandam commutationem (cf. dicta in art. 107, p. 863 sqq., signanter in p. 870 sq.).

ALBERTUS M. (cit. in p. 894, in nota): "*Indulgentia sive relaxatio est remissio poenae injunctae ex vi clavium et thesauro supererogationis perfectorum procedens*". Hanc definitionem proponit tanquam suam eamque judicat meliorem praecedente definitione assignata ab aliis magistris: "Si quis . . . hanc dare vellet . . . puto quod melius definiret. . . Hanc meliorem aliis judico". Et revera accedit ad optimam definitionem; solum incisum "poenae injunctae" ambiguum est, cum referatur ad accidentalem modum quo tunc indulgentia fiebat, una nempe cum remissione poenae canonicae.

BONAVENTURA etsi signatam ac completam definitionem non assignet, praedictae Magistrorum definitioni de commutatione poenae adhaeret, ut constat ex ejus verbis citatis in art. 107 (p. 871). Ceterum, etsi deficiat in assignanda indole remissionis, apte S. Doctor significat duo constitutiva elementa indulgentiae, inquires: "Relaxatio [seu indulgentia] dicit thesauri communicationem et ulterius auctoritatem" (cf. supra in p. 927).

S. THOMAS similiter signatam definitionem non proponit, sed tamen omnia elementa definitionis Alberti M., sub meliori quidem expressione (ut in definitione a nobis assignata) tradit in Suppl., q. 25, a. 1 et 2; scilicet: Indulgentia est actus potestatis clavium (a. 2, ad 1: "Clavis jurisdictionis effectus est remissio quae est per indulgentias"), solvens a poena temporali Deo debita (a. 1: "Indulgentiae valent quantum ad iudicium Dei ad remissionem poenae residuae, sive sit injuncta sive non"), per extrasacramentalem dispensationem thesauri Ecclesiae (a. 1, ad 3: "Faciens indulgentias, poenam pro eo, quam debuit, solvit de bonis Ecclesiae communibus"; a. 2, ad 1: "Non pertinet ad dispensationem sacramentorum talis remissio, sed ad dispensationem bonorum communium Ecclesiae"). Cf. supra in p. 928 sq., ubi explanavimus genuinam mentem S. Thomae.

HENRICUS GANDAVENSIS († 1293): "*Indulgentia est remissio sive relaxatio poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae relictae in absolutione sacramentali, facta rationabiliter a legitimo praelato Ecclesiae in recompensationem ex thesauro Ecclesiae de supererogatione sive poena indebita iustorum proveniens*".¹² Haec definitio, notabilis quidem pro eo tempore, est nimis diffusa; addit non necessariam mentionem causae concedentis; omittit explicitam mentionem potestatis clavium.

SCOTUS: "*Indulgentia est remissio poenae temporalis debitae pro peccatis actualibus poenitentium, non remissae per absolutionem sacramentalem, facta per praelatos ecclesiae, id est ex meritis Christi et Sanctorum, ex causa rationabili*. . . Ibi remissio ponitur tanquam genus, quia est in plus quam in indulgentia; reliqua

¹² Quodlib., l. 15, q. 14, citat. a E. Göller, Der Ausbruch der Reformation und die spätmittelalterliche Ablasspraxis, Freiburg i. Br., 1917, p. 68, nota 3. Bañic (art. cit. [supra in p. 823], p. 82) paulo aliter hanc definitionem refert ex opere Aurea quodlibeta, II, Venetiis, 1613, fol. 39, scribens: "Notionem indulgentiae quod attinet, exacta et undique absoluta procul dubio dicenda est quam Henricus Gandavensis tradit diffuseque explanat: 'Est autem indulgentia remissio poenae temporalis debitae peccatis actualibus poenitentium, temporalis dico non remissae in absolutione sacramentali, facta a praelato Ecclesiae rationabiliter et ex causa per recompensationem de poena indebita iustorum'."

autem ad modum differentiarum. . .¹³ Idem dicendum ac de praecedenti definitione; praeterea inepte assignatur genus, quod est ipse actus potestatis clavium.


CAJETANUS: "Est igitur Ecclesiastica indulgentia (colligendo omnia certa ex sacris canonibus) *absolutio ab iniuncta poenitentia in foro poenitentiali*. . . Et est sensus quod indulgentia est absolutio in foro poenitentiali a poenitentia iniuncta in foro poenitentiali."¹⁴ Haec definitio deficiens est, tum quia exprimit remissionem solius satisfactionis sacramentalis, tum quia assumit conceptum absolutionis qui non convenit indulgentiae pro defunctis, nec proprie, in nostra saltem sententia, ipsi indulgentiae pro vivis.

SOTO ait: "Est ergo indulgentia ecclesiastica, ut sua definitione patefiat, *relaxatio poenae peccato debitae, quae extra sacramentum fit*".¹⁵ In hac definitione non explicite proponitur exercitium potestatis clavium, nec fit necessaria mentio dispensationis thesauri.

SUAREZ, instituens explicitam ac peculiarem quaestionem de ipsa definitione indulgentiae (Disp. 49, sect. 4), ait: "Indulgentiam . . . sic possumus definire: Est quidam *actus spiritualis jurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur a reatu poenae temporalis extra sacramentum*. Quae definitio omnia continet, quae sufficiunt ad explicandam rationem hujus actus, et distinguendum illum a coeteris". Addit genus esse "actum spiritualis jurisdictionis", cetera vero verba, quibus significatur remissio poenae fieri "extrasacramentaliter", esse differentiam specificam. Ceterum, quia quidam doctores negarunt indulgentiam esse proprie actum jurisdictionis, aliam adjungit definitionem: "[Certum] esse existimo . . . quod indulgentia sit actus jurisdictionis; ideo merito ac securissime potuit loco generis constitui. Quod si quis velit amplius ab opinionibus abstinere, dicat, indulgentiam esse *concessionem virtute clavium factam, qua mediante liberatur peccator ex opere operato, seu ad modum ejus, a reatu poenae temporalis extra sacramentum*".¹⁶

Utraque haec definitio deficit in eo quod omittit necessariam mentionem thesauri, ratione cujus praeterea non convenit indulgentiae pro defunctis qui nequeunt attingi a jurisdictione vel a directa concessione Ecclesiae.

Juxta hanc definitionem sic oporteret dividere potestatem:



LUGO: "Indulgentiae nomine intelligimus *remissionem poenae temporalis debitae ob peccata remissa quoad culpam, quae remissio non fiat virtute sacramentorum vel martyrii; sed per satisfactionem Christi Domini, et Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem*".¹⁷ Hic omnia tria supradicta elementa quae sunt de essentia indulgentiae referuntur, sed modo diffuso et deordinato, ita ut non appareat in quo

¹³ Quaestiones Miscellaneae [opus non certe authenticum], n. 4, apud *Minges*, Joannis Duns Scoti doctrina philosophica et theologica, t. 2, Quaracchi, 1930, p. 659.

¹⁴ Opuscula omnia, tract. 15 De indulgentiis (ad Card. Iulium Medicem), c. 1 (ed. Lugduni, 1581, t. 1), p. 91, col. 1. Cf. verba Cajetani, cit. supra, p. 904. 923. 930.

¹⁵ In 4 Sent., dist. 21, in prologo.

¹⁶ De Poenitentia, Disp. 49, sect. 4, n. 1. 11. 13, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 996. 100 sq.; cf. alia verba Suaresii citata supra, in p. 932 sq.

¹⁷ De Poenitentia, disp. 27, sect. 1, n. 1, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 483.

sit genus et in quo differentia specifica. Unde habetur bona descriptio, non vera definitio.

BILLUART: "Indulgentia definitur: *Remissio poenae temporalis debitae peccato actuali, remisso quoad culpam et poenam aeternam, facta extra sacramentum ab eo qui jurisdictionem spiritualem habet dispensandi thesaurum Ecclesiae.*"¹⁸ Idem dicit ac de praecedenti definitione.

Idemque fere dicendum de pluribus definitionibus circumlatis in modernis manualibus, quorum iuverit meliora quaedam exempla exhibere:

PESCH: "Indulgentia est remissio poenae temporalis post deletam culpam Deo solvendae, ab ecclesia extra sacramentum ex thesauro Christi et sanctorum auctoritative ex iusta causa concessa" (Prop. 33).

BILLOT: "[Indulgentia] hoc modo definiri poterit: Largitio a praelato de communi Ecclesiae thesauro facta, ad extinctionem reatus poenae temporalis quae post remissum quoad culpam peccatum adhuc est residua" (ed. 1930, p. 241). Haec esset multo aptior definitio, si esset magis compendiosa et includeret mentionem extrasacramentalis influxus.

LÉPICIER: "Rite definitur indulgentia, Remissio, vel relaxatio poenae temporalis, pro peccato post culpam remissam Deo debitae, a praelato, extra sacramentum facta, ex communi thesauro Ecclesiae" (ed. 1935, p. 531).

DIEKAMP: "Indulgentia vel relaxatio est actus auctoritatis ecclesiasticae, quo extra sacramentum poenitentiae per applicationem thesauri Ecclesiae poenae temporales pro peccatis debitae, quae ipso peccato remisso remanserunt, coram Deo remittuntur" (ed. 1946, p. 368). Haec esset bona definitio, si magis compendiosa.

GALTIER: "Indulgentia est remissio poenae temporalis apud ipsum Deum facta ex opere operato, etsi non vi sacramenti, per legitimam dispensationem thesauri Ecclesiae" (thes. 47). "Placet . . . omnino definitio ab eodem [Billot] proposita: 'Largitio a praelato de communi Ecclesiae aerario in ordine ad extinctionem reatus poenae temporalis'" (n. 598).

Plures contenti sunt mere exscribere sequentem optimam descriptionem Codicis J. C., qui tamen a scientificis definitionibus de more abstrahit: "Remissio coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii" (can. 911).

Art. 113. Utrum Indulgentiae Convenienter A Doctoribus Dividantur In Indulgentias Per Modum Absolutionis Et Per Modum Suffragii; Indulgentias Plenarias Et Partiales; Indulgentias Pro Vivis, Pro Defunctis, Pro Vivis Ac Defunctis; Indulgentias Personales, Reales Et Locales; Indulgentias Perpetuas Et Temporaneas.

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur.

Agitur de **DIVISIONE INDULGENTIARUM**. Consulto dicimus "indulgentiarum", seu individuorum indulgentiae, nam indulgentia

¹⁸ Tractatus de indulgentiis, diss. un., a. 1, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 508.

secundum seipsam est species atoma, nec dividi potest sive ex parte ultimi effectus, seu remissionis poenae temporalis quae est specificè una, sive ex parte immediati effectus, seu dispensationis thesauri qui est indivisibilis, sive consequenter ex parte actus potestatis clavis qui ab utroque effectu speciem accipit; quaecumque praeterea divisio ex parte extrinsecarum conditionum concessionis, nequit a fortiori esse nisi accidentaria et materialis. Solum posset quis dubitare an saltem ex parte dispensationis thesauri, quatenus pro vivis est immediata, pro defunctis vero mediata seu translative, habeatur essentialis divisio, sed, ut supra diximus (p. 1027), hoc negandum est.

Hujusmodi igitur accidentalis divisio indulgentiarum accipi potest tum *ex parte ipsius indulgentiae* vel, si placet, immediati effectus indulgentiae seu dispensationis thesauri, prout fit simpliciter vel translative, et ita indulgentia dividitur in "per modum absolutionis" et "per modum suffragii", quae quidem divisio, ratione subjecti, de facto coincidit cum indulgentia pro vivis et indulgentia pro defunctis; tum *ex parte ultimi effectus indulgentiae*, qui pro tanto simpliciter effectus dici solet, scilicet remissionis poenae, attenta ejus quantitate, et ita indulgentia dividitur in plenariam et partialem; tum *ex parte subjecti* in cujus utilitatem conceditur, et ita indulgentia dividitur in pro vivis, pro defunctis, pro vivis ac defunctis; tum ex parte extrinsecae conditionis quae lucrandae indulgentiae apponitur a concedente, quaeque vel respicit *modum concessionis*, prout indulgentia attingit personam immediate vel mediante aliqua re vel loco, et ita indulgentia dividitur in personalem, realem et localem, vel respicit tempus seu *durationem concessionis*, et ita indulgentia dividitur in perpetuam et temporaneam.

Praecipua divisio sub aspectu theologico est prima, eo quod ejus indoles nequaquam pendeat ab intentione concedentis sed sequatur ex natura rei, attenta conditione subjecti. Secunda divisio indulgentiae in plenariam et partialem, utut accidentalis et contingens, respicit ipsum effectum a quo indulgentia suam naturam desumit ac ideo peculiare momentum sibi vindicat, tum ob historicam quam habuit evolutionem tum ob dogmaticam quam exigit explicationem. Tertia vero, quarta et quinta divisio, sunt omnino materiales ac contingentes, cum respiciant extrinsecas condiciones indulgentiae et a mutabili voluntate concedentis simpliciter dependeant, ac ideo juristarum potius quam dogmaticorum considerationem appellent.

I^a DIVISIO. INDULGENTIAE "PER MODUM ABSOLUTIONIS" ET "PER MODUM SUFFRAGII".

De indole hujus divisionis, seu de sensu harum duarum formularum

earumque convenientia et distinctione, sufficienter dictum est in art. 109 (per totas Concl. 8 et 9, p. 949 sqq.) cum sermo fuit de ipsa essentia indulgentiae, seu actus potestatis clavium, ad quam illae formulae referuntur. Unum adhuc ad complementum dictorum quaeri potest, an scilicet indulgentia per modum suffragii sit propria defunctis, ita ut non possit indulgentia *concedi etiam vivis per eundem modum suffragii* sed necessario his concedatur per modum absolutionis.

Ad *FACTUM* quod attinet, certum est vivis non nisi per modum absolutionis indulgentias concedi nec proinde indulgentias unquam valide transferri ad alios vivos. Ex historia nullum affertur clarum exemplum talis transferibilis concessionis; hoc explicite prohibetur in *Codice J. C.*, can. 930: "Nemo indulgentias acquires potest eas aliis in vita degentibus applicare", idque logice sequitur ex eo quod in can. 911 statuitur indulgentiam pro vivis concedi per modum absolutionis seu directae concessionis. Ratio autem est, quia concessio translationis non expedit eo quod vivi possunt acquirere indulgentias per semetipsos, unde simultanea concessio translationis foret ex una parte socordiam multorum, qui nec per se satisfacere nec sibi acquirere indulgentias curarent, et ex alia parte evacuaret extrinsecum finem concessionis indulgentiae qui est fovere spirituales profectum fidelium mediante exercitio piorum operum quae ad lucranda indulgentiam exiguntur (cf. supra, p. 883 sq.).¹⁹

Ceterum, si Ecclesia quandoque benigne velit quibusdam ex suis membris concedere indulgentiam, non requisita ab eis ullius operis adimpletione, non est necesse ut recurrat ad translationem indulgentiae ab alio lucratae, sed satis et convenientius est ut directe concedat indulgentiam uni sub conditione operis ab alio adimplendi. Ad rem *S. Thomas*: "Opus proprium potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit: et ideo potest pro quocumque vult, satisfacere, Sed indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat indulgentiam. Et ideo cum ipse applicat ad facientem, vel dantem hoc, aut illud, ille non potest qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre. Si tamen sic fieret indulgentia: 'Ille qui facit, vel pro quo hoc fit, habet tantam indulgentiam', valeret ei pro quo fit. Nec tamen iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille qui indulgentiam sub tali forma facit" (*Suppl.*, q. 27, a. 3, ad 2).²⁰

¹⁹ Cf. *Palmieri*, An lucratus indulgentiam possit eam ex arbitrio in alterum conferre, in *Analecta Eccl.*, 1895, p. 89.

²⁰ Cf. *Scotum*, *Miscellanea* (opus non certo authenticum), q. 4, apud Montefortino, *Summa theol.*, *Suppl.*, q. 27, a. 3, et q. 71, a. 10, infra cit. in p. 1105. Attamen, verba tum *S. Thomae* tum *Scoti* possunt etiam interpretari de possibilitate proprie dictae

De facto non desunt exempla hujusmodi concessionum, qualis est *indulgentia adnexa altari privilegiato*, quae, olim saltem, concedebatur etiam pro vivis, ita nempe ut indulgentia plenaria lucraretur per modum absolutionis (ut declaravit S. C. Indulgentiarum a. 1897) ab eo vivo pro quo sacerdos missam ad tale altare celebraret. In qua quidem concessione non agitur de translatione indulgentiae, ut videtur putare *Beringer*.²¹

Ad rem apte *DE ANGELIS*: "Appellatur privilegiatum altare, cui adnexa est indulgentia plenaria, quae applicanda est animae christifidelis per modum absolutionis, si Missae sacrificium pro vivo ad altare privilegiatum pro vivis celebratur, vel per modum suffragii, si Missae sacrificium pro defuncto ad altare privilegiatum pro defunctis offertur.

"A.A., qui de hac re disserunt, fere unanimiter definitionem exhibent altaris privilegiati pro defunctis. Ipsi retinent non dari altare privilegiatum pro vivis et, cum in pontificiis documentis sermo est de huiusmodi altari, intelligendum esse de indulgentiis, quae a christifidelibus illud altare visitantibus lucriferi possunt. At immerito quidem; nam, quamvis verum sit quod nunc temporis altaria privilegiata pro vivis non amplius conceduntur, tamen dubitari nequit quod *Apostolica Sedes vera ac propria altaria privilegiata pro vivis et defunctis et aliquando etiam pro vivis tantum concessit, quod etiam in posterum facere possit*.

"Sufficit in memoriam revocare altare privilegiatum pro agonizantibus, a S. P. Benedicto XV sacerdotibus pie Unionis Primariae a transitu S. Ioseph adscitis, per Litteras Apostolicas d. d. 15 iunii 1917²² concessum, quod vere altare privilegiatum pro vivis dicendum est. Suprema enim S. Officii Congregatio interrogata quomodo intelligenda sit indulgentia plenaria huic altari adnexa, respondit: 'Indulgentiam esse intelligendam tamquam pro vivis per modum absolutionis'.²³ Iam antea S. Indulgentiarum Congregatio, interrogata: Quomodo intelligenda sit inscriptio, quae reperitur in aliquibus altaribus, huius tenoris 'Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis', declaravit: 'Interpretanda est ita ut tam pro vivis, si in altari, de quo agitur, Missae sacrificium pro vivis applicetur (quam pro defunctis, si pro his s. sacrificium applicetur), intelligatur concessa plenaria indulgentia: pro vivis ad modum absolutionis, pro defunctis ad modum suffragii'. . .

"*Sunt nonnulli qui tenent altaria privilegiata pro vivis abrogata fuisse a can. 930 C. I. C., juxta quem: 'Nemo indulgentias acquires potest eas aliis in vita degentibus applicare'*. At immerito quidem, nam principium quod statuitur in memorato canone non est novum sed communi Doctorum consensu etiam ante codicem traditum. Indulgentia enim acquisita non potest pro alio vivo applicari seu in alium vivum transferri, uti clarissime apparet ex ipsa natura indulgentiae pro vivis. Nam indulgentia pro vivis datur per modum absolutionis, qua Ecclesia vi potestatis clavium absolvendo remittit homini, in quem retinet iurisdictionem, poenam temporalem Deo debitam, utique offerendo Deo in eius locum solutionem ex thesauro meritorum, cuius ipsa Ecclesia est dispensatrix. Iamvero inauditum est reum absolutum absolutionem sibi datam in alium transferre, ut non ipse sed ille censeatur absolutus.

translationis indulgentiae, si attendatur quidam parallelismus inter Suppl. q. 27, a. 3, ad 2, et q. 71, a. 10, ubi agitur de applicatione indulgentiae ad defunctos quae consistit in vera translatione.

²¹ "Dependant, ici encore, l'Eglise a admis des exceptions. (Voir Autel privilégié, n. 979)" (Les indulgences, trad. Ph. Mazoyer, Paris, 1925, p. 34).

²² A.A.S., vol. X, pag. 317 ss.

²³ S. C. S. Off., die 22 nov. 1922.

"At non ita est conceptus altaris privilegiati, ut scilicet sacerdos, qui celebrat in altari privilegiato vel in quolibet altari, si gaudeat privilegio personali, *hucuret indulgentiam, quam postea applicet vivo vel defuncto*²⁴ prout pro vivo vel defuncto Missam celebrat; sed ipse ponit tantum celebrationem Missae, vi cuius conceditur indulgentia plenaria, quae applicatur ei pro quo Missa offertur, scilicet vivo per modum absolutionis, si Missa pro vivo celebratur, vel defuncto per modum suffragii, si pro defuncto Missa offeratur. Hoc modo non accidit id quod prohibetur a can. 930, quod scilicet sacerdos lucratur indulgentiam, quam postea applicat vivo, sed e contra Romanus Pontifex concedit indulgentiam vivo pro quo Missa applicatur."²⁵

Imo addit *FANFANI*: "Certum est etiam in favorem viventium aliquando fuisse concessum et, non obstante can. 930, quo declaratur neminem posse indulgentias aliis in vita degentibus applicare, *etiam nunc concedi*. Ita e.g. adscripti 'associationi a transitu Beati Patriarchae Ioseph', quoties Missam celebrant pro agonizantibus, fruuntur privilegio personali altaris privilegiati in favorem illius animae pro qua celebrant (Breve Pii PP. XI, 29 Iunii 1923)."²⁶

Ipsa vero *POSSIBILITAS* translationis indulgentiae inter vivos, a theologis communiter admittitur. Nihil enim videtur ob stare sive ex parte ipsius dispensationis thesauri, quae potest mediate ac translative concedi, sive etiam ex parte causae concessionis, seu utilitatis fidelium, nam contingere potest ut talis concessio expediat nec per eam frustretur supradictus finis indulgentiae, puta si concedatur ut indulgentia sit transferibilis ad catechumenos vel amentes qui nequeunt per seipsos indulgentias acquirere, vel si permittatur eam transferri ad alios determinatos baptizatos qui jam per seipsos indulgentias acquisierunt, ita ut his duplicetur beneficium (puta si Papa dicat: His qui indulgentiam jubilai acquirunt, conceditur ut intra eandem diem possint ipsis ab aliis transferri eorum indulgentiae); nec repugnat quod, eousque matris Ecclesiae sapiens benignitas perveniat, ut in quibusdam circumstantiis velit per hujusmodi translationem fovere influxum communionis sanctorum in corpore mystico ac insimul ita succurrere infirmioribus membris ac negligentibus filiis, quemadmodum per ipsam indulgentiarum concessionem succurrit omnibus fidelibus, etiam illis qui negligunt per semetipsos satisfacere.

Quod autem attinet ad modum hujusmodi possibilis translationis inter vivos, observa discrimen inter communem sententiam, opinionem Lugonis et explicationem Suaresii, proveniens ex diverso modo quo explicatur ipsa translatio in defunctos, juxta dicta in art. 109 (p. 950-962).

Qui enim cum *communi explicatione* dicunt indulgentiae communi-

²⁴ Quod attinet ad defunctum, dissentiendum nobis est a cl. auctore, quia, ut dictum est in art. 109 (p. 949 sqq.), applicatio indulgentiae ad defunctos non nisi translative fieri potest.

²⁵ De indulgentiis, Colle Don Bosco (Asti), (1946), p. 192-194.

²⁶ De indulgentiis, Taurini-Romae, 1926, p. 108; cf. *Heylen*, De indulgentiis, Mechliniae, 1948, p. 137.

cationem ad defunctos fieri per meram translationem dispensati thesauri, nullam difficultatem inveniunt in hoc quod dicatur id ipsum fieri posse quoad vivos.

A fortiori hoc concedit *Lugo* ex sua opinione quod ea communicatio fit per elevationem operum praescriptorum ad rationem satisfactionis ex opere operato; unde facile concludit: "Infertur [ex dictis] . . . eodem modo, quo conceditur indulgentia indirecte defunctis, posse etiam dari catechumeno, vel amenti: cum enim non attendatur ad ejus personam, an sit subditus, sed ad illum cui directe et immediate datur: cur non poterit concedi indulgentia elevando opera subditi ad tantum valorem cum facultate, ut possit ea opera applicare cuilibet alteri, sive defuncto, sive non baptizato; sicut posset applicare suas satisfactiones! Potest quippe homo justus jejunare pro catechumeno, vel pro amente, applicando eis suam satisfactionem, si sunt in statu gratiae: ergo poterit etiam ex facultate Pontificis applicare eisdem sua opera cum valore adjuncto ex elevatione ad majorem remissionem poenae. Unde posset etiam ex eadem facultate lucrari indulgentiam pro aliis baptizatis, quicumque illi sint: communiter tamen non conceditur facultas lucrandi indulgentias pro aliis viventibus: quia, cum ipsi possint sibi etiam subvenire, non expedit fovere eorum pigritiam, ut neque satisfacere, neque etiam indulgentias pro se lucrari curent."²⁷

Suarez vero, cum doceat indulgentiam per modum suffragii in hoc formaliter differre ab indulgentia per modum absolutionis, quod illa conceditur non subdito, haec vero subdito, ex quo videtur sequi impossibilitas concedendi vivis indulgentiam per modum suffragii, cum ipsi sint subditi, ab hac consequentia conatur eleganter sed inaniter sese expedire, fingens quod Papa, per se vel per subordinatum praelatum, posset dare indulgentiam quibusdam vivis non considerando vel non constituendo illos subditos, ita ut indulgentia fiat illis tanquam non subditis. Ad rem ipse: "Ex his . . . colligi imprimis videtur nullam esse indulgentiam pro vivis, quae sit tantum per modum suffragii, et non per modum absolutionis. Hoc satis patet inductione facta et ratione etiam tacta, quia vivens semper est subditus concedentis indulgentias, a quo proinde absolvi potest. Atque ita semper fieri debere, colligitur ex c. 'Quod autem', de Poenit. et remiss. . . Fateor quidem, non involvi repugnantiam in hoc, quod Pontifex deleget jurisdictionem ad dispensandum thesaurum in aliquos, non constituendo illos subditos, nec delegando jurisdictionem in ipsas personas, ad eum modum quo ipse Pontifex se habet respectu animarum purgatorii, quia neque ex parte ipsius rei, neque ex parte

²⁷ De Poenitentia, disp. 27, sect. 5, n. 77, Disp. Scol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 510.

potestatis, aut voluntatis Pontificis invenitur in hoc repugnancia. Posito autem hoc modo delegationis, posset hujusmodi delegatus concedere vivis indulgentiam per modum suffragii, et non per modum absolutionis. . . Dico tamen hunc modum delegationis non esse in usu, sed quoties Papa dat facultatem ad concedendas indulgentias viventibus, simpliciter eam concedere juxta capacitatem et statum eorum, atque adeo constituendo eos subditos quoad hunc actum, ut in hoc foro solvi possint. Sicut etiam non repugnat ipsum Pontificem per se concedere indulgentiam viventibus tantum per modum suffragii; de facto tamen nunquam id facit".²⁸

II^a DIVISIO. INDULGENTIAE PLENARIAE ET PARTIALES.

Ex parte quantitatis effectus, seu poenae remissae, indulgentia a modernis auctoribus dividitur in plenariam et partialem juxta ipsum *Codicem J. C.* (can. 921. 926. 928). *Plenaria* subdividitur in concessam in forma ordinaria et concessam in forma jubilai (quae tamen accidentaliter differt a priori, ratione nempe privilegiorum annexorum dispensandi super certa vota et impedimenta et absolventi a reservatis, necnon indirecte ratione effectus, seu potius spei certioris fructus ob majora opera requisita et ob communem concursum et adjutorium populi christiani). *Partialis* (quae olim dividebatur etiam in remissionem dimidia vel tertiae partis poenae) nunc dividitur juxta numerum dierum vel annorum (numero annorum saepe hucusque solebat adjungi idem numerus quadragenarum).

In ultimis duabus authenticis collectionibus indulgentiarum (cf. supra, in p. 877), i.e. "*Collectio precum piorumque operum . . .*", a. 1929, et "*Praesces et pia Opera . . .*", a. 1937 (quae sola nunc est authentica et valida), occurrunt tantummodo indulgentiae 50, 100, 200, 300 et 500 dierum, necnon 3, 5, 7, 9, 10 et 15 annorum; in priori opere communiore sunt indulgentiae 100 et 300 dierum, necnon 7 annorum; in altero vero indulgentiae 300 et 500 dierum, necnon 3, 5 et 7 annorum; in priori occurrit semper additio totidem quadragenarum ad indulgentias 5, 7 (frequentissime) et 10 annorum; in altero haec additio simpliciter omittitur.²⁹ In hodierno jure datur

²⁸ De Poenitentia, disp. 53, sect. 3, n. 11, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1107 sq.

²⁹ In *priori opere* hae indulgentiae inveniuntur: 50 dierum (circiter sexies: p. 4. 59. 108. 252. 341. 361), 100 dierum (frequentissime), 200 dierum (circiter 13: p. 94. 98. 100. 102. 118. 144. 184. 185. 241. 281. 285. 288. 352), 300 dierum (frequentissime), 500 dierum (circiter 3: p. 7. 78. 147), 3 annorum (bis: p. 165. 175), 5 annorum (ter: p. 17. 148. 275), 10 annorum (bis: p. 50. 148).

In *altero opere*, nunc solo authentico, habentur indulgentiae: 50 dierum (semel: p. 573), 100 dierum (circiter 10: p. 26. 65. 355. 399. 408. 429. 449. 505. 506. 513), 300 et 500 dierum (frequentissime), 3, 5, 7 annorum (frequentissime), 9 annorum (semel: p.

cardinalibus facultas concedendi indulgentias 300 dierum, archiepiscopis 200 dierum, apiscopis 100 dierum (cf. infra, p. 1060 sq.).

Observat *Beringer*: "De nos jours, les plus longues Indulgences partielles accordées d'ordinaire par les Papes, sont de sept, de dix, de vingt, de trente ans, et rarement de cent ans et au delà. Toutes les Indulgences de mille ans et plus sont fausses ou sont actuellement entièrement révoquées, quelle que soit l'époque où elles auraient soi-disant été accordées".³⁰ Les sommaires authentiques des Indulgences de la couronne ou chapelet du Seigneur et du chapelet de Notre-Dame des Sept Douleurs contiennent cependant des Indulgences de cent, cent cinquante et deux cents ans. Encore maintenant, chaque année, le Souverain Pontife accorde une Indulgence de cent ans pour chacun des jours de la neuvaine préparatoire à la fête de Noël et à celle de saint Pierre, comme elle se fait publiquement à Rome; et Pie X a rétabli l'Indulgence de cent ans et cent quarantaines pour les membres de la Confrérie du Rosaire, Indulgence que Léon XIII avait révoquée³¹.³²

Quoad formulam "*totidem quadragenarum*" (v.g. "*indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum*") observa *quadragenam* olim fuisse jejunium per 40 dies quolibet anni tempore observandum, quod, si fiebat in pane et aqua, dicebatur *carena*, a carendo aliis cibis. Dicta autem de indulgentia, quadragesima intelligitur indulgentia quadraginta dierum; septena vero, indulgentia septem annorum; carena tandem, indulgentia complectens simul quadragesimam et septenam.³³

AD HISTORIAM QUOD ATTINET, haec divisio indulgentiae in plenariam et partialem, inde a medio aevo fieri coepit, etsi sub aliis vocibus ac distinctionibus.

Indulgentiae cruciatae, quas Urbanus II a. 1095 inauguravit, plenariae erant, ut patet ex documentis Urbani II, Coelestini III et Innocentii III, allatis in art. 107 (p. 846 et 872); vocantur enim "*omnium peccatorum relaxatio*" (Coelestinus) et "*plena venia peccatorum*" (Innocentius); nec refert quod dicantur esse "*ab injunctis poenitentibus*", seu a poenis canonicis et sacramentalibus, nam haec

576), 10 annorum (circiter 30: p. 51. 52. 67. 83. 84. 85. 86. 87. 100. 101. 103. 104. 106. 110. 124. 141. 143. 168. 177. 189. 203. 252. 489. 508. 510. 512. 278), 15 annorum (quinquies: p. 65. 83. 84. 88. 448). In editione 1950 diversa habetur numeratio.

³⁰ Décret du 26 mai 1898 et du 10 août 1899; *Acta S. Sed.*, xxxi, 127; xxxii, 243.

³¹ *Act. S. Sedis*, xxxix, 562.

³² Les indulgences, trad. Ph. Mazoyer, t. 1, Paris, 1925, p. 31.

³³ Ita quidam, ut *Biel* (In 4 Sent., dist. 45, q. 3, a. 1) et *Suarez* (Disp. 50, sect. 5, n. 11); alii tamen volunt quadragesimam et carenam idem significare.

appositio nequaquam indicat restrictionem ad solam poenam correspondentem illis poenitentibus, ut constat ex dictis in art. 110 (signanter p. 986 sq.).

Indulgentiae jubilaei, inauguratae a Bonifacio VIII, signantius ostendunt amplitudinem vis indulgentiae plenariae, addita quoque solemniori forma et accidentali extensione, qua haec concessio distinguitur a communi indulgentia plenaria. *Bonifacius VIII* in sua Bulla "Antiquorum habet" a. 1300 (cit. in p. 846 sq.) primus utitur celebri formula "Non solum *plenam, et largiorem, imo plenissimam* omnium concedimus veniam peccatorum". De sensu hujus divisionis plenariae indulgentiae, quae subinde apud doctores occurrit sub formula "plena, plenior, plenissima indulgentia", disputatur.

Quidam intelligunt distinctionem quantum ad ipsum remissionis effectum; ita inter antiquiores *Paludanus, Biel, Hadrianus, et Navarrus* (quos refert Suarez), dicentes indulgentiam plenam et plenioram non esse simpliciter totales sed referri tantum vel ad peccata mortalia, vel ad peccata confessa, vel ad poenitentias ab ipsa Ecclesia injunctas aut injungendas; similiter inter modernos, *Cappello* (n. 640), *Lehmkuhl* (ed. 1902, n. 526) et *Pesch* (n. 472) dicunt: "Plena est indulgentia, quando remittitur tota poena correspondens toti satisfactioni impositae in foro ecclesiastico; plenior, quando respondet poenae non solum reapse impositae sed secundum rigorem canonum imponendae; plenissima, quando remittitur tota poena coram Deo debita."³⁴ Alii, ut *Passerinus* (De indulg., q. 12, n. 133), *Billuart* (a. 1), *Collet* (De indulg., c. 1, n. 9), *Beringer* (n. 28), *Kurz* (Die kath. Lehre vom Ablass, 69 sqq.), rectius intelligunt distinctionem vel quantum ad supradictum accidentalem effectum privilegiorum jubilaee annexorum,³⁵ vel mere quantum ad solemnioram seu emphaticam assertionem ipsius plenitudinis remissionis quae est propria cujuslibet indulgentiae plenariae, ita ut Bonifacius, ex quo ea formula derivatur, voluerit significare se concedere remissionem "adeo plenam, prout clavium potestas se extendit", ut glossator Bullae testatur ipsum Papam declarasse in quodam concistorio. Quidquid sit, certum est hanc distinctionem secundum primum sensum hodie nullatenus exis-

³⁴ *Pesch*, n. 472.

³⁵ Sic *Collet*, De indulg., c. 1, n. 9, scribens: "Alii, et nostro quidem iudicio melius, divisionem hanc non repetunt ex effectu Indulgentiae, quae statim ut plenaria est, poenam totam peccatis debitam ex integro dimittit, si fructus ejus ex integro percipiatur; sed ex privilegiis eidem Indulgentiae annexis; adeo ut dicatur plenaria, quando tota poena in foro et iudicio Dei debita remittitur; plenior, quando superadditur potestas extraordinaria absolvendi a casibus et a censuris reservatis; plenissima, quando dispensandi in votis et hujusmodi vinculis potestas communicatur, secundum diplomatistae formam, quae semper attente pensanda est. Ita *Marchantius*, in *Tribunali*, tomo 3, tract. 5, tit. 2, quaest. 3" (apud Migne, Theol. Cursus, t. 18, col. 516 sq.).

tere, sed omnem plenariam indulgentiam esse plenissimam quoad poenae remissionem; quod jam suo tempore agnoscebat Suarez iniquiens: "Secundum praesentem statum et usum verius existimo nullam esse differentiam inter illas indulgentias quoad proprium et per se effectum indulgentiae, ut sic."³⁶

Conc. Viennense a. 1312 (cit. in p. 847) distinguit inter indulgentiam plenariam et partialem, reprehendens abusus quorundam quaestorum qui, pro accepta pecunia, "*tertiam aut quartam partem* de poenitentiiis injunctis relaxant . . . [et] remissionem *plenariam* peccatorum indulgent". Similiter *Clemens VI* in Bulla jubilaei "Unigenitus" a. 1343 (cit. in p. 847 sq.) explicitam distinctionem facit in *totalem* (i.e. plenariam) et *partialem* indulgentiam (Christus "thesaurum pro beato Petro commisit fidelibus dispensandum nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae").

Partiales indulgentiae quandoque exprimebantur fractione quantitativa (remissio dimidiae vel tertiae vel quartae partis), saepius vero per determinatum numerum dierum et annorum, ut hodie fit. Quasdam ex hujusmodi antiquioribus indulgentiis, quae inde a saec. 12 celerime multiplicatae sunt (cf. in p. 873), supra memoravimus (p. 873. 874. 985 sq.), scilicet *Paschalis II* († 1118) indulgentiam 40 dierum, *Callisti II* († 1124) indulgentiam 20 dierum, *Innocentii II* († 1143) indulgentiam 40 dierum, *Alexandri III* († 1181) indulgentias unius, duorum, trium annorum, *Conc. Later. IV* a. 1215 concedentis praelatis ut in dedicatione basilicae dent indulgentiam unius anni et in anniversario dedicationis indulgentiam 40 dierum. *S. Thomas* refert concessionem indulgentiae septem annorum: ". . . sicut quando dat papa indulgentiam, quod pergens ad unam ecclesiam habeat septem annos indulgentiae, cujusmodi etiam indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt" (*Suppl.*, q. 25, a. 2); item, concessionem minimae indulgentiae 10 dierum: ". . . sicut quicumque orat pro rege Franciae, habet decem dies de indulgentia a papa Innocentio IV" (*ibid.*, a. 3).

AD INTERPRETATIONEM HARUM INDULGENTIARUM QUOD ATTINET, convenit apud omnes *indulgentiam plenariam* remittere totam poenam temporalem, coram Deo debitam pro peccatis tam mortalibus quam venialibus jam remissis (non secus ac sacramentum Baptismi), ita ut si quis moreretur statim post hanc indulgentiam consecutam, immediate ingrederetur beatitudinem, et similiter anima ex Purgatorio evolveret in coelum. Unicum impedi-

³⁶ De Poenitentia, disp. 50, sect. 4, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1026.

mentum effectus hujus indulgentiae est praesentia peccati venialis, nam praesentia peccati mortalis obstat ipsi valida consecutioni indulgentiae; quinam vero sit obex in anima purgante dictum est in art. 111 (p. 1020 sq.), sed quoad hoc discordant theologi, ut constat ex eodem articulo. Non immerito conici potest indulgentiam plenariam saepissime frustrari ob facilem praesentiam venialium in anima acipientium; exaggeravit tamen *E. Amort* (De origine . . . indulgentiarum, pars. 2, sect. 4, p. 208 sq.), affirmans tam difficile hanc indulgentiam obtineri ut inter centum millia hominum vix duo illam consequantur.

Cum indulgentia plenaria divisibilis sit, ex ipsa intentione dantis fit ut ita concedatur quod si ob impedimentum, tota acquiri nequeat, partialiter acquiratur (scilicet quantum ad omnia peccata jam extincta), vel, si placet, vertatur in partialem. Hoc explicite concedit *Codex J. C.*, can. 926: "Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet". Ex hoc explicari potest quare olim concedebatur interdum indulgentia *plenaria et tot annorum* (puta indulgentia plenaria et septem annorum), ut nempe addita partialis indulgentia subrogaretur plenariae, si quando haec acquiri non posset; in quo casu, subrogatoria illa indulgentia esset magis limitata quam ea quae nunc conceditur, quia non necessario remitteret poenam omnium peccatorum jam extinctorum, sed tantum eam quae correspondet numero concessorum annorum.

Suarez tamen aliter de tali formula iudicat, scribens: "Haec ratio minus probabilis est, quia quamvis causa plenariae indulgentiae non sufficiat ad totam, semper sufficiet ad aliquam partem causae proportionatam obtinendam; ergo sine illa additione causa habebit adaequatum effectum; nullius ergo utilitatis est illa additio. Dico ergo imprimis, me non invenisse illam formam concedendi indulgentiam in aliquo decreto juris, neque etiam in aliqua bulla authentica, quae ad manus meas pervenerit, et ideo nos oportere non esse admodum sollicitos in explicanda vera et prudente significatione illorum verborum. Deinde dico, ubi inventa fuerint illa verba, considerandum esse, an illae duae concessionis ad diversa tempora, vel actiones possint referri; nam sic facile fieri potest, ut prius concedatur indulgentia plenaria, postea vero tot dies et quadragenae indulgentiae, quia jam potest esse contractus novus poenae reatus post priorem indulgentiam obtentam. Si vero constet totam illam indulgentiam sub eadem conditione et diligentia ad idem momentum referri sub ratione unius integrae concessionis, tunc verisimile mihi est, ultra indulgen-

tiam plenariam, quam sibi lucratur, concedi alios dies vel annos indulgentiae, ut per modum suffragii offerre illos possit, etiamsi in rescripto hoc expresse non declaretur, quia credendum est quod illud non frustra conceditur, sed aliquo modo utili; non occurrit autem alius modus, quo possit talis indulgentia integrum habere effectum, aut additio illa alicujus esse utilitatis".³⁷

INDULGENTIAE PARTIALIS INTERPRETATIO MINUS FACILIS EST.

Et quidem si indulgentia concederetur, ut quandoque olim fiebat, secundum partitionem quantitativam (remissio dimidia, vel tertiae partis poenae), iudicium de quantitate remissionis peculiarem difficultatem non haberet et liberarentur theologi ab onere explicandi formulam harum indulgentiarum; nam, quamvis indeterminata in expressione et nobis ignota, ea quantitas est determinata a parte rei, ita ut certo sciam mihi remitti medietatem vel tertiam partem poenae quam de facto expiandam habeo, etsi nesciam quantam reapse expiandam habeam. Tamen Ecclesia alio modo indulgentias concedere solet, scilicet mensurando remissionem per numerum dierum et annorum, eo fortasse consilio, ut, servando traditionales formulas, conformet remissivam suam disciplinam cum antiqua praxi poenitentiali; ceterum, cum indulgentiae partiales sint multiplici mensura distribuendae, juxta gravitatem nempe causae et congruentiam subjectorum, illud inconveniens ex priori methodo sequeretur quod oporteret concessionem, quasi mercatorio modo, dividere ac subdividere in non paucas remissiones: dimidae scilicet, tertiae, quartae, quintae, vigesima, quinquagesimae, centesimae partis, et ita porro.

Explicatio autem sensus formularum, quibus Ecclesia solet indulgentias concedere secundum numerum dierum et annorum, seu determinatio quantitatis poenae quam per eas remittere intendit ac reapse remittit, non parum torquebat et adhuc vexat theologos, praebens Protestantibus³⁸ ansam confirmandi suam impugnationem catholicae doctrinae de indulgentiis.

Ut autem mittamus paucorum antiquorum opinionem, tot nempe dies vel annos Purgatorii remitti seu abbreviari quot exprimuntur in indulgentia (quae opinio inepta est sive theologicè, cum poenae Purgatorii mensurentur non sola duratione sed etiam intensitate, sive historice, nam constat per ipsas easdem formulas olim significatam esse abbreviationem poenae canonicae), theologi, praecipue moderni,

³⁷ De Poenitentia, disp. 50, sect. 4, n. 9, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1027 sq.

³⁸ Cf. Ch. Lea, A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, Philadelphia, 1896, vol. 3, p. 85-91.

conveniunt in dicendo quod, per indulgentiam tot dierum vel annorum, tantum remittitur de poena coram Deo debita et in hac vita vel in Purgatorio luenda, *quantum aequivalet poenae canonicae ejusdem durationis*, seu quantum olim de facto consequebantur qui explebant poenam canonicam et sacramentalem tot dierum vel annorum, aut, quod ad idem redit, quantum nunc quis consequeretur si expleret poenam canonicam ejusdem durationis, quam Ecclesia posset ab eo exigere pro suis peccatis.

Prima tamen fronte, haec responsio videtur nihil concludere quod attinet ad determinationem quantitatis remissionis, remque in incerto prorsus relinquere, ac difficultatem potius protrahere quam solvere. Nam quantitas remissionis, quam quis consequeretur in impletione poenae canonicae, non pendet a sola duratione poenitentiae, sed etiam ac praecipue tum a quantitate seu difficultate operis injuncti tum a dispositione seu devotione subjecti illud exequentis; jamvero haec duo incerta sunt et varia, juxta diversum judicium praelatorum imponentium poenitentias (unde in antiqua ecclesia varia erat, pro locis et temporibus, canonica disciplina et impositio poenarum pro eisdem peccatis et in eadem duratione temporis explenda) et juxta diversos poenitentes eas exequentes. Ex quonam igitur opere et ex quonam gradu dispositionis oportet quantitatem remissionis mensurare, quae dicitur esse unius vel duorum annorum? Nonne ergo incerta ac indeterminata manet remissio quam intendit Ecclesia conferre? Si autem quod Ecclesia concedit, est de se indeterminatum a parte rei, nihil reapse confertur, quia indeterminatum non est conferibile.

Hanc difficultatem sic bene proponit ac urget *SUAREZ*:

“Sed adhuc non quiescit animus, nec satis concipit quomodo juxta hanc interpretationem possit esse certus ac definitus effectus hujus indulgentiae.

“*Primo*, quia eodem tempore et per opus omnino simile, unus homo consequitur majoris poenae remissionem quam alius, vel quia gratior Deo est, vel quia majori affectu operatur, vel ob alias circumstantias.

“*Secundo*, quia . . . poenitentiae, quae injungi possent, etiam secundum prudentiam, non consistunt in indivisibili, sed etiam habent latitudinem rigorosae, mediocris et mitissimae poenae intra latitudinem justitiae, quibus, in remittenda poena purgatorii, inaequalis respondet effectus; per quam ergo ex his poenis mensurandus erit effectus hujus indulgentiae? cum ille certus esse, et in indivisibili consistere debeat.

“*Et augetur difficultas*, quia ad injungendam poenitentiam prudentis arbitrio, non solum consideranda est gravitas criminis, sed etiam dispositio poenitentis, vel bona, qualis est fervens contritio, quae multum confert, ut pro graviore crimine levior satisfactio imponatur; vel e contrario mala, seu minus congrua dispositio, qualis est fragilitas in acceptanda vel implenda poenitentia. Quod si dicatur hoc arbitrium, quod ad praesens pertinet, non esse sumendum ex dispositione poenitentis, sed ex gravitate peccati secundum se, tunc sequitur per hujusmodi indulgentiam remitti semper totam poenam peccato debitam; nam illa poenitentia

prudenter imponitur pro aliquo crimine quantum est ex vi illius, quae esset sufficiens ad expiendam totam poenam purgatorii illi correspondentem, juxta gravitatem ejus. *Rursus* caeteris paribus poenitentia injuncta in sacramento majorem habet effectum quam non injuncta, utpote, aliquid poenae remittens ex opere operato; incertum ergo est sub qua ratione mensuret effectum indulgentiae. Nec occurrit universalis ratio, ob quam alterutrum illorum asseratur. *Ultimo* est difficultas circa illam explicationem; nam ex illa sequitur eandem indulgentiam, verbi gratia, septennem, majorem habere effectum in eo qui gravius peccavit, solum quia gravius peccavit, quamvis in caeteris dispositionibus et operationibus sint pares, quod videtur absurdum. Sequela patet, quia licet propter perjurium, verbi gratia, aut adulterium esset imponenda septennis poenitentia, gravior tamen propter perjurium quam propter adulterium, et consequenter, illa majorem etiam purgatorii poenam auferret quam haec; ergo eadem proportione perjurus, obtinens illam indulgentiam, majorem remissionem poenae purgatorii consequetur, quia illi gravior esset satisfactio imponenda.³⁹

Coram hac difficultate *quadruplex est modus se gerendi theologorum. Quamplures*, difficultatem dissimulantes, prorsus tacent. *Quidam*, difficultatem agnoscentes, dicunt frustra inquiri de mensura remissionis quae fiat per indulgentiam, cum soli Deo sit nota; ita *Billuart*, et *Beringer* qui scribit: "Quant à vouloir connaître la mesure des souffrances du purgatoire rachetée par telle ou telle pénitence, c'est se donner une peine inutile; ce secret est réservé à Dieu seul, et nous devons nous en remettre à son infinie miséricorde. Cette ancienne formule, qui accorde des Indulgences d'un certain nombre de jours et d'années, a été conservée pour nous rappeler et l'esprit de pénitence qui animait nos pères dans la foi, et la rigoureuse et longue pénitence que nous aurions encore à pratiquer et que la miséricorde de Dieu daigne nous remettre."⁴⁰ *Alii* contenti sunt contemplare punctum difficultatis ac celeriter illud pertransire, sceptice et ambigue concedentes hanc quaestionem "quadam incertitudine laborare"; ita *Vermeersch*, quem fere ad verbum repetit *Cappello* (n. 640) et *Heylen* (p. 19), scribens: "Cum . . . canonica poenitentiarum disciplina varia severitate fuerit pro varietate locorum et temporum, et nemo hactenus definiverit tempora et loca ad quae concessio se referat, *fatendum est indulgentiam partialem laborare quadam incertitudine quae feliciter tolli posset*" (n. 570).⁴¹ *Alii*, tandem, ut *Suarez*, laudabiliter praedictam difficultatem per praecisiorum communis doctrinae declarationem dissipare conantur.

Quae quidem declaratio sic fere ad sensum ejusdem *Suaresii* proponi potest. Per indulgentiam partialem tantum alicui remittitur de sua

³⁹ De Poenitentia, disp. 50, sect. 5, n. 15, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1033 sq.

⁴⁰ Les indulgences, trad. Ph. Mazoyer, t. 1, Paris, 1925, p. 30.

⁴¹ Quid desideret *Vermeersch* in verbis "incertitudine quae feliciter tolli posset", an nempe aliquam Ecclesiae declarationem de valore praedictarum formularum, an potius novam ac magis determinatam formam indulgentias partiales concedendi (puta per dimidiam vel tertiam partem poenae), non facile dixeris.

poena, quantum ei remitteretur si per spatium talis determinati temporis (puta quadraginta dierum vel trium annorum) ipse exequeretur eam poenitentia, quae, spectata tum quantitate suorum peccatorum, tum conditione suae vitae, tum etiam actualis devotionis dispositione, ei juste imponenda esset secundum moraliter certam prudentum aestimationem vel secundum infallibilem aestimationem Dei. Talis autem mensura est, secundum se et a parte rei, undequaque certa ac determinata, ut patet ex certitudine praedictorum elementorum ex quibus metitur; certa enim ac determinata est tum gravitas peccatorum, tum conditio vitae, tum actualis dispositio lucrantis indulgentiam, et insimul certa est divina saltem aestimatio quantitatis operis poenitentialis quae tali homini per tantum temporis spatium imponenda esset. Quae ceterum aestimatio, etiam per prudentum iudicium, cum quadam morali certitudine, fieri potest (quae, cum sit vera certitudo, suum habet objectivum et infallibilem valorem, secus nihil esset certum et stabile), eamque antiqua Ecclesia in suis poenitentialibus canonibus assequi conabatur, utut vario modo ac ratione, juxta varietatem temporum et locorum.

Ad rem *SUAREZ*, respondens duabus difficultatibus sibi objectis, quas supra citavimus (p. 1042 sq.):

"Nihilominus recedendum non est a praedicta interpretatione [quam communiter tradunt theologi]; nulla enim aptior, et decretis ac bullis Pontificum conformior excogitari potest; ex solutionibus autem dictarum objectionum magis explicabitur et intelligitur.

"*Ad primum* ergo respondetur, fructum qui corresponderet poenitentiae injectae, si fieret, non esse pensandum ex circumstantiis personalibus, ut sic dicam, ipsius poenitentis, quae variae sunt, et saepe mere interiores, de quibus homines non judicant, et hoc solum convincere argumentum. Nihilominus tamen mensurari potest et debet per fructum, quem tale opus externum et laboriosum voluntarie factum, et cum caeteris conditionibus requisitis ad satisfactionem, haberet, si fieret, qui fructus apud Deum certus est, ac satis definitus, ut juxta illum possit etiam esse certus ac definitus effectus indulgentiae. Dicitur etiam potest (estque mihi valde probabile), considerandum esse statum, in quo aliquis lucratur indulgentiam, et fervorem ac devotionem, qua se disponit ad indulgentiam lucranda, et secundum illum mensurandum esse fructum talis indulgentiae, ita ut tanta poena purgatorii per illam remittatur, quanta redimeretur per tale opus poenale tanto tempore factum in simili statu et cum simili fervore ac devotione. Juxta quam interpretationem talis indulgentia non habet in omnibus aequalem fructum, sed majorem in eo qui meliori dispositione illam lucratur; nam, licet in omnibus sit fructus septennis juxta tenorem indulgentiae, tamen illi anni ubiores sunt, ut ita dicam, in uno, quam in alio, propter meliorem lucrantis dispositionem. Quae interpretatio est consentanea optimae providentiae, ut fideles diligentius se ad indulgentias lucrandas praeparent; estque satis apta ad rem totam explicandam, ut ex dicendis amplius patebit.

"*Ad secundam difficultatem* . . . respondetur primo, verisimile esse mensuram effectus talis indulgentiae esse summam ac rigorosam poenitentiam, quae juxta prudentiam pro tali culpa imponenda esset, quia hoc redundat in majorem favorem indulgentiae; nam quo major fuerit poenitentia, tanto habebit majorem

compensationem poenae, et consequenter effectus indulgentiae erit major. Aliter etiam dici potest, quod licet in ordine ad humanam prudentiam distingui fortasse possint illi tres gradus poenitentiae, tamen spectata re ipsa secundum se, justam poenitentiam imponendam pro tali crimine esse unius quantitatis, et apud Deum in indivisibili consistere, et secundum illam rationem accipiendam esse poenitentiam, quae imponenda dicitur secundum prudens arbitrium; nam Deus et cognoscit illam, et quantae poenae purgatorii aequivaleret, ideoque tantam etiam ipse remittit ratione indulgentiae.

“*Ad replicam* vero, quod hoc prudens arbitrium fertur juxta dispositionem poenitentis, responderi potest sicut ad priorem difficultatem, primo hic non agi de prudenti arbitrio pensatis circumstantiis extrinsecis, sed considerata tantum gravitate criminis secundum se. Neque inde fit ut semper ex vi talis indulgentiae remittatur tota poena peccato debita, tum quia fieri potest ut peccato debeatur septennis poenitentia, secundum juris et judicis arbitrium, et tamen quod per indulgentiam tantum remissio unius anni concedatur; tum etiam quia non constat, per poenitentiam in foro Ecclesiae juste impositam et condignam remitti totam poenam; hoc enim divino judicio reservatum est.

“Secundo respondetur, etiam in hoc prudentiali judicio non esse excludendam omnino dispositionem lucrantis indulgentiam, ut secundum illam aestimari debeat poenitentia justa quae pro talibus peccatis imponenda esset; nam hoc etiam est consentaneum rationi, et optimae providentiae. Quod ita etiam declaratur, quia tam satisfactio poenitentialis quam effectus indulgentiae non est nisi de poena, quae manet post remissam culpam; ergo justum arbitrium in poenitentia imponenda non est sumendum ex sola gravitate culpae secundum se, sed ex reatu poenae, quae post illam remissam manet; quia quo major est, eo meretur majorem poenitentiam; est autem major vel minor respectu ejusdem culpae, juxta dispositionem poenitentis; ergo haec etiam consideranda est ad ferendum illud prudens arbitrium; ergo respectu indulgentiae haec optime consideratur secundum illum statum, in quo quispiam lucratur indulgentiam; nam juxta reatum poenae, quem tunc habet apud Deum ex tali culpa, dignus esset tanta poenitentia; ergo recte hoc modo explicatur prudens arbitrium, quod esse deberet in imponenda tali poenitentia. Aliae vero circumstantiae omnino extrinsecae, quales sunt infirmitas corporis ad exequendam poenitentiam, vel etiam debilitas animi ad eam suscipiendam, et aliae similes, non videntur mihi in hoc negotio considerandae; nam licet ratione illarum interdum imponatur prudenter minor poenitentia, tamen illud non est ex vi justitiae et aequitatis ejus, sed potius ex quadam misericordia et dispensatione, seu suspensione justitiae; haec autem computatio, seu commensuratio, de qua agimus, sumenda est secundum justitiae aequitatem; illa enim est quae per se pertinet ad rationem satisfactionis; reliqua vero sunt extrinseca, et per accidens.”⁴²

Contra praedictam explicationem posset aliquis adhuc obicere quod, si actualis dispositio subjecti influeret in justam aestimationem operis imponendi, ex quo mensuratur effectus indulgentiae, sequeretur tum quod eadem indulgentia (puta 40 dierum) remitteret diversam quantitatem poenae pluribus subjectis diversimode dispositis, tum quod effectus indulgentiae penderet a peculiari subjecti dispositione praeter statum gratiae, quod negatum est supra in art. 111 (p. 1008 sq.). *Attamen*, prima sequela nullum videtur importare inconveniens; nec dici potest exinde diversificari eandem indulgentiam aut falso dici eandem indulgentiam omnibus tribui; nam indulgentia,

⁴² Op. cit., n. 16–18, p. 1034 sq.

verbi gratia, 40 dierum, etsi in diversis diversam remissionis quantitatem obtineat, in omnibus tamen significat tantam remissionem quantam unusquisque consequeretur exequendo per 40 dies opus quod ei imponi posset. Secunda vero sequela neganda est; nam devotio subjecti in casu non se haberet veluti consequenter, seu ut dispositio influens ex parte efficacitatis causae quando haec applicatur, sed tantum antecedenter et ex parte constitutionis ipsius causae, quatenus nempe est una ex conditionibus ex quibus aestimatur opus poenitentiale, juxta quod mensuratur quantitas remissionis ab Ecclesia concessae. Ceterum, si velis hanc objectionem radicaliter auferre, excludere poteris considerationem gradus bonae dispositionis ab aestimatione praedicti operis, ac dicere per indulgentiam partialem, tantam alicui poenam remitti, quanta ei remitteretur si per tantum tempus exequeretur *cum minima dispositione ad satisfactionem requisita*, opus ei ex Dei iudicio imponibile, attenta gravitate suorum peccatorum et conditione suae vitae.

III^a DIVISIO. INDULGENTIAE PRO VIVIS, PRO DEFUNCTIS, PRO VIVIS AC DEFUNCTIS.

Haec divisio accipitur ex parte subjecti, nec, ut dictum est (in p. 1032–1036), simpliciter correspondet primae divisioni indulgentiae “per modum absolutionis” et “per modum suffragii”, quia etsi indulgentia pro defunctis sit necessario “per modum suffragii”, indulgentia pro vivis quae est per modum absolutionis non repugnat fieri etiam per modum suffragii. Sensus divisionis est, quod, ex expressa voluntate concedentis, quaedam indulgentiae possunt a vivis acquiri pro seipsis tantum nec sint ab eis applicabiles defunctis (et a fortiori aliis vivis); aliae possunt solummodo ita acquiri ut applicantur defunctis; aliae tandem possint ita acquiri ut, pro libito ipsius acquirentis, aut retineantur pro se aut transferantur ad defunctos, non vero ita ut possint simul acquiri pro se et pro defunctis.⁴³

Prioris generis sunt hodie omnes indulgentiae concessae a praelatis inferioribus R. Pontifice, nam *Codex J. C.*, can. 913, statuit: “Inferiores Romano Pontifice nequeunt . . . indulgentias concedere defunctis applicabiles”. Secundi generis sunt indulgentia toties quoties concessa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum et indulgentia plenaria concessa his qui sic dictum actum heroicum erga animas purgantes emisierint.⁴⁴ Tertii generis sunt “indulgentiae omnes a Romano Pontifice [intellige: per Seipsum vel per Romanam

⁴³ Cf. *S. C. Indulgentiarum*, decr. 15 jan. 1839, Decreta auth., n. 267.

⁴⁴ Cf. *Preces et pia opera indulgentiis ditata*, n. 544 et 547, Taurini-Romae, 1938, p. 437 sq.

Curiam] concessae, nisi aliud constet"⁴⁵ (Codex J. C., can. 930), quod quidem, ut observant auctores (Vermeersch, Cappello, De Angelis, Heylen), valet de indulgentiis praeteritis aequae ac de futuris; praeterea sunt applicabiles defunctis omnes indulgentiae acquisitae ab illis qui actum heroicum emiserint.⁴⁶

IV^a DIVISIO. INDULGENTIAE PERSONALES, REALES, LOCALES.

Etsi solus homo sit capax suscipiendi indulgentias, tamen, ratione modi quo indulgentia ei conceditur, haec distinguitur in personalem, realem et localem, prout nempe datur aut immediate ipsi personae (sive in individuo sive prout est pars alicujus communitatis, confraternitatis, religionis) aut quasi mediate et conditionate, ita ut aligetur usui alicujus rei portatilis (puta crucifixi, coronae, numismatis) vel alicujus loci aut rei immobilis (puta ecclesiae, altaris, imaginis, vel statuae loco permanentemente affixae).

Quidam addunt indulgentiam *mixtam*, seu personalem simul et realem, "ita ut quaedam qualitas personae et quaedam rei possessio vel usus necessariae sint. Tales erant, ante ultimam declarationem Benedicti XV, indulgentiae dictae apostolicae. Etenim, post primum usum rei his indulgentiis ditatae, haec non poterat jam, mutato possessore, novo possessori prodesse."⁴⁷

SUAREZ, longius disserens de hac divisione, scribit: "Circa hanc . . . resolutionem nonnulla supersunt adnotanda. Primum est, quod licet soli homines sint capaces indulgentiarum nihilominus aliquando dicuntur concedi indulgentiae piis locis, vel piis rebus, ut imaginibus, aut granis seu calculis benedictis. Unde sicut distinguitur interdictum in locale et personalem, ita non incommode distinguunt aliqui indulgentiam in *personalem*, et *localem*, quibus *tertium membrum addunt, vocantque indulgentiam realem*. Quae omnes indulgentiae in hoc conveniunt, quod omnes ordinantur ad usum ipsorum hominum, et in eis solis habent effectum, ac denique omnes sunt absolutiones seu remissiones alicujus poenae temporalis. Differunt tamen, quia indulgentia *personalis* ita conceditur personae, ut illi quasi inhaereat talis favor seu gratia, quia illi directe fit; unde quocumque pergat, illam secum defert, ut sic dicam. At vero indulgentia *localis* quodammodo inhaeret loco in ordine ad personas; hujusmodi enim indulgentia dicitur concedi loco, quia conceditur hominibus in tali loco orantibus, vel aliud pium opus ibi exercentibus, et ideo censetur favor ille quasi inhaerere loco, quia in illo tantum, et non in alio talis indulgentia obtinetur, nec effectus ejus communicatur hominibus nisi mediante loco. Et quoad hoc similis est alia indulgentia, quae *realis* appellatur, solumque differt, quia non conceditur in gratiam alicujus loci immobilis, sed alicujus rei mobilis, ut est imago aliqua, Agnus Dei, rosarium, et similia, quibus proinde censetur inhaerere talis favor, et cum eis quasi deferri, et per eas hominibus communicari, ita ut omnes, qui coram tali imagine orant, vel per talia grana, vel rosaria, etc., talem remissionem consequantur.

⁴⁵ Ut de indulgentia "pro bona morte", quae nequit pro defunctis applicari, nisi ab illis qui emiserint sic dictum actum heroicum erga animas purgantes.

⁴⁶ Cf. Decr. 20 sept. 1852 et 20 nov. 1854.

⁴⁷ *Vermeersch*, Theol. Mor., t. 3, n. 570, Romae, 1948, p. 369.

“Atque ita, non obstante hac divisione, semper verum est solos homines viatores esse capaces indulgentiarum, quantum ad effectum seu finem earum, quamvis interdum hic favor directe et immediate concedatur ipsis hominibus, aliquando vero mediante loco, vel alia re sacra.”⁴⁸

V^a DIVISIO. INDULGENTIAE PERPETUAE ET TEMPORANEA.

Indulgentiae concedi possunt vel sine ulla temporis limitatione, vel usque ad tempus determinatum, puta ad triennium (ut concedi solent indulgentiae personales) aut ad septennium (ut dari solent indulgentiae locales). Nisi restrictio explicite fiat aut aliunde constet, indulgentia reputatur perpetua, cum habeat indolem privilegii quod, juxta canonem 70, “nisi aliud constet, censendum est perpetuum.”⁴⁹

Individuae vero indulgentiae, in quas concurrunt praecedentes generales divisiones, exponuntur ab auctoribus practicis in specialibus sectionibus vel manualibus de indulgentiis. Cf. inter alios *Beringer, Lépicier, De Angelis, Fanfani*; necnon *Cappello, Vermeersch* aliosque juristas et moralistas, qui eandem materiam magis compendiose tradunt.

ART. 114. Utrum Solus S. Pontifex Habeat Jure Divino Potestatem Concedendi Indulgentias (Suppl., q. 26; q. 25, a. 1; Quodlib. 2, q. 8, a. 16, corp. et ad 2).

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et sequentibus 4 articulis est *quaestio de CONDITIONIBUS REQUISITIS AD VALOREM INDULGENTIAE*, tam ex parte praelati concedentis quam ex parte subjecti acquirentis, quae quidem reduci possunt ad tres principales, scilicet: ex parte dantis, *legitimam auctoritatem et rationabilem causam* concessionis, et ex parte recipientis, *statum gratiae*, juxta nota verba S. Thomae: “Indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et ex parte recipientis charitas, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem” (*Suppl.*, q. 25, a. 2; cf. ad 5; Quolib. 2, q. 8, a. 16).

Proprie loquendo, tum in concedente, tum in subjecto, cogitari ac distingui potest triplex requisitum (juxta dicta de ministro et subjecto

⁴⁸ De Poenitentia, Disp. 52, sect. 1, n. 3, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1058 sq.

⁴⁹ De concessae indulgentiae duratione et cessatione longe disputat *Suarez*, Disp. 57, per duas integras sectiones; in sect. 2 exhibet sex modos quibus indulgentia cessare potest. Cf. praeterea modernos auctores practicos, ut *De Angelis*, De indulgentiis, n. 132; *Cappello*, n. 674-677; *Fanfani*, n. 46-50.

sacramenti in tractatu De sacr. in genere p. 336. 342. 366. 432. 435 sq. 470, et in praesenti tomo, p. 566–569), scilicet *capacitas, conditio et dispositio*. De capacitate et dispositione in concedente indulgentiam nihil peculiare occurrit disputandum, quoniam ex hoc ipso quod indulgentia sit actus ecclesiasticae jurisdictionis, liquido fluit quod ex una parte concessor capax est solus homo, viator, distinctus a subjecto cui indulgentia conceditur (cf. tamen dicta in art. 109, p. 942 sq.), et ex alia parte nulla bona dispositio, puta ipse status gratiae, in eo requiritur ad validam et fructuosam indulgentiae concessionem. Nam, ut ratiocinatur *S. Thomas*, “facere indulgentias pertinet ad jurisdictionem. Sed per peccatum homo non amittit jurisdictionem. Et ideo indulgentiae aequae valent, si fiant ab eo qui est in peccato mortali, sicut si fierent ab eo qui est sanctissimus; cum non remittat poenam ex vi meritorum suorum, sed ex vi meritorum reconditorum in thesauris Ecclesiae” (*Suppl.*, q. 26, a. 4).⁵⁰

Manet igitur quaestio de proprie dicta conditione in concedente⁵¹ requisita, quae quidem duplex est, ut nuper diximus, scilicet *legitima auctoritas et rationabilis causa*. In praesenti autem quaestio est de prima conditione, seu *LEGITIMA POTESTATE*, et quidem non de necessitate vel existentia ipsius potestatis secundum se, nam haec jam stabilita est in art. 107 et 109, ubi dictum est Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentiam et hanc consistere in exercitio verae ac jurisdictionalis potestatis, sed de subjecto hujus potestatis, nec de subjecto quomodolibet, sed de *exclusivo subjecto hujus potestatis quod attinet ad ipsum jus divinum*: utrum nempe solus *S. Pontifex*, non vero episcopus nec a fortiori simplex sacerdos aut inferior quicumque praelatus, habeat jure divino potestatem concedendi indulgentias, ceterique consequenter eam habeant ex jure ecclesiastico, a papali potestate condito ac derivato.

⁵⁰ Attamen, ratione peccati, potest praelatus amittere potestatem concedendi indulgentias prout auferitur ab eo jurisdictione, ut contingit in *haereticis, schismaticis et excommunicatis*. De quibus observat *Cappello* (n. 654): “Episcopi schismatici vel haeretici *occulti* probabilius indulgentias concedere valent, perinde ac si essent catholici, ad normam sacrorum canonum. Aliter dicendum, si publici seu notorii sint. Ratio est, quia iidem carent iurisdictione. Nec in casu urgeri posset praescriptum can. 209 de suppleta iurisdictione ab Ecclesia, cum bonum publicum animarum id non exigat. . . Excommunicati, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, nequeunt concedere indulgentias; secus, ante. Ratio manifesta: excommunicatus iurisdictionem conservat eamque *valide* semper exercet, nisi intercesserit sententia condemnatoria aut declaratoria (can. 2261).”

⁵¹ Loquimur de concedente, potiusquam de ministro, quia, ut dictum est in art. 109 (p. 948 sq.), etsi Papa non sit dominus thesauri qui per indulgentias dispensatur, non est tamen proprie dictus minister seu instrumentum, sed medio modo se habet, scilicet ut administrator.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica. Documenta Ecclesiae. Sententiae theologorum.

1. *Summum Pontificem* potestatem concedendi indulgentias habere *ex ipso jure divino, et quidem immediate*, seu non ex quadam commissione vel derivatione ab aliquo superiori aut antecedenti jure communitatis fidelium vel Concilii Oecumenici, est *de fide* formaliter implicite definita.

Id patet tum collatis duabus veritatibus fidei, scilicet Ecclesiam habere a Christo potestatem concedendi indulgentias (Conc. Trid., sess. 25) et plenitudinem ecclesiasticae potestatis residere immediate in ipso R. Pontifice (Conc. Vatic., sess. 4, cap. 3), tum ex ipsis documentis (recitatis in p. 845–853) de potestate concedendi indulgentias, quae ad S. Pontificem constanter hanc potestatem referunt, tanquam ipsam clavium potestatem ei in Beato Petro immediate a Christo concessam. Ita signanter *Clemens VI*: Christus “thesaurum per Beatum Petrum caeli clavigerum, eiusque successores, suos in terris vicarios, commisit dispensandum”; *Conc. Constantiense*: “Utrum credat quod Papa possit concedere indulgentias”; *Sixtus IV*: “Nos quibus plenitudo potestatis ex alto est attributa, de thesauro Ecclesiae nobis commisso, concessimus indulgentiam”; *Leo X*: “Romana Ecclesia, quam reliquae tanquam matrem sequi tenentur, tradidit Romanum Pontificem, Petri clavigeri successorem et Iesu Christi in terris Vicarium, potestate clavium posse concedere indulgentias”.

2. *Solum S. Pontificem* habere hanc potestatem de jure divino immediato, hoc sensu quod in ipsis episcopis (nec tantum in inferioribus praelatis) haec potestas pendeat a concessione Papae, saltem tanquam *a conditione existentiae*, est *theologice certum*.

Id enim sequitur immediate tum ex eadem fidei veritate de plenitudine primatus, tum ex supradicta connexione potestatis indulgentiae cum Primatu R. Pontificis, in documentis Ecclesiae constanter asserta, et proponitur etiam directe et explicite a *Codice J. C.*, can. 912: “Praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure concessum est”. Huc facit etiam sequens propositio, inter quaesita a *Clemente VI* proposita in Ep. “Super quibusdam” ad Consolatorem, catholicum Armenorum, 29 sept. 1351: “Si credidisti et credis, Romanum Pontificem solum posse sacros generales canones condere, plenissimam indulgentiam dare visitantibus limina

Apostolorum Petri et Pauli vel ad Terram Sanctam accedentibus, aut quibuscumque fidelibus vere et plene poenitentibus et confessis" (Denz. 3017).

Quod vero haec potestas in episcopis depondeat a concessione Papae ut a *propria causa*, seu ut a fonte ipsius juris, ita ut nullo modo sit juris divini, sed juris mere ecclesiastici, est quidem sententia quae sola apprime congruit documentis et menti Ecclesiae, sed non videtur aliquam proprie dictam notam theologiam sibi reclamare.

Ceterum in his omnibus concordant theologi, *si excipiantur pauci antiquiores* nimium urgentes, etiam in hac materia, *jura Conciliorum et Episcoporum*, de quibus haec habet Suarez:

"Non desunt auctores qui affirmant posse *Concilium generale* hujusmodi indulgentias concedere, eamque potestatem a jure divino habere. Ita tenet *Panormit.*, in Clement. 2 de Poenit. et remiss., et in tractatu super Concilium Basiliens., et sequitur *Felin.*, tract. de Indulg., n. 44. Idem significat *Soto*, d. 21, q. 1, art. 4, concl. 1, ubi Pontifici conjungit Concilium ac Praelatos; infra vero id explicat de Concilio generali, quod dicit jure divino habere plenam jurisdictionem, si legitime congregatum sit. Idem tenet *Cordub.*, q. 12 de Indulg., qui specialiter id asserit de Concilio generali, Sede vacante. Confirmatque ex Concilio Basiliens. . .

"[Loquendo] de potestate partiali circa determinata loca, vel personas . . . potest . . . imprimis referri opinio quorundam, qui dixerunt, *sacerdotes omnes* jure divino, habere potestatem concedendi indulgentiam etiam plenariam, quamquam nunc non possint, quia Papa sibi reservavit. Ita tenuit *Marsil.*, in 4, q. 12, art. 2, part. 2 illius, concl. 2, in fin.; et *Guillelm. de Rubion.*, in 4, d. 19, q. 1, et alii. . .

"Omissis . . . inferioribus sacerdotibus, de *Episcopis* fuit secunda opinio dicens, unumquemque Episcopum jure divino habere potestatem ad concedendas indulgentias in sua diocesi, seu suis subditis. Ita tenent *Soto* et *Cordub.* sup.; et *Petr. Soto*, lect. 3 de Indulgentiis; et *Medin.*, lib. de Indulg., disp. 5 et 6, praesertim c. 27 et 30; et *Navar.*, in Comment. de Indulg., notab. 31, qui tamen non explicat hoc esse jus divinum, sed esse jus ordinarium; unde eodem modo loquitur de Legato Pontificis, de quo nemo dicit habere hanc potestatem jure divino. Et eodem modo loquuntur *Paludanus* et alii, qui solent pro hac sententia citari. Fundamentum est, quia generaliter putant jurisdictionem Episcoporum datam esse jure divino, et unumquemque ex vi juris divini posse in suo Episcopatu quiddam Papa

potest in universa Ecclesia nisi impediatur. Aliae autem congruentiae afferuntur parvi momenti, nimirum, Episcopatum esse ex jure divino, et ex eodem esse perfectam praelationem, quamvis non supremam, ideoque ex eodem jure pertinere ad Episcopatum omnes actus hujus dignitatis, ex quibus unus est indulgentiarum concessio. Item, quia unusquisque Episcopus est sponsus Ecclesiae suae; sponsus autem, ex vi sui status et muneris habet potestatem disponendi bona sponsae suae; ergo et unusquisque Episcopus bona suae Ecclesiae.”⁵²

Etiam inter theologos Suaresio posteriores, inveniuntur qui talibus opinionibus adhaeserint, plenitudinem primatus R. Pontificis non satis ponderantes. Ita P. Collet († 1770) tribuit *Concilio acephalo* potestatem concedendi indulgentias, affirmans hanc esse sententiam plurimum canonistarum et theologorum:

“Quaeres . . . an concilium generale, cui Papa nec per se, nec per legatos suos praeest, possit Indulgentias Ecclesiae toti concedere. Negat fuse *Suarez*, cit. disp. 55, sect. 1, quia concilium acephalum nec potestatem hanc habet a Christo, qui eam non contulit Ecclesiae; cum haec ad ejus regimen necessaria non sit pro brevi eo tempore quo Ecclesia caret capite; nec a pontifice, cui hanc immediate contulit Christus, quandoquidem supponatur vel nullus esse Papa, vel saltem potestatem hanc praedicto concilio non impertiri; nec demum ab Ecclesia; cum ea corpori Ecclesiae tradita non fuerit a Christo. Nec refert quod concilium tunc congregatum repraesentet universalem Ecclesiam; hanc repraesentat sine capite, atque adeo sine illa potestate. Ita et *Sylvius*, hic q. 26, art. 3.

“*Aliter sentiunt canonistae plures et theologi, nec immerito*, 1° quia opinio contraria supponit, totam, quae singulis pastoribus inest, jurisdictionem a Rom. Pontifice, ceu a fonte rivulos, in eosdem pastores derivari; quod falsum esse suo loco probabimus. 2° Quia indulgentia, brevi eo tempore quo Ecclesia capite caret, longe utilior esse potest, quam quae quotidie conceduntur a Papa; puta cum, ut olim, agitur de extinguendo exitiali schismate. Ergo non est cur facultatem ejus impertiendae in casu tam urgenti censeatur Christus denegasse. 3° Quia concilium, vacante Sede Apostolica, generales censuras ferre valet. Si autem generaliter ligare potest, quidni et per Indulgentias solvere. 4° Quia concilium Basileense, non modo, sess. ult., ubi jam ad schisma conversum erat; sed et sess. 24, quam contra Sylvium legitimam fuisse agnoscit *Suares*, ibid., n. 8, Indulgentiam concessit. Reponit is quidem Indulgentiam hanc concedi potuisse ex generali

⁵² De Poenitentia, disp. 55, sect. 1, n. 3 et sect. 2, n. 1 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1137 sq. 1140 sq.

summi Pontificis licentia, cujus legati nondum recesserant; at licentiam hanc vel a Papa datam fuisse, vel a concilio, quasi ea indigere crederet, fuisse acceptatam non probat. Quia tamen incertum est quo usque concilium illud legitimum fuerit; aliis canonicitatem ejus ad sexdecim primas sessiones restringentibus; aliis ad sessionem 25 protendentibus; aliis illud semper illegitimum fuisse opinantibus cum Cabassutio in *Notitia Eccles.*, vix certi quidpiam ab hujus concilii factis elici potest, donec auctoritas ejus eliquata fuerit; quod non est praesenti loci.”⁵³

CONCLUSIO

Conclusio 1. S. Pontifex habet potestatem concedendi indulgentias, et quidem de jure divino et immediato, non vero ex ulla commissione aut derivatione alicujus superioris vel antecedentis juris sive ecclesiasticae communitatis sive Oecumenici Concilii.

Probatur ex indole duplicis elementi, quo veluti essentialiter constat indulgentia, i.e. jurisdictionalis actus potestatis clavium et thesauri Ecclesiae. Nam imprimis, Christus immediate contulit S. Pontifici tum plenitudinem potestatis jurisdictionis in Ecclesiam, quod quidem est de fide (cf. supra, p. 1050) et probatur a doctoribus in tractatu De Ecclesia, tum peculiariter potestatem clavium (“Quodcumque ligaveris erit ligatum, et quodcumque solveris erit solutum”), ut dictum est supra in art. 1 (tom. 1, p. 71–77) agendo de ipsa potestate clavium sacramentali. Praeterea, thesaurus satisfactionum Christi et sanctorum est commune Ecclesiae bonum, ac veluti publicum ejus aerarium; unde praecipue illi debuit a Christo committi, cui omnium fidelium curam commisit et gubernacula tradidit (cf. *Suppl.*, q. 26, a. 1, cit. in art. 108, p. 897 sq., et hic infra, p. 1058).

Conclusio 2. Solus S. Pontifex habet ex jure divino potestatem concedendi indulgentias, non vero Concilium Oecumenicum prout saltem scernitur a S. Pontifici, nec episcopi sive sit sermo de jure proximo sive de jure remoto, nec a fortiori simplices sacerdotes aut inferiores quicumque praelati.

Probatur generaliter ex eisdem duabus rationibus invocatis in praecedenti Conclusionem.

Nam imprimis soli S. Pontifici, in persona Petri, Christus commisit generalem Ecclesiae curam ac potestatem (tam genericae jurisdictionis quam clavium), ad quam quidem generalem potestatem per-

⁵³ De indulgentiis, c. 3, n. 90 sq., apud Migne, *Theol. Cursus*, t. 18, col. 558 sq.

tinet facultas concedendi indulgentias, quae natura sua abstrahunt a particularibus personarum vel dioecesum conditionibus.

Praeterea, thesaurus Ecclesiae est generale quoddam et indivisibile bonum et aerarium totius communitatis, quod proinde nequit committi, quantum est ex vi ipsius juris constitutionalis, nisi illi qui totius communitatis curam et regimen gerit. Ad rem *S. Thomas*: "Praedicta merita [thesauri] sunt communia totius Ecclesiae. Ea autem quae sunt alicujus multitudinis communia, distribuuntur singulis de multitudine, secundum arbitrium ejus qui multitudini praeest" (*Suppl.*, q. 25, a. 1). "Totus ergo iste thesaurus est in dispensatione ejus qui praeest generali Ecclesiae . . . [et concedere indulgentias solus] Papa . . . potest principaliter, alii vero in quantum potestatem ab eo accipiunt vel ordinariam vel commissam" (*Quodlib.* 2, q. 8, a. 16).

Ad CONCILIUM OECUMENICUM quod attinet, haec attende.⁵⁴ Concilium sine Papa celebratum, non est Oecumenicum Concilium, sed generalis congregatio praelatorum Ecclesiae; unde certe caret, non minus quam singuli episcopi, potestate concedendi indulgentias, nisi et quatenus eam accipiat a *S. Pontifice*.

Concilium proprie Oecumenicum, seu cum Papa celebratum, certe habet eam potestatem saltem ratione ipsius Papae, ut pronum est; non enim Papa amittit suam potestatem eo quod celebret Concilium. Item potest ipsum Concilium, de consensu Papae, concedere indulgentiam, ita ut veluti a duobus distinctis concessoribus indulgentia eodem tempore procedat, scilicet a Papa, ut per proprium jus concedente, et simul ab aliis Patribus concilii, ad modum unius, ut concedentibus per jus tunc a *S. Pontifice* concessum.

Dubitari vero potest, an concessio indulgentiae possit ab ipso concilio procedere, formaliter prout est concilium, seu unum corpus constitutum ex capite et membris, ita ut ea concessio sit *formaliter decisio conciliaris*, prout distinguitur a papali ut sic, ac ideo Concilium qua tale habeat potestatem concedendi indulgentias, sicut habet infallibilitatem necnon supremam potestatem jurisdictionis in Ecclesiam (quidquid ceteroquin sit de disputata quaestione, an duplex vel unum sit subjectum immediatum, inadaequate distinctum, supremae auctoritatis ecclesiasticae).

Responsonem *affirmativam* suadet tum suprema potestas jurisdic-

⁵⁴ Omnino pauci sunt auctores qui de hac quaestione loquuntur, aut cum debitis distinctionibus eam proponunt (nam attendunt praecipue quaestionem de concilio acephalo). Cf. *Fr. Sylvium*, in *Suppl.*, q. 26, a. 3; *L. Ferraris*, *Prompta Biblioth.*, art. *Indulgentia*; *Suarez*, *Disp.* 55, sect. 1; *Collet*, *De indulgentiis*, c. 3, n. 91.

tionis quae competit Concilio (Codex J. C., can. 228, § 1; cf. can. 1323, § 2) quaeque proinde comprehendit jurisdictionalem concessionem quae fit per indulgentias; tum verba evangelica de ipsa potestate clavium quae promittitur non solum Petro (Quodcumque solveris) sed etiam Collegio Apostolorum (Quaecumque solveritis).

Negativa vero pars suadetur tum ex eo quod potestas concedendi indulgentias non est necessaria ad regimen Ecclesiae, sed, etsi sit vera potestas jurisdictionis, tamen se habet ut peculiaris et privilegiata quaedam clavis, unde suprema potestas quae competit Concilio non necessario intelligenda est ut se extendens quoque ad ea quae stricte non requiruntur ad proprie dictum regimen Ecclesiae (quod fit per potestatem legislativam, judicalem, coactivam et magisterialem); tum ex eo quod *Codex J. C.* (can. 912) ait "praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio, ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a iure commissum est", ubi videtur excludere Concilium habere potestatem concedendi indulgentiam, cum non idem sit R. Pontifex, qua talis, et Concilium Oecumenicum, qua tale; unde idem Codex, cum alibi loquitur sive de suprema potestate jurisdictionis sive de infallibilitate, distinguit duo subjecta, Papam nempe et Concilium (can. 219 coll. cum can. 228, § 1, et can. 1323, § 2: "sollemne huiusmodi iudicium pronuntiare proprium est tum Oecumenici Concilii tum Romani Pontificis ex cathedra loquentis").

Ceterum, cum scopus celebrationis Conciliorum Oecumenicorum sit decernere de majoribus causis disciplinae et fidei Ecclesiae, potiusquam gratias et favores erogare, admodum pauca habentur exempla indulgentiarum in Conciliis concessarum. Urbanus II primam, quae certo noscatur, indulgentiam concessit in particulari *Concilio Claramontano* a. 1095 (cf. supra, p. 846), Innocentius III in *Conc. Later. IV* a. 1215 indulgentiam cruciatae (cit. ibid.) emisit de plenitudine suae propriae ac pontificiae potestatis, etsi in Concilio et approbante Concilio ("Sacro approbante Concilio, diffinimus: ut ita cruce signati se praeparent. . . Nos igitur beatorum apostolorum autoritate confisi plenam veniam indulgemus").

Celebris est plenaria indulgentia concessa a *Conc. Basileense* (sess. 24, 14 aprilis 1436), quae etsi illegitime lata, postmodum confirmata est ab auctoritate apostolica, una cum aliis decretis Concilii, exceptis istius erroribus circa primatum R. Pontificis. De ea haec habet *Hefele-Leclercq*: "Le même jour [14 avril 1436] les Pères de Bâle (il n'y avait alors que vingt évêques et treize abbés) publièrent une bulle promettant à tous ceux qui offriraient des subsides pour couvrir

les frais du synode unioniste, une indulgence plénière analogue à celles du jubilé et de la croisade.⁵⁵ Après avoir fait de sérieuses remontrances, mais sans effet, le cardinal Julien commit la faute de confirmer cette décision en vertu de l'autorité apostolique. Le 11 mai 1436, les Pères se réunirent de nouveau en congrégation générale, pour répondre aux cardinaux de Sainte-Croix et de Saint-Pierre [les légats du Pape]. Ils accablèrent le pape de reproches et mirent ouvertement en doute la droiture de ses intentions. . . Relativement à l'indulgence [ils dirent] le concile en a lui-même accordé une, parce que le pape ne l'a pas fait, et il avait pour le faire de très bonnes raisons. Les anciens conciles avaient bien, même en l'absence du pape, exercé le pouvoir de lier et de délier, et naguère le concile de Sienna a aussi décrété une indulgence."⁵⁶

Ad EPISCOPOS quod attinet, certum est, ut diximus superius (p. 1050), eos non habere potestatem concedendi indulgentias ex jure divino immediato. Ex communiore praeterea sententia, quae docet episcopalem jurisdictionem, prout est in singulis episcopis, non derivari ex jure divino sed pontificio, ita ut concessio S. Pontificis sit non mera conditio existentiae divinae jurisdictionis in episcopis sed ipse fons et causa hujus jurisdictionis, sequitur quod in eis tum jurisdictio sacramentalis (ut dictum est in art. 99, p. 754), tum a fortiori jurisdictio concessiva indulgentiarum (quae nec pendet a potestate ordinis, sicut jurisdictio sacramentalis, nec est tam necessaria et intrinseca muneri pastoralis), nullo modo est de jure divino.

Hoc ceteroquin confirmat *tum* ipsa indoles potestatis concedendi indulgentias, quae ex sua natura respicit generale bonum fidelium seu totius Ecclesiae, absque ulla directa relatione ad peculiare bonum vel regimen dioecesium, nec praeterea est simpliciter necessaria ad ipsum generale regimen fidelium, qua tale, sed se habet potius ut privilegiata quaedam clavis Ecclesiae, ut dictum est supra (p. praec.) agendo de potestate ipsius Concilii Oecumenici; *tum* ipse tenor documentorum Ecclesiae (cit. in p. 845 sqq.), quae, nulla facta allusione ad hujusmodi episcopalem potestatem, modo constanti et absoluto (ac pro tanto, exclusivo) clavem indulgentiae referunt ad supremam et apostolicam auctoritatem, seu ad singulares illas claves, quas Christus soli Petro commisit; *tum* ex ipso plene arbitrario ac valde limitato modo, quo, inde ab ipso Conc. Later. IV, S. Pontifex concedit episcopis facultatem dandi indulgentias, qui vix intelligi posset si illis haec

⁵⁵ "Mansi, op. cit., t. XXIX, col. 128; Hardouin, op. cit., t. VIII, col. 1217; Ceconi, op. cit., t. I, docum. 85, p. CCXXXVII sq. Le pape les en blâma sévèrement, cf. Reynaldi, *Annal.*, ad ann. 1436, n. 6."

⁵⁶ Histoire des Conciles, t. 7, deuxième partie, Paris, 1916, p. 926 sq.

facultas competeret ex jure divino, utut dependenter a conditione papalis designationis.

“Nam, ut scite observat *Suarez*, si episcopi haberent hac potestatem jure divino, ergo, seclusa limitatione seu prohibitione Summi Pontificis, possent plenarias indulgentias concedere, et in quacunque quantitate, et tam pro vivis quam pro defunctis, quia jus divinum nihil limitat, et ideo vel totum concedit, vel nihil; si autem Episcopi, ex vi juris divini tam amplam haberent potestatem, profecto non possent Pontifices tam limitatam illis eam permittere, ut solum quadraginta dies indulgentiae, et rarissime annum unum solis viventibus concedere valeant . . . ; potestas enim a Christo data vel non potest ab homine auferri, etiam ex parte, vel certe non in majori parte, sine gravissima causa satisque certa et universali, quae in praesenti non potest facile ostendi, cum tamen maxima pars hujus potestatis ablata sit Episcopis, quod non ita est in casuum reservatione, vel alia simili moderatione jurisdictionis sacramentalis. Accedit denique, quia, sicut Papa limitavit hanc jurisdictionem ad quadraginta dies indulgentiae, ita potuisset, vel amplius limitare, vel omnino auferre; quod, si fecisset, factum teneret, ut colligitur ex c. ‘Cum ex eo’, de Poenit. et remiss., quia non est major ratio de una, quam de alia, cum illa parva indulgentia ad Episcopale munus minime necessaria sit, et possit facile excogitari causa, ob quam illa non permittatur.”⁶⁷

Ex quibus ulterius sequitur potestatem indulgentiarum in episcopis nec eo indirecto ac improprio modo dici posse juris divini, quo ita dicitur eorum pastoralis jurisdictio, quatenus nempe *S. Pontifex ex jure divino obligetur* ad concedendam episcopis ex jure ecclesiastico omnem jurisdictionem quae sit moraliter necessaria ad regendas oves sibi commissas, nec possit proinde eam denegare aut nimium limitare.

Etenim, ut observat *Suarez*, “haec jurisdictio [concedendi indulgentias] non est necessaria, neque admodum refert ad salutem animarum; nam si hujusmodi esset, major profecto jurisdictio esset illis concedenda; pertinet ergo haec concessio, partim ad aliquam majorem utilitatem fidelium, et ad quandam majorem decentiam et auctoritatem dignitatis Episcopalis, quae non sufficiunt ad inducendam praecepti obligationem; non est ergo haec jurisdictio a jure divino etiam quoad obligationem communicandi illam. Est tamen ex divino jure *quoad originem*, quia manat ex potestate a Christo data [S. Pontifici]; et *quoad congruentiam*, quia posito Episcopali munere, congruum est ut habeat conjunctam aliquam jurisdictionem in hoc foro. Dices: ergo posset Papa suo arbitrio, et sine alia causa, privare Episcopos omnino

⁶⁷ De Poenitentia, disp. 55, sect. 2, n. 4, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1141 sq.

hac potestate, non solum valide, sed etiam licite. Respondeo: fortasse si a principio ita fuisset institutum Episcopale munus, nulla fuisset culpa; nunc vero mutare institutionem sine causa, scandalum afferret, et novitatem vel inutilem, vel etiam perniciosam, et ideo non fieret sine culpa; factum tamen teneret, quia nullo divino juri per hoc derogaretur.”⁵⁸

De hac tantum congruentia loquitur *S. Thomas*, cum, supposito quidem episcoporum “potestatem accipi a papa” (Quodlib. 2, et Suppl., q. 25, a. 1, cit. p. 1054), addit episcopis, utpote proprie praelatis et praefectis Ecclesiae, competere, secus ac reliquis sacerdotibus, ut vocentur in participationem potestatis indulgentiarum, secundum mensuram ordinationis et taxationis pontificiae:

Suppl., q. 26, a. 1: “Solus ille qui praeficitur Ecclesiae, potest indulgentias facere. Sed cum Ecclesia sit congregatio fidelium, congregatio autem hominum sit duplex, scilicet oeconomica, sicut illi qui de una familia sunt, et politica, sicut illi qui sunt de uno populo: Ecclesia assimilatur congregationi politicae, quia ipse populus Ecclesia dicitur; sed conventus diversi, vel parochiae in una dioecesi assimilantur congregationi in diversis familiis, vel in diversis officiis. Et ideo solus episcopus proprie praelatus Ecclesiae dicitur: et ideo ipse solus quasi sponsus annulum Ecclesiae recipit: et ideo solus ipse habet potestatem plenam in dispensatione sacramentorum, et jurisdictionem in foro causarum quasi persona publica; alii autem, secundum quod ab eo eis committitur. Sed sacerdotes qui plebibus praeficiuntur, non sunt simpliciter praelati, sed quasi coadjutores; unde in consecratione sacerdotum episcopus dicit: ‘Quanto fragiliores sumus, tanto magis auxiliis his indigemus:’ et propter hoc etiam non omnia sacramenta dispensant. Unde sacerdotes parochiales, vel abbates, aut alii hujusmodi praelati non possunt indulgentias facere”.

Ibid., a. 3: “Papa habet plenitudinem pontificalis potestatis, quasi rex in regno. Sed episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi iudices singulis civitatibus praepositi: propter quod eos solos in suis litteris papa ‘fratres’ vocat; reliquos autem omnes vocat ‘filios’. Et ideo potestas faciendi indulgentias plene residet in papa, quia potest facere, prout vult, causa tamen existente legitima. Sed in episcopis est taxata secundum ordinationem papae. Et ideo possunt facere secundum quod eis est taxatum; et non amplius.”

Ad SIMPLICES SACERDOTES, diaconos, clericos omnes et laicos quod attinet, nullum est dubium ipsis, nec proxime nec ullo modo remote, competere ex jure divino potestatem dandi indulgentias, cum

⁵⁸ Op. cit., n. 5, p. 1142.

haec sit clavis jurisdictionis, nec aliud habeatur jurisdictionale munus ab ipso Christo in Ecclesia institutum, praeter Pontificatum et Episcopatum. Potest tamen omnibus praedictis, non exclusis laicis, ea potestas a S. Pontifice concedi, jure tam ordinario, quam a fortiori delegato, cum sit mera potestas jurisdictionis, nec affixa ulli ordinis potestati, etsi congruentius conferatur iis qui habent tum potestatem ordinis tum aliquam praelaturam aut dignitatem ecclesiasticam, ut constat ex ipsa constanti disciplina Ecclesiae, de qua infra.

Ad rem *S. Thomas*: "Potestas faciendi indulgentias sequitur jurisdictionem, ut supra dictum est. Et quia diaconi. et alii non sacerdotes possunt habere jurisdictionem vel commissam, sicut legati, vel ordinariam, sicut electi; ideo possunt indulgentias facere etiam non sacerdotes, quamvis non possint absolvere in poenitentiali foro; quod est ordinis" (*Suppl.*, q. 26, a. 2; cf. q. 25, a. 2, ad 1; Quodlib. 2, q. 8, a. 16, ad 2).

ECCLESIAE AUTEM PRAXIS AC DISCIPLINA, quod spectat ad subjectum hujus potestatis, varia extitit nec quoad omnia cum certitudine determinabilis, donec clare definita fuerit in Codice J. C.

Quoad ipsum *R. Pontificem*, sufficienter in art. 107 (p. 845-853. 865-867. 871-878) dictum est quomodo hanc potestatem exercuerit primo directe per seipsum, postea vero, inde a Clemente VIII († 1605), etiam ac ordinarie per peculiarem Congregationem de Indulgentiis, hodie versam in particularem aliquam sectionem tribunalis *S. Poenitentiariae*, cujus competentiam in hac materia sic determinat Codex, can. 258, § 2: "Eiusdem insuper est de iis omnibus iudicare quae spectant ad usum et concessionem indulgentiarum, salvo iure S. Officii videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa easdem indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt." Praeterea, can. 920 statuit: "Qui a Summo Pontifice impetraverint indulgentiarum concessionem pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earundum concessionum ad Sacram Poenitentiarium deferendi."

In jure hodierno *tria determinate reservantur S. Pontifici*, juxta can. 913: "Inferiores Romano Pontifice nequeunt: 1° Facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id eis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum; 2° Indulgentias concedere defunctis applicabiles; 3° Eidem rei seu actui pietatis vel sodalitis, cui iam a Sede Apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint, alias adiungere, nisi novae conditiones adimplendae praescribantur." Ad secundam reservationem observat *Cappello* (n. 650): "Exclusio indulgentiarum defunctis applicabilium a potestate inferiorum R. Pontifice, ante Codicem

certa non erat.⁵⁹ Si quae tunc valide applicabiles concessae sint, adhuc manent ad normam can. 4 et 10." Praeterea, inferioribus R. Pontifice facultas dandi indulgentias aliis etiam modis limitatur quoad effectum (ita nec ipsi episcopi aut cardinales de facto possunt concedere indulgentias plenarias), quoad tempus, quoad loca, quoad personas.

Quoad Concilium Oecumenicum satis dictum est supra (p. 1054–1056).

Cardinales inde ab a. 1215 poterant concedere indulgentiam 100 dierum. A. 1903 Pius X, annuens petitioni factae ejus praedecessori Leoni XIII occasione 25 anniversarii elevationis ad pontificatum, concessit cardinalibus facultatem dandi indulgentias 200 dierum (Decretum "Pontificale Iubilaeum", 23 aug. 1903). Quam concessionem subinde confirmavit Codex J. C., can. 239, § 1, n. 24: "Cardinales omnes a sua promotione in Consistorio facultate gaudent . . . concedendi indulgentias ducentorum dierum, etiam toties quoties lucrandas, in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas." Tandem S. Poenitentiaria per Decr. "In fere innumeris", 20 jul. 1942 (A.A.S., v. 34, p. 240) facultatem extendit ad indulgentiam 300 dierum.

Episcopi saec. 12 amplam sibi arripiebant potestatem dandi indulgentias ita ut "indiscretas et superfluas indulgentias . . . quidam praelati facere non vererentur, et claves Ecclesiae contemnerentur, et poenitentialis satisfactio enervaretur", ut testatur *Conc. Later. IV* a. 1215. Ad tales abusus reprimendos idem Concilium, can. 62, statuit: "Decernimus ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis poenitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras praecipimus moderari, quae pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur: cum Romanus pontifex, qui plentiudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consuevit observare" (Mansi, 22, 1050 sq.).

Haec disciplina, ut nempe episcopi possent concedere indulgentiam unius anni in dedicatione alicujus ecclesiae et indulgentiam 40 dierum tum in illius anniversario tum in aliis circumstantiis in quibus occurreret rationabilis causa, retenta est usque ad nostra tempora. *Pius X* vero per supradictum Decretum "Pontificale Iubilaeum" a. 1903 extendit facultatem episcoporum ad indulgentiam 50 dierum, quam retinuit Codex J. C., can. 349, § 2, n. 2: "A capta possessione Episcopi

⁵⁹ Cf. *Lehmkuhl*, ii, n. 531; *Pesch*, vii, n. 480.

residentiales habent . . . ius . . . concedendi indulgentias quinquaginta dierum in suae iurisdictionis locis". Tandem S. Poenitentiaria per Decr. "In fere innumeris", 20 jul. 1942, facultatem extendit ad indulgentiam 100 dierum.⁶⁰ Praeterea canon 1166, § 3 statuit: "Cum consecratur ecclesia vel altare, Episcopus consecrator, licet iurisdictione in territorio careat, indulgentiam concedit unius anni ecclesiam vel altare visitantibus in ipsa consecrationis die; in die vero anniversaria quinquaginta dierum, si sit Episcopus; centum, si Archiepiscopus; biscentum, si R. E. Cardinalis."

Eadem potestate ac episcopi residentiales gaudent tum *Abbat*es et *Praelati nullius* (de quibus in can. 319–328), tum etiam *Vicarii Apostolici* et *Praefecti Apostolici* (de quibus in can. 293–311), ut deducitur ex can. 323, § 1 et can. 294, § 2. Archiepiscopi vero seu *Metropolitae* possunt, sive in propria dioecesi sive in suffraganeis, concedere indulgentiam 200 dierum (ex decr. S. Poenitentiariae 20 jun. 1942; in ipso Codice, can. 274, n. 2, permittebatur tantum indulgentia 100 dierum).

Aliis praelatis et sacerdotibus datur sequens *potestas delegata* (nam in omnibus supradictis facultatibus agitur de potestate ordinaria):
 1. *Nuntii et Delegati Apostolici*, in locis suae legationis vel missionis, possunt indulgentias concedere applicabiles animabus Purgatorii.⁶¹
 2. "*Parocho aliive sacerdoti* qui infirmis assistat, facultas est eis concedendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, secundum formam a probatis liturgicis libris traditam, quam benedictionem impertiri ne omittat" (can. 468, § 2).

Nota 1. Quoad disciplinam catholicorum Orientalium, haec apte notat *De Angelis*: "Sicut Codex Iuris Canonici unam respicit latinam Ecclesiam, ita tractatus de Indulgentiis generatim fideles tantum Ecclesiae latinae respiciunt. En ratio ob quam AA. fere unanimes, de iis rebus disserentes, silent de Orientalibus. Attamen opportunum nobis videtur in hac nostra tractatione etiam de iis aliquid dicere. . .

"Competentia circa huiusmodi indulgentias, potestas scilicet indulgentias fidelibus orientalibus concedendi, iuxta ius commune, S. Congregationi pro Ecclesia Orientali competit (can. 257 § 1). Attamen

⁶⁰ Quoad usum hujus facultatis confer *De Angelis*, *De indulgentiis*, Colle Don Bosco, 1946, p. 30–32.

⁶¹ Varias indulgentias, quas Nuntii et Delegati Apostolici concedere possunt, in Codice non exprimuntur sed enumerantur in posteriori documento "Index facultatum quas pro locis missionis suae, nuntiis, internuntiis et delegatis apostolicis penes civitates seu nationes, post Codicis canonici publicationem tribuere SS. Dominus Noster decrevit, ceteris abrogatis", c. 2 Facultates circa indulgentias. Cf. *A. Vermeersch*, *Epitome juris canonici*, Mechliniae, 1921, t. 1, p. 359–367.

Pius Pp. XI, ut melius ostendatur unio inter Ecclesiam Occidentalem et Ecclesiam Orientalem, hanc competentiam quoad indulgentias ad S. Poenitentiariam Apost. transtulit, statuens suprema sua auctoritate 'ut fideles quoque Orientales cuiuscumque ritus in iis, quae indulgentias respiciunt, Sacram Poenitentiariam adeant.'⁸²

"Ad Episcopos Orientales quod attinet, quamvis aliqui contrarium doceant, et ipsi possunt in locis propriae iurisdictionis indulgentias concedere, prout ex infra dicendis apparebit. Sane: si sermo sit de Ecclesia Maronitarum, res definita est in Synodo Montis Libani an. 1739 a Benedicto XIV in forma *specifica* approbata⁸³. . . In Synodo Sciarfensi Syrorum an. 1888 legitur quod Episcopus habet potestatem conferendi suis dioecesanis indulgentiam unius anni cum novam ecclesiam consecrat; in Missa pontificali concedit indulgentiam 40 dierum iis qui Missae intersunt.⁸⁴ Iuxta Synodum Alex. Coptorum an. 1898 Episcopus potest concedere indulgentiam unius anni in dedicatione ecclesiae et quadraginta dierum in eius anniversario et in qualibet alia opportunitate.⁸⁵ Tandem in Concilio nationali Armenorum an. 1911 legitur: 'Meminerint ipsi sacrorum Antistites, se non posse indulgentias elargiri nisi cum iis conditionibus ac limitibus, quos praestiterit Sedes Apostolica.'⁸⁶

"Superiore tempore agitata fuit quaestio an fideles Ecclesiae orientalis lucrari valeant indulgentias a Summis Pontificibus per decretum generale concessas. Cui quaestioni plures Doctores, inter quos non pauci theologi orientales, immerito quidem, sensu negativo responderunt, asserentes indulgentias esse privilegia pro fidelibus latinis tantum elargita. . . Quae tamen controversia dirempta est per declarationem a S. Poenitentiaria Apostolica die 7 iulii 1917 datam, i.e. 'Cum quidam Episcopus Ritus Orientalis dubium proposuisset utrum fideles Rituum Orientalium lucrari possint omnes indulgentias a Summo Pontifice universali decreto concessas, S. Poenitentiaria respondendum censuit: Affirmative.'⁸⁷

"Remanet tamen adhuc quaestio generalis, an scil. Orientales frui possint favoribus a Codice concessis, quorum aliquot, saltem indirecte, materiam nostram attingunt. Non pauci Doctores negant, vel saltem dubitant, praesertim post declarationem S. Congr. de Prop. Fide, die

⁸² S. C. pro Eccl. Orient., 21 iul. 1935; *A.A.S.*, vol. XXVII, pag. 379.

⁸³ In Coll. Lacensi, col. 148, n. 5 et 6.

⁸⁴ Cap. IX, art. VI, n. IX.

⁸⁵ Sect. III, cap. III, art. IV, n. 1.

⁸⁶ Cap. VII, n. 490.

⁸⁷ *A.A.S.*, vol. IX, p. 399.

22 mart. 1916 datam,⁶⁸ iuxta quam interdicitur Orientalibus [frui] privilegio trium Missarum in Commemoratione omnium fidelium defunctorum. Quod tamen statutum est, quia huiusmodi favor legibus liturgicis rituum orientalium repugnat.⁶⁹ Apud Orientales enim potius quam celebrationum pluralitas habetur concelebratio, ita ut plures sacerdotes una simul celebrent. Nos vero libenter adhaeremus sententiae eorum, qui docent Orientales frui posse favoribus spiritualibus in Codice contentis, dummodo legibus vel disciplinae ipsorum non adversentur. Huiusmodi favores enim sunt privilegia mere gratiosa, quae ius tertii non laedunt, sed immediate et directe bonum spirituale fidelium respiciunt. Nescimus an sit aliquis qui affirmare audeat Orientales uti non posse can. 468 § 2 C. I. C., vi cuius sacerdoti, qui infirmis assitit, facultas facta est eis impertiendi benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in mortis articulo.”⁷⁰

Nota 2. Plura quae referuntur ad formam vel modum concessionis indulgentiae, uti interpretatio, publicatio, authenticorum exemplarium praesentatio, translatio, exponuntur ab auctoribus practicis. Cf. v.g. Fanjani (n. 7. 13. 19–21. 31), De Angelis (n. 105. 109–115. 116–131. 133–135), Cappello (n. 653. 655. 656. 657). De ipsa forma concessionis ejusque interpretatione fuse et apte disputat Suarez, Disp. 56, sect. 1 et 2. Theologicam quaestionem de interpretatione, an scilicet indulgentiae tantum valeant quantum sonant, jam agitavimus supra in art. 111.

ART. 115. Utrum Ad Indulgentiam Concedendam Requiritur Rationabilis Causa, Non Tamen Necessario Proportionata Ipsi Quantitati Indulgentiae (Suppl., q. 25, a. 2, corp., ad 1 et 5; q. 26, a. 3; q. 71, a. 10).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *altera conditione* (cf. in p. 1048) *quae praeter legitimam potestatem requiritur* ex parte concedentis ad hoc ut indulgentia sit valida, scilicet existentia *RATIONABILIS CAUSAE*, quae quidem est *finis extrinsecus* indulgentiae, seu finis operantis, distinctus a fine operis, qui est ipse effectus remissionis poenae temporalis.

Duo autem quaeruntur, an scilicet *requiratur* justa seu rationabilis causa, et an praeterea haec debeat esse *proportionata* ipsi quantitati indulgentiae, ita ut quo major est concedenda indulgentia eo gravior

⁶⁸ A.A.S., vol. VIII, pag. 104.

⁶⁹ Cicognani, Comm. ad l. 1 Codicis I. C., Romae, 1925, p. 12.

⁷⁰ De indulgentiis, op. cit., p. 89–92.

requiratur causa. Ratio dubitandi facile patet; nam ex una parte videretur legitimam potestatem sufficere ad validitatem actus, etsi non ad ejus liceitatem, ut constat generaliter in ipsis concessionibus ecclesiasticis, uti beneficiorum, munerum, absolutionis ab excommunicatione et ipsius sacramentalis absolutionis, et ex alia parte, si admittitur necessitas rationabilis causae ad valorem indulgentiae eo ipso consequenter admittenda videtur etiam necessitas proportionandi hanc causam ipsi quantitati indulgentiae, cum utrobique sit similis ratio, scilicet requisita proportio inter effectum et causam.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM de necessitate rationabilis causae non solum ad liceitatem sed ad ipsam etiam validitatem indulgentiae, concordant theologi, etiam antiquiores, ut testatur Cajetanus hanc vocans sententiam communem, et quamvis Paludanus (In 4 Sent., dist. 12) dicat nonnullos contrarium putasse, tamen, ut observat Suarez (Disp. 54, sect. 2, n. 3) ipse "nullum . . . nominat auctorem, neque ego ullum reperi". Propterea inde a medio aevo usus invaluit apud theologos libenter introducendi mentionem rationabilis causae in ipsas definitiones vel descriptiones indulgentiae, ut constat ex quibusdam inter definitiones allatas in art. 112 (p. 1028–1030; cf. definitiones magistrorum mediaevalium, Henrici Gandavensis, Scoti, Pesch, Galtier).

QUOAD SECUNDAM VERO QUAESTIONEM de proportionanda hac causa cum quantitate indulgentiae ad hoc ut indulgentia sit *valida*, non parvus est dissensus inter doctores.

PRIMA SENTENTIA affirmat, quam tenent plures gravesque doctores praesertim inde a Cajetano.

Et imprimis huc revocari possunt mediaevales illi theologi, adducti in art. 111, nominatim *Albertus M. et Bonaventura* (cit. in p. 991 sq.), qui dixerunt indulgentias non tantum valere quantum sonant, sed Ecclesiam tantum velle concedere sub determinatis formulis (puta unius anni, 40 dierum, etc.) quantum requirit justa causa, aestimanda vel secundum conditionem subjecti et utilitatem Ecclesiae (*Albertus M.*) vel juxta modum quo opus praestitum a subjecto appropinquet ad causam pro qua indulgentia conceditur (*Bonaventura*).

Magis explicite, in propriis terminis et assertive, hanc sententiam docuerunt *Cajetanus, Dom. Soto, Bellarminus* (De indulg., l. 1, c. 12), *Suarez* (qui pro eadem citat etiam *Richardum, Hadrianum, Anconam et Cordubam*), *Lugo*, (Disp. 23, sect. 3, n. 141–145), *Theodorus a*

Spiritu Sancto, Tournely (De Poenit., quaestio ultima, a. 8), *Billuart, S. Alphonsus, Busebaum* (cit. a S. Alphonso), *Collet* (De indulg. c. 5, n. 12), quos inter modernos distincte sequuntur *Ballerini-Palmieri, Palmieri, Billot, Aertnys-Damen, Merkelbach, Prümmer, Heylen*, dubitanter vero vel propensive quidam alii de quibus infra.

Praecipuae ac communes horum doctorum *rationes* sunt: 1. quia causa non proportionata non est causa justa et rationabilis; 2. quia S. Pontifex non est dominus sed simplex administrator thesauri, nec ideo potest, nisi bona Ecclesiae dilapidando, illum administrare nisi proportionando quantitatem elargitionis quantitati causae; 3. quia documenta Ecclesiae inde a Conc. Later. non raro damnant largiores indulgentias, ut indiscretas et perniciosas.

CAJETANUS: "In quaestionem vertitur an, quemadmodum ad collationem indulgentiae requiritur rationabilis causa ita necessario quod sine illa indulgentia non est valida, ita ad efficaciam tantae indulgentiae, puta centum vel mille annorum, etc., exigatur simili necessitate rationabilis causa tantae quantitatis indulgentiae, ita quod sine huiusmodi rationabili causa tanta quantitas indulgentiae est invalida.

"Ex communibus autem applicatis ad hoc, non est difficile concludere partem affirmativam veram, scilicet: Ad efficaciam tantae indulgentiae exigitur rationabilis causa quantitatis indulgentiae, ita quod sine illa non est valida. Nam si, ut supponitur et communiter confitemur, rationabilis causa est sic necessaria ad indulgentiam, necessario sequitur quod ad tantam indulgentiam est etiam sic necessaria rationabilis causa illius quantitatis. . . [Praeterea] thesaurus indulgentiarum non potest veraciter attingi a potestate Pontificia nisi actu verae dispensationis [i.e. non per actum merae distributionis, quae est valida ex solo imperio]. Ergo tam indulgentia quam tanta indulgentia, data sine causa rationabili tantae indulgentiae, est invalida. . . [Nam] *eiusdem rationis est actus dans indulgentiam, et dans indulgentiam tantam*. Ac per hoc, si solus actus verae dispensationis potest attingere thesaurum indulgentiae, solus etiam verae dispensationis actus poterit attingere thesaurum tantae indulgentiae."⁷¹

SOTO: "Dubium autem est, utrum quaecumque causa ad quantascunq̄ue et qualescunq̄ue indulgentias conferendas sufficiat. Sunt enim nonnulli ex discipulis Sancti Thomae, qui arbitrantur hanc fuisse eius opinionem, ut causa aliqua requiratur, nihilominus quaecunq̄ue etiam minima quibuscunq̄ue indulgentiis sufficiat. Sed re vera nulla hoc ratio permittit: *quoniam causa respectum habere debet ad effectum*: ergo si causa ad quascunq̄ue indulgentias requiritur, et proportio ad effectum: ut minoribus indulgentiis minor sufficiat, et maioribus maior sit necessaria: nam si minoribus minor est iusta, totus excessus maiorum carebit causa. Atque adeo idem erit minores sine ulla causa concedere, quod maiores sine illa, quae proportionem habeat. Porro namque magis prodigus esset qui magna bona absque causa proportionabili disponderet, quam qui parva sine ulla causa. Et confirmatur haec veritas ex c. Cum ex eo concilii Lateranens. quo inhibentur episcopi maiores conferre indulgentias unius anni in dedicatione templi, et quadraginta dierum in commemoratione eius, ubi secundum proportionem causae permittuntur indulgentiae. Et certe sic habet ecclesiae legitimus usus, ut gravitatis causae semper rationem habeat."⁷²

⁷¹ Quaestiones de causa indulgentiarum, quaesitum primum, n. 2. 3. 6, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 364 sq.

⁷² In 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 2, ed. Venetiis, 1575, p. 995.

SUAREZ: "Est . . . tertia sententia affirmans ad valorem indulgentiae non sufficere causam alias piam vel honestam in se, sed requiri proportionatam effectui seu quantitati indulgentiae. . . Nec poterit quisquam de veritate illius sententiae dubitare, si ea consideret, quae in duabus sectionibus praecedentibus diximus.

"*Primo* quidem, quia rationes factae in praeced. sect., probant eam causam, quae necessaria est, ut concessio indulgentiae sit recta et justa, esse necessariam ad valorem ejus; sed ut *indulgentia juste et recte concedatur, necessaria est non solum causa pia, sed etiam proportionata*, ut in 1 sect. ostensum est. . .

"*Secundo*, quia Pontifices non solum requirunt piam causam, sed etiam *justam et rationabilem*, ut patet ex Clem. VI, in extravag. 'Unigenitus', de Poenit. et remiss., et Leone X, in cit. ep. ad Cajetan., qui utuntur illa voce, 'rationabilibus causis'. In Conc. autem Constant., sess. ult., Martinus V conjungit illa duo verba, 'ex causa pia et justa'. Ex quibus sic argumentari licet. Nam, ut causa sit rationabilis, non satis est esse in se honestam, sed necesse est esse rationi consentaneam; nam *recta ratio evitat quidquid improportionatum est*. Unde Innoc. III, in dict. c. 'Cum eo', de Poenit. et remiss., superfluas indulgentias indiscretas vocat. id est, irrationabiles, easque ut perniciosas reprehendit; sunt autem superfluae illae indulgentiae, quae largius conceduntur, quam causa postulet, etiamsi pia sit; ergo causa rationabilis ultra pietatem requirit adaequationem et proportionem. Ut, verbi gratia, si quis ad redimendum vulgarem hominem captivum effunderet ingentem thesaurum, licet videretur id facere ex causa pia, non tamen faceret ex causa rationabili; esset namque talis effusio imprudens et si fieret ex alienis divitiis alicui commissis ad dispensandum rationabiliter, esset invalida donatio, quantum ad illum excessum. Simile argumentum sumi potest ex illa particula, 'justa', quae adjungitur, ultra pietatem; nam *justum non dicitur, nisi quod est adaequatum et proportionatum*. Et in hac proprietate sumendum ibi est, ut aliquid ultra pietatem addere videatur."⁷³

BILLUART: "Juxta communiorem sententiam, non sufficit ad validitatem indulgentiae qualiscumque causa pia, sed requiritur proportionata quantitati indulgentiae. Prob. sequentibus momentis. 1° Secundum omnes requiritur causa justa et rationabilis; *non est autem justa causa si non sit proportionata*, justum enim dicitur quod est adaequatum aut saltem proportionatum, neque est rationabilis, quia recta ratio non admittit aliquid improportionatum. 2° Ille est infidelis dispensator, non solum qui sine causa bona domini dispensat, sed etiam qui pro re levi magnos thesauros effundit. 3° Praelatus non potest valide sine causa proportionata dispensare in votis; quia obligatio votorum est juris divini: ergo nec relaxare poenam cujus obligatio est etiam juris divini. 4° Si sufficeret quaelibet causa pia, nullae forent indulgentiae indiscretae et superfluae, cum semper adsit causa pia, puta sublevatio poenitentis a debito poenae. Ergo."⁷⁴

S. ALPHONSUS (n. 532): "An . . . causa debeat esse proportionata? Negant aliqui apud Suarez. — Sed verius affirmant Suarez; et Lugo cum Adriano, Cajetano et communi. *Nec obstat D. Thomas*, quem contrarii pro se laudant; nam ibi S. Doctor negat requiri aequalitatem operum cum poena debita culpae, non autem proportionem cum culpa. Idem sentit Bellarminus. Sed bene advertit non esse subditorum judicare utrum causa justa sit vel non; debent enim simpliciter existimare justam esse."

BALLERINI-PALMIERI: "Quaeritur, an causa debeat esse proportionata effectui, ita ut pro parva Indulgentia, modicum et minus difficile opus, pro magna aut plenaria, magnum nec leve opus requiratur. Si verum est, exigi aliquam causam, verum erit quoque, exigi causam proportionatam; *nam causa*

⁷³ De Poenitentia, Disp. 54, sect. 3, n. 5 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1126.

⁷⁴ Tract. de indulgentiis, diss. un., a. 4, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 518.

non proportionata, sive de efficiente sive de finali agatur, perinde est ac non causa. Neque hac in re Doctores, saltem graves dissentiunt [??], et communem esse sententiam affirmat s. Alph. heic."⁷⁵

PALMIERI: "Quaestio . . . est: an oporteat causam esse proportionatam: quamvis autem quidam opinati sint quamlibet causam, dummodo sit pia, sufficere, censemus tamen cum Bellarmino (l.c., c. 12.) causam proportionatam requiri: ut pro maiore indulgentia maior causa h. e. perfectius opus, seu magis conducens ad Dei gloriam sive ex se solum, sive saltem ex circumstantiis, pro minore indulgentia minor causa postuletur, ut idcirco valida non sit coram Deo *quoad excessum suum* illa indulgentia, cuius causa minor est quam par sit. Quam sententiam sua aetate communiorem testatur Bellarminus, et iam communem dicit Lugus (l.c., Sect. 8. § 2.). Ratio petitur ex eo ipso quod causa aliqua iusta et rationabilis . . . requiratur. Nam, ut ait Lugus, tam dissonum est rationi pro parva causa magnam concedere indulgentiam, quam parvam pro nulla. Sane, ait Bellarminus, *videntur abuti vocabulis, qui dicunt requiri iustam causam*, et simul volunt pro quolibet opere vel levissimo concedi posse indulgentiam maximam. *Quomodo enim iusta causa dici potest, quae non habet proportionem cum effectu?* Et hoc est quod ait s. Thomas. in Suppl. q. LXXI. a. 10 requiri causam convenientem ut alicui indulgentiae valeant."⁷⁶

AERTNYS-DAMEN (n. 1113): "Requiritur . . . ad licitam et validam indulgentiae concessionem, ut causa sit quodammodo proportionata effectui et quantitati indulgentiae. Ratio est, quia largior dispensatio graviorem exigit causam, ne prodiga sit; deinde concessio facta sine iusta causa est invalida: sed a parte, qua modum excedit, deficit causa: ergo *ab ea parte invalida erit*. Proportio porro accipienda est secundum prudentem concedentis aestimationem; atque petenda, non ex operis tantum difficultate, sed ex fine intento, et operis ad finem utilitate."

MERKELBACH (n. 673): "Causa . . . requiritur proportionata effectui et quantitati indulgentiae: oportet, animadvertit Billuart, a. 4, ex Bellarmino, quod finis magis placeat Deo quam satisfactio quae per indulgentiam relaxatur atque opus iniunctum sit medium aptum et proportionatum ad hunc finem consequendum, ita ut largior dispensatio ne prodiga sit, exigit graviorem causam; secus *pro parte qua proportionem excederet esset invalida.*"

Ceterum, ex hac sententia plures quaestiones et difficultates necessario sequuntur, in quibus solvendis non uno modo respondent nec parum se torquent hi doctores, ut dicitur in Concl. 3 (p. 1088 sq.).

SECUNDA SENTENTIA *negat* ad valorem indulgentiae requiri ut causa proportionetur quantitati concessae remissionis, docens eandem causam, si sit pia ac rationabilis, sufficere ad validam concessionem quamlibet indulgentiae, etsi non necessario ad ejus liceitatem.

Ita S. Thomas (cf. infra, p. 1089–1092), *Durandus* (qui eam vocat sententiam communem, In 4 Sent., dist. 20, q. 4), *Paludanus*, *Biel*, *Angelus*, *Sylvester*, *Medina* (quos omnes ipse Suarez refert pro hac sententia) et *Valentia*, quos inter modernos distincte sequuntur *Lépicier*, *Paquet* et *Zubizarreta*, incerte vero vel propensive alii de quibus infra (p. 1069 sq.).

⁷⁵ Opus morale, v. 5, Prati, 1893, n. 629 sq.

⁷⁶ De Poenitentia, Appendix de Indulgentiis, § 3, n. 9, Romae, 1879, p. 475 sq.

Rationes praecipuae sunt tum praxis Ecclesiae, quae pro eadem causa modo majorem modo minorem indulgentiam concedere solet; tum ipsa indoles hujus causae, quae se habet ut mera conditio valoris indulgentiae (qui directe pendet a copulata efficacia thesauri et verae potestatis Ecclesiae, tanquam a proprie dicta causa), conditio enim, secus ac dispositio, influit indivisibiliter in solam existentiam rei, non vero in ejus gradus; tum commune theologorum effatum, hodie saltem ab omnibus admissum, juxta quod indulgentia tantum valet quantum sonat.

VALENTIA: "Est igitur quarta sententia, quam veriore ego existimo, ut indulgentia valeat, sufficere quamcumque causam piam, atque adeo eam valere absolute tantum, quantum sonat; quamvis fieri quidem possit, ut, qui concedit maximas indulgentias propter causas minimas, peccet ex quadam indiscretionem et forte etiam ratione alicujus scandali."⁷⁷

LÉPICIER: "Non est de necessitate indulgentiae ut causa, pro qua datur, eidem proportionetur. . . Revera, sententia [contraria] quam recensimus aperte contradicit consuetudini Ecclesiae, quam videmus, pro eadem prorsus causa, circumstantisque eodem modo se habentibus, modo maiorem, modo minorem indulgentiam concedere; sicut visitantibus unam eandemque ecclesiam, et quidem in eisdem circumstantiis, quandoque datur unus annus indulgentiae, quandoque vero quadraginta tantum dies, scilicet secundum quod praelato, qui indulgentiam concedit, facere liberit. Rursus, nonne frequens est casus, ut pro operibus valde diversis eadem concedatur indulgentia; sicut similiter et pro iubilaeo, quod quidem graviora secum fert onera, suspensis etiam aliquando aliis indulgentiis, et pro recitatione orationis 'En ego, o bone Iesu', levissimis tantum adiectis oneribus, plenaria concessa est indulgentia?"⁷⁸

PAQUET: "Controversia . . . existit inter theologos, num illa, quae requiritur, extrinseca causa debeat necne proportionem habere cum indulgentia: plures cum Bellarmino affirmant; alii, ut Greg. de Valentia, negant. Hanc postremam esse, eamque probabiliorem, D. Thomae sententiam, cum cl. Lépicier . . . persuasum habemus. Animadvertere sufficiat potestatem faciendi indulgentias pendere a jurisdictione, ideoque arbitrio jurisdictionem habentis (ut loquitur Angelicus) esse commissam. Jamvero decreta, quae ab auctoritate legitima, intra suae jurisdictionis limites, feruntur, valida sunt, tametsi forte propter prudentiae aut discretionis defectum illicita. Igitur aestimamus existentiam causae piae requiri ad validam indulgentiarum dispensationem, proportionem autem causae cum concessa indulgentia (probabilis saltem) non requiri nisi ad bonam et prudentem spiritualium Ecclesiae divitiarum administrationem. Hanc prudentiam commendat Conc. Trid. quando (Sess. XXV) dicit de indulgentiis: 'In his concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit (S. Synodus), ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur'."⁷⁹

ZUBIZARRETA: "Indulgentiae valent, quantum pronuntiantur a concedente, quantumque sonant; et iudicium de proportionem causae relinquendum est concedenti. . . Diversae sunt hac in re theologorum sententiae: Cl. Valentia, quem alii merito sequuntur, ait [Citat textum Valentiae supra relatum]. . . S. Thomas favet huic sententiae, ut videbimus infra. Alii docent concessionem indulgentiae

⁷⁷ In 3. p., disp. 7, q. 20, p. 4.

⁷⁸ De Poenitentia, Romae, 1935, p. 519.

⁷⁹ Commentaria in Summam Theol. D. Thomae, De Sacramentis (secunda pars), Quaeci, 1903, p. 223.

sine causa proportionata esse nullam. Ita S. Albertus Magnus, S. Bonaventura, Suarez, Lugo, Teodorus a Spiritu Sancto, Billuart et alii. Alii denique volunt utramque sententiam conciliari posse. Ita S. Bellarminus, Ballerini, Sasse et alii plures. . . In hac materia adest axioma communiter receptum: Indulgentiae tantum valent, quantum sonant. Si autem indulgentiae sine causa proportionata concessae essent nullae, axioma esset falsum."⁸⁰

TERTIA SENTENTIA, vel potius, ut ita dicatur, positio, quae est plurium modernorum, pensatis utrimque rationibus praecedentium sententiarum, *nec affirmat nec negat*, sed indecise fluctuat inter utramque, ita ut cum poena scrutaberis qua parte propendat. Possunt tamen, ni fallimur, hi auctores in tres tendentias separari:

Quidam enim satis explicitè videntur controversiam indecisam velle relinquere. Ita *Pesch*: "Sed tota haec quaestio, cum certitudine dirimi nequit" (n. 481) et *Fanfani*: "Neque quaestio, theoretice loquendo, est facilis solutionis, cum sint valida argumenta ex utraque parte" (n. 31).

Alii inclinant vel videntur inclinare in primam sententiam affirmativam, quatenus etsi dicant vel innuant se nolle decidere, tamen de facto utuntur modo loquendi Bellarmini et Suaresii, et libenter loquuntur de causa proportionata, vel dicunt aliquam saltem convenientiam requiri inter indulgentiam ejusque condiciones, ut illa rationabiliter fiat. Ita *Hurter*, *Lercher*, *Van Noort-Verhaar*, *Vermeersch*, *Cappello*, *De Angelis*.

Vermeersch, quem repetit *Cappello*, scribit: "Nec requiritur stricta proportio inter opus et indulgentiam, cum opus sit condicio non vero causa remissionis. Aliqua tamen convenientia inter indulgentiam eiusque condiciones necessaria est, id est ea quae concessionem rationabilem efficiat. Quod non tantum ex operis difficultate, sed etiam ex fine intento et relatione operis ad illum finem metiendum est. Sic non parum in gloriam Dei cedunt publicae protestationes fidei in primum R. Pontificis, ita ut voluntarie praesentibus ingens indulgentia offerri possit" (n. 569). *De Angelis* ait: "Quidquid sit de hac controversia, certum est quod, cum in indulgentiarum acquisitione pium opus imponitur, aliqua proportio requiritur, quamvis non nimis urgenda, inter indulgentiam et opus; quae proportio tamen non tantum ex operis valore aut difficultate intrinseca discutienda est, sed praesertim ex fine intento a concedente et relatione operis ad illum finem" (n. 57).

Alii, ut *Beringer*, *Galtier*, *Hervé*, *Dafara*, *Piolanti*, inclinant vel videntur inclinare, in secundam sententiam negativam, quatenus, memorata aut tacita hac controversia, generalem et benigniorem S. Thomae expressionem proponunt, juxta quam "quaecumque causa

⁸⁰ Theol. Dogm. Schol., v. 4, n. 600, Bilbao, 1939, p. 362.

adsit quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias faciendi”.

Hinc patet exaggerare quosdam patronos primae sententiae affirmativae cum dicunt sententiam eorum esse communem vel communem. Ita Lugo ait: “Sententia jam communis”; Billuart: “Affirmant communiter recentiores”; S. Alphonsus: “[Sententia] communis”; De Angelis: “Major eorum [theologorum] pars cum S. Alphonso adhaeret sententiae affirmativae”; Ballerini-Palmieri: “Neque in hac re Doctores, saltem graves, dissentiunt et communem esse sententiam affirmat s. Alph.” Jamvero, Cajetanus ne unum quidem nominat pro ea sententia, sed tantum generaliter ait hanc rem “in quaestionem verti”. Soto similiter nullum nominat, sed potius pro contraria sententia refert “nonnullos discipulos Sancti Thomae”. Suarez nominat septem auctores pro illa sententia et saltem sex pro contraria. Ex testimonio ipsius Lugonis, Durandus dicit sententiam contrariam esse communem et ipse Lugo ait pro eadem esse quamplures auctores, etsi simul affirmet suam sententiam esse “jam communem”, quod quidem refert ad suam aetatem. S. Alphonsus videtur tantum repetere iudicium Busembaum qui affirmat illam sententiam esse “sententiam communiorem Suaresii et aliorum”, et ceteroquin S. Doctor hanc quaestionem leviter ac brevissime tangit in solis paucis verbis quae supra retulimus. Pesch ait: “Negat S. Thomas cum multis aliis. Affirmant Suarez, De Lugo aliique”. Major pars modernorum, quorum nonnisi paucos, qui magis explicite de hac re loquuntur, retulimus, abstinet ab hac quaestione dirimenda et satis ambigue vel dubitanter procedit.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Ad licitam concessionem indulgentiae requiritur in concedente justa et rationabilis causa, seu legitimus finis, distinctus ab ipsa causa remittendi poenam quae est intrinsecus ac inseparabilis finis indulgentiae.

Probatur 1. *EX DOCUMENTIS ECCLESIAE*, citatis in art. 107 (p. 845–853), quae, facta distinctione inter ipsam remissionem poenae et rationabilem causam, hanc explicite exigunt, verbis: “pia, justa, propria, rationabilis causa”. Conc. Later. IV damnat “*indiscretas et superfluas* indulgentias, quas quidam ecclesiarum praelati facere non verentur, et claves Ecclesiae contemnantur, et poenitentialis satisfactio enervatur”. Conc. Viennense et Conc. Trid. similes abusus reprobant. Clemens VI loquitur de “*propriis et rationabilibus causis*”, Conc. Constantiense de “*causa pia et justa*”, Leo X de “*rationabilibus causis*”.

Probatur 2. EX IPSA RATIONE DISPENSATIONIS THESAURI.

Primo enim indulgentia consistit in dispensatione spiritualis thesauri, facta ab Ecclesiae praelato non tanquam a domino sed ut ab administratore divitiarum Christi et sanctorum; jamvero, est de ratione administrationis bonorum ad alios pertinentium, ut fiat non indiscriminatim sed cum moderamine prudentiae regulato a rationabili causa, secus non dispensatio esset sed bonorum dilapidatio.

Secundo, talis dispensatio fit non a quolibet administratore sed ab habente potestatem seu per verum actum jurisdictionis, in quo intervenit proinde ratio justitiae legalis; jamvero pertinet ad justitiam legalem ut distributio bonorum fiat ex aequa et rationabili causa.

Tertio, ea dispensatio fit per modum translatae cujusdam ac vicariae satisfactionis, per quam satisfactiones sanctorum attribuuntur aliis fidelibus, adeoque oportet ut in ea servetur intentio ipsorum sanctorum qui illas satisfactiones acquisierunt et Ecclesiae thesauro commiserunt; jamvero illorum intentio (in sensu objectivo, explicato in art. 108, p. 897) fuit ut quicquid superfuit de sua satisfactione cederet in honorem Dei et utilitatem Ecclesiae, seu in tantum transferretur ad alios fideles, pro istorum poenae remissione, inquantum id cederet praeterea in peculiarem quandam modum honoris divini et utilitatis Ecclesiae, ne secus eorum divitiae sine peculiari causa quomodolibet dilapidarentur in meram poenarum relaxationem (cf. S. Thomam, cit. *ibid.*, et *infra*, p. 1082 et 1083).

Probatur 3. AB INCONVENIENTIBUS.

Si enim Ecclesia posset licite concedere indulgentias ex solo intrinseco fine remittendi poenam temporalem, haec potestas esset potius in destructionem quam in aedificationem, cum dispensaret fideles ab omni satisfactione, sive in hoc mundo sive in purgatorio, quin aliunde haec dispensatio compensaretur per aliam eorundem fidelium utilitatem, provenientem ex promotione honoris divini et generalis boni Ecclesiae. Unde videmus ipsum Deum, ut infinite misericordem ac liberalem, nequaquam remittere totam poenam, remissa culpa, sive in remissione ex opere operantis contritionis sive in remissione ex opere operato, nisi sit aliqua aequa ratio compensationis aut ex parte subjecti (ut contingit in ardore contritionis et in sacramentali satisfactione) aut saltem ex parte ipsius operis quod peculiariter cedit in honorem Dei et manifestationem suorum attributorum (ut contingit in Baptismo et martyrio).

Ex his rationibus intelligitur *quare non sufficiat honestas ipsius in-*

trinseci motivi indulgentiae, seu effectus remissionis poenae, ad honestandam concessionem indulgentiae. Quod si quis in contrarium argueret a paritate eleemosynae temporalis, vel eleemosynae spiritualis (puta vicariae ac privatae satisfactionis), vel sacramentalis remissionis, quae non videntur ullum requirere extrinsecum motivum ad honestandum eorum applicationem, frustra argueret, quia, ob adductas rationes, paritas non datur. Eleemosyna enim, tam temporalis quam etiam spiritualis, fit ex propriis bonis concedentis, dum indulgentia est dispensatio honorum aliorum, facta a mero administratore, necnon per actum jurisdictionis, quorum utrumque purum arbitrium excludit; remissio vero sacramentalis fit quidem per jurisdictionem, non tamen arbitrariam et administratoriam, sicut indulgentia, sed mere instrumentalem, quae quidem applicatur secundum statutas leges et juxta requisitas condiciones ab ipso Deo ita dispositas ut de se cedant in ejus honorem et Ecclesiae utilitatem.

SI AUTEM QUAERATUR QUAENAM SIT ISTA EXTRINSECA CAUSA QUAE LICITAM FACIT INDULGENTIAE CONCESSIONEM, respondet generaliter *S. Thomas* eam esse "*quamcunque causam quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat*", nam sic "*salvato intentio illorum qui opera meritoria fecerunt [sine cujus intentionis applicatione ad subjectum, nequit fieri translatio vicariae satisfactionis]: fecerunt enim ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae in generali*" (Suppl., q. 25, a. 2; cf. ad 5, infra cit., p. 1083).

Ex quo sequitur ad licitam concessionem indulgentiae non sufficere sive causam malam, ut inordinatam cupidinem pecuniae, sive causam de se indifferentem, ut "*si daretur indulgentia ob causam profanam, puta pro eundo ad theatrum*" (Cajetanus), sive causam honestam sed mere naturalem, ut si praelatus daret indulgentiam ad sublevandam inopiam suae familiae (ex quibus tribus causis, praecipue priori, olim provenerunt abusus quorundam quaestorum, ab Ecclesia non semel reprobati), sed requiri *causam piam seu motivum supernaturale*, quod solum potest proprie ac directe cedere in gloriam Dei et spiritualem Ecclesiae utilitatem.

Ut autem patet ex ipsis concessionibus, quas de facto facit vel olim fecit Ecclesia, *hujusmodi causae in concreto ad sequentes reduci possunt*:

1. Incrementum fidei, seu infidelium conversio et haeresis extirpatio.
2. Locorum sacrorum vel catholicarum regionum ab infidelibus liberatio. Ita indulgentiae pro cruciatis, de quibus in p. 872 sq. et indulgentia Callisti II pro praeliantibus contra Mauros, de qua in p. 1107.
3. Specialis commendatio alicujus dogmatis fidei, uti primatus R.

Pontificis vel Purgatorii. Inde indulgentiae pro defunctis, de quibus infra, in p. 1107 sq.

4. Publica fidei protestatio, speciali actu exhibita, uti in eucharisticis congressibus vel romanis peregrinationibus. Talis est plenaria indulgentia quam S. Pontifex concedit fidelibus coram basilica S. Petri congregatis, cum eis solemniter apostolicam benedictionem impertitur; habetur enim ibi publica fidei professio in primatum R. Pontificis. Tales erant quoque indulgentiae adnexae a tempore immemorabili romanis peregrinationibus, relatis in p. 865–867 et 874, ex quibus originem habuit ipsa indulgentia jubilai, de qua dictum est in p. 874–878.

5. Incrementum devotionis, puta erga SS. Eucharistiam in congressibus eucharisticis vel erga SS. Apostolos et R. Pontificem in peregrinationibus romanis.

6. Gloria martyrum, eorumque meritorum commendatio et ad ipsum martyrium exhortatio tempore persecutionum. Hinc una ex prioribus Ecclesiae indulgentiis sub forma libelli pacis a martyribus concessi, de quo dictum est in p. 857–863.

7. Levamen publicae calamitatis, in qua una cum corporibus animae periclitantur, ut in tempore pestis vel belli.

8. Eleemosynae, seu sublevatio pauperum vel ipsius Ecclesiae in urgenti inopia aut necessitate constitutae.

9. Erectio ecclesiarum vel aliorum aedificiorum, tum stricte piorum, tum ad publicam utilitatem, cum causa salutis indirecte connexam, inservientium, uti hospitalium. Hinc olim multiplices sic dictae indulgentiae eleemosynarum, de quibus in p. 873. De his observat S. Thomas: “Temporalia ad spiritualia ordinantur; quia propter spiritualia debemus uti temporalibus. Et ideo pro temporalibus simpliciter non potest fieri indulgentia, sed pro temporalibus ordinatis ad spiritualia; sicut est repressio inimicorum Ecclesiae, qui pacem Ecclesiae perturbant; sicut constructio ecclesiarum, et pontium, et aliarum eleemosynarum largitio. Et per hoc patet quod non sit ibi simonia, quia non datur spirituale pro temporali, sed pro spirituali” (*Suppl.*, q. 25, a. 3).

10. Remuneratio pro alicujus personae praeteritis meritis et beneficiis erga Ecclesiam. De hac scribit Lugo: “[Patet] ex usu ipsius Ecclesiae . . . [quod] licet requirat causam ad concedendam indulgentiam: non tamen semper causam futuram, sed saepius solum praeteritam: nihil enim magis commune in Urbe, quam personis de Ecclesia benemeritis, quando sunt in mortis articulo, concedere absolutionem, et indulgentiam plenariam: ad quam concessionem Pontifex non exigit aliam causam futuram, vel aliud opus pium praestandum, sed attendit solum ad merita, et obsequia moribundi erga Ecclesiam. Unde legati

etiam principum, vel alii, antequam ab Urbe discedant, solent a Pontifice petere, et impetrare sibi ejusmodi indulgentiam pro mortis articulo, nulla alia causa futura petita, sed solum intuitu praecedentis devotionis: imo in sacello Pontificio, finita concione, solet semper Pontifex omnibus praesentibus indulgentias concedere, quas praedicator in fine concionis publicat, nullo alio opere futuro postulato.⁷⁸¹

Ut constat ex his aliisque indulgentiis, Ecclesia solet imponere, tanquam conditionem lucrandae indulgentiae, *aliquod opus pium vel bonum*, ex quo pia ipsa causa, ob quam indulgentia conceditur, probabiliter saltem obtineri possit et communiter fructuosissime obtinetur, ut notatum est in art. 107 (p. 883 sq.), loquendo de variis indulgentiarum utilitatibus. Tale opus non debet correspondere in sua poenaltate ipsi quantitati indulgentiae seu remissionis poenae, secus commutatio haberetur non indulgentia; imo nec debet necessario esse poenale seu satisfactorium, tum quia se habet non ut causa remissionis poenae sed ut mera conditio remissionis effectae per vicariam satisfactionem thesauri, tum quia, ad praedictum finem quem Ecclesia intendit in concessione indulgentiarum, aequae vel magis conducere possunt opera de se non poenalia, aut minus poenalia, uti charitas in pauperes, expressio devotionis, professio fidei.

Ambigi tamen potest UTRUM IPSA IMPOSITIO ALCIUS OPERIS NECESSARIO REQUIRATUR, an possit Ecclesia sine ea indulgentiam concedere.

Et primo, quod attinet ad indulgentias pro vivis, quidam auctores ita loquuntur ut videantur id exigere, nam absque ulla distinctione simpliciter dicunt causam rationabilem concessionis indulgentiae duo requirere, scilicet finem pium et opus aliquod, ratione cuius ille finis probabiliter obtineri possit; alii remissius dicunt id plerumque exigere; alii rectius dicunt id plerumque de facto contingere, sed *non esse necessarium*. Id patet tum ex eo quod finis ab Ecclesia intentus potest obtineri absque ullo opere a subjecto exhibendo, sed per opus ab eo jam in praeterito exhibitum, vel per opus ab aliis exhibitum, vel per ipsam concessionem indulgentiae quatenus fovet fidem et devotionem fidelium; tum ex eo quod de facto ex triplici hac causa indulgentia conceditur, ut cum alicui datur ob praeterita merita et benefacta, vel ob aliorum intercessionem (ut antiquitus ob libellum pacis martyrum), vel mere occasione alicujus solemnitatis. Quod si quis velit ita minute res premere ac perscrutari ut etiam in his casibus sibi videatur invenire aliquod opus a subjecto praestandum, non vacat cum eo de verbis

⁷⁸¹ De Poenitentia, disp. 27, sect. 5, n. 63, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 505.

dimicare; dicat enim, si velit, hoc ipsum quod est velle indulgentiam pie suscipere et ad eam suscipiendam concurrere, esse opus aliquod bonum ab eo praestandum.

Ad rem *SUAERZ*: "Non est de ratione indulgentiae, ut exigatur aliquod opus ab obtinendam illam, sed potest Pontifex immediate illam concedere, si aliunde supponitur motivum sufficiens."⁸²

BILLOT: "Etsi causa iusta plerumque existat ratione alicuius operis implendi in divinam gloriam vel Ecclesiae bonum, potest tamen quandoque adesse quin ullum opus iniungatur tanquam lucrandae indulgentiae conditio. Hinc valide et licite in certis circumstantiis conceditur indulgentia absque ullo onere imposito, sicut olim concedebatur ad petitionem martyrum. Iudicabat enim Ecclesia, sat gravem causam esse vel solam confessorum Christi intercessionem, ut scilicet magna apud fideles de martyrio haberetur existimatio, cum viderent tanti fieri martyrum commendationes. Sic etiam hominibus bene meritis de Ecclesia concedi solet in articulo mortis indulgentia, cuius sufficientissima causa sunt servitia praecedentia; nam profecto irrationabilis prodigalitas non est, si ex publico aerario solvantur debita eorum qui de publica re sunt optime meriti."⁸³

THEODORUS A SPIRITU SANCTO: "Si per se et absolute necessario exigeretur opus pium pro indulgentiis concedendis vel hoc esset ex parte causae, vel ex parte effectus earumdem. Neutrum autem hanc evincit necessitatem. Non primum; potest enim iusta causa in huiusmodi concessionibus intervenire citra onus operis pii; vel ut animi moerore tabescentes erigantur in spem obtinendi salutem, ut se gessit Apostolus cum fornicario Corinthio, ne scilicet abundantiori tristitia absorberetur, vel per modum eiusdem liberalis donationis; unde nihil est in urbe familiarius, quam quod indulgentiae dentur pro mortis articulo . . . vel ad preces personarum, quae dignitate aut aliquo praclaro munere decorantur; et ideo supplicatibus confessoribus Christi superioribus saeculis, paenitentiae canonicae relaxatione lapsos donarunt Episcopi. Non secundum; relaxatio siquidem temporalis poenae per se aliam christifidelibus dispositionem non exigit praeter remissionem culparum lethalium, gratiae sanctificantis virtute comparatam."⁸⁴

Quod attinet vero ad indulgentias pro defunctis, quidam auctores facilius videntur admittere necessitatem impositionis alicujus operis, ad hoc ut per adimpletionem hujus operis ipsi vivi possint acquirere indulgentiam, transferibilem ad defunctos. Ita *Palmieri*, scribens: "Certum est Romanum Pontificem non posse immediate, absque pio opere vivorum, dare indulgentias defunctis: 'hoc enim est inauditum in Ecclesia,' ait *Lugus* (l.c. [Disp. 27, sect. 5], n. 62); nunquam enim Pontifices concesserunt aliquam indulgentiam defunctis, nisi concedendo vivis subditis, ut per pia opera propriam indulgentiam pro de-

⁸² Cit. supra, in p. 953, ubi tamen dictum est inepte Suaesium ex hac ratione deducere non esse necessariam mediationem vivorum in concessione indulgentiae pro defunctis. Idem *Suaez* in speciali sectione (Disp. 4, sect. 4 per totam) iterum apte exponit non necessitatem injunctionis alicujus operis ad concessionem indulgentiae. Addit tamen posse per accidens, contingere ut talis impositio sit necessaria, "nimirum, quando causa indulgentiae talis est, ut sine interventu talis operis, vel non sit sufficiens, vel non possit convenienter ad finem indulgentiae applicari" (n. 5).

⁸³ De Ecclesiae sacramentis, tomus posterior, Romae, 1930, p. 243 sq.

⁸⁴ Tractatus dogmatico-moralis de indulgentiis, Romae, 1743, I, c. 10, a. 1.

functo lucrentur: nunquam ergo agnoverunt Pontifices in se talem potestatem, quam in nullo prorsus casu exercere ausi sunt.”⁸⁵

Attamen, etiam quoad indulgentias pro defunctis *accidentaria est operis impositio*, sed sufficit ut indulgentia concedatur vivis (quocumque supradicto modo) et ab his subinde transferatur ad defunctos; mediatio enim vivi ad hoc tantum requiritur, ut habeatur subjectum aptum jurisdictionalis concessionis, ut explicatum est in art. 109 (p. 959–962), non vero ad hoc ut possit adimpleri opus aliquod ab Ecclesia praescriptum. Hoc quidem exigitur in peculiari sententia *Lugonis*, docentis hanc translationem fieri per hoc quod opera, praestita a vivo, ex virtute thesauri fiunt satisfactoria ex opere operato ac ita transferuntur ad defunctos; sed hanc sententiam rejecimus ibidem (p. 957 sq.) et reicitur communiter ab aliis theologis, signanter ab ipso Palmieri. Unde probabiliter hic idem theologus non hoc intendit quod ejus verba sonare videntur, sed intelligendus est de sola necessitate mediationis vivorum in indulgentiis pro defunctis. Et eadem est mens aliorum theologorum qui absque distinctione dicunt ad concessionem indulgentiae non esse necessariam impositionem operis, etsi communiter fiat. Unde inepte *De Angelis* (p. 39) asserit: “Cum vero agitur de indulgentiis pro defunctis, AA. fere unanimiter tenent opus esse necessarium”, nec alium refert quam Palmieri citantem *Lugonem*, ita confundens necessitatem mediationis vivi, quae communiter asseritur, cum necessitate mediationis per ipsum opus expletum a vivis, quae in sola ac peregrina sententia *Lugonis* exigitur.

Concludendo igitur dici potest quod ad licite concedendam indulgentiam, tam pro vivis quam pro defunctis, habetur sufficiens causa quotiescumque, sive ratione alicujus operis ab Ecclesia impositi et a subjecto praestiti, sive ratione circumstantiarum in quibus indulgentia conceditur, haec concessio cedit uno vel alio modo in honorem Dei et utilitatem Ecclesiae.

Ceterum, in concedendis indulgentiis, *abusus committi possunt*, et olim ab inferioribus praelatis non infrequenter committebantur, ut constat ex recriminationibus Conc. Later. IV, Viennensis et Tridentini. Addunt praeterea *Cajetanus* et *Suarez* (Disp. 56, sect. 3, n. 2 et 6), non esse infallibile ipsum R. Pontificem semper indulgentias concedere ex sufficienti rationabili causa, ita ut indulgentia ab eo concessa nequeat esse illicita aut invalida ex abusu vel ex errore circa aestimationem rationabilis causae.

⁸⁵ De Poenitentia, Appendix de indulgentiis, § 4, Romae, 1879, p. 478.

Ad rem *CAJETANUS*: "Causa indulgentiae expressa in bulla, nisi manifestus sit error, est semper rationabilis, loquendo de rationabili praesumpto. Nam, sicut sententia a iudice lata, nisi errorem contineat manifestum, praesumitur iusta; ita causa a principe expressa in dispensationibus praesumitur rationabilis, nisi, ut dictum est, error sit manifestus. . .

"Causam indulgentiae tantae expressam in bulla non oportet esse rationabilem in veritate. Et ratio in promptu est multiplex. Tum quia Papa potest in istis errare: cum non sit haec sententia iudicialis de his quae sunt fidei. Ubi scito quod, licet accessus ad indulgentias, et earum susceptio, sit quaedam Christianae fidei professio, fides tamen Christiana eo modo quo est de indulgentiis, non est de hac vel illa indulgentia. Sed, sicut fides nostra circa Eucharistiae sacramentum est quod sub hostia rite consecrata continetur corpus Christi, non autem est quod ista hostia sit rite consecrata, neque est quod sub hac hostia quae proponitur adoranda, continetur corpus Christi, quoniam utrumque eorum potest esse falsum, fidei autem Christianae non potest subesse falsum: ita circa indulgentias, non curando pro nunc quomodo spectent ad fidem, fides nostra est quod indulgentiae rite datae sunt validae; et non spectat ad fidem an ista indulgentia sit rite data, an ista causa eius sit rationabilis, an ista indulgentia sit valida. . .

"Tum quia non solum potest Papa errare in huiusmodi, sed etiam facile potest errare, sicut et in aliis similibus actibus. Dare siquidem indulgentias consistit in actibus absolutionis et dispensationis: absolvuntur enim per eas poenitentes ab iniunctis poenitentiis, et dispensatur thesaurus meritorum Christi et sanctorum. Sed tam in actu absolutionis quam in actu dispensationis facile committi potest error, etiam ex proposito: ut patet in dispensatione votorum, et in dispensatione bonorum temporalium Ecclesiae et ministeriorum ecclesiasticorum, et in absolutionibus a censuris et iuramentis in praeiudicium aliorum, etc. Ergo in hoc quoque singulari facto quo dat indulgentiam, seu exprimit talem causam pro tanta indulgentia, errare facile potest.

"Nec est recurrendum ad Spiritus Sancti assistentiam, et propterea pie debere credi quod non potest Papa in istis errare. Nam in maiori causa permisit Spiritus Sanctus Romanos Pontifices errare, scilicet in causa spectante ad sacramentum matrimonii, in qua, ut habetur Extra, 'de Sponsa duorum', in cap. 'Licet', Alexander III dicit: 'Quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando iudicatum'. Quod longe plus est quam dare indulgentiam indiscretam ex causa: tum quia erat causa sacramentalis; tum quia iudicialiter actum est. Indulgentiae autem possunt dari passim sine consilio et sine meditatione, ac per hoc, sine discretionem. Quamvis igitur non spectet ad subditos discutere et iudicare de Pontificis indulgentiis aut causarum meritis, dubium tamen non est posse etiam per Papam dari indulgentias indiscretas et quoad causam et quoad eventum."⁸⁶

Quidquid sit de praedictis abusibus, qui in concessionibus ipsius R. Pontificis nonnisi raro contingere possent, tum ob Spiritus S. generalem assistentiam tum ob facilitatem inveniendi rationabilem causam concessionis, certum est, ut advertunt Cajetanus (nuper cit.) et Suarez (n. 7 sq.), non esse subditorum iudicare, utrum necne concessio sit iusta et rationabilis. Unde quamdiu contrarium non certo constat, debent fideles se committere, iudicio praelati concedentis, pro quo stat praesumptio, nec a fortiori factas indulgentias publice spernere.

⁸⁶ Quaestiones de causa indulgentiae, quaesitum 2, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 365.

Conclusio 2. *Justa ac rationabilis causa, de qua dictum est in Concl. praec., requiritur etiam ad hoc ut concessio indulgentiae sit valida.*

Probatur ex iisdem fere rationibus, quibus in praecedenti Conclusionem probata est necessitas rationabilis causae ad licitam concessionem indulgentiae.

PRIMO enim, frustra in *documentis Ecclesiae* tam constanter et signanter adderetur ea conditio de existentia rationabilis causae, cum agitur de asserenda et statuenda contra haereticos potestate concedendi indulgentias, nisi sermo esset de conditione validitatis, praecipue quia cum haereticis non est quaestio de liceitate concessionis sed de ipsa validitate, imo de ipsa existentia potestatis. *Clemens VI* ait Christum “thesaurum commisisse dispensandum propriis et rationabilibus causis”; *Conc. Constantiense* ait “credendum esse quod Papa ex causa pia et iusta potest concedere indulgentias”; *Leo X* ait Ecclesiam Romanam docere quod “Romanus Pontifex potest pro rationabilibus causis concedere indulgentias”.

Confirmatur ex eo quod hujusmodi conditio non solet ab Ecclesia apponi cum agitur de exercitio aliarum potestatum, quae rationabilem causam, requirunt ad solam licetatem, uti sunt aliae duae claves, clavis scilicet sacramentalis et clavis excommunicationis.

SECUNDO, ipsa ratio dispensationis thesauri idipsum exigit.

Nam *imprimis*, potestas dispensandi thesaurum datur S. Pontifici non tanquam domino aut simplici arbitro, sicut confertur potestas excommunicandi cujus proinde validum exercitium non pendet a peculiari rationabili causa; nec ex alia parte, tanquam puro ministro seu instrumento, sicut datur potestas sacramentalis ad cujus validum exercitium non aliud requiritur quam intentio ministri, seu ut velit esse minister et se subicere influxui principalis agentis, apud quod sunt constitutae omnes rationabiles conditiones validitatis; sed datur S. Pontifici medio quodam modo, seu proprie *ut administratori*, de cujus ratione est, ut supra (p. 1071) diximus, ut bona aliorum sibi commissa non indiscriminatim dispense sed juxta generalem intentionem domini, cum moderamine prudentiae regulato a rationabili causa, secus non dispensatio haberetur sed bonorum dilapidatio.

Praeterea, ut ibidem dictum est, dispensatio thesauri, cum fiat per modum vicariae satisfactionis quae exigit conjunctionem intentionis satisfaciens cum eo ad quem satisfactio transfertur, nequit valide fieri nisi servetur *intentio sanctorum* quibus pertinent satisfactiones thesauri, quorum quidem intentio fuit ut illae satisfactiones cederent

in honorem Dei et utilitatem Ecclesiae, nec proinde nisi sub istis causis transferantur ad ceteros fideles.

TERTIO, idem sequitur *ex ratione potestatis dispensandi* in obligationibus pertinentibus ad jus divinum, in qua indulgentia, utpote dispensatio a subeunda poena temporali, convenit cum dispensatione *in votis et matrimonio*.

Nam "quoties potestas est ad dispensandum, seu immutandum aliquo modo jus ab ipsomet superiore statutum, est de substantia et de valore actus, ut non fiat sine justa et rationabili causa; hujusmodi autem est haec potestas; ergo. *Major* habetur ex communi consensu omnium Theologorum, qui hac ratione dicunt, dispensationem in re pertinente ad jus divinum, sine causa factam a Pontifice, esse nullam, ut in voto, in matrimonio rato, etc. Et ratio a priori est, quia non potest irrationabilis voluntas inferioris irritare rationabilem voluntatem superioris, nec est verisimile superiorem talem dedisse potestatem. Item quia fere nullius momenti esset lex superioris, si inferior posset sine causa obligationem ejus cum effectu tollere. *Minor* autem declaratur, quia jus divinum est, ut qui peccavit, et nondum plene satisfecit tali poena in purgatorio afficiatur; hoc autem jus magna ex parte immutatur, et in illo aliquo modo dispensatur, quoties quis absolvitur ab illa poena per indulgentiam; ergo."⁸⁷

QUARTO, idem suadetur *ab inconvenientibus*. Nam imprimis, si non requireretur rationabilis causa ad validum exercitium hujus potestatis, haec esset in destructionem potiusquam in aedificationem, ut supra explicatum est (p. 1071). Praeterea, sequeretur Papam posse indulgentiam plenariam, toties quoties acquirendam, generaliter ac semel pro semper concedere toti Ecclesiae, tam pro vivis quam pro defunctis, ac ita satis celeriter evacuare totum Purgatorium ac frustrare consilia divinae justitiae.

.. **Conclusio 3.** Rationabilis causa, pro qua conceditur valida indulgentia, non est necessario proportionanda quantitati ipsius indulgentiae seu remissionis concessae, etsi id requiratur ad licitatem concessionis; adeoque eadem causa, dummodo sit pia et rationabilis, sufficit ad validam concessionem cujuslibet indulgentiae secundum totam suam quantitatem; adeoque ad validam concessionem majoris indulgentiae, necesse non est ut adsit major causa, quae nempe, attenta conditione subjecti vel operis vel extrinsecarum circumstantiarum, cedat proportionaliter ad majorem Dei honorem vel ad majorem Ecclesiae utilitatem.

⁸⁷ Suarez, De Poenitentia, disp. 54, sect. 2, n. 5, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1119. Ibidem, n. 6-16, Suarez longius hanc rationem explicat, eam ab impugnationibus defendens.

1a Pars, seu quod *ad liceitatem* concessionis requiratur quaedam proportio inter gravitatem causae et quantitatem indulgentiae, sequitur ex iisdem rationibus quibus in Concl. 1 probatum est rationabilem causam requiri ad licitam concessionem indulgentiae. Huc faciunt, et hoc tantum probant, omnes fere rationes infra referendae, quas adversarii adducunt contra secundam partem, quaeque proinde in erratam aciem concursant.

2a Pars, id nempe nequaquam requiri *ad ipsam validitatem concessionis*, in quo est totus nodus speciosae difficultatis, non uno modo ostenditur.

Probatur 1. *EX PRACTICA ECCLESIAE.*

In ipsis documentis Ecclesiae, relatis in Concl. 1 et 2, asseritur quidem necessitas justae et rationabilis causae, sed nullum vestigium habetur de proportionanda hac causa cum quantitate indulgentiae. Ipsa vero "consuetudo Ecclesiae . . . [talisis est ut] interdum majorem pro eadem causa, interdum minorem indulgentiam ponit; sicut rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur unus annus visitantibus ecclesiam unam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam papa facere voluerit, indulgentiam constituens. Unde quantitas remissionis indulgentiae non est mensuranda ex causa quae facit aliquem indulgentia dignum" (*Suppl.*, q. 25, a. 2).

Huic argumento respondet Suarez: "[Ad hanc rationem] de consuetudine Ecclesiae dicitur primo, nihil obstare, quod pro eadem causa major vel minor indulgentia interdum concedatur, tum quia in causa proportionata potest esse latitudo, ut dictum est;⁸⁸ tum etiam quia potest unus Pontifex non concedere indulgentiam adaequatam causae, sed minorem, in quo non errat, sed minus liberalis est. Secundo dicitur, interdum videri eandem causam materialiter, seu propter similitudinem operis, vere tamen non esse eandem secundum valorem et aestimationem moralem, consideratis omnibus circumstantiis et respectibus propter quos potest inesse major utilitas, vel necessitas, in uno tempore quam in alio. Unde dicitur tertio, non esse facile ab aliquo iudicandum, graves indulgentias concedi a Pontificibus propter leves

⁸⁸ Paulo ante (n. 10) ubi scribit: "Infero, adaequationem hanc non consistere in indivisibili, sed habere latitudinem, sicut pretia rerum dicuntur habere latitudinem rigorosi, moderati, et mitissimi pretii, intra rationem iustitiae et aequalitatis, vel sicut medium ad finem habet latitudinem boni, melioris, et optimi, quae cadunt sub honestam et rationabilem electionem. Cum ergo haec adaequatio moralis sit, et secundum habitudinem medi ad finem, consimilem habebit latitudinem. Unde fieri potest, ut major et minor indulgentia, propter eandem causam concessa, aequae valida sit, quia contineri possunt in praedicta latitudine, si non sit nimius excessus."

causas, ut in sect. 5 latius dicturi sumus, quia gravitas causae non est pensanda solum ex opere quod injungitur, sed praecipue ex alio altiori bono, quod ad Dei gloriam, et utilitatem Ecclesiae per illud medium consequi procurat, ut sequenti sectione explicaturi sumus.⁹⁹

Hanc Suarezii respensionem sequenti modo *determinant communiter alii adversarii*, repetentes Bellarminum: Ad hanc scilicet requisitam proportionem inter causam et quantitatem indulgentiae recte perpendendam, oportet sequentia attendere:

“a) Requiritur finis aliquis pius ac Deo gratus, cuius assecutio magis Deo placeat, quam poenalis satisfactio quae per Indulgentiam remittitur. Talis est, ex. gr., honor Dei, caritas proximi, utilitas Ecclesiae, aut etiam spirituale bonum illius cui conceditur Indulgentia, nempe caritatis et devotionis eius incrementum.

“b) Opus requiritur per quod finis ille probabiliter obtineri possit; quapropter, ut adnotat *Bellarminus* (de Indulg. c. 12), ‘si detur Indulgentia plenaria iis qui semel recitant Orationem Dominicam pro conversione haereticorum, causa non videbitur iusta; quoniam tametsi conversio haereticorum res est maxima, et Deo gratior quam poenitentialis satisfactio multorum fidelium, tamen non est probabile convertendos haereticos per eam solam brevissimamque orationem’.

“c) Non requiritur, iuxta *Bellarmini* animadversionem, ad proportionem causae cum Indulgentia, ‘ut opus iniunctum sit in se valde meritorium, vel satisfactorium, vel difficile et laboriosum, quamvis haec etiam spectari debeant; sed requiritur ut sit medium aptum, atque utile ad consequendum finem, cuius gratia conceditur Indulgentia. Itaque fieri potest ut per opus in se satis leve et facile magna Indulgentia acquiri possit; quoniam opus illud leve ac facile est medium ad finem Deo gratissimum assequendum. Talis est, exempli gratia, assistentia illa prae foribus Basilicae S. Petri Romae, dum Summus Pontifex solemniter populo benedicit’.

“d) Non eodem modo iudicandum est de causa Indulgentiae cum datur uni, et cum datur multis in communi: nam cum datur uni, opus iniunctum illi soli proportionatum sit oportet fini cuius gratia Indulgentia conceditur; at cum datur in communi multis, non opus singulorum, sed opus omnium simul necesse est ut fini sit proportionatum; adeoque accidere potest ut Indulgentia maxima sit iustissima, ut ait idem *Bellarminus*, etiamsi opus iniunctum singulis videatur leve.¹⁰⁰

Attamen, haec omnia, quibus adversarii conantur suam positionem emollire, videntur vertere circa possibilia et involvunt complicatam

⁹⁹ De Poenitentia, disp. 54, sect. 3, n. 17, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1131.

¹⁰⁰ De Augustinis, De poenitentia, Appendix de indulgentiis, Romae, 1889, p. 337 sq.

quandam calculationem, quae aliena est a praxi Ecclesiae; stat enim ratio adducta a S. Thoma quod pro eodem opere et in iisdem circumstantiis loci, personae et finis, Ecclesia modo majorem modo minorem concedit indulgentias. Satis est inter se comparare duas indulgentiarum Collectiones "Preces et pia opera" a. 1929 et "Preces et pia opera" a. 1938, in quibus iisdem prorsus orationibus correspondent diversae indulgentiae, in posteriori opere generatim auctae (cf. v.g. n. 7. 12. 27. 30 in priori opere, et correspondentes n. 1. 2. 3. 54 in posteriori). Nec ceterum obstat quod Ecclesia non sine causa hujusmodi variationes inducit, nam praecipua et ultima causa est ipse benignior et amplior usus suae potestatis.

Probatur 2 ac directe ex ipso modo quo se habet rationabilis causa in valida concessione indulgentiae. Se habet enim non ut causa influens sed ut *MERA CONDITIO*, et ab ipsis quidem adversariis cum aliis theologis numeratur inter condiciones indulgentiae; propria enim causa valoris indulgentiae est tum divina institutio tradens hanc potestatem Ecclesiae tum satisfactiva vis thesauri sanctorum. Jamvero conditio, secus ac propria causa aut etiam dispositio, influit quidem in existentiam effectus, removendo prohibens, sed nullatenus influit in gradus et quantitatem effectus.

Ad rem S. Thomas: "*Quantitas effectus sequitur quantitatem suae causae*. Causa autem remissionis poenae in indulgentiis non est nisi abundantia meritorum Ecclesiae, quae se habet sufficienter ad totam poenam expiandam; *non autem causa remissionis effectiva* est vel devotio, vel labor vel datum recipientis indulgentiam, aut *causa pro qua datur indulgentia*. Unde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiae, quae semper superabundant. Et ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur. Ad hoc autem quod applicantur isti, requiritur [i.e. ad modum conditionis] auctoritas dispensandi hujusmodi thesaurum, et unio ejus cui dispensatur, ad eum qui merebatur (quod fit per charitatem), et ratio dispensationis, secundum quam salvetur intentio illorum qui opera meritoria fecerunt: fecerunt enim ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae in generali. Unde *quaecumque causa adsit quae in utilitatem Ecclesiae et honorem Dei vergat, sufficiens est ratio indulgentias jaciendi*" (*Suppl.*, q. 25, a. 2).

Obicies fortasse, in nostro argumento committi vel latere petitionem principii, eo quod causa rationabilis possit assumi ex parte ipsius causae concedentis potestatem Ecclesiae, seu ut conditio quidem, non tamen solius exercitii potestatis, sed ipsius concessionis potestatis a

Deo factae Ecclesiae, ita nempe ut haec sit limitata ad casus in quibus adsit causa rationabilis.

Attamen, etsi potestas potuisset a Deo concedi cum tali limitatione, qualiter tamen de facto concessa sit, colligere oportet ex ipsa natura indulgentiae, cum ex revelatione nihil directe habeamus; ex indulgentiae autem natura colligimus rationabilem causam se habere ut meram conditionem exercitii potestatis Ecclesiae, cujus tota vis provenit ex valore thesauri a Deo Ecclesiae commissi, ut dictum est in argumento.

Quod quidem amplius ostenditur considerando rationem quare ad valorem indulgentiae exigatur ut adsit rationabilis causa.

Hoc enim exigitur non ab ipso intrinseco fine indulgentiae, nam rationabilis causa est tantum extrinsecus finis, ut omnes theologi admittunt et constat ex ipsa natura indulgentiae cujus intrinsecus finis et effectus est remissio poenae; nec exigitur ab ipsa ratione potestatis, nam non est de ratione potestatis ut ad ejus validum exercitium habeatur rationabilis causa, ut constat vel ex ipso exercitio duarum aliarum clavium, excommunicationis scilicet et sacramentalis; sed unice exigitur *ad hoc ut intentio sanctorum, ad quos pertinent satisfactiones thesauri, possit continuari ad subjectum*, et sic possit illi prodesse vicaria satisfactio de cujus ratione est ut transferatur per intentionem acquirentis. Haec autem sanctorum intentio, quae talis fuit ut suae satisfactiones cederent in honorem Dei et utilitatem Ecclesiae, influit quidem hoc modo in valorem indulgentiae, ita ut exinde necessario requiratur rationabilis causa cedens in Dei honorem et Ecclesiae utilitatem, sed non amplius influit in gradus et quantitatem indulgentiae; nam ipsi sancti, semel acquisita superabundanti sua satisfactione, non amplius sunt domini ipsius (ut enim dictum est in p. 897, justus non est dominus valoris sui actus nisi cum illum agit, non vero postea), sed eam committere debuerunt manibus divinae justitiae, ex quibus per liberalem Dei institutionem ad Ecclesiae potestatem et arbitrium transivit.

Quae omnia apte complectitur *S. Thomas*, scribens: “Causa non requiritur ad hoc quod secundum eam mensurari debeat remissio poenae; sed ad hoc quod *intentio illorum quorum merita communicantur, ad istum pervenire possit*. Bonum autem unius communicatur alteri dupliciter: uno modo per charitatem; et sic etiam sine indulgentia aliquis est omnium bonorum particeps quae fiunt, si in charitate sit. Alio modo per intentionem facientis; et sic per indulgentias, si causa legitima adsit, potest intentio illius qui pro utilitate Ecclesiae operatus est, ad istum continuari” (*Suppl.*, q. 25, a. 2, ad 5). “Unde

in arbitrio dantis indulgentiam est taxare, quantum per indulgentiam de poena remittitur. *Si tamen inordinate remittat*, ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur, peccat faciens tales indulgentias: *nihilominus, quis plenam indulgentiam consequitur*" (*ibid.*, ad 1).

Ex dictis intelligitur nihil concludere responsionem quam *Suarez* opponit huic nostro argumento, desumpto ex ipsis verbis S. Thomae, scribens: "Respondetur, primo, thesaurum esse quidem causam principalem effectus indulgentiae in suo genere, scilicet formalem, vel efficientem, non tamen propterea excludere necessitatem aliarum causarum, praesertim finalis, de qua hic disputamus. Sicut etiam potestas Pontificis, verbi gratia, est suo modo causa principalis dispensationis voti; et nihilominus requirit causam motivam proportionatam. Unde dicitur secundo, illo argumento recte probari, ad indulgentiam non requiri condignitatem in opere, in ordine ad effectum indulgentiae, quia solutio condigna fit per thesaurum; non tamen excludere condignitatem in causa ad ipsam applicationem thesauri. Unde dicitur tertio, non satisfieri intentioni Christi et Sanctorum applicando thesaurum propter quamcunque causam piam, si non sit proportionata, quia alioqui non est pia simpliciter et respective, quod necessarium est ad justam et rectam applicationem, quam sine dubio Christus intendit."⁹¹

UNDE RUIT PRAECIPUA RATIO ADVERSARIORUM, quae a *Cajetano, Soto et Suaresio* (supra cit., p. 1065 sq.) pro evidenti habetur, quaeque multorum fascinationem induxit.

Quidam, post *Cajetanum* et *Sotum*, sic eam proponunt: Oportet causam proportionari effectui; ergo sicut ad valorem indulgentiae requiritur rationabilis causa, ita ad valorem majoris indulgentiae requiritur major rationabilis causa, secus excessus ille causa carebit. *Alii* eam sub hac breviori ac peremptoria forma proponunt: Causa non proportionata perinde est ac non causa (*Ballerini-Palmieri*); quod plures, ut *Bellarminus, Suarez, Lugo, Tournely, Billuart, Palmieri*, sic explicant: ex hoc ipso quod causa, ad valorem indulgentiae requisita, debet esse justa et rationabilis, sequitur quod debet esse proportionata, nam nequit dici justum et rationabile id quod est improportionatum, cum justum dicat adaequationem et recta ratio requirat proportionem.

Haec ratio, utut speciosa, nihil aliud est, sub utraque forma, quam fallax quoddam sophisma, assumens non causam pro causa, seu conditionem pro causa. Ut enim dictum est, rationabilis causa, seu motivum concedendi indulgentiam, non est propria causa validitatis indulgentiae,

⁹¹ De Poenitentia, disp. 54, sect. 3, n. 19, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1131.

sed mera conditio; conditio autem non influit in quantitatem effectus hoc modo quod quantitati conditionis debeat correspondere quantitas effectus; unde stante eadem conditione, potest haberi major effectus, et stante eadem rationabili causa potest fieri major indulgentia, cujus excessus nequaquam caret causa, sed provenit ex ipsa virtute thesauri quae cum majori abundantia per potestatem Ecclesiae dispensatur.

Praeterea, in secunda hujus rationis forma, adversarii dimicant contra falsum suppositum ac peccant eodem abusu vocabuli "proportionata", quem nobis affigit inter alios Palmieri ex Bellarmino, scribens: "Sane, ait Bellarminus, videntur abuti vocabulis, qui dicunt requiri iustam causam, et simul volunt pro quolibet opere vel levissimo concedi posse indulgentiam maximam. Quomodo enim iusta causa dici potest, quae non habet proportionem cum effectu?" (cf. supra, p. 1067). Profecto, nemo negabit idem esse: rationabilem, justam, et proportionatam causam; sed dicimus quod causa quae est rationabilis, ac pro tanto vere proportionata ad concedendam indulgentiam, non ita debet esse proportionata ut etiam ejus quantitas proportionetur quantitati indulgentiae; unde non negamus necessitatem proportionis in causa illa, sed in ejus quantitate, seu non negamus necessitatem proportionis inter illam causam, et concessionem indulgentiae, sed inter quantitatem causae et quantitatem indulgentiae. Et ratio est quia ea causa non est propria causa, sed mera conditio.

CONFIRMATUR propositum argumentum ex communi effatu theologorum "*Indulgentiae tantum valent quantum sonant*". Ut enim dictum est in art. 111 (p. 990-992), exceptis quibusdam doctoribus mediaevalibus, omnes theologi illud axioma admittunt in eo sensu quod valor indulgentiae mensuretur juxta tenorem formulae concessionis. Jamvero, si indulgentiae, quae conceduntur sine causa proportionata quantitati remissionis, essent nullae, illud axioma esset falsum, quia valor indulgentiae reapse penderet a proportionata quantitate rationabilis causae, circa cujus aestimationem posset decipi praelatus concedens indulgentiam; vel illud axioma esset explicandum juxta restrictiones ab antiquis illis theologis adductas, quas cum S. Thoma rejecimus ibidem (p. 1005-1008). Unde opinio adversariorum non est nisi quidam regressus ad opinionem illorum antiquorum, quam efficaciter refutaverat S. Thomas, ope distinctionis inter causam et conditionem indulgentiae, in textu Suppl., q. 25, a. 2, quem ibidem (p. 1006) retulimus et hic (p. 1082) iterum resumpsimus.

Nec ceteroquin mirum est *Suaresium* veritatem illius effati explicite denegare, seu accipere in ipso eodem sensu quem S. Thomas impugnavit in antiquis illis doctoribus. Instituens enim peculiarem sec-

tionem de sensu talis axiomatis, scribit: "Distinguendum est in hoc negotio universale iudicium, et quasi speculativum, a practico seu particulari. Et dicendum est primo, indulgentiam infallibiliter operari quantum sonat, si causae omnes ad illam necessariae concurrant; ex defectu enim alicujus causae, posse interdum non operari. . .

"Secundo dicendum est, in particulari non esse certum et infallibile hanc indulgentiam tantum operari, quantum sonat. . . Potestque aliis similibus exemplis confirmari et declarari. Nam licet sit infallibile absolutionem sacerdotis esse validam, et habere effectum subintellecta conditione, si poenitens non sit fictus, nec ponat obicem, nihilominus in individuo non est infallibile hanc absolutionem datam esse validam, praesertim quoad effectum, quia nunquam est ita infallibile poenitentem esse dispositum, et iudicium confessoris circa hoc semper est humanum et fallibile, etiamsi fingamus esse a Pontifice Summo. Et hoc exemplo declaratur . . . absolutionem posse dari absolute, nulla explicata conditione, quamvis in re ipsa requiratur, neque illum esse fraudulentum absolutionis modum, sed prudentem et debitum, quando et conditio in ipsa re quasi ab intrinseca natura includitur, et prudenter spectatis meritis causae supponi existimatur.

"Quin potius etiam Deus ipse aliquid simpliciter promittit, quod postea in particulari non impletur, quia defuit aliqua conditio, quae licet non fuerit in promissione declarata, in re ipsa promissa intrinsece continebatur. Quid ergo mirum, quod possit Pontifex absolutam remissionem dare, seu effectum indulgentiae simpliciter promittere, et nihilominus effectum non sequi ex defectu conditionis necessariae ex intrinseca ratione talis remissionis? In hoc tamen intercedit differentia, quod Pontifex decipi potest, existimando talem conditionem subsistere, quod in Deum cadere non potest; sed hoc etiam est in illo singulare, quod praevidens conditionem non esse implendam, nihilominus simpliciter promittit, quia rebus ipsis sermonem suum accommodat."⁹²

Probatur 3, *negative*, ex eo quod proportio inter gravitatem causae et quantitatem effectus indulgentiae *nequit deduci ex ulla ex rationibus unde in Concl. praec. deduximus necessitatem rationabilis causae ad valorem indulgentiae.*

Non sequitur nempe ex *documentis aut praxi Ecclesiae*, ex quibus contrarium potius deducitur, ut dictum est supra (p. 1080). Frustra autem invocantur documenta damnantia indiscretas et perniciosas indulgentias, nam haec referuntur, vel saltem referri possunt, ad solam illicite-tatem talium indulgentiarum. Item frustra invocaretur modus quo

⁹² De Poenitentia, disp. 56, sect. 3, n. 5 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1176.

de facto Ecclesia in quibusdam circumstantiis proportionat quantitatem indulgentiae ipsi gravitati causae, nam id pertinet non ad validitatem concessionis sed ad prudentialem modum agendi vel ad liceitatem ipsius concessionis.

Nec id sequitur ex ratione *dispensationis thesauri*, seu ex eo quod S. Pontifex non sit dominus sed merus administrator thesauri (in qua quidem ratione peculiariter insistunt adversarii). Nam haec administratio non committitur S. Pontifici facienda per quandam commutationem, in qua interveniret ratio iustitiae exigens proportionem inter datum et acceptum, inter rem alienatam et pretium exactum, sed per meram liberalem dispensationem bonorum thesauri, ad cuius proinde validitatem non exigitur proportio inter quantitatem concessionis et gravitatem causae concedendi, etsi requiratur proportio inter causam ipsam et concessionem ipsam. Assimilatur ergo S. Pontifex non administratori valorum, servandorum ope emptionis et venditionis (vulgo: manager), sed divitiarum liberaliter erogandarum in domini ipsius honorem et indigentium utilitatem, cuius actio et modus distributionis validus censetur dummodo praedictus honoris et utilitatis finis obtineatur.

Nec id sequitur ex ratione necessariae conformitatis cum *intentione sanctorum*, quorum satisfactiones per indulgentias dispensantur; nam, ut supra (p. 1083) dictum est cum S. Thoma, ea intentio non respicit gradum et quantitatem transferendae satisfactionis, sed tantum ipsum factum translationis.

Neque id sequitur ex supradictis (p. 1079 sq.) duobus *inconvenientibus*. Nam, ubi servatur rationabilis causa ipsius concessionis, seu finis divini honoris et Ecclesiae utilitatis, nequit ipsa quantitas indulgentiae, utut liberaliter aucta, verti in *destructionem* et detrimentum animarum, nisi forte ob extrinsecum quorundam abusum, quo ceteroquin quaelibet indulgentiae concessio per accidens inquinari potest. Praeterea, exinde non sequitur S. Pontificem posse indulgentiam plenariam, toties quoties acquirendam, generaliter ac semel pro semper concedere toti Ecclesiae, tam pro vivis quam pro defunctis, ac ita *evacuare Purgatorium* atque frustrare consilia divinae iustitiae; nam talis modus agendi vitaretur ipso defectu rationabilis causae utilitatis fidelium et honoris divini, quae requiritur ad ipsam simplicem concessionem indulgentiae.

Et ut expellatur ambiguitas aut fallacia argumentandi, notandum est nos non dicere simpliciter quod Papa possit valide concedere quamlibet quantitatem indulgentiae, sed quod, stante rationabili supradicta

causa, quaelibet quantitas indulgentiae valide dispensatur, quin debeat proportionari quantitati ejusdem causae, ita ut non sit necesse quod pro minori causa detur minor indulgentia et pro majori major, sed pro eadem causa possit S. Pontifex pro libito, modo majorem modo minorem concedere indulgentiam, et pro minori causa possit majorem facere remissionem. Ceterum, quidquid, sive ex modo concedendi sive ex concessionis circumstantiis, ita vitiat ipsum actum concessionis ut non sit amplius in honorem Dei et utilitatem Ecclesiae, vertitur ipso facto in defectum ipsius rationabilis causae quae requiritur ad ipsam validam concessionem indulgentiae, abstrahendo a gradu et quantitate concessionis; ac ita versamur extra praesentem quaestionem, quae apud quosdam theologos videtur esse de verbis. Unde inepte obicitur ab adversariis: "Si sufficeret quaelibet causa pia, nullae forent indulgentiae indiscretae et superfluae, cum semper adsit causa pia, puta sublevatio poenitentis a debito poenae."⁹³

Probatur 4. AB INCONVENIENTIBUS CONTRARIAE SENTENTIAE.

Si quantitas indulgentiae esset necessario proportionanda quantitati causae, valor indulgentiae incertus redderetur tum ex parte praelatorum, quibus incumberet onus et anxietas requisitae nec facilis calculationis de praedicta proportione, tum ex parte fidelium, qui nequirent certo sibi repromittere fructum pronuntiatae indulgentiae, ob dubium de errore in iudicio praelatorum.

Praeterea, exinde sequeretur indulgentias non tantum valere quantum sonant, ut dictum est supra (p. 1085).

Tandem, ex sua sententia adversarii ducuntur in plures difficultates, tum in explicando quomodo gravitas causae sit proportionanda quantitati indulgentiae (cf. verba Suaresii et distinctiones Bellarmini, supra cit. in p. 1081), tum in resolvendo quasdam quaestiones exortas ex sua positione, quarum praecipuas sic colligit et expendit *Lugo*:

"Quaeritur . . . , utrum si reipsa causa non sit proportionata et sufficiens, aestimatur tamen prudenter talis a concedente indulgentiam, concessio sit valida. Respondet Suarez cum aliis affirmative disp. LIV. sect. iii. num. 11. quia ab Oeonomo non requiritur, nisi quod operetur juxta regulas prudentiae, et a Christo etiam, qui sic operatur, vocatur fidelis servus et prudens: ergo, quoties operatur eo modo, fideliter dispensat thesaurum Christi, quod probabile et pium est."⁹⁴

⁹³ *Billuart* relatus supra, in p. 1066, et alii frequenter.

⁹⁴ De hac quaestione longius disputat *Cajetanus* eamque negative resolvit (cf. in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 365 sq.).

“Quaeritur . . . , an, si causa non sit proportionata ad totum, quod conceditur, *concessio sit valida quoad partem*, ad quam datur causa proportionata. Respondetur affirmative cum communi sententia, quam sequitur Suarez ubi supra num. 9. quia Pontifex vult ponere illam remissionem, in quantum potest: ergo, si non potest totam, ponet partem, quam potest. Sicut etiam sacerdos absolvens poenitentem, qui confessus est quatuor peccata venialia, si de uno [non] sit dolor debitus, adhuc absolvet ab aliis tribus: quia vult absolvere, quantum potest.

“Quaeritur . . . , *an requiratur causa publica, vel sufficiat privata*. Respondetur, ad indulgentiam particularem sufficere causam particularem; ad generalem vero requiritur causa generalis, nisi forte bonum aliquod privatum esset adeo magni momenti, ut merito aequivaleret bono publico: jam enim omnibus pensatis esset causa prudenter movens ad communicandum generaliter Ecclesiae thesaurum.”⁹⁵

Probatur 5. *EX SENTENTIA S. THOMAE.*

S. Doctorem tenere nostram sententiam constat ex tribus textibus Suppl., q. 25, a. 2, corp., ad 1 et 5, supra citatis (p. 1082–1084). Haec praecipue verba recolantur: “Non oportet [ad causam pro qua datur indulgentia] . . . proportionare quantitatem remissionis”, “Causa non requiritur ad hoc quod secundum eam mensurari debeat remissio poenae”, “Si [praelatus] inordinate remittat, *ita quod homines quasi pro nihilo ab operibus poenitentiae revocentur*, peccat faciens tales indulgentias: nihilominus quis *plenam* indulgentiam consequitur”. Res etiam manifeste patet, tum ex ratione unde S. Thomas repetit omnem indulgentiae efficaciam, i.e. thesauro Ecclesiae, tum ex contraria opinione Alberti M., quem S. Thomas directe impugnat quemque adversarii, ut Suarez, citant inter patronos suae sententiae. Inde non mirum plures, tum inter eos qui videntur ab hac quaestione decidenda abstinere (ut Pesch et Piolanti) tum inter ipsos adversarios (ut Corduba et Lugo), simpliciter concedere S. Thomam esse pro nostra sententia (addit tamen Corduba quod S. Doctor mutasset suam sententiam, si in Summa Theol. ad hanc quaestionem pervenisset).

Nihilominus pluribus adversariis, ut *Soto, Suaresio, Billuart et S. Alphonso* (supra cit., p. 1065 sq.), durum videtur amittere patrocinium S. Thomae in hac re, unde conantur hos textus S. Doctoris aliter explicare. Dicunt nempe S. Thomam tantummodo negare quod requiratur *stricta aequalitas* inter causam et quantitatem indulgentiae, seu inter quantitatem operis praestandi et quantitatem remissionis obtinendae, non vero quod requiratur aliqua proportio inter utramque.

⁹⁵ De Poenitentia, disp. 27, sect. 8, § 2, n. 145, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 530 sq.

Quod quidem sibi videntur deducere ex textu parallelo q. 71, a. 10, ubi S. Doctor, agens de indulgentiis pro defunctis et explicite sese referens ad id quod dixerat in praefato loco q. 25, scribit: "Nec tamen sequitur quod praelatus Ecclesiae possit pro suo arbitrio animas a purgatorio liberare, quia ad hoc ut indulgentiae valeant, requiritur *causa conveniens* indulgentias faciendi, ut supra dictum est [q. 25, a. 2; q. 26, a. 3]."

"In quibus verbis, ait *Suarez*, 'causa conveniens', significare debet non tantum causam piam, sed etiam proportionatam. Quod patet, tum ex vi verborum, quia alias revera non est causa conveniens; tum maxime quia alias non solveret D. Thom. difficultatem quam intendit. Nam, si quaelibet causa honesta reputanda est conveniens ad valorem indulgentiae, profecto facile posset Praelatus Ecclesiasticus suo arbitrio animas omnes a purgatorio liberare, quia suo arbitrio potest causam convenientem invenire, si quaelibet honesta sufficit. Cum ergo D. Thomas in hoc posteriori loco ad priorem se referat, dicendum est, ibi per causam piam, causam etiam convenientem et proportionatam intellexisse, quia alias non est pia simpliciter, seu respective in ordine ad talem effectum. Et hoc ipsum videtur declarasse ibidem D. Thom., in solut. ad 5, dicens, requiri causam legitimam; nam revera legitima non est, si proportionata non sit. Unde cum ibidem in solutione ad 1 ait, quando Praelatus inordinate concedit indulgentias, ipsum quidem peccare, subditos vero indulgentias lucrari, intelligendus est, non de inordinatione substantiali, qualis esset defectus causae legitimae, sed accidentali, qualis esset, aut nimia frequentia, vel inconsideratio alicujus nocumenti, quod ex abusu subditorum interdum sequi potest, de quo praecipue ibi loquebatur D. Thomas."⁹⁶

Attamen, haec S. Thomae expositio cum adjectis rationibus, reicienda est, utpote nullatenus congruens sive textui sive contextui praefati a. 2, q. 25.

Et imprimis, S. Doctorem non reicere tantum necessitatem strictae aequalitatis sed etiam ipsius proportionis inter quantitatem causae et quantitatem effectus, patet ex eo quod explicite distinguit duas opiniones antiquorum, alteram docentem strictam aequalitatem, alteram docentem proportionalem aequalitatem, et utramque explicite reicit, simpliciter negans quantitatem indulgentiae esse mensurandam ex causa pro qua indulgentia datur, sed tantum ex abundantia thesauri.

Quod autem verba "causa conveniens" seu legitima significet causam proportionatam quantitati indulgentiae, nequit deduci sive ex ipsa vi verborum, nam, ut dictum est supra (p. 1085), causa conveniens

⁹⁶ De Poenitentia, disp. 54, sect. 3, n. 16, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1130.

dicit quidem necessario causam proportionatam, sed non necessario causam proportionatam ipsi quantitati indulgentiae; sive ex objectione quam S. Doctor solvere intendit, nam, ut dictum est supra (p. 1087 sq.), velle ex arbitrio evacuare purgatorium redundaret in defectum ipsius causae quomodolibet rationabilis (cum id nequeat cedere in honorem Dei et utilitatem Ecclesiae) ac ideo obstaret validitati ipsius actus concessionis, abstrahendo a gradu et quantitate indulgentiae.

Ceterum, quantumvis adversarii se contorqueant in explicanda mente S. Thomae, nequeunt unquam sese expedire a vi hujus explicitae assertionis S. Doctoris (q. 25, a. 2, ad 1) quod *inordinata praelati concessio est valida*, quantumvis illicita, eo quod *in ejus arbitrio sit taxare quantitatem indulgentiae*. Supponit enim S. Doctor praelatum posse valide concedere indulgentiam ex rationabili quidem seu ordinata causa, et tamen simul inordinate agere; quae proinde inordinatio nequit referri ad ipsam absentiam rationabilis causae, ex qua invalidaretur ipsa concessio indulgentiae, sed ad nimiam quantitatem concessionis, ita ut non adsit proportio inter quantitatem causae et quantitatem indulgentiae, ac propterea S. Thomas ibidem concludit quod, non obstante inordinata concessione praelati, “nihilominus quis *plenam indulgentiam* consequitur.”

Ideo non mirum est ipsos adversarios non valde constanter loqui de mente S. Thomae nec valde confidere suae ipsorum explicationi. Ita *Suarez* primo spontanee refert S. Thomam inter adversarios suae sententiae (n. 1) et Albertum M. (a S. Thoma impugnatum) inter illius defensores (n. 5); postea, descendens ad interpretationem S. Thomae quam appellat “praecipuum negotium” sibi incumbens (n. 14), affert Cordubam ex littera S. Thoma deducentem S. Doctorem sibi esse contrarium, addens: “Et revera est apparens, si corticem tantum illius quaestiunculae D. Thom. inspiciamus” (n. 15); subinde tamen statuit se “suaderi non posse illam fuisse D. Thomae mentem”, afferens suparrelatam rationem ex q. 71, a. 10 (n. 16); tandem, advertens se ita affigere S. Thomae sententiam Alberti M. a S. Doctore impugnatam, ait: “Fortasse potuisset D. Thom. non reprehendere tertiam sententiam [i.e. Alberti M.], quam ibi refert”, et facta aliqua distinctione, secundum quam S. Thomas potuerit nihilominus reprehendere illam sententiam, ait hanc de cetero posse recte interpretari ita ut “non esset reprehensione digna, nec diversa a nostra, quam putamus etiam esse D. Thomae”. Haec omnia tam ingeniose dicta sunt, ut valeant S. Thomam ex impugnatore sententiae Alberti M. in ejus tandem defensorem immutare. Non minus significans est haesitatio *Billuart*, scribentis: “Restat difficultas non mediocris de

mente S. Thomae circa praesentem conclusionem; videtur enim non parum favere sententiae oppositae [in. q. 25, a. 2, corp. et ad 1]. . . Haec, fateor, urgent; verumtamen concilianda sunt cum iis quae alibi docet S. Doctor. . . [Repetit textum q. 71, a. 10, ipsasque rationes Suaresii, et, explicato sensu q. 25, ad 1, absolvit:] Nisi sic intelligas S. Doctorem, vix ipsum cum ipso conciliare poteris".⁹⁷

Pro practica conclusione hujus quaestionis, et abstrahendo a praesenti doctorum controversia, haec cum Fanfani dici possunt:

"a) indulgentiam sine iusta et proportionata causa concessam esse illicitam, quia concedens esset in hoc infidelis dispensator. . . Notandum insuper proportionem causae in ordine ad indulgentiam minime desumi a solo opere materialiter et per se considerato, sed a bono communi et a fine sanctissimo — ut puta honor Dei, Ecclesiae utilitas, bonum commune, promotio piorum operum vel precum — per indulgentiam intento. Quocirca opus etiam levissimum, in se inspectum, sufficere potest ex suis circumstantiis et praecipue ex circumstantia finis ad magnam indulgentiam, etiam plenariam;

"b) indulgentiam, etiam sine iusta et proportionata causa concessam, quidvis sit de eius validitate coram Deo pro remissione poenae temporalis, certo valere quantum ad privilegia ei adnexa, quae sint tantum iuris ecclesiastici, uti e.g. facultas absolvendi a reservatis;

"c) neque in concionibus, neque in aliis occasionibus coram populo unquam expedire dubium movere circa validitatem indulgentiarum, ex parte concedentis; eo vel magis quod, practice loquendo, vix potest dari, ait Billuart, indulgentia pro causa pia, quae non sit proportionata."⁹⁸

ART. 116. Utrum Ecclesia Habeat Potestatem Concedendi Indulgentias Pro Defunctis In Purgatorio, Ita Ut Isti Sint Subjectum Capax Fructus Indulgentiarum (Suppl., q. 27, a. 3, ad 2; q. 71, a. 10-12).

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et sequenti articulo est quaestio *de SUBJECTO indulgentiae*, seu de requisitis in subjecto ad indulgentiam lucrandam vel ejus effectum suscipiendum.

Codex J. C. sex enumerat requisita, quatuor priora sub explicito nomine capacitatis, duo vero ultima sub implicito nomine conditionis

⁹⁷ Tract. de Indulgentiis, diss. un., a. 4, Cursus Theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 519 sq.

⁹⁸ De indulgentiis, Tarurini-Romae, 1926, p. 38.

(scilicet: baptizatus, non excommunicatus, constitutus in statu gratiae, subditus concedentis, habens intentionem acquirendi indulgentiam, implens opera iniuncta), quae quidem directe et per se respiciunt solos vivos quibus proprie indulgentia conceditur, etsi applicabilis defunctis. Ita in can. 925: "§ 1 Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis. — § 2. Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem".

Theologi et canonistae, alii aliter haec requisita disponunt. Quidam, ut *Cappello* et *Heylen* distinguunt tres condiciones, scilicet capacitatem (juxta Codicem: baptizatus, non excommunicatus, habens statum gratiae, subditus concedentis), intentionem lucrandi et impletionem operis iniuncti. Alii, ut *Pesch*, *Fanfani* et *De Angelis*, distinguunt tres condiciones: statum gratiae, intentionem lucrandi, impletionem operis iniuncti (cetera vero ipsi supponunt esse requisita ad capacitatem).

Applicando autem ea quae diximus in tractatu De sacr. in gen. et innumis hic, agentes de concedente, in art. 114 (p. 1048 sq.), circa distinctionem requisitorum (tum in ministro tum in subjecto sacramentorum) in proprie dictam *capacitatem*, *conditionem* et *dispositionem*, sequenti modo disponere possumus tum requisita invocata in Codice, tum alia quae ibi supponuntur:

1. *CAPACITAS* in subjecto importat *sex qualitates*, ut nempe sit:

Homo. Non ergo brutum, quia expers poenae nec subjectum clavibus; neque angelus, quia in termino constitutus nec subjectus clavibus, et praeterea expers poenae (angelus beatus) aut temporalis ac remissibilis poenae (daemon). In art. 113 (p. 1047) dictum est indulgentias quae dantur rebus vel locis (indulgentias reales vel locales) non proprie concedi ipsis rebus inanimatis, sed eis affigi, uti conditioni, qua mediante conceditur hominibus.

Viator, seu saltem nondum simpliciter in termino constitutus. Non ergo beati, qui praeterea sunt poenae expertes; nec damnati, quibus praeterea competit irremissibilis poena; nec in limbo constituti, qui praeterea non contraxerunt temporalem poenam, utpote mortui in solo originali peccato. Animae vero purgatorii non sunt simpliciter in termino constitutae ac ideo sunt capaces indulgentiae, ut infra explicabitur.

Peccator, nam effectus indulgentiae est remissio poenae ob peccatum debitae. Non ergo Christus; nec B. Virgo; nec infantes seu carentes usu rationis, qui post baptismum nullum habent peccatum aut poenam

relictam, et ante baptismum non sunt simpliciter peccatores sed habent tantummodo peccatum originale ex quo non incurritur poena temporalis sed sola aeterna exclusio a beatitudine.

Habens adhuc poenam luendam. Non ergo Patres in limbo, etiam si fingeretur adfuisse indulgentia in A. T. aut ejus usus ante Christi ascensionem in caelum, quem secuti sunt animae sanctorum, purgatorii poenis non obligatae.

Potens attingi per claves. Non ergo Christus; nec B. Virgo, utpote mater datoris clavium.

Distinctus a concedente, cum indulgentia sit actus jurisdictionis. Potest tamen ipse concedens indirecte et sub alia ratione frui effectu suae concessionis, ut dictum est in art. 109 (p. 942 sq.).

2. *CONDITIONES* proprie dictae, superadditae capacitati, sunt similiter *sex*, scilicet: Baptismus, intentio lucrandi, status gratiae (seu potius absentia peccati cujus poena est luenda), absentia excommunicationis, habitudo subditi ad concedentem, impletio operis injuncti.

3. *DISPOSITIONES.* Ex dictis in art. 111 (p. 990 sq. 1006 sq. 1020 sq.) sequitur ad lucrandam indulgentiam *nullam proprie dictam requiri dispositionem*, quae nempe ex se ac directe influat in gradum et quantitatem effectus; status enim gratiae, vel absentia peccati cujus poena est luenda, non est dispositio sed conditio. Etiam si quis cum quibusdam diceret praeter statum gratiae, seu absentiam peccati, requiri peculiarem quandam dignitatem in subjecto, haec esset iterum non proprie dispositio, sed mera conditio, eo quod non influeret in gradum et quantitatem effectus. Item, etiam ex explicatione data in art. 113 (p. 1043–1046) de diverso valore indulgentiae partialis, juxta diversam devotionem singulorum subjectorum acquirentium eandem indulgentiam (puta 40 dierum), non sequitur hanc devotionem esse proprie dictam dispositionem, juxta quam nempe idem subjectum magis vel minus participet de effectu indulgentiae sibi concessae, sed est mera conditio antecedenter limitans ipsum valorem causae, ut ibidem declaratum est (p. 1046).

Hinc de dispositionibus nihil amplius manet dicendum; de praedictis autem conditionibus agetur in art. seq.; de capacitate autem, nihil offert peculiarem difficultatem aut momentum nisi *QUAESTIO DE DEFUNCTIS IN PURGATORIO*, seu an Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias pro defunctis, quae est objectum praesentis articuli. Ceterum de hac indulgentia plura jam oportuit in superioribus, pro opportunitate discursus, pertractare, scilicet de ejusdem essentia, efficacia et conditionibus, quae iterum breviter resumentur infra in Notis ad calcem articuli (p. 1112–1115).

PARS NEGATIVA

Adversarii potestatis Ecclesiae quoad indulgentias concedendas, quos retulimus in art. 107 (p. 830 sqq.), peculiariter impugnant indulgentias pro defunctis, tum ex iisdem generalibus principiis, quibus negant potestatem clavium et dogma satisfactionis, tum ex addita duplici peculiari negatione efficacitatis suffragiorum pro defunctis et ipsius existentiae Purgatorii. Eadem impugnatio, vel saltem dubitatio, de efficacia indulgentiae pro defunctis serpsit apud aliquos theologos catholicos saec. 13–15, antequam nempe inciperent certae hujusmodi indulgentiarum concessiones per ipsam S. Sedem, ob male intellectam indolem hujus indulgentiae et male applicatum principium quod Papa non habet jurisdictionem in defunctos.

Saec. 12 PETROBRUSSIANI signanter repudiarunt suffragia pro defunctis, ut constat ex eorum impugnatione per Petrum Cluniacensem († 1156), citata in p. 831. Non est ibi sermo directe de indulgentiis, eo quod istae sub determinato nomine et forma moderniori, nonnisi circa idem tempus usitari coeperunt.

Saec. 13–15, dum docebatur communiter a theologis possibilitas et a quibusdam etiam factum concessionis indulgentiae pro defunctis (cf. infra, p. 1102 sqq.), *QUIDAM GRAVES DOCTORES* utrumque denegarunt. Ita: *Hostiensis* (Henricus de Secusia, ab urbe natali Susa in Italia, Cardinalis Hostiensis, † 1271; Summa super titulis decretalium, l. 5, De remiss., § 6 et 9), *Franciscus Mayron* O.F.M. (natione gallus, discipulus Scoti; † 1327; In 4 Sent., dist. 20, q. 4; cf. dist. 21, q. 5), *Jo. Gersonius* (Joannes Charlier, a pago Gerson, in Gallia, qui praecipuas partes habuit in Conc. Constantiensi in causa Wicleffi; † 1429; Alphabetum divini amoris [dubiae tamen authenticitatis], serm. 2 de defunctis, q. 9), et *Gabriel Biel* (natione germanus; † 1495; Sacri canonis Missae expositio).

Horum communis et *praecipua ratio* fuit quia indulgentia est actus jurisdictionis et Ecclesia non habet jurisdictionem in defunctos, qui per mortem constituuntur in foro Dei; addit *Gerson* per mortem absolvi tempus misericordiae et indulgentiae; negat etiam *Mayron* existentiam thesauri, ex quo indulgentia suam efficaciam habet reversibilem in defunctos, atque indulgentiam concipit ut meram gratuitam remissionem factam per jurisdictionem Ecclesiae (ut dictum est in art. 108, p. 889 et 891).

Ratio autem extrinseca, quare horum aliorumque oppositio contra hujusmodi indulgentias oriri ac persistere potuerit usque saltem ad medium saec. 15, reponi debet in ipsa absentia explicitarum hujusmodi

concessionum, quae praecise nonnisi eo tempore fieri coeperunt, saltem a S. Sede (cf. infra, p. 1107 sq.); ipsum decretum Conc. Viennensis a. 1312 (cit. in p. 847) contra abusus quaestorum praedicantium valorem indulgentiarum pro defunctis, potuit esse indirecta occasio unde ea oppositio confirmaretur, quae tamen fere decidit post primam certam concessionem factam a Sixto IV a. 1476 et damnationem Petri de Osma latam ab eodem S. Pontifice. Unde ipse *Biel* debuit tunc sententiam in ultimis suis operibus reformare, suam oppositionem limitans ad dubium de valore indulgentiae ratione defectus justae causae: "Sed dubium esse potest an causa indulgentiarum sit ea quam Deus approbat: an conferentis intentio sana sit et integra et non subdola ex simoniae vitio vel avariciae procedens, quae licet non sint facile praesumenda, non tamen sunt undequaque certa, nam, clave errante, potestas clavium debita caret efficacia."⁹⁹

PETRUS DE OSMA, post ipsam concessionem Sixti IV, eundem errorem docuit, quem damnavit Sixtus ipse a. 1479 (cf. supra, p. 835). Quidam putant errorem Petri non respicere ipsam indulgentiam pro defunctis; ita *Galtier* scribens: "Il ne paraît pas toutefois que l'erreur de Pierre Martinez de Osma, condamné par Sixte IV en 1479: 'Papa non potest indulgere alicui vivo poenam purgatorii' (Denz.-Bannw., 729 [615]), ait visé les indulgences pour les morts: cf. la discussion engagée à ce sujet entre *Paulus*, dans le *Katholik* de 1898 (II, p. 92, 475-480 sqq.) et la *Zeitschr. f. kath. Theol.*, XXIV (1900), p. 265-266, XXXIII (1909), p. 599, 608, et le P. *Lehmkuhl* dans le '*Pastor bonus*' de Trèves (1898-1899), p. 8 sqq."¹⁰⁰ Attamen, Pius VI in sua condemnatione Conc. Pistoriensis (cit. in p. 843) hunc errorem explicitè tribuit Petro de Osma, non minus quam Luthero.

Notat hic *H. Ch. Lea*: "After the papal power had once been asserted, however, to call it in question was dangerous, and there was scant hesitation in enforcing unanimity of opinion. The denial of it was one of the heresies which Pedro de Osma was forced to recant in 1478, and even more severe was the treatment of Dr. *Dietrich Möhring*, a canon of Bamberg, Würzburg, and Eichstadt, in 1489, when Raymond Perauld came as papal commissioner to preach a jubilee with indulgences for the dead. He asserted that such indulgences could only be granted as suffrage, whereupon the commissioner flung him in gaol, where he lay for nine years."¹⁰¹

WICLEFF in suo Tractatu de Ecclesia (exarato circa 1378-1379)

⁹⁹ Sacri canonis Missae expositio, lect. 57 (ed. 1515, fol. 153-155).

¹⁰⁰ In Dict. Apol., art. Indulgences, col. 736 sq.

¹⁰¹ A History of Auricular Confession and Indulgences in the Latin Church, Philadelphia, 1896, vol. 3, p. 350 sq.

saepius *supponit communem sententiam doctorum* esse Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias pro defunctis, *eamque explicite impugnat*:

“Iuxta istam sententiam sequitur quod potestas iudiciaria cuiuscumque pape se extendit ad omnes animas in purgatorio et omnes beatos in celo; consequens impossibile, et consequentia sic probatur: papa etiam prescitus habet potestatem ad imperciendum merita bonorum cuicumque et quandocumque voluerit, ut dicit posicio; sed longe minor potestas sufficit ad fundandum iudiciariam potestatem, ergo papa habet iudiciariam potestatem super beatos etiam super Christum. Potest enim facere quod beatus mereatur cuicumque affecto suo quantumcumque voluerit, quia potest dare sibi meritum alterius, quod est idem. Ille enim qui habet potestatem super tam secretum thesaurum anime habet potestatem super personam quoad inferius corporale. . .

“Et multo evidencius sequeretur quod papa preest cuicumque spiritui in purgatorio vel dampnato, et hoc videtur doctorem [S. Thomam] intendere, cum dicit quod bona communia multitudinis distribuuntur singulis de illa multitudine secundum arbitrium eius qui illi multitudini preest, et multo evidencius sequitur quod papa preest dampnatis, cum preest personis dignioribus, ut puta, purgandis spiritibus et beatissimis; qui enim habet potestatem cassandi opus dyaboli et tollendi ab eo predam quam tantum appetit, habet potestatem in eum, sed papa habet potestatem ad dandum quantamlibet indulgentiam captivo dyaboli, ne sufficiat amplius valere in eum, ut dicitur. Dicitur et Luce IX^o quod Christus dedit discipulis potestatem super omnia demonia, sed nimis ampla foret pape iurisdictio, qui instar Christi habet potestatem super multitudinem celestium, terrestrium et infernorum. . .

“Posito quod dictus papa Gregorius laxet ad tantum plenitudinem potestatis quantum Deus permiserit, et potestas sibi data suffecerit ad iuvandum spiritus in inferno, in purgatorio et hoc mundo, et sic concedat cuicumque presbitero plenitudinem vicarie potestatis ad absolvendum et *indulgendum generaliter tam vivos quam mortuos*, quantumcumque claves ecclesie permiserint . . . videtur quod omnes spiritus liberarentur de inferno et purgatorio, et omnes viantes forent in gracia finalis perseverantie confirmati. Nam thesaurus ecclesie cuius accepit plenam dispensacionem est infinitum plus bonus quam habitus sibi oppositus est malus, et limitatur secundum sui ultimum ad agendum; ergo extingueret totum malum. Quis ergo argueret talem papam de imprudencia qui destrueret totam mundi maliciam, restituendo seculum aureum, ut in statu innocencie? Et cum quo Deus tam efficaciter concurreret approbando? Excitandus ergo foret papa ad tam

instanter proficiendum ecclesie, si non diffidit, sed confidit in plenitudine potencie quam pretendit.”³

PROTESTANTES, ut constat ex textibus allatis in art. 107 (p. 836 sqq.), suam impugnationem indulgentiarum pro defunctis fundant in triplici negatione potestatis clavium, vicariae satisfactionis (specialiter ad modum suffragii pro defunctis) et ipsius Purgatorii. *Lutherus*, inde ab initio, defunctos ab indulgentiis exclusit, eos primo loco referens inter “sex genera hominum quibus indulgentiae nec sunt necessariae nec utiles” (prop. 22 damnata a Leone X; cf. supra, p. 836).

Ceterum ad eam impugnationem abunde sufficiebat negatio potestatis clavium, quin esset necessarius recursus ad negationem suffragiorum et Purgatorii. Unde notat *H. Ch. Lea*: “Luther naturally did not neglect this comparatively weak spot in the enemy’s line. It was a theory which he could deny without denying purgatory or the efficacy of good works for the souls languishing there, and in 1518, while he yet considered himself to be within the Church, he expressed his disbelief in it as a recent doctrine, which had never been proved or authoritatively sanctioned, and he declared that the old methods of prayer and pious works were more certain.”⁴ Inde est quod, ut dictum est in art. 107 (p. 841), quidam moderni protestantes, utut reicientes indulgentias, quandam speciem purgatorii advocare videantur.

Inter modernos protestantes, palmam in hac impugnatione obtinet idem *H. Ch. Lea*, saltem ratione magni apparatus historicae eruditionis, omni tamen critico sensu destituti. In tertio volumine suae *Historiae auricularis confessionis et indulgentiarum*, integrum caput 6 (constans 76 paginis) consecrat huic quaestioni sub titulo “Application to the Dead”. Inter alia scribit:

“Whatever doubts and scruples might be entertained by individual theologians, the Church at large by this time [16th century] was fully committed to the doctrine, and the popes felt no misgivings as to their own power [of granting indulgences for the dead]. *It might seem incredible that a human being can persuade himself that he wields such authority*, but there can be no reasonable doubt that the conviction is honestly entertained. How limitless and arbitrary it is may be estimated from the fact, semiofficially related by Cardinal Valerio, that, during the jubilee of 1600, the ‘Società de’ Suffragj’, formed to aid souls in purgatory, marched, on October 1, 25,000 strong to the four churches. Clement VIII. met them on the way and was so affected by the sight that on the spot he empowered each of them, and all who would accompany them, to release a soul. It is scarce worth while to follow further in detail this portion of our subject. The irresistible tendency to multiply and facilitate indulgences showed itself in this as in those for the living, and now all those collected in the ‘Raccolta’ are applicable to the dead. This is perhaps natural, in view

³ *Ioannis Wyclif Tractatus De Ecclesia*, now first edited from the manuscriptus, by Johann Loserth, London, 1886, p. 565 sq. 571. Cf. alia verba Wicleffi, citata supra in p. 833–835. 879. 908. 910 sq.

⁴ *Op. cit.*, p. 352.

of the popular teaching that God is impotent to release souls from purgatory before their allotted time without the aid of man—*perhaps the most significant indication of the degree to which the Church has succeeded to the functions of the Almighty.* . .

“The question being settled in favor of suffrage leads to another and still more important one as to *the real value and efficacy of these indulgences*. In this the Church had a narrow and difficult path to tread. A large portion of the revenues of the clergy arose from the suffrages which, from time immemorial, it had been their special privilege to offer, and we have seen, when innovation was inaugurated at Xaintes, the clamor which it aroused and the position which Sixtus IV. was forced to assume that the new indulgences were not intended to supersede the old suffrages, but only to complement them. Another two-edged motive makes itself apparent in the discussion which has lasted from that time to this—on the one hand, the more confident the assurances of efficacy, the more desirable are the indulgences; on the other, if a shade of doubt is cast upon them there is ground for urging their repetition.

“Accordingly the question has been the subject of endless debate. At first the natural desire on the part of the body of churchmen was to represent them as uncertain in their action, which, as we have seen, Caietano based on the varying qualifications of the souls in purgatory, while the Sorbonne asserted that it depends on the will of God. Leo X., however, in his contemporaneous definition, placed indulgences for the living and the dead on precisely the same basis. . . Yet the question has been discussed from that time to this without agreement being reached. . . Modern authorities inform us that there are two opinions on the subject, but that at least it may be safely asserted that indulgences help the dead, otherwise the Church would do what is fruitless in thus applying them, which cannot be admitted without impiety. Those who argue in favor of infallible efficacy, and that God is bound to accept the payment of the treasure, admit, however, that the indulgence must be properly granted, and that, if there is not just cause for it, it is invalid, and moreover there may be some special reason why God may make an exception of an individual soul.

“This shade of uncertainty affords a reason why, after a plenary indulgence is procured for a soul, it should not be relied upon, but there should be diligence in procuring others and in ordering suffrages for its relief, such as masses and other pious works. The ‘Bula de difuntos’, which is sold to-day in Spain for fifteen cents, promises a plenary indulgence to the soul for which it is taken, without an intimation that the effect may be in any way doubtful, and it is described by the Commissioner General as an authentic receipt in full, but the commentators are thrifly agreed that it is prudent not to rely on a single one, but to make matters sure by purchasing more.”⁵

CONC. PISTORIENSE, rejectis tum indulgentiis tum Ecclesiae thesauro, tanquam scholasticorum inventione, “superaddit, luctuosius adhuc esse, quod chimaerea isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos . . . [et] impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc.” Sic *Pius VI* in sua condemnatione, relata in art. 107 (p. 843).

⁵ Op. cit., p. 354-359.

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Ecclesiam habere potestatem concedendi indulgentias quae prosint defunctis in remissionem poenae temporalis, est *saltem theologice certum*; saltem enim hoc, sequitur ex documentis Ecclesiae mox memorandis, signanter Sixti IV, Leonis X et Pii VI (in hoc ultimo documento contraria sententia Conc. Pistoriensis dicitur simpliciter “falsa”, hoc est, erronea, praeterquam temeraria). Videtur etiam id esse *proximum fidei*, tum quia Pius VI contrariam opinionem Conc. Pistoriensis vocat etiam “inducentem in errorem haereticalem”, tum quia valde probabiliter Bulla Leonis X ad Card. Cajetanum est definitio ex cathedra, ut colligi potest ex declaratione ab ipso Leone facta in epistola ad Helvetios (cit. in p. 850 sq.); ita *Lercher* ait: “Leo X in bulla ‘Quum postquam’ a. 1518 definitione peremptoria et infallibili potestatem concedendi indulgentias R. Pontifici vindicavit, ut patet ex eius epistola, quam cum bulla ad Helvetios misit” (n. 488), *Galtier* vero: “[Leo X] ex professo, ne dicam ex cathedra, declarat . . . quae sit Ecclesiae doctrina de indulgentiis” (n. 581).

Inter theologos quidam, ut *Lercher*, supponunt hanc doctrinam esse de fide, qui videtur etiam esse sensus Suaresii, cum ait: “Sine errore [hoc est: in fide] negari non potest”; alii saltem eam habent ut theologice certam, cum dicunt esse doctrinam certam vel ut certam a catholico tenendam: ita *Van Noort Verhaar*: “certum est”, *Diekamp*: “sententia certa”, *Galtier* (in *Dict. Apol.*): “s’impose à l’adhésion ferme de tous les catholiques”.

Documenta Ecclesiae.

Documenta practica, quibus nempe indulgentiae pro defunctis conceduntur, referemus infra in *Concl.* inter arguendum ex sensu et praxi Ecclesiae.

Documenta doctrinalia praecipua jam attulimus in art. 107, et iterum breviter memoravimus supra, referendo errores Petri de Osma, Protestantium et Conc. Pistoriensis. Scilicet: *Sixtus IV* damnat supradictam propositionem Petri de Osma et “concedit de plenitudine potestatis” primam, quae certo noscatur, indulgentiam pro defunctis in favorem ecclesiae S. Petri Xanctoniensis, seu “plenam remissionem per modum suffragii ipsis animabus purgatorii valentem ac suffragantem” (cf. utramque Bullam relatam in p. 848 sq.). *Leo X* damnat supradictam propositionem Lutheri et directe declarat in Bulla ad Card. Cajetanum (quae haberi potest ut documentum ex cathedra) “Ro-

manum Pontificem . . . posse pro rationabilibus causis concedere . . . Christi fidelibus qui caritate inungente membra sunt Christi, sive in hac vita sint, sive in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi et Sanctorum". *Pius VI* damnat supradictam propositionem Conc. Pistoriensis ut "falsam, temerariam, piarum aurium offensivam, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiae iniuriosam, inducentem in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri". *Gregorius XVI* per S. C. de Indulgentiis declarat "indulgentiam altari privilegiato adnexam si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, intelligendam esse indulgentiam plenariam quae animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis". *Codex J. C.*, can. 911, asserit ecclesiasticam auctoritatem "indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis concedere pro defunctis per modum suffragii."

Conc. Tridentinum in suo Decreto de Indulgentiis (relato in p. 851) nihil directe et explicitè habet de indulgentiis pro defunctis, idque ob temporis angustiam quae suavitatem celerem conclusionem ultimae sessionis 25, ut dictum est in p. 852. Ceterum, in eadem sessione definita sunt duo dogmata suffragiorum pro defunctis et potestatis Ecclesiae conferendi indulgentias, in quibus doctrina indulgentiae pro defunctis continetur.

Unde inepte *H. Ch. Lea* silentium Concilii assumit ut signum incertitudinis doctrinae adhuc persistentis inter doctores catholicos, scribens: "It was possibly in view of the discussion aroused on the subject and the desire to avoid the attacks of the heretics that Clement VII. did not make his jubilee of 1525 applicable to the dead. A more remarkable feature, however, in the development of the doctrine is the fact that the council of Trent is entirely silent on the subject, and does not even include indulgences among the means by which the living can assist the dead. Soon after this Miguel Medina tells us that there were still good and learned Catholics who could not recognize the efficacy of indulgences for souls in purgatory. They argued that the powers to bind and to loose are correlative, and as the pope cannot bind the souls of the dead so he cannot loose them, and they quoted the decree of the council of Vienne denouncing the lies of the pardoners."⁹

CONCLUSIO

Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias pro defunctis in Pur-

⁹Op. cit., p. 354.

gatorio degentibus, ita ut hi sint subjectum capax illarum indulgentiarum quae ab Ecclesia conceduntur vivis ut applicabiles defunctis.

Probatum 1. *EX SENSU ET PRAXI ECCLESIAE.*

Cum Ecclesia ab antiquo, sub una vel alia forma, indulgentias vivis concesserit, ut constat ex dictis in art. 107, cumque praeterea suffragia pro defunctis jugiter agnoverit ac foverit, indulgentias quoque, una cum reliquis suffragiis, defunctis translatas, antiquam Ecclesiam agnovisse verisimile est. Non tamen id est necessarium, ut pronuntiat Amort;⁷ nam, cum clavis indulgentiae sit secundaria quaedam potestas, necesse non est ut, ad implendum essentialem finem suae salvificae missionis, Ecclesia inde ab initio explicite agnoverit et determinate exercuerit eam potestatem, praecipue prout extenditur in beneficium defunctorum, qui, ab Ecclesia militante dimissi, non amplius per ejus potestatem directe attingi possunt. Id quoque notandum est, translationem indulgentiarum, secus ac privatorum suffragiorum, ab explicita potestatis Ecclesiae ordinatione pendere, cum indulgentia sit actus potestatis clavium; cujus tamen concessionis nonnisi in tardiori medio aevo pauca et incerta quidem vestigia deprehendi incipiunt.

Quandonam hujusmodi indulgentiae concedi coeperint, incertum est. Solent quidem afferri (a Bellarmino, Suarez, aliisque antiquioribus communiter, Schoofs, Lépiciér, Lehmkuhl, Prümmer) aliqua concessionis documenta saec. 9–10, scilicet *Paschalis I* († 824), concedentis ut defunctus a purgatorio liberetur per applicationem certi numeri missarum in quodam sacello S. Zenonis (in qua concessione quidam videntur originem altaris privilegiati), *Joannis VIII* († 882), ad preces Ludovici regis concedentis indulgentiam pro his qui in pugna ceciderant (Epist. 186: “Quantum fas est, absolvimus precibusque illos Domino commendamus”), *Joannis IX* († 900) absolventis animam defuncti imperatoris Arnulphi.⁸ Attamen, plures critici moderni horum factorum historicitatem reiciunt vel ea explicant de concessione absolutionis a censuris aut de benedictione papali.⁹

Saec. 12 incrementum devotionis fidelium erga defunctos et inculcatio efficacitatis suffragiorum pro defunctis apud doctores, propitiae erant circumstantiae quae foverent praxim, vel saltem doctrinam,

⁷ De origine . . . indulgentiarum, Augustae Vindelicorum, 1735, p. 291.

⁸ Cf. *Mabillon*, *Mus. Ital.*, Parisiis, 1724, t. 2, p. 108.

⁹ De his confer quae in varium sensum dicunt *J. H. Schoofs*, *Die Lehre vom kirchlichen Ablass*, Münster, 1857, p. 42 sqq.; *Binterim*, *Denkwürdigkeiten*, V, part. 3, p. 464 sqq.; *N. Paulus*, in *Zeitschrift für kath. Theol.*, 1900, p. 2 sqq.; 1908, p. 433 sqq.; *Lépiciér*, *Les indulgences*, Paris (1902), t. 1, p. 299. 320 sq.; t. 2, p. 26.

translationis ad defunctos illarum indulgentiarum quae tunc sub moderna concessionis forma multiplicari coeperant.

Id signanter elucet ex doctrina *PETRI CLUNIACENSIS* († 1156) qui in sua impugnatione *Petrobrussianorum*, abicentium suffragia pro defunctis, post verba citata in art. 107 (p. 831), sic prosequitur: "Vidit [Ecclesia] fines beatitudinis ac miseriae sempiternae ex vita mortalium pendere, unde pro ejus qualitate agnovit omnipotentis misericordiam, *aliorum piis operibus, etiam post mortem mortuis subvenire*. Nam et si aliena videntur viventium opera ut tamen mortuis prodesse valerent, mortuorum, dum viverent, sunt meritis comparata. Idcirco nec aliena esse judicanda sunt, quae mortuorum praecedentibus meritis propria facta sunt. Orat ea de causa Ecclesia pro requie vel gloria membrorum suorum ad statum vitae alterius translatorum, et quod fide ac charitate ad membra Domini sui pertinere cognoscit, a fructu suorum bonorum operum non excludit. Non excludit eos, imo, ut dignum est, plenissime admittit, ut sicut abjectos a facie Dei concordans justitiae Dei a memoria sua abjicit, sicut perfectos coram facie Dei, certa de misericordia Dei auxilio suo non indigere cognoscit: sic laborantes sub iudicio Dei, confusa de divitiis bonitatis Dei, quibus potest modis juvare contendit.

"*Habet inde auctoritatem ex verbis Domini Dei sui, a quo per Evangelium audit remitti peccata non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. . . Quae secundum nobis occultas dispensationes justitiae et misericordiae Dei piis operibus bonorum vivorum, aut tempore breviantur, aut qualitate mitigantur, ad remedium bonorum, sed imperfectorum mortuorum. Quos bonorum, quia non excidunt a salute; imperfectos, quia indigent purgatione. Quae purgatio ab aeterna damnatione discernens, aut per occultum Dei iudicium reis illis pro qualitate reatum exhibetur, aut per inexhaustam ejus bonitatem Ecclesiae sacrificiis, orationibus, elemosynis et his similibus recompensatur, quia manet verax veritatis sententia remitti peccata, hoc est poenam peccatorum, aliquando in hoc saeculo, aliquando in futuro*" (M.L. 189, 820 sq.).

Propterea *saec. 13* explicite proponitur a magnis doctoribus doctrinā de applicabilitate ad defunctos indulgentiarum ab Ecclesia concessarum, imo a quibusdam proponitur *ipsa praxis* eas indulgentias defunctis applicandi, utut fortasse indebite et ex privata auctoritate inducta, seu potius ex propria interpretatione concessionis factae a praelatis. Praecipui hujus aetatis doctores haec habent:

Alex. Halensis: "Illis qui sunt in purgatorio potest fieri relaxatio per modum suffragii sive inpenetrationis et non per modum judicariae absolutionis sive commutationis."¹⁰

Albertus M.: "Quaeritur, Utrum indulgentia possit dari tam vivis, quam mortuis qui sunt in purgatorio vel in inferno? Videtur autem, quod sic: quia Ecclesia praedicat crucem, et facit praedicari pro se et duabus vel tribus vel quandoque decem animabus tam vivorum, quam mortuorum, ad electionem cruce signati: sed illae animae sunt quandoque in inferno, quandoque in purgatorio, quandoque autem sunt adhuc vivorum: ergo videtur, quod indulgentia crucis valeat omnibus illis quae dictae sunt animabus. Adhuc, Suffragia Ecclesiae se exten-

¹⁰ Summa theol., p. 4, q. 23, m. 5.

dunt ad existentes in purgatorio, quia aliter Ecclesia incassum offerret pro illis: et secundum quamdam opinionem se extendunt ad existentes in inferno: sed indulgentiae de praecipuis suffragiis sunt Ecclesiae: ergo videtur, quod indulgentiae se ad omnes illos extendant. . .

“Ad id quod quaeritur . . . , videtur sine praepudicio dicendum, quod existentibus in inferno nihil prosunt indulgentiae: sed existentibus in purgatorio prosunt multum. . . Ad hoc autem quod primo objicitur, dicendum quod ego numquam vidi talem formam in aliquo authentico emanare a curia: sed potius semper adjungitur: ‘Confessis et poenitentiam suscipientibus, vel qui confessi sunt et poenitentiam susceperunt:’ illi autem omnes vel sunt in via adhuc poenitentes, vel in purgatorio satisfaciendo luendo in poenis quod fecerunt: et ideo tantum illis valet. Si autem aliqua alia forma emanaret, quae de his mentionem non faceret, tamen ita deberet intelligi. Ad aliud dicendum, quod sicut infra probabitur, suffragia Ecclesiae non prosunt damnatis ad poenae mitigationem vel absolutionem vel suspensionem, nisi valde per accidens ad quamdam minutionem poenae quae dicitur ‘vermis conscientiae’: et ideo ex hoc non inferitur, quod indulgentiae prosint talibus.”¹¹

Bonaventura: “Dico . . . quod, quia bona et thesaurus Ecclesiae est in Summi Pontificis potestate, et illi qui sunt in purgatorio ratione caritatis idonei sunt spiritualia beneficia recipere, quod Papa potest eis bona Ecclesiae communicare. Quantum autem ad auctoritatem iudicandi, cum illi iam exierint forum Ecclesiae et ecclesiasticum iudicium, videtur quod eis non possit fieri absolutio nisi per modum deprecationis, et ita, proprie loquendo, non fit eis relaxatio; sed si large dicatur relaxatio cuiuscumque auxilii impensio et bonorum Ecclesiae communicatio, sic potest eis relaxatio fieri; sed hoc non tenet modum iudicii, sed potius suffragii. — Amplius, relaxatio proprie dicta non tantum dicit iudicariam absolutionem, verum etiam dicit aliquam commutationem in poenam aliquam voluntarie assumptam et cum devotione; et hoc videmus in omnibus indulgentiis; hoc autem non potest esse quantum ad eos qui sunt in purgatorio, quia sunt extra statum illum in quo posset eis persuaderi alicuius poenae devota et voluntaria assumptio: et ideo non competit eis relaxatio nisi forte per medium sive per accidens. Si quis enim vellet crucem pro mortuo patre assumere, *non est aliquatenus negandum, quodsi voluntas sit Summi Pontificis, quin indulgentia illi prosit.*”¹²

¹¹ In 4 Sent., dist. 20, a. 18, Opera omnia, v. 29, Parisiis, p. 853–855.

¹² In 4 Sent., dist. 20, pars 2, a. un., q. 5, Opera theologica selecta, editio minor, t. 4, Quaracchi, 1949, p. 527.

S. Thomas, Suppl., q. 27, a. 3, ad 2: "Opus proprium potest quis applicare per intentionem cuicumque voluerit: et ideo potest pro quocumque vult, satisfacere. Sed indulgentia non potest applicari ad aliquem, nisi ex intentione ejus qui dat indulgentiam. Et ideo cum ipse applicat ad facientem, vel dantem hoc, aut illud, ille non potest qui hoc facit, ad alterum hanc intentionem transferre. *Si tamen sic feret indulgentia:* 'Ille qui facit, vel pro quo fit, habeat tantam indulgentiam,' valeret ei pro quo fit. Nec tamen iste qui facit hoc opus, daret alteri indulgentiam, sed ille qui indulgentiam sub tali forma facit."

Ibid., q. 71, a. 10: "Si . . . sit talis indulgentiae forma: 'Quicumque facit hoc, vel illud, habebit tantum de indulgentia,' ille qui hoc facit, non potes fructum indulgentiae in alium transferre, quia ejus non est applicare ad aliquem intentionem Ecclesiae, per quam communicantur communia suffragia, ex quibus indulgentiae valent, ut jam supra dictum est (quaest. XXVII, art. 3, ad 2). *Si autem indulgentia sub hac forma fiat:* 'Quicumque fecerit hoc, vel illud, ipse, et pater ejus, vel quicumque alius ei adjunctus, in purgatorio detentus, tantum de indulgentia habebit,' talis indulgentia non solum vivo, sed etiam mortuo proderit" (cf. reliqua verba hujus textus, cit. in art. 109, p. 954 sq.). S. Doctor in hoc textu respondet sequenti objectioni: "Videtur quod indulgentiae quas Ecclesia facit, etiam mortuis prosint. Primo *per consuetudinem Ecclesiae*, quae facit praedicari crucem, ut aliquis indulgentiam habeat pro se, et duabus vel tribus, et quandoque etiam decem animabus tam vivorum quam mortuorum; quod esset deceptio, nisi mortuis prodessent. Ergo indulgentiae mortuis prosunt" (*ibid., ob. 1*).

Scoti sententia sic refertur a *Montefortino*, juxta illius doctoris opus (non certe tamen authenticum) "Miscellanea": "Respondeo dicendum, [*Miscell.* q. 4, n. 20, per tot.] Ecclesiae indulgentias haud prodesse animabus existentibus in Purgatorio, nisi id expresse caveatur ab eo qui Indulgentias in Ecclesia rite distribuit. Etenim, iuxta dicta, *q. 27, art. 3*, nemo Indulgentias lucrari pro seipso potest, nisi exequatur opus iniunctum ab eo, qui Indulgentias lucrandas edicit et distribuit; ut puta, nisi visitaverit hanc vel illam Ecclesiam, seu fecerit hoc aut illud opus; quia virtus dirigens et applicans merita Christi, caeterorumque Sanctorum in thesauro Ecclesiae asservata, est ipsa intentio Praelatorum Ecclesiae, quibus vel de Iure vel ex commissione incumbit munus dispensandi Indulgentias; igitur nemo ultra praescriptum intentionis eorumdem Indulgentias sibi acquirere potest.

"Mortui igitur cum nequeant ea opera exhibere, cum quibus coniuncta

est Indulgentiarum acquisitio, nec ipsas lucrari valent Indulgentias. *Neque viventibus pro illis eas adipisci licet aut permittitur, nisi diserte caveatur*, et intentio Indulgentias facientis exprimitur his aut consimilibus verbis: placere sibi et permittere, ut lucrari queant etiam pro defunctis, seu in subsidium et suffragiorum defunctorum, ab iis qui vice illorum nequeuntium voluerint subire opera iniuncta pro eiusmodi Indulgentiis lucrandis."¹³

Ut patet hi doctores, admissa possibilitate translationis indulgentiae ad defunctos, pro casu quo id ab Ecclesia explicite permittatur juxta concessionis tenorem, dubitanter loquuntur de ipso facto hujusmodi concessionis eo tempore. Saltem Albertus M. et S. Thomas, in proposita sibi objectione quam resolvunt, testantur "*consuetudinem Ecclesiae*, quae facit praedicari crucem, ut aliquis indulgentiam habeat pro se, et duabus vel tribus, et quandoque etiam decem animabus tam vivorum quam mortuorum". Quod autem attinet ad interpretationem hujusmodi concessionis, an scilicet agatur de vera indulgentia pro defunctis, ut videtur tenere obiciens, S. Thomas nihil dicit, sed tantum respondet in forma hypothetica ("Si autem indulgentia sub hac forma fiat . . ."), innuens se de hac re dubitare; Albertus M. vero videtur rem admittere, nam loquitur absolute, alludens ad authentica documenta ("Indulgentia . . . existentibus in purgatorio prosunt multum", "Et ideo tantum illis valent"). Unde dicendum videtur quosdam doctores, vel saltem indulgentiarum quaestores, eo tempore concessionem ecclesiasticam interpretatos esse ut defunctis applicabiles, etsi forte in bullis nihil explicite diceretur, alios vero de hac re dubitasse, nec proinde esse improbable tunc de facto jam extitisse quasdam indulgentias pro defunctis.

Nec contrarium necessario eruitur ex eo quod initio *saec. 14 Conc. Viennense* a. 1312 damnavit abusus quorundam quaestorum qui "indulgentias populo motu suo proprio de facto concedunt . . . , animas tres vel plures parentum vel amicorum illorum qui eleemosynas illis conferunt, de purgatorio (ut asserunt mendaciter) extrahunt et ad gaudia paradisi perducunt" (cf. totum documentum, cit. in p. 847); nam haec reprobatio potest referri ad solum abusum concedentium indulgentias "motu proprio" et ob simoniacos fines.

De facto tamen nulla noscitur *certa concessio* indulgentiae pro defunctis, lata ante *saec. 15*. Rem videntur excludere tum haec ipsa verba *Conc. Viennensis*, tum oppositio supradictorum doctorum (cf. in p. 1095) negantium ipsam rei possibilitatem, tum verba quibus circa

¹³ *Montefortino*, Ioannis Duns Scoti Summa Theologica (Suppl., q. 71, a. 10), t. 6, Romae, 1903, p. 706 sq.

finem saeculi 14 Wicleff (cit. in p. 889. 1097) impugnat hujusmodi indulgentias, nunquam alludens ad factum concessionis, sed mere reiciens scholasticorum doctrinam de possibilitate eas concedendi. Indulgentia autem Portiunculae, probabiliter ipsi S. Francisco Assisiensi ab Honorio III concessa a. 1216 et certe in communi usu jam tempore Bonifacii VIII († 1303), nonnisi a. 1687 ab Innocentio XI declarata fuit applicabilis defunctis; unde non recte scribit *Diekamp*: "Saeculo 14 jam vigeat consuetudo indulgentiae portiunculae 'toties quoties' pro defunctis lucrandi".¹⁴

Prima S. Sedis concessio, cujus ex coaevis fontibus certa notitia habeatur, facta est a *Callisto III* a. 1457, in quadam epistola ad Henricum IV regem, in favorem eorum qui arma contra Mauros suscepissent.¹⁵ Prima vero concessio, de qua ipsum documentum possideamus, facta est a Sixto IV a. 1476 in supra relata (in p. 848 sq.) bulla in favorem ecclesiae S. Petri in civitate Sanctonensi, cujus sensum idem S. Pontifex bis authentice declaravit, praecipue in bulla "Romani Pontificis" a. 1477 (cit. *ibid.*), finem imponens negationi vel dubitationi quorundam theologorum circa hujusmodi Ecclesiae potestatem.

Sequenti tempore concessionem multiplicatae sunt, et praeterea ipsa Ecclesiae potestas in hac re doctrinaliter proposita est in documentis Leonis X, Pii VI, Gregorii XVI et Codicis J. C. (cf. in p. 850–853). Praecipuae concessionem sunt: supradicta *indulgentia Portiunculae*, quae ex sanctuario S. Mariae ab Angelis ad omnes ecclesias trium S. Francisci Ordinum et deinceps ad innumeras alias ecclesias extensa est; indulgentia toties quoties a Pio X concessa in *die Commemorationis omnium fidelium defunctorum*, quam fideles lucrari possunt in omnibus ecclesiis ac oratoriis publicis et semipublicis (S.C.S. Officii, 25 jun. 1914); indulgentia *altaris privilegiati*, quae abstrahendo ab ipso altari Gregoriano, illius praecursore, probabiliter concedi coepit saec. 16 sub Paulo III, deinde multiplicata est sub Gregorio XIII et ad omnes ecclesias patriarchales, metropolitanas et cathedrales extensa est sub Benedicto XII a. 1724;¹⁶ privilegia concessa defunctis *occasione jubilaei*: *Alexander VI* anno sancto 1500 extendit ad defunctos indulgentiam jubilaei,¹⁷ praeterea cum celebratur annus sanctus

¹⁴ Theol. Dogm. (ed. A. Hoffmann), Parisiis-Tornaci-Romae, 1946, v. 4, p. 378.

¹⁵ Cf. *Mariana* cit. a. *N. Paulus* in *Zeitschrift für kath. Theol.*, 24 (1900), p. 249 sq.

¹⁶ In art. 111 (p. 1019 sqq.) diximus de *efficacia hujus indulgentiae*, juxta declarationem S. C. Indulgentiarum, et in art. 113 (p. 1033) de sensu *altaris privilegiati pro vivis*.

¹⁷ Bulla "Inter curas multiplices": "Et ut animarum salus eo tempore potius procuraretur quo magis aliorum egent suffragiis, et quo minus sibi ipsis proficere valeant, auctoritate Apostolica de thesauro S. Matris Ecclesiae, animabus in Purgatorio existentibus, quae per charitatem ab hac luce Christo unitae decesserunt, et quae, dum viverent, sibi ut hujusmodi indulgentia suffragaretur meruerunt, paterno affectu, quantum cum Deo possumus,

suspenduntur aliae indulgentiae, sed inde a Clemente X (1675) semper ab hac consuetudine excipiuntur indulgentiae pro defunctis (sive altare privilegiatum sive aliae), imo conceditur ut omnes indulgentiae, quae extra hoc tempus pro solis vivis acquiri possunt ac proinde tunc pro eis suspenduntur, possint nihilominus acquiri pro defunctis.

Quanam sint hodie indulgentiae generaliter applicabiles defunctis, vel solis defunctis, et quod solus S. Pontifex possit indulgentias pro defunctis concedere, dictum est in art. 113 (p. 1046 sq.).

Praedicta Ecclesiae benignitas ac largitas in favorem defunctorum, olim occasionem praebuit *quorundam praedicatorum exaggerationibus et plurium quaestorum abusibus* (jam non semel memoratis, in p. 840 sq. 876 sq. 882. 1076 sq.), qui quidem facilius in praedicatione et usu harum indulgentiarum contingere potuerunt, quique facilem ansam praebuerunt impugnationibus Novatorum.

Ad rem *Galtier*: "Malheureusement, l'usage d'accorder des indulgences pour les morts, en se combinant avec celui de les attacher à de simples aumônes ou offrandes en argent, devait avoir pour effet de multiplier encore les abus auxquels cette dernière coutume avait toujours donné lieu. Plus la nouvelle utilisation des indulgences les devait rendre populaires, plus les profits à en résulter devaient tenter les convoitises. Le danger avait toujours été de ne voir dans les indulgences-aumônes que des sources de revenu. Il allait être désormais qu'on spéculât sur l'empressement des fidèles à soulager les âmes de leurs parents défunts. Une grande discrétion dans la concession, la publication et l'explication des indulgences aurait donc dû le prévenir. On sait que le contraire se produisit: c'est à partir de cette époque que furent portés à leur comble les abus exploités par la Réforme protestante."¹⁸

Hinc nota expressio, attributa Cardinali *Peraudi*, promulgatori indulgentiarum in Germania: "Dumtaxat danda est taxa in capsâ" ad lucrândam indulgentiam pro defunctis; item, sequens propositio ab *universitate Sorbonica*, a. 1482 damnata: Animam de purgatorio immediate evolare "si quis vivorum pro ea anima sex albos dederit per modum suffragii seu elemosynae in reparationem ecclesiae Sancti

succurrere cupientes, de divina misericordia de potestatis apostolicae plenitudine volumus et concedimus, ut si qui parentes, amici, ac coeteri christi fideles pietate commoti, pro ipsis animabus purgatorio igni, pro expiatione poenarum ejusdem, secundum divinam justitiam debitaram, expositis, dicto anno Jubilaei durante, pro reparatione dictae Basilicae S. Petri, aliquam elemosynam juxta dictorum poenitentiariorum, vel alicujus eorum, ordinationem, dictas Basilicas et Ecclesias modo praemisso devote visitando, in capsâ in eadem Ecclesia seu Basilica S. Petri deputata posuerint, ipsa plenissima Indulgentia per modum suffragii ipsis animabus in Purgatorio existentibus, pro quibus dictam elemosynam pie erogaverint, pro plenaria poenarum relaxatione suffragetur" (apud *Amort*, De origine, progressu valore ac fructu indulgentiarum, p. 1, sect. 3, n. 20).

¹⁸ In Dict. Apol., art. Indulgences, col. 737.

Petri Xantonensis"; item, notum effatum: "Cum aurum arcam onerat, ex igne anima evolat", quod *Lutherus* (thes. 27) sub his verbis tribuit ipsis praedicatoribus indulgentiae, nominatim Joanni Tetzl: "Statim ut jactus nummus in cistam tinnierit, evolare dicunt animam" (ex quo germanicum dictum: "Sobald das Geld im Kasten klingt, — Die Seele aus dem Fegfeuer springt").

D. SOTO († 1560) contra supradictas piorum exaggerationes sic invehitur: "Nostris . . . temporibus usque adeo piorum clementia erga animas, quae in purgatorio cruciantur, succrevit, ut importunis supplicationibus a summo Pontifice concessio fuerit extorta ut qui tangendo quendam benedictum calculum, Ave Maria, vel Pater noster, recitaret, animam inde, quantocumque tempore cruciari deberet, eriperet, ut protinus libera evoleret. Hanc ergo non dicam piam fraudem, quia haereticorum verbum est, sed tamen citra religionis injuriam posset hoc populo dissuaderi. Primum, quia hic nulla interest causa pia in communem utilitatem ecclesiae: nam pius affectus in defunctos non reputatur causa, ut diximus. Illa enim ratione Deus per se animas omnes inde liberaret. Secundo, quia neque ex parte facientis quod indulgentia iubet, aliquid praestatur, quod ad tam ingentem effectum ullius sit momenti. Quid enim refert dicere, Pater noster, ut anima a tam immodicis tormentis eruatur? Profecto dirae crudelitatis argueretur Deus, si animam tribus annis tam atrociter contorqueret, cuius tamen liberatio ex uno, Pater noster, penderet, et calculi tactu. Praesertim, quia papa non potest defunctis indulgentias conferre per modum absolutionis, ut vivis, sed per modum suffragii. Et ideo mirabile est quod per unum, Pater noster, thesaurum ecclesiae, tam insignis effectus applicetur. Praeterquam quod illa oratio plurimum ab iis, qui sunt in peccato mortali, quae ideo apud Deum nullius valoris est, concessit papa quantum concedere potuit, sed non est credendum credidisse suam concessionem tanti esse, quanti supplicatores putabant.

"Atqui si sub hac populari opinione nihil aliud nocumenti lateret, quam quod forte populum fallit, nullum esset periculum illam relinquere propter imaginem religionis, quam habet. Sed tamen illi, qui illam crederent, metus purgatorii radicitus evelleretur. Id enim quod praeter infernum homines a peccato arcet est, purgatorium, et tamen si tam facile evaderetur, nullum posset ingenerare metum. Unde Adrianus ipse, qui papa fuit, non fuit veritus dicere in citata quaest. de clavibus, quod cum praelatus pro exilii causa: puta, omnibus contribuentibus unum stuferum dat plenam omnium peccatorum remissionem, dissipatio est, et non dispensatio indulgentiarum, et tenet solum pro ea parte, in qua rationabilis fuerit."¹⁹

Praedicto Ecclesiae sensui ac praxi accedit etiam *CONSENSUS ORIENTALIUM SCHISMATICORUM*, uti dictum est in art. 107 (p. 843–845).

Jugie, verbis quae ex ipso ibidem recitavimus, haec addit: "De ultima forma indulgentiarum apud Graecos seu *synchorochartiis* quaedam dictis supra . . . adjicere operae pretium ducimus. Quantum conjicere possumus, origo chartarum condonatarum a *litteris confessionalibus* Latinorum repetenda est. Patriarchae siquidem orientales, Romanorum pontificem quibusdam fidelibus *confessionalia* concedere videntes, ejusdem modi litteras et ipsi tribuere voluerunt, ne in hoc

¹⁹ In 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 2, ed. Venetiis, 1575, t. 1, p. 997.

papae inferiores viderentur. Prima *συγχωροχάρτια* a patriarchis orientalibus concessa non videntur esse saeculo XV antiquiora. . .

“Ad chartas condonativas pro mortuis quod attinet, quasdam formulas invenies apud . . . Goarium, p. 543–547; ex quibus aliquae rationem indulgentiae plenariae habent cum absolutione generali omnium peccatorum et vinculorum; aliae vero sunt absolutiones ab omni maledicto et excommunicatione. *Συγχωροχάρτια* pro mortuis adhuc concedunt patriarchae orientales. Unum a patriarcha Constantinopolis Callinico II anno 1698 datum edidit Papadopulus Kerameus in tomo XIII collectionis Hurmuzaki: ‘Teste greçesti privitoare la istoria românescă, Bucarestii, 1909, p. 389–392. Aliud invenies in ‘Revue Augustienne’, t. X (1907), p. 312–313, a Constantio I, patriarcha Constantinopolitano anno 1833 concessum pro quibusdam defunctis eparchiae Caesareae in Cappadocia. Tertium ab Anthimo VI Constantinopolitano anno 1846 tributum exhibet M. Malatakis in suo opusculo: ‘Réponse à la lettre patriarchale et synodale de l’Eglise de Constantinople’, Constantinopoli, 1896, p. 64. In Ecclesia russica autem, ubi patriarcha non erat qui *συγχωροχάρτια* pro defunctis concederet, mos invaluit formulam *συγχωροχαρτίου*, quod Russi *razrêchitelnaia molitva* appellant, super mortuum recitandi. Ipse textus hujus absolutionis typis impressus in manus cujusque defuncti traditur.

“Quaedam autem *συγχωροχάρτια* sunt simul et pro vivis et pro defunctis. Ex istis unum publicavit L. Petit in t. XXXIX collectionis Mansianae, col. 973–977, a Neophyto VII, patriarcha Constantinopolitano, anno 1792 concessum monachis coenobii Xeniae et metochiorum ejus in dioecesi Zetunii sitorum. Idem diploma jam ediderat N. J. Giannopulus in diario *Δελτίον τῆς ἱστορικῆς καὶ ἐθνολογικῆς ἐταιρίας τῆς Ἑλλάδος*, t. IV (Athenis, 1892), p. 666–670.”²⁰

Probatur 2. EX IPSA POTESTATE CONCEDENDI INDULGENTIAS, seu dispensandi thesaurum, quam Christus dedit Ecclesiae quamque generaliter stabilivimus in art. 107 sq.

Ex consideratione enim omnium elementorum, quae ad hanc potestatem ejusque exercitium referuntur, apparet nihil obstare quominus haec potestas et haec thesauri dispensatio exerceatur etiam quoad defunctos.

Ex parte ipsius potestatis nihil obstat. Nihil enim obstant verba quibus Christus dedit hanc potestatem, scilicet “Quodcunque solveris *super terram*”. Nam attributio “*super terram*” non necessario est

²⁰ Theologia dogmatica christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 380 sq. 383 sq. Cf. varias formulas indulgentiarum pro defunctis, relatas ibidem, p. 386–389.

referenda ad ipsum subjectum vel poenam quae solvitur, sed potest referri ad ipsum actum solutionis, qui revera exercetur super terram, etsi in favorem eorum qui hanc terram reliquerunt. Nec obstat ipsa indoles potestatis, et signanter *jurisdictionis*; nam, ut dictum est in art. 109 (p. 949 sqq.), indulgentia potest fieri per actum jurisdictionis attingentem dispensationem thesauri necnon ipsos vivos, quibus mediantibus, effectus dispensationis transferatur ad defunctos.

Ex parte immediati effectus, vel, si placet, fundamenti indulgentiae, seu *dispensationis thesauri*, nihil obstat. Nam thesaurus iste est a sanctis acquisitus et ordinatus in bonum totius corporis mystici ad quod etiam defuncti pertinent, non minus quam vivi, ratione gratiae sanctificantis quae est fundamentum et vinculum corporis mystici. Imo, cum defuncti magis indigeant spirituali auxilio aliorum membrorum, eo quod sibi ipsis jam amplius succurrere nequeant, thesaurus ille potiori ratione ordinatur in ipsorum levamen, quam vivorum.

Ex parte ultimi effectus, seu remissionis poenae temporalis, nihil obstat. Non enim obstat *ratio poenae*, nam defuncti veram temporalem poenam patiuntur, et quidem majorem ea quam pro iisdem peccatis debuissent in terris sustinere, si pro ea tunc satisfecissent. Nec obstat *ratio remissionis*, quae videtur excludi per ipsam irreformabilem sententiam divinam qua ad suas poenas defuncti deputati sunt; nam, ut dictum est in art. 111 (p. 1023), animae purgantes acceperunt sententiam definitivam quantum ad destinationem ultimi finis et quantum ad hoc ut solvant poenam usque ad ultimum quadrantem, cui non refert quod solvant per propriam aut per alienam satisfactionem, alioquin, ut ibidem dictum est, neganda esset etiam efficacia generalium suffragiorum pro defunctis. Ex quorum generalium suffragiorum efficacia desumitur validissima ratio paritatis, imo a fortiori, pro efficacia ipsarum indulgentiarum.

Ex parte ipsius subjecti nihil obstat. Non obstat imprimis defectus *status viatoris*; nam animae purgantes non sunt in statu termini, simpliciter loquendo, sed tantum quoad destinationem, de facto enim nondum attingerunt possessionem finis ultimi sed ab eo separantur ratione poenae adhuc expiandae, et hoc sensu dici possunt secundum quid in statu viatoris. Nec obstat impossibilitas adimplendi *opus iniunctum* ab Ecclesia ad lucrandam indulgentiam; nam hoc opus adimpleri potest per vivos, quibus mediantibus dicimus indulgentiam transferri ad defunctos, nec ceteroquin praescriptio operis est necessaria ad concessionem indulgentiae, ut dictum est in art. praec. (p. 1074–1076).

Unde concludendum est cum S. Thoma: "Non . . . est aliqua ratio quare Ecclesia transferre possit communia merita, quibus indulgentiae innituntur, in vivos, et non in mortuos" (*Suppl.*, q. 71, a. 10).

NOTA 1. *De essentia indulgentiae pro defunctis*, sufficienter egimus in art. 109 (p. 943 sq. 949 sqq.), ubi diximus eam esse verum *actum jurisdictionis* exercitium immediate in vivos; relate vero ad defunctos illum exerceri, ut dicitur, *per modum suffragii*, ratione mediationis vivi et translationis dispensationis thesauri.

NOTA 2. *De efficacia ex opere operato et infallibiliter*, dictum est in art. 111 (p. 1014–1025).

NOTA 3. *Conditiones ex parte concedentis* sunt tum *legitima auctoritas*, quae in R. Pontifice ex proprio jure habetur nec de facto in hodierna disciplina ulli alio communicatur, ut dictum est in art. 114 (p. 1059), tum *intentio* explicite significata ut indulgentia valeat pro ipsis defunctis, juxta quam intentionem indulgentiae dividuntur in pro vivis, pro defunctis et pro vivis ac defunctis, ut dictum est in art. 113 (p. 1046 sq.). Unde generalis indulgentia, concessa pro omnibus fidelibus, non intelligitur applicabilis defunctis, tum quia sub expressione "pro fidelibus" solent ex usu Ecclesiae intelligi soli vivi et quando agitur etiam de defunctis dici solet "Pro fidelibus vivis et defunctis", tum quia non eodem modo indulgentia conceditur utrisque, sed illis per modum absolutionis et istis per modum suffragii seu mediationis et translationis per vivos, et ideo oportet ut intentio concedentis explicite declaretur, ut sciatur quibus et quo modo indulgentia conceditur, ut significant S. Thomas et Bonaventura (cit. 1004 sq.).

NOTA 4. *Conditiones ex parte subjecti*.

In *vivo* cui directe conceditur indulgentia pro defuncto requiritur *intentio* et *status gratiae*, ut dicitur in art. seq. (p. 1124–1132. 1136).

In ipso vero *defuncto*, pro quo indulgentia conceditur, requiritur praeter statum gratiae, qui necessario adest, *remotio peccati venialis* quae, in probabili sententia S. Thomae, non necessario adest, necnon *fortasse peculiāres quaedam conditiones*, a Deo appositae ac nobis ignotae, ut explicatum est in art. 111 (p. 1020–1025) ubi de infallibilitate efficaciae hujusmodi indulgentiae. Patet autem inter eas occultas conditiones nequaquam esse reponendam immunitatem ab haeresi, schismate et excommunicatione, nec ipsam separationem a corpore Ecclesiae ob defectum Baptismi, nam in Purgatorio omnia haec visibilis societatis vincula discedunt, sola manente unitate corporis mystici per gratiam sanctificantem; unde *haeretici, schismatici, excommunicati*,

catechumeni et *pagani*, qui in gratia Dei de hoc saeculo in Purgatorio discedunt, sunt subiectum capax indulgentiae. *Intentio* praeterea suscipiendi fructum indulgentiae, in defuncto necessaria non est, tum quia haec indulgentia fit per modum suffragiorum, quae etiam inter vivos transferuntur absque explicita acceptatione subiecti, tum quia secus requireretur specialis revelatio Dei facta unicuique defuncto, quoties pro eo indulgentia applicatur.

Ad rem *SUAREZ*: "Altera etiam sententia potest hoc loco tractari, quae requirit in anima defuncti, pro qua indulgentiam lucratur, notitiam aliquam, et acceptationem beneficii sibi impensi. Sed hanc sententiam apud nullum auctorem invenio praeter Hostiensem in c. 'Ex eo', de Poenit. et remiss. n. 5, ubi varias requirit conditiones ad lucrandam indulgentiam, quarum aliqua cognitionem, et justam illius existimationem supponunt. Sed ille non loquitur de indulgentiis pro defunctis, quas alibi negat concedi posse, neque illae conditiones etiam in viventibus necessariae sunt, sed solum quae in superioribus sunt assignatae. Illa ergo specialis notitia non est necessaria in anima liberanda a purgatorio per indulgentiam; quia, per se loquendo, nihil confert ad effectum ejus. Unde incertum est, an Deus illam conferat per specialem revelationem.

"Neque etiam ad fructum indulgentiae obtinendum necessarium est, specialiter credere, aut sperare, hanc indulgentiam mihi applicatam, futuram esse fructuosam, ut ea ratione ejus notitia necessaria sit; nam illa fides neque est dispositio ad gratiam, neque ad remissionem poenae temporalis, ut per se constat. Unde etiam inter viventes is, qui lucratur indulgentiam, potest in particulari judicare, et fortasse etiam speculative credere hanc concessionem indulgentiae non esse validam, et nihilominus necessariam diligentiam adhibere, ut, si fortasse valida est, obtineat ejus effectum, quem sine dubio consequetur, si concessio revera fuit valida, quia illa dubitatio vel credulitas non esset peccaminosa, nec ponit obicem effectui indulgentiae. Sufficit ergo generalis fides de potestate concedendi indulgentias, quatenus necessaria est vel ad statum gratiae et justitiae, ad quem aliquando sufficet implicita fides de tali articulo, vel ad operandum pro indulgentia lucranda, quia hoc fieri non potest sine cognitione illius.

"Animae autem purgatorii non hoc modo operantur, sed recipiunt fructum aliorum opera comparatum, unde neque ex hoc capite est illis necessaria illa cognitio. Nec denique talis cognitio est illis necessaria propter acceptationem, tum quia haec acceptatio potius necessaria est ex parte Dei, quam ex parte illarum; tum etiam quia sufficit eis illa voluntas generalis, qua desiderant satisfacere Deo, quam citissime valeant, et omnibus modis quibus id fieri possit, quamquam nec voluntas haec actualis esset per se necessaria, sed sufficeret virtualis seu habitualis, in ipso statu gratiae implicite contenta."²¹

NOTA 5. *Quoad subjectum, quidam auctores agitant quaestionem an eadem indulgentia possit applicari pluribus simul defunctis, et an, sic applicata, omnibus prosit.*

Quod eadem indulgentia possit valide et licite pluribus (imo et omnibus) defunctis applicari, certum est, ut patet tum ex eo quod eodem modo applicantur alia suffragia, tum ex eo quod nulla obstat contraria Ecclesiae declaratio aut intentio, ex qua valor indulgentiae

²¹ De Poenitentia, disp. 53, sect. 4, n. 10, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1113 sq.

dependet, quin potius in collectione indulgentiarum cui titulus 'Raccolta di orazioni e pie opere. . .' (Roma, 1886, p. VII) dicitur quod ut indulgentia prosit defunctis sufficit generalis applicatio, et S. C. Indulgentiarum, 19 jun. 1880, declaravit, in quodam decreto de Trappensibus, in altari privilegiato celebrantibus pro pluribus defunctis, hanc indulgentiam non evasisse inutilem ex eo quod non fuerit applicata uni tantum animae determinatae.

Utrum autem indulgentia pro pluribus applicata prosit omnibus, controvertitur. Quidam praeferunt opinionem negativam, praecipue quod attinet ad indulgentiam plenariam, dicentes talem indulgentiam prodesse uni tantum defuncto, a beneplacito divino eligendo; in confirmationem adducunt hanc S. C. Indulgentiarum responsonem in supradicto decreto de Trappensibus: "Num apud Trappenses in Missa, quae quotidie celebratur pro pluribus (fratribus scil. propinquis et benefactoribus), indulgentia altaris ad unum ex iis limitetur. . . [Resp.] Affirmative" (cf. *Nouv. Revue Théol.*, t. 12, p. 218 sqq.; t. 18, p. 261 sq.).²²

Ita *Fanfani* scribens: "Quomodo vero id contingere possit, non est facile dictu: duplex datur probabilis solutio, idest *vel* quod Deus determinat in casu certam mensuram, eam dividens inter plures; vel quod Deus eligit unam animam, cui indulgentiam applicat. . . Quamvis responsum [S. C. Indulg.] . . . ad indulgentiam plenariam altaris privilegiati tantum referatur, coniecere nihilominus ex eo licet eandem esse mentem S. Sedis quoad alias plenarias indulgentias defunctis applicabiles: quare secunda sententia, scilicet indulgentiam plenariam uni tantum animae ab ipsa divina iustitia vel misericordia determinandae prodesse, tanquam verior ac conformior doctrinae Ecclesiae retinenda videtur."²³

Similiter sentit *Heylen* (qui tamen indivisibilitatem fructus indulgentiae plenariae inter plures animas, repetit ex sola intentione concedentis), scribens: "Posset equidem una et eadem indulgentia inter plures dividi, id quod facilius intelligitur de indulgentiae partiali, cujus certa mensura est divisibilis; ac etiam concipi valet de plenaria, quatenus Deus certam quamdam mensuram determinaret ac divideret inter plures. . . Verum tamen . . . quod una eademque indulgentia *ex mente concedentis* sit divisibilis inter plures, fundate ambigitur, praesertim quoad indulgentiam plenariam. Etenim S. C. Indulgentiarum, 19 Iunii 1880 (D. a., n. 451), ad dub. II: 'Num apud

²² Ipsa Sacra Poenitentiarum, interrogata: "An privilegium altaris applicari possit pluribus defunctis pro quibus Missa celebratur", die 6 iulii respondit: "Negative".

²³ De indulgentiis, Taurini-Romae, 1926, p. 35.

Trappenses in Missa, quae quotidie celebratur pro pluribus (fratribus scil. propinquis et benefactoribus), indulgentia altaris ad unum ex iis limitetur' respondit: 'Affirmative.' Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, t. xii, pp. 518 ss. Idemque declaravit in una *Viennen.* 18 Decembris 1885. Cfr. *Nouv. Rev. Théol.*, t. xviii, p. 261 s. Quamvis haec decreta tantum referantur ad indulgentiam plenariam altaris privilegiati, con- jicere tamen licet eamdem esse mentem S. Sedis quoad alias indulgen- tias, saltem plenarias, defunctis applicabiles, it ut quaevis indulgentia plenaria uni tantum prodesset animae, quam Deus plane liberaret si divina justitia et misericordia ita permitterent."²⁴

Attamen, quod attinet ad ipsam rei naturam, nihil videtur ob stare quominus indulgentia, sive partialis sive etiam plenaria, dividatur inter plures, ut ipse Heylen admittit. Quoad indulgentiam partialem id facile patet, cum consistat in determinata quantitate (puta 40 dierum); quoad indulgentiam vero plenariam concipi potest aliqua ejus conversio in varias partiales, mensuranda pro varia conditione defunctorum quibus applicatur, juxta dicta superius (p. 1040) de vivis acquirentibus partialem indulgentiam, si non possint plenariam lucrari. Unde hic applicari potest quod generaliter de suffragiis ait *S. Thomas*: "Effectus suffragiorum dividitur ex divina justitia inter eos pro quibus suffragia fiunt" (*Suppl.*, q. 71, a. 13). Quod attinet vero ad mentem Ecclesiae concedentis, nihil ex praefato decreto necessario deduci potest, cum sit particulare decretum de sola indulgentia plenaria altaris privilegiati, quae videtur ab Ecclesia fuisse concessa ex deter- minato fine adjuvandi individuum aliquam animam Purgatorii.

Ceterum, applicatio indulgentiae pro aliqua determinata anima praeferenda et commendanda est, quia per eam animabus, quas ad- juvare intendimus, fructus indulgentiae provenit tum abundantius tum etiam securius, attento praedicto dissensu doctorum. "Quapropter intendens pro defunctis lucrari indulgentiam, praesertim plenariam, recte aget designando animam cui eam applicare desiderat; super- addendo tamen, si haec capax non fuerit, intentionem conditionatam eam applicandi v.g. animae cui lucrans magis obligatur, vel quae magis indiget, vel etiam intentionem generaliore. Practice, usus laudabilior erit formare intentionem suffragandi primum illis anima- bus erga quas tenemur pietate, justitia, gratitudine, committendo semper distributionem nostrorum suffragiorum sapientissimae clemen- tiae ac misericordiae Dei, vel precando B. M. V., Matrem Miseri- cordiae, ut ipsa dignetur illa distribuere."²⁵

²⁴ De indulgentiis, Mechlinae, 1948, p. 26 sq.

²⁵ Heylen, *ibid.*, p. 27.

**ART. 117. Utrum Recte Enumerentur Sex Conditiones, In Sub-
jecto Requisitae Ad Validam Acquisitionem Indulgentiae, Scilicet:
Baptismus, Habitudo Subditi Ad Concedentem, Immunitas Ab
Excommunicatione, Status Gratiae, Intentio Lucrandi, Impletio
Operis Injuncti.**

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de conditionibus subjecti, prout stricte distinguuntur ab ejus capacitate, juxta dicta in art. praec. (p. 1093 sq.) et quidem de *CONDITIONIBUS REQUISITIS IN VIVIS*, quibus proprie indulgentiae dicuntur concedi tam pro se quam pro defunctis; de conditionibus autem requisitis in ipsis defunctis, ad effectum translatae sibi indulgentiae consequendum, dictum est in art. praec. (p. 1112 sq.).

S. Thomas unam conditionem requirit ex parte subjecti, scilicet statum gratiae (duas vero ex parte concedentis), ut dictum est in art. 114 (p. 1048); cujus ratio est quia talis conditio requiritur tanquam ex propriis ac necessariis, attenda ipsa ratione remissionis poenae quae est effectus indulgentiae, cetera vero sequuntur ex communibus aut contingentibus, praecipue ex generali indole indulgentiae, prout est actus potestatis Ecclesiae. Alii auctores enumerant tres tantum proprie dictas conditiones, scilicet statum gratiae, intentionem lucrandi et impletionem operis injuncti. Codex J. C. vero refert omnes sex conditiones in textu articuli relatas, ut supra dictum est (p. 1092 sq.).

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur per partes.

I. BAPTISMUS, SEU RATIO SUBDITI ECCLESIAE.

Non baptizatus (etiam in statu gratiae existens), nequit imprimis lucrari indulgentiam pro se, tum quia non est subditus Ecclesiae in quem exerceri possit actus jurisdictionis indulgentiae, tum quia non est membrum Ecclesiae quod possit directe participare in propriis bonis ecclesiasticae societatis. Praeterea, nequit lucrari indulgentias transferibiles defunctis, ob priorem rationem, quia nempe indulgentia est actus jurisdictionis;²⁶ unde inepte *Cappello* (n. 654) contrarium sustinet, inquires: "Catechumeni verius acquirere valent indulgentias pro defunctis."

²⁶ Vide hanc quaestionem agitatam in *Collationibus Brugensibus*, t. 25 (1925), p. 61.

Posset tamen non baptizatus, si sit in statu gratiae, suscipere fructum indulgentiae, sibi translatae ab acquirente baptizato, si haec translatio ab Ecclesia permetteretur (juxta dicta in art. 113, p. 1034–1036), ob eandem rationem qua id potest non baptizatus degens in Purgatorio (cf. in p. 1112 sq.), i.e. ob unitatem cum corpore mystico et anima Ecclesiae. Quia tamen de facto Ecclesia non permittit translationem indulgentiarum inter vivos (Codex, can. 930, cit. in p. 1032 sq.), simpliciter dicendum est non baptizatum nullatenus esse subjectum indulgentiae.

Verba autem Codicis, can. 925: “Ut quis capax sit *sibi lucrandi* indulgentias, debet esse baptizatus”, non necessario subintelligunt quod non baptizatus possit lucrari pro aliis, puta pro defunctis, sed quod forte, si concedatur ab Ecclesia, alii possint lucrari pro ipso.

II. HABITUDO SUBDITI AD PRAELATUM CONCEDENTEM.

Nonnisi subdito potest indulgentia concedi. Id patet ex ipsa ratione actus potestatis, qui implicatur in concessione indulgentiae quique nequit nisi in subditos exerceri; nec refert quod agatur de potestate non obligativa sed concessiva privilegiorum, nam etiam haec concessio, prout est actus potestatis et jurisdictionis, nequit nisi in subditos exerceri.

Subditus autem praelati, indulgentiam concedentis, aliquis constituitur remote per statum viatoris et Baptismum, proxime vero per designationem contentam in ipsa concessione potestatis praelato, quae quidem fit ex jure divino in R. Pontifice quoad omnes fideles, ex jure vero ecclesiastico, ordinario vel delegato, in aliis praelatis quoad determinatos fideles, juxta dicta in art. 114 (p. 1059–1063).

Unde nec defunctus, nec non baptizatus, nec baptizatus qui non sit praelati concedentis subditus, est subjectum cui possit indulgentia concedi, sive pro se sive pro aliis applicabilis. Potest tamen ad hos transferri indulgentia ipsis subditis concessa, ut nuper dictum est, nisi quoad vivos haec translatio prohiberetur ab Ecclesia.

Ceterum eam subditi habitudinem ad praelatum concedentem *Codex J. C.*, can. 927, sic favorabiliter extendit: “Nisi aliud ex concessionis tenore appareat, indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes”.

III. IMMUNITAS AB EXCOMMUNICATIONE, seu generalius *ratio membri Ecclesiae*, quae non convenit sive excommunicatis, sive haereticis, sive schismaticis, etiam si haeretici et schismatici non essent ipso facto excommunicati, uti reapse sunt ex Codice J. C., can. 2314.

Omnes hi nequeunt sibi lucrari indulgentias, nam per indulgentias dispensantur propria bona communitatis, ad quae sola membra jus habent, ipsi vero non sunt proprie membra, ne quidem mortua, eo quod abruperint unum vel aliud ex tribus vinculis, quibus ecclesiastica communitas coalescit, scilicet unione fidei, regiminis et cultus. Praeterea, ipsa ratio excommunicationis, prout saltem, in sensu pleno intellecta, dicit exclusionem a spiritualibus bonis Ecclesiae, natura sua inhabilitat hominem ad lucrandas sibi indulgentias; hoc sensu nequit S. Pontifex velle concedere indulgentiam excommunicato nisi eo ipso velit, natura prius, auferre excommunicationem, ut dictum est in art. 110 (p. 987 in textu et in nota).

Utrum autem excommunicatus possit lucrari indulgentiam pro aliis, i.e. *pro defunctis* (in casu, ut patet, quod ad eam lucrandam non requiratur impletio operis a quo excommunicatus prohibetur, uti receptio sacramentorum), *controvertitur*. Quidam, ut *Cappello* (n. 654), affirmant, *alii* vero negant, utrimque invocantes paritatem cum simplici peccatore, seu statu gratiae privato, quem priores affirmant, alii vero negant posse talem indulgentiam acquirere. Putamus tamen, independenter ab hac quaestione et ob ipsam specialem rationem excommunicationis seu separationis a membris Ecclesiae, non posse sive excommunicatos sive haereticos sive schismaticos lucrari talem indulgentiam; nam hoc ipsum quod est tum lucrari, tum transferre ad alios bona Ecclesiae, est quaedam interna communicatio cum membris Ecclesiae. Unde, etsi peccator possit has indulgentias lucrari, ut dicemus infra (p. 1130–1132), excommunicatus, seu non membrum Ecclesiae, non potest.

Exinde etiam resolvi potest ulterior quaestio, an scilicet saltem illi excommunicati qui jam in foro interno absoluti sunt a peccato, itemque haeretici et schismatici qui versantur *in bona fide* ac inveniuntur de facto in statu gratiae, possint sibi lucrari indulgentias. Quamvis enim affirmativa responsio quibusdam placeat,²⁷ id negandum est cum aliis, ut *Lépiciér* (p. 568), *Fanfani* (De indulgentiis, n. 25), *Chrétien* (De poenitentia, Metis, 1925, p. 611), *Heylen* (De indulgentiis, p. 44), eo quod, quamdiu subsistit excommunicatio, manet separatio a corpore Ecclesiae, in quo bona indulgentiae distribuuntur. Hanc saltem esse intentionem Ecclesiae colligi potest, ratione paritatis, ex eo quod Codex J. C., can. 731, § 2, prohibet “Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus” (cf. can. 2260, § 1 et can. 1149, ubi excommunicati privantur tum sacramentis, tum etiam sacramentalibus nisi agatur de benedictionibus

²⁷ Ut *A. Legrand*, apud *Collationes Brugenses*, t. 25 (1920), p. 61 sq.

impertiendis "acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem"). Cui sententiae videtur etiam suffragari doctrina exposita a Pio XII in Encyclica "Mystici Corporis Christi", 29 jun. 1943.²⁸ Ceterum potest S. Pontifex praedictis, extra Ecclesiam bona fide versantibus, concedere indulgentiam, at eo ipso levaret, saltem quoad actum, ipsam excommunicationem.²⁹

IV. STATUS GRATIAE, *seu ratio vivi membri Ecclesiae* (Suppl., q. 27, a. 1).

QUOAD INDULGENTIAM PRO VIVIS, conveniunt omnes theologi in affirmandam necessitatem status gratiae, cum ipso Codice J. C., can. 925, dicente: "Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse . . . in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum". Olim tamen id indirecte negarunt quidam doctores mediaevales, quatenus docuerunt effectum indulgentiae esse etiam remissionem peccati mortalis, quos cum S. Thoma retulimus ac refutavimus in art. 110 (p. 969 sq. 973-979), ubi de proprio effectu indulgentiae.

Nec ceterum haec status gratiae necessitas dependet a mera positiva voluntate Ecclesiae, statuentis hanc conditionem ad acquisitionem indulgentiae, sed sequitur ex ipsa natura rei, scilicet ex utroque indulgentiae effectu, qui est dispensatio thesauri et remissio poenae temporalis. Etenim, dispensatio thesauri consistit in translatione satisfactionum inter membra ejusdem corporis mystici, ita ut unum membrum suscipiat influentiam aliorum; jamvero "membrum mortuum non suscipit influentiam ex aliis membris vivis. Sed ille qui est in peccato mortali, est quasi membrum mortuum. Ergo per indulgentias non suscipit influentiam ex meritis vivorum membrorum" (*Suppl.*, q. 27, a. 1, *Sed contra*). Item, proprius effectus indulgentiae est remissio poenae temporalis, non vero remissio ipsius peccati (ut probatum est in praefato art. 110); poena autem temporalis nequit remitti nisi prius remittatur ipsum peccatum per statum gratiae; ergo indulgentia praerequirit statum gratiae in subjecto, tanquam conditionem suae efficacitatis et validitatis. Ad rem S. Thomas: "Quamvis merita illa quae per indulgentiam communicantur, possint valere ad merendum gratiam, non tamen propter hoc dispensantur, sed determinantur ad remissionem poenae. Et ideo non valent existentibus in peccato

²⁸ Cf. V. Heylen, in Coll. Mechlin., t. 16 (1946), p. 14 sq.

²⁹ Talis concessionis exemplum quidam vident in epistola Leonis XIII ad Anglos "Amantissimae voluntatis" 14 april. 1895, in qua conceditur indulgentia 300 dierum recitantibus quandam orationem, a S. Pontifice propositam, pro conversione Angliae. Attamen, ea concessio fit solis catholicis; nam ibi sermo est de "precum officiis apud catholicos institutis", concessio fit "etiam non Anglis" eam orationem recitantibus, in ipsa oratione dicitur: "Intercede pro fratribus dissidentibus".

mortali. Et ideo in omnibus indulgentiis fit mentio de vere contritis et confessis" (*ibid.*, in *corp.*).

Ad haec nota:

1. Status gratiae requiritur et sufficit ad hoc ut indulgentia remittat poenam temporalem debitam pro peccatis mortalibus; attamen, requiritur sed non sufficit, ad remissionem ejusdem poenae debitae pro peccatis venialibus; nam praerequiritur ulterius *remotio peccati venialis*, cum nullius peccati poena auferri possit, nisi prius ipsa culpa removeatur, et aliunde ipsa indulgentia non valeat peccatum veniale removeare (ut dictum est in art. 110, p. 980 sq.). Hoc sensu quantitas effectus indulgentiae, tum plenariae tum partialis, dependet partialiter a modo quo subjectum afficitur relate ad peccata venialia (seu ab istorum praesentia et numero), non quidem tanquam a proprie dicta dispositione, sed tanquam a conditione sine qua non influit indulgentia in remissionem poenae pro illis debitae. Unde *formaliter et universaliter* loquendo, conditio necessaria ad indulgentiam lucrandam non est ipse status gratiae, sed *remotio peccati cujus poena est auferenda per indulgentiam*; quae quidem quoad poenam peccatorum mortalium consistit in statu gratiae, quoad poenam vero peccatorum venialium est ipsa absentia peccati venialis, quae ceteroquin supponit statum gratiae cum nequeat veniale remitti nisi prius remisso mortali.

2. Praeter statum gratiae, seu potius praeter absentiam peccati cujus poena est auferenda, *nulla requiritur specialis dignitas aut devotio*, in ratione dispositionis ad consequendum effectum indulgentiae aut ejus gradum, ut sufficienter explicatum ac probatum est contra quosdam antiquiores theologos in art. 111 (p. 990–994. 1005–1012). Potest tamen dignitas vel devotio subjecti indirecte influere in effectum indulgentiae, tanquam mera conditio, refundenda quidem in ipsam causam concedentem seu in ipsum modum vel limites concessionis, quatenus nempe Ecclesia potest velle concedere majorem indulgentiam dignioribus aut melius dispositis, ut dictum est in art. 110. 113. 115 (p. 1007. 1009. 1043–1046. 1073 sq.).

Unde, nisi hujusmodi conditio ab Ecclesia explicite vel implicite apponatur, valor indulgentiae non pendet a majori vel minori dignitate subjecti, nec a majori vel minori devotione qua opus injunctum (puta orationes vel sacramentorum susceptio) impletur, nec a quantitate operis injuncti praeter id quod directe injunctum est (ut si praescriptum jejunium quis strictius observet vel pro praescripta generaliter elemosyna quis majorem quam alius pecuniam praebet). Unde clausula "corde contrito" (vel similis: "corde saltem contrito", "vere poenitentibus", "in forma Ecclesiae consueta") quae apponi solet concessionibus,

bus partialium indulgentiarum, significat solam necessitatem status gratiae, saltem nempе per contritionem acquirendum,³⁰ non vero ulteriorem devotionem aut actualem contritionem, ut declaravit ipsa S. C. *Indulgentiarum*: "Ut, quatenus aliquis in statu peccati mortalis reperiatur ac propterea incapax lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito confessionis ad statum gratiae restituatur et capax fiat indulgentias assequendi".³¹

3. Status gratiae (seu remotio culpae) obtinendus est *saltem in fine operum praescriptorum* ad indulgentiam lucrandam, seu ante expletum ultimum opus.

Et *primo* necesse non est ut omnia opera praescripta, aut etiam totum ultimum quod exhibetur opus, fiant in statu gratiae, sed sufficit ut in ultimo instanti, quo dici potest totum injunctum opus esse completum,³² adsit status gratiae. Ratio est quia injunctum opus non est causa valoris indulgentiae, sed mera conditio; unde, dummodo in ultimo instanti quo completur opus, adsit etiam dispositio status gratiae, quae est altera conditio requisita in ipso subjecto, indulgentia, quae influit ex opere operato nec successive sed instantanee, sicut omnino causa, effectum suum necessario consequitur. Ceterum, posset quidem Ecclesia talem apponere indulgentiae conditionem ut totum opus vel opera injuncta debeant fieri in statu gratiae, sed id nec ex natura rei necessarium est, nec de facto ab Ecclesia exigitur. Olim quidem id a theologis controvertebatur, quibusdam, ut *Cajetano*³³ et *Navarro*, affirmantibus necessitatem status gratiae, aliis vero numerosioribus, inter quos *Sylvester*, *Soto* (in 4 Sent., dist. 21, q. 2, a. 3), *Suarez* (infra cit.), *Lugo* et *Billuart*, id negantibus. Cui sententiae jam adhaeserat *Benedictus XIV*, Constit. "Inter praeteritos", 3 dec. 1749, dicens: "A fructu indulgentiae minime excludendos illos existimavimus, qui non praemissa confessione visitationem incipiunt, dummodo quando opus ultimum perficiunt, in quo indulgentia acquiritur, in statu gratiae sint", eamque confirmavit *Codex J. C.*, ita ut non amplius de hac re controverti possit.

³⁰ Observat *Cappello* (n. 657): "Si facultas conceditur applicandi indulgentias certis obiectis 'in forma Ecclesiae consueta', haec verba significant applicationem faciendam esse intentione et formando signum crucis super rem benedicendam, quin opus sit pronuntiare aliquam formulam aut rem aspergere aqua benedicta [S. C. Indulg., 7 ian. 1843; Decr. auth., n. 313]." De alia formula "*Sub consuetis conditionibus*" observat (ibid.): "Si conceduntur indulgentiae 'sub consuetis conditionibus', intelliguntur, praeter statum gratiae et intentionem saltem habitualem implicitam, confessio, communicatio et preces ad mentem R. Pontificis recitandae."

³¹ Decr. 17 dec. 1870 (Decr. auth., n. 427).

³² Quomodo hoc instans concipi possit, vide apud *Suarez*, Disp. 52, sect. 2, n. 10 sq.

³³ Quaestiones de suscipiendis indulgentiis, quaesitum secundum, in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 368.

Ad rem apte scribebat *SUAREZ*: "Possunt . . . in indulgentia acquirenda duo tempora distingui: unum est, in quo fiunt opera ad talem indulgentiam lucranda requisita, ut jejunium, eleemosyna, etc.; aliud est punctum illud temporis, in quo indulgentia consummatur, et effectus illius confertur. Dubitari ergo potest, an in utroque tempore, vel in altero tantum, et in quo eorum gratia requiratur. Respondetur, gratiam saltem necessariam esse pro eo tempore, pro quo indulgentia consummatur et applicatur; hoc enim probant rationes factae, quia haec dispositio per se necessaria est proptem effectum indulgentiae, quia sine illa non est homo proxime ac moraliter capax remissionis poenae temporalis; ergo pro hoc tempore necessaria est talis dispositio, pro quo, seu in quo conferendus est talis effectus.

"De alio vero tempore res est controversa. . . [Dico autem] per se, et ex vi talis operis ad indulgentiam praerequisiti, non esse necessarium statum gratiae. Dixi autem, *per se, et ex vi talis operis*; quia si tale opus in eodem tempore fiat, in quo indulgentia consummatur, tunc propter concomitantiam erit necessaria gratia, quando tale opus fit, non tamen formaliter ac per se propter ipsum opus. Quocirca, si multa opera requirantur, satis erit hominem esse in gratia quando ultimum perficit, quia tunc consummatur indulgentia, et effectus ejus confertur. Imo cum ipsum ultimum opus successive fiat, quamvis contingat sine gratia inchoari, si in gratia consummetur, id satis erit ad lucranda indulgentiam; ut, verbi gratia, conceditur indulgentia jejunanti tali die; contingit autem quempiam illo die jejunantem, vel in illo peccare mortaliter, vel permanere in peccato prius commisso, tandem vero in fine diei conteri, et gratiam obtinere; dicimus ergo id satis esse, ut hujusmodi homo talem indulgentiam lucretur, quia gratia non requiritur propter opus, sed ut dispositio ad effectum indulgentiae, qui non datur usque ad consummationem talis operis."³⁴

Secundo tamen, necesse est ut gratia adsit saltem in ipso ultimo instanti quo absolvitur opus injunctum, non vero postea. Nam indulgentia intelligitur affixa circumstantiae temporis, loci aut operis, ratione cujus conceditur, non vero ipsi statui gratiae qui se habet ut mera conditio, non ex voluntante concedentis sed ex ipsa natura rei requisita in subjecto ut indulgentia possit habere proprium effectum remissionis poenae.

Loquendo autem de possibilitate, quidam dicunt concessionem indulgentiae posse, si S. Pontifex velit, ita fieri ut habeat suum effectum etiam post aliquod tempus ab absoluto opere injuncto, quando nempe homo acquisierit statum gratiae. Ita *Lugo*, scribens: "Concedimus, indulgentiam etiam posse ita concedi a Pontifice, ut si homo tunc sit in peccato, maneat ejus effectus ad tempus futurum, quando primum sit in gratia: quia Pontifex, subsistente causa quocunque tempore potest applicare indulgentiam: poterit ergo, sicut eam concedit hodie Petro visitanti hanc ecclesiam, concedere eam Petro, tunc quando primum fuerit in gratia: sic enim aliquando concedi solet indulgentia pro articulo mortis, proferendo nomen Jesu: ita tamen, ut si hic non sit verus articulus mortis, reservetur in verum articulum futurum: sic ergo posset concedi indulgentia visitantibus

³⁴ De Poenitentia, disp. 52, sect. 2, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1070. Cf. sect. 5, n. 6-10, ubi eadem sententia fusius defenditur.

hodie ecclesiam: ita tamen, ut si hodie non sint in gratia, reservetur in tempus, quo erunt in gratia."³⁵

Attamen, haec sententia reiicienda est. Nam ex hoc ipso quod aliquod opus praescribitur tanquam conditio ad lucranda indulgentiam, intentio concedentis necessario ligat vim indulgentiae illi operi, ita ut indulgentia necessario operetur si subjectum sit in statu gratiae, vel secus simpliciter evanescat, nec potest absque intestina contradictione intentio concedentis sic ferri ut indulgentia affigatur operi tanquam conditioni et tamen expectet statum gratiae futurum, hoc enim perinde esset ac simul velle et non velle quod opus illud sit conditio acquirendae indulgentiae. Potest quidem S. Pontifex velle conferre indulgentiam habenti, in quocunque tempore, statum gratiae, ob quaelibet bona opera antecedenter ab eo praestita, etiam in statu peccati (cf. in p. 1073 sq.), sed tunc haec opera se habent ex parte motivi seu causae concessionis nec habent rationem conditionis cui affigatur indulgentia, et haec tunc conceditur absque ulla operis impositione quae, ut dictum est in art. 115 (p. 1074–1076), necessaria non est.

Ex dictis patet quid dicendum sit ad *quaestionem de reviviscencia indulgentiae*, quam quidam agitant. Talis reviviscencia simpliciter neganda est. *Primo* enim, ipsa non datur in eo sensu quod, praecedentia opera injuncta, facta in statu peccati, valent ad consecutionem indulgentiae, quando in ultimo opere accedit status gratiae; nam ita nec indulgentia reviviscit, cum nondum extiterit, nec ipsa opera praecedentia reviviscere dici queunt, ad producendum nempe indulgentiae effectum, cum ipsa non sint causa hujus effectus; in hoc ergo agitur de mera positione totius conditionis requisitae ad lucranda indulgentiam, scilicet de impletionem operum, conjuncta cum statu gratiae. *Secundo* reviviscencia non datur in eo proprio sensu quod ipsa indulgentia, jam concessa et obtenta ob opera adimpleta in statu peccati, postea suum effectum operatur cum accedit status gratiae; nam, ut dictum est, ubi desit status gratiae, indulgentia nec obtinetur nec conceditur, sed simpliciter non existit, deficiente conditione ad ipsam existentiam causae, nec tantum ad ejus causalitatem.

Et, ut evertatur fallax instantia, in hoc praecise est discrimen inter indulgentiam et sacramentum reviviscens, quod relate ad sacramentum status subjecti est conditio et dispositio ad solum ejus influxum, adeoque potest, ea deficiente, haberi sacramentum validum et infructuosum; relate vero ad indulgentiam status gratiae nec est dispositio, nec etiam conditio ad solum ejus influxum, sed est requisita

³⁵ De Poenitentia, disp. 25, sect. 3, n. 45, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 448.

conditio ad ipsam ejus existentiam, quia, cum indulgentia nihil aliud sit quam concessio et applicatio thesauri in remissionem poenae, ubi desit in subjecto possibilitas hujus remissionis ob absentiam status gratiae, deest ipsa possibilitas faciendae hujusmodi concessionis et applicationis, deficiente subjecto habili, eo fere modo quo deesset ipsa ratio sacramenti si Baptismi applicaretur Christo.

Ad rem *SUAREZ*: "In hoc est differentia inter sacramentum et indulgentiam, quod sacramentum vere perficitur et applicatur homini absque effectu propter fictionem, qua postea ablata, datur effectus propter sacramentum prius applicatum; indulgentia vero revera in se non perficitur, neque applicatur quandiu est fictio, quia nec conditio ad illam requisita impleta est, nec etiam est facta applicatio thesauri, donec contritio habeatur, juxta formam concessionis. Quod si in ipsa concessione nulla fiat mentio contritionis, aut status gratiae, ut saepe contingit, sed simpliciter dicatur: Recitans hoc vel illud, talem indulgentiam consequatur, si statim non consequitur effectum propter fictionem, nunquam postea recuperabit illum, quia forma concessionis ad hoc non extenditur, et applicatio thesauri impedita fuit pro eo tempore pro quo facienda fuisset ex intentione concedentis, et ideo non est ulla ratio, cur postea redeat. Unde non solum impeditur per fictionem applicatio, quoad effectum ad extra, sed etiam quoad acceptance[m] Dei, quia dispensatio thesauri absolute et simpliciter fit intra illud tempus; et quia ille, qui in peccato existit, per se loquendo, indignus est omni applicatione illius effectus, etiam in acceptance[m] divina."³⁶

QUOAD INDULGENTIAS VERO PRO DEFUNCTIS, an requiratur status gratiae in vivo eas lucrante, controvertitur inter theologos tam antiquiores quam recentiores.

S. C. Indulgentiarum, de hac re pluries interrogata, rem dirimere noluit; propositae enim quaestioni: "An ad lucrandas indulgentias tam directe quam indirecte pro defunctis concessas, status gratiae requiratur?", die 20 aug. 1822 respondit: "Dilata" (Decr. auth., n. 253, ad 3); iterum interrogata ab episcopo S. Flori, ut praecedens dubium solveret, die 22 febr. 1847 respondit: "Consulat probatos auctores" (ibid., n. 341). Probati autem auctores dissentiebant et dissentiunt, imo quidam moderni majorem confusionem adducunt, distinguentes inter quaestionem de jure et quaestionem de facto, necnon inter indulgentiam altaris privilegiati et alias indulgentias, et in his inter indulgentias concessas pro solis defunctis et indulgentias concessas tam pro vivis quam pro defunctis.

Doctores, praecipue moderni, videntur in haec convenire:

1. Ecclesia potest exigere statum gratiae inter condiciones ad lucrandas indulgentias pro defunctis. Unde cum hae indulgentiae conceduntur hac vel simili formula: "Corde contritis", aut sub conditione implendi opera quae, ut confessio et communicatio, statum gratiae

³⁶ De Poenitentia, disp. 52, sect. 2, n. 18, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1074.

important, hic status necessario requiritur, non secus ac ad acquirendas indulgentias pro vivis; non tamen inde necessario sequitur statum gratiae requiri ex ipsa rei natura et ut conditio subjecti lucrantis, sed tantum ut conditio directe requisita a concedente, vel ut aliquid necessarium ad ponendum opus injunctum quod a concedente requiritur tanquam conditio. Quoad ipsam tamen clausulam "Corde contritis" (vel similem), notandum est quod, si addatur indulgentiae solis defunctis applicabili, necessario exigit statum gratiae; si vero addatur indulgentiae tam pro vivis quam pro defunctis concessae, non necessario sequitur eam exigere statum gratiae pro casu quo ea indulgentia applicetur defunctis, sed potest intelligi de exigentia status gratiae in solo casu quo indulgentia retineatur pro vivis, qui casus magis directe intenditur in hujusmodi concessionibus, quippe quae dantur primo et per se in favorem vivorum, addita tamen facultate eas ad libitum extendendi ad defunctos.

2. Ex ipsis documentis vel praxi Ecclesiae nequit haec controversia directe dirimi, etsi possint quaedam indicia colligi pro una vel altera sententia. Ipsa S. C. Indulgentiarum, ut dictum est, ab hac controversia dirimenda, signanter declinavit. Subinde Codex J. C., adhibendo particulam "sibi" (in verbis: "Ut quis capax sit *sibi lucrandi* indulgentias, debet esse . . . in statu gratiae"), ab hac quaestione abstraxit, ac probabiliter ex hac ipsa intentione eam particulam adhibuit.

3. Ad valorem indulgentiae altaris privilegiati non est necesse ut sacerdos celebrans sit in statu gratiae, eo quod haec indulgentia est adnexa sacrificio missae cujus valor non dependet a sanctitate ministri. Ita communiter defensores utriusque sententiae (nominatim Cappello et Merkelbach, defensores sententiae negantis necessitatem status gratiae, necnon Prümmer et Aertnys-Damen, defensores sententiae affirmantis), qui id deducunt ex decreto S. C. Indulgentiarum, die 12 mart. 1855 (Decr. auth., n. 366), in quo tamen non plus explicitè dicitur quam quod missa, ad altare privilegiatum celebrata, est per se, seu secundum seipsam, privilegiata.

Controversia igitur est utrum, abstrahendo ab his tribus praenotatis, ad lucrandam indulgentiam pro defunctis requiratur status gratiae.

PRIMA SENTENTIA affirmativa defenditur, saltem ut probabilior, praecipue ab *Angelo* (v. Indulgentia, n. 21), *Cajetano*,³⁷ *Lugo* (Disp.

³⁷ Consequenter cum supra relata (p. 1121) sua sententia, qua docet ad indulgentiam ipsam pro vivis lucrandam requiri statum gratiae toto tempore quo adimplentur opera injuncta, scribit: "Opus mortuum, sicut non sufficit ad indulgentiam pro se pro tempore quo erit in gratia, ita non sufficit ad indulgentiam pro alio existente in gratia" (loc. supra cit. in p. 1121).

27, n. 75; cf. n. 64), *Wigandt* (Tribunal Conf., tract. 14, n. 96), *Tournely* (De poenit., q. ult., a. 6), *Amort* (De poenit., disp. 7, q. 31), *S. Alphonso* (n. 534: "Haec verior mihi videtur cum *Wigandt*"), *Palmieri* (De poenit., app. de indulg., § 4), *Prümmer* (n. 551), *Aertnys-Damen* (n. 1129), *Hervé* (m. 352), *Diekamp* (§ 56, in fine), *Daffara* (n. 814).

Ut patet ex numero defensorum contrariae sententiae, inepte Lugo, quem repetit Palmieri, dicit hanc sententiam esse communiorem ("Quod est magis commune, et juxta fidelium sensum"); saltem quoad modernum tempus fatetur ipse Aertnys-Damen: "Sententia communior negat"; unde ineptius adhuc modernus De Angelis (patronus nihilo minus contrariae sententiae) affirmat: "Nobis verior videtur sententia negativa, quamvis sententia contraria sit communior".

Communis ratio horum doctorum est quia indulgentia non datur directe ipsis defunctis sed vivis, qui proinde sunt inhabiles ad eam recipiendam si sint in statu peccati. Haec ratio triplici modo explicatur: *Lugo* enim, juxta peregrinam ipsius sententiam quod translatio ad defunctos fiat per elevationem operum vivorum ad valorem satisfactionis ex opere operato (cf. supra, p. 956 sq.), ait vivos in statu peccati mortalis esse incapaces hujusmodi elevationis; alii communiter dicunt cum *S. Alphonso*, post *Wigandt*, indulgentiam pro defunctis prius recipi vel possideri a vivo ut suam, et ab eo subinde communicari defunctis, non posse autem vivum suam facere indulgentiam nisi sit in statu gratiae; *Palmieri*, quem sequuntur *Diekamp* et *Daffara*, meliorem explicationem proponit, scilicet indulgentiam transferri ad defunctos per modum suffragii, adeoque requiri in vivo eandem dispositionem quae requiritur ad translationem aliorum suffragiorum, scilicet statum gratiae.

Ad rem *LUGO*: "Infertur [ex dictis] . . . quid dicendum sit de statu gratiae; an requiratur in eo, qui lucratur indulgentiam pro defuncto. P. Suar. sect. IV. negat: quia cum Pontifex in ejus sententia sit, qui immediate et directe concedit defuncto indulgentiam, et solum requiratur opus pium ex parte viventis, ut conditio, non est cur in eo exigatur status gratiae. *Nos autem consequenter ad supradicta* debemus dicere, requiri quod est magis commune, et juxta fidelium sensum. Ratio autem est: quia indulgentia defuncto acquiritur solum indirecte, quatenus opera alicujus viventis elevantur ad majorem valorem satisfactionis ex opere operato: ad hoc autem necesse est, quod ipse operans sit capax illius valoris et fructus: diximus enim, hanc elevationem procedere a potestate Pontificis, quae per se ordinatur ad utilitatem subditi: ergo potestas illa est ad elevanda opera subditi capacis, et potentis frui illo beneficio, quo frui non potest, dum est sine gratia propter incapacitatem subjecti."⁸⁸

S. ALPHONSUS (n. 534): "Et haec [Lugonis sententia] verior mihi videtur

⁸⁸ De Poenitentia, disp. 27, sect. 5, n. 75, Disp. Schol., t. 5, Parisiis, 1893, p. 509.

cum Wigandt, quia nemo potest alteri applicare indulgentiam, *nisi prius eam fecerit suam.*" Nec aliud de hac re addit S. Doctor.

PRÜMMER (n. 551): "Haec doctrina [de necessitate status gratiae] valet etiam pro indulgentiis applicandis animabus purgatorii. Ita saltem sententia probabilior. *S. Thomas* [Suppl., q. 25, a. 2] simpliciter dicit: 'Indulgentiae simpliciter tantum valent, quantum praedicantur; dummodo ex parte dantis sit auctoritas, et *ex parte recipientis caritas*, et ex parte causae pietas, quae comprehendit honorem Dei et proximi utilitatem.' Ratio autem intrinseca est, quia indulgentiae applicandae animabus purgatorii *debent prius possideri ab homine vivo*, qui deinde illas applicat animabus purgatorii. Jam vero homo peccator non valet aliquam indulgentiam sibi acquirere et possidere."

PALMIERI: "Quaeres an status gratiae saltem in ultimo instanti operis requiratur pro hac indulgentia obtinenda. Negat Suarez D. c. Sect. 4. quia, ut ipse censet, Pontifex est, qui immediate et directe concedit indulgentiam defuncto, solumque a vivente tanquam conditio requiritur aliquod opus bonum; quod et in statu peccati praestari potest. Haec quidem ratio nobis non probatur; quia, ut vidimus, ex s. Thoma, indulgentia haec quoque directe datur vivis. Verum superest difficultas: cum enim ratio cur requiratur status gratiae sit quia remissio poenae non datur existenti in peccato, ea ratio valere videtur cum remissio poenae est obtinenda ab eo qui opus facit; at cum est obtinenda ab alio, nempe a defuncto, cur non sufficit status gratiae in isto? Respondeo quod cum qui indulgentiam, quam acquirit, applicat defuncto, *operetur ad modum illius qui suffragatur, iure in hoc requiritur ea conditio quae requiritur in iis, qui pro aliis satisfacere volunt*, nempe status amicitiae divinae. Et quidem hunc exigi pro his indulgentiis acquirendis communior sententia tenet, ait Lugus d. c. n. 75: nihil tamen definitum est ab Ecclesia; nisi cum pro certis indulgentiis praescribit aut contritionem aut confessionem."⁸⁹

DIEKAMP (§ 56, in fine): "Suarez nonnullique alii, recenter De Augustinis et Pesch, probabile esse docuerunt hominem in statu peccati mortalis existentem pro defunctis indulgentiam lucrari posse. *Quae tamen opinio approbanda non est.* Etenim vivus, qui indulgentiam pro defuncto lucrari intendit, per modum suffragii cooperari debet. Sed quomodo in statu peccati mortalis existens aliis remissionem poenae efficaciter obtinere potest, cum sibi ipsi nihil mereri valeat?"

SECUNDA SENTENTIA negativa defenditur a *Biel, Richardo et Corduba* (apud Suarez), *Toledo, Bellarmino* (De indulgentiis, l. 1, c. 14), *Suarez* (Disp. 53, sect. 4, n. 5 sq.), *Diana* (tom. 4, tr. 5, resol. 36), *Busembaum* (cit. a. S. Alphonso, n. 534), *Billuart* (De indulg., diss. un., a. 6), *Ballerini-Palmieri* (Opus mor., t. 5, de suffragiis et indulgentiis, n. 50), *Lehmkuhl* (ed. 1902, n. 537), *Pesch* (n. 507), *Galtier* (n. 603, in nota), *Cappello* (n. 663 sq.), *Merkelbach* (n. 674), *De Angelis* (n. 60), *Chrétien* (n. 381), *Piscetta-Gennaro* (n. 966), *Regatillo* (n. 71). Ceterum, non omnes hanc sententiam cum eodem gradu adhaesionis defendunt, sed antiquiores firmiter, recentiores vero minus firmiter quatenus eam dicunt probabiliorum, vel veriorum, vel probabilem, vel verisimilem.

⁸⁹ De Poenitentia, Appendix de indulgentiis, § 4, n. 5, Romae, 1879, p. 482. Cf. notam a Palmieri appositam sententiae Ballerini, de qua infra.

Communis ratio horum doctorum est quia mediatio vivorum est mere materialis,⁴⁰ seu simplex conditio ad faciendam translationem, non vero formalis, quasi vivus vere suam faceret indulgentiam ac in se susciperet ejus fructum, propter quod requiritur status gratiae, ut supra dictum est. Hanc rationem sic alii aliter explicant: Opus vivorum est mera conditio (passim); vivus non suscipit fructum indulgentiae (passim), sed solam potestatem transferendi (Billuart); indulgentia agit ex opere operato adeoque independenter ab eo per quem fit, sicut satisfactio sacramentalis facta in statu peccati (Lehmkuhl), sicut missa applicata a malo sacerdote (Suarez), sicut eleemosyna quae mittitur per aliquem existentem in peccato (Ballerini); ceterum status gratiae numquam deest quia indulgentia, etsi per peccatorem, transmittitur nomine Ecclesiae, quae est sancta (Ballerini, De Angelis).

Ad rem *SUAREZ*: "Dicendum est . . . non esse necessarium statum gratiae. . . Et ratio est, quia status gratiae solum requiritur ad tollendum obicem indulgentiae; et ideo per se solum est dispositio necessaria in eo, qui recepturus est indulgentiae effectum; in praesenti autem non est recepturus effectum ille, qui efficit opus ad indulgentiam requisitum, sed alius, cui indulgentia procuratur; ergo. Et ideo non est simile de lucrante sibi indulgentiam, nam in eo requiritur status gratiae, non formaliter, quia operans est, sed quia recipiens est indulgentiae effectum.

"Atque hac ratione non est inconveniens, quod existens in peccato, aliquem effectum possit obtinere alteri, et non sibi, quia ipse habet obicem, non vero alius; maxime cum hic effectus non nitatur merito operantis. Sicut sacerdos existens in peccato, potest per sacrificium obtinere alteri remissionem poenae, non vero sibi. Denique explicatur optime ex dictis: nam is qui lucratur indulgentiam alteri, nullo modo prius sibi lucratur aliquam satisfactionem, ut eam alteri praebeat, sed *solum exhibet conditionem postulatam*, ut Pontifex alteri concedat indulgentiam; haec autem conditio non est nisi executio talis operis quoad substantiam ejus, per quod potest sufficienter impleri causa proportionata talis indulgentiae, ut in superioribus locis declaratum est; ergo."⁴¹

BILLUART: "Petes . . . utrum qui lucratur indulgentiam pro defunctis debeat esse in statu gratiae? Si opus injunctum requirat statum gratiae, ut confessio, communio, ad illum tenetur: si autem opus injunctum non requirat statum gratiae, non videtur ad illum teneri; quia ipse *non percipit fructum indulgentiae* seu remissionem poenae, sed alter. Neque dicas, ipsum non posse indulgentiam alteri applicare, nisi prius eam faciat suam; facit enim suam, non accipiendo ejus effectum, *sed potestatem eam alteri applicandi*, ad quod non requiritur status gratiae, sicut nec in concedente indulgentiam."⁴²

BALLERINI-PALMIERI: "Ex Toletio . . . ratio [hujus sententiae] est, quia causa satisfactionis, seu pretium poenarum non est opus illius, qui est in peccato, sed Indulgentia ipsa et thesaurus meritorum Christi et Sanctorum. Illud autem opus particulare, per quod Indulgentiae applicantur, *fit nomine Ecclesiae, in qua*

⁴⁰ In sententia Suaresii, juxta quam S. Pontifex posset concedere indulgentias defunctis etiam absque mediatione vivorum (cf. supra, in p. 951-953), haec mediatio est non solum materialis, sed prorsus impertinens et accidentalis.

⁴¹ De Poenitentia, disp. 53, sect. 4, n. 6, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1112.

⁴² Tractatus de indulgentiis, diss. unica, a. 6, in fine, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 526.

nunquam deest gratia. Exemplum prostat in eo, qui dat eleemosynam et mittit illum per manus hominis existentis in peccato mortali; non enim perditur fructus eleemosynae ex eo, quod sit in peccato ille, qui exsequitur opus. . .

“Rationi a Wigandt allatae auctores oppositae sententiae facile respondent, negando suppositum, quasi scilicet in casu fideles Indulgentiam prius pro se lucrentur seu suam faciant, quam deinde alteri cedant, seu applicant. Nam quod ipsa Ecclesia sic merita Christi et Sanctorum applicet et *opus iniunctum fidelibus quaedam sit quasi conditio*, inde etiam arguitur, quod nemo censuerit, in nostro esse arbitrio, Indulgentias, alteri viventi applicare: cum tamen, si vere suas quis facit Indulgentias, ratio non appareat, cur non possit alteri eas viventi cedere, aut cur ad applicandas defunctis Indulgentias necessaria sit Ecclesiae auctoritas, quae auctoritas necessaria non est, ut defunctis satisfactorium meritum ieiuniorum, eleemosynarum, aut carnis macerationum etc. quisque applicet.”⁴³

LEHMKUHL (minus determinate; immerito tamen a quibusdam relatus inter adversarios hujus sententiae; ed. 1902, n. 537): “Non pauci theologi putant . . . etiam eum, qui in tristissimo statu peccati existat, operibus illis bonis, quibus indulgentia annexa sit defunctis applicabilis, eam non sibi quidem, sed defunctis lucrari posse: quod, etsi probabile videri possit, certum non est; v. Lugo de poenit. d. 27, n. 75. Videlicet quia non operis neque operantis dignitas respicitur, sed *satisfactio ex opere operato illi operi annexa*, ex se non repugnat, indulgentias alicuique sic lucrari posse; imo id aliquo modo *suadetur ex efficacia satisfactionis sacramentalis*, quae, etsi in statu peccati praestita, efficientia sua non destituitur, sed, licet pro tunc operanti applicari nequeat et proin suspendatur, nihilominus postea remoto obice propter valorem, quem ex opere operato habet, reviviscit. At in indulgentiis applicationi erga defunctos obex essentialiter non creatur: nihilominus quum applicatio per modum suffragii et intercessionis fiat, ceteris paribus Deus facilius accepturus est, quae ei ab homine justo, quam quae a peccatore pro animabus defunctorum offeruntur.”

CAPPELLO (ed. 1944, n. 664): “Indulgentia, quae pro solis defunctis obtineri potest, *ut indulgentia toties quoties in Commemoratione omnium fidelium*, statum gratiae haud necessario postulat. Nam qui huiusmodi indulgentiam pro defunctis lucratur, non debet eam prius sibi acquirere et postea in defunctos transferre; imo id expresse excluditur. Igitur deest radicaliter fundamentum, in hoc casu, opinionionis contrariae.

“*In ceteris casibus* [Haec distinctio ab aliis auctoribus non fit], sententia quae tenet etiam peccatorem lucrari posse indulgentiam pro defunctis, *probabilior* et omnino rationabilis est. Sane: a) Status gratiae non requiritur ut causa indulgentiae, sed ut dispositio ad eius effectum recipiendum. Ergo si effectus recipitur a defuncto, necessarius non est status gratiae in vivente, qui condiciones implet. b) Ex rei natura nihil obstat, quominus etiam is, qui in statu peccati est, indulgentiam lucretur pro defunctis: opera enim, quibus indulgentia acquiritur, valorem satisfactorium non habent ex dignitate operantis, sed ex concessione Ecclesiae. c) Necesse non est, ut ille, qui indulgentiam pro defunctis lucratur, eam prius sibi acquirat et deinde in defunctos transferat: sufficit, ut condiciones ab Ecclesia praescriptas ponat, quibus positae ex mente R. Pontificis indulgentia defunctis obvienit.

“Fundamentum opinionionis contrariae, quae affirmat neminem posse indulgentiam applicare defunctis, nisi prius eam suam fecerit, gratuitum est, cum neque in rei natura neque in Ecclesiae doctrina nitatur; quin potius excluditur, ut supra animadversum est.”

TERTIA SENTENTIA media, duas praecedentes componere conatur, *distinguens inter possibilitatem et factum*; docet nempe cum altera

⁴³ Opus morale, t. 5, de suffragiis et indulgentiis, n. 50, Prati, 1893, p. 644.

sententia quod per se non requiritur status gratiae, docet vero cum priori quod de facto, seu ex voluntate concedentis, si excipiatur tamen indulgentia altaris privilegiati, status gratiae probabiliter requiritur vel saltem non constat peccatorem posse has indulgentias lucrari.

Hanc sententiam in terminis proponit *Fanfani*, quem repetit *Heylen*; accedunt *Noldin-Schmitt* et, ut videtur, *Vermeersch*, qui valde fluctuanter loquuntur.

Ad rem *FANFANI*: "*Forsan oppositae sententiae componi possunt, dicendo quod intenta sola natura indulgentiarum, repugnare non videtur quominus etiam ille, qui in statu peccati ponit opus ad indulgentias lucrandas praescriptum, possit eas defunctis applicare: indulgentiae enim, ut supra dictum est, valorem satisfactorium habent non ex ipso opere a lucrante posito — quod est sola conditio, sine qua non — sed ex concessione Ecclesiae, quae semper est in gratia; nullibi tamen constat hanc fuisse mentem Ecclesiae, scilicet quod etiam peccatores possint indulgentias lucrari pro defunctis: quinimmo vix censi potest Ecclesiam tanquam acceptabile et sufficiens habere ad indulgentias pro defunctis opus ab existenti in peccato mortali, ac proinde ab inimico Dei, positum. — Excipe, si agatur de indulgentia altaris privilegiati, quae certo lucrifit etiamsi sacerdos celebret in peccato mortali, ut constat ex decis. S. C. Indulg., d. 12 Martii 1855.*"⁴⁴

NOLDIN-SCHMITT (n. 320): "Ex natura rei nihil obstat, quominus etiam ille, qui in statu peccati est, indulgentiam lucrari possit, non quidem sibi, sed defunctis: opera enim, quibus indulgentiam lucratur, valorem satisfactorium non habent ex dignitate operantis, sed ex concessione ecclesiae. . . Hoc . . . certum videtur [quidquid sit de alterutrius sententiae veritate] sacerdotem, qui in statu peccati mortalis missam celebrat in altari privilegiato (sive privilegium est locale sive personale), lucrari indulgentiam huius altaris pro anima, pro qua sacrificium offert."

VERMEERSCH (ed. 1948, n. 577): "Quamvis tutior sententia, cui adhaeret C. De Lugo de Sacr. d. 27, n. 75, statum gratiae requirat etiam cum indulgentia defunctis applicatur, id tamen non constat. Alii tenent sufficere ut opus praescriptum fiat, quo posito, Pontifex ipse indulgentiam defunctis applicat. *Quod magis veri simile est quando indulgentia pro solis defunctis obtineri potest*, ut indulgentia totiens quotiens in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum; aliae autem indulgentiae, ut colligitur ex verbis c. 930 'Nemo indulgentias acquirens, potest eas aliis in vita degentibus applicare', *prius acquiri quam applicari videntur*; acquiri autem non possunt nisi in statu gratiae. Rursus tamen c. 925 § 1, statum gratiae non exigit nisi ut quis sibi lucretur indulgentias. *Res igitur dubio non vacat.*"

Nobis probabilior est secunda sententia, praecipue quod attinet ad quaestionem de possibilitate.

Ad hanc imprimis quaestionem de possibilitate quod attinet, valet omnino communis ratio invocata a patronis huius sententiae, etsi quaedam peculiare explicationes aut comparationes non sint undequaque ad rem. *Propria enim ratio* quare status gratiae requiratur in lucrante indulgentiam, est ut removeatur a subjecto obex effectus indulgentiae (ut dictum est supra, p. 1119), quae quidem obicis remotio transit in conditionem ipsius valoris indulgentiae, nec solius efficaci-

⁴⁴ De indulgentiis, n. 32, Taurin-Romae, 1926, p. 39 sq.

tatis ut in sacramentis (ut dictum est in p. 1123 sq.); haec autem ratio non urget, ut patet, in acquisitione indulgentiae pro defunctis, nam, quomodolibet explicetur mediatio vivorum, hi certe indulgentiae fructum non suscipiunt.

Aliunde vero *nulla alia ratio invocari potest*, quae necessario exigit statum gratiae in vivo, per quem fit mediatio vel translatio indulgentiae ad defunctos. *Primo* enim, status gratiae non requiritur eo fine ut opera in juncta fiant digne ac convenienter; nam, fatentibus adversariis, ea opera possunt fieri in statu peccati dummodo in ultimo instanti, antequam ultimum opus absolvatur, adsit status gratiae. *Secundo*, status gratiae non requiritur ad hoc ut fiat jurisdictionalis actus concessionis, qui est de essentia indulgentiae. Id enim non exigit ipsa ratio jurisdictionis, quae solam respicit subditi rationem et abstrahit ab illius bonis dispositionibus; nec ipsa ratio concessionis, quae similiter abstrahit a talibus dispositionibus (potest enim aliquod jus vel aliqua res concedi bonis et malis); nec etiam ipsa ratio talis concessionis, seu indulgentiae et thesauri Ecclesiae (in quo quidem residet vis praecipui argumenti adversariorum), nam haec non conceduntur vivo subjective sed mere translative, seu non ita conceduntur ut ipse vivus in se recipiat fructum indulgentiae vel proprie indulgentiam faciat suam, sed tantum ut accipiat jus et officium ad alios transmittendi (ut dictum est in art. 109, p. 960–962). *Tertio*, status gratiae non requiritur ad hoc ut influxus indulgentiae possit exerceri; nam hic influxus est ex opere operato seu provenit ex solo valore thesauri, adeoque est independens a bona dispositione concedentis vel transmittentis indulgentiam, quemadmodum influxus sacramenti est independens a dispositione ministri et valor satisfactionis sacramentalis, sive pro se exhibitae sive pro alio (ex permissu nempe confessarii), est independens a statu gratiae. *Quarto*, status gratiae non requiritur ad hoc ut fiat ipsa translatio indulgentiae per modum suffragii (in quo est vis argumenti Palmieri). Id enim exigit sive ipsa ratio translationis, nam haec est mera functio instrumentalis, ut constat in translatione eleemosynae per malum legatum, sive ipsa ratio suffragii, nam vivus acquirens indulgentiam non transmittit aliquam satisfactionem a se positam, ut accidit in translatione proprie dictorum suffragiorum ope vicariae satisfactionis, nec etiam aliquam aliorum seu thesauri satisfactionem sibi translata per vicariam satisfactionem et in seipso receptam, nam Ecclesia non intendit thesaurum applicare vivis sed defunctis, et, si vivis ceteroquin applicaret, jam nihil transferri posset ad defunctos, cum effectus indulgentiae immediate exhauriretur in ipsis vivis (cf. supra, p. 961).

Ad quaestionem facti quod attinet, an scilicet de facto Ecclesia ita concedat indulgentias pro defunctis ut exigat conditionem status gratiae, ex ipsa rei natura aliunde non requisitam, difficilior est responsio, praecipue ob dissensum auctorum. Attamen, responsionem negativam suadet tum ipsa absentia ullius manifestationis talis intentionis ex parte Ecclesiae, qua deficiente, res sequuntur cursum suum naturalem, juxta quem, ut dictum est, status gratiae de se non requiritur ad acquirendam indulgentiam pro defunctis, tum ipse valor indulgentiae altaris privilegiati, si, ut ipsi interpretantur adversarii, verum est S. C. Indulgentiarum declarasse eam valere etiam cum missa celebratur a sacerdote peccatore (cf. supra, p. 1125). Nec valet dicere cum adversariis hanc indulgentiam ideo valere quia affigitur missae, cujus valor non dependet a dispositione celebrantis; nam, praetermisso quod indulgentia non funditur cum valore missae sed tantum ei affigitur, tanquam conditioni, et quod ceteroquin, quomodolibet res explicetur, habemus hic exemplum indulgentiae pro defunctis independentis a dispositione vivorum, dicendum est (congruenter cum dictis in art. 109, p. 949 sqq.; cf. in p. 1034, in nota ad textum De Angelis) hanc indulgentiam affigi ipsi sacerdoti celebranti, tanquam ei cui indulgentia conceditur et a quo ad defunctos transfertur, secus non posset fieri actus jurisdictionis, in quo omnis indulgentia essentialiter consistit, cum Ecclesia non habeat jurisdictionem in defunctos nec possit ipsis immediate indulgentiam concedere.

V. INTENTIO LUCRANDI.

QUOAD INDULGENTIAS PRO VIVIS, juxta dicta in tractatu De sacr. in gen., art. 23 (p. 345 sq.) de susceptione ipsorum sacramentorum et de variis divisionibus intentionis, ad eas acquirendas requiritur *intentio*, nam acceptio beneficii debet fieri humano modo, seu voluntarie; non tamen requiritur intentio actualis (i.e. quae actu adest secundum se), nec etiam virtualis (i.e. quae actu adest non secundum suam formam, sed secundum suam virtutem seu influxum), nam hae intentiones requiruntur quidem ad agendum sed non ad accipiendum; sufficit ergo intentio *habitualis* (i.e. quae est non actu sed habitu, adeoque semel habita nec unquam retractata), et quidem *implicita*, seu contenta in alia generaliori intentione (puta in intentione acquirendi omnia Ecclesiae spiritualia beneficia et concessionem); non tamen sufficit intentio mere interpretativa, quia haec nec est, nec fuit, sed tantum esset, adeoque nullo modo est nisi mere hypothetice.

Haec autem habitualis implicita intentio de facto continetur in intentione ejus qui antea explicite cogitavit de acquirenda aliqua deter-

minata indulgentia; imo in generali intentione acquirendi omnes indulgentias quae ab Ecclesia passim conceduntur, et in hoc saltem sensu accipienda sunt verba Codicis, can. 925: "Debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi";⁴⁶ imo in generaliori intentione acquirendi omnia beneficia, gratias et privilegia quae ab Ecclesia concedi solent; imo, probabiliter, in generalissima intentione christiane vivendi, seu in ipsa professione vitae christianae.

Ceterum, auctores non uno modo sentiunt aut loquuntur de hac re. Nam quidam pauci (ut Billuart et Gury) requirunt ipsam intentionem virtualementem (sub hac tamen expressione non raro contingit intelligi intentionem habitualementem); alii videntur exigere intentionem habitualementem explicitam, sed satis communiter auctores saltem moderni loquuntur de intentione habituali implicita, et quidem generalem; alii videntur requirere saltem praedictam generalem intentionem, alii vero contenti sunt de supradicta generaliori intentione et alii de ipsa generalissima intentione; alii tandem (ut Lugo, Ballerini et Palmieri) dicunt indulgentiam acquiri posse (si S. Pontifex sic disponat seu si nullum opus faciendum imponat) sine ulla prorsus intentione (i.e. sine absoluta intentione), cum sola nempe interpretativa, seu hypothetica, intentione, ac de facto sic concedi indulgentiam plenariam in articulo mortis quam ipsum Rituale Rom. (t. 5, c. 6, n. 1) ait impertiendam "illis infirmis, qui vel illam petierunt . . . seu verisimiliter petiissent", sed in hac opinione videtur fieri confusio inter intentionem interpretativam et supradictam generaliore intentionem.

En quaedam specimina hujusmodi fluctuationis apud auctores:

CAPPELLO (ed. 1944, n. 660): "*Sufficit . . . intentio habitualis*, i.e. aliquando habita et nunquam retractata. Nec requiritur habitualis explicita; *satis est implicita*. Sententia quae tenet intentionem habitualementem semel elicitam, sed quae iam non movet ad actus, non sufficere, intrinsece probabilis non videtur. Can. 925, § 2 loquitur de intentione generali, quatenus necesse non est, ut fidelis intendat banc aut illam indulgentiam lucrari, cum sufficiat, ut intendat simpliciter lucrari indulgentias, si et quatenus acquiri possunt. *Intentio habitualis implicita habetur probabiliter in ipsa professione vitae christianae*. Qui generalem intentionem elicit lucrandi omnes indulgentias, quae operibus a se positis adnexae sunt, eas lucratur, etsi de indulgentia non cogitet, quando opus ponit, imo etsi ignoret operi, quod peragit, adnexam esse indulgentiam. Attamen valde suadendum est, licet necessarium minime sit, ut quotidie mane eliciatur intentio lucrandi omnes indulgentias, quae per opera interdicti posita acquiri possunt. Si conditio indulgentiae sit opus praestitum in certum finem, oportet ut revera in istum finem saltem implicite referatur."

DE ANGELIS (De indulgentiis, n. 64): "Intentio debet esse saltem generalis, i.e. voluntas generaliter concepta, non retractata, omnes indulgentias existentes

⁴⁶ *S. C. Indulgentiarum* quaesito: "Quando ad indulgentias lucrandas praescribitur oratio pro fine determinato v. gr. pro extirpatione haeresum etc., an requiratur intentio explicita, expressa singulis vicibus?", die 22 febr. 1847, respondit: "Negative."

lucranda. Non requiritur intentio actualis nec virtualis, sed *sufficit intentio habitualis*, quae est voluntas semel concepta nec retractata. Hinc defectu intentionis non lucratur indulgentias qui, etsi adimpleat omnia opera praescripta, *de ipsis indulgentiis lucranda nullimode cogitat nec cogitavit* neque in particulari neque in generali, excepta forsitan indulgentia plenaria in articulo mortis, de qua expresse in Rituali Romano (tit. V, c. 6, n. 1) dicitur quod solet impertiri 'illis infirmis, qui vel illam petierunt . . . seu verisimiliter petiissent'. In hoc casu, qui solus est, sufficere videtur intentio, quae a theologis appellatur interpretativa, 'quae actu nec fuit nec est, sed esset, si animum quis adverteret'; est idcirco solum dispositio voluntatis ad eam habendam."

HEYLEN (De indulgentiis, p. 47 sq.): "Concipitur indulgentiam lucriferi posse sine suscipientis intentione seu *cum mera hujus intentione interpretativa*, si nempe S. Pontifex ob causam piam ac rationabilem quae per opus injungendum non indiget compleri, absolute nullaque adjecta conditione Christifidelibus thesaurum Ecclesiae dispensat. Sicut enim unus potest applicare suas satisfactiones alteri, hujus rei inscio, sic etiam posset S. Pontifex et thesauro Ecclesiae solvere pro eo qui de ea solutione non cogitat. Hoc modo permittit quoque Ecclesia impertiri benedictionem apostolicam in articulo mortis etiam illis infirmis qui illam, dum sana mente et integris sensibus erant, verisimiliter petiissent."⁴⁶

"Atvero, extra hos casus exceptos, seu quando quaedam opera ad lucrandas indulgentias necessario sunt praestanda, requiritur intentio positiva easdem lucranda, cum opera injuncta ex natura sua non magis referantur ad indulgentiam ipsam quam ad alium pium finem assequendum; ideoque debeant saltem aliqua ratione determinari. Ad minus igitur requiritur intentio generalis, ut dicit C. I. C. can. 925, § 2; certo *habitualis exigitur*⁴⁷ et *juxta plerosque auctores sufficit*; at sunt qui eam sufficere negent, requirantque intentionem saltem virtualem. Haec sane, utpote tutior ac efficacior ad pios animi motus excitandos, praeferenda est. Communiter tamen admittitur sufficere intentionem mane habitam lucranda omnes indulgentias per diem occurrentes (et etiam occurrentes postriede vel aliquid serio casu quo quaedam conditiones, ut confessio et communio, ante ipsum diem lucranda indulgentiae peragi possunt), eumque in finem omnia opera praescripta adimplendi. Addunt quoque non requiri ut quis indulgentias lucrificandas determinate noverit, sed sufficere ut per sua opera intendat lucrari indulgentias, si quae sint concessae, et eo modo quo sunt concessae. Et haec est notio intentionis generalis, juxta *F. M. Cappello*. . .

"Multum igitur laudanda est praxis quotidie mane renovandi intentionem lucranda omnes indulgentias adnexas bonis operibus quae tali die quis est peracturus, ac simul determinandi utrum illas velit sibi ipsi applicare, an vero defunctis, casu quo his sunt applicabiles. Renovatio quotidiana non est tamen necessaria; intentio habitualis semel habita perseverat usque ad revocationem. Vide *F. Beringer*".

PALMIERI: "*Gury* 5. 2. § 1055. proposita quaestione: an et qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias, ita disputat in hanc rem. '1^a Sententia, quae probabilior videtur, docet requiri intentionem *positivam*, saltem *virtualem*. Ratio est, quia opus praescriptum dirigi debet in finem ab Ecclesia intentum: hoc autem praestare nequit ille, qui saltem virtualiter lucrari Indulgentiam non intendit. Ita Billuart *Append. de Indulg.* art. 5. Hoc autem intelligendum est dumtaxat, cum de fine expresse ab Ecclesia praescripto agitur. 2^a Sententia tenet, sufficere intentionem *habitualement*. Ratio est, quia per se nulla requiritur intentio; effectus enim Indulgentiae seu remissio poenae pendet omnino a concessionem Ecclesiae, non vero ab intentione agentis: inde licet se passivae habeat nec attendat ad Indulgentiam,

⁴⁶ Cf. *Rituale Romanum*, t. V, c. 6.

⁴⁷ "Juxta *F. M. Cappello*, o. c., n. 966, intentio habitualis implicita habetur *probabiliter* in ipsa professione vitae christianae."

imo nesciat se illam lucrari, dum ipsi contingit, nihilominus ius ad illam consequitur. Indulgentia enim conceditur ab Ecclesia per modum solutionis pro opereposito: sed ad validitatem solutionis non necessario requiritur, ut ille, pro quo tribuitur, eam noverit'.

"Verum, ut *Ballerini* in hunc locum advertit, 'ratio allata pro prima sententia prouti eam Gury intelligendam dicit, eandem sententiam potius perimit et secundam instaurat. Nam statuit, eum *dumtaxat* finem intendi oportere, quem Ecclesia *expresse* praescribat. Atqui Ecclesia certe nunquam *expresse* praescripsit, ut fideles haberent intentionem lucrandi Indulgentias. Quod si Ecclesia subinde praescribit, ut fideles in hunc aut alium finem orent, ieiunent etc. *ut v.g. inimicos sanctae Ecclesiae Deus humiliare dignetur*, hoc pertinet ad opus iniunctum, non vero ad intentionem lucrandi Indulgentiam. Unde fieri potest, ut aliquis in eum finem preces dirigat, de lucranda autem Indulgentia ne cogitet quidem'. Praeterea advertere licet, rationem allatam: *quia opus praescriptum debet dirigi in finem ab Ecclesia intentum*, esse ipsam thesism demonstrandam. In altera sententia ratio a Gury allata difficilis est. Quaestio est, an et qualis intentio requiratur: dicitur sufficere *habitualis* . . . : ergo haec saltem requiritur. Porro ratio huius sententiae est, quia per se nulla intentio requiritur, quod quidem satis apte probatur. Sed si ita est, cur obtruditur intentio habitualis? Nisi *habitualmente* intelligas *interpretativam*, quae actu nec fuit nec est, sed esset, si animus quis adverteret. Reapse altera sententia, quae ex discursu Gury se prodit, haec est, nullam intentionem lucrandi Indulgentiam necessariam esse. Non tamen excluditur intentio *interpretativa*; nam si quis est animo ita comparatus, ut, si sciret alicui operi Indulgentiam annexam esse, illam nollet vel illam non curaret; non est praesumendum, quod Pontifex velit ei illam dare.

"Argumentum aliud, pro sententia affirmante necessitatem intentionis producit Lugo *de Poenit.* disp. 27, n. 80. 'Quia Indulgentia est per modum privilegii, quod ignoranti non acquiritur, sed requiritur scientia et acceptatio privilegii et licet detur a pastore ut pastus, est tamen pastus voluntarius, qui voluntate percipi debet. Unde (subdit) hoc supponere videntur ii, qui dicunt non lucrari Indulgentiam eum, qui illas ignorat, etsi faciat opera omnia iniuncta' et citat Emm. Rodrig. et Aegidium Trullenk. Quod vero *ipse Lugo* sentiat, sic exponit. 'Fateor me non invenire rationem convincentem ad id negandum et ad dicendum, quod necesse sit scire vel intendere lucrari Indulgentiam. Quare id negavit Laur. Portel in *Addit. ad dubia regularia v. indulgentia* n. 7., ubi testatur, se eam sententiam accepisse a p. Ludovico Molina, nostrae Societatis, qui eam docuit. Probat autem exemplo satisfactionis ex opere operantis, quam, licet aliquis non intendat, sed ignoret omnino, acquirit tamen per exhibitionem boni operis.' Quod rursus, ait Lugo, 'confirmari potest, quia fructus suffragii mihi ab alio applicati acquiritur mihi ignoranti etiam et non intendenti: quod non solum verum est in fructu ex opere operantis, ut si aliquis pro me ieiunat, sed etiam in fructu ex opere operato, ut si alius pro me offerat sacrificium: ergo idem dicendum erit de fructu Indulgentiae, per quam Pontifex offert et applicat pro alio partem necessariam ex communi thesauro, cuius dispensator est. Cur enim minus proderit mihi ignoranti satisfactio Christi per Indulgentiam applicata, quam si applicetur per Missae sacrificium?' . . .

"Postquam Gury 1. c. duas sententias proposuerit, concludit: 'In praxi prior sententia suadenda videtur, ut tutior et efficaciter ad pios animi motus excitandos. Aliunde non valet usus probabilitalis in materia Indulgentiarum; siquidem non probabilitas, sed veritas effectum producit'. Verum 1° talis quidem est praxis, eo quod libri manuales precum soleant eam suggerere fidelibus: at si certum est, nullam per se requiri intentionem, frustra obtruditur haec praxis tutior; nam tutissimum est, sequi sententiam certam. Quod autem 2° loco dicitur, non valere in materia Indulgentiarum usum probabilitalis; 'facile, ait *ibid.* *Ballerini*, alii hoc negabunt', nimirum quia heic de re agitur, quae tandem pendet a potestate Ecclesiae.

‘Notissimum enim principium est, quoties de rebus in Ecclesiae potestate sitis probabiles feruntur ac in praxim deducuntur opiniones, illam, sicubi opus sit, supplere, quod ad actus valorem pertineat. Porro in re praesenti (vid. Diana tom. 4. tr. 5. res. 18.) utraque disputantium pars ad mentem voluntatemque confugit Romani Pontificis Indulgentias concedentis. Nam qui contendunt, non sufficere praestationem operis, rationem reddunt, *quia non videtur esse talis intentio Papae* et contra qui contendunt, praestationem operis sufficere, probent, *quia non est existimandum, Summum Pontificem in lucrante Indulgentias exigere actualem intentionem (actualement opponunt habituali et interpretativae); quia nec natura Indulgentiae id necessario postulat nec verba concessionis id significant etc.* Vide Laymann l. 5. art. 7. c. 6. n. 5.’⁴⁸

QUOAD INDULGENTIAS PRO DEFUNCTIS sufficit similiter intentio *habitualis implicita*. Cum autem agatur hic non solum de acquirenda indulgentia sed etiam de facienda ejus translatione ad defunctos, oportet ut ad hoc etiam objectum, saltem habitualiter implicite, intentio feratur. Unde inepte quidam dicunt in hac indulgentia requiri “intentionem expressam et actualem, nisi agatur de fideli qui actum heroicum caritatis emisit” (sic De Angelis), nam ipsa translatio ad defunctos non fit a vivo tanquam ab agente (in quo quidem requiritur intentio actualis vel virtualis, ut patet in ministro sacramentorum), sed tanquam a suscipiente intermedio (i.e. suscipiente cum intentione translativa), et in indulgentia duo tantum agentes concurrunt, i.e. Ecclesia concedens et Deus applicans thesaurum, sive immediate vivo, sive, ratione vivi, defuncto.

Hujusmodi intentio habitualis implicita continetur v.g. in actu heroico caritatis, quo expresse ac generaliter transferuntur ad defunctos omnia suffragia, et in usu altaris privilegiati, necnon omnium indulgentiarum solis defunctis applicabilium, qui implicite continet voluntatem se conformandi intentioni Ecclesiae, quae non nisi pro defunctis has indulgentias concedit. In indulgentiis vero, quarum translatio pendet a nutu fidelium quibus conceduntur, intentio requisita est necessario explicita (*habitualis explicita*), nisi quis generaliter statuerit transferre ad defunctos omnes indulgentias eis applicabiles, quas lucrari potest.

VI. IMPLETIO OPERIS INJUNCTI.

Quamvis, ut diximus in art. 115 (p. 1074–1076), impositio alicujus operis non sit absolute necessaria ad concessionem indulgentiae, etiam pro defunctis, tamen assumi solet ab Ecclesia tanquam aptissimum medium ad attingendum finem, seu causam rationabilem sine qua indulgentiae concessio esset invalida. Semel autem facta hac impositione, ejus executio se habet ut conditio validitatis indulgentiae, adeoque

⁴⁸ *Ballerini-Palmieri*, Opus theologicum morale, t. 5, De suffragiis et indulgentiis, n. 26–32, Prati, 1893, p. 633–635.

oportet, ut ait *Codex J. C.*, can. 925, "opera injuncta implere *statuto tempore ac debito modo* secundum concessionis tenorem."

Unde ab hac adimpletione non excusat ignorantia, bona fides vel impotentia, eo quod indulgentia, non secus ac sacramentum, influat ex opere operato seu ut causa quae infallibiliter agit vel non agit, prout adsunt vel desunt a parte rei omnes conditiones ad causalitatem requisitae. Ad rem *S. Thomas*: "Non existente conditione, non consequitur illud quod sub conditione datur. Unde cum indulgentia detur sub hac conditione, quod aliquis aliquid faciat vel det, si illud non exercent, indulgentiam non consequitur" (*Suppl.*, q. 27, a. 3). Ceterum, casibus impotentiae ipse *Codex J. C.*, can. 935, occurrit, statuens: "Pia opera ad lucrandas indulgentias iniunctas confessarii possunt in alia commutare pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant."

Ad TEMPUS IMPLETIONIS quod attinet, quaedam regulae traduntur in ipso *Codice J. C.*, can. 921–923. 928; ceterae vero colligendae sunt ex ipso tenore concessionis, attenta etiam generali interpretatione tum decretorum S. C. Indulgentiarum tum probatorum auctorum.

Circa diei determinationem, haec accipe ex *De Angelis* (cetera vide apud Heylen⁴⁹): "1) Indulgentiae absque ulla temporis determinatione concessae, quolibet diei intervallo acquiri possunt, ex.g. indulgentiae Rosarii recitationi adnexae.⁵⁰ — 2) Indulgentiae vero, cum temporis determinatione concessae, statuto tempore lucrificari debent; ex.g. indulgentiae recitationi *Angelus Domini* vel *Regina caeli* adnexae, quae a fidelibus acquiri possunt cum primo diluculo tum meridiano tempore tum sub vespeream vel cum primum postea ipsi potuerint.⁵¹ — 3) Indulgentia alicui diei affixa, *a media nocte ad mediam noctem* acquiri potest, nisi aliter expresse habeatur in concessionis documento.⁵² Si tamen ad hanc indulgentiam lucrandam *'visitatio ecclesiae requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem, quae statutum diem claudit'* (can. 923). — 4) Quoad indulgentias vero concessas cum clausula *'a primis vespereis usque ad solis occasum diei festi'*, quae in antiquioribus concessionibus pro festivitatibus proprie dictis inveniri solet, non conveniunt Doctores in determinando initio temporis, intra quod indulgentia acquiri potest. Nobis tamen verior videtur sententia eorum qui horam secundam post meridiem statuunt qua vespereae publicae recitari solent. — 5) Quoad vero alteram clau-

⁴⁹ De indulgentiis, Mechliniae, 1948, p. 53–59.

⁵⁰ *Preces et pia opera indulgentiis ditata*, ed. 1938, n. 360.

⁵¹ *Ibid.*, n. 300.

⁵² S. C. Indulg., 12 ian. 1878; Decr. auth. n. 434 ad 1^m.

sulae partem, i.e. *'usque ad solis occasum'*, Doctores fere unanimiter tenent tempus utile ad indulgentiam acquirendam usque ad vespertinum crepusculum protrahi, i.e. circa unam horam post *Ave Maria* serotinam.⁵³

Ad MODUM IMPLETIONIS quod attinet, injuncta opera implenda sunt:

1. *INTEGRE*. Oportet scilicet quod totum vel fere totum opus impletur, ita ut dici possit substantialiter esse impletum, cui proinde non officit si aliqua pars omittatur quae sit tum absolute tum respective levis, cum parum pro nihilo reputetur; ita omissio unius Pater, Ave et Gloria non obstat acquisitioni adnexae rosario, obstat vero si opus praescriptum sit recitatio 5 Pater, Ave et Gloria. Si opus non integre impletur, nequaquam pro impleta parte fructus indulgentiae partialiter acquiritur, sed totaliter amittitur, cum conditio per se intelligatur apponi indivisibiliter, nisi aliud in ipso concessionis tenore explicite dicatur.

Integrae operum impletioni non obstat, si inter varia opera injuncta non servetur ordo quem obtinent in formula concessionis; nam ordo est accidentarius nec ideo Ecclesia intendit praescribere ordinem sed opera, et ipsa S. C. Indulgentiarum declaravit "ecclesiarum visitationem . . . impleri posse sive ante sive post aliorum piorum operum implementum".⁵⁴ Item non obstat, si quis disponat ad libitum, in favorem sive vivorum sive mortuorum, de valore supernaturali proveniente, tam ex opere operantis quam ex opere operato, ex adimplentione operum praescriptorum; nam haec opera sunt mera conditio, qua posita, indulgentia necessario operatur. Ad rem *Suarez*: "Quando aliquis exequitur opus pium, ut sibi ipsi lucretur indulgentiam aliquam, potest nihilominus propriam satisfactionem, quam ex opere operantis inde habet, alteri aut defuncto, aut viventi applicare per modum suffragii, quia indulgentia solum exigit executionem illius operis, non vero applicationem satisfactionis ejus pro se, vel pro alio. . . Imo etiam quoad hanc partem existimo verum, si alicui concedatur indulgentia plenaria quoties sacrificaverit tali loco, vel tali die, vel simpliciter, posse lucrari indulgentiam, sacrificium offerendo pro altero vivente, aut defuncto, quia neque ex vi talis concessionis aliud exigitur, neque est verisimile indulgentiam impedire hoc charitatis opus, aut hanc esse Pontificis intentionem."⁵⁵

Attamen potest Ecclesia imponere, tanquam conditionem, ut prae-

⁵³ De indulgentiis, n. 67, Colle Don Bosco (Asti) (1946), p. 44 sq.

⁵⁴ Decr. 19 maii 1759, Decr. auth., n. 214.

⁵⁵ De Poenitentia, disp. 53, sect. 4, n. 4, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1111.

dictus valor transferatur ad eundem defunctum, cui transfertur indulgentia, idque de facto obtinet in indulgentia altaris privilegiati, quae nequit applicari nisi animae pro qua sacrificium celebratur.⁵⁶

Obstat vero integrae operum impletioni, tum substitutio operum aequivalentium operibus inunctis, facta privata auctoritate (nam, ut dictum est, confessarius potest opera inuncta commutare), tum assumptio ejusdem operis ad lucrandas plures indulgentias. Statuit enim *Codex J. C., can. 933*: "Uni eidemque rei vel loco plures ex variis titulis adnecti possunt indulgentiae; sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sunt, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit." *S. C. Indulgentiarum*, 12 jun. 1907, concessit ut eadem rosarii recitatione possint simul acquiri indulgentia SS. Rosarii et indulgentia PP. Crucigerorum, et *S. Poenitentiarum*, 14 jun. 1922 (AAS, t. 14, p. 394), declaravit fideles per eadem opera, quibus adnectuntur indulgentiae Apostolicae, posse alias simul indulgentias lucrari quae eisdem operibus adnecti contingat.

2. *PIE.* Oportet nempe ut opus pium, ab Ecclesia praescriptum, fiat pie, seu modo moraliter bono et honesto; si enim vitiatur peccato, nequit apte conducere ad finem quem intendit Ecclesia in indulgentiae concessionem.

Ad haec notat *Heylen*: "Si quis in operis executione committat peccatum, etiam veniale, quod *substantiam actus inficit*, v.g. oret ob vanam gloriam, indulgentiam non lucratur. Sunt tamen qui ab hac regula excipiunt casum quo, non obstante vitio substantiali, opus adhuc est medium aptum ad finem, ut contingit in eleemosyna data ex vana gloria pro erectione ecclesiae. Verum alii, nixi praesertim auctoritate Benedicti XIV, requirentis ad opera praescripta *actus bonos moraliter*, hanc exceptionem non admittunt voluntque eleemosynam datam ex vana gloria non magis quam orationem factam ex vana gloria esse opus aptum ad lucrandam indulgentiam, cum in utroque casu actus radicitus infectus non maneat moraliter bonus. Attamen si peccatum veniale *non vitiet substantiam actus*, sed per accidens eum comitetur, v.g. si visitans ecclesiam loquatur verbum otiosum vel levem irreverentiam committat, manet opus sufficiens ad lucrandam indulgentiam."⁵⁷

Ut tamen constat ex dictis superius (p. 1119–1132), in adimptione inductorum operum, non requiritur ipse status gratiae (nisi in termino adimptionis), neque specialis aliqua dignitas aut devotio.

⁵⁶ Cf. *De Angelis*, De indulgentiis, n. 317, Colle Don Bosco (Asti), (1946), p. 202 sq.

⁵⁷ De indulgentiis, Mechliniae, 1948, p. 49 sq.

3. *LIBERE*. Oportet scilicet ut opus non sit aliunde debitum, vi alicujus legis aut praecepti, quia nequit per unum idemque opus fieri satis duabus obligationibus sive debitis.

Ad rem ipse *Codex, can. 932*: “Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur, nequit indulgentia lucrifieri, nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari.” Jam S. C. *Indulgentiarum*, 29 maii 1841, negative responderat sequenti dubio: “An possit per preces iam obligatorias v.g. per Horas canonicas satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ad lucrandam indulgentiam plenariam”.⁵⁸

Ad haec *Cappello* (n. 661): “Indulgentiae apostolicae aut rosariis crucigerorum adnexae aliaeve acquiri non possunt recitando v.g. *Pater* vel *Ave Maria*, quod ad officium divinum pertinet, nec per horas canonicas satisfieri potest obligationi recitandi preces ad lucrandas indulgentias praescriptas. Communionem paschali obtineri possunt indulgentiae, ad quas lucrandas communio praescribitur.⁵⁹ Et iam ab ipsa mente Legislatoris alienum apparet ut spontanea obligatio per votum suscepta indulgentias ab operibus promissis tollat. Ita *Vermeersch*.⁶⁰ Quod ut solide probabile existimamus, quia votum est *lex* quaedam vel *praeeptum* sibi a vovente impositum, non autem a Superiore; porro in can. 932 videtur de huiusmodi lege vel praecepto eoque tantum sermo esse, seu de lege vel praecepto *proprie* sumpto. Per opera, quae ex statutis seu regulis religiosarum communitatum peraguntur, si non obligant *sub peccato*, obtineri possunt indulgentiae eisdem operibus adnexae.”

4. *PERSONALITER*. Etsi enim Ecclesia possit permittere ut opus, pro quo aliquis lucratur indulgentiam, praestetur ab alio (cf. supra, p. 1032), cum possit etiam indulgentiam concedere absque ullius operis impositione, tamen, nisi id explicite significetur, adeoque juxta consuetam concessionum formam, oportet ut opera injuncta praestentur ab ipso lucrante, saltem ut ab operante formaliter et principaliter. Unde sola opera quae versantur circa exteriorem materiam, uti elemosynae seu elargitiones poecuniae aliarumque rerum aequivalentium, non vero ea quae important actionem personalem, uti oratio et jejunium, fieri possunt per aliam personam ad lucrandam indulgentiam, quia ea sola vere ac formaliter, etsi non etiam materialiter, vocari possunt opera ipsius lucrantis, quantumvis agentis per alios.

⁵⁸ Decr. auth., n. 291, ad 2.

⁵⁹ S. C. Indulg., 10 maii 1844; Decr. auth., n. 327.

⁶⁰ *Theol. mor.*, III, n. 625.

Ad rem apte *SUAREZ*: "Advertendum est duobus modis posse opus aliquod per alium fieri: *uno modo tanquam per instrumentum, quod nomine alterius operatur*, vel ministerialiter exequitur opus, quod ab alio principaliter fit, quomodo aliquis dat eleemosynam per famulum; nam, licet famulus sit qui immediate praebet pecuniam, tamen dominus est, qui principaliter facit eleemosynam, quia de bonis ejus et jussu fit. Et de hoc modo operandi per alium certissimum est, quoties eleemosyna, vel aliud simile opus simpliciter injungitur, sufficienter fieri per alium praedicto modo, cum ille modus operandi etiam ad propriam satisfactionem, et ad praeceptum implendum sufficiat. Ratio vero est, quia tale opus simpliciter et absolute est ipsius domini, famuli autem non nisi secundum quid et materialiter. Propter quod ex sententia omnium . . . nihil refert quod hujusmodi famulus sit in gratia, vel in peccato, aut quod hac vel illa intentione operetur, quia in eo non attenditur nisi ipsa executio, quae est quasi actio exterior domini praecipientis.

"Quod autem dicimus de famulo et hero, intelligendum est de quocunque procuratore, vel amico operante hoc modo nomine alterius; nam militat eadem ratio. Unde, si quispiam roget amicum suum ut pro se eleemosynam faciat tanquam suam, sufficere poterit ad indulgentiam, quia ibi virtute intervenit duplex donatio: prior est unius amici donantis alteri tantam pecuniam, ut ex ea eleemosynam faciat; posterior est elargitio, quae pauperi fit nomine ejus. Hic autem operandi modus per alium non habet locum in omnibus studiosis operibus, sed solum in illis, quae versantur circa extrinsecam materiam, ut sic dicam, seu circa elargitiones pecuniae, vel aliarum rerum aequivalentium, non vero circa actiones mere personales, ut sunt jejuniun, orationes, et aliae similes.

"Denique licet priores actiones possint per alios executioni mandari, non est tamen dubium quin dispensator indulgentiae possit aliquando, si velit, exigere ut conditionem necessariam ad lucrandam indulgentiam, eleemosynam, quae per propriam et personale actionem, ac veluti propriis manibus conferatur; sicut etiam posset exigere opus misericordiae personaliter exercendum, ut visitare infirmum, etc.; nam haec opera per propriam actionem personalem facta promovent pietatem, et augere possunt meritum et satisfactionem, et ideo non excludunt quin possint ad indulgentiam lucrandam tali modo requiri; tamen, nisi id exprimat (quod raro fit) eleemosyna simpliciter injuncta, sufficienter priori modo impletur.

"*Alio vero modo* contingit actionem aliquam pietatis fieri per alium *tanquam per propriam causam proximam ipsius operis*, quanquam alterius rogatu, vel in commo- dum ejus id faciat; quomodo potest unus per alium vel pro alio jejunare, aut orare, aut templum visitare, etc. Et in hoc modo operandi attendendus est tenor indulgentiae; quoties enim tale opus simpliciter injungitur tanquam conditio necessaria ad indulgentiam lucrandam, necesse est ut personaliter impleatur ab eo qui lucraturus est indulgentiam per seipsum, quia tale opus, simpliciter loquendo, non fit ab aliquo, quando per alium fit; talis vero indulgentia requirit ut ab ipso lucrante fiat.

"Secus vero erit si tenor ipsius indulgentiae solum postulet visitare Ecclesiam, et similia, per se, vel per alium; nam tunc certum est sufficere opus per alium factum, quia sufficienter expletur conditio ad indulgentiam postulata, ut recte docuit D. Thom., in 4, d. 20, q. 2, art. 5, q. 3, ad 2. Qui etiam advertit in eo casu, eum qui loco alterius operatur, non donare indulgentiam ei, pro quo operatur, sed Pontificem illam applicare, posita tali conditione, per actionem alterius."⁶¹

De particularibus autem operibus, quae praecipue ad lucrandam plenariam indulgentiam praescribuntur, scilicet *confessione, communione, visitatione Ecclesiae et oratione ad mentem S. Pontificis*,

⁶¹ De Poenitentia, disp. 52, sect. 7, n. 2 sq., Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 1089.

specialis expositio habetur apud auctores practicos, ut Fanfani, De Angelis et Heylen.

ART. 118. Utrum Indulgentia Adaequate Distinguatur A Poenitentia.

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur.

Ex dictis in superioribus articulis, et attenta praecipue definitione Indulgentiae tradita in art. 112, facile colligitur *discrimen quod adest inter indulgentiam et sacramentum Poenitentiae* seu remissionem poenae quae fit per absolutionem sacramentalem.

Ex parte formae, seu actus potestatis, indulgentia est potestas clavis, sed secundaria (cf. art. 103, p. 792); est potestas jurisdictionis, imo in foro interno, sed non sacramentalis (cf. art. 109, p. 941-945), nec praeterea consistit in proprie dicta absolutione, attingente immediate ipsam poenam, sed attingit immediate solutionem thesauri, mediate vero solutionem poenae (cf. *ibid.*, p. 962-968).

Ex parte effectus, absolutio sacramentalis ordinatur primo et per se ad auferendam culpam, consequenter vero poenam, etsi utrumque faciat immediate seu formaliter; indulgentia vero ordinatur ad auferendam solam poenam temporalem, et quidem non formaliter et immediate, sed mediante solutione thesauri (cf. *ibid.* et art. 110, p. 973-988).

Ex parte efficacitatis, haec in sacramento Poenitentiae est simpliciter *melior*, quia ex opere operato physico, dependenter non solum a meritis sed etiam a physica virtute Christi, dum indulgentia influit ex opere operato moraliter (cf. art. 111, p. 1010) dependenter a solis meritis seu satisfactionibus thesauri Ecclesiae. Item, efficacitas Poenitentiae est simpliciter *liberalior*, quia est simplex absolutio, cui praeterea nulla ab Ecclesia conditio apponi potest, nisi ea satisfactio quae ex ipsa ceteroquin voluntate Christi ad integritatem sacramenti requiritur; dum indulgentia est quaedam compensatio Deo exhibita ex thesauro Ecclesia, cui praeterea ipsa Ecclesia potest apponere, et diversimode apponit, onerosas condiciones. Secundum quid tamen indulgentia est liberalior, tum quia quantitas fructus non dependet a speciali dignitate vel dispositione subjecti (cf. art. 111, p. 1008 sqq.), tum quia Ecclesia potest eam concedere absque impositione ullius

operis (cf. art. 115, p. 1074–1076), facta mera solutione ex thesauro sanctorum; quo sensu Poenitentia, ut ipsa vox sonat, procedit per modum poenae seu satisfactivae reparationis, dum indulgentia, ut ipsum pariter nomen significat, procedit per modum indulgentis remissionis.

Praeterea indulgentia nequit proprie *reviviscere* (cf. art. 117, p. 1123 sq.), dum Poenitentia, utpote sacramentum, posset *reviviscere*, si admitteretur cum quibusdam theologis quod possit esse valida et informis et quod producat permanens aliquod rem-et-sacramentum (cf. art. 29, tom. 2, p. 192 sq.).

Ex parte concedentis, indulgentia fit a S. Pontifice ut administratore thesauri Christi (cf. art. 109, p. 948 sq.), in quo praeterea requiritur justa causa ad validitatem concessionis (cf. art. 115, p. 1078 sq.), Poenitentia vero applicatur a sacerdote ut vero instrumento Christi principaliter agentis, nec requiritur justa causa ad validitatem collationis.

Ex parte subjecti, in indulgentia nulla requiritur determinata bona dispositio, praeter statum gratiae, qui praeterea non influit ut proprie dicta dispositio sed ut mera conditio (cf. art. 111, p. 1008 sq. 1020 sq., et art. 117, p. 1120 sq.), dum in Poenitentia requiritur determinata quaedam ac proprie dicta dispositio.

Ceterum, ut dictum est in introductione hujus Capituli (p. 826 sq.), indulgentia multipliciter complet ac perficit sacramentum ipsum Poenitentiae, una cum Excommunicatione concurrens in triplicem illam clavem, qua coelum clauditur vel aperitur, et in triplicatum illum funiculum qui ab haeretica pravitate difficile rumpitur.

CAPUT XII

DE CAEREMONIIS

ART. 119. Utrum Convenienter Assignentur Caeremoniae Et Sacramentalia Sacramenti Poenitentiae.¹

CONCLUSIO *affirmativa*

Exponitur.

Cum essentia hujus sacramenti consistat in tribus actibus poenitentis et absolutione sacerdotis, omnia quae, praeter externum signum doloris et confessionis et verba "Absolvo te", fieri consueverunt, aut hodie observantur, in administratione hujus sacramenti, sunt mere caeremonialia et accidentalia, atque per se mutabilia juxta variam Ecclesiae disciplinam, pro diversitate temporum ac locorum.

Porro sicut in antiqua Ecclesiae disciplina, in qua publica poenitentia observabatur, nullum aliud extitit sacramentum quod tam solemnibus ac multiplicibus ritibus vestiretur, ita in hodierna disciplina privatae poenitentiae, nullum aliud est quod, versa vice, tam pauperiori et humiliori veste exornetur. Cujus diversitatis ratio est tum ipsa secreta indoles hujus tribunalis, quod decursu temporis sibi districte advocavit omnia jura sacramentalis sigilli, tum liberalissima frequentia ac facilitas qua Ecclesia clavibus sacramentalibus utitur in favorem lapsorum; frustra enim in causa privata ac secreta multiplicarentur caeremoniae, quarum praecipuus finis est publica fidelium utilitas et instructio, nec praeterea convenienter oneraretur usus sacramenti ejusque accessus difficilior peccatoribus redderetur quibus aliunde tam generose exhibetur.

Caeremonias *antiquae disciplinae poenitentialis* sufficienter explicavimus in art. 45 (tom. 2, p. 872–880), ubi necesse fuit totam agitare quaestionem de indole et modo poenitentiae publicae, necnon de ejus

¹ In *S. Thomae* Supplemento, q. 28, ad terminum tractatus de Poenitentia fit sermo de solo ritu publicae poenitentiae (quam ceteroquin quaestionem ipse S. Doctor collocat, juxta ordinem Magistri, inde ab initio tractatus, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 5); ad ritum sacramenti referuntur quaedam quae in aliis quaestionibus dicuntur, uti de forma sacramenti et de manuum impositione (3 p., q. 84, a. 3 et 4, inter argumenta).

progressivo delapsu in poenitentiam privatam. *Restat igitur ut breviter exhibeamus paucas quae nunc supersunt caeremonias*, quarum ceteroquin origo ascendit ad priores ritus poenitentiae privatae, adhibitos in medio aevo, et, his mediantibus, ad ipsas observantias antiquae Ecclesiae, quae poenentialia sua indumenta nunquam abjecit sed, pro tempore ac moribus, succinxit et aptavit.

In tractatu du Baptismo et Confirmatione, utriusque caeremonias convenienter divisimus in antecedentes, concomitantes et subsequentes ipsam sacramenti essentiali administrationem. Haec tamen divisio hic frustranee adhiberetur, tum quia nulla datur materia antecederet benedicenda aut consecranda, sicut aqua baptismalis et chrisma confirmationis, sed ipsi actus poenitentis sunt materia sacramenti; tum quia ceterae actiones sive poenitentis sive ministri, quantumvis multiplicatae, necessario concomitant essentiali sacramenti (si excipiantur preces adhibitae post absolutionem), nam inde ab ipso momento quo poenitens manifestat intentionem confitendi seque clavibus subiciendi, incipit ipsum sacramentum, inviolabili sigillo obsignatum. *Convenientius igitur ritus hujus sacramenti dividi possunt in res (scilicet tempus, locus, vestis) et actiones² tum poenitentis tum ministri*. Quae fere omnia breviter exhibentur in ipso Rituali Romano et Codice J. C. Concilium ipsum Tridentinum memorat solas preces adjunctas verbis absolutionis "Ego te absolvo": "Quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiali nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariae" (Denz. 896).

I. TEMPUS.

De tempore *obligationis* dictum est in art. 37 (tom. 2, p. 476–481. 497 sq. 508–514). Tempus autem *concessionis* per se limites non habet, tum quoad frequentiam tum quoad determinationem diei vel horae. Rituale et Codex nihil de hoc tempore observant. Potest igitur sacramentum administrari tum quolibet die, nec ideo probanda est consuetudo non audiendi confessiones Feria VI in Parasceve,³ tum qualibet diei hora, nisi, ut in casu confessionum mulierum, obstet ratio decentiae; inde "confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum et ante auroram";⁴ quae tamen necessitatis ratio latiori patet interpretationi, Ordinarii voluntate aut dioecesanis statutis temperandae.

² Inter has actiones, pro proprie dictis *sacramentalibus* haberi possunt: signum crucis, Confiteor, benedictio super poenitentem, caeremonialis absolutio (Misereatur, Indulgentia).

³ Cf. S. R. C., Tricarinen., 17 dec. 1875, Decr. auth., n. 3383.

⁴ S. C. Ep. et Reg., 21 jun. 1620, et S. C. de Prop. Fide, 12 jan. 1860 (Collect., n. 1339).

II. LOCUS.

Locus proprius et ordinarius duplex est: *ecclesia* et *sedes confessionalis*. Hodierna observantia, regulata a *Codice J. C.* (l. 3, c. 4 “De loco ad confessiones excipiendas”) et a *Rituale Romano* (tit. 3, c. 1, n. 7–9, ubi observa leve discrimen inter editionem antiquiorem et editionem a. 1925, jussu Pii XI ad normam Codicis J. C. accommodatam) haec est:

“*Can. 908.* — Sacramentalis confessionis proprius locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum.”

“*Can. 909.* — § 1. Sedes confessionalis ad audiendas mulierum confessiones semper collocetur in loco patenti et conspicuo, et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato. § 2. Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa.”

“*Can. 910.* — § 1. Feminarum confessiones extra sedem confessionalem ne audiantur, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit. § 2. Confessiones virorum etiam in aedibus privatis excipere licet.”

Ad interpretationem horum canonum, quatenus respiciunt *confessiones mulierum*, faciunt sequentes declarationes S. Sedis ante Codicem:

S. C. S. Officii, 25 nov. 1874, interrogata: “I. An loca in quibus excipi solent confessiones monialium habenda sint ut loca destinata ad audiendas confessiones, vel ut vera confessionalia; — II. An idem dicendum sit de locis constructis ad formam eorum in quibus excipi solent confessiones monialium claustralium, in quibus excipiuntur confessiones mulierum degentium in locis, quae vulgo dicuntur *conservatorii, ritiri*; — III. Quatenus habenda sint ut vera confessionalia, utrum talia censenda sint solum quoad moniales, et alias degentes in praedictis locis, an etiam quoad alias personas extraneas”; respondit: “Ad tria dubia prout exponuntur: *Affirmative.*”⁵

S. C. de Prop. Fide, 26 aug. 1780, decrevit “ut *mulierum* confessiones palam in ecclesiis, cappellis, aut publicis oratoriis, ubi adsunt: ubi vero desiderantur, in alio loco patenti, ac pervio, et ianuae hospitii quantum fieri potest viciniore, a respectivis Ordinariis, et his deficientibus, a localibus missionibus Superioribus designando, interposita crate ferrea, vel alio repagulo inter os confessarii, ac mulieris poenitentis, audiantur”⁶.

Item, 17 mart. 1875, interrogata: “Se il decreto della grata per le donne s'intenda solo doversi osservare negli oratori stabili delle cristianità;

⁵ Collect. S. C. de Prop. Fide, n. 1424.

⁶ Ibid., n. 545.

e se quando il missionario è obbligato a confessar donne nelle case particolari, per mancanza di oratorio stabile, *basti che queste con un velo si coprano tutto il volto*"; respondit: "*Affirmative ad primam et secundam partem, si aliter fieri nequeat*".⁷

Item, 13 april., 1807, statuit ut in excipienda confessione mulieris aegrotantis "*cubiculi ianua sit patefacta, ut conspici tam confessarius quam poenitens possint*".⁸

Ad vim obligativam hujus rubricae observat Piscetta-Gennaro (n. 713): "Per se graviter peccat qui sine causa excusante mulieres extra sedem confessionalem audit. Legem enim Ecclesiae in materia gravi violat, et seipsum ac poenitentem gravi peccandi periculo committit. At leve est id semel iterumve agere iis locorum et personarum in adiunctis, in quibus peccandi graviter et scandali periculum absit. Leve inquam, quia sine causa in materia levi violatur lex. Qui vero mulieres in sede confessionali audit, at in loco non patenti, probabiliter leviter peccat, licet id habitualiter agat, si modo peccandi graviter et scandali periculum absit."

Circa confectionem sedis confessionalis, de qua in can. 909, § 2, habetur sequens rescriptum *S. C. Ep. et Reg.*, 22 sept. 1645: "Che li confessori così secolari come regolari, volendo amministrare questo sacramento a persone secolari di qualsivoglia sesso o età si siano, debbano farlo in chiesa con la stola al collo, alla fenestrella del confessionario quale abbia i forami così angusti, che non possa passarvi il dito auricolare, ecettuati però i casi d'infermità, o di altra precisa necessità o congruenza morale, ne' quali possono confessare nella *sacrestia*, o *altro luogo decente*, col solo abito regolare, e così anche per servizio degl'infermi nelle loro case."

Observat Cappello (n. 632): "In hac re attendendae sunt ordinationes dioecesanae atque usus locorum consulendus est circa formam sedis confessionalis. At hodie necesse omnino est ex iure communi, ut confessionale habeat *cratem eamque fixam ac tenuiter perforatam*, seu ut foramina ita sint tenuia, '*che non possa passarvi il dito auricolare*'. Expediit ut confessionale cortinis, quae confessarium obtegant, muniatur, aut clausum sit, dummodo loci consuetudo id patiat. Curandum ut crates sint semper mundaе, maxime vero ut ostiola bene et facile claudi possint; secus poenitens, ab alia parte genuflexus et exspectans, verba confessarii audire posset. Praeterea curandum ut tam pro confessario quam pro poenitentibus confessionale commodum sit, atque ut foramina cratis sint minutissima ac rotunda, non vero oblonga."

⁷ Ibid., n. 572.

⁸ Ibid., n. 692 et 754.

Circa obligationem utendi sede confessionali, de qua ibidem, § 1, habetur quaedam declaratio Commissionis Pontificae ad Codicis canones authentice interpretandos. Interrogata nempe: "Utrum can. 909, § 2: 'Sedes confessionalis crate fixa ac tenuiter perforata inter poenitentem et confessarium sit instructa,' pro mulieribus tantum; an generaliter pro poenitentibus uti forma propria audiendi confessiones in ecclesiis et publicis oratoriis sit servanda", 24 novembris 1920 respondit: "Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, firmo tamen praescripto canonis 910, § 2."⁹ Addit tamen *Cappello* (n. 633): "Haec tamen [sedes] pro viris potest esse peculiaris et omnino distincta a confessionali mulierum, ita ut sufficiat quandoque sedile cum genuflexorio. Haec praescriptio levis est: quaecunque causa rationabilis excusat."

Eaedem generales regulae et cautiones observabantur *in medio aeo*, excepta determinatione sedis confessionalis, cujus origo est satis recens ac probabiliter ascendit ad S. Carolum Borromeo qui eam introduxit in ecclesia Mediolanensi, ex qua vulgata est in universam Ecclesiam.

DE ANTIQUO MORE CONFITENDI IN LOCO SACRO, et de cautionibus adhibitis in excipiendis *mulierum confessionibus*, haec scribit *CHARDON*:

"Le lieu destiné pour entendre les confessions devait être à portée d'être vu de tout le monde, surtout quand il s'agissait de celle des femmes, afin d'éloigner tout fâcheux soupçon des ministres de ce sacrement. *S. Edmond de Cantorbéri*, dans ses constitutions (cap. 17), ordonne qu'on entende les confessions des femmes hors du voile et dans un endroit public, à la portée de la vue et non de l'ouïe. *Le concile de Beziers* (can. 46), en l'an 1246, défend de même de les entendre dans un lieu caché, ou hors la portée de la vue. *Guigue*, ce grand général des Chartreux, remarque dans la vie de S. Hugues, évêque de Grenoble, qu'il recevait les confessions des femmes avec autant de précaution que de bonté, non dans les coins ou dans des endroits secrets et obscurs, mais dans ceux où il pouvait être vu de tout le monde. Il leur prêtait, dit-il, familièrement l'oreille, mais il détournait sa vue d'elles et la portait au côté opposé, disant qu'il ne fallait se servir que de l'ouïe en ces occasions, pour éviter les pièges du diable. Un *concile de Cologne* de l'an 1280 va plus loin. Il défend, sous peine d'excommunication, d'entendre les confessions des femmes dans des endroits obscurs et ténébreux, et veut que les prêtres, quand ils vaquent à cet exercice, soient assis, revêtus de leurs surplis ou de leurs chappes, ayant l'étole par-dessus, 'induti superpelliceis vel cappa, stola superposita'. Il porte la précaution jusqu'à défendre aux prêtres, même sous peine d'excommunication, d'entendre la confession d'une femme qui serait seule dans l'église, et ne veut point qu'ils vaquent à cette fonction avant le lever du soleil et après son coucher, sinon dans une grande nécessité, dans un lieu éclairé et en présence de témoins.

"Tout ce qui vient d'être dit montre clairement que la confession se faisait dans l'église et dans un endroit ouvert, où tout le monde pouvait être témoin de ce qui se faisait; cependant un *concile de Paris* de l'an 829, permet, en cas d'infirmité qui empêche qu'on ne vienne à l'église, qu'on le puisse faire dans les maisons

⁹ Cf. A. A. S., XII, p. 576.

particulières, mais toujours en présence de témoins qui ne soient pas éloignés, 'non nisi testibus haud procul adstantibus fiat'. . .

"Examinons présentement en quel endroit de l'Eglise se faisait la confession. Le concile de Paris, que nous venons de citer, l'indique lorsqu'il prescrit ce qui suit: *Si les prêtres veulent confesser les religieuses, 'sanctimoniales', ils ne pourront le faire que dans l'église, en présence du saint autel, et de témoins assez proches du lieu.* De là vient que la formule de confession d'Egbert d'York commence par ces paroles: 'Je confesse devant le Dieu tout-puissant, devant le saint autel'. Aussi voyons-nous que *Pierre Damien* [Opusc. 56] raconte de lui-même, qu'il entendit la confession de l'imperatrice Agnès sous la confession secrète de S. Pierre devant le saint autel, *ante sacrum altare*. Il est de même rapporté dans la vie de *Berthold*, abbé de Gars, de l'ordre de Cîteaux, qu'il avait coutume d'entendre les confessions devant l'autel de S. Pierre. Le P. Martène cite un concile, dont le décret sur cette matière mérite attention. C'est celui de *Reding* petite ville d'Angleterre sur la Tamise. *Nous avons jugé à propos*, est-il dit dans ce décret, *d'ordonner que les confessions ne se fissent que dans un lieu public, exposé à la vue de tous les passants et devant l'autel, sous peine de nullité de l'absolution.* Cependant les religieux avaient coutume de se confesser au chapitre, comme on le voit par S. Udalric, qui le dit des moines de Cluni (l. 2, c. 12), par les constitutions de l'abbaye d'Hirsauge (l. 1, c. 43) et par quelques autres monuments. Les Grecs se confessaient aussi autrefois devant l'autel, comme il paraît par le pénitentiel de *Jean-le-Jeûneur*. Il commence ainsi: Le prêtre prend celui qui veut se confesser et le fait tenir debout devant l'autel¹⁰.¹¹

DE ORIGINE ET EVOLUTIONE SEDIS CONFSSIONALIS scribit A. VILLIEN:

"Des apologistes d'une excessive bonne volonté ont cru, paraît-il, trouver trace de confessionnaux dans les catacombes romaines, en montrant tel siège possible taillé dans les parois d'une salle, où d'aucuns avaient prétendu découvrir un confessionnel primitif.

"Notre confessionnal ne remonte pas à une si haute antiquité. Le meuble qui porte ce noms est, au contraire, de date récente. Dans une lettre du 1er juin 1869, le savant archéologue normand qu'était l'abbé *Cochet* écrivait: 'J'ai visité toutes les églises du diocèse de Rouen, et je ne crois pas y avoir jamais reconstré un confessionnal du temps de Louis XIII. . . Ceux du XVII^e siècle sont d'une rareté extrême, si même il en existe. J'ai souvenance d'en avoir reconstré un dans une église de campagne des environs de Bernay; mais c'était au diocèse d'Evreux. . . Ce qui se passe chez nous est à peu près général par toute la France. . .' Et il cite cette déclaration faite par l'abbé *Straub*, professeur d'archéologie au séminaire de Strasbourg, au congrès archéologique tenu en cette ville en 1856: 'Dans nos pays, les confessionnaux ne remontent pas plus haut que le XVII^e siècle. On sait que jusque-là les fidèles s'agenouillaient devant le prêtre, assis dans une stalle ou sur un simple siège, comme le prouvent d'anciens dessins.'

"En Italie le confessionnal est un peu plu ancien. *Il semble même que l'Italie du Nord fut son pays d'origine.* Le meuble tel que nous le connaissons est une *institution de saint Charles Borromée.* C'est dans les constitutions des conciles de Milan et les *Instructions* de saint Charles qu'on en trouve la première description avec l'ordre de les établir. On n'a, pour s'en rendre compte, qu'à se reporter à ces divers documents. Voici par exemple les décisions du premier concile, celui de 1565.

¹⁰ "Assumit sacerdos peccata confessurum, et sistit eum coram altari, cantatque cum eo trisagium", supra cit. in art. 39, tom. 2, p. 556.

¹¹ Histoire des sacrements, Pénitence, sect. 2, chap. 6, apud Migne, Theol. cursus., t. 20, col. 412 sq.

Nous y trouvons les dispositions que commenteront dès lors tous les moralistes: 'Hors le cas de nécessité, les prêtres n'entendront pas la confession des femmes avant le lever ou après le coucher du soleil, ni dans les chambres, mais en public dans l'église: ils prendront place sur un siège, et une tablette (*tabella*) séparera la pénitente du confesseur. Ces sièges, les évêques auront soin de les faire établir au plus tôt dans les églises par ceux que cela regarde.'¹²

"Quelles sont les églises où il faut les établir, c'est ce qu'énoncera spécialement les IV concile, celui de 1576, qui édicte à ce sujet les prescriptions suivantes: 'L'église paroissiale et son annexe, où l'on entend aussi les confessions, devra posséder un confessionnal conforme aux prescriptions du livre des *Instructions*; il y en aura deux dans les églises de paroisses de plus de cinq cents âmes. Dans les églises où sont plusieurs confesseurs, il y aura autant de confessionnaux que de confesseurs, qu'il s'agisse d'église paroissiale ou de cathédrale. On placera dans le confessionnal une image sainte, les lettres du *processus* du Jeudi saint (il s'agit de la liste des cas réservés au Saint-Siège dans la bulle publiée chaque année le Jeudi saint, la bulle *In Coena Domini*), un tableau des cas réservés à l'évêque, la formule de l'absolution, et en imprimé les prières préparatoires à la réception de la confession.'¹³

"Le *Liber Instructionum* contenait en effet une minutieuse description du nouveau meuble, tel que l'archevêque réformateur le voulait. Ce devrait être un édifice en planches de noyer ou d'autre bois, fermé sur trois côtés, à gauche, à droite et par derrière, couvert par-dessus et entièrement ouvert par devant. Pourtant, dans les églises surtout plus fréquentées, on mettra une porte avec treillis ou des barreaux de bois laissant des ouvertures de quatre onces environ, porte fermant à clef afin que nul autre que le confesseur ne puisse y pénétrer. La base du confessionnal, où poseront les pieds du confesseur et ceux du pénitent, sera en bois et surélevée au plus du huit onces au-dessus du pavé de l'église, de deux coudées de large et longue du double. Le siège, haut d'une coudée et trois onces, a une coudée et demie de largeur et une de profondeur. La hauteur de l'ensemble du confessionnal est de quatre coudées. Dans la partie réservée au confesseur sera placée une planchette sur laquelle le confesseur pourra appuyer les bras, planchette mobile qu'il lèvera ou abaissera à volonté. Du côté réservé au pénitent, une sorte d'escabeau à usage de prie-Dieu, large de quatorze onces à la base, appuyé à la cloison intermédiaire, montera en inclinaison à la hauteur d'une coudée et vingt onces et supportera à son sommet une tablette inclinée, large de douze onces et longue d'une coudée et demie, sur laquelle le pénitent à genoux appuiera ses mains jointes. L'agenouiloir, haut de huit onces, large de seize, est de la même longueur que l'escabeau.

"Ce confessionnal, placé en un lieu bien en vue et convenable, sera muni d'une grille. Le *Liber Instructionum* donne de cette partie la description suivante. Au milieu de la planche qui sépare le confesseur du pénitent, on fera une petite fenêtre dont le bas commencera à une coudée et huit onces au-dessus du siège du confesseur: elle aura seize onces de haut et douze de large. Cette fenêtre sera divisée en trois parties égales par deux colonnettes ou appuis de la planche. A cette petite fenêtre on fixera, du côté du pénitent, une lame de fer percée d'un grand nombre de trous du diamètre d'un pois, et du côté du confesseur elle sera couverte d'un morceau de soie légère ou d'un morceau de bure.

"Notons bien qu'il s'agit là d'une loi locale, portée pour une région déterminée, la province ecclésiastique de Milan, et non d'une loi générale imposée à l'Eglise universelle, et nous ne serons pas étonnés que partout les confessionnaux ne soient pas exactement conformes à ces exigences. Les *Statuts* des divers diocèses, d'abord

¹² *Concil. Mediolanen.* I, part. 2, § 6, Hardouin, t. X, 653.

¹³ *Concil. Mediolan.* IV, part. 11, § 5, *ibid.*, 848.

en Italie, en Lombardie, puis en France ont pu imposer des modèles légèrement différents, et l'usage les a rendus plus commodes. Le confessionnal de saint Charles ne recevait qu'un pénitent à la fois; les confessionnaux postérieurs permettent d'en recevoir deux; ce qui a amené des dispositions moins fatigantes pour le confesseur qui n'a plus à tendre l'oreille et incliner le corps toujours du même côté.

“L'initiative prise par saint Charles Borromée était trop heureuse pour que non seulement des diocèses particuliers, mais l'Eglise entière n'en fit pas son profit. La Propagande, plus libre dans son influence vis-à-vis des chrétientés souvent à peine organisées, tint la main à ce que le confessionnal devint obligatoire partout. En 1660, à l'archevêque de Sofia elle prescrivait que dans les églises plus spacieuses, on plaçât des confessionnaux fixes, sans se contenter de confessionnaux mobiles, et que dans les autres églises et dans les autres lieux où l'on entendait les confessions, on plaçât — et ce sous peine de faute grave — une petite table mobile avec une petite grille entre le confesseur et les pénitents, et surtout les pénitentes 'praesertim pro mulieribus'.¹⁴ Dans un décret du 26 août 1780, adressé aux religieux missionnaires, elle exigeait que, même dans les missions les plus pauvres et les moins bien organisées, il y eût, au moins pour la confession des femmes, ce que l'on considérait comme l'élément essentiel du confessionnal, une grille entre le confesseur et la pénitente: 'Interposita crata ferrea, vel alio repagulo inter os confessarii ac mulieris poenitentis'.¹⁵ On fait, bientôt après, l'application du décret, dans une réponse pour la mission du Chan-Si, en Chine: la grille est obligatoire dans tous les oratoires proprement dits ou permanents.¹⁶ De même, en Irlande, si, pour de justes causes, l'évêque est obligé d'accorder la permission de confesser des pénitents dans des maisons privées, une grille devra toujours séparer le confesseur de la pénitente.¹⁷ C'est enfin, en dehors des prescriptions du Rituel, celles du concile plénier de l'Amérique latine tenu à Rome en 1899, art. 549, qui déclare obligatoire pour tous ses ressortissants les prescriptions de la Propagande, et cite en particulier celles du 26 août 1780 et du 12 février 1821^{18, 19}.”

III. VESTIS.

Codex nihil habet de veste adhibenda. *Rituale* vero ait: “Superpelliceo, et stola violacei coloris [sacerdos] utatur, prout tempus, vel locorum feret consuetudo” (l.c., n. 10).

Observat *Piscetta-Gennaro* (n. 714): “Porro multis in locis consuetudo fert ut etiam in ecclesia vel oratorio publico Poenitentiae Sacramentum absque superpelliceo administretur. . . Usus vero stolae, ex consuetudine, requiritur tantum dum confessiones in sede confessionali ecclesiae vel oratorii excipiuntur. Huc spectat dubium S. R.R. *Congregationi* propositum: ‘In cathedrali Patavina ex immemorabili consuetudine in publica administratione Sacramenti Poenitentiae sacerdotes confessarii abstinent ab usu stolae a Rituali Romano praescriptae. Quaeritur: An standum sit huiusmodi consuetudini?’ Et S. R.R. *Congregatio* die 7 dec. 1844 (n. 2883) respondit: ‘*Negative; sed*

¹⁴ S. C. de Prop. Fide, 22 februar. 1660. *Collectanea* (1907), n° 138.

¹⁵ *Ibid.*, n° 545.

¹⁶ *Ibid.*, 17 mart. 1785, n° 572.

¹⁷ *Ibid.*, n° 754.

¹⁸ *Acta et decreta concilii plenarii Americae latinae*, p. 239-240.

¹⁹ Les sacrements. *Historie et Liturgie*, 2 éd., Paris, 1931, p. 220-226.

standum omnino Rituali et aliis Decretis. Eidem, S. Congregationi sequens dubium propositum est: 'Utrum consuetudo ministrandi Sacramentum Poenitentiae, absque stola, etiam in ecclesia et sede confessionali, servari possit; cum Rituale Romanum, dum praescribit usum stolae in administratione Sacramentorum addat: nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat; et alibi idem Rituale subdat: stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum *consuetudo* feret', die 31 aug. 1867 (n. 3158) respondit: '*Conveniens est, ut in ecclesia adhibeatur stola, iuxta S. R. C. Decreta*'. Ex quibus responsionibus colligitur *usum stolae ne sub veniali quidem praescribi*. Ceterum, Ritualis Romani hac de re *rubricam esse mere directivam* censent plures."

Addit *Cappello* (n. 635): "Ordinationes latae forte ab Episcopis, quae urgeant usum superpellicei et stolae in confessionibus excipiendis, vim profecto et efficaciam habent, non ultra tamen sensum atque obligationem *Ritualis Romani* et decretorum S. R. Congregationis."

QUOAD ANTIQUAM DISCIPLINAM scribit *VILLIEN*: "Au point de vue historique je ne saurais dire de quand date l'obligation de revêtir le surplis et l'étole. Il en est fait mention dans les conciles du treizième siècle, spécialement dans celui tenu à Cologne vers 1280, qui prescrit que le prêtre ne siège au confessionnal qu'après avoir revêtu surplis ou chapes avec l'étole.²⁰ On peut croire que cette prescription n'était qu'un rappel et que la loi était plus ancienne. Mais la détermination de la *couleur* est, au contraire, assez récente."²¹

IV. ACTIONES POENITENTIS.

Distingui possunt eae quae immediate referuntur ad ipsum actum confessionis, tanquam istius dotes et qualitates, scilicet ut confessio sit *integra, vocalis, praesentialis* et *secreta*, de quibus satis in superioribus dictum est (art. 39. 40. 41. 42, respective), et eae quae respiciunt devotum modum accedendi ac se gerendi, seu signa devotionis, humilitatis et contritionis, quae fere reducuntur ad *signum crucis, genuflexionem, recitationem Confiteor* vel alius formulae qua quis se exhibet peccatorem et petit absolutionem.

Ad haec *Rituale Romanum* (l.c., n. 11 et 15): "Poenitens, si opus sit, admoneatur, ut qua decet humilitate mentis et habitus accedat, et flexis genibus signo crucis se muniat. . . Tum poenitens confessionem generalem latina vel vulgari lingua dicat, scilicet 'Confiteor, etc.', vel saltem utatur his verbis: 'Confiteor Deo omnipotenti, et tibi, pater'. Peccata sua exinde confiteatur."

Catechismus Conc. Trid., 2 p., c. 5, q. 17 et 42, habet: "Diligenter

²⁰ "Item praecipimus, ut sacerdotes induti superpelliceis vel cappa, stola superimposita, ad confessionem sedeant." *Synodus Coloniensis*, c. 8, 280, Hardouin, t. VII, col. 827.

²¹ Les Sacrements. Historie et Liturgie, Paris, 1931, p. 232.

ritus etiam, qui ad hoc sacramentum adhibentur, fideles observabunt. Ita enim fiet, ut animo magis haereant, quae hoc sacramento consequuti sunt, nimirum se tamquam servos clementissimo domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos esse, et simul facilius intelligant, quid eos facere oporteat, qui velint (velle autem omnes debent) se tanti beneficii gratos et memores probare. Nam quem peccatorum poenitet, is se humili ac demisso animo ad pedes Sacerdotis dejicit, ut quum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere, superbiae radices evellendas esse, a qua omnia scelera, quae deflet, ortum habuerint et enata sint: in Sacerdote autem, qui in eum legitimus iudex sedet, Christi domini personam et potestatem veneretur. Sacerdos enim, quemadmodum in aliis, ita in poenitentiae sacramento administrando Christi munus exsequitur. Deinde peccata sua poenitens ita enumerat, ut se maxima et acerbissima animadversione dignum esse fateatur, supplexque delictorum veniam petit; quae sane omnia vetustatis suae certissima testimonia a sancto Dionysio habent. . . .

“Quemadmodum confessionem a Domino salvatore institutam esse fideles docendi sunt, ita etiam monere eos oportet, quosdam ritus et solemnes caeremonias Ecclesiae auctoritate additas esse, quae etsi ad sacramenti rationem non spectant, ejus tamen dignitatem magis ante oculos ponunt, et confitentium animos pietate accensos ad Dei gratiam facilius consequendam praeparant. Quum enim aperto capite ad pedes Sacerdotis abjecti, demisso in terram vultu, supplices manus tendentes aliaque hujusmodi Christianae humilitatis signa dantes, quae ad sacramenti rationem necessaria non sunt, peccata confitemur; ex his perspicue intelligimus, tum in sacramento caelestem vim agnoscendam, tum a nobis divinam misericordiam summo studio requirendam atque effagitandam esse.”

DE VETERI CONSUETUDINE, haec nota ex *VILLIEN*:

“Le pénitent déposait préalablement ses armes ou le bâton sur lequel il s'appuyait. On a même des exemples de pénitens, voire de grands personnages, qui se présentaient nu-pieds. Ceci ne fut pas une pratique générale, ni très répandue. L'autre au contraire s'est fidèlement conservée, comme s'est conservée aussi très largement la coutume qui oblige les femmes à se présenter avec un voile sur la tête. Il est des paroisses de pays vraiment chrétiens où cette obligation est considérée comme très rigoureuse. Il faut se féliciter de cette maintenance de vieux usages animés d'un grand esprit de respect pour les rites sacrés.”²²

“Nous n'avons . . . pas de confessionnaux en bois, au moins comme institution régulière, avant saint Charles Borromée. Comme la pratique de la confession est bien antérieure à cette époque, comment se faisait la confession et qu'est-ce qui tenait lieu du futur confessionnal? Voici quelques indications empruntées à des documents d'origine diverse, monuments de l'art et prescriptions épiscopales. Elles nous montreront la vie elle-même de l'Eglise sur ce point de sa discipline.

²² Les Sacrements. Histoire et Liturgie, Paris, 1931, p. 232 sq.

“L'abbé Barraud, dans un travail de valeur donné d'abord dans le *Bulletin monumental*, puis tiré en brochure,²³ cite un rétable de l'église N.-D. de Hal (Belgique), du XVI^e siècle, en albâtre doré par places, représentant les sept sacrements. ‘Pour celui de la Pénitence, dit-il, un prêtre, assis sur un siège peu apparent, pose les mains sur la tête d'un pénitent à genoux près de lui’ (*op. cit.*, p. 58). Vers la même époque, voici les prescriptions des *Statuts synodaux* de Wary de Dommartin, évêque de Verdun: ‘Il faut qu'ils [les pénitents qui viennent à confesse] soient à genoux, les mains jointes, la tête découverte, si ce sont des hommes, et que les femmes soient voilées’.²⁴

“Un tableau de Roger van der Weyden († 1464), à Anvers, nous donnera une scène plus complète. Là aussi sont représentés les sept sacrements. Pour celui de la Pénitence, ‘le pénitent est agenouillé devant le confesseur qui lui pose une main sur la tête. Celui-ci porte une ample surplis sur une longue robe sans ornement et l'aumusse sur la tête. Il est assis sur un fauteuil en bois plein, de la forme carrée, dénué de toute espèce de décoration. Sous ses pieds est une estrade peu élevée qui sert aussi au pénitent. Une bonne femme agenouillée non loin de là attend’.²⁵ Et l'abbé *J.-B.-E. Pascal*, l'auteur du *Dictionnaire de Liturgie catholique* dans l'*Encyclopédie théologique* de Migne, tome VIII (p. 425), raconte de son côté: ‘Nous avons vu une naïve miniature du quinzième siècle dans laquelle était représenté un prêtre disposé à entendre les confessions. Il y est assis sur un petit banc, vis-à-vis de lui est un pénitent, qui s'avance poussé par son ange gardien.’

“Terminons ces indications artistiques par une autre, plus ancienne, la plus ancienne sans doute que l'on puisse citer de ce genre, celle de *Giotto*. Ce grand peintre († 1336) ‘a exécuté, à la fin du treizième siècle ou au commencement du quatorzième, de très belles fresques dans l'église Santa Maria Incoronata, à Naples, et il a représenté les sept sacrements. Dans la partie relative au sacrement de Pénitence, on voit, sous le porche d'une église, un prêtre assis sur une chaire à dossier élevé. Il est penché de côté et écoute attentivement une femme qui se tient à genoux près de lui, vêtue d'un long manteau dont la partie supérieure lui couvre la tête. Par delà on remarque plusieurs hommes qui se livrent à des acts de mortification’²⁶ (ils accomplissent sans doute leur pénitence).

“*Que les pénitents soient à genoux, cela nous paraît un rite normal. Et ce l'était à l'époque de Giotto. Mais pas depuis fort longtemps. C'était même un usage relativement récent. Un siècle environ auparavant, la confession proprement dite, c'est-à-dire l'aveu des fautes, se faisait par le pénitent assis; si bien que les auteurs ont soin de noter la double exception des Chartreux et des religieux de Grandmont qui se confessaient à genoux. Je citerai spécialement ce qui concerne les religieux de Grandmont, et l'Instruction des novices de leurs monastères, parce qu'on y trouve déjà notées certaines particularités de notre usage actuel: chap. 3. ‘Lorsque vous aurez fait l'examen de votre conscience et que vous vous serez rappelé vos péchés, allez trouver le prêtre et, après avoir baissé votre capuce, mettez-vous humblement à genoux et, les mains jointes, dites: Je me confesse à Dieu, à la Bienheureuse Vierge Marie, aux anges de Dieu, à saint Etienne, confesseur, à tous les saints et à vous mon Père, et restant dans la même position commencez à faire l'aveu des fautes dont vous vous rappelé le souvenir. Lorsque vous les aurez dites, vous ajouterez: Je m'accuse de ces péchés et de tous les péchés mortels ou véniels que j'ai déjà accusés ou que j'ai oubliés: c'est ma faute. C'est pourquoi je supplie, etc.’²⁷ Ce livre pour l'instruction des novices doit être de la fin du onzième siècle ou du commencement du douzième.*

²³ *Notice sur les confessionnaux*, Caen, in-8° de 32 p., 1868.

²⁴ Cité par dom Chardon, *Histoire des Sacrements*, dans le *Cursus theologiae completus*, de Migne, t. XX, col. 736.

²⁵ Barraud, *op. cit.*, p. 58.

²⁶ Barraud, *ibid.*

²⁷ Barraud, *op. cit.*, p. 49.

“Vers la même époque, Cîteaux conservait encore l’usage ancien de la confession faite assis, comme l’attestent les *Usus Ordinis cisterciensis*, dont voici le rite. Après les prières préparatoires faites, selon la coutume, à genoux, le pénitent s’assied: ‘Postquam autem resederint, dicat Prior: Benedicite, et responso: Dominus, subsequatur Prior: Deus sit nobiscum. Et responso Amen, confiteatur breviter culpas pro quibus veniam petit. Quibus dictis, statim subsequatur: De his et omnibus aliis meis peccatis me reum confiteor et veniam deprecor. Tunc Prior, facta super ipsum absolutione, injungat poenitentiam.’²⁸ Cette pratique de l’Ordre de Cîteaux de se confesser assis était la pratique commune avant le treizième siècle. Seuls, les enfants élevés dans les monastères se confessaient debout.

“Ce n’est pas qu’auparavant la confession prit tout simplement la forme d’une conversation amiable faite en visite. Pénitent et confesseur se mettaient à genoux pour les prières préparatoires; mais, ces prières terminées, le confesseur faisait asseoir son pénitent pour l’interroger et obtenir ses aveux. Et dom Martène explique cet usage par la raison suivante: c’est qu’autrefois les confessions des fidèles, étant moins fréquentes exigeaient un plus long temps, et qu’il eût été onéreux aux pénitents, dont plusieurs pouvaient être des infirmes ou des vieillards, de rester à genoux des heures durant. Selon cette explication, il y aurait donc eu correspondance de temps entre l’abrégement des anciens rites de la confession, la fréquence plus grande des confessions et l’usage de faire son aveu à genoux.²⁹³⁰

V. ACTIONES CONFESSARII.

Ex his actionibus, quas summatim refert *Rituale Romanum* (tit. 3, cap. 1 et 2), aliae respiciunt ipsum actum absolutionis, tanquam ipsius dotes et qualitates, scilicet ut absolutio detur *inter praesentes*; ut observetur *integra formula liturgica* sive quoad orationes praecedentes verba essentialia “Te absolvo” sive quoad subsequentes: ut verba essentialia non proferantur in forma conditionata aut deprecativa sed *absoluta et judicativa*; ut fiat insimul *extensio manus* versus poenitentem, quae est reliquia quaedam antiquae nec necessariae impositionis manuum (de quibus omnibus dictum est in art. 41. 78. 80. 81. 82, respective). Aliae vero respiciunt convenientem modum *accedendi ad confessiones audiendas*, ut nempe sacerdos sit scientia, prudentia et sanctitate ad hoc munus paratus, tum *se gerendi erga poenitentem*, interrogando nempe, disponendo ad contritionem et imponendo satisfactionem, tum *consulendi dignitati sacramenti* per reparationem defectuum in administratione contingentium et per observantiam sigilli sacramentalis; quas quidem confessarii dotes et obligationes, potiusquam caeremonias, superius in art. 112 breviter tetigimus, relicta theologis moralibus ampliori earum explicatione.

Et haec quidem satis de tam mirabili sacramento, quod absoluta

²⁸ *Usus Ordinis Cisterciensis*, part. I, c. 70.

²⁹ Cf. d’une manière générale, Martène, *De antiquis Ecclesiae ritibus*, l. I, c. 6, art. 3, n. V (1700, t. II, p. 15).

³⁰ Op. cit., p. 226-230.

sua necessitate soli obsequitur Baptismo ex quo nomen accipit "secundae tabulae salutis",³¹ et sacramentali sua ubertate, uni tantum cedit Eucharistiae, diviniora quaeque ac humaniora mysteria in se copulans, Dei scilicet manum miserentis et cor hominis poenitentis, "miserericordiam et veritatem obviantes sibi, justitiam et pacem osculantes se",³²
SACRAMENTUM CHRISTI, VIRTUTEM POENITENTIAE ET CLAVES ECCLESIAE.

³¹ *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 2; *Tertullianus*, De Poenit. 4; *Hieronymus*, Ep. 130, 9.

³² *Psal.* 84, 11.

INDEX BIBLICUS¹

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquod notabilius)

GENESIS

4, 13 *6*
27, 41 *32*

EXODUS

7, 3 *29*
10, 1. 27 *29*
29, 1-14 *6*
36 *6*

LEVITICUS

4-6 *6*
16 *6*
17, 11 sqq. *349*

NUMERI

15, 30-31 *62*
18, 23 *37*
19, 19 *620*
23, 19 *114*

DEUTERONOMIUM

4, 29 *6*

I REGUM

2, 23-25 *30. 32*
2, 25 *384. 385*
3, 14 *62*
7, 3 *212*
15, 29 *114*

II REGUM

12, 13 *6*

III REGUM

17, 18 *117*

JUDITH

8, 14 *829*

TOBIAS

3, 3 *117*

PSALMI

17, 38-48 *32*
17, 42 *30. 32. 33*
31, 1 *126*
31, 5 *6*
50, 19 *6*
78, 8 *117*
84, 5 *6. 95*
108, 14 *117*

PROVERBIA

1, 23 *33*
1, 24-30 *30. 32 sq.*
10, 12 *475*
18, 3 *69*

ECCLESIASTES

7, 14 *30*

SAPIENTIA

4, 19-20 *33*
5, 1-15 *33*
5, 3 *33*
10, 1-2 *6*
10, 3 *18 sq.*
11, 24 *6. 18*

ECCLESIASTICUS

2, 20. 22 *6*
5, 5 *117*

ISAIAS

1, 16-18 *6 sq.*
1, 18 *19*
2, 9 *37*
6, 10 *30*
22, 14 *37. 62*
22, 22 *787*
26, 15 *829*
43, 25 *113*
55, 7 *7. 19. 78. 95*
59, 2 *7. 95*
61, 1 *829 sq.*
63, 7. 9 *829*

JEREMIAS

3, 1 *7. 19. 79*
3, 3 *69*
13, 23 *69*
18, 8 *7. 95*
31, 18-19 *7*

BARUCH

2, 18 *7*

EZECHIEL

11, 19-20 *7*
18, 21 sqq. *143*
18, 21-22 *7. 19. 79. 113. 115.*
124. 144
18, 21-22. 30-32 *95*
18, 24 *19*

¹ In indicibus ordinandis collaboravit H. J. Ziegler ex Typographia Bruce.

18, 24-25	115 sq.
18, 25	137
18, 30-32	7. 19
33, 12 sqq.	143 sq.
33, 12-16	7. 95. 144
33, 13	19
DANIEL	
9, 38-39	7
JOEL	
2, 12 sq.	78
2, 12-13	7. 19. 95
2, 12. 24. 25	145
2, 18 sqq.	144
MICHAEL	
7, 19	113
NAHUM	
1, 9	114
I MACHABAEORUM	
10, 29	829
13, 37	829
II MACHABAEORUM	
9, 11-13	30. 32. 33
9, 14-17	32
9, 15	32
9, 28	32
MATTHAEUS	
9, 3	341
11, 28	19. 341
12, 31-32	34. 41-72. 342
12, 32	384
13, 14-15	30
16, 16	96
16, 19	341. 787. 811. 854
18, 11	341
18, 15-17	662. 813 sq.
18, 18	20. 250. 341. 787. 811 sq. 854
18, 21-22	20
18, 32-35	118-120
19, 24	67
19, 25	68
19, 26	68
23, 31-33	57
25, 44	33
26, 13	109
26, 24	57
26, 28	830
26, 75	6
28, 18-19	341
MARCUS	
3, 28-29	34. 41-72. 342
3, 29	384. 385. 830
4, 12	30
14, 9	109
16, 16	68

LUCAS	
1, 77	830
3, 3	6. 8
4, 18-19	830
7, 37-50	6. 341
7, 47	8. 109 sq.
7, 48	274
8, 10	30
10, 42	109
11, 52	787. 789. 790
12, 10	34. 41-72. 342
13, 25-29	33
15	6
15, 11-32	145 sq.
15, 19. 22	96
16, 23-24	33
19, 1-10	6
22, 61-62	341
23, 43	341
24, 47	6. 8
JOANNES	
1, 9-11	58
1, 29	341
8, 3 sqq.	341
12, 8	109
12, 37-40	30
19, 25	110
20, 1-18	110
20, 21-23	341
20, 23	19 sq. 250. 341. 787. 854
ACTUS APOSTOLORUM	
5, 1 sqq.	344
5, 31	6. 8
7, 51-52	56 sq.
8, 19-23	57
8, 20-21	814
8, 20-23	344
8, 21	344
8, 22	8
13, 38-41. 45-46	58
15, 28-29	347-353
21, 25	348
28, 26-27	30
AD ROMANOS	
6, 2. 5. 11. 21-23	95 sq.
8, 1. 11. 15. 17. 18	95
9, 13	30. 32
11, 7-8	30
11, 29	113 sq.
12, 14	811
12, 21	134
I AD CORINTHIOS	
2, 15	620
5	6
5, 3-5	345 sq. 623. 662. 814
6, 20	893
7, 6	829
7, 22-23	893
8-10	349

II AD CORINTHIOS

2	6
2, 6-11	345 sq. 623. 662. 854-856
2, 10	983
4, 4	30
5, 18-20	343. 623
7, 10	8. 95
8, 9	893
12, 20-21	344
13, 1-10	344
13, 2-3	623. 814

AD GALATAS

3, 1-4	147-149
3, 4	137. 144
4, 7	95
5, 19-21	344
6, 1	344. 662

AD EPHESIOS

4, 30-31	57
5, 21	623
5, 22	623
5, 27	917
6, 1 sqq.	623

I AD THESSALONICENSES

5, 19	57
-------	----

II AD THESSALONICENSES

3, 6	662. 814
3, 15	662

I AD TIMOTHEUM

1, 19-20	623. 344. 345
5, 22	623

II AD TIMOTHEUM

2, 17-18	344. 345
2, 25-26	8. 19. 344
5, 22	344

AD TITUM

1, 2	114
------	-----

AD HEBRAEOS

6, 4-6	34 sq. 46. 56. 61. 63. 342. 347
6, 9-10	144. 149 sq.
6, 18	114
7, 7	620
9, 22	830

10, 12	35
10, 25. 29	35
10, 26	34 sq. 46. 56. 61. 63. 342. 347
12, 16-17	29. 31 sq. 34

JACOBI

1, 17	114
2, 10	116
2, 10-11	79
4, 1-4	343
5, 14-15	623
5, 15	346. 538
5, 16	346. 623. 640
5, 19	346
5, 19-20	346

I PETRI

1, 18-19	893
3, 19-21	565
4, 8	126. 475

II PETRI

2, 1-2	343
2, 21	344
3, 3	343
3, 9	8. 19. 344

I JOANNIS

1, 9	37
2, 1-2	37
5, 16	34-41. 56. 58. 61. 342. 347

II JOANNIS

8	137
10	662. 814

JUDAE

8. 10. 15. 16	57
11	57
18-19	57
22 sq.	662

APOCALYPSIS

1, 17-18	787
2, 5	530
2, 5. 16. 21. 22	346
2, 18. 20-22	346
3, 3. 19	346
3, 7	787
9, 1	787
20, 1	787

INDEX EXEGETICUS

(Textus citantur juxta ordinem quo occurrunt in hoc tractatu)

EFFICACITAS VIRTUTIS POENITENTIAE quoad peccati remissionem proponitur (p. 6-8):

Sive factis: Sacrificia pro peccato in A.T.: Exod. 29, 1-14; 36; Lev. 4-6; 16; poenitentia Davidis: 2 Reg. 12, 13; conversio Zachaei: Luc. 19, 1-10; conversio Magdalenae: Luc. 7, 37-50; parabola filii prodigi: Luc. 15; conversio Petri: Matth. 26, 75; absolutio incestuosi corinthii: 1 Cor. 5 et 2 Cor. 2; poenitentiale ministerium Baptistae, Christi et Apostolorum: Luc. 3, 3; 24, 47; Act. 5, 31.

Sive dictis: Deut. 4, 29; 2 Reg. 12, 13; Psal. 31, 5; 50, 19; 84, 5; Sap. 11, 24; 10, 1 sq. (cf. Gen. 4, 13); Eccli. 2, 20. 22; Isai. 1, 16-18; 55, 7; 59, 2; Jerem. 3, 1; 18, 8; 31, 18 sq.; Baruch 2, 18; Ezech. 18, 21 sq. 30-32; 33, 12-16; Dan. 9, 38 sq.; Joel 2, 12 sq.; Luc. 3, 3; 7, 47; 24, 47; Act. 5, 31; 8, 22; 2 Cor. 7, 10; 2 Tim. 2, 25 sq.; 2 Petr. 3, 9.

UNIVERSALITAS TALIS EFFICACITATIS (seu omnia prorsus peccata remitti per Poenitentiam) proponitur generaliter in iisdem textibus, peculiariter vero in (p. 18-20): Sap. 11, 24; 10, 3; Isai. 55, 7; Ezech. 18, 21 sq. 30-32, coll. cum 18, 24 et 33, 13; 2 Petr. 3, 9; Joel 2, 12 sq.; Isai. 1, 18; Jerem. 3, 1; Matth. 11, 28. Idem ostendit magna varietas peccatorum quae remissa ostenduntur: Davidis, Zachaei, Magdalenae, filii prodigi, Petri, incestuosi corinthii, latronis in cruce, haereticorum de quibus in 2 Tim. 2, 25 sq. Idem suadet amplitudo qua ipsa potestas sacramentalis remittendi peccata collata est Apostolis: Joan. 20, 23; cf. Matth. 18, 21 sq.

In illis vero textibus qui videntur quibusdam peccatoribus *denegare auxilium ad poenitendum vel etiam veniam ipsis poenitentibus*, non agitur de absoluta denegatione seu sic dicta excaecatione ex parte Dei, nec de vera poenitentia ex parte hominis (p. 29-33): Hebr. 12, 16 sq.; Exod. 73; 2 Mach. 9, 11-13; 1 Reg. 2, 23-25; Psal. 17, 42; Prov. 1, 24-30; Eccli. 7, 14; Isai. 6, 10; Joan. 12, 37-40 (cf. Matth. 13, 14 sq.; Marc. 4, 12; Luc. 8, 10; Act. 28, 26 sq.; Rom. 11, 7 sq.); Rom. 9, 13; 2 Cor. 4, 4. Falsam illam poenitentiam, de qua in quibusdam ex his textibus, dicuntur habere etiam damnati, in altera vita:

Sap. 4, 19 sq.; 5, 1-15; Matth. 25, 44; Luc. 13, 25-29; 16, 23 sq.

Etiam tres celebres textus de *peccato irremissibili*, qui saepius ab haereticis Montanistis et Novatianis invocati sunt, i.e. Hebr. 6, 4-6; 10, 26 (de peccato illuminatorum), Joan. 5, 16 (de peccato ad mortem) et Matth. 12, 31 sq.; Marc. 3, 28 sq.; Luc. 12, 10 (de peccato in Spiritum S.), nihil probant contra universalitatem efficacitatis Poenitentiae, etsi vario modo a Patribus et theologis exponantur (p. 33-72) et nominatim explicatio terti loci de peccato in Spiritum S. visa sit ipsi Augustino difficillima inter omnes questiones S. Scripturae (p. 42). In tribus illis locis agitur de eodem peccato oculatae malitiae (explicatio S. Thomae, p. 52 sqq.), de quo etiam agitur in Act. 7, 51 sq.; Matth. 23, 31-33; Ephes. 4, 30 sq.; Ep. Judae 18 sq.; Matth. 26, 24; Act. 8, 19-23; 13, 38-41. 45-46; Joan. 1, 9-11 (p. 56-58).

Ex efficacitate Poenitentiae sequitur omnia *peccata simul remitti*, nec posse unum peccatum sine alio remitti (p. 78 sq.): Joel 2, 12 sq.; Isai. 55, 7; Ezech. 18, 21 sq.; Jerem. 3, 1; Jac. 2, 10 sq.

Simul cum peccato, *poena aeterna* necessario aufertur (p. 95): Isai. 55, 7; Joel 2, 12 sq.; Isai. 59, 2; Psal. 84, 5; Jerem. 18, 8; Ezech. 18, 21 sq. 30-32; 33, 12-16; praecipue: 2 Cor. 7, 10; Rom. 8, 1. 11. 15. 17. 18; 6, 2. 5. 11. 21-23; Luc. 15, 19. 22; Matth. 16, 16.

REVIVISCENTIA PECCATORUM non datur, seu remissa peccata non redeunt per commissionem novi peccati (p. 113): Isai. 43, 25; Ezech. 18, 21 sq.; Mich. 7, 19. Frustra autem opponuntur (p. 116-122): verba Jac. 2, 10: "Qui offendit in uno, factus est omnium reus"; textus de Deo vindicante peccata praeterita: 3 Reg. 17, 18; Tob. 3, 3; Psal. 78, 8; 108, 14; Eccli. 5, 5; et parabola de servo inclemente: Matth. 18, 32-35.

REVIVISCENTIA MERITORUM (p. 143-150): Ezech. 18, 21-22; 33, 12-16; Joel 2, 12. 24. 25; Luc. 15, 11-32 (parabola filii prodigi); Gal. 3, 1-4 (qui variis subicitur interpretationibus); Hebr. 6, 9 sq. (qui pariter non uno modo a doctoribus explicatur).

EFFICACITAS SACRAMENTI POENITENTIAE.

Ipsum sacramentum remittit peccata *vere et proprie* (p. 270. 274 sq.): Joan. 20, 23. Non obstat Luc. 7, 48 de Christo declarante Magdalenae: "Remittuntur tibi peccata."

Remittit *omnia peccata*, ut ostendunt:

Sive verba promissionis et institutionis (p. 341-343): Matth. 18, 18; 16, 19; Joan. 20, 21-23 (coll. cum Matth. 9, 3; 28, 18 sq.; 18, 11; Joan. 1, 29; Matth. 11, 28; Joan. 8, 3 sqq.; Luc. 7, 37-50; 22, 61 sq.; 23, 43). Inepte autem Montanistae et Novatiani opponebant textus de peccato irremissibili (de quo supra) et peculiariter de peccato in Spiritu S.: Matth. 12, 31 sq.; Marc. 3, 28 sq.; Luc. 12, 10; Hebr. 6, 4-6; 10, 26; 1 Joan. 5, 16.

Sive doctrina et praxis Apostolorum (p. 343-353): 2 Petr. 3, 9; 2 Cor. 12, 20 sq.; 13, 1-10; Gal. 5, 19-21; 6, 1; 1 Tim. 1, 19 sq. coll. cum 2 Tim. 2, 17 sq. 25 sq.; 1 Tim. 5, 22; 1 Cor. 5, 3-5 coll. cum 2 Cor. 2, 6-11 (de incestuoso corinthio); Jac. 5, 19 sq.; 5, 15 sq.; Apoc. 2, 5. 16. 21. 22; 3, 3. 19; 2, 18. 20-22. Inepte supradicti haeretici obiebant sic dictum *decretum apostolicum*: Act. 15, 28 sq.

MINISTER SACRAMENTI.

Exigit *potestatem ordinis* (p. 622-624. 662), ut constat tum ex verbis promissionis et institutionis: Matth. 16, 19; 18, 18; Joan. 20, 23, tum ex doctrina et praxi Apostolorum: 2 Cor. 5, 18-20; 1 Cor. 5, 3-5; 1 Tim. 1, 19 sq.; 2 Cor. 13, 2 sq.; 2, 6-11; 1 Tim. 5, 22. Frustra autem obicere-tur tum 1 Cor. 5, 3-5 et 2 Cor. 2, 6-11

de Paulo judicante hominem incestuosum per ipsam communitatem, tum Jac. 5, 16 de confitendo alterutrum peccata. Non quidem ipsa sacramentalis potestas, sed tantum correctionis officium, proponitur ab Apostolis ut quid commune omnibus fidelibus: Gal. 6, 1; 2 Thess. 3, 15; Jud. 22 sq.; 2 Thess. 3, 6; 2 Joan. 10 (cf. Matth. 18, 15-17).

POTESTAS CLAVIUM.

Metaphora clavis (p. 787): Isai. 22, 22; Apoc. 9, 1; 20, 1; 1, 17 sq.; 3, 7; Luc. 11, 52 (clavis scientiae); Matth. 16, 19; 18, 18 (clavis regni coelorum).

EXCOMMUNICATIO (p. 811-814).

Potestas excommunicandi fundatur in verbis promissionis: Matth. 16, 19; 18, 18; exhibetur in pericope de fraterna correptione: Matth. 18, 15-17; exercetur ab Apostolis: Act. 8, 20 sq.; 1 Cor. 5, 3-5; 2 Cor. 13, 2 sq.; 2 Thess. 3, 6; 2 Joan. 10.

INDULGENTIAE.

Usus et sensus vocis indulgentiae (p. 829 sq.): Isai. 26, 15; 63, 7. 9; 1 Cor. 7, 6; 1 Mach. 10, 29; 13, 37; Judith 8, 14; Isai. 6, 1 (cf. Luc. 4, 18 sq.).

Potestas concedendi indulgentias includitur in verbis promissionis et institutionis sacramenti Poenitentiae (p. 854): Matth. 16, 19; 18, 18; Joan. 20, 23; probabiliter exercetur ab Apostolo (p. 854-856): 2 Cor. 2, 6-11.

Thesauri Ecclesiae origo, in quo indulgentia fundatur, videri potest (p. 893) in 1 Cor. 6, 20; 7, 22 sq.; 2 Cor. 8, 9; 1 Petr. 1, 18 sq.

INDEX THOMISTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

(Vide: INDEX ANALYTICUS: Thomas Aquinas)

<p>1. 2. 5. 10. <i>11 sq.</i> 15. 16. 25. 26. 32. 33. 34 sq. 37. 39. 40. 41. 42. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 52. 53 sq. 55. 57. 59. 62. 69 sq. 71. 72. 74. 75. 78. 79. 80-82. 83. 84. 86. 87. 89. 95. 97. 98. 100. 102. 103. <i>104. 106. 107. 108. 109.</i> 110. 111. 112. 116. 119. <i>120. 122. 123. 125. 126. 127. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 140. 142. 143. 145. 154. 155. 156. 158. 159. 160. 161. 162. 165. 166. 167. 168. 169. 176. 179. 181. 191. 207. 208. 209. 211. 212. 214. 216. 224-233. 237. 238. 240. 242. 243. 248 sq. 254. 259. 261. 264-269. 270. 271. 272. 276. 277. 278. 279. 280. 423. 424. 425. 426 sq. 428. 429 sq. 431. 445. 447. 452. 453. 458. 459. 462. 465-471. 472. 473. 474. 476. 478. 482. 483. 487. 492. 493. 495. 496 sq. 498. 499. 502. 505. 510. 511. 515. 517. 519. 521. 522. 524. 526. 527. 528. 531. 532. 535. 536. 537. 539. 540. 541. 542. 543. 544. 548. 549 sq. 552. 555. 556. 561. 562 sq. 564. 565. 567. 573. 581. 600. 601. 618. 619. 620. 621. 651. 697. 708 sq. 712-717. 721. 723. 725 sq. 727. 728 sq. 734 sq. 736. 742. 744. 747. 750. 752. 755. 756. 757. 763. 765. 770. 773. 774. 775. 776. 779. 785. 786. 787. 788. 789. 790. 791 sq. 793 sq. 795 sq. 797. 799. 805. 807. 810. 811-813. 815. 816 sq. 818. 819. 820. 821. 826. 828. 830. 833. 854. 866. 882 sq. 885. 895. 897 sq. 918. 920. 923. 924. 928 sq. 940 sq. 942. 943. 954 sq. 968. 974 sq. 983. 987. 989. 991. 992. 995. 996. 1005. 1006. 1007. 1008. 1010. 1012. 1014. 1015. 1016. 1017 sq. 1021. 1022. 1023. 1024. 1028. 1032. 1039. 1048. 1049. 1054. 1058. 1059. 1063. 1072. 1073. 1080. 1082. 1083 sq. 1089-1092. 1106</i></p>	<p style="text-align: right;">ad 4 426 a. 2 425 a. 3 427 sq. 425 q. 89 a. 1 429 sq. 431 ad 3 426 a. 6 493 q. 109, a. 1 11 a. 2 11 a. 7 11. 484 q. 113, a. 2 11. 484 a. 9 515 q. 114, a. 8, ad 2 498 ad 3 162. 208. 228</p> <p><i>Secunda Secundae (2-2)</i> q. 5, a. 3, ad 2 84 q. 14 a. 1 41 a. 2 42. 44. 46. 49. 53 a. 3 53 sq. 55. 57 q. 24, a. 6 69 sq. 71 a. 10 162. 208. 228. 498 a. 10 103. 108. 425. 426 sq. 428 ad 3 428 a. 12 95 Sed contra 98 q. 39, a. 3 723. 729. 735 sq. 747. 755 q. 106, a. 2 134 q. 152, a. 3, ob. 3 161 ad 3 161 sq. q. 184, a. 8 543</p> <p><i>Tertia Pars (3 p.)</i> q. 48, a. 1, ob. 2 233 ob. 3 233 ad 2 233 ad 3 233 q. 49, a. 6, ob. 2 233 ad 2 233 q. 52, a. 8, ad 1 1021 q. 62, a. 1 549 q. 64, a. 1, ad 2 549. 556 q. 65, a. 1 539. 541. 543 ad 6 549 ad 8 549 q. 67, a. 6 773. 774. 779 q. 71, a. 3 549. 552 q. 72, a. 7, ad 2 540 sq. q. 79, a. 4 466. 467. 499. 502. 511. 517.</p>
<p>SUMMA THEOLOGICA</p>	
<p><i>Prima Pars (1 p.)</i></p>	
q. 95, a. 4	176. 234
<p><i>Prima Secundae (1-2)</i></p>	
q. 52, a. 1	162. 208. 228
a. 2	162. 208. 228
a. 3	216 sq.
q. 65, a. 3, ad 2	103
q. 66, a. 1	162. 208. 228
q. 88 a. 1	425 425 ad 1 426 ad 2 426 ad 3 426

q. 10			243	q. 25-27		828
q. 13,	a. 2		248	q. 25, a. 1		828. 854. 885.
q. 14,	a. 2,	ad 1	900			895. 924. 968.
	a. 1		72. 80. 84. 86			970 sq. 982. 986.
		ad 1	82			987. 1028. 1048.
		ad 2	83. 89			1054. 1058
q. 16,	a. 2,	ad 2	567		Sed contra	855
q. 17			787		ad 1	882
	a. 1		787. 788. 790		ad 2	882. 918. 928
		ad 1	787. 788		ad 3	882. 918. 928.
		ad 3	787. 788			1028
	a. 2		787. 789		ad 4	882 sq. 987. 1012
		ob. 1	789	a. 2		866. 989. 990.
		ob. 3	787			991. 992. 1005.
		ad 1	795			1006. 1012. 1014.
		ad 2	723. 729. 734 sq.			1028. 1039. 1048.
			747			1063. 1072. 1080.
	a. 3		791. 795			1082. 1090
		ob. 4	790		ob. 2	1012
		ad 1	795		ad 1	924. 940 sq. 942.
		ad 2	790. 791 sq.			1028. 1059. 1063.
		ad 3	795			1083 sq. 1091
		ad 4	790		ad 2	1010. 1012
q. 18			243		ad 3	873. 1007. 1008
	a. 2		248		ad 4	873
q. 19,	a. 1		795 sq.		ad 5	897. 1048. 1063.
	a. 3		601. 618. 787.			1072. 1083
			790. 792 sq.		a. 3	1039. 1073
			923		ad 2	873
		Sed contra	618	q. 26		1048
		ad 4	817	a. 1		854. 897 sq. 987.
	a. 4		601. 621. 712			1058
		ad 2	621. 712	a. 2		924. 941. 942.
	a. 5		770. 773			1059
	a. 6		723. 735. 747.	a. 3		755. 1058. 1063.
			753 sq. 770. 773			1090
q. 20,	a. 1		723. 750. 775	a. 4		942. 1049
		ad 1	723. 729. 735.	q. 27,	a. 1	924. 968. 969.
			742. 755			974 sq. 1119 sq.
	a. 2		723. 763		Sed contra	1119
	a. 3,	ad 3	723. 751. 752		ad 2	924
q. 21,	a. 1		799. 802 sq.	a. 2,		1137
	a. 2		807. 810	a. 3		1032. 1092. 1105
		ad 1	811		ad 2	918. 928 sq. 943
		ad 3	810	a. 4,	ad 1	918. 929
	a. 3		799. 816		ad 2	1144
q. 22,	a. 1		787. 792. 793.	q. 28		1144
			816 sq. 923 sq.	q. 35,	a. 1,	ob. 1
			945			543
		ad 1	790. 792. 793.			543
			799. 923			543
		ad 2	792	q. 37,	a. 5,	ad 2
	a. 2		817			787. 794 sq.
	a. 4		818	q. 42,	a. 3	545 sq.
		ad 3	728 sq.			545
	a. 5		818		ad 4	545
		ad 2	818	q. 71,	a. 1,	ad 2
	a. 6		819			1022
q. 23,	a. 1		806		ad 4	1022
q. 24,	a. 1,	Sed contra	820		a. 2	1016
		ad 1	820		ad 1	1021
		ad 2	820 sq.		ad 2	1016
	a. 2		821		ad 3	1015
		ad 2	821		ad 4	1016
					ad 4	1021
				a. 3,	ad 6	1021
				a. 6		1016
					ad 4	1016. 1022
				a. 10		828. 918. 920.
						954 sq. 989. 1012.

		1022. 1023. 1063.
		1092. 1105. 1112
	ob. 1	1105
	Sed contra	1023
a. 11		1092
a. 12		1016 sq. 1092
	ad 2	1021
a. 13		1017. 1022. 1115
a. 14,	ob. 2	1017
	ad 1	1021
	ad 2	1017 sq. 1024
q. 93,	a. 3	191

COMMENTARIUS IN 4 LIBROS SENTENTIARUM

In 1 Sent.:

dist. 17, q. 2, a. 3	162. 208
----------------------	----------

In 2 Sent.:

dist. 27, q. 1, a. 5	208
q. 1, a. 5, ad 2	162
dist. 42, q. 1, a. 5, ob. 7	492 sq.
q. 1, a. 5, ad 7	493
dist. 43	39
q. 1	41
q. 1, a. 1-4	52

In 3 Sent.:

dist. 18, q. 1, a. 2, ob. 4	232
q. 1, a. 2, ad 4	232
q. 1, a. 5	232
q. 1, a. 5, ad 1	232
q. 1, a. 5, ad 2	232
dist. 31, q. 1, a. 4	134. 160
q. 1, a. 4, q. 1, ad 1	161
q. 1, a. 4, q. 3	162. 227. 228
q. 1, a. 4, q. 3, ob. 2	230
q. 1, a. 4, q. 3, ob. 4	230. 231
q. 1, a. 4, q. 3, ad 2	230
q. 1, a. 4, q. 3, ad 4	176. 229. 230

In 4 Sent.:

dist. 1, q. 1, a. 4	265
q. 1, a. 5	265
dist. 4, q. 2, a. 3, q. 3	156
dist. 6, q. 1, a. 3, q. 1, ad 5	265
q. 1, a. 3, q. 2	549. 552
dist. 7, q. 2, a. 2, q. 1	542
q. 2, a. 2, q. 1, ad 1	541. 542
q. 2, a. 2, q. 2	541
q. 2, a. 2, q. 2, ad 2	541 sq.
dist. 12, q. 2, a. 2	466
q. 2, a. 2, q. 1	468. 499. 511
q. 2, a. 2, q. 1, ob. 2	468
q. 2, a. 2, q. 1, ad 1	469. 544 sq.
q. 2, a. 2, q. 1, ad 2	468. 469
dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6	797
q. 2, a. 1	89
q. 2, a. 1, q. 1	2. 265
q. 2, a. 1, q. 2	100. 102
q. 2, a. 1, q. 3	103. 108 sq.
q. 2, a. 1, q. 3, ad 1	109
q. 2, a. 1, q. 3, ad 2	106

q. 2, a. 2-4	134
q. 2, a. 2	140
q. 2, a. 2, ad 4	103. 106. 108
q. 2, a. 3, q. 1	158. 159 sq.
q. 2, a. 3, q. 2	136
q. 2, a. 3, q. 3	140. 143. 162.
	227
q. 2, a. 4	140. 142
dist. 16, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1	562
q. 1, a. 1, q. 2, ad 3	248
q. 2	423. 425. 466.
	478
q. 2, ad 2	453
q. 2, a. 1, q. 1, ad 2	467. 476
q. 2, a. 1, q. 2, ad 3	429. 470
q. 2, a. 1, q. 3	467. 487
q. 2, a. 1, q. 3,	
Sed contra	487
q. 2, a. 2, q. 1	495
q. 2, a. 2, q. 1, ad 1	429. 430. 431
q. 2, a. 2, q. 1, ad 2	429
q. 2, a. 2, q. 2	459
q. 2, a. 2, q. 2, ob. 1	467
q. 2, a. 2, q. 2, ad 1	467 sq. 476
q. 2, a. 2, q. 2, ad 2	532
q. 2, a. 2, q. 2, ad 3	547
q. 2, a. 2, q. 4	468. 499. 511.
	535. 536. 548.
	550
q. 2, a. 2, q. 4, ad 1	468. 536
q. 2, a. 2, q. 4, ad 2	536
q. 2, a. 2, q. 4, ad 3	468. 476. 536
dist. 17	243. 264
q. 2, a. 3, q. 1, ad 4	95. 98
q. 2, a. 5	265
q. 3, a. 3, q. 1	600
q. 3, a. 3, q. 2	600. 712
q. 3, a. 3, q. 2, ad 1	712 sq.
q. 3, a. 3, q. 2, ad 2	713
q. 3, a. 3, q. 2, ad 3	713
q. 3, a. 3, q. 3	600. 712. 713
q. 3, a. 3, q. 3, ad 1	713
q. 3, a. 3, q. 4	563. 712
q. 3, a. 3, q. 4, ad 5	600. 713
q. 3, a. 4, q. 3, ad 3	601. 712. 713 sq.
q. 3, a. 5, q. 3, ad 2	279
dist. 18	243. 264
q. 1, a. 3	272
q. 1, a. 3, q. 1	265. 277. 278.
	562. 770. 771
dist. 19	264
Expositio textus	785
q. 1, a. 1, q. 3	601
q. 1, a. 2, q. 1	601. 712
dist. 20, q. 1, a. 2, q. 1	248
q. 1, a. 3, q. 1	523
dist. 21, q. 1, a. 3, q. 1	528
q. 1, a. 3, q. 1, ad 2	527
q. 2, a. 1	468. 532. 548
dist. 22, q. 1	110
q. 1, a. 1	112 sq. 122.
	123 sq.
q. 1, a. 1, ad 1	116
q. 1, a. 1, ad 2	126

q. 1, a. 1, ad 3	116
q. 1, a. 1, ad 4	127
q. 1, a. 1, ad 5	127
q. 1, a. 1, ad 6	124 sq. 162. 227. 240
q. 2, a. 1, q. 1, ad 3	561
q. 2, a. 1, q. 3	265. 715
q. 2, a. 2, q. 1	559
q. 2, a. 2, q. 1, ad 1	559
q. 2, a. 2, q. 1, ad 2	559 sq.
q. 2, a. 2, q. 1, ad 3	559

SUMMA CONTRA GENTILES

l. 3, c. 157	15. 26
c. 159	89. 100. 102. 103
l. 4, c. 72	89. 100. 103. 248. 265. 601. 715 sq. 723. 726. 736. 787. 790

QUAESTIONES DISPUTATAE

De Malo,

q. 3, a. 14	41. 52
q. 3, a. 15	41. 71 sq.
q. 3, a. 15, ad 3	36. 39. 40
q. 7, a. 1	423. 425
q. 7, a. 1, ad 1	427
q. 7, a. 1, ad 2	427
q. 7, a. 1, ad 3	427
q. 7, a. 1, ad 4	427. 455
q. 7, a. 2	423. 425. 427. 428
q. 7, a. 2, ad 1	427
q. 7, a. 2, ad 4	428
q. 7, a. 2, ad 8	429
q. 7, a. 2, ad 10	427
q. 7, a. 2, ad 16	429
q. 7, a. 2, ad 17	429
q. 7, a. 10	423. 425
q. 7, a. 11	423. 425. 429. 466. 468 sq. 474. 478. 523. 525. 528
q. 7, a. 11, ob. 11	468. 528
q. 7, a. 11, ob. 16	527
q. 7, a. 11, Sed contra	524
q. 7, a. 11, ad 1	528
q. 7, a. 11, ad 2	528
q. 7, a. 11, ad 3	532
q. 7, a. 11, ad 4	447. 532
q. 7, a. 11, ad 5	528
q. 7, a. 11, ad 7	469. 470
q. 7, a. 11, ad 9	466. 469. 470. 527
q. 7, a. 11, ad 11	468. 528
q. 7, a. 11, ad 12	470
q. 7, a. 11, ad 13	528
q. 7, a. 11, ad 16	527 sq.
q. 7, a. 12	423. 425. 466. 469. 499. 511. 535 sq. 544. 548. 549. 550
q. 7, a. 12, ad 1	511
q. 7, a. 12, ad 2	511

q. 7, a. 12, ad 3	511
q. 7, a. 12, ad 4	472. 475. 476. 511

De Veritate,

q. 26, a. 6, ob. 4, Sed contra	232
q. 26, a. 6, ob. 5, Sed contra	232 sq.
q. 26, a. 6, ad 4, Sed contra	233
q. 26, a. 6, ad 5, Sed contra	233
q. 28, a. 5	11
q. 28, a. 5, ad 5	11 sq.
q. 28, a. 8	463

De Virtutibus in communi,

a. 10, ad 14	103. 107
a. 10, ad 16	103. 108

QUODLIBETA

<i>Quodlib.</i> 2, q. 8, a. 15	41. 52
a. 16	828. 885. 895 sq. 929. 1048. 1054
a. 16, ad 2	1048. 1059
<i>Quodlib.</i> 3, q. 13, a. 28	248 sq.
<i>Quodlib.</i> 4, q. 7, a. 10	265
<i>Quodlib.</i> 12, q. 18, a. 30	723. 725 sq. 729. 736. 747

OPUSCULA

<i>Opusc.</i> 2, Compendium theo- logiae, cap. 146	15. 26
<i>Opusc.</i> 22, De forma abso- lutionis	243. 276 sq.
cap. 1	265. 813
cap. 2	813
cap. 3	264. 265
<i>Opusc.</i> Contra impugnantes Dei cultum et reli- gionem, cap. 23	757 sq. 760

COMMENTARIUM IN S. SCRIPTURAM

<i>In Matth.</i> 16, n. 2	265
<i>In Matth.</i> 16, 19	787. 790. 812 sq.
<i>In Matth.</i> 18, 18	807. 811-813
<i>In Joan.</i> 11, lect. 6, n. 6	265
<i>In Joan.</i> 12, lect. 7	33
<i>In Rom.</i> 2, lect. 1	41. 52
<i>In Gal.</i> 3, 1-4	147
<i>In Hebr.</i> 10, 26	34 sq.

CATENA AUREA

<i>In evangelium Lucae,</i> cap. 12, n. 3	41. 47
--	--------

APOCRYPHA

<i>Opusc.</i> De officio sacerdotis	573. 581
<i>In Ep. Jacobi,</i> c. 5	716
<i>In 1 Ep. Joannis</i>	36. 37. 39

INDEX ONOMASTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ANALYTICUS)

- ***ABAEIARDUS**, 250 sq. **259. 603. 616. 637.**
821 sq. **832. 873**
- ABULENSIS**, 17. 725. 733
- ADAM** (C.), 253 sq. 269. 281. 382
- AERTNVS-DAMEN**, 569. 581. **582. 600.**
768. 769. 785. *947 sq.* 1065. *1067.* 1126
- ALANUS DE INSULIS**, *604. 705*
- ***ALBERTUS** (M.), 52. 70. 113. 174. 179.
263. 601. 697. **708-712.** 714. 721. 734.
736. 758. 760. 826. 830. **833. 870. 871.**
894. 926 sq. 985. 990. 991. 1012. 1028.
1064. 1091. *1103 sq. 1106*
- ALBIGENSES**, 831
- ALCUINUS**, 637. 698
- ALEXANDER III**, 830. **831. 871. 872. 873.**
874. 942. 963. 985 sq. 1039
- ALEXANDER VI**, 875. *1107 sq.*
- ***ALEXANDER HALENSIS**, 176. 179. **182.**
254. **261 sq.** 280. 436. 482. 505. 523. 556.
601. **708 sq.** *717. 721. 894. 995. 1103*
- ALEXANDER** (Natalis), 324. 573
- ALGERUS LEODIENSIS**, 707
- ALLEN** (W. C.), 60
- ALMAINUS**, 127. 726
- ***ALPHONSUS** (Liguori), 569. 573. 574.
575. *577. 580. 581. 593. 596. 597. 600.*
768. 769. 818. 823. 1065. *1066. 1070.*
1089. *1126 sq.*
- ALVAREZ** (Didacus), 200. 202. 573. 580
- AMANN** (E.), 243. 281. 292. 303. 304.
321 sq. 370
- AMBROSIVS**, 8. 24. 40. 48. 59. 79. **115..**
147. 151 sq. 270. 292. 295 sq. 342. 394 sq.
565. *624. 631 sq. 663. 863*
- AMBROSIVS** (Pseudo), **118. 149. 348.**
350 sq.
- AMI** (L') **DU CLERGÉ**, 163. 773
- AMORT** (E.), 823. 860. 990. **992 sq. 1008.**
1011. **1040. 1107 sq. 1126**
- ANASTASIVS** (Sinaita), *690*
- ANCIAUX**, 243. 264. 603
- ANCYRANUM CONC.** (a. 314), 400. 408.
857
- ANGELUS** (Angles), 573. 733. 1015. 1067.
1125
- ANGLICANI**, **609. 611 sq. 838**
- ANONYMUS**, *Adversus Novatianum*, 14.
392
- ANSELMUS** (Cantuariensis), 65. **259. 260.**
637. *764 sq.*
- ANSELMUS** (Laudunensis), 565
- ANTONINUS** (Sanctus), 573. *575 sq. 720*
- APHRAATES**, *394. 630. 686*
- ***APOSTOLICUM DECRETUM.** *Vide:*
HIEROSOLYMITANUM CONC.
ARAUSICANUM CONC. I (a. 441), **580**
ARAUSICANUM CONC. II, **488**
ARAUXO, 440. 504. 513. 556
- ARELATENSE CONC.** (a. 314), **398 sq.**
409. 857
- ARRIAGA**, 573. **583**
- ASTERIVS AMASENSIS**, 632
- ASTESANUS**, 720
- ATHANASIVS**, 47. 48. 65. **631**
- ***AUGUSTINUS**, 4. 25. 33. 36. 41. 42. 43.
44. 55. 63. 65. 69. **118. 120-122. 212. 271.**
276. 287. 289. 297. 348 sq. 351. 395. 411-
413. 549. 575. 581. 634. 638. 664. 815.
1020 sq.
- Textus:*
- Contra Faustum,*
32, 13 348 sq. **351**
- De agone christiano,*
31, 33 4. **395**
- De baptismo,*
1, 12, 20 118. **120-122**
3, 18, 23 634
- De civitate Dei,*
20, 9, 2 634
20, 10 638
- De conjugii adulterinis,*
1, 26 575. **581**
1, 38 575. **581**
- De correptione et gratia,*
5 549
12 36
15, 46 815
- De haeresibus,*
38 4. 297
86 287. 289
- De sermone Domini in monte,*
1, 22, 73 36
21, 75 43
- Enchiridion,*
64 sq. 634
65 412 sq.
71 549
83 43
110 1020 sq.

- Epistolae*,
 152, 1, 1 sq.; 3, 7 411-413
 185, 11, 48 43
 228, 8 634
- Epistolae ad Romanos inchoata expositio*,
 15 43
- In Joannis evangelium tractatus*,
 55 33
 58, 5 664
- In Psal. 101*,
 Serm. 2 276
- Retractationes*,
 1, 19 36
 1, 19, 7 25
- Sermones*,
 71 43
 71, 5, 8 42
 71, 12 55
 71, 12 sqq. 44
 71, 12, 19 sq. 43
 71, 13, 21 43
 71, 21 55
 83, 6 118
 98, 6, 6 634
 169, 11, 13 212
 172, 2 1020 sq.
 295 276
 295, 3 413
 296, 11 sq. 664
 351, 4, 9 634. 664
- *AUGUSTINUS (Pseudo),
De vera et falsa poenitentia, 79. 81. 151.
 152. 637. 697. 701-703. 707. 716. 721
 4 36
 4, 9 43
- Quaestiones V. et N. Testamenti*,
 102 48
- AVERSA, 771. 772
- BAIUS (Jacobus), 574. 584
 *BAIUS (Michael), 252. 269. 771. 842. 853
 *BALLERINI, 569. 575. 582. 585-587. 590.
 592. 766. 768. 769 sq. 817. 818
 BALLERINI-PALMIERI, 823. 1065.
 1066 sq. 1070. 1127. 1128 sq. 1134-1136
- BALSAMON, 694
- BANDINUS, 705
- *BANEZ, 139. 163. 170. 171. 176. 180. 182.
 183. 191. 209. 218. 224. 231
- BARDY, 286. 292. 370
- BARNABAE (Pseudo) EPISTOLA, 354
- BASILEENSE CONC., 976. 1052. 1055 sq.
- BASILUS, 4. 22. 624. 631. 686 sq. 690
- *BATIFFOL (P.), 281. 291. 292. 303. 304.
 310-315. 319. 345. 347. 356 sq. 359 sq.
 362. 371. 378. 381. 383. 418. 420. 423.
 601. 630 sq. 639-641. 642-646. 665. 675.
 677 sq.
- *BEDA, 38. 118 sq. 120. 121. 636. 697 sq.
 721. 789
- BELLACASA (Puig de la), 16. 59. 70. 174.
 281. 330. 335 sq. 397. 405. 602. 768. 934
- *BELLARMINUS, 16. 39. 41. 44. 50. 56.
 70. 404 sq. 573. 823. 830. 867. 884. 930.
 931. 932. 995. 1064. 1081. 1127
- BENEDICTUS III, 866
- BENEDICTUS XI, 115. 760 sq.
- *BENEDICTUS XIV, 569. 573 sq. 601.
 694. 722. 764. 765. 800. 804. 853. 987.
 1121
- BENEDICTUS XV, 877. 1022. 1033.
- BENEDICTUS (Sanctus), 624. 636. 687.
 690. 698
- BERARDI, 585. 801 sq.
- BERINGER (F.), 823. 852. 857. 860. 870.
 874. 875 sq. 922. 934. 959. 960. 985. 995.
 999 sq. 1033. 1037. 1038. 1043. 1048. 1069
- BERKHOF, 840
- BERNARD (P.), 601. 647. 694. 716. 760
- *BIEL (Gabriel), 11. 75. 127. 262. 263.
 280. 431. 432. 451. 480. 995. 1015. 1037.
 1038. 1067. 1095 sq. 1127
- *BILLOT (L.), 59. 68. 70. 139. 163. 164.
 167-170. 175. 177. 179. 180. 185 sq. 220.
 223 sq. 225. 231. 243. 250. 267. 281. 437.
 438. 440. 569. 584. 752 sq. 823. 891. 921.
 937. 950. 951. 1030. 1065. 1075
- *BILLUART, 12 sq. 70. 90. 129. 139. 150.
 158. 163. 164. 171. 202. 203. 206. 220.
 234. 236. 237. 242. 436. 505. 548. 556 sq.
 567. 716. 729. 734. 739. 768 sq. 785. 818.
 823. 885. 891. 921. 923. 950. 951. 1000.
 1001. 1030. 1038. 1043. 1065. 1066. 1070.
 1088. 1089. 1091 sq. 1121. 1127. 1128
- BINTERIM, 397. 658. 1102
- BONACINA, 572. 581
- *BONAVENTURA, 70. 112. 113. 176. 179.
 182 sq. 262. 280. 436. 482. 483. 505. 556.
 601. 619. 651. 708 sq. 718 sq. 721. 734.
 736 sq. 758 sq. 760. 826. 830. 870. 871.
 920. 925. 927. 954. 990. 992. 995. 1007 sq.
 1012. 1028. 1064. 1104
- *BONIFACIUS VIII, 846 sq. 874. 875. 975.
 1007. 1038
- BONIZO SUTRIENSIS, 264
- BOUDINHON, 281. 303. 319. 773. 823. 874
- *BOYER (C.), 38. 40. 43. 45 sq. 72. 114.
 140. 145. 146. 147. 151. 163. 177. 179.
 180. 181. 187-189. 193. 220. 225. 244.
 270. 281. 330. 335. 405. 415. 437. 716.
 734. 922. 934. 936. 950. 951. 964. 966.
 1003
- BROWN (M. A.), 871 sq.
- BURCHARDUS WORMATIENSIS, 637.
 649
- BUSEMBAUM, 573. 1065. 1127
- CAELESTINUS I, 301. 406 sq. 766
- CAELESTINUS III, 872. 986
- CAELESTINUS V, 976
- *CAJETANUS, 4. 70. 101. 102. 134. 163.
 179. 180. 183. 247. 436. 440. 441. 546.
 727. 744. 746. 751. 776. 823. 850. 885. 889.

890. 891. 895. 904. 916. 923. 925. 929 sq.
 949. 990. 992-994. 1000 sq. 1011. 1015.
 1020. 1029. 1064 sq. 1072. 1076. 1077.
 1088. 1121. 1125
- *CALLISTI DECRETUM, 301. 302. 303.
 304. 306. 310. 311 sq. 316. 369. 370. 408.
 420. 666. 675. 677
- CALLISTUS, 375. 409. *Vide*: CALLISTI
 DECRETUM
- CALLISTUS II, 985. 1072
- CALLISTUS III, 1107
- *CALVINUS, 5. 609. 610 sq. 838
- CANO (Melchior), 179. 548. 571. 573. 728.
 734. 751. 1000. 1015
- CANONES APOSTOLORUM, 630. 641
- CANONES HIPPOLYTI, 630
- CANUTUS (Rex Anglorum), 866
- *CAPPELLO, 281. 330. 336. 569. 575. 578.
 581. 582. 585. 590. 593. 594. 596. 600.
 723. 762. 763-765. 766. 768. 785. 824. 922.
 934. 936. 947. 959. 1003. 1004 sq. 1038.
 1043. 1047. 1048. 1049. 1059 sq. 1063.
 1069. 1093. 1116. 1118. 1121. 1127. 1129.
 1133. 1134. 1140. 1147. 1148. 1152
- CAPREOLUS, 92. 176. 179. 502. 726. 727
- CARDENAS, 574. 768
- CAROLI MAGNI CAPITULARIA, 636.
 689
- CAROLUS (S.) BORROMEO, 1149-1151
- CARTHAGINENSE CONC.,
 a. 251 293. 386. 388 sq. 391. 399. 409
 a. 252 386. 389
 a. 390 641
 a. 397 580. 615. 641
 a. 398 580. 857
- *CATAPHRYGAE, 4. 17. 286. 289. 297
- *CATECHISMUS CONC. TRID., 16. 91.
 101. 245. 286. 539. 617 sq. 623. 731. 785.
 811. 1152 sq.
- *CATHARI (mediaevales), 603. 604. 606.
 831. 871
- *CATHARI (seu Novatiani), 293. 298.
Vide: NOVATIANI
- CAVELLUS (Hugo), 172. 194
- CHAINED (J.), 37. 38 sq. 40. 56. 57. 60
- CHARDON (C.), 282. 601. 646. 694. 760.
 1148 sq. 1154
- CHRÉTIEN (P.), 600. 824. 1118. 1127
- CHRODEGANGUS METENSIS, 636. 756
- *CHRYSOSTOMUS, 4. 22-24. 48. 69. 114.
 146. 149. 152. 271. 275. 276. 395. 624.
 632. 641. 893 sq.
- CLAROMONTANUM CONC. (a. 1095),
 846. 985. 1055
- CLEMENS V, 976
- *CLEMENS VI, 847 sq. 874. 875. 887. 894.
 899. 905 sq. 917. 963. 970. 1039. 1050 sq.
 1070. 1078
- CLEMENS VII, 764
- *CLEMENS VIII, 573. 576. 580 sq. 617.
 720. 764. 765. 1059
- CLEMENS IX, 877
- CLEMENS ALEXANDRINUS, 346 sq. 357.
 409. 623. 664. 690
- CLEMENS ROMANUS, 21. 354. 625. 638.
 640. 647
- CLEMENS ROMANUS (Pseudo), 21. 355.
 625 sq. 638 sq. 640. 647
- *CODEX JURIS CANONICI, 162. 245.
 549. 555. 570 sq. 615. 618. 730. 732 sq.
 741. 742. 743. 750. 761 sq. 765. 766. 773.
 785. 800. 803. 804. 805. 806. 809. 815. 816.
 817. 819. 821. 827. 853. 877. 878. 882. 884.
 887. 920. 940. 941 sq. 946 sq. 950. 963.
 964. 970. 972. 987. 1018. 1032. 1033. 1034.
 1036. 1040. 1046. 1047. 1050. 1055. 1059.
 1060 sq. 1093. 1101. 1117. 1118. 1119.
 1121. 1125. 1137. 1139. 1140. 1146. 1148
- Can. 118 817
 Can. 196 946
 Can. 219 1055
 Can. 228, § 1 1055
 Can. 232 940
 Can. 239, § 1, n. 24 941. 942. 1060
 Can. 258, § 1 946
 Can. 258, § 2 877. 946 sq. 1059
 Can. 274, n. 2 941
 Can. 349, § 2, n. 2 941. 942. 1060 sq.
 Can. 468, § 2 1061
 Can. 518-530 762
 Can. 731, § 2 1118
 Can. 870 245. 964
 Can. 871 615. 618
 Can. 871-892 762
 Can. 872 730. 732 sq. 741. 761
 Can. 873 730
 Can. 873, § 3 741. 773
 Can. 873-884 733
 Can. 874 730
 Can. 874, § 1 741
 Can. 876 733
 Can. 878, § 1 741. 762
 Can. 879 733
 Can. 880, § 1 741
 Can. 881, § 1 733
 Can. 882 570. 733. 743. 766
 Can. 884 570 sq. 733
 Can. 888, § 1 785
 Can. 892, § 2 571
 Can. 893 762
 Can. 893-900 765
 Can. 905 761 sq.
 Can. 906 762
 Can. 908 1146
 Can. 909 1146
 Can. 909, § 2 1148
 Can. 910 1146
 Can. 911 827. 853. 884. 920.
 946. 963. 964. 970.
 972. 1018. 1101
- Can. 911-924 878
 Can. 911-936 853
 Can. 912 946. 963. 1050. 1055

- Can. 913 1046. 1059
 Can. 913, n. 2 950
 Can. 914 942
 Can. 915 942
 Can. 920 1059
 Can. 921 1036. 1137
 Can. 922 1137
 Can. 923 1137
 Can. 925 1093. 1117. 1119.
 1125. 1137
 Can. 925-936 878
 Can. 926 1036. 1040
 Can. 927 987. 1117
 Can. 928 1036. 1137
 Can. 930 1032. 1033. 1034.
 1047. 1117
 Can. 932 1140
 Can. 933 1139
 Can. 935 946. 1137
 Can. 1144 549. 555
 Can. 1149 1118
 Can. 1166, § 3 1061
 Can. 1226, § 1 819
 Can. 1240, § 1, n. 2 805
 Can. 1323, § 2 1055
 Can. 2214 809
 Can. 2217, § 1, n. 2 804
 Can. 2217, § 1, n. 3 804
 Can. 2220 817
 Can. 2221 817
 Can. 2224 819
 Can. 2227 819
 Can. 2241, § 1 800
 Can. 2242, § 1 816
 Can. 2245, § 1 803
 Can. 2248 821
 Can. 2248, § 1 964
 Can. 2250 821
 Can. 2252 571. 733
 Can. 2255 800
 Can. 2255, § 2 819
 Can. 2257 804
 Can. 2257, § 1 800
 Can. 2258 803
 Can. 2259 805
 Can. 2260 805
 Can. 2260, § 1 1118
 Can. 2261 805
 Can. 2262 805
 Can. 2262, § 1 987
 Can. 2263 805
 Can. 2263-2265 805
 Can. 2264 773
 Can. 2266 805
 Can. 2267 806
 Can. 2291 800
 Can. 2298 800
 Can. 2314 773. 1117
 Can. 2327 877
 CONCINA, 573. 768
 *CONGREGATIO DE INDULGENTIIS,
 853. 1019-1023. 1033. 1046. 1101. 1114.
 1121. 1124. 1125. 1132. 1133. 1138. 1139.
 1140
 CONGREGATIO DE PROPAGANDA
 FIDE, 417. 1146 sq.
 CONGREGATIO EPISC. ET REGUL.,
 1147
 CONGREGATIO S. OFFICII, 417. 571.
 583. 1033. 1107. 1146
 CONGREGATIO SS. RITUUM, 1151 sq.
 CONINCK, 75. 92. 127. 172. 573. 818. 952
 CONSTANTIENSE CONC., 606. 615. 616.
 787. 803. 807. 833. 848. 1050. 1070. 1078
 CONSTANTINOPOLITANUM CONC. II,
 566. 821
 CONSTITUTIONES APOSTOLORUM, 58.
 630. 863
 CONSTITUTIONES ECCLESIAE
 AEGYPTIACAE, 630
 CONTE A CORONATA, 824. 934
 CONTENTSON, 180. 224
 COPPIETERS, 347. 353
 CORDUBA, 1000. 1015. 1051. 1127
 CORNELIUS (R. P.), 285. 292. 385. 386.
 387. 663
 CORNELY, 147. 148. 150. 151. 345. 346.
 856
 CYPRIANUS, 8. 20. 47. 271. 286 sq. 292.
 293. 294 sq. 348. 350. 383 sq. 385. 386.
 387. 388 sq. 390. 391. 392. 393. 394.
 627 sq. 629 sq. 638. 639. 640. 647. 648-
 662. 663. 668. 669-674 sq. 683 sq. 685-
 686. 687. 783. 814 sq. 819
Textus:
Epistolae (juxta ordinem Migne):
 2 (Presbyterii Romani
 ad Cyprianum) 385. 386
 2, 2 sq. 286 sq.
 5, 4 663
 6 (Cornelii P. ad
 Cyprianum), 2 393
 7 (ad Cornelium P.), 2 392
 9, 2 385. 387 sq. 647
 9, 3 670. 683
 10, 1 647. 683
 10, 1 sq. 388. 627 sq.
 10, 1-4 670 sq. 683
 10, 2 383
 10, 4 670. 683
 11 671
 11, 1 663
 12, 1 388. 648-662.
 670. 671. 684
 663. 684. 670.
 671
 14, 2 684
 14, 2 sq. 670. 671 sq.
 16 672. 683. 684
 17 (ad Antonianum) 386

- 20, 2 sq. 672. 683
 21, 2 672 sq. 684
 22, 1 670. 673
 22, 2 683
 23 (ad Antonianum) 386
 27, 1 393
 27, 2 670. 674
 28 674. 684
 30 (Presbyterii Romani ad Cyprianum) 386. 387
 30, 1 sq. 674. 684
 31 (Presbyterii Romani ad Cyprianum) 385. 386
 31, 3. 8 387
 31, 4 674
 31, 5 663. 668
 40 292
 43 293
 44 292
 46 (Cornelii P. ad Cyprianum) 386. 387. 393
 49 (ejusdem ad Cyprianum) 293
 49, 2 663
 50 292
 51 292
 52 (ad Antonianum) 292. 386
 52, 5 392
 52, 6 386. 388. 670.
 674
 52, 10. 12 293
 52, 17 388
 52, 20 384
 52, 21 389. 390
 52, 22 384
 52, 22. 24. 26. 27. 28. 29 294 sq.
 52, 23 388 sq.
 52, 27 385
 52, 29 383 sq. 627
 54 (ad Cornelium), 1 389
 54, 5 389. 390
 55 (ad Cornelium), 15 394. 663
 62, 4 814 sq.
 67 (ad Stephanum), 2 393
 73 292
 75 (Firmiliani ad Cyprianum), 4 629 sq.
 75, 16 629
 76 292
- De exhortatione martyrii ad Fortunatum,*
 4 385
- De lapsis,*
 16 627
 17 385
 28 627
 29 383. 627
 34 8
 35 20
 36 384
- Testimonia adversus Judaeos ad Quirinum,*
 3, 28 47. 384
- 3, 119 348. 350
 CYPRIANUS (Pseudo),
Ad Novatianum, 292
De aleatoribus,
 10 47
 CYRILLUS ALEX., 69. 270. 539
 CYRILLUS HIER., 22
- DAFFARA, 180. 716. 937. 938. 950. 1000.
 1002. 1069. 1126
 *D'ALÈS (A.), 35. 37. 40 sq. 41. 44. 48.
 56. 59. 60-62. 70. 180. 186. 222 sq. 225.
 244. 267. 281. 286. 288. 289-292. 294.
 298 sq. 300. 303. 305 sq. 310. 312. 313.
 314. 315. 319. 330. 331. 337-340. 344.
 346. 347. 358 sq. 360 sq. 362 sq. 364. 366-
 368. 370. 372. 374. 376. 377. 382. 383.
 392. 397. 413. 414. 415. 420. 421-423.
 602. 643. 647. 651. 660. 665. 679. 682.
 695. 701. 823. 857. 858
 DE ANGELIS (S.), 824. 876. 1003. 1004.
 1033 sq. 1047. 1048. 1061-1063. 1069.
 1070. 1076. 1093. 1127. 1133 sq. 1136.
 1137 sq. 1139
 DE AUGUSTINIS, 59. 145. 147. 150. 172.
 437. 438. 501. 526. 569. 600. 995. 1081
 DE LABRIOLLE, 286. 313. 675. 676
 DELGADILLO, 480. 500
 DEMAN (Th.), 163. 176. 180. 184 sq. 191.
 223. 225
 DE SAN, 172. 282. 330 sq. 397. 405
 DIANA, 569. 572. 573. 1127
 DICASTILLO, 774. 775. 780
 DIDACHE, 48. 354. 624 sq. 662 sq.
 DIDASCALIA APOSTOLORUM, 271. 275.
 630
 DIEKAMP (Fr.), 16. 72. 90. 140. 163. 180.
 186 sq. 270. 324. 382. 395. 437. 438. 505.
 507. 526. 569. 602. 716. 734. 894. 922.
 934. 995. 1000. 1002. 1030. 1107. 1126.
 1127
 DIONYSIUS ALEXANDRINUS, 292. 630.
 640 sq. 669. 682 sq.
 DIONYSIUS ALEX. (Pseudo), 635 sq. 690
 DÖLLINGER (I.), 282. 374. 377. 378
 *DONATISMUS, 299 sq.
 DONATUS VESONTIONENSIS, 688 sq.
 DUCHESNE (L.), 282. 303
 *DURANDUS (a S. Porciano), 94. 101.
 436. 446. 479. 480. 489. 492. 505. 556.
 717. 720. 726. 727. 888. 889 sq. 910. 911.
 912. 920. 921. 925. 930. 941. 1067
- EBORACENSE CONC. (a. 1195), 650
 EDMUNDUS CANTUARIENSIS, 650.
 1148
 EGBERTUS EBORACENSIS, 637. 1149
 ELBEL, 574. 575. 768
 ELIBERITANUM CONC. Vide: ILLI-
 BERITANUM
 EPIPHANIUS, 4. 47. 150. 287. 293
 ESSER (G.), 282. 292. 312. 313. 319. 330.
 347. 365. 382

- ESTIUS, 31. 35. 180. 623. 814. 855
 EUCHERIUS LUGDUNENSIS, 635
 EUGENIUS III, 872
 EUSEBIUS CAESARIENSIS, 286. 287.
 292. 293. 347. 356. 358. 665. 666 sq. 669
 FANFANI (L. I.), 824. 876. 937. 939. 950.
 1000. 1002. 1034. 1048. 1063. 1069. 1092.
 1093. 1114. 1118. 1130
 FERRARIENSIS, 794
 FERRARIS, 773. 1054
 FIRMILIANUS, 629 sq.
 *FLORENTINUM CONC., 245. 273. 274.
 539. 730. 741. 761
 FRANCISCUS (S.) ASSISIENSIS, 709.
 1107
 FRANK (F.), 282. 330. 397. 601. 646. 660
 FRANZELIN, 569. 591.
 FRASSEN, 16. 43. 75. 76 sq. 85. 86. 87.
 163. 172. 192. 193. 194. 197 sq. 431.
 434 sq. 483 sq. 489. 529. 556
 FRATICELLI, 605 sq. 697. 831
 FULGENTIUS, 43. 349. 351
 *FUNK (F. X.), 282. 291. 303. 310. 312.
 319. 355. 359. 365. 368. 371. 378. 420.
 422 sq. 679
 *GALTIER (P.), 31. 37. 40. 41. 44. 48.
 59. 60. 70. 72. 90. 114. 121 sq. 139. 140.
 143 sq. 147. 150. 162. 172. 176. 220. 221.
 226. 243. 244. 266 sq. 270. 272 sq. 282.
 292. 303. 324. 325. 328-330. 344. 357 sq.
 364. 370. 373. 374. 376. 377. 379. 397.
 403. 406. 410 sq. 413 sq. 416. 417. 418.
 437. 438. 501. 502. 503 sq. 569. 580. 602.
 614 sq. 647. 648. 652. 655. 657 sq. 660.
 665. 679. 695. 734. 768. 790. 824. 836.
 840 sq. 855 sq. 857. 858 sq. 867 sq. 870.
 884 sq. 922. 937 sq. 950. 951. 968. 975.
 978 sq. 1000. 1002 sq. 1030. 1069. 1096.
 1100. 1108. 1127
 GARRIGOU-LAGRANGE, 163. 182. 202.
 437. 440. 442
 *GELASIUS I, 16. 47. 115. 285 sq. 293.
 342. 394. 407 sq.
 GENETTUS, 574. 592
 GENICOT-SALSMANS, 569. 575. 582.
 585. 589 sq. 593. 594. 596. 597
 GERARDUS AUGUSTANUS, 830. 866
 GERSON (Joannes), 1095
 GILLMANN (F.), 602. 694. 824
 GOFFRIDUS VINDOCENSIS, 637
 GÖLLER (E.), 282. 824. 872. 976
 *GONET, 125. 128. 163. 171. 190. 201. 202.
 203. 206. 209 sq. 214. 219. 220. 234. 236.
 237. 436. 437. 438. 440. 456. 467. 505.
 526. 527. 548. 552. 567. 572. 573. 751
 GORE (Ch.), 608 sq. 611 sq.
 GRATIANUS, 74. 111. 115. 259. 637. 649.
 701. 704. 725. 756. 763. 805 sq.
 GREGORII IX DECRETALIA, 649
 *GREGORIUS I, 36. 79. 118. 636. 820.
 866 sq. 1039
 GREGORIUS VII, 805 sq.
 GREGORIUS VIII, 872
 GREGORIUS XIII, 617. 720. 853
 GREGORIUS XV, 574
 GREGORIUS XVI, 853. 943. 1019-1023.
 1101
 GREGORIUS NAZIANZENUS, 863
 GROMER (G.), 602. 647. 694. 701
 GUILIELMUS ALTISSIODORENSIS, 259.
 866. 867
 GUILIELMUS ALVERNIENSIS, 264. 280.
 651. 709
 GUILIELMUS PARIISIENSIS, 112. 720
 HADRIANUS VI, 75. 1038
 HARENT (S.), 282. 330-334. 420
 *HARNACK (A.), 282. 293. 303. 305 sq.
 347. 348. 349. 352. 377. 378. 383. 420.
 421 sq. 684
 HEFELE, 397 sq.
 HEFELE-LECLERCO, 398 sq. 831 sq.
 1055 sq.
 HENRICUS GANDAVENSIS, 17. 1028.
 1064
 *HERMAS, 21. 358-361. 409. 565. 626. 640
 HERVÉ (J. M.), 16. 140. 147. 151. 180.
 223. 282. 330. 335. 526. 660. 734. 859.
 1069. 1126
 HERVEUS BURGIDOLENSIS, 151. 152
 HEYLEN (V.), 172. 437. 438. 501. 824.
 876. 877 sq. 922. 925. 934. 950. 1003.
 1034. 1043. 1047. 1065. 1093. 1114 sq.
 1118. 1119. 1130. 1134. 1137. 1139
 *HIERONYMUS, 25. 39. 48 sq. 65. 145.
 148 sq. 151. 161. 287 sq. 296 sq. 348. 351.
 395. 549. 565. 624. 632 sq. 638. 641. 647.
 663 sq. 789. 814. 815. 1156
 HIEROSOLYMITANUM CONC., 347-353
 HILARIUS, 24. 48. 65
 HILDEBERTUS CENOMANENSIS, 707
 HINCMARUS RHEMENSIS, 637. 698 sq.
 *HIPPOLYTUS, 271. 302. 374-377. 382.
 390. 408. 409. 420
 HIRSCHER (J. B.), 824. 971
 HODGE (Ch.), 839 sq.
 HOLDEN (H.), 888
 HOLL (K.), 602. 684. 690. 691. 692
 HOLLZMANN, 574. 575. 768
 HOLZMANN, 733. 920. 1095
 HOSTIENSIS, 140. 147. 156 sq. 163. 172.
 174. 182. 209. 215. 216. 217 sq. 221. 222.
 282. 330. 397. 405. 569. 590 sq. 614. 734.
 753. 768
 HUGO A S. CARO, 894
 *HUGO A S. VICTORE, 91. 111. 254-257.
 278 sq. 523. 707
 HUGON, 114. 140. 147. 151. 201. 202. 437.
 440. 441 sq. 505. 526. 548. 557. 569. 891.
 922. 934. 959. 1000. 1002
 HUGUENY (E.), 163. 180. 244
 HURTER (H.), 172. 282. 330.
 HURTER (H.), 1000. 1002. 1069 334. 397.
 694. 934. 971.
 HUS, 606. 807

- HUSSITAE, 606. 697. 754. 762. 807. 830.
833. 848
- HYQUAEUS, 163. 192. 193. 196 sq. 431.
434. 480. 481 sq. 483. 489. 490. 592
- IGNATIUS ANTIOPENUS, 21. 354. 626.
638. 640
- *ILLIBERITANUM CONC. (circa a. 300),
395-398. 399. 408. 409 sq. 411. 616. 618.
641. 648-662
- *INNOCENTIUS I, 301. 403-406. 407. 624.
634. 638. 766
- INNOCENTIUS II, 764. 985. 1039
- *INNOCENTIUS III, 73 sq. 604 sq. 616.
636. 689. 802. 818. 832. 871. 872 sq. 975.
1055
- INNOCENTIUS IV, 760
- INNOCENTIUS V. *Vide*: TARENTASIA
- INNOCENTIUS XI, 767. 768. 842. 1107
- IODICE (A.), 163. 244
- IRENAEUS, 47. 349. 356
- ISIDORUS HISPALENSIS, 637
- IVO CARNOTENSIS, 637. 649. 700 sq.
- *JANSENISTAE, 251. 269. 324. 726. 762.
830. 842 sq. 889. 971
- JANSENIUS, 17. 41. 50. 64
- JOANNES IV OXITA (patr. schism.), 691.
692
- JOANNES VIII, 866. 1102
- JOANNES IX, 1102
- JOANNES XXII, 605 sq. 616. 754. 761.
976
- *JOANNES A S. THOMA, 12. 129. 163.
171. 182. 184. 190. 191. 202. 204-206. 213.
226 sq. 228. 231. 236. 237. 238. 244. 263.
436. 437. 438. 439 sq. 458. 461. 467. 477.
498. 505. 552. 553 sq. 572
- JOANNES JEJUNATOR, 692
- JONAS AURELIANENSIS, 637. 698
- JONAS ELNONENSIS, 687 sq.
- JUENIN, 282. 574. 592
- JUGIE (M.), 252 sq. 602. 689. 691. 692-
694. 824. 844 sq. 859. 860. 861 sq. 868.
869. 1109 sq.
- JULIANUS POMERIUS, 624. 635
- JUSTINUS, 355
- KIRSCH (P. A.), 282. 377. 378
- *KNABENBAUER, 17. 41. 42. 50 sq. 59.
64-66. 119. 120. 344. 347
- KOENIGER (A. M.), 694. 701
- KURZ (A.), 824. 1038
- LACROIX, 574. 581. 768. 817
- LACTANTIUS, 3
- LAGRANGE (M.-J.), 41. 59 sq. 70
- LANFRANCUS CANTUARIENSIS, 637.
650. 700. 703
- LATERANENSE CONC. II, 73. 764
- LATERANENSE CONC. III, 649. 830.
871
- *LATERANENSE CONC. IV, 16. 273.
286. 605. 616. 696. 730. 741. 756. 830.
846. 856. 872 sq. 873. 876. 882. 975. 986.
1039. 1055. 1056. 1060. 1070
- *LAURAIN, 659. 661
- LAYMANN, 572. 573. 817
- *LEA (H. Ch.), 303. 327. 602. 646. 654.
661. 665. 675. 684. 685 sq. 694. 695 sq.
701. 722. 825. 836. 838 sq. 880-882. 975.
979. 1041. 1096. 1098 sq. 1101
- LEBRETON (J.), 282. 312. 319. 382
- LECLERCQ, 347. 353. 397. *Vide*:
HEFELE-LECLERCQ
- LEDESMA, 171. 181 sq. 202. 203. 221.
236. 727. 734. 748.
- LEHMKUHL, 569. 575. 580. 581. 582. 592.
595 sq. 599 sq. 825. 918. 1003. 1038. 1127.
1129
- LEMONNYER (A.), 41. 44. 51. 56. 59.
65. 70. 347
- LEO I, 48. 58. 301. 407. 580. 615. 635. 766
- *LEO X, 615. 616. 808. 836. 850 sq. 887.
919. 920. 942. 943. 950. 963. 971. 976.
981. 1018 sq. 1050. 1070. 1078. 1098.
1100 sq.
- LEO XII, 987
- LEO XIII, 876. 1119
- LÉPICIER (A.), 163. 180. 437. 438. 505.
526. 546. 552. 554 sq. 768. 773. 820. 825.
836. 855. 857. 859 sq. 867. 868. 869. 874.
884. 891. 922. 924 sq. 928. 934. 950. 995.
997 sq. 1021. 1030. 1048. 1067. 1068. 1102.
1118
- LERCHER (L.), 172. 283. 330. 331. 336 sq.
751. 768. 934. 983 sq. 1003. 1004. 1069.
1100
- *LIBERALES PROTESTANTES, 253. 303.
304. 347. 420. 603. 612 sq. 674 sq. 684-
686. 695 sq. 722. 807
- LOISY, 70. 283. 303. 349
- LÖNING (E.), 642. 684
- LOOFS, 283. 303
- LORCA, 17. 64. 440
- *LUGO, 11. 13 sq. 17 sq. 28 sq. 33. 70. 75.
88. 92. 93 sq. 98. 99. 100. 101. 128. 129 sq.
140. 158. 163. 172. 175. 215. 226. 230.
244. 263. 436. 437. 438. 497. 502. 526.
530. 536. 537. 556. 569. 572. 573. 576.
581. 583. 585. 593. 594. 595. 601. 729.
738. 762. 766. 767. 774. 775. 776 sq.
778 sq. 780. 781 sq. 785. 825. 826. 885.
891. 893. 898 sq. 906. 955 sq. 956-959.
961. 965. 995. 996 sq. 1029. 1035. 1064.
1070. 1073 sq. 1075. 1076. 1088 sq. 1121.
1122 sq. 1125. 1126
- LUPUS (Christianus), 303. 574
- *LUTHERUS, 5. 610. 762. 808. 836 sq.
873. 887. 971. 972. 1098. 1101. 1109
- MABILLON, 686. 1102
- MAC GUINNESS (J.), 172. 921. 934
- MAGNIN (A.), 825. 836. 857. 858. 864 sq.
867. 870. 975
- MAJOR, 733. 995

- MALDONATUS, 41. 70. 146
MANGENOT, 17. 42. 44. 51. 54. 59. 64.
65. 66 sq.
*MARINO (R.), 163. 180 sq. 189 sq. 193
MARSILIUS, 892. 906. 1051
MARTÈNE (E.), 283. 303. 601. 686. 694
MARTINUS IV, 760
MARTINUS V, 606 sq. 803. 975
MAYRON (Franciscus), 888. 889. 890. 891.
905. 910. 911. 926. 930. 1095
MAZZELLA (C. Card.), 172. 226
MAZZELLA (H.), 172
MC NEILE, 62 sq.
MEDINA, 17. 75. 76. 85. 87. 92. 101. 102.
263. 279. 431. 432. 451. 530. 573. 734.
771. 772. 825. 892. 905. 906. 926. 1015.
1051. 1067
MELANCHTHONIUS, 837 sq.
MERKELBACH, 180. 187. 569. 581. 582.
584. 592. 597. 600. 730. 762. 768. 785.
937. 938. 947. 950. 1065. 1067. 1127
MICHEL (A.), 139. 163. 180. 211. 223.
225. 240 sq. 244. 616 sq. 825
MINGES (P.), 163. 192. 199. 431. 435 sq.
569. 592. 1029
MODERNISTAE. *Vide:* LIBERALES
PROTESTANTES
MOLINOS (Michael), 842
*MONATANISTAE, 16. 20. 38. 250. 283.
285. 286-292. 293. 294. 342. 343. 347.
363. 603. 667. 680
MONTEFORTINO (Hieronymus de), 127.
141. 163. 192. 193. 198 sq. 431. 435. 480.
481. 490. 592. 1032. 1105 sq.
*MORINUS (J.), 41. 283. 300. 301. 303.
324. 325-327. 395. 569. 574. 575. 576 sq.
592. 595. 597. 601. 646. 655 sq. 694. 825.
867
MÜLLER (J. Th.), 841
MÜLLER (K.), 602. 665. 675

NAVARRUS (M.), 571. 573. 725. 733. 825.
874. 992. 993. 1000. 1008. 1011. 1015.
1038. 1051. 1121
NEOCAESAREENSE CONC. (inter a. 314
et a. 325), 400
*NICAENUM CONC. I, 293. 295. 301. 318.
394. 398. 400-402. 406. 409. 410. 411. 615.
690. 766. 857
NICOLAUS I, 866
NICOLAUS GÉLANT, 650 sq. 653. 661
NOBLE (H.-D.), 163. 180.
NOLDIN-SCHMITT, 569. 577 sq. 588 sq.
590. 591. 592. 593. 594. 596. 597. 600. 934.
1003. 1004. 1130
*NOVATIANI, 4. 16. 20. 38. 46. 63. 250.
283. 285. 286. 292-299. 342. 343. 345.
347. 363. 391-394. 635
*NOVATIANUS, 46 sq. 63. 292 sq. 294 sq.
298 sq. 385. 387. 390. 391 sq. 393
NOVATUS, 293
NUGNUS, 75. 76. 86. 129. 139. 200. 202.
203. 436. 438
O'DONNELL (M. J.), 283. 324. 327 sq.
602. 646. 655
ODO PARISIENSIS, 650
OFFICIUM (S.). *Vide:* CONGREGATIO
S. OFFICII
OPTATUS MILEVITANUS, 287. 540
ORDERICUS VITALIS, 699 sq.
*ORIGENES, 3 sq. 46. 47. 114. 271. 275.
304. 377-382. 408. 420. 624. 628 sq. 638.
639. 640. 663. 664. 667. 680. 690. 893
ORSI (Card.), 283. 324
*OSMA (Petrus de), 250. 251. 269. 835.
848. 971. 1096. 1100
OTTEN, 172. 226. 768

PACIANUS, 24. 37. 48. 292. 295. 342. 345.
348. 350. 392. 631. 663
PALAUS, 768. 817
*PALMIERI (D.), 70. 75. 85. 121. 150.
151. 172. 244. 330. 334. 397. 405. 416.
569. 575. 585. 587 sq. 591. 601. 825.
860 sq. 867. 868. 869. 870. 934. 958-960.
1032. 1065. 1067. 1075 sq. 1126. 1127.
1131. 1134-1136
PALUDANUS, 176. 179. 436. 502. 556. 573.
725. 726. 727. 733. 748. 751. 817. 970.
1038. 1051. 1067
PAPIENSE CONC. (a. 850), 637
PAQUET, 139. 180. 1067. 1068
PARGOIRE (J.), 689. 691
PASCHALIS I, 1102
PASCHALIS II, 874. 1039
PASSERINI (P. M.), 825. 1038
PAULINUS (Ambrosii secretarius), 632
PAULUS (Nicolaus), 825. 835. 840. 857.
859. 863. 874. 894. 975. 978. 984. 1003.
1096. 1102. 1107
PÈGUES, 163. 180. 183 sq. 225. 440. 716.
723. 728 sq.
PERRONE (J.), 825. 885. 1000. 1001 sq.
PESCH, 114. 139. 145. 147 sq. 150. 158.
163. 172. 173. 174. 209. 221. 226. 270.
283. 330. 334. 346. 438. 569. 723. 734.
768. 769. 825. 855. 859. 860. 861. 867.
868. 869 sq. 884. 885. 918. 922. 923.
934 sq. 959. 971. 995. 998 sq. 1030. 1038.
1069. 1093. 1127
*PETAVIUS, 283. 300. 301. 303. 304. 307-
310. 397. 401 sq. 405. 413. 414. 642.
PETROBRUSSIANI, 831. 1095. 1103.
PETRUS CANTOR, 706 sq.
PETRUS CLUNIACENSIS, 821 sq. 831.
1095. 1103
*PETRUS LOMBARDUS, 39. 41. 52. 74.
112. 140. 174. 254 sq. 259-261. 279. 601.
637. 651. 697. 701. 703-705. 716. 721.
725. 789. 790. 791. 792. 970
PETRUS PICTAVIENSIS, 112. 259. 261.
725
PHOTIUS, 395
PICTAVIENSE CONC. (a. 1280), 651.
653. 661
PIGNATARO, 283. 330. 660

- PIOLANTI (A.), 90. 140. 180. 181. 283.
 330. 437. 922. 934. 935 sq. 950. 1003.
 1004. 1069
 PISCETTA-GENNARO, 569. 582. 995.
 1127. 1147. 1151 sq.
 PISTORIENSE CONC., 324. 406. 726. 732.
 762. 842 sq. 887. 971. 972. 1018. 1099.
 1101
 PIUS IV, 852 sq. 876
 PIUS V, 252. 269. 771. 842. 853. 876
 PIUS VI, 251. 269. 406. 726. 730. 732. 762.
 887. 963. 972. 981. 1018. 1099. 1101
 PIUS IX, 809. 876
 PIUS X, 877. 1060. 1107
 *PIUS XI, 139. 144. 152. 154. 212
 PIUS XII, 750. 1119
 POENITENTIALE ROMANUM, 649. 652
 POENITENTIARIA (S.) APOSTOLICA,
 571. 1059. 1061
 POHLE, 172. 303
 POLYCARPUS, 354 sq. 626. 640. 647
 PONTIFICALE ROMANUM, 804
 *POSCHMANN (B.), 253 sq. 269. 283.
 377. 383. 825. 857. 922
 PRADO (Martinez de), 92. 477. 573
 PRAEPOSITINUS, 112. 120. 259. 725
 PRESBYTERIUM ROMANUM, 628. 640.
 663
 PREUSCHEN (E.), 283. 303. 602. 665. 675
 PROSPER AQUITANUS, 115. 121
 *PROTESTANTES, 4 sq. 94. 111. 250. 251.
 269. 270. 603. 608-612. 674 sq. 684-686.
 762. 807. 830. 835-842. 843. 873. 889.
 971. 1041. 1098 sq. Vide: CALVINUS.
 LIBERALES PROTESTANTES. LU-
 THERUS
 PRÜMMER, 569. 582. 729. 768. 769. 818.
 934. 948. 1065. 1126. 1127

 RABANUS MAURUS, 637. 698
 RADULPHUS ARDENS, 705 sq.
 RAIMUNDUS DE PENAFORT, 651. 984
 RATIONALISTAE. Vide: LIBERALES
 PROTESTANTES
 RAUSCHEN, 283. 303. 312. 322 sq. 378.
 642. 644. 665. 679
 REGATILLO (E. J.), 826. 876. 1127
 REGINO PRUMENSIS, 637. 649. 650. 756
 RESCH (G.), 347. 348. 349. 352
 RICHARDUS ARMACHANUS, 17. 726
 *RICHARDUS A S. VICTORE, 52. 63 sq.
 65. 71. 91. 94. 256-258
 RICHARDUS DE MEDIAVILLA, 75. 436.
 720. 760. 1127
 RIPALDA, 75. 92. 157. 172
 RITUALE ROMANUM, 566. 570. 571. 581.
 582. 731 sq. 762. 766. 785. 821. 1133.
 1134. 1145. 1146. 1151. 1152. 1155
 RITUALISTAE, 609
 ROBERTUS PULLUS, 259. 637. 703
 ROHNER (K.), 283. 377
 ROLANDUS BANDINELLI, 257. 259. 280
 ROLFFS (E.), 602. 665. 675
 ROMANUM, CONC.,
 a. 251 293. 386. 666. 670. 674
 a. 1078 805 sq.
 ROSSI (J. B.), 283. 374
 ROTOMAGENSE CONC. (a. 1231), 650
 RUFINUS, 296

 SACERDOTALE ROMANUM, 575 sq.
 *SALMANTICENSES, 11. 12. 29. 43. 70.
 72. 76. 92. 110. 129. 140. 163. 164. 170.
 171. 176. 182. 190. 191. 200 sq. 219. 226.
 234. 235. 237. 436. 441-444. 458. 462.
 463. 477. 505 sq. 520. 522. 526. 546.
 552 sq. 567. 569. 572. 573. 579. 584 sq.
 593. 594. 595. 597. 716. 729. 734. 738 sq.
 767. 768. 769. 774. 775. 778. 784. 794.
 811-813. 818
 SASSE, 172. 330
 *SCHISMATICI ORIENTALES, 252 sq.
 566. 613. 689-694. 773. 830. 843-845.
 1109 sq.
 SCHMITZ, 397. 643. 645. 870
 SCHULTES (R.), 244. 266
 *SCOTUS, 11. 52. 70. 75. 92. 127. 162.
 167. 170. 171. 193. 194-196. 218. 266.
 268 sq. 431. 432. 433 sq. 450. 451. 460.
 479. 480 sq. 483. 489. 490. 522. 524. 592.
 719 sq. 793 sq. 826. 911. 912. 969. 1028 sq.
 1032. 1105
 SENONENSE CONC. (a. 1140), 603. 616
 SENTENTIAE DIVINITATIS, 651. 704
 SILVESTER (Prierias), 556. 573. 720. 725.
 733. 1067. 1121
 SILVIUS, 556. 1052. 1054
 SIMEON THESSALONICENSIS, 693. 694
 SIMON-DORADO, 51. 54 sq. 59
 SIRICIUS I, 402. 410. 766
 SIRMUNDUS, 283. 303
 *SIXTUS IV, 269. 848-850. 887. 919 sq.
 921. 950. 963. 1018. 1050. 1095. 1101.
 1107
 SIXTUS V, 764
 SOCRATES, 21. 23 sq. 292. 293. 297 sq.
 395. 630. 634 sq. 641. 642
 *SOTO (Dominicus), 92. 101. 102. 129. 162.
 181. 190. 202. 203. 204. 226. 228. 231.
 236. 270. 437. 438. 439. 456. 461. 502.
 504. 513. 526. 527. 540. 571. 573. 601.
 716. 720. 722. 727 sq. 734. 817 sq. 929.
 930 sq. 995 sq. 1015. 1021. 1029. 1051.
 1064 sq. 1089. 1109. 1121
 SOTO (Petrus), 505. 556. 1051
 SOZOMENUS, 287. 292. 293. 410. 634.
 641. 642
 SPORER, 139. 569. 574. 581. 592. 594 sq.
 STEPHANUS DE BALGIACO, 650
 STRAUB (A.), 283. 751. 773
 STUFLE, 283. 330. 377. 382
 *SUAREZ, 5. 10. 11. 14 sq. 16. 27. 29. 33.
 36. 44. 50. 54. 70. 72. 75. 76. 77 sq. 79.
 84. 85. 87. 90. 92 sq. 98. 99. 101. 102.

110. 117. 120. 128 sq. 131. 134. 140.
142 sq. 147. 149. 150. 151. 158. 163.
164 sq. 167. 170. 171. 172 sq. 174. 175.
176. 179. 182. 210. 213. 216. 218. 221.
225 sq. 228. 230. 231. 244. 270. 436. 437.
438 sq. 450. 461. 462. 472. 483. 494. 497.
501 sq. 503. 511 sq. 520. 521. 526. 530.
534. 540. 546. 548. 556. 569. 572. 573.
581. 601. 722 sq. 728. 729. 734. 737 sq.
742 sq. 744 sq. 747. 755. 759. 762. 766 sq.
774. 775. 776. 785. 800. 817. 825. 826.
855. 883. 885. 890 sq. 892. 898. 900.
901 sq. 903 sq. 906. 909 sq. 912 sq. 914 sq.
921. 922. 923. 925. 931-933. 943. 949.
952 sq. 954. 973 sq. 980. 984 sq. 987. 988.
995. 996. 1007. 1010. 1011. 1015. 1021.
1029. 1035 sq. 1037. 1039. 1040 sq. 1042-
1045. 1047 sq. 1051 sq. 1054. 1057 sq.
1063. 1064. 1066. 1075. 1076. 1077. 1079.
1080 sq. 1084. 1085 sq. 1089. 1090. 1091.
1113. 1121. 1122. 1124. 1127. 1128. 1138.
1141
- SUMMA SENTENTIARUM, 256
SYLLABUS, 809
- TAMBURINI, 500. 574. 581
TANQUEREX, 172. 284. 303
TARENTASIA (Petrus de; Innocentius V),
708. 709. 717
TEETAERT (A.), 602. 690. 695. 700. 703.
706. 707. 708 sq. 711. 716. 717
*TERTULLIANUS, 8. 17. 21 sq. 271.
287. 288-292. 304. 345 sq. 348. 349 sq.
359. 364-374. 376. 382. 408. 420. 530.
565. 627. 639. 640. 663. 668 sq. 680-682.
1156
- Textus:
- Ad martyres,
1 668. 680
- Adversus Praxeam,
1 287
- Apologeticus,
9 349
- De anima,
9 287
- De fuga in persecutione,
11 668
- De monogamia,
5 349
- De patientia,
12 365. 368
- De poenitentia,
4 22. 366. 1156
5 369
6 8. 530
7 22. 364 sq. 366. 369
8 365
9 366. 627. 663. 668. 680
10 366. 627. 663. 680
12 366. 368
- 13 367
14 367
- De pudicitia,
1 369. 627
2 sq. 21
5 369 sq. 408
6 372
10 359
12 348. 349 sq. 370
13. 14. 17 345 sq.
18 345. 627
19 368
20 368
21 372. 627. 668
22 627. 668 sq. 681
- TESTAMENTUM D. N. J. C., 647
TIXERONT, 284. 292. 303. 319. 378.
381 sq. 383
- THEODORETUS, 115. 149. 298
THEODORUS A SPIRITU S., 826. 1000.
1065. 1075
- THEODORUS CANTUARIENSIS, 619.
636. 649. 652
- THEODULPHUS AURELIANENSIS, 636
THEOGNOSTUS, 46. 47
THEOPHYLACTUS, 114. 149
THIETMARUS MERSEBURGENSIS, 699
THOMAS A IESU, 572. 773
*THOMAS AQUINAS. Vide: INDEX
THOMISTICUS
- TOLETANUM CONC.,
a. 400 648
a. 589 641
- TOLETUS, 172. 180. 221. 573
TOURNELY, 180. 183. 284. 574. 768. 1065.
1126
- TRADITIO APOSTOLICA, 630
TRIBURENSE CONC. (a. 895), 649. 652
*TRIDENTINUM CONC., 3. 16. 72 sq.
90. 91. 101. 115. 139. 144. 146. 150.
152 sq. 165. 178. 207. 211. 212. 217. 245.
247. 263. 269. 270. 273. 274. 278. 286.
294. 406. 418. 432. 499. 538. 539. 548.
560. 565. 570. 609. 613. 614. 615. 616.
617. 623. 725. 730 sq. 739. 741. 742. 743.
744. 747. 748. 750. 761. 762. 765. 766.
771. 772. 783. 788. 803. 808. 809. 811.
825. 827. 845. 851 sq. 856. 862 sq. 876.
882. 884. 887. 907. 1050. 1070. 1101.
1145. 1156
- Textus:
- Sessio 5, de peccato originali,
can. 5 90. 115. 538
- Sessio 6, de justificatione,
cap. 6 217
72 sq. 139. 146. 178. 207.
212. 217
cap. 14 3. 278. 286
cap. 16 90. 152 sq. 211
can. 3 3
can. 8 3
can. 9 3

- can. 10 73
 can. 11 73. 139
 can. 17 115
 can. 26 153
 can. 29 286
 can. 30 3. 90. 91
 can. 32 153
- Sessio 7, de sacr. in genere,*
 cap. 5 499
 can. 7 499
 can. 13 783
- Sessio 13, de reformatione,*
 cap. 1 809
 cap. 2 539
 can. 5 539
- Sessio 14, de Poenitentia,*
 cap. 1 3. 269. 273. 286. 294. 750
 cap. 2 3. 269. 273. 286. 538. 1156
 cap. 3 245
 cap. 4 3. 274
 cap. 5 418. 432. 772
 cap. 6 609. 616. 617. 771. 811
 cap. 7 406. 570. 730 sq. 739. 741.
 742. 743. 744. 761. 762. 766
- cap. 8 90
 cap. 14 16
 can. 1 16. 286
 can. 2 286
 can. 3 617. 725. 750
 can. 4 3. 623
 can. 5 3
 can. 9 270. 609. 615. 617. 725
 can. 10 609. 615. 617. 811
 can. 11 731. 741. 742. 762
 can. 12 90. 91
 can. 15 90. 91
 can. 29 16
- Sessio 21, de reformatione,*
 cap. 9 851 sq. 876. 887. 907
 can. 2 750
- Sessio 22, de sacrificio Missae,*
 cap. 1 548
 cap. 2 548
- Sessio 23, de Ordine,*
 can. 4 750
- Sessio 23, de reformatione,*
 cap. 3 803
 cap. 15 731. 747. 750. 762
- Sessio 25, de reformatione,*
 cap. 3 808
- Sessio 25, decretum de*
Indulgentiis, 851. 1050. 1101
- UMBERG, 163. 172. 284. 324. 417. 859
 *URBANUS II, 756. 846. 871. 872. 985.
 1037. 1055
 URBANUS IV, 764
 URBANUS VI, 848. 875. 887
 URBANUS VIII, 617. 720
- *VACANDARD (E.), 284. 303. 304. 312.
 315-321. 356. 360. 367. 368. 369. 371.
 378. 381. 420. 601. 604. 642-646. 655.
 656 sq. 660. 664 sq. 679. 681. 689. 690 sq.
 694. 716
- VACANT (A.), 244. 267. 268 sq. 601. 694
 VALENTIA (Gregorius de), 75. 127. 162.
 171. 202. 203. 204. 236. 1067. 1068
- VAN NOORT-VERHAAR, 90. 139. 180.
 284. 330. 437. 505. 825. 922. 924. 934.
 935. 950. 1003 sq. 1069
- VASQUEZ, 75. 92. 120. 157. 158. 172. 218.
 225. 436. 440. 483. 497. 504. 513. 526.
 556. 572. 573. 581. 727. 744. 745. 748
- VEGA, 17. 64
- VERMEERSCH, 582. 934. 947. 1043. 1047.
 1048. 1061. 1069. 1130. 1140
- VERONIUS (Franciscus), 972
- VICTOR (R. P.), 285. 287
- VICTORIA (Franciscus de), 162. 190 sq.
 202. 236
- *VIENNENSE CONC., 847. 876. 882. 976.
 986. 1039. 1070. 1106
- VILLIEN, 1152. 1153-1155
- VIVA (D.), 574. 581. 597. 768
- *WALDENSES, 604 sq. 636. 697. 831 sq.
 WALDENSIS (Thomas), 762
- WATKINS (O. D.), 284. 303. 306 sq. 347.
 348. 349. 351 sq. 602. 648. 665. 675 sq.
- WEIGEL (Nicolaus), 976 sq.
- *WICLEFF, 606-608. 762. 807. 833-835.
 879 sq. 908. 910 sq. 1096-1098
- WICLEFFITAE, 606-608. 697. 754. 762.
 807. 830. 833. 848. 889. 975
- WIRCEBURGENSES, 16. 70. 172
- WITASSE, 284. 324. 574
- WORMATIENSE CONC. (a. 868), 615
- ZUBIZARRETA, 200. 1067. 1068 sq.

INDEX ANALYTICUS

(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ONOMASTICUS)

*ABAEIARDUS.

Videtur negare potestatem clavium apud pastores Ecclesiae, praesertim indignos, 250 sq. 603. 832 sq.

Videtur denegare, saltem episcopis indignis, potestatem concedendi indulgentias, 832 sq.

De absolute data defuncto Abaelardo a Petro Cluniacensi, 821 sq.

ABSOLUTIO.

Plures moderni, post Cajetanum et Suarezium, inapte docent indulgentiam pro vivis esse veram et proprie dictam absoluteionem, 929-937

Finalis absolutio, quae datur ad conclusionem publicae poenitentiae, habebat, juxta quosdam doctores, vim proprie dictae indulgentiae, 860-862

De sensu absoluteionis mortuorum, 821 sq.

*ALBERTUS M.

De peccato in Spiritum S., 52. 70

S. Doctor non recte sentit de propria efficacia sacramenti Poenitentiae in remissionem peccatorum, 263

Admittit quandam sacramentalitatem confessionis factae apud laicos, sed tamen negat ejus necessitatem, 708-712. 721

In ministro Poenitentiae praeter potestatem Ordinis requiritur potestas jurisdictionis, 734. 736

De "proprio sacerdote" cui facienda erat confessio, 758

Nomen indulgentiae, 830. 870 sq.

S. Doctor jam exhibet expressionem "Thesaurus Ecclesiae," 894

Indulgentia pro vivis est potius solutio quam absolutio, 926 sq.

S. Doctor inapte docet indulgentias non tantum valere quantum sonant, 991 sq.

Definitio indulgentiae, 1028

Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationalis sed etiam proportionata quantitatis indulgentiae, 1064. 1089. 1091

De applicabilitate indulgentiae ad defunctos, 1103 sq. 1106

*ALEXANDER HAELENSIS.

Sacramentum Poenitentiae non proprie remittit peccatum sed tantum per modum intercessionis, 261 sq. 280

Ad remissionem peccati venialis non sufficit poenitentia virtualis sed requiritur formalis, 436

Item requiritur non solum status gratiae sed etiam actualis infusio gratiae, 482

Peccata venialia quae supersunt, remittuntur in ipso instanti mortis, 523

Halensis negat tum sacramentalitatem tum necessitatem confessionis apud laicum, 708. 717. 721

Ipse, primus fortasse, adhibuit expressionem "Thesaurus Ecclesiae," 894

De applicabilitate indulgentiae ad defunctos, 1103

*ALPHONSUS LIGUORI.

Potest absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, petiit confessionem, etsi in absentia sacerdotis, 573

S. Doctor etiam inclinatur in sententiam eorum qui docebant posse absolvi moribundum sensibus destitutum qui nullum dederit signum poenitentiae, 574. 575. 577. 593. 596. 597

Probabiliter sacerdos non habet in ipsa ordinatione jurisdictionem ad absolvendum a peccatis venialibus, 768 sq.

Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationalis sed etiam proportionata quantitatis indulgentiae, 1064. 1066. 1070. 1089

Requiritur status gratiae etiam ad lucranda indulgentiam pro defunctis, 1126 sq.

ALTARIS PRIVILEGIATI indulgentia, 853. 1000. 1019-1022. 1033 sq. 1107

Probabiliter concedi coepit saec. 16 sub Paulo III, 1107

Peculiariter impugnatur a Jansenistis, 1099

Ad valorem hujus indulgentiae non est necesse ut celebrans Missam sit in statu gratiae, 1125. 1132

AMOR DEI.

Distinctio inter amorem Dei naturalem et supernaturalem, 82 sq.

Amor Dei non invenit bonitatem in rebus, sicut amor creatus, sed eam causat, 484 sq.

*APOSTOLICI DECRETI (Concilii Hierosolymitani) variae doctorum expositiones, 347-353

ATTRITIO.

Non valet expellere peccatum veniale, etiam si ipsa detur in homine justo, 463-465. 488 sq. 494
 Probabilius non datur mera attritio in homine justo, sed omnis contritio in eo est perfecta contritio, 463. 502. 507. 508

*AUGUSTINUS.

De Montanistis et Novatianis, 297
 Sacramentum Poenitentiae vere et proprie remittit peccata, 276
 S. Doctor nequaquam docet reviviscen-
 tiam peccatorum, 118. 120-122
 Non datur peccatum in hac vita irremissibile, 25. 33
 Peccatum quod in Scriptura dicitur irremissibile nihil aliud est nisi ipsa impenitentia finalis, 36. 42. 43. 45. 55. 63. 65. 69
 Quodlibet peccatum remittitur etiam per claves Ecclesiae, 395. 411-414
 De sic dicto decreto apostolico, 348. 351
 De absolvendis moribundis sensibus destitutis, 575. 581
 In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 634
 Quo sensu S. Doctor videtur restringere efficaciam suffragiorum pro defunctis, 1020 sq.

*AUGUSTINUS (PSEUDO) in libro De vera et falsa poenitentia est unus ex praecipuis testibus et defensoribus confessionis laicalis, 701-703. 721

*BAIUS — BAIANI.

Potestatem clavium sacramentalem ita depriment ut accedant ad protestanticam negationem, 251 sq. 269
 Indulgentia est mera remissio poenae canonicae, 971

*BALLERINI.

Sola ratio cur absolvi possit moribundus sensibus destitutus, qui nullum dederit signum poenitentiae, est praesumptio existentiae doloris, nam totum sacramentum consistit in absolutione, 585-587
 Vi ordinationis de facto confertur omnibus sacerdotibus iurisdictione ad valide absolvendum a peccatis venialibus, 768. 769 sq.

*BANEZ celebrem emisit sententiam de modo reviviscen-
 tiae meritorum, 170. 176. 180. 182. 183. 209. 222. 223. 224. 231

BAPTISMUS.

Remittit peccata venialia, 538. 546 sq.
 Comparatio Baptismi cum Poenitentia quoad hanc remissionem, 516
 Generalis comparatio cum eodem sacra-

mento, praecipue quoad effectum remissionis, 246. 270. 273. 277. 516. 564 sq. 620

*BATIFFOL.

Docet olim Ecclesiam denegasse veniam quibusdam peccatis, 303. 304. 310-315. 418
 Conatur infirmare argumentum Traditionis quod affertur pro contraria et vera sententia, 356 sq. 359 sq. 361 sq. 366. 371. 378. 381. 420
 Affirmat Callistum P. in suo decreto concessisse martyribus potestatem reconciliandi lapsos, 675. 677 sq.
 Sustinet contra Vacandard fuisse presbyteros poenitentiarios etiam in antiqua Ecclesia Romana, 642-646

BEATAE VIRGINIS satisfactiones, in thesauro Ecclesiae repositae, tantum cumulum efficiunt qui quaedam dici potest attingere infinitatem, 916 sq.

*BEDA initium dedit praxi confessionis laicalis, 697 sq. 721

*BELLARMINUS.

De peccato in Spiritum S., 44. 50. 54. 56. 70
 De decreto Innocentii I circa reconciliandos lapsos in articulo mortis, 404 sq.
 Indulgentia pro vivis est vere et proprie absolutio, 930 sq.
 Indulgentia etiam defunctis prodest infallibiliter, 995
 Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationabilis sed etiam proportionata quantitati indulgentiae, 1064. 1081. 1085
 Non requiritur status gratiae ad acquirendam indulgentiam pro defunctis, 1127

*BENEDICTUS XIV.

Non audet solvere disputatam quaestionem an possit absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, nullum dederit poenitentiae signum, 573 sq.
 Durius iudicat de confessione facta apud laicum, 722
 Divisio Excommunicationis, 804

BIBLIOGRAPHIA.

De reviviscen-
 tia meritorum, 162 sq.
 De remissiva efficacia sacramenti Poenitentiae, 243 sq.
 De universali ejus efficacia quoad omnia peccata, 281-284
 De absolutione moribundorum, 569
 De requisita potestate Ordinis in ministro Poenitentiae, 601 sq.
 De indulgentiis, 823-826

*BIEL negavit indulgentias pro defunctis; at subinde coactus est suam sententiam reformare, 1095. 1096

*BILLOT.

In quaestione de modo revisiscentiae meritorum sequitur probabiliorem sententiam Bañez, 167-170. 175. 177. 179. 180. 185 sq. 220. 222. 224 sq. 231. 243

Nihil obstat quominus Papa absolvatur a sacerdote cui ipsemet jurisdictionem confert, 752 sq.

Billot recte docet, contra plures recentiores, indulgentiam pro vivis non esse proprie dictam absolutionem, sed solutionem, 937

Non sufficenter salvat jurisdictionalem indolem indulgentiae pro defunctis, 950 sq.

Definitio indulgentiae, 1030

*BILLUART.

De modo revisiscentiae meritorum, 171. 212. 213. 216. 220. 231. 234. 236. 237. 242

Ad remissionem peccati venialis requiritur poenitentia, saltem virtualis, 436

Sacramentum Poenitentiae remittit peccata venialia non immediate, sed tantum mediate, 505

Sacramentalia delent peccata venialia non ex opere operato, sed ex opere operantis Ecclesiae, 556 sq.

*BONAVENTURA.

Sacramentum Poenitentiae non proprie remittit peccatum, sed tantum per modum intercessionis, 261 sq. 280

S. Doctor videtur docere ad remissionem peccati venialis requiri non solum statum gratiae sed etiam actualem gratiae infusionem, 482. 483. 484

Negat tum sacramentalitatem tum necessitatem confessionis apud laicos, 708. 718 sq. 721

In ministro Poenitentiae praeter potestatem Ordinis requiritur potestas jurisdictionis quam confert Ecclesia, 734. 736 sq.

De "proprio sacerdote" cui facienda erat confessio, 758 sq.

Nomen indulgentiae, 830. 870 sq.

S. Doctor adhibet ipsas expressiones: Indulgentia conceditur "per modum iudicii" (i.e. per modum absolutionis) pro vivis et "per modum suffragii" pro defunctis, 920

Non audet contradicere ei qui sustineret etiam indulgentiam pro defunctis conferri per modum absolutionis, 925

Indulgentia pro vivis est potius solutio quam absolutio, 927

Inepte docet contra S. Thomam indulgentias non tantum valere quantum sonant, 992. 1007 sq.

Definitio indulgentiae, 1023

Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationabilis sed etiam proportionata quantitati indulgentiae, 1064

De applicabilitate indulgentiae ad defunctos, 1104

*BONIFACIUS VIII primam indulgentiam generalem sub forma jubilaei concessit, 846. 874 sq. 1038

*BOYER.

De peccato in Spiritum S., 45 sq.

Sequitur sententiam Bañez in quaestione de modo revisiscentiae meritorum, etsi eam emollire conetur, 177. 179. 180. 181. 187-189. 193. 220. 225

Indulgentia pro vivis est vera et propria absolutio, 936 sq.

Non sufficenter salvat jurisdictionalem indolem indulgentiae pro defunctis, 950 sq.

CAEREMONIAE sacramenti Poenitentiae: Tempus, 1145

Locus, 1146-1151

De sede confessionalis: disciplina hodierna et historia, 1147-1151

Vestis, 1151

Actiones poenitentis, 1152-1155

Actiones confessarii, 1155

*CAJETANUS.

Peccatum veniale remittitur per solum actum Poenitentiae, saltem virtualis, 436

Haec autem virtualis poenitentia continetur in solo actu charitatis, 440. 441

Cajetanus majorem martyrio quam Baptismo tribuens efficaciam, docet illud delere peccata venialia etiam cum adsit horum complacentia, 546

Ad absolvendum Papam sacerdos accipit jurisdictionem non a Papa sed immediate a Deo, 751

Ad absolvendum a peccatis venialibus sacerdos non indiget jurisdictione Ecclesiae, 727. 729. 744. 746

Ad Cajetanum Leo X misit notam Bullam de indulgentiis, quae probabiliter est definitio ex cathedra, 850. 1100

De thesauro Ecclesiae, 895. 904

Cajetanus causa fuit quare posteriores theologi inepte conciperent indulgentiam pro vivis ut veram absolutionem, 929 sq.

Indulgentia pertinet ad forum internum, 923. 946

Est potestas mere ministerialis, 925

Ejus efficacia pendet a peculiari digni-

- tate subjecti praeter statum gratiae, 992-994. 1011
- Indulgentia non prodest infallibiliter defunctis, 1000 sq. 1020
- Definitio indulgentiae, 1029
- Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationabilis sed etiam proportionata quantitati indulgentiae, 1064. 1065. 1084
- Requiritur status gratiae etiam ad lucranda indulgentiam pro defunctis, 1125
- *CALLISTI DECRETUM de absolvendis poenitentibus lapsis in impudicitiam, 301. 303 sq. 305. 307. 310-312. 314. 316. 321. 322. 369 sq. 373. 376. 675
- *CALVINUS.
- Negat Poenitentiam operari justificationem, quam soli fidei tribuit, 5
- Docet omnes christianos esse ministros Poenitentiae seu absolutionis, 610 sq.
- Impugnat indulgentias, 838
- *CAPPELLO.
- De reservatione casuum seu peccatorum, 763-765. 766
- Catechumeni possunt acquirere indulgentias pro defunctis, 1116
- *CATAPHRYGAE reiciebant poenitentiam baptismalem, praecipue per claves Ecclesiae, 4. 286. 289. 297. *Vide: MONTANISTAE.*
- *CATECHISMUS CONC. TRID.
- Nullum peccatum est irremissibile, 16
- De permanentia reliquiarum peccati post remissum peccatum, 91
- Omnia peccata sunt remissibilia per claves Ecclesiae, 286
- Eucharistia remittit peccata venialia, 539
- In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 616 sq.
- Sacerdos ad absolvendum indiget jurisdictione Ecclesiae, 731
- De modo accedendi ad sacramentum Poenitentiae, 1152 sq.
- *CATHARI.
- Distinguas inter Catharos antiquos seu Novatianos et Catharos mediaevals, 295. 297
- Alexander III concessit indulgentiam suspensibus arma contra Catharos, 871
- CHARISMA.
- Ecclesia charismatica, juxta conceptum Montanistarum et modernorum Liberalium, 253. 287. 293
- Etiam Abaelardus videtur considerare potestatem absolvendi ut charisma concessum solis dignis ministris, 603
- CHARITAS.
- Peccatum veniale non opponitur directe charitati sed ejus fervori, 427-430. 447. 448. 473 sq. 495
- Inde hoc peccatum non aufertur per quemlibet actum charitatis, sed per talem ferventiorum actum qui assumat contrarietatem cum ipso, 471-478
- Nullus actus aufert peccatum veniale nisi actus charitatis (poenitentia virtualis) vel actus ipsius poenitentiae seu contritionis a charitate genitae (poenitentia formalis), 458-471
- Connexio charitatis cum virtute Poenitentiae, 460
- Quid charitas communicet actibus aliarum virtutum per suum imperium et ordinationem ad ultimum finem, 464 sq.
- Vide: CONTRITIO. GRATIA. VIRTUTES.*
- *CHRYSOSTOMUS.
- Per poenitentiam quodlibet peccatum remittitur, 22-24
- In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 632. 641
- S. Doctor adhibet expressionem "Thesaurus Ecclesiae," 893 sq.
- *CLEMENS VI primus explicitè proponit doctrinam de thesauro Ecclesiae, fundamento indulgentiarum, 847 sq. 894. 899. 963. 1039. 1078
- *CLEMENS VIII de invaliditate confessionis et absolutionis inter absentes, 576. 580 sq.
- *CODEX J. C.
- Effectus sacramenti Poenitentiae, 245
- Sacramentalia delent peccata venialia, 549. 555
- De absolutione in periculo mortis, 570 sq.
- Minister sacramenti Poenitentiae est solus sacerdos, 618
- Praeter potestatem Ordinis minister sacramenti Poenitentiae indiget distincta jurisdictione Ecclesiae, 730. 732 sq. 741. 742. 743
- In hoc sacramento sacerdos iudicis pariter et medici personam gerit, 785
- Codex implicitè abrogavit lateranensem disciplinam de confessione facienda apud "proprium sacerdotem," 761 sq.
- De reservatione casuum, 765
- Definitio poenae canonicae et particulariter excommunicationis, 800
- Divisio et effectus excommunicationis, 803 sq. 805. 806
- Ecclesia habet potestatem excommunicandi, 809
- De excommunicationis objecto, ministro, subjecto, absolutione, 815-821
- Doctrina et dispositiones de indulgentiis, 853. 878

Utilitas indulgentiarum, 827
Definitio et divisio indulgentiae, 827.
1030

Codex materiam de indulgentiis transtulit a S. Officio ad S. Poenitentiarum, 877
Thesaurus Ecclesiae, 887

Indulgentia est actus potestatis jurisdictionis, 942

Cum mente Codicis quadrat sententia quae docet indulgentiam pertinere ad forum internum, 946 sq.

Codex favet sententiae juxta quam indulgentia pro vivis non est proprie absolutio sed solutio, 963. 964

Effectus indulgentiae est remissio poenae coram Deo, 970. 972

Codex favet sententiae de infallibilitate efficaciae indulgentiae pro defunctis, 1018

Nemo potest indulgentiam transferre in alios vivos, 1032

Indulgentiarum divisio in: plenariam et partialem; pro vivis, pro defunctis, pro vivis ac defunctis, 1036. 1040. 1046 sq.

Indulgentia plenaria est divisibilis, 1040
Solus R. Pontifex habet ex jure divino potestatem concedendi indulgentias, 1050

Codex abstrahit a quaestione an requiratur status gratiae etiam ad acquirendam indulgentiam pro defunctis, 1125

Conditiones requisitae ad lucranda indulgentiam, 1092 sq. 1116. 1117. 1119. 1121. 1125. 1133. 1137. 1139

Caeremoniae sacramenti Poenitentiae, 1145. 1146

CONCELEBRATIO datur etiam in sacramento Poenitentiae, ita ut plures sacerdotes possint simul valide absolvere eundem poenitentem, quamvis id agant illicite. In quo casu plures absolutiones efficiunt unum tantum individuum sacramentum, 775-784

CONDITIO.

Non est confundenda cum dispositione, nec a fortiori cum causa, 1082. 1084 sq. 1094

Conditionata remissio peccati ex parte Dei repugnat, 123. 130 sq.

CONFIRMATIO remittit peccata venialia, 539-542

*CONGREGATIO INDULGENTIARUM.

Celebre emisit responsum de valore indulgentiae pro defunctis, 853. 1000. 1019-1022

Noluit dirimere quaestionem an requiratur status gratiae etiam in acquirendis indulgentiis pro defunctis, 1124. 1125

CONTRITIO.

Perfecta contritio est simul satisfactiva de congruo pro culpa mortali ac poena aeterna, et de condigno pro culpa veniali et poena temporali, 103

Contritio justificans procedit ab ipsa virtute infusa Poenitentiae et a gratia sanctificante, et tamen ipsa praecedit gratiam in ratione causae dispositivae, 9. 27. 141 sq. 460. 496

Non pauci haeretici et plures antiqui theologi vim contritionis plus aeque extulerunt in detrimentum efficacitatis sacramenti, 250. 251. 252. 259. 277

Contritio requiritur ad remissionem venialium etiam in sacramento, quidquid in contrarium sentierint aliqui doctores, 500. 506 sq.

Vide: ATTRITIO. CHARITAS. GRATIA.

*CYPRIANUS.

Actus poenitentiae necessario remittit peccatum, 8

De peccato in Spiritum S., 47

De Novatianis, 294 sq.

De decreto apostolico, 348. 350

De reconciliatione lapsorum, sui apostatarum, 379. 383-391. 392. 393 sq. 409

Concordans praxis Romana et Carthaginensis in hac re, 385-391

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 627 sq. 640

Quo sensu Cyprianus concesserit diaconis ut, absente sacerdote, reconciliarent poenitentes, 647. 648. 651. 655. 658. 659. 660. 661

Fortiter obstitit abusibus procedentibus ex concessione "libelli pacis" facta a martyribus, 669-674. 683 sq.

*D'ALÈS.

De peccato ad mortem, 37. 40

De peccato in Spiritum S., 44. 48. 56. 60-62. 70

De doctrina Tertulliani circa peccata irremissibilia, 288. 289-292

De Novatiano ejusque doctrina, 298 sq. De Donatismo, 300

Ecclesia nunquam simpliciter denegavit veniam quibuslibet peccatis ac peccatoribus, 303. 330. 331. 337-340. 360 sq. 362 sq. 366-368. 370. 372. 374. 382. 397. 404. 413. 414. 415. 420. 421-423

Antiquitus nequaquam concessa est diaconis administratio sacramenti Poenitentiae, 660

Usque ad saec. 7 indulgentia exercebatur sub sola forma mitigationis publicae poenitentiae, ratione libelli pacis a martyribus concessi, 858

DEFUNCTI. *Vide:* MORS. PURGATORIUM.

DEUS. *Vide:* AMOR. PROVIDENTIA DIVINA.

DIACONI.

Historia et sensus participationis diaconorum in ministerio Poenitentiae. Nequaquam ipsis concessa fuit ipsa potestas absolvendi a peccatis, 646-662

DISPOSITIO.

Non est confundenda dispositio cum conditione, 213. 217. 236 sq. 1082. 1094
Infusio gratiae fit juxta mensuram dispositionis subjecti, etiam in reviviscentia meritorum, 207 sq. 215-218. 235

***DONATISMUS** ejusque cognatio cum Montanismo, 299 sq.

***DURANDUS.**

Ad remissionem peccati venialis non sufficit poenitentia virtualis sed requiritur formalis, 436

Ad eandem remissionem non requiritur status gratiae, imo sufficit naturalis actus bonus, 446. 479. 480. 487. 489. 492

Pro absolvendo infirmo in periculo mortis et pro absolvendo a peccatis venialibus sacerdos non indiget jurisdictione Ecclesiae, 726

Thesaurus Ecclesiae constat solis meritis Christi, ad exclusionem meritorum Sanctorum, 890 sq.

Merita Christi non sunt infiniti valoris, sed tantum maximi valoris, 911 sq.

Indulgentia importat exercitium potestatis Ordinis, 920 sq. 941

Non est verus actus jurisdictionis, 921. 925. 942 sq.

ECCLESIA.

Nunquam denegavit veniam ulli peccato aut peccatori, 20. 353 sqq. 578

Documenta Ecclesiae de reviviscentia meritorum, 139. 152-154

Documenta de vera et propria vi remissiva sacramenti Poenitentiae, 273 sq.

Documenta de requisita potestate Ordinis in ministro sacramenti Poenitentiae, 615-618

Documenta de indulgentiis, 845-853

EFFATA.

Ens est potentius non ente, 28

Ex impossibili sequitur utrumque, 28

Ad praeteritum non datur potentia, 122. 129. 141

Opus Dei per opus hominis irritari non potest, 122. 125 sq.

Deus non est causa tendens in non esse, 81

Quod gratia semel facit, perpetuo manet, 131

Sacramentum Poenitentiae facit ex attrito contritum, 247

Indulgentiae tantum valent quantum sonant, 990-992. 1085. 1088

EPISCOPI.

Ipsis in primitiva Ecclesia reservabatur administratio sacramenti Poenitentiae, 638 sq.

Accipiunt jurisdictionem ad absolvendum non in ipsa ordinatione sed vi officii collati a S. Pontifice, 745 sq.

Neque modo indirecto episcopi habent jus divinum concedendi indulgentias, 1056-1058. Ex jure papali antea poterant concedere indulgentiam 40 dierum, subinde 50, nunc vero 100; Cardinales autem antea poterant 100, subinde 200, nunc vero 300, 1060 sq.

Episcopi haeretici, schismatici et excommunicati, si sint occulti, probabilis non amittunt jus concedendi indulgentias, 1049

EUCCHARISTIA.

Remittit peccata venialia, 539

Comparatio Eucharistiae cum Poenitentia, 618 sq.

EXCOMMUNICATIO.

Potestas excommunicandi est potestas clavium non sacramentalis, 792 sq.

Definitio, natura et divisio excommunicationis, 799-806

Ecclesia habet potestatem ferendi excommunicationem, 807-815

De excommunicationis objecto, ministro, subjecto, absolute, 815-822

Excommunicatus notorius amittit potestatem concedendi indulgentias, 1049

Excommunicatus nequit lucrari indulgentias pro se; an possit lucrari pro defunctis controversatur, 1117-1119

EX OPERE OPERATO.

Quomodo causalitas ex opere operato salvetur in sacramento Poenitentiae quoad remissionem peccatorum venialium, 516-520

Etiam indulgentia infuit ex opere operato et infallibiliter, 1012-1014

EXTREMA UNCTIO remittit peccata venialia, 538 sq.

***FLORENTINUM CONC.**

Effectus sacramenti Poenitentiae, 245

Hoc sacramentum remittit peccata vere et proprie, 273

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 616

Sacerdos ad absolvendum indiget jurisdictione Ecclesiae, 730

Loco distinguendi inter proprium et alienum sacerdotem (ut facit Conc.

- Later.), Conc. Florentinum distinguit inter habentem jurisdictionem ordinariam et habentem jurisdictionem delegatam ad absolvendum, 761
- FORUM INTERNUM extenditur etiam ad indulgentias, quidquid in contrarium aliqui auctores dicant vel sentire videantur, 922-925
- *FUNK docet Ecclesiam olim denegasse veniam quibusdam peccatis, 303. 304. 310. 338. 359. 361. 365. 368. 371. 377. 378. 420. 422 sq.
- *GALTIER.
De peccato ad mortem, 37. 40
De peccato in Spiritum S., 48. 59. 60. 70
Argumentum ex Scriptura et Patribus pro reviviscentia meritorum derelinquendum est, 143 sq. 147. 150
In quibusdam documentis antiquae Ecclesiae probabiliter conceditur diaconis vera potestas reconciliandi poenitentes, etsi id fieret ex errore, 655. 657 sq. Melius tamen dicitur diaconis concessum esse ut praestarent quidquid possent, citra nempe ipsam sacramenti administrationem, 660
Redemptiones (seu commutationes poenae canonicae in alia opera) non fuerunt verae indulgentiae, 867 sq. 870
Usque ad saec. 7 indulgentia concessa est sub sola forma mitigationis publicae poenitentiae ratione libelli pacis a martyribus concessi, 858 sq.
De modo reviviscentiae meritorum, 172. 220. 221. 226. 243
Olim Ecclesia denegavit veniam non proprie quibusdam peccatis, sed quibusdam peccatoribus, 324. 325. 328. 330. 357 sq. 370. 373. 379. 397. 404. 406. 410. 411-414. 416-418
Galtier non sufficiens salvare videtur jurisdictionalem indolem indulgentiae pro defunctis, 950 sq.
Recte autem docet, contra plures recentiores, indulgentiam pro vivis non esse proprie dictam absolutionem sed solutionem, 937 sq. 968
Indulgentia non prodest infallibiliter defunctis, 1000. 1002 sq.
Definitio indulgentiae, 1030
- *GELASII I.
Nullum peccatum est irremissibile, etiam per claves Ecclesiae, 16. 285 sq. 293. 342
De peccato in Spiritum S., 47
Non datur reviviscentia peccatorum, 115
- *GONET.
Non repugnat absolute reviviscentia peccatorum, quoad solum esse morale eorum, 128
- De modo reviviscentiae meritorum, 171. 190. 203. 206. 209 sq. 212. 214 sq. 220. 231. 234. 236. 237
Ad remissionem peccati venialis requiritur poenitentia, saltem virtualis, 436
Haec autem continetur non in solo actu charitatis sed etiam in actu aliarum virtutum, 437. 438. 440. 467
Sacramentum Poenitentiae remittit peccata venialia non immediate, sed tantum mediate, 505
Peccata venialia quae supersunt, remittuntur in ipso Purgatorio, 526 sq.
Sacramentalia delent peccata venialia ex opere operato, 456. 552
Nequit absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, dederit quidem signa doloris sed sine explicito ordine ad claves, 572
A fortiori nequit absolvi qui nullum dedit signum poenitentiae, 573
- GRATIA.
Gratia sanctificans est principium ex quo procedit ipse actus Poenitentiae seu contritionis justificantis, 9. 27. 141 sq. Hic tamen actus praecedit gratiam in ratione causae dispositivae, 142
Gratia remissiva peccati tria importat: condonantem Dei voluntatem, donum gratiae sanctificantis et virtutes, 106
Relate ad vitam gratiae, opera hominis dividuntur in viva, mortua et mortificata, 135-139
Amissa gratia restituitur per Poenitentiam, 140-143
Infusio gratiae, etiam in casu reviviscentiae, fit tantum juxta mensuram dispositionis subjecti, 207 sq. 235
An etiam gratia sacramentalis reviviscat in reviviscentia meritorum, 218 sq.
Nullum peccatum remittitur sine gratia, 484
Ad remissionem peccati venialis requiritur status gratiae, 484-495
Non tamen requiritur actualis gratiae infusio, 495-498
Quo sensu in omni gratiae infusione peccata venialia remittuntur, 496 sq.
Status gratiae requiritur ad lucranda indulgentiam pro vivis; controvertitur an requiratur etiam ad lucranda indulgentiam pro defunctis, in qua questione responsio negativa est probabilior, 1119-1132
Gratia sacramentalis Poenitentiae, 247-249
Vide: CHARITAS. CONTRITIO.
- *GREGORIUS I, juxta Guilelmum Altisiodorensis et S. Thomam, fuit institutor romanarum peregrinationum in quibus Ecclesia exerceat jus concedendi indulgentias, 866 sq.

*HARNACK docet primitivam Ecclesiam denegasse absolutionem quibusdam peccatis, 303. 305 sq. 338. 378. 421 sq. *Vide*: LIBERALES PROTESTANTES.

*HERMAS.

Ejus doctrina poenitentialis diversimode ab auctoribus exponitur, in sensu nempe aut rigoristico aut laxista, 358-361. 409

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 626. 640

*HIERONYMUS.

De decreto apostolico, 348. 351

De peccato in Spiritu S., 48 sq. 65

De Novatianis, 296 sq.

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 632 sq. 641. 647. 663. 789

*HIPPOLYTUS impugnavit poenitentialem disciplinam Callisti P., 302. 363. 374-377. 378. 382. 408. 422

*HUGO A S. VICTORE.

Remisso peccato per Poenitentiam seu contritionem, non necessario et simpliciter aufertur poena aeterna, quam subinde delet ipsum sacramentum Poenitentiae, 92. 256 sq. 278 sq.

Peccata remissa reviviscunt per commissionem novi peccati, 111 sq.

Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in ipso instanti mortis, 523

*ILLIBERITANUM CONC. (circa a. 300).

De ejus rigorismo poenitentiali non uno modo sentiunt auctores, 395-398. 408. 409. 410. 411. 422

Quo sensu concesserit ut, de licentia sacerdotis, diaconi possent reconciliare poenitentes, 648. 652. 658. 659

INDULGENTIA.

Definitio nominalis, 828-830. 963 sq., et scientifica, 1025-1028

Judicantur variae definitiones assignatae a doctoribus, 1028-1030

Existentia, seu quod Ecclesia habeat potestatem concedendi indulgentias, 853-885

Usque ad saec. 7 indulgentia exercetur sub forma mitigationis publicae poenitentiae, 857-863

A saec. 7 ad 11 vero exercetur sub forma sic dictae redemptionis, seu commutationis poenae canonicae in alia opera, 863-871

Inde a saec. 11 successit concessio indulgentiae sub moderna forma simplicis ac generalis remissionis, 871-878

Primae hujusmodi indulgentiae latae sunt pro Cruciatibus, inde ab Urbano II in

Concilio Claromontano (a. 1085), 846. 872

Successerunt subinde indulgentiae plenariae concessae generaliter omnibus fidelibus, quarum prima lata est a Bonifacio VIII a. 1300, et quidem sub forma jubilaei, 846. 874 sq. 1038 sq.

Concessio indulgentiae non nocet sed multipliciter prodest bono spirituali fidelium, 882-885

De indulgentiarum abusibus, 846. 847. 851 sq. 873. 876. 882. 884 sq. 976 sq. 978 sq. 1039. 1070. 1076. 1106. 1108 sq.

Materia seu objectum. *Vide*: THESAURUS ECCLESIAE.

Essentia.

Actus potestatis, 939

Actus potestatis clavium, 939

Non actus potestatis Ordinis, 940 sq.

Actus potestatis jurisdictionis (etiam cum conceditur pro defunctis), 941-944

Actus fori extrasacramentalis, 792. 944 sq.

Actus fori interni, 945-948

Actus potestatis vicariae et ministerialis, non tamen proprie instrumentalis, 948 sq. 1078. 1087

Exercetur relate ad defunctos non per modum absolutionis sed suffragii; quod quidem non uno modo a theologis explicatur, 949-963. Recta explicatio, 959-962

Exercetur relate ad vivos per modum absolutionis, qui tamen non est proprie dicta absolutio, sed potestativa solutio, seu dispensatio thesauri pro debito poenae temporalis, 962-968. 1013

Effectus.

Remissio non culpae nec poenae aeternae sed poenae temporalis, 973-981. De usu et sensu formularum "Indulgentia in remissionem peccatorum" et "Indulgentia a culpa et poena", 975-979

Remissio poenae coram Deo, non vero solius poenae canonicae, 981-985. De usu et sensu formulae "Indulgentia de junctis poenitentibus", 985-988

Haec remissio per indulgentias non excusat a satisfactione sacramentali, 987 sq.

Valor seu efficacitas.

Mensuratur ex verbis ipsis concessionis, ita ut indulgentia tantum valeat quantum sonat, 1005-1008

Est independens a peculiari dignitate acquirentis, praeter statum gratiae, 1008-1012. 1120

Est infallibilis, etiam quoad defunctos, 1012-1025

Pendet tamen a quibusdam conditionibus ex parte defuncti, 1020-1022. 1024

Effatum: "Indulgentiae tantum valent

- quantum sonant", 990-992. 1085. 1088
- Divisio.*
- Indulgentiae per modum absolutionis et per modum suffragii, 1031-1036
- Etiā pro vivis posset concedi indulgentia per modum suffragii, etsi de facto non detur, 1032-1036
- Indulgentiae plenariae et partialis, 1036-1046
- Harum historia, 1036-1039
- Ipsarum interpretatio satis difficilis est, praesertim quod attinet ad indulgentiam partialem, 1039-1046
- Quare plures indulgentiae plenariae applicantur pro eodem defuncto, 1024
- Indulgentiae pro vivis, pro defunctis, pro vivis ac defunctis, 1046 sq.
- Indulgentiae personales, reales, locales, 1047 sq.
- Indulgentiae perpetua et temporalis, 1048
- Auctor.*
- Solus Papa habet ex iure divino potestatem concedendi indulgentias, 1050-1063
- Concilium generale acephalum, seu sine Papa, non habet eam potestatem, 1054; de Concilio vero Oecumenico formaliter qua tali id disputari potest, 1054-1056
- Episcopi neque modo indirecto habent jus divinum concedendi indulgentias, 1056-1058; ex iure vero papali antea poterant concedere indulgentiam 40 dierum, subinde 50, nunc vero 100; cardinales vero antea poterant 100, subinde 200, nunc 300 dierum, 1060 sq.
- Etiā orientales episcopi indulgentias concedere possunt, 1062
- Ad licitam et validam concessionem indulgentiae requiritur, praeter potestatem, rationabilis causa, 1070-1079
- Quaenam sint variae rationabiles causae, 1072-1074
- An possit indulgentia concedi absque impositione ullius operis exequendi, 1074-1077
- Ad ipsum valorem concessionis indulgentiae non requiritur ut causa rationabilis sit etiā proportionata quantitati indulgentiae, 1079-1092
- Subjectum.*
- Status viatoris. Quoad indulgentias pro defunctis, *vide*: PURGATORIUM.
- Sex conditiones requiruntur in vivis, 1116-1142
- Status gratiae requiritur ad lucrandam indulgentiam pro vivis, sed probabilis non requiritur ad lucrandas indulgentias pro defunctis, etsi plures contrarium sentiant, 1119-1132
- Inde non datur reviviscentia indulgentiae, 1123 sq.
- Intentio lucrandi in vivo requiritur, sed sufficit habitualis, etiam implicita, 1132-1136
- Impletio operis injuncti requiritur ad valorem indulgentiae. De tempore et modo impletionis, 1136-1142
- An possit indulgentia concedi absque ullius operis impositione, 1074-1077
- Discrimen indulgentiae a sacramento Poenitentiae*, 882. 944 sq. 958. 966. 967 sq. 974. 1009. 1010 sq. 1014. 1124. 1142 sq.
- Vide*: ALTARE PRIVILEGIATUM. CONGREGATIO INDULGENTIARUM. POTESTAS CLAVIUM. PURGATORIUM.
- INFERNUM.**
- In inferno peccatum veniale non remittitur, sed per accidens fit aeternum ex sua conjunctione cum mortali, 452. 492 sq. 522 sq.
- Scotus vero docet in inferno remitti peccatum veniale, soluto reatu poenae in quo, ut ait, ipsum peccatum consistit, 481. 491 sq.
- INFORMITAS** sacramenti Poenitentiae relate ad sola peccata venialia potest cum grano salis admitti, 519 sq. 533 sq. 545 sq.
- INNOCENTIA.**
- Non est virtus, 143
- Non restituitur per Poenitentiam, 143. 155. 160
- ***INNOCENTII I** doctrina de reconciliatione lapsorum non uno modo explicatur a doctoribus, 403-406
- ***INNOCENTIIUS III.**
- Docet per poenitentiam omnia simul peccata remitti, 73 sq.
- Primus induxit notionem excommunicationis ut distinctae a suspensione et interdicto, 802
- In Conc. Later. IV concessit celebrem indulgentiam pro Cruciatīs, 872 sq.
- INTENTIO.**
- Intentio ministri nequit coarctare effectum absolutionis ita ut quaedam tantum peccata remittantur, 771 sq.
- Quo sensu thesaurus Ecclesiae et ejus dispensatio per indulgentias dependeat ab intentione Sanctorum qui satisfactiones thesauri reliquerunt, 896-898. 1078. 1083. 1087
- Ad acquirendum fructum indulgentiae non requiritur intentio in ipso defuncto, requiritur vero in vivo; sufficit autem intentio habitualis, etiam implicita, 1113. 1132-1136
- ***JANSENISTAE.**
- Potestatem clavium sacramentalem ita

- deprimunt ut proxime accedant ad protestanticam negationem, 251. 269
 Impugnant reservationem casuum seu peccatorum ab Ecclesia, 762
 Ad nihil fere reducunt indulgentias, 830. 842 sq.
 Negant thesaurum Ecclesiae, 889
 Docent indulgentiam esse meram remissionem poenae canonicae, 971
 Impugnant altare privilegiatum, seu indulgentias pro defunctis, 1099. 1101
- *JOANNES A S. THOMA.**
 Absque aliqua poenitentia, saltem aequivalenti, nequit absolute remitti peccatum, 11 sq.
 Reviviscentia peccatorum repugnat sub omni respectu, 129
 De modo reviviscentiae meritorum, 171. 174. 182. 184. 190. 191. 202. 203. 204-206. 213. 221. 226 sq. 228. 231. 234. 237. 238
 Ad remissionem peccati venialis requiritur poenitentia, saltem virtualis, 436
 Haec autem continetur non in solo actu charitatis sed etiam in actu aliarum virtutum, 437. 438. 439 sq. 461. 467
 Sacramentum Poenitentiae remittit peccata venialia non immediate sed tantum mediate, 505
 Sacramentalia delent peccata venialia ex opere operato, immo causalitate physica, 552. 553 sq.
 Nequit absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, dederit quidem signa doloris sed sine explicito ordine ad claves, 572
- JUBILAEUM.**
 Est prima quae noscitur indulgentia plenaria concessa generaliter omnibus fidelibus. Primo lata est a Bonifacio VIII (a. 1300), 874 sq. 1038
 Est una species indulgentiae plenariae, 1036
 De historia jubilaei, 875 sq.
- *KNABENBAUER.**
 De peccato in Spiritum S., 50 sq. 59. 64-67
 Docet peccatum in Spiritum S. nunquam de facto remitti, 17
- LAICI.**
 De laicorum participatione in ministerio Poenitentiae in antiqua Ecclesia, 662-723
 De libello pacis, a martyribus concessio, 665-684
 De participatione monachorum laicorum in administratione Poenitentiae, 684-694
 De laicis confessoribus (seu de confessione apud meros laicos facta in medio aevo), historia et interpretatio, 694-723
- *LATERANENSE CONC. IV.**
 Soli sacerdotes sunt ministri sacramenti Poenitentiae, 605
 Lex de "proprio sacerdote" cui facienda erat confessio, 605. 756. 759-761
 Repressio abusus in concessione indulgentiarum, 846. 873. 1070. 1076
 Concessio celebris indulgentiae pro Cruciatu, 872 sq.
 Concessio ut praelati haberent jus dandi partiales indulgentias, 873. 1039. 1060
- *LAURAIN** peculiarem affert explicationem in quaestione quo sensu antiquitus concederetur diaconis ut reconciliarent poenitentes, 659. 661
- *LEA.**
 Quod in antiqua Ecclesia non agnosceretur vera potestas clavium, ostendit participatio diaconorum, martyrum, monachorum et laicorum in ministerio Poenitentiae, 654. 661. 675. 685 sq. 695 sq. 722. *Vide: LIBERALES PROTESTANTES.*
 Impugnantur indulgentiae, 838 sq. 880-882, peculiariter pro defunctis, 1098 sq. 1101
- *LEO X.**
 Bullam emisit de indulgentiis quae probabiliter est definitio ex cathedra, 850. 1100
 Favet sententiae de infallibili efficacia indulgentiae pro defunctis, 1018 sq.
- *LEPICIER.**
 Sacramentalia delent peccata venialia ex opere operato et quidem causalitate physica, 552. 554 sq.
 Ad valorem concessionis indulgentiae sufficit in praelato causa rationabilis, quin necessario sit proportionata quantitati indulgentiae, 1067 sq.
- LEX MOSAICA.**
 In antiqua lege non fuit potestas clavium, sive sacramentalis sive non sacramentalis, 795 sq.
 Non fuit proprie thesaurus, fundamentum indulgentiarum, etsi fuerint tunc superabundantes satisfactiones quae in N.T. erant colligenda sub forma thesauri, 908-910
- LIBELLUS PACIS. *Vide: MARTYRIUM.***
- *LIBERALES PROTESTANTES.**
 Potestas clavium sacramentalis nata et evoluta est una cum humana evolutione ipsius ecclesiae charismaticae in ecclesiam hierarchicam, 253. 302. 303. 343. 612 sq.

- Signum talis evolutionis est participatio diaconorum, martyrum, monachorum et laicorum, in ministerio Poenitentiae, 654. 661. 664. 675 sq. 684-686. 695 sq. 722
- Ecclesia non habet potestatem excommunicandi, 807. 809
- Vide: HARNACK. LEA.
- LIMBUS**, seu quomodo quidam auctores concipiant remissionem peccatorum venialium in Limbo, 521 sq.
- *LUGO**.
- Absolute loquendo, peccatum potest remitti absque ulla poenitentia, etiam virtuali, 11. 13 sq. 29
- Absolute non repugnat aliquod peccatum esse in hac vita simpliciter irremissibile, 17 sq. 28 sq.
- Absolute loquendo, non repugnat ut peccatum remittatur in eodem formaliter instanti in quo committitur vel etiam antequam committatur, 29
- Non repugnat unum peccatum mortale remitti sine alio, 75
- Non repugnat idem peccatum remitti tantum partialiter, 87 sq.
- Non repugnat, remisso peccato, poenam aeternam non remitti, 92-94. 98-100
- Lugo fere ad nihilum reducit remissionem poenae temporalis per Poenitentiam, 101
- Reviscentia peccatorum, quoad solum reatum poenae, non repugnat absolute, 128
- De modo reviscentiae meritum, 172. 175. 226. 236
- Ad remissionem peccati venialis requiritur poenitentia, saltem virtualis, 436
- Haec autem continetur non in solo actu charitatis, sed etiam in actu aliarum virtutum, 437. 438
- Sacramentum Poenitentiae remittit venialia immediate, 502
- Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in altera vita, non tamen in ipso Purgatorio, 526
- Non est necesse poenitere de venialibus, 530
- Sacramentalia delent peccata venialia non ex opere operato sed ex opere operantis Ecclesiae, 556
- Potest absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, dederit signa doloris, etsi sine explicito ordine ad claves, 572
- Pariter absolvi potest qui antea petierit confessionem, etsi in absentia sacerdotis, 573
- Nequit vero absolvi qui antea nullum dederit signum poenitentiae, 573. 576. 583. 594
- De concelebratione in sacramento Poenitentiae, 775. 776 sq. 778-780
- Inepte Lugo sustinet in hac concelebratione haberi non unum sed plura sacramenta, 775. 779-782
- De thesauro Ecclesiae, 885. 891. 892. 898 sq. 901-904. 906-908
- Inepte Lugo docet thesaurum constare non solum satisfactionibus sed etiam meritis Christi et Sanctorum, 891. 901-904
- Pariter inepte sustinet thesaurum dispensari non solum per indulgentias sed etiam per alia media, 892 sq. 906-908
- Peregrina et inepta ejus explicatio indulgentiae pro defunctis, 955-959. 960. 961
- Indulgentia etiam defunctis prodest infallibiliter, 995. 996 sq.
- Definitio indulgentiae, 1029 sq.
- Potest indulgentia concedi ad modum suffragii etiam pro vivis, 1034 sq.
- Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationabilis sed etiam proportionata quantitati indulgentiae, 1064. 1088 sq.
- Posset Papa ita concedere indulgentiam ut valeat post absolutum opus impositum, cum nempe quis primo acquirit statum gratiae, 1122 sq.
- Requiritur status gratiae etiam ad lucranda indulgentia pro defunctis, 1125 sq.
- *LUTHERUS**.
- Negat poenitentiam operari justificationem, quam soli fidei tribuit, 5
- Docet omnes christianos esse ministros Poenitentiae seu absolutionis, 610
- Denegat Ecclesiae potestatem excommunicandi, 808
- Peculiariter impugnat indulgentias, 836 sq. 850. 972, maxime pro defunctis, 1098. 1099. 1109
- MAGDALENA**.
- Probabiliter omnia peccata venialia per actum ferventis charitatis ei remissa sunt, 475
- Juxta S. Thomam, ipsa consecuta est immediate deletionem totius poenae temporalis et reliquiarum peccati, 109 sq.
- Discrimen inter verba Christi ad Magdalenam "Remittuntur tibi peccata" et verba "Ego te absolvo" in sacramento Poenitentiae, 274 sq.
- *MARINO** sequitur sententiam Bañez in quaestione de modo reviscentiae meritum, 180 sq. 189 sq., addens tamen peregrinam quandam explicationem, 193
- MARTYRIUM**.
- Remittit peccata venialia, 516. 546 sq.

- Historia "libelli pacis" a martyribus concessi lapsis poenitentibus, 665-684
- In libello pacis, a martyribus concessio et ab Ecclesia admissio in favorem lapsorum, exercebatur concessio indulgentiae, 857-863
- MATRIMONIUM** remittit peccata venialia, 543 sq.
- MERITUM.**
- Per actus meritorios remissos non augeatur gratia, saltem immediate, 166. 185. 497 sq.
- Inepte quidam separant meritum a gratia in questione de reviviscencia meritorum, 190. 192. 234 sq.
- Opus meritorium, cum per peccatum mortificatur, non transit sed manet in se et in acceptatione Dei, 155. 239
- Probabilius, juxta sententiam Bañez et Billot, merita ita reviviscunt ut tamen nihil physice addatur ei quod aliunde debetur ratione praesentis dispositionis, 224-243
- Vide:* REVIVISCENTIA.
- MINISTER.**
- De sacramenti Poenitentiae ministro capaci, valido, licito, 568
- In eo requiritur potestas Ordinis, ita ut solus sacerdos sit validus minister absolutionis, ad exclusionem tum laicorum tum etiam diaconorum, 618-723
- Omnis sacerdos, nec solus episcopus, est minister Poenitentiae, 621 sq.
- Ad valide absolvendum, praeter potestatem Ordinis requiritur in ministro etiam distincta potestas jurisdictionis, 739-741
- Haec jurisdictionis potestas dependet ab Ecclesiae auctoritate, ita ut in omni casu invalide absolutio conferatur absque Ecclesiae commissione, 741-745
- Praeterea haec potestas pendet ab auctoritate Ecclesiae non ut a mera conditione sed ut a propria causa eam conferente, 745-754
- Unde vi solius Ordinationis sacerdos nullam accipit jurisdictionem ad absolvendum, 746-753
- Efficacitas absolutionis pendet a ministro ut a vera causa instrumentali, 770 sq.
- Intentio ministri nequit coarctare vim absolutionis ita ut absolvat quaedam tantum peccata, 771 sq.
- Efficacitas absolutionis non pendet a fide vel probitate ministri, nisi quatenus ex harum defectu privetur jurisdictione ab Ecclesia, 772 sq.
- Datur valida concelebratio in hoc sacramento, seu plures sacerdotes possunt eundem poenitentem simul valide absolvere, 775-779
- In quo casu plures absolutiones efficiunt unum tantum individuum sacramentum, 779-782
- Talis tamen concelebratio est in omni casu per se illicita, 783 sq.
- De dotibus et obligationibus ministri Poenitentiae, 784 sq. 1155
- Vide:* DIACONI. EPISCOPI, LAICI. MARTYRIUM. MONACHI. PRESBYTERI. RESERVATIO.
- MISSA** ut sacrificium remittit peccata venialia, 548
- MONACHI**, seu de participatione monachorum laicorum in administratione Poenitentiae, 684-694
- *MONTANISTAE.**
- Eorum historia et doctrina, 286-292. 293
- Docebant quaedam peccata esse irremissibilia, saltem per claves Ecclesiae, 16. 17. 20 sq. 38. 41. 63. 285. 301. 342. 363. 393
- Tribuebant potestatem absolviendi solis viris spiritualibus seu "pneumaticis", 603
- Indirecte saltem impetiti sunt veram Ecclesiae potestatem ad remittenda peccata, 250
- Vide:* TERTULLIANUS.
- MORBUNDUS.**
- Sex distingui possunt casus absolutionis moribundorum, atque diversimode a theologis judicantur, 570-578
- Quilibet moribundus, confessus et attritus, absolvi potest, nec unquam Ecclesia veniam tali denegavit, 578
- Morbundus qui nonnisi genericam confessionem instituere valet, valide et licite absolvitur, 578
- Valide et licite absolvitur qui petierit confessionem coram ipso sacerdote antequam sensibus destitueretur, 578
- Valide pariter ac licite absolvitur qui prius dederit signa poenitentiae, etsi sine explicito ordine ad claves, 579
- Item valide et licite absolvitur si antea petierit confessionem in absentia sacerdotis, 579-582. In quo casu consultus non conditionate sed absolute absolutio confertur, 581 sq.
- Valide et licite (sub conditione tamen) absolvitur etiam moribundus qui antea nullum dederit signum poenitentiae, 582-600. In quo haec modernorum doctrina et praxis fundetur et quomodo a doctoribus varie explicetur, 584-600
- Juxta antiquissimam disciplinam cessat omnis reservatio jurisdictionis in periculo mortis et juxta Codicem J. C. omnis sacerdos habet jurisdictionem ad absolvendum in eo periculo, 733. 766 sq.

Quidam tamen theologi inepte docuerunt sacerdotem non indigere jurisdictione Ecclesiae ad absolvendum in periculo mortis, 726. 743 sq.

De morte apparenti in relatione ad collationem absolutionis, 600

Vide: MORS.

***MORINUS.**

Distinguens inter peccata et peccatores, docet Ecclesiam olim denegasse absolutionem non quidem quibusdam peccatis sed quibusdam peccatoribus, 300. 301. 324. 325-327

Potest absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur nullum dederit signum poenitentiae, 574. 575. 576 sq. 592. 597

In quibusdam documentis antiquae Ecclesiae conceditur diaconis vera potestas clavis in reconciliationem poenitentium, etsi id fieret ex errore, 655 sq.

MORS.

Quidam, etiam inter thomistas, recurrit ad actum elicatum in momento separationis animae a corpore ad explicandam reviviscentiam meritorum, 237 sq.

De sensu excommunicationis aliquando in mortuos latae, 819 sq.

De sensu absolutionis mortuorum, 821 sq.

Vide: INFERNUM. MORIBUNDUS.

PURGATORIUM.

MORTIFICATA. *Vide:* OPERA.

MORTUA. *Vide:* OPERA.

MULIER.

Disputatur an Papa possit delegare mulieri jurisdictionem ferendi censuras, 817 sq.

De cautionibus praescriptis in audiendis confessionibus mulierum, 1146-1149

NATURALIS ORDO.

Probabiliter etiam in statu naturae purae peccatum mortale nequit reparari nisi per gratiam sanctificantem, 85

Quomodo remitterentur peccata venialia in illo statu, 520 sq.

Virtutes naturales amissae per peccatum non necessario restituntur per poenitentiam, 162

Naturalis actus bonus non sufficit ad remissionem peccati venialis, sed requiritur status gratiae, 484-495

***NICAENUM CONC. I** decrevit de reconciliandis poenitentibus in periculo mortis, 301. 309. 400-402. 404. 406. 409. 410. 570. 615. 766

***NOVATIANI.**

Historia hujus sectae ejusque doctrina quod quaedam peccata sint irremissi-

bilis, saltem per claves Ecclesiae, 16. 17. 20 sq. 31. 38. 41. 46. 63. 285. 286.

292-299. 342. 363. 385. 386. 391-394
Plures Novatiani videntur reiecisce potestatem Ecclesiae ad remittenda peccata, 250

***NOVATIANUS.**

Auctor schismatis Novatianorum, 292 sq. Ejus figura et doctrina, 298 sq. 385. 386. 387. 391 sq.

Distinguendus est a Novato, ejus sequace, etsi apud Patres vocari soleat etiam Novatus, 293. 295. 296. 297. 298

OPERA.

Trita operum divisio in viva, mortua et mortificata, 135-139

Opera mortua nullatenus vivificantur per Poenitentiam, 158-160

Opera mortificata manent in acceptione Dei, 155 sq. *Vide:* REVIVISCENTIA.

ORDO remittit peccata venialia, 542 sq.

ORIENTALES.

Episcopi orientales catholici habent potestatem concedendi indulgentias, 1062
Fideles ipsi orientales lucrari possunt omnes indulgentias generaliter a Papa concessas, 1062

Vide: SCHISMATICI ORIENTALES.

***ORIGENES.**

Defendit contra Celsum efficaciam Poenitentiae, 3 sq.

De peccato in Spiritum S., 46

Inepte a quibusdam Origenes invocatur ut testis praxis Ecclesiae de peccatis irremissibilibus, 321. 363. 377-382. 408. 422

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 628 sq. 640. 664. 667

Apud Origenem occurrit aequivalenter expressio "Thesaurus Ecclesiae", 893

***OSMA (Petrus de).**

Denegat veram clavium potestatem in remissionem peccatorum, 251. 269

Negat indulgentias, docens eas non esse nisi remissionem poenae canonicae, 835. 848. 971

Inde praecipue reicit indulgentias pro defunctis, 1096. 1100

***PALMIERI.**

Favet sententiae Ballerini in quaestione de absolutione moribundorum, 591

Finalis absolutio ad terminum publicae poenitentiae habebat rationem verae indulgentiae, 860 sq.

Indulgentia pro vivis est vera et proprie dicta absolutio, 934

Palmieri apte explicat indolem indulgentiae pro defunctis, 959 sq.

Requiritur status gratiae ad lucranda indulgentiam pro defunctis, 1127. 1131

PAPA.

Accipit immediate a Deo jurisdictionem ad absolvendum a peccatis, 754

Quomodo potest absolvi a sacerdote cui ipse jurisdictionem confert, 751-753

Non est dominus sed administrator thesauri Ecclesiae, non tamen merum instrumentum, 948 sq. 1078. 1087

Ipse solus habet de jure divino potestatem concedendi indulgentias, 1050-1063

Ipse solus de facto concedit indulgentias applicabiles defunctis, nisi aliud constet, 1048 sq.

Notant Cajetanus et Suarez non esse infallibile quod Papa semper indulgentias concedat cum sufficienti causa rationali, adeoque licitas et validas, 1076 sq.

PATRES.

Actus poenitentiae necessario remittit peccata, 8 sq.

Per poenitentiam quodlibet peccatum remittitur, 20-25

Varia interpretatio peccati ad mortem et peccati in Spiritum S., 36. 39 sq. 41 sq. 46-49

Non datur reviviscentia peccatorum, 114 sq.

Inepti obiciunt quaedam Patrum dicta, signanter Augustini, 118-122

De reviviscentia meritorum, 145-150. 151 sq.

Sacramentum Poenitentiae remittit peccata vere et proprie, 270 sq. 275-277

Quodlibet peccatum est remissibile et de facto remittitur per Ecclesiam, 354-423

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 624 sqq.

PECCATORUM REDITUS. Vide: REVIVISCENTIA.

PECCATORUM RELIQUIAE. Vide: RELIQUIAE PECCATORUM.

PECCATUM.

Peccatum in genere.

Non est proprie ratio generica, sed analogica, prout convenit mortali et veniali, 426

In peccato quatuor distingui possunt: actus, macula, reatus culpae et reatus poenae, 122. 126

Quot bona amittat homo per peccatum, 135

Peccatum habituale non consistit in solo reatu poenae, ut vult Scotus, sed in aliqua macula, 430 sq. 455. 477. 480. 483. 489 sq.

De facto nullum peccatum remitti potest sine poenitentia, 10

Nec absolute loquendo ullum peccatum remitti potest sine poenitentia, saltem radicali et aequivalenti, 11-15

Per actum poenitentiae peccatum necessario remittitur, 5-10

Conditionata peccati remissio ex parte Dei est impossibilis, 123. 130 sq.

Peccata nequaquam remittuntur per indulgentias, 969 sq. 973-979. 980 sq.

Non datur reviviscentia peccatorum, seu peccata remissa non iterum imputantur ratione novi peccati commissi, 113-131

Discrimen inter reviviscentiam peccatorum et reviviscentiam meritorum, 116. 124 sq. 134. 158

Peccatum originale.

Dici potest improprie reviviscere in subsequentibus peccatis personalibus, 132

Nequit peccatum originale coniungi cum solo veniali, 492 sq. 521

Peccatum mortale.

Discrimen inter peccatum mortale et peccatum veniale, 425-431

Omnia peccata mortalia conveniunt in unam indivisibilem rationem offensae Dei, 26. 80. 81. 84. 122

Peccatum mortale non est idem ac "peccatum ad mortem" (de quo in 1 Joan. 5,16), 36 sq.

Peccata mortalia simul omnia remittuntur nec absolute potest unum sine alio remitti, 78-89

Celebris quaestio de peccato irremissibili, signanter de peccato in Spiritum S., 33-72

Quodlibet peccatum de facto remittitur per poenitentiam, imo repugnat aliquod peccatum quod per poenitentiam remitti non possit, 18-72

Quodlibet peccatum est remissibile etiam per claves Ecclesiae, 340-353

De facto Ecclesiae nunquam veniam simpliciter denegavit ulli peccato aut peccatori, 353-423

Peccatum veniale.

Natura seu definitio, 425-427. 454. 473 sq.

Ejus convenientia et discrimen a peccato mortali, 82. 425-431. 445. 453. 454. 455 sq. 486. 490. 496. 508 sq. 514 sq.

520; peculiariter discrimen quoad remissionem, 531-533

Ejus habitudo ad charitatem: Veniale opponitur directe non charitati sed ipsius fervori, 427-430

Macula peccati venialis consistit in privatione fervoris charitatis, 430 sq. 455. 477

Ad remissionem peccati venialis requiritur status gratiae, 446. 484-495

Non tamen requiritur actualis infusio gratiae, 495-498

Nequit remitti veniale nisi prius remisso mortali, 485

Quo sensu in omni gratiae infusione peccata venialia remittantur, 496 sq.

Ad remissionem venialis peccati requiritur actus Poenitentiae nec sufficit actus alterius virtutis, 444-453

Non tamen requiritur poenitentia formalis, i.e. expressa contritio, 453-458, sed sufficit poenitentia virtualis quae tamen continetur in solo actu charitatis, 458-471

Actus tamen charitatis non semper aufert peccatum veniale sed tantum cum, ratione suae intensitatis vel modi, assumit characterem contrarietatis cum peccato veniali, 471-478

Quaecumque dicuntur remittere venialia, ut sacramenta, sacramentalia, oratio, jejunium, elemosyna, id non faciunt nisi mediante actu Poenitentiae, 432. 452. 456 sq. 544. 546. 558

Quaenam sit propria ac positiva forma quae formaliter expellit privativam maculam in qua peccatum veniale consistit, 476-478

Per subsequentem relapsum non redeunt peccata venialia jam remissa, nisi improprie sicut ipsa mortalia, 132

An sit necesse poenitere de venialibus, ita ut non poenitendo quis peccet, 529-531

Per sacramentum Poenitentiae peccatum veniale remittitur vere et proprie ex opere operato, 506-508

Non tamen remittitur immediate, sicut mortale, sed mediante actu contritionis vel charitatis, 508-520

Quidam, ut Cajetanus et Soto (non tamen S. Thomas), inepte docuerunt sacerdotem non indigere jurisdictione Ecclesiae ad absolvendum a venialibus, 727-729

Alii, etiam inter modernos (ut Lacroix, Salmanticenses, Ballerini-Palmieri, a quibus non simpliciter dissentiunt Galtier, Huarte et Cappello) dicunt Ecclesiam de facto in ipsa Ordinatione conferre jurisdictionem quoad venialia, 767-770

Quomodo peccatum veniale remitti possit in statu naturae purae, 520 sq., in limbo, 521, in inferno, 452. 522 sq., in purgatorio, 523-529. 452. 1112, per sacramentum Poenitentiae, 533 sq., per cetera sacramenta, 535-546, per martyrium, 546 sq., per sacrificium Missae, 548, per sacramentalia, 456. 548-557

Vide: POENA. POENITENTIA SACRAMENTUM. POENITENTIA VIRTUS. RELIQUIAE PECCATI.

*PETAVIUS celebrem emisit sententiam de denegata olim ab Ecclesia absolute quibusdam peccatis, 300. 301. 303. 307-310. 401 sq. 405

*PETRUS LOMBARDUS.

De peccato in Spiritum S., 52

Magister non audet recitare sententiam coaevorum, juxta quam peccata remissa reviviscunt ratione novi peccati, 112. 113

De reviviscencia meritorum, 140

Effectus sacramenti Poenitentiae non est proprie ipsa peccati remissio, sed declaratio remissionis factae per praecedentem contritionem, 259. 260 sq. 270. 279 sq. 725

In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, 637

De necessitate confitendi laico, in absentia sacerdotis, 704 sq. 721

Definitio potestatis clavium, 789

De potestate excommunicandi, 792

*PIUS XI confirmavit doctrinam theologorum de reviviscencia meritorum, 154. 212

POENA.

Poena aeterna necessario remittitur simul cum peccato, 95-100. 278 sq.

Non remittitur per indulgentias, 979 sq.

Poena temporalis debetur homini pro conversione ad creaturam, 82

Per accidens fit aeterna in damnatis, 127

Potest separari a peccato in remissione, cum ab eo pendeat non in esse sed tantum in fieri, 99

Per poenitentiam semper aliquid remittitur de poena temporalis, non tamen necessario totum, 100-103

Remittitur per indulgentiam, quae nequaquam est mera remissio poenae canonicae, 981-988

Poena canonica, seu censura, 799 sq.

POENITENTIA SACRAMENTUM.

Efficacitas.

Sacramentum vere remittit peccata, nec est "nudum ministerium declarandi remissa esse peccata" (Conc. Trid.), ut volunt Protestantes, 270-273

Item remittit peccata proprie, seu habet pro effectu ipsam remissionem peccati (contra quosdam theologos mediaevales), 273-281

Effectus.

Varii effectus sacramenti, 244-249

Quodlibet peccatum est remissibile per claves Ecclesiae, 340-353

Etiam de facto Ecclesia nunquam simpliciter veniam denegavit ulli peccato aut peccatori, 353-423

Sacramentum remittit etiam peccata venialia vere et proprie ex opere operato, quidquid sit de difficultate id explicandi, 499 sq. 506-508

Non tamen ea remittit immediate, sicut mortalia, sed tantum mediante actu contritionis vel charitatis, per quem

- venialia directe et immediate expelluntur, 508-520
- Quomodo cum hoc salvetur causalitas ex opere operato, 516-520
- Quaedam notanda circa remissionem venialium per hoc sacramentum, 533 sq.
- Etiam poena temporalis per hoc sacramentum remittitur, saltem partialiter, 247-249
- Proprietates.*
- Necessitas, 559
- Specifica unitas, 559 sq.
- Peculiaris indoles sacramentalis, juxta tria elementa sacramentalia, i.e. sacramentum tantum, rem et sacramentum, rem tantum, 560-564
- Comparatio Poenitentiae cum aliis sacramentis*, 560-564. 740. 783 sq.
- Comparatio cum Baptismo*, praecipue quoad effectum remissionis, 246. 270. 273. 277. 516. 564 sq. 620
- Comparatio cum Eucharistia*, 618 sq.
- Comparatio cum virtute Poenitentiae*: haec infuit ex voto ipsius sacramenti, 27. 278. 279
- Discrimen Poenitentiae ab Indulgentia*, 882. 944 sq. 958. 966. 967 sq. 974. 1009. 1010 sq. 1014. 1124. 1142 sq.
- Vide: PECCATUM. POENITENTIA VIRTUS. SUBJECTUM. MINISTER.*
- POENITENTIA VIRTUS.**
- Primarius effectus remissionis mortalium.*
- Poenitentia necessario remittit peccatum, 5-10
- Sine poenitentia nequit de facto remitti peccatum, 10
- Etiam absolute repugnat ut peccatum remittatur sine poenitentia, saltem radicali et aequivalenti, 11-15
- De facto quodlibet peccatum remittitur per poenitentiam, imo repugnat absolute aliquod peccatum esse irremissibile per poenitentiam, 18-72
- Per poenitentiam omnia simul peccata remittuntur nec absolute potest unum sine alio remitti, 78-89
- Poenitentia nequit esse nisi universalis, seu de omnibus peccatis, 84 sq.
- Per poenitentiam, simul cum peccato, necessario remittitur poena aeterna, 95-100
- Semper etiam aliquod remittitur de poena temporali, non tamen necessario totum, 100-103
- Poenitentia diminuit sed non necessario aufert reliquias peccati, 103-110. 143. 162
- Secundarius effectus remissionis venialium.*
- Ad remissionem peccati venialis requiritur actus poenitentiae, nec sufficit actus cujuslibet alterius virtutis, 444-453
- Non requiritur tamen poenitentia forma-
lis, i.e. expressa contritio, sed sufficit poenitentia virtualis, quae tamen continetur in solo actu charitatis, 453-471
- Actus tamen charitatis non semper aufert peccatum veniale, sed tunc tantum cum, ratione suae intensitatis vel modi, assumit characterem directae contrarietatis cum peccato veniali, 471-478
- An sit necesse poenitere de venialibus, ita ut non poenitendo quis peccet, 529-531
- Comparatio Poenitentiae cum innocentia*, quam praecellit secundum quid, 133 sq.
- Item cum gratia et charitate: Actus scilicet proprie dictae poenitentiae, seu perfecta contritio, procedit a virtute infusa et ideo a gratia sanctificante, etsi praecedat gratiam in ratione causae dispositivae, 9. 27. 141 sq. 460. 496
- Item cum sacramento Poenitentiae: sacramentum scilicet adjuvat virtutem Poenitentiae et actus istius agit ex voto sacramenti, 27
- Vide: CONTRITIO. GRATIA. PECCATUM. POENITENTIA SACRAMENTUM.*
- *POSCHMANN.**
- Sacramentum Poenitentiae non remittit directe ipsum peccatum sed efficit reconciliationem cum Ecclesia, 253 sq. 269
- Indulgentia pro vivis non est verus actus jurisdictionis, 922
- POTESTAS.**
- Variae Ecclesiae potestates, 789. 797 sq. 1027. 1029
- Potestas Ordinis et potestas jurisdictionis, earumque discrimen, 723 sq. 740 sq.
- Vide: MINISTER.*
- Potestatis clavium definitio et divisio, 786-793
- Potestas clavium sacramentalis non distinguitur realiter a characterem sacramentali, 793-795
- Discrimen clavium sacramentalis ab omni alia Ecclesiae potestate, 797-799
- PRESBYTERI.**
- Quandonam et quomodo in antiqua Ecclesia devoluta est presbyteris administratio sacramenti Poenitentiae, 639-646
- Quaestio disputata an adessent presbyteri poenitentiarii in antiqua Ecclesia Romana, 642-646
- *PROTESTANTES.**
- Evacuant vim justificativam actus poenitentiae, illam refundentes in solam fidem, 4 sq.
- Impugnant doctrinam juxta quam, remisso peccato, non necessario remittitur tota poena temporalis, 94

Ex principiis Protestantium sequitur peccata jam remissa reviviscere per commissionem novi peccati, 111

Sacramentum Poenitentiae non vere delect peccata, sed mere declarat remissionem a Deo factam ob fidem justificantem, 249. 251. 269. 270. 271 sq.

Omnes christiani sunt ministri Poenitentiae seu absolutionis, 602. 608-612

Protestantes negant potestatem jurisdictionis, 725

Impugnant reservationem casuum, seu peccatorum, per Ecclesiam, 762

Denegant Ecclesiae potestatem excommunicandi, 807

Negant indulgentias, a quarum impugnatione exordium suae defectionis sumpserunt, 830. 835-842

Eas habent ut meras remissiones poenae canonicae, 971

Non desunt tamen inter modernos qui remissius sentiant de indulgentiis, 840-842

Negant thesaurum Ecclesiae, 889

Peculiariter impugnant indulgentias pro defunctis, 1098 sq.

Vide: CALVINUS. LIBERALES PROTESTANTES. LUTHERUS.

PROVIDENTIA DIVINA.

Deus nulli denegat auxilia sufficientia ad poenitentium, 26

Deus non est causa tendendi in non esse, 81

Imo semper imperfectum adducit ad perfectum, 81

PURGATORIUM.

Animae purgantes sunt quodammodo in statu viatoris, quatenus non sunt simpliciter in statu termini, 111

Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in ipso Purgatorio, et quidem eodem modo ac in terris, i.e. per actum doloris vel charitatis, 452. 526-529. 547

In Purgatorio non datur meritum, nec satisfactio, nec proprie actus contritionis, 528 sq.

Animae purgantes nequeunt peccare, etiam venialiter, 448

Suffragia pro defunctis peculiariter impugnarunt in medio aevo Petrobrusiani, 831. 1103

De efficacia suffragiorum pro defunctis, 1015-1018. 1024

Indulgentia pro defunctis.

Existentia.

Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias pro defunctis, 1101-1112

Doctores mediaevales loquuntur potius de possibilitate seu applicabilitate indulgentiae ad defunctos, nec ulla noscitur certa concessio lata ante saec. 15, seu ante Callistum III (a. 1457). Prima

autem concessio de qua ipsum documentum possideamus, est Sixti IV (a. 1476), 1103-1107

Essentia.

Est verus actus potestatis jurisdictionis, 943 sq.

Fit tamen per modum non absolutionis sed suffragii; quod quidem non uno modo explicatur a theologis, 949-962

Recta explicatio assignatur, 959-962

Efficacia infallibilis, 1014-1025

Subiectum.

Sola requisita conditio est remotio peccati venialis, nec in defunctis requiritur intentio acquirendi, 1112 sq.

An eadem indulgentia possit applicari pluribus simul defunctis, ita ut prosit singulis, 1113-1115

Probabilius non requiritur status gratiae in vivo ad lucrandam indulgentiam pro defunctis, 1124-1132

Vide: ALTARE PRIVILEGIATUM. INDULGENTIA. MORS.

RELIQUIAE PECCATI.

Quid sint, et quomodo distinguantur, 90. 105

Diminuuntur quidem sed non necessario auferuntur per poenitentiam, 103-110. 143. 162

RESERVATIO.

Reservatio jurisdictionis sacramentalis, seu disciplina de "proprio sacerdote", 755-762

Reservatio casuum seu peccatorum, 762-766. Cessat in periculo mortis, 766 sq.

REVIVISCENTIA.

Quintuplex distingui potest reviviscentia, scilicet sacramentorum, meritorum, peccatorum, satisfactionis et indulgentiae, 138

Reviviscentia sacramenti Poenitentiae relate ad remissionem peccatorum venialium potest cum grano salis admitti, 520. 533 sq.

Reviviscentia meritorum.

Per poenitentiam restituuntur amissa gratia et virtutes, 140-143

Item recuperantur merita praecedentia, 143-158

Nequaquam recuperantur innocentia, materialis virginitas, virtutes naturales, ecclesiastica dignitas, 160-162

An etiam ipsa gratia sacramentalis reviviscat, 218 sq.

Merita reviviscunt juxta mensuram actualis dispositionis subjecti, 207-224

Reviviscentia meritorum debetur ex iustitia, 157 sq. 220 sq.

Reviviscentia peccatorum proprie non datur, 113-131

Admitti tamen potest in eo improprio

sensu quod in novo peccato praeterita virtualiter continentur, 131-134
 Discrimen inter merita et peccata quoad reviscentiam, 116. 124 sq. 134. 158
Reviscentia indulgentiae non datur, 1123 sq.

*RICHARDUS A S. VICTORE.

De peccato in Spiritum S., 52. 63 sq. 65. 94

Sacramentum Poenitentiae remittit solum reatum poenae, cum ipse reatus culpae remittatur a praevia contritione, 92. 256-258

Per poenitentiam nihil de poena temporali remittitur quando agitur de peccato in Spiritum S., 94

ROMANAE PEREGRINATIONES.

Ipsae erant quaedam forma qua exercebatur indulgentia, 865-867. 874 sq.

Juxta S. Thomam et Guilelmum Altisiodorensem, ipsae institutores habent Gregorium I, 866 sq.

ROMANUS PONTIFEX. *Vide:* PAPA.

SACRAMENTALIA.

Remittunt peccata venialia, 456. 548-557
 Id faciunt quasi ex opere operato seu ex opere operantis Ecclesiae, 555-557

Quomodo prosint existentibus in statu peccati quoad remissionem venialium, 491

SACRAMENTUM.

Omne sacramentum N.L. remittit peccata venialia ex opere operato, 535-546

Id tamen facit non immediate sed mediante actu contritionis vel charitatis, 508-520. 544

Effectus remissionis venialium differt pro variis sacramentis, 545

Convenientia et discrimen inter Poenitentiam et alia sacramenta. *Vide:* POENITENTIA SACRAMENTUM.

*SALMANTICENSES.

Sine aliqua Poenitentia, saltem aequivalenti, nequit absolute remitti peccatum, etiam in statu naturae purae, 11 sq.

Reviscentia peccatorum repugnat sub omni respectu, 129

De modo reviscentiae meritorum, 170. 174. 182. 190. 200 sq. 221. 227. 231. 234. 235. 237

Ad remissionem peccati venialis requiritur poenitentia, saltem virtualis, 436

Haec autem virtualis poenitentia continetur non solum in actu charitatis sed etiam in actu attritionis elicitu ab homine justo, 441. 442-444. 462-465

Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in altera vita, non tamen in ipso Purgatorio, 526

Peculiaris explicatio de modo quo sacramentum Poenitentiae remittit peccatum veniale, 505 sq.

Emolliendo sententiam thomisticam, dici potest de potentia absoluta non repugnare ut peccatum originale coniungatur cum solo peccato veniali, 522
 Sacramentalia delent peccata venialia ex opere operato, 552 sq.

Potest absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, dederit signa doloris, etsi sine explicito ordine ad claves, 572. 579

Pariter absolvi potest qui confessionem antea petiit, etsi in absentia sacerdotis, 573

Nequit vero absolvi qui antea nullum dederit signum poenitentiae, 573

De concelebratione in sacramento Poenitentiae, 778

Salmanticenses verba promissionis (Matth. 16, 19; 18, 18) inepte interpretantur de sola potestate in foro externo (leges ferendi et excommunicandi), ad exclusionem potestatis sacramentalis, 811-813

SATISFACTIO sacramentalis imponenda et exequenda est non obstante indulgentiae acquisitione, 987 sq.

*SCHISMATICI ORIENTALES.

Quidam accesserunt ad protestanticam negationem potestatis clavium, 522 sq.
 Abusus confitendi apud monachos laicos, 613. 689-694

Sacerdotes schismatici probabiliter non privantur ab Ecclesia potestate jurisdictionis requisita ad absolvendum, 773

Plures moderni impugnant doctrinam de indulgentiis, contra sensum ipsius eorum ecclesiae, 830. 843-845

Ecclesia schismatica admittit etiam indulgentias pro defunctis, 1109 sq.

Vide: ORIENTALES.

*SCOTUS.

Peccatum habituale nihil aliud est quam debitum luendi poenam, 75. 432. 450. 480. 483. 489 sq. 969

Absolute loquendo peccatum potest remitti sine ulla poenitentia, etiam aequivalenti, 11

Non repugnat unum peccatum remitti sine alio, 75

Reviscentia peccatorum non repugnat absolute, 127

De modo reviscentiae meritorum, 170. 174. 192-196. 224. 234. 237

Inepte quidem exaggerant merita Scoti in questionibus de Poenitentia, signanter de propria remissiva efficacia sacramenti, 267-269

Ad remissionem peccati venialis non est

- necessaria poenitentia, etiam virtualis, sed sufficit quilibet actus bonus, 431-434. 450. 451. 460. 461 sq.
- Item non requiritur status gratiae, 479-481. 487. 489. 492
- Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in ipso instanti mortis, 524
- Peccatum veniale remittitur etiam in inferno, 522
- Actus poenitentis non sunt materia ex qua sacramenti, 592
- Potestas clavium sacramentalis distinguitur realiter a caractere sacramentali, 793 sq.
- Merita Christi non sunt infiniti valoris, sed tantum maximi valoris, 911 sq.
- Definitio indulgentiae, 1028 sq.
- De applicabilitate indulgentiae ad defunctos, 1105 sq.
- *SIXTUS IV.**
- Primam, cuius documentum possideamus, indulgentiam pro defunctis concessit ac explicavit, 848-850. 1018. 1096. 1107
- Primus ipse adhibuit expressionem "Per modum suffragii" relate ad concessionem indulgentiae pro defunctis, 919 sq. 921
- Damnavit errores Petri de Osma circa indulgentias, 1096. 1099
- *SOTO (Dominicus).**
- Reviscentia peccatorum repugnat sub omni respectu, 129
- De modo reviscentiae meritorum, 181. 190. 212. 213. 214. 226. 228. 231. 236
- Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in ipso Purgatorio, 526 sq.
- Probabilius negandum est quodlibet sacramentum remittere peccata venialia, 540
- Peccatum veniale remittitur non per solum actum charitatis sed etiam per actum aliarum virtutum, 437. 438. 439
- Neganda est sufficientia genericae confessionis in periculo mortis, 571. 572. 573
- Ad absolvendum a peccatis venialibus sacerdos non indiget jurisdictione Ecclesiae, 727 sq. 729
- Indulgentia pro vivis est proprie dicta absolutio, 929. 930 sq.
- Etiam defunctis indulgentia prodest infallibiliter, 995 sq.
- Definitio indulgentiae, 1029
- Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationabilis sed etiam proportionata quantitati indulgentiae, 1064. 1065. 1084. 1089
- De abusibus in usu indulgentiarum, 1109
- SPIRITUS S., seu de peccato in Spiritu S., 41-72**
- *SUAREZ.**
- Absolute loquendo, non repugnat ut,posito actu poenitentiae, peccatum non remittatur, 5. 10
- Absolute loquendo, peccatum potest remitti absque ulla poenitentia, etiam aequivalenti, 11. 14 sq.
- De peccato ad mortem, 36
- De peccato in Spiritum S., 44. 50. 54. 70
- Non repugnat unum peccatum remitti sine alio, 75. 76. 77 sq. 87
- Non repugnat, remisso peccato, poenam aeternam non remitti sub aliqua saltem ratione, 92 sq. 98-100
- Non datur reviscentia peccatorum, 117. 120
- Tamen reviscentia peccatorum quoad solum reatum poenae non repugnat absolute, 128 sq.
- Virtutes fidei et spei restituuntur antecedenter ad actum Poenitentiae, per actus fidei et spei, 142 sq.
- De reviscentia meritorum, 147. 150. 151
- De modo hujus reviscentiae, 164 sq. 167. 170. 172 sq. 174. 179. 182. 210. 225 sq. 228. 230. 231. 234. 236
- Ad remissionem peccati venialis requiritur poenitentia, saltem virtualis, 436
- Haec autem continetur non in solo actu charitatis sed etiam in actu aliarum virtutum, 437-439. 461. 462. 472
- Ad remissionem venialium in sacramento non requiritur proprie contritio sed sufficit absentia complacentiae in peccato, 501 sq. 506
- Sacramentum Poenitentiae remittit venialia immediate, 502 sq. 511 sq. 513. 519
- Peccata venialia, quae supersunt, remittuntur in altera vita, non tamen in ipso Purgatorio, 526
- Non est necesse poenitere de venialibus, 530
- Sacramentalia delent peccata venialia non ex opere operato sed ex opere operantis Ecclesiae, 556
- Nequit absolvi moribundus qui, antequam sensibus destitueretur, dederit quidem signa doloris sed sine explicito ordine ad claves, 572
- A fortiori nequit absolvi qui antea nul- lum dederit signum poenitentiae, 573
- Potest vero absolvi qui antea petierit confessionem, etsi in absentia sacerdotis, 573. 578
- Confessio facta apud laicum potest esse utilis, 722 sq.
- In ministro Poenitentiae praeter potestatem Ordinis requiritur potestas jurisdictionis quam confert Ecclesia, 734. 737 sq. 742 sq. 744 sq. 747. 755
- Lex lateranensis de "proprio sacerdote" cui facienda erat confessio, 759

- De concelebratione in sacramento Poenitentiae, 775. 776
- De thesauro Ecclesiae, 885. 890 sq. 892. 898. 900. 901-904. 906-908. 909 sq. 912 sq. 914 sq.
- Inepte Suarez docet thesaurum constare non solum satisfactionibus sed etiam meritis Christi et Sanctorum, 891. 901-904
- Pariter inepte sustinet thesaurum applicari non solum per indulgentiam sed etiam per alia media, 892 sq. 906-908
- De essentia indulgentiae prout est actus potestatis jurisdictionis, 920. 921. 922. 923. 943
- Indulgentia pro vivis est vera et proprie dicta absolutio, 931-933
- Non sufficienter Suarez salvat jurisdictionalem indolem indulgentiae pro defunctis, 951-956
- Indulgentia remittit poenam coram Deo, 984 sq. 988
- Indulgentia etiam defunctis prodest infallibiliter, 995. 996. 1018. 1021
- Indulgentiae efficacia non pendet a peculiari dignitate acquirentis, 1010
- Definitio indulgentiae, 931-933. 1029
- Potest indulgentia concedi per modum suffragii etiam pro vivis, 1034-1036
- Suarez apte explicat sensum et valorem indulgentiae partialis, 1042-1046
- De indulgentiis personalibus, realibus et localibus, 1047 sq.
- Solus Papa habet ex jure divino potestatem concedendi indulgentias, 1051 sq. 1057 sq.
- Ad valorem concessionis indulgentiae requiritur in praelato causa non solum rationalis sed etiam proportionata quantitati indulgentiae, 1064. 1066. 1080 sq. 1084. 1085 sq. 1089 sq. 1091
- De indulgentiis pro defunctis, 1113
- Status gratiae requiritur in acquirente indulgentias pro vivis, non vero in acquirente indulgentias pro defunctis, 1122 sq.
- An acquirens indulgentiam possit injunctum opus implere per alium, 1141
- SUBJECTUM** capax, validum et licitum sacramenti Poenitentiae, 566 sq. *Vide: MORIBUNDUS.*
- SUFFRAGIA.** *Vide: PURGATORIUM.*
- *TERTULLIANUS.**
- Actus poenitentiae necessario remittit peccatum, 8
- Factus montanista, Tertullianus impugnat potestatem clavium, quam dicit esse non apud ecclesiam hierarchicam sed apud pneumaticam, 271. 603. 627. 640. 663
- Præcipue docet quaedam peccata esse irremissibilia per claves Ecclesiae. Historia et doctrina de peccatis irremissibilibus, 17. 21 sq. 288-292. 297. 301. 304. 321. 345. 348-350. 359. 361. 363. 364-374. 375 sq. 377 sq. 382. 408. 422
- De libello pacis a martyribus concesso, 668 sq. 680-682
- Vide: CALLISTI DECRETUM. MONTANISTAE.*
- THEOLOGI.**
- Disputant an absolute loquendo possit peccatum remitti sine ulla poenitentia, etiam aequivalenti, 11-15
- Quidam inepte conati sunt restringere universalem remissibilitatem peccatorum, 17 sq.
- Variae interpretationes et sententiae de peccato irremissibili, nominatim de peccato in Spiritum S., 34-72
- Quaestio an absolute repugnet unum peccatum remitti sine alio, 74-78
- Disputatio an absolute repugnet remitti peccatum quin simul remittatur poena aeterna, 92-94
- Disputant an revisiscentia peccatorum absolute repugnet, 127-131
- Vexata quaestio de modo quo merita reviviscunt, 163-207
- Celebris sententia mediaevalium de effectu sacramenti Poenitentiae, consistente non proprie in ipsa peccati remissione, 254-263; quae quidem essentialiter differt ab haeresi protestantica, 271-273
- Modernorum dissensus in quaestione an olim Ecclesia denegaverit veniam quibusdam peccatis vel peccatoribus, 300-340
- Variae sententiae de propria causa (seu actu virtutis) quae tollit peccatum veniale, 431-444
- Variae opiniones de modo quo peccata venialia remittuntur in sacramento, 500-506
- Controversia an possit absolvi moribundus sensibus destitutus qui nullum antea dederit signum poenitentiae, 573-578
- Dissensus theologorum in quaestione an indulgentia pro vivis sit proprie dicta absolutio et actus non tantum jurisdictionalis sed etiam proprie judicialis, 925-939
- Dissensus quoad infallibilitatem indulgentiae pro defunctis, 994-1005
- Diversus modus explicandi sensum et valorem indulgentiae partialis, 1041-1046
- THESAURUS ECCLESIAE.**
- Definitio thesauri, 886 sq.
- Ejus existentia, 893-899
- Ipsa expressio "Thesaurus Ecclesiae" occurrit jam in priori parte saec. 13;

- forte primo prolata est ab Hugone a S. Caro († 1263), 894
- In documentis Ecclesiae primus illam adhibuit Clemens VI a. 1343, exponens ipsam doctrinam de thesauro, 847 sq. 894
- In thesauro Ecclesiae continentur solae satisfactiones (non vero merita) Christi et Sanctorum, 899-904
- Thesaurus dispensatur solummodo per indulgentias, et indulgentiae dispensant solummodo thesaurum, 904-908
- *THOMAS AQUINAS.**
- Efficacia virtutis Poenitentiae quoad remissionem mortalium.*
- Actus poenitentiae necessario remittit peccatum, 9 sq.
- Sine poenitentia nequit peccatum remitti, 10-12
- Per Poenitentiam quodlibet peccatum remitti potest, seu non datur peccatum irremissibile, 25 sq. 32 sq.
- Quid sit peccatum illuminatorum, peccatum ad mortem, et peccatum in Spiritum S., et quomodo dicatur irremissibile, 34. 36. 39 sq. 41. 42. 43 sq. 45. 46. 47. 49. 52-55. 62. 69-72
- Absolute repugnat unum peccatum remitti sine alio, 75. 79. 80-89
- Simul cum peccato, necessario remittitur poena aeterna, 96-98
- Per Poenitentiam semper aliquid remittitur de poena temporali, 102 sq.
- Poenitentia diminuit sed non necessario aufert reliquias peccati, 104-110
- Non datur reviviscentia seu reditus peccatorum ratione novi peccati, 113 sq. 116. 119. 120 sq. 122-127
- Improprie tamen loquendo, reditus peccatorum admitti potest, quatenus in novo peccato praeterita virtualiter continentur, 131-134
- Divisio operum in viva, mortua et mortificata, 135-137
- De reviviscentia meritorum, 135. 140-143. 145. 147. 154-158
- Opera mortua nullatenus vivificantur per poenitentiam, 158-160
- Per poenitentiam non restituuntur innocentia et materialis virginitas, 160-162
- De modo reviviscentiae meritorum. Sola sententia Bañez videtur quadrare cum mente et verbis S. Thomae, 163 sq. 167. 169. 176. 179. 208-211. 212. 214. 216 sq. 221. 224-233. 234. 237. 240. 243
- Efficacia sacramenti Poenitentiae quoad remissionem mortalium.*
- Hoc sacramentum remittit peccata vere et proprie, 243. 263-269. 276 sq. 279
- Delet etiam, saltem partialiter, poenam temporalem, 248 sq.
- Inepte quidam moderni dicunt S. Doctorem nonnisi imperfecte sentisse de propria efficacia remissiva hujus sacramenti, 265-267
- Efficacia virtutis Poenitentiae quoad remissionem venialium.*
- Peccati venialis natura ejusque discrimen a mortali, 425-431
- Peccata venialia tolluntur per solam poenitentiam, saltem virtualem, 423. 424. 436. 445. 447. 453. 455. 458 sq.
- Haec autem virtualis poenitentia continetur in solo actu charitatis, 440. 465-471
- Non tamen quilibet actus charitatis tollit venialia, sed tantum ille qui, ratione suae intensitatis vel modi, assumit indolem directae contrarietatis cum peccato veniali, 472-476
- Remissio peccati venialis requirit statum gratiae, non tamen actualem gratiae infusionem, 478. 484 sq. 487. 492 sq. 495-498
- Quo sensu S. Doctor affirmet in omni gratiae infusione peccata venialia remitti, 496 sq.
- Nequit peccatum originale coniungi cum solo peccato veniali, 492 sq. 521
- In ipso Purgatorio remittuntur peccata venialia, 523 sq. 525. 526. 527-529. 1021
- Efficacia sacramenti Poenitentiae quoad remissionem venialium.*
- Hoc sacramentum remittit venialia vere et proprie ex opere operato, etsi tantum mediate, 499. 502. 505. 510-512. 517. 519
- Omne sacramentum N.L. remittit peccatum veniale ex opere operato, 535-546
- Martyrium remittit venialia peccata, 547
- Sacramentalia delent peccata venialia, 548-550. 552. 555 sq.
- Peculiaris indoles sacramenti Poenitentiae,* 561-564
- Quo sensu S. Doctor tribuat Poenitentiae et Matrimonio inferiorem quendam effectum quam aliis sacramentis, 564
- Minister Poenitentiae indiget potestate Ordinis,* 600 sq. 618 sq. 621
- S. Doctor admittit quandam sacramentalitatem confessionis factae apud laicum, imo videtur admittere etiam ejus necessitatem in absentia sacerdotis, 708. 712-717. 721
- In ministro requiritur etiam potestas jurisdictionis ad valorem sacramenti, 723. 725 sq. 727. 728 sq. 734-736. 740. 742. 747. 752. 753 sq.
- S. Doctor nequaquam sentit quod ad absolvendum a peccatis venialibus non requiritur jurisdictio Ecclesiae, 727. 728 sq.
- Lex de confessione apud "proprium sacerdotem", 756 sq. 760

- De reservatione casuum, seu peccatorum, 763. 765 sq.
- De concelebratione in sacramento Poenitentiae, 773. 774. 776. 779
- De potestate clavium*, 786. 787. 788. 789. 790-793
- Potestas clavium sacramentalis non distinguitur realiter a characterе sacramentali, 794 sq.
- Discrimen clavium sacramentalis ab omni alia clavi seu potestate Ecclesiae, 797
- Excommunicationis notio et divisio, 799. 802 sq. 806
- Ecclesia habet potestatem excommunicandi, 792 sq. 810 sq.
- S. Doctor nequaquam verba promissionis (Matth. 18, 18) refert ad solam potestatem excommunicandi, ad exclusionem clavium sacramentalis, 811-813
- De excommunicationis objecto, ministro, subjecto, absolutione, 815-821
- Indulgentiae* nomen, 830
- Ecclesia habet potestatem concedendi indulgentias, 828. 854. 882-884
- De variis indulgentiarum concessionibus, 866. 873. 1039
- De thesauro Ecclesiae, 895 sq. 897 sq.
- Indulgentia est actus jurisdictionis, exercitus per modum absolutionis quoad vivos et per modum suffragii quoad defunctos, 918. 920
- Indulgentia pertinet ad forum internum, 923 sq. 945. 946
- Indulgentia pro vivis est non proprie dicta absolutio, sed solutio, 928 sq.
- Indulgentia est actus potestatis non ordinis sed jurisdictionis, 940 sq. 942. 943. 954 sq.
- Effectus indulgentiae est remissio poenae coram Deo, non vero solius poenae canonicae, 968. 969. 970 sq. 974 sq. 983-985. 986 sq.
- Indulgentiae tantum valent quantum sonant, 1005. 1006. 1007. 1008
- Indulgentiae efficacitas non pendet a peculiari dignitate acquirentis, 1011 sq.
- Estque infallibilis, etiam quoad defunctos, 995. 1012. 1014. 1015-1018. 1021. 1022 sq.
- De infallibilitate suffragiorum in genere, 1015-1018. 1021
- Definitio indulgentiae, 1028
- Solus Papa habet ex jure divino potestatem concedendi indulgentias, 1048. 1054. 1058
- Ad valorem concessionis indulgentiae sufficit in praelato causa rationalis, non necessario proportionata quantitati indulgentiae, 1067. 1069. 1072. 1073. 1080. 1082. 1083 sq. 1089-1092
- De applicabilitate indulgentiarum ad defunctos, 1105. 1106. 1112
- Ad lucrandas indulgentias pro vivis requiritur status gratiae, 1119 sq., nec non impletio operis injuncti, 1137
- *TRIDENTINUM CONC.**
- Poenitentia remittit peccatum, 3
- Nullum peccatum est irremissibile, 16
- Per poenitentiam omnia simul peccata remittuntur, 72 sq.
- Simul cum peccato, necessario aufertur poena aeterna, 90
- Aliquid etiam de poena temporali semper vel ordinarie remittitur, non tamen semper ac necessario totum, 91. 101
- Non datur reviviscentia peccatorum, 115
- De reviviscentia meritorum, 139. 144. 150. 152-154. 207 sq. 211 sq.
- Effectus sacramenti Poenitentiae generaliter spectatus, 245
- Sacramentum delet saltem partialiter poenam temporalem, 247
- Sacramentum proprie remittit peccata, 263. 269. 273 sq.
- Omnia peccata sunt remissibilia per claves Ecclesiae, 286. 294. 406
- Quod Baptismus, Communio Eucharistica et sacrificium Missae remittant peccata venialia, 538. 539. 548
- Pro articulo mortis nulla est nec fuit casuum reservatio, 570
- In ministro Poenitentiae requiritur potestas Ordinis, adeoque solus sacerdos est minister hujus sacramenti, 609 sq. 613. 614. 616 sq.
- Absolutio habet indolem vere judicialem seu jurisdictionalem, 725
- Ad valide absolvendum minister indiget distincta jurisdictione Ecclesiae, 730 sq. 739. 741. 742. 743. 744. 747
- De reservatione jurisdictionis: distinctio inter habentem jurisdictionem ordinariam et habentem jurisdictionem delegatam ad absolvendum, 761
- De reservatione casuum seu peccatorum, 762. 765
- Efficacitas absolutionis pendet a ministro ut a vera causa, 771
- Potestas clavium, 788
- Potestas excommunicationis, 803. 808
- Utilitas indulgentiarum, 827. 852
- Existencia indulgentiarum, 845. 1050
- Decretum de indulgentiis, 851 sq.
- Ecclesia usa est indulgentiis inde ab antiquissimis temporibus, 856. 862
- Reprobantur abusus in materia indulgentiarum, 851 sq. 876. 1070
- Thesaurus Ecclesiae, 887. 907
- Concilium nihil explicitè et directe dicit de indulgentiis pro defunctis, 1101
- UNIO HYPOSTATICA** alicujus humanitatis, quae prius fuerit sub aliquo supposito peccante venialiter, haec venialia peccata non proprie remitteret sed destrueret, 449

- *URBANUS II primus concessisse videtur indulgentiam sub moderna forma in Conc. Claromontano (a. 1095), 846. 872. 985. 1037
- *VACANDARD.
Olim Ecclesia denegavit veniam quibusdam peccatis, 303. 304. 315-321. 360. 361. 366. 367. 368 sq. 371. 378. 381. 420
In antiqua Ecclesia Romana non fuerunt sic dicti presbyteri poenitentiarum (contra Batiffol), 642-646
In quibusdam documentis antiquae Ecclesiae conceditur diaconis vera potestas reconciliandi poenitentes, etsi id fieret ex errore, 655-657. 660
- *VIENNENSE CONC. egit contra abusus in materia indulgentiarum, 847. 1039. 1106
- VIRGINITAS per poenitentiam recuperatur tantum quoad suum formale, non vero quoad suum materiale, 143. 155. 161
- VIRTUTES.
Quomodo contrariantur vitiis eaque expellunt, 107-109
Inepte Scotistae negant virtutes morales esse infusas et supernaturales, 141
Virtutes amissae per peccatum restituuntur per poenitentiam, 140-143
Ipsa fides et spes, si per peccatum amissae non fuerint, reparantur per poenitentiam quoad perfectionem quam habebant ex informatione charitatis, 140 sq.
Virtutes naturales amissae per peccatum non necessario restituuntur per poenitentiam, 162. *Vide*: RELIQUIAE PECCATI.
Vide: CHARITAS. CONTRITIO. GRATIA.
- VIVA. *Vide*: OPERA.
- *WALDENSES.
Vindicant laicis jus audiendi confessiones, 604 sq.
Reiciunt indulgentias, 831 sq.
- *WICLEFF.
Docet valorem sacramenti pendere a sola dignitate ministri, adeoque etiam sola laicos esse ministros Poenitentiae, 607 sq.
Impugnat reservationem casuum seu peccatorum per Ecclesiam, 762
Negat Ecclesiam habere potestatem excommunicandi, 807
Primus, ut videtur, explicite impugnavit indulgentias, 833-835. 848. Praecipuae ejus objectiones, 878-880
Negat consequenter thesaurum Ecclesiae, 908. 910 sq.
Impugnat peculiariter indulgentias pro defunctis, 1096-1098